

DISPVTATIONES DE ACTIBVS HVMANIS.

Excellentissimo Principi D. D. PETRO AB ALENCASTRO Auerienſi Duci, &c.

Authore R. P. D. Fr. ISIDORO DA LVS Scalabitano in Academia Conimbricenſi primo Cathedræ Controuerſiarum contra Hæreticos noſtri temporis, Decano, & primario ſacræ Theologiæ publico Profeſſore: Ordinis Smæ Trinitatis, & Redemptionis Captiuorum olim Viſitatore, & Vicario Generali, ac Prouinciali digniſſimo.







PARISIIS,
Apud LVDOVICVM BILLAINE, in Palatio Regio.

M. DC. LXIX. 1669

CVM PRIVILEGIO REGIS.



EXCELLENTISSIMO PRINCIPI
DOMINO DOMINO
PETRO DE LENCASTRO
SERENISSIMO IOANNI SECVNDO
PORTVGALLIÆ REGI
REGVMQVE OMNIVM EXEMPLARI,

Sanguinis gradu conjunctissimo, Avetiensi Duci, à Consilijs Status, &c.



VB umbra tuæ Excellentiæ (EXCELLENTISSIME PRINCEPS) *jamdiu prælo præparatum, tuæque protectioni commissum, nunc primum in lucem prodit volumen de Actibus humanis. Ejus Editio licet gravissimis fuerit obstaculis impedita, nulla tamen, talem, tantam que protectionem impedire potuerunt. Et fortasse alicui videbitur, Editionis moram, non necessitati tot impedimentis inductæ, sed rationis studio fore adscribendam, ut suo loco tuæ Excellentiæ protectio poneretur: namque post consecrata tribus Gratiis, Serenissimi, semper faustissimi, semperque invictissimi Joannis Quarti Portugalliæ Regis, Serenissimæ proli tria Opuscula, nulli alii personæ, quam tuæ Excellentiæ hujus voluminis patrocinium debebatur; siquidem in tota Hispania, etiam ad lucernam quæsitus, Procerum nullus te conjunctior Regibus Lusitaniæ reperitur: licet enim in Hispaniæ Magnates sanguis Regius decurrat, tamen proximius in tuam Excellentiam Regalis sanguinis claritas derivatur, eo quod per lineam paternam agnoscis Excellentissimum Patrem tuum Aluarum, pronepotem: per lineam maternam, Excellentissimam Matrem tuam Julianam abneptem Serenissimi Joannis Secundi Lusitanorum Regis, cujus purissimus sanguis ad tuam devolutus Excellentiam, tuam majorem cum Lusitanis Regibus consanguinitatem manifeste declarat: ex quo*

Omnis nobilitas, omnis tua sacra frequentat
Tibridis, & Latii soboles, convenit in unum
Quidquid in orbe fuit Procerum.

Claudin. Paneg. in quartum Consulatum Honorii.

Hinc est, quod si Serenissimis, Magnæ Britanniæ Reginæ, Alphonso VI. Lusitani imperij Regi, ejusque Administratori Serenissimo Principi Petro, jure sanguinis succedis in Regno, etiam succedere in patrocinio debuisti.

Sed cur ego, ut huic libro vestram Excellentiam Patronum faciam, ad Regalis sanguinis, quo omnibus prælatus es Dinastis, claritatem recurro? Fateor illo solo splendore te adornatum, futurum præ omnibus Patronum excelsum, cum in illa regalis sanguinis vena, satis superque habeatur libri de Actibus humanis, præsidium, decus, defensio. Namque

Claudianus supra.

Si tibi Parthorum solium fortuna dedisset,
Chare pater, terrisque procul venerandus Eoas
Barbarus Arsacio conjungeret ore Tiaras,
Sufficeret sublime genus, luxuque fluentem
Deside, nobilitas posset te sola tueri.
Altera *Lusiadum* longe rectoribus aulæ
Conditio, virtute decet, non sanguine niti.

Etenim exactissimus sanguis virtutum destitutus patrocinio, onerat, non honorat: non illustrat, sed obscurat; ignominiam generat, non gloriam.

Iuvenalis Satyra.

Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso Consule fasti
Profuerint, si vita labat? Perit omnis in illo
Gentis honos, cui laus est in origine sola.

Tanti sanguinis claritas, tanti generis venustas, tantaque originis splendor in tuam Excellentiam non periturus, sed novo effulsurus fulgore defluxit: etenim omnis illa generationum claritas à Joanne II. promanans, in te sese collegit, ut clarioribus lucis radiis mundum illustraret universum, imo de tua Excellentia dicere non dubito (quod omnes Lusitani visis tot virtutum fulgoribus, quibus ubertim insigniris, asseverant) te non ab origine, sed à te originem accepisse beneficium; periret tanta gentis claritas, si non esses, & nova claritatis solus esses principium, si tibi claritatis origo defuisset: nam etsi fons omnis nobilitatis, tuorum sit natalium origo, tantis virtutibus nites, ut ex te nasci majori potuisses splendore, & de tua Excellentia majori cum judicio affirmabitur, quod de Ruffo dixerat Tiberius: Videbitur ex se natus. *Selectissimus ille sanguis, qui omnes posset adornare familias, tuis virtutibus tenebras offundit, non lucem; claritatem detrahit, non addit, dum gloriam illis debitam, tuo sanguini videatur concedere ignorantia. Certe ita inter se sanguinis tui claritas, & virtutis tuæ decertant, ut ignoret Lusitania, an illa, quam de excellentissima tua persona habet, æstimatio, sit sanguini, aut virtuti deferenda. Cum tamen majorem haberes, non posset, si ut unus de*

Tacitus Annalium lib. 11.

populo nasscereris, & qualis non unde satus censereris : *tot enim scientiarum fulgoribus, tot meritorum radiis, tantaque virtutum luce, regalis ille sanguis in te subsistens, clarescit, ut tua Excellentia absque ullo assentationis periculo possit aptari illud à Pacato dictum imperatori Theodosio:* Dixisse sufficiat, unum illum divinitus extitisse, in quo virtutes omnes vigerent, quæ singulæ in omnibus prædicantur, *siquidem tuam Excellentiam indicare censeo Plinium Juniorem, cum Aristonem describit:* Nihil est enim illo gratius, sanctius, doctius : ut mihi non unus homo, sed litteræ ipsæ, omnesque bonæ artes in uno homine summum periculum adire videantur. Quam peritus est ille, & privati juris, & publici! Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet! Quid dicere velis, quod ille dicere non possit? Mihi certe, quoties aliquid absconditum quæro, ille thesaurus est. Iam quanta sermonibus ejus fides, quanta authoritas : quam pressa, & decora cunctatio! Quid est, quod non statim sciat? Et tamen hæsitat, dubitat diversitate rationum, quas acri, magnoque judicio ab origine, causisque primis repetit, discernit, expendit. Ad hæc, quam parcus in victu, quam modicus in cultu! Soleo ipsum cubiculum ejus, ipsumque lectum, ut imaginem quandam priscæ frugalitatis aspicere. Ornat hæc magnitudo animi, quæ nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert, recteque facti, non ex populi sermone, sed ex facto laudem petit. *Non me piget totum transcribere locum, in eo enim, velut in purissimo speculo, tua Excellentia imago manifestius relucet, quam illius Aristonis ad placitum effigiata species : de Aristone credi potest per exagerationem laudis dictus, de te non nisi ad exactam trutinam libratus, ut qui vita tua rationem proximius experiuntur, omni adulationis fuco ablato consitantur : vere enim, vere* abundant in te ea bonitatis, & virtutis exempla, quæ sequi cupiat ventura posteritas, & si rerum natura pateretur, adscribi sibi voluisset antiquitas.

Claudian Panegyri 1. in laudes Stilicomis.

Latinus Pacatus in Panegyri Theodosio dicta.

Plinius lib. 1. Epist. 23.

Panegyricus Constantino Augusto Constantij filio dictus.

Hac omnia, Excellentissime Princeps, ultra omnem adulationem dicta, sciunt omnes qui in tua Excellentia scientiis, & virtutibus contemplandis paulisper immorantur. Etenim quamquam claro Lusitanorum sanguine satus non esses, sed quasi unus de populo, Philosophia, & sacra Theologia scientias addisceres, non passus es, ut plerique solent, prascripti temporis ad lauream doctoralem minimum diminui quadrantem, ne gratia, sed justitia candidus Pileus capiti tuo imponeretur. Quis, qualisque Philosophus, & Theologus evaseris, fatentur quicumque ex ore tuo pendentes, utriusque scientia inextricabiles nodos dissolventem audierunt: Laurea insignitus Doctorali, ad alias scientias animum applicuisti, & sine magistro ita sacri, & prophani juris decreta, imò, & profunda Medicina arcana speculatus es, ut tu eximiis

Plinius lib. 1. Epistola 22.

illarum artium Professoribus sine veritatis detrimento jure debeas præferri: In summa non facile quisquam ex illis, qui sapientiæ studium habitu corporis præ se ferunt huic se viro compararit: non quidem gymnasia sectatur, aut porticus, nec disputationibus longis aliorum otium, suumque delectat, sed in toga, negotiisque versatur, *Nec solitaria in te fuere scientiæ, sed animum tot virtutibus adornasti, ut cum scientiæ summum locum sibi arrogare intentent, virtutum tamen tuarum luce superentur.* Certe, nemini castitate, pietate, iustitia, fortitudine etiam primo loco cesseris, *cum omnium ornamenta virtutum in te, Excellentissime Princeps, mirabiliter refulgeant, & cum totus scientiis addictus, totusque virtutibus deditus sis:* illud tamen præ cæteris mirum, quod cum omnia faceres, ut imperare deberes, nihil tamen faciebas ut imperares; *In adornando animo intentus, nulla tibi de exaltatione personæ, deque status augmento cura erat: plane sciens nullum esse virtutis præmium, quam ipsam virtutem.*

Plinius supra.

Plinius in Panegyrico.

Claudianus Panegyri in sextum consulatum Mallij Theodori.

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque late
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuve petit clarescere vulgi.
Nihil opis externæ cupiens, nihil indiga laudis,
Divitiis animosa suis, immotaque cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.

Non potuit tamen tua Excellentia tantæ radios occultare lucis; quippe quæ naturaliter lumine proditur ipsa suo, cum sollicite honores fugit, ambit; cum se negat Reipublicæ, præsens adest: cum solitariam vitam eligit, in medio orbis Theatro sese exhibet videndam, virtutem namque etiam

Claudianus supra.

Invitam blande vestigat, & ultro
Ambit honor: ambit sæpe à rure profectus
Lictor, & in mediis Consul quæsitus aratris.

Extra Curiam ab omni bellorum, tumultuumque strepitu segregatus, solis scientiis solisque virtutibus vacans in Ducum Averiensium Palatio, acsi eremum habitares, illamque adeo blandientem Palatij regalis auram expavescens, utpote bonis artibus contrariam esse existimabas, frequens enim est, ut Curia recipiat, vel faciat vitiosos, apud quos invalescit audacia delinquendi cum ex familiaritate Potentum vitiis indulgetur, sed de anteacta vita, cujuscumque frustra præsumitur, cum inter Curiales vix possit innocentia retineri: *Attamen tuum scientiarum virtutumque talentum universa patens Lusitania, sub modio latere non passus est Serenissimus Joannes IV. ad utriusque potestatis exercitium te invictum evocavit, & ab illa, quam unice deperibas quiete avulsit, ut omnibus Regni ministeriis praeesses. Etenim, Ægitanensem Ecclesiam, quæ sola suo viduata inveniebatur Pastore, tibi*

Ioannes Salsburiensis in Policratico de Curialium nugis. lib. 5. cap. 10.

gubernandam commisit, majores commissurus, si Pastoribus vacarent: quem sui amoris affectum effectu illico demonstravit, dum vacantem Bracarensem Ecclesiam Hispaniæ Primatem tuæ Excellentiæ tradidit regendam, nec non per Archiepiscopi Eborensis obitum, ad eam Ecclesiam tuam nominavit Excellentiam, eo quod Regum Lusitanorum ætate non nisi Infantibus illa conferebatur Ecclesia, ne tamen dum sedis Apostolicæ expectatur assensus, tuæ Excellentiæ luce Lusitani privarentur, te in status Consiliarium, inque præsidem justitiæ, quo munere nullum majus, elegit. Quis hanc Serenissimi Regis in tuæ Excellentiæ ad omnes Regni tiaras, & munera sollicitudinem, vel in tuæ virtutis præmium, vel in erga Majores tuos benevolentiæ signum ostendendum, fuisse non crederet? Et tamen, si vera fateri debemus, non tibi, sed sibi; non tuorum Majorum meritis, sed suæ conscientiæ providit: suam agebat causam, dum de tuæ exaltatione personæ cogitabat: cum enim amore justitiæ flagraret, duo Serenissimi Regis animum urgebant, justitiæ amor, & Regni defensio. Lusitaniam armis Catholici Regis ex omni Europa conductis circumcinctam cernebat, ut Lusitania triumpharet, non solum causæ, sed etiam Regni justitia opus erat, ne Regni injustitia causæ impediret justitiam. Inter hos curarum fluctus, ut se totum Regni traderet defensioni, se à Justitiæ ministerio eximere oportebat, necessariumque talem, tantumque Justitiæ eligere Præsidem, in quo secure cura Serenissimi Regis requiesceret. Elegit tuam Excellentiam, præfertur nuntium [Mamertinus in Panegyri Iuliano imperatori dicta.] Præsidem te creatum sine impendio, quod iam diu paucis: sine labore, quod numquam: sine petitione, quod nemini. Nec spes vana fuit, namque in illo Justitiæ tribunali, mansitque prior humanitas: eademque omnia, circa nihil ipso te fortuna mutavit, [Plinius in Panegyrico.] rediit seculum aureum, in quo nullus auro valor, nulla personarum acceptio, nulla favoris importunitas, nulla procerum violentia, sed omnis causa una justitiæ libra pendebatur,

Non dominantur opes, non corrumpentia sensus [Claudianus in Panegyri de tertio Honorij consulatu.]
Dona valent, emitur sola virtute potestas.

Numquam enim, aurum, preces, favor, imo etiam Serenissimo Regis interventio obtinere potuerunt, ut sanguine infecti, indocti, aut ignobiles; in illo, cui præeras Tribunali ad Reipublicæ munera assumerentur. In expediendis negotiis, quàm facilis! nulla [Plinius suprà.] in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora: adeunt statim, dimittuntur statim: Certe verum fuit tui muneris tempus, illud cantatum seculum aureum, utpote in quo viluit aurum, triumphavit virtus, claruit nobilitas, justitia abundavit. Non tamen diu floruit hæc ætas, nam quando sibi, tuæque Excellentiæ congratulabantur Lusitani, in ea Præsidentiam Justitiæ semel & iterum ultra stylum prolongatum videntes, ad pristinæ quietis habi-

taculum te restituens ab urbe, & ab Aula, & à nobis præter omnium expectationem recessisti: nullaque alia hujus recessus causa tuæ Excellentiæ fuit, nisi quia non decebat tuæ Excellentiæ conditionem, Tribunalis, cui Præses eras, authoritatem, quam cum ad illud assumptus fueras obtinebat, aliqualiter videri diminutam. Multa egit Serenissimus Rex Joannes, ut ad Justitiæ præfecturam iterum redires, nec quandiu vixit, alterum ei Præsidem præfecit, imo inter extremos vitæ halitus enixè tuam deprecatus fuit Excellentiam, ut bono communi occurrens illi preesses Tribunali: Non aliter Serenissima Regina, Regisque, & Reginæ vestigia sequutus Serenissimus Rex Alphonsus VI. multis oblatis Dignitatibus te ad tanti evocavit Tribunalis præsidentiam, omnia media tentata fuere, ut Palatij administrares Tribunal, sed frustra, cum nec vi, nec precibus, nec muneribus potueris à tui justissimi pectoris proposito dimoveri,

Claudianus in 2 Panegyri Stiliconis.

Decus hoc rapiat, quem falsa timentem
Munera decipiunt, qui se diffidit amari:
Hic solus sprevisse potest, qui iure meretur.

O incomparabilem tui pectoris fortitudinem! Romanorum, imo & omnium Regnorum evolvantur annales, simile non legitur exemplum. Tua Excellentia in veritate est ille fictus homo, quem tantopere cupiebat Liricus Poëta, & his describebat carminibus:

Horatius lib. 3. Carminum, Ode 3.

Iustum, & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava iubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente qualit solida: neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iovis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ

Non tamen hoc exemplo tantum, tui Sanguinis originem, Lusitanamque gentem illustrasti, tibi obtulit Lusitania arenam, in quam descendens latens in pectore fortitudo usque ad miraculum orbi patefieret universo. Etenim in illa gloriosa actione, quâ Lusitani Regno devoluto ad suum legitimum Regem, sese in libertatem asseruerunt, tanta novitate altissimi Nobilitatis montes concussi prolapsi fuere: omnibus Domus eminebat Averiensis, quid mirum si etiam aliqualiter quateretur? Relegatur ad Ducatus terras, ab Aula tamen, & urbe longe positas: sed cum Status ratio, non alicujus criminis culpa tanta fuerit demonstrationis causa, brevi postliminio Aulam illustratura revocatur, Vrbemque dum Serenissimus Rex Joannes vixit, sua illustravit præsentia, suaque in Regem, Regiamque domum fidelitate aliquorum vacillantia corda, in Regis Regnique defensionem animavit,

vit; at in cælum ascendente Serenißimo Rege non destiterunt aliqui Ministri Regis Domui Averiensi insidias parare, quas ubi primum Excellentißimus Dux Raymundus præsensit, sibi consulens, quin sui pectoris arcanum alicui insinuaret Lusitanorum, Galliam profectus erga Regnum summam fidelitatem observavit, in eaque permaneret, nisi sibi à Lusitanis violentam mortem parari animadverteret, quo casu jure utens naturali ad Hispanos se conferens, Catholici Regis Aulam, ut tutißimum ad vitam tuendam locum quæsivit: illicoque Excellentißima Ducissa cum Excellentißimis Antonio, & Maria, Regnum deserere, & ad Hispanos migrare compelluntur; judicialiter de proscribenda Averiensi Domo cogitantes: tu solus Excellentißime Princeps non sine auxilio divino, quum altissima quæque quaterentur, *qui* omnibus excelsior eras, inconcussus stetisti; *& adeo imperterritus* Plinius in Panegyri. *ut velut aneum murum proscriptioni tantæ Domus te opposueris, & rationum ponderi, quibus Ducis Raymundi fidelitatem comprobare nitebantur Ministri illi succumbentes, sibi optimum medium visum fuit, tuam Excellentiam in exilium mittere, & sic indiscussa causa, & Excellentißimus Raymundus damnatus, & Domus Averiensis proscripta, Coronæ Regiæ fuit adjudicata.*

Sisto calamum, ut summatim hoc tuæ constantiæ considerem exemplum: Tu solus, Excellentißime Princeps, tua fretus innocentia, pro honore, & fidelitate tantæ Domus decertas: ex quo discimus experimento fidelissimam esse custodiam Principis, ipsius in- Plinius supra. nocentiam. *Mitteris in exilium, quin aliqua vox, quæ imo in pectore latentem dolorem ostenderet, audiretur:* Neque enim ulli Plinius lib. 7. Epistola 20. patientius reprehenduntur, quam qui maxime laudari merentur. *Causa exilii fuit libera defensio veritatis. Certe ut ille suo Imperatori dicebat, convincerem* eas illius in te odii fuisse causas, quæ Mamertinus in Panegyri Iuliano dicta. amoris inflammatrices, & fidei obsides esse debuerant. *Ad breve fuit tempus exilium, nam ipsamet Serenißima Regina Mater, quæ sinistris Ministrorum informationibus aures præbens te in exilium miserat, revocavit;* nam fides in præsentia eos, quibus resistit, Plinius lib. 3. Epistola 7. offendit, deinde ab illis suscipitur, laudaturque. *Mirum est, quanto gaudio, quantisque plausibus Lusitania tuam in urbem prosequuta sit restitutionem. Curiam certe nova gloria implesti, & Serenißimi Regis Alphonsi VI. ac omnium desiderio satisfieret, si eam tua ornare voluisses præsentia, nullis tamen precibus, aut promißis persuaderi potuisti, ut Aulam tui animi tranquillitati præferres.*

Ecce incomparabile utriusque fortunæ exemplum: non te adversa dejecit, nec prospera elevavit; in utraque idem, eadem facies, eadem constantia: exulat Domus Averiensis, nulla in vultu tristitia; reducitur, nulla in facie cognoscitur lætitia:

Regiæ Coronæ domus Averiensis adjudicatur, nulla mœroris signa in facie tuæ Excellentiæ; eadem domus judicialiter tibi defertur, nullum in vultu gaudij signum apparet: exulas sine tristitia, reduceris sine lætitia. Voluit certe mundus in te ipso experiri, an supra omnem tuæ Excellentiæ fortitudo posita foret: nunc deprimere, nunc attollere nititur, sed frustra tuam labefactare constantiam tentavit; idemmet in utroque statu persistis, cum adversus tuam fortitudinem deprimere putat, tunc fortius velut palma attolleris; cum elevare præsumit, te in eodem statu suspicit permanentem: victus est mundus, & tanto viro prævalere non posse admiratus est: ipsa mundi inconstantia, tuæ Excellentiæ constantiæ subseruit, dum omnibus casibus tui animi fortitudinem valentiorem esse experitur; gloriam tibi subministravit, dum gloriam eripere cogitabat.

Modestia tua impeditus, parco tuarum virtutum splendoribus, alij erunt calami, qui ad universi orbis instructionem in earum laudibus paginas impleant, prælumque sudare compellant: licet enim in Sanguinis tui explicanda claritate, nimium quidem spatientur, non tibi in eo laus innixa obsequium, sed fastidium ingenerat,

Iuvenalis Satyra. Nam, quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco.

Licet, ut vera dicamus, ab ipsa tui gentilitij claritate, necessitatem velut quandam contraxisti operandi actiones dignas Principe, dignas gloria, æterno nomine dignissimas, ut bene discurrit In Policratico lib. 8. cap. 15. *Salisburiensis*, hoc tantum unum meo judicio, quidquid ille sentiat, bonum habet generositas, quod necessitatem indicit probitatis: *idcirco majorum tuorum sanguini tantarum virtutum lumen addis, & tuam Regij sanguinis originem, novo, & numeroso virtutum splendore clarificas, ab ea te origine sanguinem ducere comprobaris, ut de Imperatore Maximiano dicebat ille innominatus*, qui se progenitum esse Herculis, non adulationibus fabulosis, sed æquatis virtutibus comprobavit. In Panegyri Maximiano, & Constantino Augustis dicta.

Jure ergo sanguinis, & virtutum merito, non alij, quam tibi ob locum, & materiam debuit Opus de Actibus humanis consecrari. Jure sanguinis ob locum, qui solum tuæ Regali Domui post Serenissimos Reges, & Portugalliæ Principes, immediatus debetur, eo quod supra te, tantummodo Regiam Domum agnoscis; merito vero virtutum propter materiam: quis enim de Actibus humanis aptius potest judicare, quam tua Excellentia, qui omnes actiones ad trutinam rationis rectæ libras, conscientiam attendens, quam præ oculis à te haberi ipsa tua vita ratione comprobatur, nam multi famam, conscientiam pauci verentur: *simulque opus erat huic volumini tali patrocinio, quod Sanguinis ma-* Plinius lib. 3. Epist. 2.

jestate, virtutum fortitudine, & scientiarum peritia Librum tueretur: non quia nova in eo traduntur, cum non acutiores, sed veriores, non ad cujusvis levis rationis, sed probabilioris dictaminis fundamenta theses fuerim sequutus: sed quia una superest superanda difficultas, nimirum multorum ora compescere, quippe cum plures Doctores ante hujus Voluminis Editionem de Actibus humanis scripserint, nec eorum mentionem facio, nec argumenta contra aliquas à nobis probatas resolutiones dissolvo, primo aspectu nostra doctrina videtur, & authoritatem, & veritatem minuere: quæ calumnia facile evanescit, si voluminis antiquitas ad veritatis normam calculetur: Typis datum est post multorum Doctorum scripta, fateor: quid ergo? erunt antiquiores? Inficias ibit, quicumque jura agnoverit Antiquitatis. Librorum antiquitas non ex die, quo in publicum editi sunt, sed ex natalibus metienda est; non cum Typis dantur, sed cum omni ex parte absoluti prælo sunt præparati. Antequam illi Doctores sua ederent in Primam Secundæ Commentaria, jam volumen hoc Parisiis prælo donandum fuerat præparatum, hinc citati Doctores de eadem materia scribentes, non potuerunt prævideri: jam eorumdem doctrina, si diversa à nostra est, nihil difficultatis opponit, cui non sit sufficienter satisfactum: in cujus veritatis testem tuam offero Excellentiam, utpote cui hæc notissima, & tuo Patrocinio incredulorum oblatrationes compescent.



FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS *totius Ordinis Sanctissimæ Trinitatis & Redemptionis Captivorum.*



OS FRATER PETRVS MERCIER in Sacra Theologia Magister, Major ac Generalis Minister totius Ordinis Sanctissimæ Trinitatis ac Redemptionis Captivorum, Christianissimi Regis in suo Status ac Privato Consilio Consiliarius, Suæque Majestati ab Eleemosynis & Concionibus ordinarius. Nil sanè in votis optabilius habemus, aut in æstimatione pretiosius, quàm vt ex Augustissimæ nostræ Religionis gremio sacri fœcundissimorum ingeniorum fœtus in lucem prodeant è quibus Supremæ illi cui devotè famulamur, Triadi, gloria, Ordini nostro decus, vniversæ verò Reipublicæ Christianæ emolumentum atque vtilitas accedere posse videatur. Cùm igitur dilectus Confrater noster, in Sacra Theologia Doctor R. P. Frater Isidorus Daluz, Scalabitanus, charissimæ nostræ Provinciæ Lusitaniæ seu Portugalliæ nuper Provincialis, idémque olim noster in ea Commissarius, Visitator, ac Vicarius generalis, nunc verò in celeberrima Conimbricensi Academia Primus ac Primarius Cathedræ Controversiarum adversus Hæreses publicus Professor, elegantissimum de Actibus humanis Tractatum ediderit, quem ad præmemoratum finem conferre plurimùm posse non dubitamus: Nos præstantissimum Opus desideratos suos fructus proferre cupientes, ipsius typis incessanter mandandi, facultatem quantamcumque ad nos spectantem, præsentium tenore, & nostrâ Generali Authoritate libenter impertimur. Datum Parisijs, in Conuentu nostro Sanctissimæ Trinitatis, tituli Sancti Maturini, sub signis manualibus nostro, & vnius è Secretariis nostris, ac contrasigillo Majoris nostræ Administrationis, primâ die mensis Ianuarij, anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo octauo.

PETRUS
Generalis.

Mandato præfati Reuerendissimi Patris
ac Domini D. Generalis nostri.
DES AVTELS.
Secretarius.

APPROBATIO THEOLOGI ORDINIS SANCTISSIMÆ *Trinitatis & Redemptionis Captivorum.*



EGo infrascriptus Theologus, Minister de Syluella, seu de Fonte IESV, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis Captiuorum, testor me, ex commissione Reuerendissimi Patris ac Domini D. Petri Mercier, in Sacra Theologia Magistri, Majoris ac Generalis Ministri totius prædicti Ordinis, Christianissimi Regis in suis Status Consilijs Consiliarij, Suæque Majestati ab Eleemosynis, & Concionibus ordinarij, legisse librum, cui titulus est, de Actibus humanis, miro labore atque industriâ à Reuerendo admodum Patre Isidoro Daluz Scalabitano, in Sacra Theologia Doctore, Prouinciæ Lusitaniæ seu Portugalliæ ejusdem Ordinis nuper Prouinciali, & olim in ea Commissario, Visitatore, ac generali Vicario, nunc verò in celeberrima Conimbricensi Academia primo ac primario Cathedræ Controuersiarum aduersus Hæreses publico Professore, editum; in quo nihil penitus reperi quod Fidei orthodoxæ perfectè non consonet, & Christianam pietatem summè non redoleat. In cujus rei fidem præsentes subsignaui. Parisijs, decimâ quintâ die mensis Octobris, anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo septimo.

DES AVTELS.

INDEX
DISPVTATIONVM, ET
Difficultatum, quæ in hoc tomo continentur.

DISPVTATIO PRIMA.

De Voluntario, & Involuntario.

INDEX DISPVTATIONVM ET SECTIONVM.

INDEX DISPVTATIONVM ET SECTIONVM.

Sub-

INDEX DISPVTATIONVM ET SECTIONVM.

INDEX DISPVTATIONVM ET SECTIONVM.

Subsectio Secunda.

Prima Difficultas.

Secunda Difficultas.

Tertia Difficultas.

Quarta Difficultas.

Quinta Difficultas.

Sexta Difficultas.

Subsectio Tertia.

Prima Difficultas.

Secunda Difficultas.

Tertia Difficultas.

Sectio Decima.

Subsectio Prima.

Subsectio Secunda.

Subsectio Tertia.

Subsectio Quarta.

Subsectio Quinta.

Subsectio Sexta.

§. 1.

§. 2.

§. 3.

§. 4.

§. 5.

§. 6.

Sectio vndecima.

Subsectio Prima.

Subsectio Secunda.

Subsectio Tertia.

Subsectio Quarta.

Subsectio Quinta.

Prima Difficultas.

Secunda Difficultas.

Tertia Difficultas.

Quarta Difficultas.

Quinta Difficultas.

Sexta Difficultas.

Septima Difficultas.

Octaua Difficultas.

Nona Difficultas.

Subsectio Sexta.

Prima Difficultas.

Secunda Difficultas.

Tertia Difficultas.

Primum Dubium incidens.

Secundum Dubium Incidens.

Quarta Difficultas.

Quinta Difficultas.

Sexta Difficultas.

Septima Difficultas.

Dubium Primum incidens.

Dubium Secundum incidens.

Septima Difficultas.

Octaua Difficultas.

Nona Difficultas.

Sectio Duodecima.

Subsectio Prima.

Prima Difficultas.

Secunda Difficultas.

Subsectiò Secunda.

Prima Difficultas.

Secunda Difficultas.

Sectio Decima-tertia.

Subsectio Prima.

Subsectio Secunda.

Prima Difficultas.

Secunda Difficultas.

Dubium incidens.

Tertia Difficultas.

Sectio Decima-quarta.

Subsectio Prima.


Prima difficultas.

Secunda Difficultas.

Tertia Difficultas.

INDEX DISPVTATIONVM ET SECTIONVM.

FINIS.



DISPVTATIO-



DISPVTATIONES SELECTÆ DE ACTIBVS HVMANIS.

QVÆSTIVNCVLA PROOEMIALIS.



VAMQVAM aliqui Doctores, inter quos est Magister Suarius 1. 2. tractatu 1. disp. 2. sect. 2. hanc quæstionem de nomine appellant, eis nequaquam assentior, eo quod de nomine non potest esse quæstio, à cujus resolutione dependet intelligentia objecti circa quod disputationes versantur: quo pacto enim de actibus humanis expediri possunt difficultates, si actus humani essentia, & ratio formalis ignoretur? Quapropter ut fundamentum eorum, quæ tractari debent, examinandum est quid sit id, de quo agendum est, & cui subserviunt omnes disputationes, nimirum, quid sit actus humanus.

1. *Pro solutione notandum est actiones hominis dupliciter considerari posse: primo Physice, secundum entitatem, & substantiam actionum: secundo Moraliter secundum modum, quo eliciuntur ab homine. In primo sensu solum illæ actiones dicuntur propriè humanæ, quæ ab homine fiunt secundum ultimum suæ essentiæ constitutivum, ut intelligere, ridere; nam audire, sentire, & similes actiones, communes etiam sunt brutis: in secundo sensu non omnes actiones, quæ ab homine procedunt secundum ultimum constitutivum suæ essentiæ, sunt illius propriæ, sed tantum illæ quæ eliciuntur sub pleno dominio voluntatis, liberè nimirum, & deliberatè: unde nullus actus incapax malitiæ, & bonitatis moralis, necessarioque à voluntate elicitus, moraliter dicendus est proprius hominis, veluti prima intellectio, actus indeliberati, & alii. Hoc posito.*

2. *Dico primo. Omnis actus hominis, est humanus, si terminus* humanus *sumatur secundum considerationem physicam. Ita communiter Doctores. Probatur, quia terminus* humanus *ab homine denominatur; ergo omnis actio hominis humana erit.*

3. *Dico secundo. Secundum considerationem moralem (quæ hîc attenditur) non omnis actus proprius hominis est humanus. Ita communiter Doctores. Probatur, quia plures actus hominis sunt necessarii, vel per se, ut prima intellectio; vel per accidens, ut actus indeliberati: sed actus humani, de quibus Theologi agunt, debent esse liberi, capacesque bonitatis, & malitiæ; ergo.*

4. *Dico tertio. Solus actus liber, est propriè & verè humanus. Ita expressit Angelicus Doctor 1. 2. q. 1. art. 1. in corpore: art. 3. in fine corporis q. 6. art. 2. ad 2. Ubi Commentatores, Valentia disp. 1. q. 1. puncto 3. §. porro secundo. Vasq. q. 1. art. 1. in comment. §. communis igitur. Curiel. dubio 1. §. 2. Suar. citat. n. 7. Zumel q. 7. art. 6. ad 1. conclus. 1. Montesines q. 18. art. primo disp. 22. conclus. 2. Salas tract. 1. disp. 4. sect. 1. n. 6. §. tertia tamen. Raynaldus in opere morali tom. 1. dist. 4. q. 1. art. 1. n. 4. Uterque Ægidius Coninch de actibus supernaturalibus dub. 1. n. 5. conclus. 1. Lusitanus tom. 1. de beatitudine lib. 2. q. 1. §. 3. Carmelitani 1. 2. tract. 8. disp. 2. dub. 1. §. 1. n. 1. Indicat subtilis Doctor in 2. dist. 40. q. unic. n. 3. vers. de secundo.* D. Thom. Scot.

5. *Probatur, quia hic agitur de actionibus non physice, sed moraliter spectatis, quatenus per eas homo potest consequi suum ultimum finem: sed solum per actiones liberas talis finis consequendus est: ergo solum actiones liberæ sunt humanæ propriè. Et confirmatur, quia illa res dicitur propria alicujus, quando illius dominus est, & pro libito de illa potest disponere; ut ex politico dominio probatur: sed homo solummodo habet hoc dominium circa actiones liberas; ergo solæ actiones liberæ hominis sunt illius propriæ, tam quoad substantiam, quam quo ad modum.*

Opponuntur tamen aliqui Doctores huic resolutioni ex duplici capite. Primo quidam affirmant non solum actum liberum actualem, sed etiam illum, qui suapte natura liberè fieri postulat, licet fiat actualiter, necessario esse verè humanum: veluti sunt amentium, dormientium, & ebriorum. Ita Leria tom. in 1. 2. disp. 23. §. certum est.

6. *Fundamentum est, quia actus isti sunt formaliter mali, ut disp. 4. à n. 5. & 6. dicendum est, sed nullus actus est formaliter malus, qui non sit humanus; ergo illi actus licet necessario fiant, erunt humani. Respondetur: distinguo majorem, Actus isti sunt formaliter mali, si prius prævisi sunt sequi ex causa, Concedo: si non sint prævisi, Nego: verum namque est illos actus esse formaliter malos, non tamen ita sunt omnes, sed illi tantum, qui in causa prævisi, & voliti fuerunt, in quo casu absolute liberi sunt, ut eo loco dicendum est. Dices. Illi actus etiam si non fuerint prævisi, mali sunt; ergo & humani. Respondetur: distinguo antecedens: mali sunt objectivè, Concedo; formaliter secundum modum productionis, & quo a potentia procedunt; Nego ideoque ad culpam non imputantur.*

Secundo alii asserunt: Licet omnes actus liberi sint humani, non tamen solos esse humanos, nam etiam actus necessarii, qui ex perfecta cognitione oriuntur, humani dicendi sunt. Ita Cajet. 1. 2. q. 9. art. 4. §. 2. Azor 1. p. lib. 1. cap. 1. q. 3. Probabiliter judicavit P. Suar. tract. 1. disp. 2. sect. 2. n. 8. & 9.

7. *Primum fundamentum est. Actus humanus est perfectio humana: sed perfectior est actus necessarius procedens ex perfecta cognitione, quam actus liber: ergo actus necessarius humanus erit. Minor probatur, quia perfectius tendit voluntas in illud objectum, cui adhaeret immutabiliter, quam in illud, cui adhaeret libere. Respondetur: Distinguo Majorem, actus humanus est perfectio qualibet humana, Nego: est perfectio libera, Concedo; non enim ex majori perfectione colligitur major perfectio actus proprie humani; sed ex majori perfectione libertatis.*

8. *Secundum. Amor beatificus est actus perfectissime humanus, & tamen est necessarius; ergo, &c. Major probatur primo, quia est maximè bonus, secundo quia est maximè perfectus: Respondetur primo negando Minorem juxta probabilem sententiam, de qua aliqua dicemus disp. 2. n. 113. secundo negando Majorem. Ad primam probationem Respondetur esse actum bonum objectivè, non moraliter secundum modum productionis. Ad secundam Respondetur esse majorem perfectionem quoad substantiam, & physice; non tamen humanam, & moralem: eademque solutio adhibenda est amori finis, si necessarius fuerit, aliisque actibus similibus.*

9. *Tertium. Omnes actiones Christi Domini fuerunt proprie humanae, & meritoriae, & tamen erant necessariae. Idem argumentum fit de confirmatis in gratia. Hoc argumentum gravem postulat difficultatem conciliandi libertatem Christi cum ejus impeccabilitate, quae alterius loci est: & quia de hoc argumento latiùs agendum disp. 2. n. 115. ideo breviter Respondeo negando Minorem, de quo eo loco.*

D. Thom. 10. *Dico quarto. Non omnis actus liber est humanus, sed tantum ille, qui deliberatus est. Ita expressè D. Thom. q. 1. art. 1. in corpore, estque communis omnium Doctorum. Hanc conclusionem propono propter eos Doctores, qui admittunt libertatem in appetitu sensitivo pueris, & amentibus, quos referam disp. 4. sect. 10. subsect. 1. dif. 1. n. 283. etiam ibi probabilem judicavit, licet enim libere agant, non tamen deliberatè; ideoque non illis imputantur ad laudem, vel vituperium ipsorum actus: quapropter ad hoc ut actus dicatur humanus, non sufficit quaecumque libertas sed ex deliberatione. Haec enim est quae facit hominem omnino sui juris.*

Dubium tamen est, quae deliberatio requiratur, ut actio dicatur humana? Et ratio dubitandi est, quia amor finis est liber, ut docent Suar. in Met disp. 23. sect. 3. n. 18. 1. 2. tract. 1. disp. 2. sect. 1. n. 5. Molin. 1. p. q. 5. disp. 1. ad finem. Conimbricenses 2. Physicorum. cap. 7. q. 22. art. 1. §. hac tamen, probabilemque reputat Aegidius. Lus. tom. 1. de beatitudine lib. 1. q. 9. art. 5. §. 3. n. 16. §. 6. n. 55. atqui non est actus procedens ex delibe-
Aristot. *ratione, & consultatione, ut docent Vasq. 1. p. disp. 89. n. 53. 1. 2. disp. 4. cap. 9. Raynald. cit. dist. 3. q. 5.*
D. Thom. *art. 2. à n. 420. ex Philosopho 3. Ethicor. tex. 21. & ex D. Thom. 1. 2. q. 14. art. 2. in corpore affirmantibus de fine non esse consultationem.*

11. *Respondetur in duplici genere esse actiones humanas, quaedam enim sunt perfectissimae, veluti illae, quae fiunt ex perfecta, & formali deliberatione, cum inquisitione consilii, & convenit actibus, qui versantur circa media ad finem, ubi reperitur ex parte intellectus inquisitio cum consilio, & ex parte voluntatis, electio.*

12. *Quaedam actiones humanae sunt minùs perfectae, veluti illae, quae fiunt absque formali deliberatione, nec praerequirunt formalem inquisitionem finis, sed tantum simplicem propositionem boni ad intellectum, quod libere voluntas acceptat, ut patet in amore finis: sed quia istae actiones liberae sunt, saltem virtualem electionem requirunt, ista vero electio posita est in libera determinatione voluntatis, quae praesupponit quandam veluti virtualem consultationem, qua intellectus judicavit melius esse velle illum finem, quam non velle.*

13. *Et ratio est, quia liberum ex sua ratione includit electionem unius prae alio: si enim proponuntur duo objecta, unum prae alio eligitur: si autem proponatur unicum objectum, circa illud voluntas est libera libertate contrarietatis; potest enim illud velle, aut nolle: quanquam enim voluntas propendeat in bonum, non tamen determinate propendet in hoc bonum particulare, & licet non comparet hoc bonum alii bono, quia unicum tantum est propositum; ratione tamen imperfectae bonitatis potest non esse volitum: sicut enim si proponatur simul cum alio bono, potest respui à voluntate, nec tollit contrarietatem objectorum: ita similiter solum propositum respui potest ab ipsa voluntate, nec tollit contrarietatem actuum, ad quos datur virtualis electio tunc, non verò ad objecta: potius enim voluntas eligit velle illud bonum, quam nolle, potius eligit velle, quam non velle, sive quam suspensionem actus.*

14. *Ad hoc igitur, ut actio humana sit, sufficit deliberatio virtualis, nec requiritur formalis, &c. deliberatio autem virtualis datur in amore finis. Quando autem Philosophus, & Angelicus Doctor docuerunt de fine non esse consultationem; intelligendi sunt de consultatione formali, non vero de virtuali, & eodem modo intelligendus est*
D. Thom. *D. Thom. q. 14. art. 4. dum admittit actiones humanas absque deliberatione, eas scilicet, quae non sunt dubitabiles, vel quae sunt determinatae quoad fieri, vel quae sunt de rebus minimis, de quo videantur Aegidius Lus. tom. 1. lib. 2. q. 1. art. 2. §. 4 Salas tom. 1. tract. 1. disp. 4. sect. 1. n. 22. ad 4.*

DISPUTATIO PRIMA.

De Voluntario, & Involuntario.



XPLICATA quaestione veluti proœmiali de ratione formali actionis humanae, aggredimur primam quaestionem, quae est de voluntario: de hoc enim, ut de gradu communiori agendum est; namque voluntarium est quid communius libero, liberum quid communius morali, morale quid communius bono vel malo, cum omne bonum, vel malum sit morale, omne morale sit liberum, omne liberum sit voluntarium, non tamen è contra. Cum ergo voluntarium sit gradus communior omnibus gradibus, qui reperiuntur in linea actuum humanorum, jure sibi vendicat primum locum. De eo agunt Philosophus 2. Ethicorum ad Eudemum, & 3. Ethicor. ad Nomaclum & lib. 1. magnorum moralium cap. 12. Gregor. Nisen. lib. 5. suae Philosophiae cap. 1. 2. & 3. Damascen. lib. 2. de fide. Magister, aliqua circa voluntarium tradit, sed pauca in 2. dist. 24. 25. & à dist. 35. ad 44. ubi aliqui Scholastici; Angelicus Doctor 1. 2. q. 6. ubi Commentat. praecipuè Cajetan. Medina, Coriel, Conradus, Martinus, Malderus, Alvares, Montesinos, Cornejo, Lorca, Zumel, Vasq. Salas, Becanus, Franciscus Felix, Carmelitani, Granado, Suar. & alii in corpore quaestionis referendi.

Et quia haec quaestio quam plurimis & gravissimis involvitur difficultatibus, voluntariique explicatio maxime dependet ex explicatione ejus oppositi, nimirum involuntarii, idcirco utrumque explicandum est, ut unius per alterius essentiam innotescat natura. De voluntario igitur agendum est prima parte, de involuntario secunda parte.

PRIMA PARS DISPUTATIONIS.

De Voluntario.

15. NOn disputo an detur voluntarium, hoc enim, non ſolum facillimum, ſed etiam experientia, & ratione naturali notum eſt, imò ex ſacris litteris apertè deducitur: primo namque ſacra ſcriptura appellat opera voluntaria, ea quæ alacriter, & ex animo efficiuntur.
Num. 29.
Num. 29. verſ. 39. *Præter vota, & oblationes ſpontaneas.*
Deuter. 16.
Deuteron. 16. verſ. 10. *Celebrabitis diem feſtum Domino Deo tuo, oblationem ſpontaneam manus tuæ, quam offeres.*
Pſal. 67.
Pſal. 67. verſ. 10. *Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hereditati tuæ.*
Pſal. 118.
Et Pſal. 118. verſ. 108. *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.*
Ezech. 46.
Et cap. 46. Ezechiel. verſ. 12. *Cum autem fecerit princeps ſpontaneum holocauſtum, aut pacifica voluntaria Domino.*
Eccleſ. 20.
Eccleſiaſt. 20. verſ. 4. *Sic enim effugies voluntarium peccatum.* Concludat Paulus ad
Paul ad Philem.
Philemon. verſ. 4. *Ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.* Ex quibus conſtat dari opera externa voluntaria, quæ ſpontanee & ſine coactione fiunt.

Imo ſecundo, conſtat hominem ipſum, qui operatur libere, ſponte abſque obligatione, & coactione, voluntarium dici;
Exod. 35.
Exodi 35. verſ. 5. *Omnis voluntarius & prono animo offeret eas Domino.*
2. Machab. 2.
2. Machab. cap. 2. verſ. 42. *Omnis voluntarius in lege;*
2. ad Corinth. 8.
& ad Corinth. 2. cap. 8. verſ. 3. *Supra virtutem voluntarii fuere.*

Et ne aliquid deficeret, quod probaret voluntarium; actiones, quæ voluntarie fiunt, explicat per idem adverbium:
Levit. 22.
Levitic. enim 22. verſ. 23. *Videtur offerre voluntarie. Voluntarie ſacrificabo tibi,*
Pſal. 58.
ait David Pſal. 58. verſ. 8. *Eleazarus voluntarie prabat ad ſupplicium*
2. Machab. 6.
2. Machab. cap. 6. *Voluntarie genuit nos Deus.*
Jacob. 1.
ex Canonic. Iacobi cap. 1. verſ. 18.
1. Petri cap. 5.
& 1. Petri cap. 5. verſ. 18. dicitur de paſtoribus: *Providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum.* Ex quibus omnibus conſtat, non ſolum erroneum, ſed hæreticum eſſe, negare actus voluntarios, cum adeo expreſſe ex ſcriptura colligantur, eademque certitudine, qua aſſeritur dari actus liberos, affirmari debet dari actus voluntarios, cum liberum præſupponat voluntarium, de quo hac prima Parte agendum eſt.

SECTIO PRIMA.

De eſſentia Voluntarii.

SVppoſito dari actus voluntarios, totum negotium in præſenti verſatur circa eſſentiam voluntarii, cujus definitiones primo, deinde ejus rationem formalem explicabimus.

SVBSECTIO PRIMA.

Proponuntur variæ Voluntarii definitiones.

16. VAriæ definitiones traduntur à Doctoribus. Prima ſit Altiſiodorenſis 2. p. ſum. tract. 29. cap. 2. q. 2. ubi definit Voluntarium: *Eſt quod ſubeſt libero voluntatis arbitrio*: quæ coincidit cum alia definitione Almaini tract. 1. Moralium cap. 1. quæ ita eſt: *Voluntarium eſt actio, vel omiſſio ita exiſtens in poteſtate agentis, ut poſitis omnibus præviis requiſitis, ſit in poteſtate ejus agere, vel non agere*: putant enim hi Authores Voluntarium eſſe idem, atque liberum.

17. Has tamen definitiones reprobant communiter Theologi. Videri poſſunt Vaſq. diſp. 23. cap. 3. Lorca diſp. 1. Monteſinos diſp. 9. q. 1. art. 1. n. 13. Et meritò, quia hæ definitiones ſunt propriè actus liberi, ſolumq; actibus liberis conveniunt. Cum ergo detur Voluntarium neceſſarium, ut à n. 90. probandum eſt; alia definitio pro Voluntario in communi aſſignari debet; cum enim definitio convertatur cum ſuo definito, non poteſt, nec debet excedi à definito, hic autem datur definitum non contentum ſub definitionibus prædictis. Inſuperque in illis definitionibus ſolummodo explicatur ratio libertatis, non vero Voluntarii; quamvis enim omnis actus liber ſit voluntarius, non tamen per illas definitiones explicatur ratio Voluntarii, ſed liberi.

18. Nec refert, quod Ariſtoteles 3. Ethicor. Ariſtot.
cap. 2. dixit *inter, quæ ſua ſponte quis agit, laudes & vituperationes verſari*, ex quo colligi videbatur, quod Philoſophus Voluntarium cum libero confudiſſet, ſiquidem laus & vituperatio ſolum in liberis actionibus locum habent; non inquam refert; non enim loquitur Philoſophus de quavis ſpecie Voluntarii, ſed tantum vult ſecundum genus voluntarium capax eſſe laudis, vel vituperii, quatenus ad ſpeciem liberi contrahi poteſt; ac ſi diceret: extra Voluntarium, nec laus, nec vituperatio eſſe poteſt: ex qua negativa non poteſt colligi affirmativa, idest in qualibet ſpecie Voluntarii, ſed tantum in aliqua, idest libera, reperitur laus & vituperium. Eodemque modo interpretandus eſt Niſenus, ſeu potius Nemecius lib. 1. ſuæ Phi- Niſen. Damaſcen.
loſophiæ cap. 1. & Damaſc. 2. de fide cap. 24. ſimilia aſſerentes. Ratioque hujus interpretationis ex iiſdem Philoſopho, & Patribus deſumitur, qui eodem loco admittunt in brutis Voluntarium, cum tamen liberum iis denegent; ergo non putant Voluntarium, & liberum converti, & per conſequens non quodvis Voluntarium capax eſſe laudis, vel vituperii.

19. Et in idem recidit interpretatio D. Thomæ D. Thom.
q. 6. art. 2. ad 3. ubi ita: *Dicendum quod laus & vituperium conſequuntur actum voluntarium ſecundum perfectam voluntarii rationem*; dummodo comparetur voluntarium perfectum liberum cum actibus brutorum; addit enim, *qualis non invenitur in brutis*; non vero cum actu voluntario neceſſario, quod perfectiorem ſortitur voluntarii rationem, ut à n. 154. probandum eſt: ex qua interpretatione rectè ſequitur præfatos Patres locutos fuiſſe de voluntario libero, non vero de voluntario in communi, quod comprehendit etiam neceſſarium: quare illorum doctrina, nec Altiſiodorenſi, nec Almaino favet.

20. Secunda definitio eſt D. Thomæ citat. loco D. Thom.
art. 1. in corpore: *Voluntarium eſt, cujus principium eſt intra, ſed cum additione ſcientiæ.* Si autem quæras cujus objecti debeat eſſe ſcientia; Reſpondet toto illo art. eſſe ſcientiam finis, ex quo quamvis Angelicus Doctor ibidem aſſerat hanc definitionem eſſe ſecundum definitiones Niſeni, Damaſceni, & Ariſtotelis: tamen videtur, quod ſit earum definitionum reſtrictiva, cum non aſſignet aliam cognitionem, niſi finis: illi autem Doctores requirunt cognitionem ſingulorum, quæ ſunt in actu, ut patebit: quare ſi per hanc definitionem tantum intelligatur neceſſitas intelligendi finem, & non aliam circumſtantiam, circa quam verſatur actus, diminuta eſt definitio, nec conformis Ariſtotelis definitioni: poteſt verò ſalvari definitio D. Thom. ſi intelligatur de cognitione principali, & indefinita, quæ non excludat alias cognitiones eorum, quæ verſantur circa actum.

21. Ideo tertia definitio eſt Ariſtot. 3. Ethicor. Ariſtot.
cap. 1. ubi ita: *Cum autem ad invitus quiſpiam agat,*

quod vi, & ob ignorationem agitur, id profecto sponte quispiam videbitur agere, cujus principium est in ipso agente, scienti singula, in quibus est actio. Eandem definitionem iisdem pene verbis afferunt Nissanus, & Damasc. Ille enim lib. 5. Philosophiæ cap. 3. ita habet: *Est enim voluntarium quod neque vi, neque ex ignorantia fit, & est quidem sine violentia, cujus causa intrinseca; absque ignorantia vero, si non particularium aliquid fuerit ignoratum, per quæ, & in quibus est actio.* Iste vero lib. 2. de fide cap. 24. ita habet: *Sponte id fieri dicitur, cujus principium & causam continet is qui agit, resque singulas, per quas actio geritur, & in quibus versatur, quas Authores circumstantias appellant, compertas & exploratas habet.* Quæ quidem omnes definitiones coincidunt cum definitione Aristotelis.

Nissen.

Damascen.

22. Quam brevitatis causa sic tradunt communiter Theologi; *Voluntarium est, quod est à principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actus:* idest, Voluntarium est, quod fit à potentia appetitiva, sive sit rationalis, sive sensitiva, tanquam à principio efficiente, præsupposita cognitione earum circumstantiarum, in quas tendit voluntas: & hanc definitionis expositionem veram esse constabit ex difficultatibus, quas circa præfatam definitionem exponam Subsect. sequenti.

SUBSECTIO SECUNDA.

Exponitur vera Voluntarii definitio.

CUm vera, & recepta Voluntarii definitio sit illa, quam Theologi brevius ex Aristotele desumpserunt, ut solide persistat, defendenda est à calumniis, explicando aliqua dubia, quæ circa illam occurrunt.

DIFFICULTAS PRIMA.

Utrum Voluntarium necessario postulet esse à principio intrinseco?

23. EXcitatur difficultas propter illam particulam (*à principio intrinseco*) Respondetur affirmative. Ita exprimitur in definitione. Et ratio est clara, quia voluntarium, & spontaneum ex communi omnium acceptione, importat quod fit à propria inclinatione, ideirco, cum aliquid fit sine violentia, vi, aut passione simili, dicitur sponte, & voluntarie factum, ut innuatur totalem causam illius effectus esse inclinationem, & propensionem intrinsecam potentiæ in ipsum effectum.

24. Cum autem duplex inclinatio sit: una naturalis insita à natura, altera intentionalis: naturalis sequitur formam naturalem, qua veluti insito pondere fertur in id, quod sibi convenit, ut ignis sursum; intentionalis sequitur cognitionem, & est appetitus elicitus, quo potentia fertur in id, quod operanti conveniens apparet: inde est, quod motus à forma naturali ortus dicitur naturalis: ab appetitu vero voluntarius, & ita sicut motus naturalis oritur ab inclinatione intrinseca, & à forma naturaliter, ita motus elicitus à potentia, & ab ejus inclinatione intrinseca: quare necessario debet iste motus, quem voluntarium dicimos esse vitalis, & à potentia, ac principio vitæ conjuncta.

Objicies primo: Principium humanorū actuum non est in homine, sed extra hominem: ergo principium voluntarii non est intrinsecum. Antecedens probatur, quia appetitus hominis movetur ad agendum, tam à Deo, quam ab appetibili extrinseco; ergo principium actuum humanorum non est in homine, sed extra. Minor probatur primo quoad efficientiam Dei, quia Deus est causa prima, absque cujus influxu nulla causa secunda operatur. Secundo probatur quoad appetibile, ex Aristotele 3. de anima, ubi appetibile appellatur, sicut movens non motum. Aristot.

25. Hoc argumentum proponit D. Thom. art. 1. in primo argumento, ex cujus doctrina respondetur negando antecedens, ad probationem negando consequentiam. Pro cujus explicatione notandum est ex D. Thom. ibi citat. loco ad primum, aliud esse effectum procedere à principio intrinseco, aliud hoc principium moveri ad operandum ab aliis principiis exterioribus; potest enim principium influere, & ab illo potest procedere effectus, ut à principio intrinseco, quin ipsum sit principium primum simpliciter, licet sit principium primum in eo genere, in quo agit: ut cælum est primum principium alterans, attamen per motum localem ab alio agenta superiori movetur; sic etiam voluntas, vel quilibet appetitus simpliciter, cum à Deo, & appetibili extrinseco moveatur, est primum principium intrinsecum in genere voluntarii & moventis ab intrinseco. D. Thom.

26. Dices secundo: Non invenitur in animalibus aliquis novus actus, qui non præveniatur ab aliquo motu exteriori; atqui omnes actus hominis sunt actus novi: ergo principium omnium actuum humanorum, & consequenter voluntarii, est principium ab extra. Majorem probat Philosophus 8. Physicor. Hoc argumentum proponit D. Thomas hoc loco in secundo argumento: Respondetur negando consequentiam, quia non est contra rationem principii ab intrinseco, quod moveatur & immutetur per motiones alterius generis, ut in primo argumento dictum est. Aristot.

Tertio. Malum, quod periclitanti contingit, est voluntarium homini, qui potest succurrere, & licet ad id non teneatur, non succurrit: & tamen illud malum non est ab intrinseco respectu hominis non succurrentis, cui voluntarium est; ergo de ratione voluntarii non est, quod sit à principio intrinseco. Major patet, quia illud malum liberum est homini non succurrenti: ergo & voluntarium. Patet consequentia, quia in manu illius hominis, ut supponimus, est vitare, vel non vitare malum prædictum; Minor autem ex eo vim habet, quod homo ille non succurrens nullo modo ad malum illud concurrit.

27. Respondet Medina, & Sotus apud Martines hic dub. 2. illud malum liberum esse, non voluntarium; nec de ratione liberi esse, quod supponat voluntarium. Hæc tamen solutio falsa est communiter reprobata, cum enim liberum procedat à voluntate media cognitione intellectus ex determinatione ipsius voluntatis, necessario procedit à principio intrinseco cum cognitione, & per consequens voluntarium est, cum illi definitio competat voluntarii.

28. Respondent secundo Carmelitani hac quæstione tract. 10. disp. 1. dub. 1. illud malum nec esse liberum, nec voluntarium actualiter, sed tantum in potentia, quia ad rationem voluntarii & liberi actualem requirebatur obligatio impediendi illud malum, quæ tamen in præsenti non datur.

29. Verum hæc solutio falso nititur fundamento, videlicet ad actum liberum, & voluntarium requiri obligationem: hoc enim nullatenus admittendum est, ut cum egerimus de omissione pura, probabimus. Et interim patet, quia aliud est esse liberum, & voluntarium, aliud esse imputabile: ad primum non est necessarium præceptum, ad secundum maxime: ut enim aliquid sit libe-

rium, sufficit quòd procedat à potentiâ indifferenti præciso quocunque præcepto; aliter nec Deus libere operaretur, nec Beati exercerent aliquos actus liberos, nec opera consilii essent libera, nec dari possent actus indifferentes in individuo, & hoc ultimum licet fateantur, oppositum tamen asserendum est; ut verius q. 5. unde defectu præcepti illud malum non desinet esse liberum, aut voluntarium.

30. Quare, Respondeo illud malum dupliciter posse considerari. Primo objective: secundo ut actualiter permittitur: primo modo non potest esse voluntarium, cum nullum voluntarium objectivum admitti debeat, ut infra ostendam à numero 165. si autem sumatur, ut actualiter permittitur, pro actu scilicet, quo illud malum permittitur, tum ille actus est voluntarius, sed non est bonus, nec malus, sed tantum liber, & nullo modo ad laudem, vel vituperium imputabilis, eo modo, quo Deus libere permittit peccatum, quin illi aliquo modo imputetur; de quo n. 132. & disp. 2. n. 96. ac proinde illud malum est objectivum, non vero voluntarium; actus autem, vel omissio circa illud, est liber, & voluntarius, cum à principio indifferenti intrinseco proveniat, nullo tamen modo imputabilis defectu præcepti, quod necessarium est ad culpam.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum istud principium intrinsecum sit potentia appetitiva?

31. EXcitatur propter eandem particulam definitionis, *a principio intrinseco*. Respondetur affirmative: est communis Theologorum sententia, quam ipsum voluntarii nomen probat, cum nihil aliud prædictum nomen importet, quam egressum à voluntate, & per consequens ab appetitu.

32. Et confirmatur ex ratione, qua utuntur Carmelitani citati §. 2. à n. 7. quia de ratione principii, à quo procedit voluntarium, est quod moveat seipsum ad operandum, sitque principium integrum talis voluntarii: atqui hoc solum convenit potentiis appetitivis: ergo solæ sunt principia Voluntarii. Major ex eo constat, quod operari voluntarie, & spontanee, non solum denotat principium ab intrinseco, sed etiam quod seipsum impellat, moveatque ad operandum. Minor ostenditur, quia potentia appetitiva sola est causa integra suæ operationis, ut difficultate 4. ostendam: & insuper cum de ratione voluntarii sit ferri in volitum, ipsa se movet ad illud, ferturque in ipsum objectum, quod non apparet in potentiis cognoscitivis, quæ nec sunt principia integra suarum operationum, cum species sit comprincipium, nec feruntur in objecta, quin potius ea ad se adducunt.

33. Ex quo patet, cur cognitiones, operationesque potentiarum cognoscitivarum, non sint actus voluntarii, nisi inquantum à voluntate imperantur, à qua illam voluntarii rationem desumunt, ut visio beatifica, cæterique actus perfectissimi.

34. Dices: Assensus conclusionis est à principio intrinseco, idest ab intellectu, & non tantum progreditur à principio cognoscente, sed etiam à cognitione præmissarum præcedente: ergo erit voluntarius. Idemque argumentum fieri potest in quacunque cognitione intellectus, siquidem omnis procedit à principio cognoscente. Respondetur negando consequentiam: primo, quia de ratione voluntarii est quod procedat à principio integro suæ operationis, qualis non est intellectus. Secundo, quia actus voluntarius debet procedere ex cognitione sui, vel objecti; assensus vero præmissarum procedit ex cognitione præmissarum, ubi unaquæque est cognitio objecti, non conclusionis, & ideo conclusio non procedit ex cognitione sui. Tertio, quia cognitio necessaria ad actum voluntarium debet esse cognitio boni, & non tantum veri; conclusio autem & præmissæ, versantur circa verum, non circa bonum.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrum principium Voluntarii sit efficiens?

35. EXcitatur difficultas propter eandem particulam, *est a principio intrinseco*. Et quæritur utrum debeat esse principium efficiens? Respondetur affirmative. Ita Damascenus lib. 2. Damascen.
de fide cap. 24. explicans enim definitionem voluntarii, ait: *Principium appellamus effectivam causam.* Eandem expositionem adhibet Nemecius Nemecius.
lib. 5. Philosophiæ cap. 1. Sequuntur Angelicus, D. Thom.
& subtilis Doctor; ille q. 6. art. 1. iste in 2. Scot.
dist. 32. q. unica n. 14. & quodlibeto 18. prope finem. §. Voluntarium ergo. Sequuntur communiter Theologi, tum qui asserunt voluntatem efficere suos actus; tum qui affirmant actus vitales causari effective à suis principiis.

36. Probatur primo, quia juxta omnium sententiam voluntarium est actus immanens & vitalis: atqui ut immanens debet recipi in eadem potentia, à qua efficitur: ut vitalis postulat produci effective à principio vitæ conjuncto, saltem connaturaliter, ut omittamus eam quæstionem Philosophicam, Utrum possint actus vitales produci à Deo solo per divinam omnipotentiam, de qua agendum est in Cursu Philosophico ad libros de Anima.

37. Secundo, quia voluntarium est effectus voluntatis; atqui voluntas est potentia activa, non solum respectu voluntarii, sed etiam libertatis, ut cum egerimus de libertate potentiali disserendum est; & probat D. Thomas 1. p. q. 83. art. 1. D. Thom.
ad 5. Scot. in 2. dist. 25. q. unica, videndique Scot.
sunt Suar. in Metaphysica disp. 19. sect. 4. & lib. 1. de auxiliis cap. 2. Petrus Hurtado disp. 15. de anima, §. 33. Pennottus in propugnaculo humanæ libertatis lib. 1. cap. 8. Les. tract. de grat. cap. 5. Moncæus disp. 9. sect. cap. 8. & alii quam plures.

38. Plura argumenta, quæ militare videntur contra hanc doctrinam, postulant alium locum, nimirum in quo agitur de activitate voluntatis in actus liberos, quæ enim contra activitatem potentiæ liberæ efficiuntur, etiam obstant eidem potentiæ, ut producit actus voluntarios, sed de his alibi. Interim objicies primo, quia si voluntas esset principium activum, jam haberet realem relationem moventis, & moti: agentis, & patientis ad se ipsam: atqui hoc est falsum; ergo & illud, ex quo sequitur. Minor probatur, quia intra extrema relationis realis intervenire debet distinctio ex natura rei: ergo voluntas non producit effective suos actus. Respondetur negando minorem cum Scoto in 1. dist. 3. q. 7. n. 30. Ad pro- Scot.
bationem nego minorem, quia voluntas, ut agens agit simul cum anima, & ut recipiens sola est subjectum, & cum totale agens componatur ex anima & voluntate, & ut patiens sit sola voluntas, jam voluntas ut patiens distinguetur realiter à se ipsa, ut agens; eo modo, quo multi Philosophi asserunt posse Deum assumere creaturam, ut instrumentum sui ipsius, non obstante necessitate di-

ſtinctionis realis inter cauſam, & effectum, quia in eo caſu illud inſtrumentum diſtingueretur realiter à cauſa totali, nimirum à Deo, & ſe ipſo.

Secundò. *Cauſa efficiens æquivoca eſt nobilior ſuo actu*: atqui voluntas eſt ignobilior ſuo actu: ergo voluntas non eſt cauſa efficiens illius. Major admittitur communiter, Minor probatur, quia potentiæ eſſentialiter ordinantur ad actus, propter quos ſunt: atqui id, quod ad aliud ordinatur, eſt ignobilius eo, ad quod ordinatur, cum *nobilius ſit eſſe propter ſe quam propter aliud*; ergo, &c.

Scot. 39. Reſpondetur primo hoc argumentum non habere vim in opinione Scoti, qui potentias ab anima non diſtinguit realiter, ſed omnes ſubſtantiales eſſe fatetur: ita enim docet in primo diſt. 3. q. 7. & aliis in locis, quæ allegat Vojenſis in Logica q. 4. de proprio art. 1. §. 3. & oppoſita. Sequuntur diſcipuli; præter illos Valent. tom. 1. diſp. 6. q. 3. puncto 2. Hurtado diſp. 4. de anima, ſect. 4. §. 41. Bellan. de actibus diſp. 21. n. 68. & n. 121. Ripalda tom. 5. de ente ſupernaturali, lib. 2. diſp. 28. n. 5. lib. 3. diſp. 45. ſect. 2. n. 6. Clandinus lib. 2. de anima, digreſſione 4. Ariſtot. affirmans hanc ſententiam conformem eſſe Philoſopho appellanti potentias partes animæ, noſque hanc ſententiam ſequuti in lib. de anima. In hac ergo opinione neceſſario fatendum eſt potentias nobiliores eſſe ſuis actibus; hi enim accidentales ſunt, illæ ſubſtantiales. Quod procedit, ſi cætera ſint paria, non abſolutè, ſæpiſſimè enim excedunt actus nobilitatem ſuarum potentiarum, iſte tamen exceſſus ſolum denotat majorem excellentiam ſecundum quid, non ſimpliciter, quam excellentiam ſemper habent, ex eo quod ſint actus ſecundi.

40. Reſpondetur ſecundo, hoc argumentum etiam non procedere in opinione quæ aſtruit potentias eſſe cauſas inſtrumentales ſuorum actuum, quam ſequutus fui in libris de anima cum Suar. in Metaphyſica diſp. 18. ſect. 6. n. 3. Murcia diſp. 2. de anima. q. 2. §. Et ſi inquiras: in qua opinione diſtinguenda eſt Major: Cauſa æquivoca principalis eſt nobilior ſuo actu, concedo: cauſa inſtrumentalis, nego; & tunc voluntas, cum ſit cauſa inſtrumentalis, ignobilior erit ſuis actibus. Reſpondetur tertio in opinione Doctorum, qui aſſerunt potentias, & realiter diſtingui ab anima, & eſſe cauſas principales: Diſtinguo Majorem, Cauſa æquivoca totalis eſt nobilior ſuo effectu, concedo, cauſa partialis, nego; non enim reputant hi Doctores inconveniens, quod cauſa aliqua partialis ſit ignobilior ſuo effectu, dummodo altera cauſa ſit nobilior.

QVARTA DIFFICULTAS.

Vtrum principium Voluntarii debeat eſſe cognoſcens?

41. EXcitatur propter illam particulam, *à principio cognoſcente*: & quæritur utrum principium voluntarii ſit principium cognoſcens formaliter, id eſt utrum voluntas tantum ſit principium illius voluntarii, an etiam cognitio, & objectum concurrant effectivè ad voluntarium? Et coincidit cum illa alia quæſtione, Utrum cognitio, vel objectum cõcurrant tanquam comprincipia ad actus voluntatis? Quæſtio Philoſophica eſt, in qua reſpondeo negativè: ſola enim voluntas eſt cauſa D. Thom. effectiva ſuorum actuum. Ita Angelicus Doctor de veritate q. 22. art. 12. & 2. q. 9. art. 1. Sequuntur Valent. tomo 2. diſp. 2. q. 4. puncto 1. §. 3. tamen Petrus Hurtado de anima diſp. 14. ſect. 5. Vaſq. diſp. 36. cap. 3. n. 51. Suar. in Metaph. diſp. 23. ſect. 7. n. 14. 1. 2. & tract. 2. diſp. 6. ſect. 6. n. 2. Ægidius Luſitanus tom. 1. de Beatitudine lib. 1. q. 6. art. 4. §. 4. n. 29. Azor prima p. lib. 1. cap. 20. q. 6. Granado controverſ. 2. tract. 3. diſp. 2. ſect. 1. n. 5. Monteſinos diſp. 13. n. 90. Cornejo tom. 1. tract. 4. diſp. 5. dub. 1. §. ultimo, Murcia lib. 3. de anima tract. de immortalitate animæ, diſp. 2. q. 4. §. His poſitis. Ex antiquioribus pro hac ſententia refert Salas mox citandus n. 25. Henriquem, Hiſpalenſem, Gannaco, Torres, Victoria.

Subtilis Doctor dubius eſt in hac quæſtione, Scot. quidquid Authores dicant in contrarium, ut videre licet in 2. diſt. 25. q. 1. n. 18. & n. 21. licet magis in noſtram ſententiam inclinet n. 19. verſ. Dico igitur, n. 20. verſ. Sed rationabile, & verſ. Si etiam inſtes, & tota fermè quæſtione, docens ſolam voluntatem eſſe cauſam volitionis, ideoque tanquam germanam ſententiam Scoti defendit Faventius in 4. diſt. 54. q. 1. diſp. 9. cap. 12.

42. Multis omiſſis argumentis, quibus noſtram ſententiam probant Vaſq. & Suar. quæ optimè ſolvuntur à Salas, eam probo primo, quia potentiæ naturaliter operantes non requirunt aliquid ex parte principii, præter approximationem paſſi convenienter diſpoſiti, ut ignis requirit ſolum materiam diſpoſitam; ergo etiam potentiæ liberæ à fortiori erunt principium effectivum totale ſuorum actuum, & non requirent aliam concauſam.

43. Offerunt contrarii inſtantiam in potentiis naturalibus cognoſcitivis, ad quarum operationes concurrunt ſpecies impreſſæ, tanquam concauſæ. Sed contra primo, quia datur magna differentia inter potentias cognoſcitivas, & appetitivas, illæ enim trahunt objectum ad ſe, imo intentionaliter fiunt ipſum objectum; potentiæ vero appetitivæ, cæco quodam impetu feruntur in objecta; ergo potentiæ cognoſcitivæ debent per expreſſam ſpeciem, quaſi per generationem objecti ſimiles fieri ipſi objecto, & conſequenter requirunt aliquid, quod concurrat ex parte ipſius objecti.

44. Secundo, quia *voluntas eſt potentia completa ſuorum actuum*: ergo cognitio, vel objectum, non ſunt comprincipia illorum. Antecedens probatur, quia ſi voluntati aliquid deficeret ex parte principii, jam non eſſet potentia perfecte libera, nec ea quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere, vel non agere, vel agere oppoſitum; ſiquidem cum illi deficeret efficientia cognitionis eam non operaretur defectu potentiæ, & ſic coincideret cum cauſis naturalibus.

45. Tertio, quia ut arguit Scotus in 2. diſt. 25. Scot. q. 1. n. 26. verſ. *contra Concluſionem*, licet cognitio poſſit concurrere ad velle, non tamen ad nolle, aut ſuſpenſionem actus: atqui nolitio, volitio, & ſuſpenſio actus clauduntur ſub numero actuum voluntatis: ergo cognitio ad neutrum concurrere poteſt effectivè. Conſequentia optima eſt, quia non datur major ratio, cur voluntas ſit potentia completa nolitionis, & ſuſpenſionis, & non volitionis. Major probatur, quia *nullum agens naturale per ſe eſt cauſa contrariorum*; ignis enim per ſe calefacere, non vero frigefacere poteſt, ſed cognitio eſt cauſa naturalis; ergo impoſſibile eſt quod influat in volitionem, & nolitionem, qui ſunt actus contrarii.

46. Quod argumentum majorem vim habet in actibus voluntariis liberis, quia cognitio influit in unum actum tantum determinatum: ergo vel voluntas neceſſario illum actuum eliciet, ad quem concurrit neceſſario cognitio, & ad quem

per eandem cognitionem determinatur; vel alium, ad quem non concurret cognitio, & ad quem per eandem non determinatur: si secundum, sola voluntas concurret, eritque sola causa totalis, & completa: si primum, cum auferatur indifferentia à voluntate, aufertur etiam libertas.

47. Respondent primo voluntatem determinari ad unum tantum actum; sed quia ille actus recipitur in potentia libera, *& quidquid recipitur est ad modum recipientis*, talem actum esse liberum. Sed contra, quia indifferentia, qua voluntas redditur, & est formaliter libera, est indifferentia activa, non passiva, ut communiter docent Theologi; & patet, quia vel voluntas esset potentia libera in illo instanti, in quo reciperet actum extrinseci agentis, vel immediate antea, vel postea non primum; aliter libere reciperet actum; insuper cum posset illum non recipere, naturaliter posset dari actus sine subjecto: non secundum, quia si antea reciperet illum actum, etiam posset illum non recipere pro libito: supponatur non posse recipere, hoc autem aut esset per repugnantiam activam, eritque potentia activè libera: vel per repugnantiam formalem, quæ non sufficit ad libertatem, cum etiam causæ necessariæ formaliter resistant; cælum enim calori resistit: non tertium, quia accepto actu, vel voluntas libere verti posset ad utrumque, vel non: si primum, erit potentia activa, si secundum, erit necessaria. De activitate tamen completa voluntatis in actu libera alibi agendum est.

48. Respondent secundo cognitionem concurrere ad actus voluntatis, ut principium, *quo*, prædeterminans voluntatem quoad specificationem, non tamen quoad exercitium. Sed contra primo, quia si non concurrit ad suspensionem actus, non est cur concurrat ad volitionem, & nolitionem. Secundo, quia posita cognitione potest velle & nolle objectum indifferenter, aliter necessario nollet illud objectum; *principium enim quo, necessitat principium quod* ad unum, ut forma ignis ignem determinat.

Contrariam sententiam docuerunt grauissimi Doctores, Cajetanos, Medina, Soncinas, Gervasius, Vlchot, Gregorius, Gabriel, Adam, Cisterciensis, Vera, Crus, Henriques, Durandus, & Molina, quos refert, & sequitur Salas tom. 1. in prima 2. tract. 1. disp. 5. sect. 3. n. 26. Marsilius, Ochamus, Carthusianus, Herudus, & Conradus, quos allegat Murcia citat. §. difficultas est tamen. Fonseq. Metaphysicor. cap. 2. q. 17. sect. 2. probabiliorem existimant Conimbricenses in Ethicis disp. 4. q. 2. art. 2.

49. Primo arguit Salas n. 29. Verbum divinum, ut Verbum est, concurrit ut principium ad productionem Spiritus sancti, qui est amor: ergo etiam amor creatus licet procedat à voluntate, etiam procedet activè à Verbo, sive cognitione

D. August. creata. Hoc argumentum desumitur ex August. lib. 15. de Trinitate cap. 23. ubi explicans productionem Spiritus sancti, affert exemplum verbi mentalis creati. Respondetur ex doctrina Vasq. n. 18. negando consequentiam. Major ratio est quia Verbum divinum, ita est Verbum, ut simul accipiat à Patre eandemmet numero substantiam cum eadem omnino virtute spirandi; & ideo modo, quo Pater concurrit, concurrit etiam Verbum: Verbum autem creatum non habet naturam ejus, qui est amans; si enim illam haberet, procul dubio etiam amaret eo modo, quo ipse amans.

50. Instabis. Spiritus sanctus procedit à Verbo, non tantum ut est secunda persona, sed etiam ut Verbum est, juxta doctrinam sanctorum Patrum; ergo ratio, cur procedit à Verbo, non est, quia habet eandem essentiam cum Patre; sed quia Verbum est. Respondetur: distinguo consequens, etiam concedo, tantum nego, idest licet non procedat à Verbo, quia tantum secunda persona est, procedit etiam, quia Verbum est: Verbum enim divinum est ipsa secunda persona, & Verbum est subsistens: ut Verbumque recipit eandem numero naturam cum virtute spirandi, ac proinde Verbum divinum, ut Verbum est, est principium quod spirationis, voluntas vero est principium quo.

Secundo. Appetitus operatur ex concursu effectivo objecti: ergo similiter voluntas operabitur ex concursu effectivo objecti. Respondetur negando antecedens, de quo argumento latè agendum est disp. 2. n. 73.

51. Tertio Actio sumit speciem à principio; atqui voluntas est principium comune suorum actuum; ergo necessario debet dari aliquod principium determinatum, à quo desumat specificationem. Major est D. Thomæ 1. 2. q. 11. art. 3. Resp. primo D. Thom.
neg. anteced. de quo disp. 2. n. 78. secundo, neg. consequent. sufficit enim ad determinandam voluntatem objectum; quod est principium in genere causæ finalis determinativè, ut dicendum est eadem disp. 2. n. 80. & hoc videtur explicasse D. Thomam 1. p. q. 77. art. 3. dum asserit, actio- D. Thom.
nes, aut ex principiis, aut ex fine accipere speciem: quando autem sancti Patres indicant amorem ex cognitione procedere, solum intendunt cognitionem aliquo modo concurrere ad amorem, nimirum ut applicat objectum.

52. Quarto. A causa contingente, in quantum contingens est, non exit determinatus actus, nisi ab aliquo determinetur; sed voluntas est causa contingens: ergo cognitione determinabitur effectivè. Major probatur 1. quia repugnat eandem potentiam ex se esse indifferentem, & se determinare. Secundo; quia causa indifferens est veluti incompleta. Hoc argumentum immediate ferit voluntatis libertatem, ideo ad eum locum, ubi agitur de activa, & completa virtute in actus liberos, spectat, similiaque argumenta, quæ contra illam virtutem objiciuntur. Interim respondeo negando majorem: ad primam probationem distinguo antecedens; repugnat eandem potentiam ex se esse indifferentem, & se determinare, eodem modo sumptam, concedo; diverso, nego: est enim voluntas indifferens in actu primo, & determinata per se ipsam in actu secundo, ideo quando est determinata per actum secundū; jam non est indifferens quoad eum actum. Ad secundam nego antecedens, aliter voluntas divina, quæ est indifferens esset incōpleta, nec se determinaret ad suos actus.

53. Quinto. Voluntas est causa æquivoca volitionis; sed causa æquivoca totalis est nobilior suo effectu: ergo si sola voluntas sine cognitione est causa totalis, erit nobilior volitione, ex quo sequeretur esse nobiliorem se ipsa volente. Respondetur dato toto argumento non sequi nobiliorem esse se ipsa; diversum enim est volitio, ac voluntas sequens.

QVINTA DIFFICULTAS.

Explicatur modus, quo principium Voluntarii dicitur cognoscens.

54. CUm cognitio non sit causa effectiva actus voluntarii, voluntasque non sit potentia cognoscitiva, & sit principium voluntarii, investigatur ratio, cur principium voluntarii dica-

tur principium cognoſcens, propter illam particulam *a principio intrinſeco cognoſcente*. Reſpondetur principium voluntarii dici principium cognoſcens, non quidem formaliter, ſed præſuppoſitivè, ideſt debet ſupponere cognitionem, non veró debet eſſe formaliter potentia cognoſcitiva, cum enim voluntas, vel appetitus ſit potentia cæca, eget cognitione dirigente, & proponente objectum, quod ad voluntarium etiam concurrit, non quidem efficienter, ſed formaliter, & finaliter, ut probandum eſt diſp. 2. à n. 69. ad 88. Et licet actus voluntatis ſpecificetur ab objecto, formaliter ſpecificatur, non efficienter.

55. Iſta verò cognitio reſpectu appetitus ſenſitivi, eſt cognitio ſenſus interni, prout proponit objectum, ut conveniens, vel diſconveniens: cognitio verò requiſita reſpectu voluntatis eſt cognitio intellectus, ſive apprehenſiva ſit, ſive judicativa, ut probandum eſt diſp. 2. à n. 47. uſque ad 59.

SEXTA DIFFICULTAS.

Quid intelligatur per illam particulam, ſingula?

VAſq. diſp. 30. cap. 2. & 3. aſſerit non intelligi circunſtantias actus, ſed tantum illa, quæ actui ſunt ſubſtantialia, ut objectum, finis, perſona. Valent. verò diſp. 2. q. 2. puncto primo. Salas tract. 4. diſp. unica ſect. 4. n. 23. ex communi Doctorum ſententia docent ſolum intelligendas eſſe circumſtantias accidentales actus.

56. Reſpondendum tamen eſt cum Balforeo 3. Ethicorum cap. 1. fol. 136. in fine textus, Raynaldo diſt. 2. q. 1. art. 2. á n. 39. per illud *ſingula* intelligi ab Ariſtotele, & quæ ſunt ſubſtantialia activè, & circumſtantias accidentales ejuſdem. Ariſtot.

57. Et primo oſtenditur contra Vaſquenm per illam particulam *ſingula* non ſolum intelligi ſubſtantialia, ſed etiam circumſtantias accidentales actus: quod patet ex Ariſtotelis textu, & ex ſingulis, quæ eoumerat; ait enim. *Interdum etiam, quo ut inſtrumento, & cujus cauſa ſalutis, & quomodo ſenſim, aut vehementer: nam quo ut inſtrumento, & cujus cauſa ſalutis* ſignificantur cauſæ efficientes, & finales, ſive finis operantis, quo pacto actus imperatus habet pro fine extrinſeco finem intrinſecum actus imperantis. Deinde *quomodo* ſignificat modum agendi, ad quod pertinent omnes agendi modi, qui dantur ex minori, vel majori niſu agentis: ergo ex mente Philoſophi etiam circunſtantiæ accidentales ſignificantur in illa particula, *ſingula*.

58. Secundn. Contra Patrem Valent. oſtendo non intelligi ſulum circunſtantias accidentales actus, ſed etiam ſubſtantialia, & patet ex ipſo textu Ariſtotelis, qui inter ea ſingula, in quibus eſt actus, numerat circunſtantias accidentales: ita enim ait eo loco: *Conſiderandum igitur eſt quis, & quid, circa quid, & in quo agat, interdum etiam quo, ut inſtrumento, & cujus cauſa ſalutis, & quomodo, ſenſim, aut vehementer.* Vbi *quid, circa quid, & in quo* pertinent ad ſubſtantiam actus, nam *quid* ex Græco, interpretantibus Barforeo citato, & Michaele, Epheſio 5. Ethicor. cap. 8. particula 2. denotat ipſam actionem: intendit namque Philophus oſtendere, poſſe quempiam ignorare quod facit: ot Aſchilus myſteria Eleuſina evulgans, myſteria eſſe ignoravit; actionis tamen nomine intelligendus eſt effectus, qui per eam fit, qui etiam non eſt circunſtantia propriè, ſed ſubſtantialis actui. *Circa quid* objectum deſignat, ſive finem actus interni, materiam etiam actus externi, ideo Ariſtoteles docuit hæc ſingula eſſe principaliſſima. Ex mente igitur Philoſophi *ſingula* non ſolas circunſtantias, ſed etiam ſubſtantialia actus deſignat. Et confirmatur, quia ſiquis evulget myſteria, quæ talia eſſe igoorat propter ignorantiam; non committit ſacrileginm: ergo cum ex illa ſcientia nova addatur malitia, novaque ſpecies actui, eſſentialis erit ipſi actui, & ſic de multis.

59. Confirmatur utrumque argumentum, quia Ariſtoteles tantum intendit oſtendere id, ex quo dependebat actus, ut eſſet, vel non eſſet voluntarius: atqui hoc non poterat oſtendi ex ſubſtantialibus tantum, ſed etiam ex accidentalibus actus: quocnnque enim horum ignorato manet actus quoad illud involuntarius: ergo particula *ſingula* partim ſubſtantialia, partim accidentalia actus deſignat.

60. Quare argumenta, quibns utitur Vaſq. aſſerens per illam particulam *quid circa in quo*, ſignificari ſubſtantialia actus, noſtram ſententiam confirmant, deficit tamen in eo, quod aſſerit *quis* denotare non ſtatum, vel dignitatem agentis, ſed ipſam perſonam, eo quod poteſt quis ignorare ſtatum ſuum, non tamen ignorare poteſt ſe ipſum: & Ariſtoteles docet à ſulo inſano poſſe ignorari agentem. Deficit, inquam, quia Philoſophus noo loquitur de entitate phyſica voluntarii, ſed de voluntario morali, ad quod impertinens eſt ratio perſonæ agentis nudè ſumptæ, requiritur enim quod circunſtantionata ſit, & affecta aliqua conditione, ſtatus ſcilicet, vel dignitatis, vel ſacerdotii, conjugii, & ſimilium, quam conditionem licet poſſit ſpeculativè ignorare agens, non tamen practicè, & moraliter.

Quis enim niſi inſanus poterit ignorare ſtatum proprium ſuæ perſonæ? Ignorare eoim ſe eſſe ſacerdotem, uxoratum, Regem, aut quid ſimile, inſaniæ proximum eſt; poteſt tamen proprins ſtatus ignorari reſpectu termini ignorati eo modo quo Niſenus dixit de quodam. *Filius patrem ignorans verberavit*, ubi non eſt ſenſus, quòd filius ignoret ſe eſſe filium, ſed quia non agnoſcit terminum filiationis, ignorans illum hominem eſſe ſuum patrem, non cognoſcit ſe eſſe filium illins, ideoque verberatio non eſt aggravata ex circunſtantia, qnis, eo modo quo Ariſtoteles dixit. *Putaverit aliquis & filium hoſtem eſſe, ut Merope putavit.* Poteſt etiam ignorari ſpeculative, & abſolute, non tamen poteſt ſtatus propriæ perſonæ ignorari practice, & moraliter ſeu & ut plurimum, quu ſenſu loquutus eſt Philoſophus: & ita eum explicant Raynaldus citatus n. 46. §. non ago, Salas ſect. 4. o. 15.

Greg. Niſ.

Ariſtoteles.

61. Addit inſuper P. Vaſques, circunſtantias *quo inſtrumento finis, & quomodo*, pertinere ad ſubſtantiam actus; ex eo quod inſtrumentum ſine cuſpide, aut cum cuſpide ad ſuſtantiam pertinet occiſionis, finis etiam eſt de eſſentia actionis: *quomodo*, ideſt modus, variat ſimiliter actionem. Sed P. Vaſques in his etiam hallucinatur, perperam enim exiſtimat has circunſtantias eſſe actui eſſentiales: nam parum refert ad moralitatem, & ſubſtantiam actus, fiatoe occiſio gladiu, aut lapide, & per conſequens inſtrumentum vere, & proprie eſt circunſtantia accidentalis: finis etiam, cum hic non accipiatur, pro fine intrinſeco operis, ſed pro extrinſeco operantis, accidentalis circunſtantia eſt ex dicendis diſp. 3. à n. 136. quod verò modus ſit etiam circunſtantia accidentalis, probandum eſt diſp. 3. à n. 321. nec hoc negatur à quopiam Theologo.

62. Ratum igitur maneat per illud *ſingula* intelligenda

intelligenda fore, & quæ ad substantiam spectant, & quæ actui accidentalia sunt, non tamen pec illud *singula* significantur omnes circunstantiæ, vel omnia substantialia absolute, quæ ad actum requiruntur, sed per distributionem accommodatam ea tantum, in quibus est actus, quatenus voluntarius est; tantum enim voluit Philosophus necessariam ad actum voluntarium esse cognitionem earum circunstantiarum, quæ actum reponunt in sua specie voluntarii: Verbigratia voluntarium sacrilegii solum dependet à cognitione furti rei sacræ; & homicidium solum dependet à cognitione hominis occisi, non vero à cognitione personæ occisæ: si enim hæc cognitio ignoretur, talis actus erit voluntarius respectu homicidii, non vero parricidii, vel sacrilegii, eo quod ignoretur cognitio personæ occisæ, patris nimirum, vel clerici.

63. Vnde Philosophus non apposuit omnes circunstantias, id notante Raygnaldo n. 40. omisit enim circunstantias loci, & temporis; nec bene interpretatur Philosophus de perfecto voluntario, cum enim definiat voluntarium in communi, quod ibidem brutis etiam concedit, non est dicendum, quod definierit voluntarium perfectum. Minus accommodate dicitur definiisse voluntarium determinatum ad aliquam speciem, cum definiat voluntarium genericum omnibus speciebus commune.

64. Ex quo vniversalissimum, & utilissimum deducitur principium in re morali ad cognoscendam culpam operantis, & utrum pœna ob talem culpam imposita subiri debeat: *quoties enim inculpabiliter ignoratur circunstantia, non incurritur pœna pro tali malitia imposita*: si quis enim hominem occidat, quem probabiliter sacerdotem esse ignoravit, cum tamen esset: in illa occisione non est malitia sacrilegii, licet detur homicidium: nec occisor excommunicationis pœnam incurrit; & per hæc de aliis similibus casibus judicandum est. Ratio à priori est, quia culpa non datur; ubi deest voluntarium: atqui cum ignoratur circunstantia actus, non est voluntarius quoad illam circonstantiam ignoratam actus, nec quoad malitiam ex ea provenientem: ergo nec culpabilis secundum eandem circunstantiam: pœna autem, cum imponatur propter malitiam culpæ, sequitur, quod ubi illa specialis malitia deest, pœna subiri non possit.

SEPTIMA DIFFICULTAS.

Vtrum etiam actus ingrediatur numerum singulorum?

Excitatur propter eandem particulam, *cognoscente singula in quibus est actus*: cum enim ibi asseratur requiri cognitionem singulorum, circa quæ versatur actus, quæritur utrum etiam requiratur cognitio actus voluntarii, ad hoc ut voluntarius censeatur? Alarcon 1. p. tract. 5. de Trinitate disp. 9. cap. 7. n. 5. respondet negative: Primo quia cognitio requisita ad voluntarium debet versari circa singula, in quibus est actus; ergo non includitur in illa cognitione requisita cognitio ejusdem actus, cum cognitio actus non sit cognitio eorum, quæ circa actum versantur. Secundo, quia ad rationem voluntarii, non requiritur, quod sit volitum; ergo nec etiam requiritur cognitio actus, ut per eam objectum censeatur volitum. Tertio, quia præsupponuntur per cognitionem voluntati objecta, quæ amari debent, & quæ amantur; non tamen præsupponuntur objecta, quæ amantur, & fiunt à voluntate: implicat enim quod præsupponatur cognitio rei, quæ adhuc non est: ac proinde ut actus, quo ego amo Petrum, sit voluntarius, non requirit cognitionem sui, sed objecti, quod amabile proponitur.

65. Hæc doctrina partim vera, partim falsa est: vera dum ad rationem formalem voluntarii, non requirit, quod ut actus dicatur voluntarius, sit volitus, de quo infra n. 10. falsa, dum inficiatur actum voluntarium non esse prius cognitum, quam elicitum; semper enim actus requirit, ut eliciatur ex cognitione sui, non quidem formali; sed virtuali: id est eo ipso quod proponitur objectum, & cognoscitur, ratione objecti proponitur, & cognoscitur etiam actus, quo amandum est, ideo semper cognoscitur actus virtualiter; ratione objecti, quam etiam doctrinam ibi admittit Alarion n. 6.

66. Et probatur primo, quia cognitio quæ proponit objectum amandum, etiam virtute proponit amorem, quo amandum est; ergo si requiritur ad actum voluntarium cognitio formalis objecti; etiam requiretur cognitio virtualis actus, quo objectum amandum est. Antecedens probatur, quia illud objectum proponitur ad hoc, ut ametur à voluntate; ergo necessario in cognitione objecti formalis relucere debet etiam virtute cognitio illius actus, per quem objectum amari debet: Consequentia patet, quia si intellectus non cognosceret possibilem esse amorem talis objecti, nunquam illud proponeret, ut à voluntate amaretur; quomodo enim proponeret id, quod nullo modo cognoscit esse possibile? ergo eo ipso, quod cognoscit amandum esse objectum, etiam virtute cognoscit talem amorem esse possibilem.

67. Secundo, quia hoc complexum; *Petrus amandus est*, virtute secum defert amorem, quo amandus est Petrus, atqui intellectus proponit voluntati, & cognoscit illud complexum; *Petrus amandus est*; ergo in eo virtute cognoscit amorem. Major patet, quia *Petrus amandus* duo habet, & *Petrum*, & *amandum*, terminus vero *amandum* necessario secum defert amorem; itaut impossibile sit talem amorem à cognitione amandi separari. Tertio, quia intellectus quando cognoscit objectum, illud proponit voluntati, ut voluntas in illud tendat; atqui non potest cognoscere, quod voluntas possit tendere in objectum, quin aliquo modo attingat tendentiam; ergo.

68. Ideo ad primum argumentum respondeo; concedo totum, aliud enim est requiri ad voluntarium cognitionem actus, aliud vero necessario dandum esse talem cognitionem actus virtualem ratione objecti. Deinde negari potest consequentia, quia licet cognitio non versetur immediate & formaliter circa actum, cum tamen versetur circa objectum mediate, & virtualiter ratione illius; versari debet circa actum. Ad secundum respondetur; concedo totum, per hoc tamen non tollitur quominus cognitio objecti non sit virtualis actus. Ad tertium nego antecedens; si intelligatur de cognitione virtuali; quæ enim proponuntur, ut amanda à voluntate, proponuntur formaliter, quæ vero cum voluntate fieri debent; nimirum actus, proponuntur virtualiter ratione objecti.

OCTAVA DIFFICULTAS.

Vtrum omissiones puræ includantur in prædicta definitione?

69. Ratio dubitandi est, quia juxta definitionem, voluntarium est actus per illam particulam, *in quibus est actus*, actus vero videtur excludere omnem omissionem: Respondetur affir-

matiue. Ita communiter Theologi, expresserunt Raynaldus n. 33. Cornejo in fine dub. 1. quia ex opposito definitio non esset bona, siquidem non omni voluntario conveniret, cum igitur detur omissio, non solum voluntaria, sed etiam libera, dicendum est, quod in illa definitione includatur.

70. Valentia disp. 2. q. 5. puncto 1. docuit definitionem nullatenus convenire omissionibus voluntariis, sed tantum actibus positivis. Primo, quia pura omissio non habet principium activum; atqui probatum est supra, difficultate 3. Voluntarium dependere à principio intrinseco activo; ergo, &c. Major probatur, quia omittere non est agere; ergo voluntas quando versatur circa omissionem non est principium activum. Respondetur primo, principium activum hic intelligendum esse lato modo, quatenus id sit fieri, ac aliquo modo à voluntate pendere, & per voluntatem habere existentiam sui esse, quodcunque illud sit, omissio dependet à voluntate, & per eam habet, quod existat negative.

71. Respondetur secundo negando majorem. Ad probationem distinguo antecedens: omittere non est agere formaliter, & physice; concedo: interpretative, nego: licet enim voluntas non agat per actum formalem positivum, quando omittit; agit tamen per actum interpretative positivum; hæc namque est differentia inter potentiam naturalem, & liberam, quod naturalis semper reducitur ad actum secundum agendo, & exercendo aliquem actum formalem physicum, potentia vero libera per actum formalem positivum reducitur ad unam partem contradictionis, & per privationem ad alteram.

72. Secundo. Liberum supponit voluntarium in sua ratione formali constitutum: atqui in omissione non potest prius considerari voluntarium, quam liberum: ergo non potest omissio esse voluntaria inclusa in definitione. Respondetur: distinguo majorem: liberum supponit voluntarium, physicum, & formale, concedo, omissivum nego: voluntarium enim debet esse à voluntate, omissio autem non potest intelligi esse à voluntate sine influxu libero in actum positivum: positivum autem voluntarium non solum intelligitur sine libero, sed etiam sine libero reperiri potest, ut apparet in voluntario necessario.

SUBSECTIO TERTIA.

In quonam consistat ratio formalis Voluntarii?

73. NOtandum est primo voluntarium considerari posse in fieri, & in facto esse: primo modo attenditur ratio, qua dependet à voluntate, siue ab appetitu: secundo modo attenditur ratio, quæ est causa, cur appetitus tendat voluntarie in objectum. Secundo voluntarium vel posse considerari in actu elicito à voluntate, vel in elicito simul, & imperato, vel in imperatis tantummodo à voluntate. Tertio supponendum est iuxta probabiles sententias, volitionem consistere, aut in actione aut in qualitate, quæ fuit nostra sententia ad libros de anima: aut in utroque simul; & in omnibus expedienda est difficultas. His positis

74. Sit prima conclusio. Ratio formalis voluntarii reperta in actu elicito, non est aliqua denominatio extrinseca desumpta ab appetitu: probatio hujus conclusionis dependet ex ea quæstione; Utrum libertas sit denominatio extrinseca, de qua latissime agendum disp. 2. sect. 16. à n. 195. ideo hujus conclusionis probatio ad illum locum remittitur: interim probatur, quia nulla assignatur denominatio extrinseca proveniens à forma, quæ per influxum realem attingat rem quam denominat; cum enim denominatio extrinseca sumatur à forma non intrinsece afficiente subjectum, sed in alio subjecto inhærente, non potest hæc forma per realem influxum attingere rem denominatam; ideo denominatio visi, cogniti, dextri, & cæterarum rerum, solum extrinsece attingunt rem denominatam: atqui voluntas per realem influxum attingit actum voluntarium; ergo ratio voluntarii non est denominatio extrinseca. Et confirmatur, quia forma denominans extrinsece non communicat rei denominatæ aliquid positivum intrinsecum, atqui voluntas communicat actui & entitatem, & dependentiam; ergo non potest esse forma, à qua proveniat denominatio extrinseca voluntarii.

75. Secunda conclusio. Voluntarium in actibus elicitis non est ipsa entitas actus, quatenus est volitio virtualis sui ipsius. Ita communis sententia, de qua Alarcon citatus n. 5. Vasq. 1. 2. disp. 23. cap. 3. n. 16. disp. 30. cap. 4. n. 30. estque sententia Scoti in 1. dist. 10. q. unica §. *ad ultimum*. Sequitur Herrera de peccatis disp. 3. q. 2. §. *ex quo sequitur*. Et probatur, quia esse volitum virtualiter, non convenit omni voluntario proprio; ergo in illo non potest consistere ratio formalis voluntarii. Antecedens patet in actibus necessariis perfectissime voluntariis qui non reflectuntur supra se ipsos, nec sunt volitiones virtuales. Confirmatur, quia juxta dicenda sect. 2. subsect. 1. difficultate prima, in brutis datur proprium voluntarium, & tamen non reflectuntur supra suos actus; ergo, &c.

Oppositum docuit Cajetanus 1. 2. q. 9. art. 4. §. *ad evidentiam*, asserens actus voluntatis voluntarios, sic supra seipsos reflectere, ut explicite, vel implicite, formaliter, vel virtualiter habeant rationem voliti, non solum per modum actus, sed etiam per modum objecti. Sequitur Suar. 1. 2. tract. 2. disp. 1. sect. 1. n. 5. & 6. Fundamentum est quia actus in facto esse, voluntatem informans non solum constituit voluntatem volentem objectum, sed etiam volentem ipsummet actum per volitionem reflexam in ipso inclusam; ergo in illa reflexione constitui debet voluntarium. Probatur antecedens ex dicendis subsect. 5. à n. 57. insuper, quia si per possibile, vel impossibile amaret voluntas objectum ab alio impressum sine propria efficientia, voluntas non amaret voluntarie: ergo actus voluntatis non solum denominantur voluntaris ex propria dependentia in genere causæ materialis, sed etiam in genere causæ formalis per ipsummet actum informantem voluntatem.

76. Respondetur: transeat antecedens, nego consequentiam: aliud enim est actus voluntatis esse reflexivos supra seipsos, aliud rationem formalem voluntarii collocandam esse in illa reflexione. Primum enim fatebimur in illa subsect. non tamen secundum: aliter actus elicitus appetitus sensitivi non foret voluntarius; ac proinde per illam reflexionem additur actus, qui formaliter est voluntarius, volitus, & voluntarius objective. Ad probationem transeat antecedens, distinguo consequens; ergo actus non denominabitur voluntarius ex propria dependentia in genere causæ materialis, sed etiam in genere causæ formalis, per ipsum actum in fieri nego, in facto esse concedo; ille vero actus de quo in argumento, nec est voluntarius in fieri, quia non fit à principio intrinseco: nec in facto esse, quia non inclinat voluntatem voluntarie.

77. Tertia conclusio. Voluntarium in fieri respectu actus eliciti à voluntate, vel ab appetitu sensitivo, est dependentia passiva, per quam à voluntate dependet. Ita indicat Pater Suar. citato loco n. 5. & sect. 3. n. 6. dum vitalem impulsum voluntarii communem appellat, & n. 24. docet consummari in positivo influxu, quidquid intrinsecum est in suo actu. Montesinos disp. 7. q. 1. n. 8. Vasq. disp. 23. cap. 1. Salas tract. 3. disp. 1. sect. 1. n. 5. Becanus 2. p. sum. tract. 2. de actibus humanis q. 3. n. 1. Videtur sententia sanctorum Patrum Niseni 5. Philosophiæ cap. 1. Damasceni 2. de fide cap. 24. docentium rationem voluntarii positam esse in actione.

Nisen. Damascen.

78. Et probatur primo, quia potentia appetitiva dicitur voluntaria in actu primo, quia agit præcedente cognitione objecti; ergo actus dicitur voluntarius, quia producitur à potentia taliter operante: antecedens est ipsummet discrimen inter potentiam naturalem, & voluntariam. Consequentia patet; quia voluntarium in actu primo, & secundo proportionari debent. Secundo, quia voluntarium est à principio intrinseco influente secundum virtutem positivam sibi intrinsecam: ergo est dependentia quædam positiva illius principii. Videantur, quæ de libertate actuali diximus disp. 2. à n. 195.

79. Dices: Actus elicitus dicitur voluntarius ratione præsuppositæ cognitionis: sed cognitio ab eo realiter distinguitur; ergo non potest esse ratio voluntarii, dependentia; cum hæc ab illo realiter non distinguatur. Major patet, quia in hoc distinguitur principium voluntarium à naturali, quia illud ex cognitione, istud ex nulla præsupposita cognitione influit in proprium actum. Respondetur negando majorem; dicitur enim actus voluntarius in fieri respectu influxus provenientis à voluntate; cum vero voluntas non possit influere in actum, nisi præsupponendo cognitionem, inde est, quod dicatur cognitionem esse de ratione voluntarii, non quia est ratio constitutiva illius; sed quia necessario præsupponitur ad suum principium. Ex quo probatio nulla est, ex ea tantum sequitur principium voluntarium requirere cognitionem, quam principium naturale non requirit.

80. Quarta conclusio. In actu elicito ratio formalis constitutiva voluntarii in facto esse, est ipsamet entitas actus taliter tendens in objectum. Probatur, quia in illo constituenda est ratio formalis voluntarii actualis, & in facto esse, quo formaliter potentia appetitiva actualiter inclinatur ad prosequendum, vel fugiendum objectum cognitum sub ratione convenientis, vel disconvenientis: hoc autem est ipsa inclinatio actualis, sive ipsamet entitas actus sub ratione talis tendentiæ in objectum: ergo in illa constituenda est ratio formalis voluntarii in facto esse.

81. Objicies primo: Id, quod præcipue explicatur in definitione voluntarii est dependentia ab appetitu; atqui in definitione explicatur ratio formalis illius definiti: ergo in illa dependentia constitui debet ratio formalis voluntarii. Respondetur: distinguo majorem, id, quod præcipue explicatur est dependentia actualis, nego, aptitudinalis concedo; cum enim definitiones non tradantur per actum, sed per potentiam, explicari debet potentialis dependentia, quæ idem est ac connaturalitas, qua ex sua natura postulat actus sic produci à suo principio, ut saltem connaturaliter non possit aliter produci.

82. Inferes; ergo in illa connaturalitate constituitur ratio formalis voluntarii. Probatur illatio, quia dependentia illa aptitudinalis, & non tendentia actus in objectum ponitur in definitione. Respondetur negando illationem, ad probationem, nego consequentiam: ponitur enim, quia est quid notius, quod ut inseparabile à ratione formali solitum est poni in definitionibus à Philosopho.

83. Secundo: Ideo potentia est voluntaria in actu primo, quia agit: ergo ideo actus erit voluntarius in actu secundo, quia producitur; ergo in illa dependentia ponenda est ratio formalis voluntarii. Respondetur; distinguo antecedens: ideo potentia est voluntaria in actu primo, quia agit, vel prædicamentali, vel grammaticali actione, concedo; quia solum agit prædicamentali actione, nego. Pro quo duplicem expono actionem in potentiis immanenter operantibus: unam de prædicamento actionis, quæ est via, per quam confertur esse termino, cum nulla possit dari actio sine termino: alteram, quæ est qualitas quædam, significaturque per terminum *operatio*, estque omnis actus immanens, quo potentia tendit ad objectum: cum igitur actio de prædicamento qualitatis, quæ dicitur grammaticalis, eo quod tantum nomine sit actio, fiat media actione de prædicamento actionis, de utraque actione intelligenda est definitio; dummodo pro voluntario in fieri, assignetur dependentia à potentia realiter operante per actionem de prædicamento actionis: pro voluntario vero in facto esse, assignetur actio grammaticalis, operatio nimirum, sive actus perfectus, per hunc enim potentia amplius non producit, sed tendit in objectum, potensque est in illud tendere.

Ultimo, data opinione, quod volitio sit qualitas, & non actio, & quod à Deo solo produci possit in voluntate tantum passive se habente, quæ probabilis est; sequitur voluntatem voluntarie diligere objectum, quin producat ipsam volitionem: hoc autem est falsum; ergo & illud, ex quo sequitur. Sequela probatur primo, quia *nil magis voluntarium est voluntati, quam ipsa volitio*. Secundo, quia voluntarium consistit in entitate actus cum tendentia ad objectum; sed sive volitio imprimatur à Deo, sive non, semper habet eandem tendentiam ad objectum: ergo sive voluntas illam producat, sive non, eo ipso, quod illam volitionem recipit, per illam volet voluntarie. Minor principalis argumenti est communis sententia: primo, quia voluntarium debet esse à principio intrinseco; secundo, quia voluntarium est quid vitale, vitale autem produci postulat à principio vitæ conjuncto. Tertio, quia jam habitus influeret vitaliter in actiones, & ex aliis fundamentis, quæ omitto.

84. Respondetur primo, negando minorem, primo quia voluntarium non est, quod actualiter dependet à principio intrinseco, sed quod connaturaliter postulat ab eo dependere: ac proinde volitio producta à Deo solo, adhuc erit voluntaria, ex eo quod semper postulat connaturaliter à voluntate produci. Secundo, quia actus, licet sit vitalis, potest produci à solo Deo, qui principium vitæ est: quod autem non sit principium vitæ conjunctum, & intrinsecum, parum refert, quia hoc pertinet ad productionem connaturalem. Tertio, quia habitus charitatis non est principium vitæ nec à principio vitæ conjuncto, quæ solutio probabilis est, & eam secutus fui in lib. de anima.

85. Sed quia Pater Suar. in l. 1. tract. 2. disp. 1. sect. 1. n. 6. & tom. 3. de grat. lib. 6. cap. 5. n. 15. Vasq. l. 2. disp. 23. & cap. 2. n. 5. & communiter Doctores oppositum docent: Respondetur secundo

negando sequelam, ad probationem respondetur duplicem esse rationem voluntarii, unam in fieri, alteram in facto esse: Voluntariumque in facto esse præsupponere voluntarium in fieri, illam nimirum dependentiam à principio intrinseco, sine qua voluntarium in facto esse non datur, siquidem præter tendentiam in objectum requirit, quod producatur à voluntate: & in hac solutione dicendum est volitionem consistere in qualitate, requirere tamen, ut conditionem logice actionem potentiæ, sine qua nec voluntas vellet, ac proinde voluntas per volitionem à Deo solo productam, nullatenus vellet voluntarie.

86. Respondetur tertio negando etiam sequelam ex alio principio, videlicet, quod voluntas tunc naturaliter, & non voluntarie vellet, (dato quod ad volendum non requiratur actio, ut conditio) tunc enim nil agit voluntas, nec agit ex præsupposita cognitione, aget tamen naturaliter ex receptione illius volitionis, quæ cum sit causa formalis posita in subjecto capaci, id est in voluntate, necessario producet suum effectum formalem, à quo non distinguitur: nec voluntas ad operandum naturaliter requirit præviam cognitionem ortam ex intellectu proprii suppositi, ut in lib. de anima disseruimus.

87. Ex quibus colliges, si volitio consistat in sola actione, rationem formalem voluntarii, non solum esse intrinsecam volitioni, sed etiam essentialem, siquidem dependentia, in qua constituitur essentia voluntarii in fieri est ipsamet actio. Si verò consistat volitio tantum in qualitate, voluntarium in fieri esse intrinsecum actioni, modumque volitionis intrinsece cum illa identificatum, voluntarium vero in facto esse, esse essentialem volitioni, cum volitio sit ipsa entitas actus. Si tandem consistat in actione, & qualitate simul, utramque rationem formalem in fieri, & in facto esse, essentialem esse volitioni.

88. Ultima conclusio. Ratio formalis voluntarii in actibus imperatis est tantum denominatio extrinseca. Ita communis sententia, præcipue Scotus quodlibet. 16. art. 3. in fine vers. *Voluntarium.* & vers. *ad primum*, quam ex illo docuit Herrera disp. 30. de peccatis q. 3. §. *ex quo infertur secundo.* Et probatur, quia actus imperatus in tantum est voluntarius, in quantum fit ex imperio voluntatis: sed istud imperium est actus elicitus à voluntate, realiter ab actu imperato distinctus; ergo voluntarium in actu imperato tantum erit denominatio extrinseca ab actu elicito desumpta. Scot.

89. Dices 4 ergo actus imperati tantum erunt voluntarii improprie, & objective. Probatur illatio, quia actus imperati juxta hanc opinionem, non dependent à voluntate causaliter, ut à principio efficiente. Respondetur negando illationem; ad probationem distinguo antecedens: actus imperati non dependent à voluntate causaliter, physice, concedo; moraliter, nego: dependentia moralis sufficit ad propriam voluntarii rationem: licet enim actus imperatus physice, & immediate à voluntate non dependeat, dependet moraliter à voluntate applicante potentias medio actu elicito, ideo non solum actus imperatus est volitus, tanquam objectum, sed etiam voluntarius, ut actus, & effectus dependens moraliter ab influxu mediato voluntatis: prius enim dicitur voluntarium de actu elicito, quam de imperato, de quo disputat. 5. à n. 739. agendum est. Loquor de actibus merè imperatis, non vero de actibus simul elicitis, & imperatis, namque hi dependent immediate à voluntate.

SUBSECTIO QUARTA.

Utrum ad rationem formalem Voluntarii requiratur libertas?

90. Dico primo. Ad proprium voluntarium directum, & perfectum, non requiritur libertas. Probatur, quia datur voluntarium necessarium; ut patet in spiratione Spiritus sancti, qui necessario spiratur à Patre, & Filio, & voluntarie simul, ut Theologi communiter docent in materia de Trinitate: Deusque voluntarie diligit suam essentiam, sed necessario. Et quamvis cum Scoto admittamus (ut vere admittere debemus) Scot. Deum se libere diligere, & Spiritum sanctum à Patre, Filioque libere procedere, nihil tamen obstat prædictæ resolutioni, siquidem libertas, de qua loquimur est libertas contrarietatis, vel contradictionis, libertas vero illa, quam admittit Scotus in spiratione Spiritus sancti, & in amore, quo Deus suam diligit essentiam, non est libertas indifferentiæ, sed essentialis quæ cum summa necessitate stare potest.

91. Dico secundo. A fortiori ad voluntarium imperfectum, non requiritur libertas. Probatur facile, quia in brutis, pueris, & amentibus datur voluntarium, ut in sect. 3. videndum est; atqui in his non datur libertas; ergo ad voluntarium imperfectum non requiritur.

92. Dico tertio. Ad voluntarium indirectum, id est ad omissionem requiritur libertas. Ita Conradus q. 6. art. 3. Suar. tract. 2. in l. 2. disp. 1. sect. 5. n. 13. Salas tract. 3. disp. 1. sect. 3. n. 19. sect. 5. n. 34. Raynaudus dist. 2. q. 1. art. 2. n. 33. & alii. Probatur, quia omissio, quæ libera non est, non procedit à voluntate, tantum enim est carentia, & mera negatio actus, ibi inventa, defectu cognitionis, vel alterius requisiti, ut voluntas possit operari: ergo illa omissio non est voluntaria; imo si proprie loquendum est, nec omissio dicetur.

93. Et confirmatur primo, quia tunc censetur voluntas omittere, ex communi Theologorum sententia, quando potest agere, & non agere: sed deficiente libertate, non potest agere si omittit: ergo illa omissio non est voluntaria. Secundo ex eadem communi Theologorum sententia, de quibus infra sect. 2. subsect. 3. difficultate 3. à n. 215. ad n. 217. & difficultate 4. n. 233. ut voluntas omittat, requirit actum interpretativum, sed quando voluntas agit necessario nullus actus interpretativus datur; ergo nec omissio, & à fortiori nec voluntaria. Minor probatur, quia actus interpretativus est ipsamet omissio; quatenus voluntas poterat facere oppositum, & censetur noluisse, ut citato loco diximus. Tandem quia ex opposito jam diceretur omisisse creationem Angelorum, actus intelligendi & sentiendi, similesque, ideo enim dicitur, quod non potest illos omittere, quia sunt voluntati impossibiles: atqui etiam volitiones, & nolitiones, quibus necessario caret, illi sunt impossibiles; ergo, &c. Quod amplius declaratur exemplo ignis, qui non dicitur omittere frigefactionem, & aquæ, quæ non dicitur omittere calefactionem, ex eo quia neutrum est in ejus potestate; atqui actus, quibus voluntas necessario caret, pro illo tempore non sunt in ejus potestate; ergo carentiæ illorum non erunt omissiones, & à fortiori nec voluntariæ.

94. Oppositum defendunt aliqui recentiores, & expressit Cornejo disp. 1. dub. 10. conclus. 1. Primo quia Deus potest imponere beatis præceptum, ut omittant aliquam actionem; atqui beati illam

omittent necessario, & voluntarie; ergo omissio voluntaria non requirit libertatem. Respondetur primo negando majorem in opinione eorum, qui asserunt beatos necessitatos esse ab intrinseco quoad omnes suas actiones. Respondetur secundo negando minorem: primo, quia ex communi Theologorum sententia beati liberi sunt circa creaturarum amorem, & circa cujus omissionem versari poterit illud præceptum: secundo, quia etiam circa amorem Dei beatos esse liberos probabilissimum est.

95. Secundo. In pueris, amentibus, & brutis dantur omissiones voluntariæ; atqui istæ omissiones non sunt liberæ; ergo, &c. Major probatur; quia pueri, & bruta dum vocantur à duobus interdum cunctabunda subsistunt, & postea accedunt; ergo omittebant accedere antea, & postea voluntarie accesserunt. Respondetur negando majorem: sunt enim puræ carentiæ actus: ad probationem nego consequentiam; non enim poterant antea accedere; eo quod imaginativa adhuc illis non repræsentaverat sufficiens motivum accedendi: utrumque enim objectum non proponebatur convenienter, postea vero cum fuit unum propositum convenienter, cœpit appetitus ad illud trahi: quare omissio antecedens non est voluntaria; sed pura carentia actus. Ita respondet Salas sect. 3. citata. Argumenta vero, quibus Cornejo suam confirmat sententiam, omnia solvuntur unico verbo, nimirum tales carentias non esse à voluntate, ut potentia est, sed ut impotentia est, voluntarium autem est à voluntate, ut potentia est.

96. Utrum vero si pura omissio posset esse necessaria adhuc reperiatur in brutis? Respondetur negative, quia ut actus elicitus suspendatur, oportet quod procedat à potentia cognoscente objectum talis suspensionis: atqui bruta illud non cognoscunt, siquidem objectum suspensionis est actus, qui requirit reflexionem potentiæ, ut cognoscatur, quæ reflexio in brutis non reperitur.

SUBSECTIO QUINTA.

Utrum ad rationem Voluntarii requiratur, quod sit volitum?

97. QUæstio unum inquirit, & aliud supponit: quod supponit est, actus voluntatis esse volitos: pro quo dico primo: omnes actus voluntarii imperati, sive eliciantur à voluntate, sive ab aliis potentiis, sunt formaliter voliti. Ita communiter Doctores, pro quibus videatur Vasq. disp. 23. cap. 2. n. 5. Et probatur, *nil volitum, quin præcognitum, & nil præcognitum est, & amplexum a voluntate, quod ab ea non sit volitum*: atqui tales actus sunt præcogniti, amplectunturque à voluntate, & ab illa imperantur; ergo omnes sunt voliti: Confirmatur, quia actus imperati sunt objecta actus imperantis, & ejus objecta.

98. Dico secundo. Etiam actus voluntarii pure eliciti sunt voliti virtualiter. Ita Suar. 1. 2. tract. 2. disp. 1. sect. 1. n. 8. & lib. 6. de Trinitate cap. 4. n. 7. lib. 12. de grat. cap. 11. n. 1. Salas sect. 9. n. 16. in fine quæ fuit doctrina Cajetani 1. 2. q. 9. art. 4. §. *ad evidentiam*. Primo; quia voluntas per suum actum elicitum non solum vult objectum in quod directè tendit, sed etiam vult ipsam tendentiam in objectum: atqui sæpissime non habet voluntas aliom actum reflexum, per quem velit ipsam tendentiam; ergo idem met actus, qui est tendentia in ipsum objectum, erit volitio virtualis ipsius tendentiæ: ergo idem actus erit objectum sui ipsius. Major probatur, quia difficile intelligitur, quo pacto voluntas per actum constituatur formaliter volens objectum, & non volens virtualiter actum, quo vult objectum; Major autem patet quia voluntas in illo instanti, quo vult objectum, non habet alium actum, quo velit ipsum actum. Secundo probatur; quia plerumque cognitio objecti, est virtualis cognitio sui ipsius: ergo similiter volitio. Antecedens patet in visione beata, & in cognitione Dei. Tertio, quia ut diximus subsect. 5. ille actus voluntatis virtualiter proponitur ratione objecti; ergo etiam volitus est virtualiter, ut enim cognitio formalis objecti, est conditio, ut voluntas formaliter velit objectum, ita etiam cognitio virtualis actus, erit conditio, ut voluntas velit virtualiter ipsum actum.

99. Oppositum docent Vasq. disp. 23. cap. 2. n. 4. §. 2. cap. 3. n. 16. §. *deinde*. Raynaudus dist. 2. q. 1. art. 2. n. 35. vers. *cur autem*. Montasinos disp. 9. q. 1. n. 10. Cornejo tract. 4. disp. 1. dub. 2. Primo, quia id, quod est volitum per se, est objectum volitionis; atqui volitio realiter à suo objecto distinguitur; ergo eadem volitio nequit esse per se, & immediate à seipsa volita: Minor probatur, quia idem nequit esse objectum sui ipsius: Respondetur; distinguo minorem: Volitio realiter à suo objecto distinguitur, si objectum sit directe, & *ut quod* volitum, concedo; si sit virtualiter, & *ut quo* volitum, nego; volitio ergo illa, ut directe tendit in objectum, realiter ab eo distinguitur, quia illud objectum est objectum *quod* specificativum; at vero, ut reflexe, virtualiter volitio tendit supra se ipsam, nullo modo ab objecto distinguitur, quia est objectum *quo*, quod est eademmet volitio: exempla autem manifesta sunt, visio beata, cognitio, & volitio Dei.

100. Secundo arguit Vasq. Nolitiones; nimirum odium, vel tristitia; sunt actus eliciti à voluntate, & tamen non sunt voliti; ergo non omnis actus elicitus à voluntate erit volitus. Minor probatur, quia illæ nolitiones sunt actus per modum fugæ: atqui volitio est per modum prosecutionis; ergo non possunt esse volitæ. Patet hæc consequentia, quia idem nequit esse simul fuga, & prosecutio. Respondetur negando minorem; ad probationem nego consequentiam, ad ejus probationem distinguo antecedens: idem nequit esse simul fuga, & prosecutio respectu ejusdem, concedo; respectu diversorum, nego; dantur enim in nolitionibus veluti duo objecta, nimirum illud, quod directe est nolitum; & eadem nolitio, quæ est volita: ac proinde illa nolitio potest esse fuga respectu objecti noliti, & prosecutio respectu nolitionis; nolle enim malum alicui, virtute est velle, quod illi non accidat malum, & nolle bonum alieni, virtute est velle, quod illi non accidat bonum: exemplum sit displicentia, quam contritus habet de suis peccatis; est enim ista displicentia per modum fugæ; objectum illius directum, est nolitum, nimirum peccata; objectum vero virtualiter volitum; est ipsa displicentia; unde displicentia est fuga peccatorum, & prosecutio sui ipsius, de quo amplius sermo erit disp. 4. sect. 1. à n. 6. interim de modo, quo tristitia, similesque actus causantur, vide elegantem Scoti doctrinam in 4. dist. 14. Scot. q. 1. n. 11.

101. Tertio. Illud quod est volitum in se, debet prius esse præcognitum à volente: atqui in voluntate, sive volente, non præcedit cognitio actus eliciti, sed tantum objecti voliti; ergo idem actus, non potest esse cognitio sui ipsius: Respondetur negando minorem, quia in illa cognitione objecti formali, includitur virtualis cognitio actus; nam

quando intellectus proponit objectum voluntati, illud proponit, ut amandum, & per consequens proponit ipsum amorem ratione objecti, de quo supra subsect. 7. à n. 60. & n. 67.

102. Quarto arguit Raynaudus. Ex opposito, ille actus, esset prior, & posterior seipso; hoc autem est manifesta implicatio; ergo & illud, ex quo sequitur. Major probatur, quia actus ille, est objectum sui ipsius, ergo ut objectum est prior, ut volitio sui, posterior. Probo consequentiam, quia ut supra diximus n. 101. objectum est prius suo actu. Respondetur idem argumentum fieri posse in cognitione beatifica quam constat esse reflexam, ut late probant Suar. lib. 2. de Deo cap. 18. n. 9. Ægid. Lus. tomo 2. de beatitudine lib. 11. q. 7. art. 9. quare nego majorem; ad probationem distinguo ant. actus ille est objectum sui ipsius, virtuale, & reflexum virtualiter, concedo; directum, & formale, nego: deinde nego consequentiam, nam ideo objectum est prius, quia est causa specificativa actus quod solum competit objecto primario, directo, & formali; cum ergo actus ut est objectum sui ipsius, sit objectum virtuale, & secundarium, nullo modo est causa actus per quem est volitus, & per consequens non est prior illo, sed idem cum illo.

103. Quinto arguit idem Raynaudus. Prima volitio voluntatis, non potest esse volita; ergo nec secunda; ergo nulla. Ant. probatur quia illa volitio est prima; ergo non supponit anteriorem volitionem. Confirmatur, si illa prima volitio esset volita, volita esset per aliam volitionem, & sic daretur processus infinitus, quem merito abborrent omnes Philosophi. Respondetur; nego ant, ad probationem concedo totum; non enim volitio illa esset volita per volitionem anteriorem, sed per seipsam formaliter, cum enim sit ipsamet volitio formaliter, non eget alia volitione, ut velit ea ratione, qua lux, quæ manifestat alia objecta, non eget alia luce, ut se manifestet: est enim formaliter talis, & manifestativa, ideo sibi sufficit ad sui manifestationem: similiter volitio, est formaliter volitio objecti, & ad sui volitionem sibi satis, sufficiensque est. Insuper dato, quod aliæ volitiones volitæ essent per volitiones alias, nunquam tamen prima esset volita per aliam, quia est formaliter talis.

104. Ex quo necessario præsupponendo, quod inquiritur est, Utrum ratio ista voliti, quam admittimus in actibus voluntatis, sit essentialis voluntario, ita ut sine illa non intelligatur ratio formalis voluntarii? Respondetur negative: ratio enim voliti per accidens tantum se habet ad voluntarium. Est communis sententia. Primo, quia in brutis, & appetitu sensitivo datur vera ratio voluntarii, cum tamen non detur ratio voliti. Secundo, quia esse volitum est denominatio diversa à voluntario; nam esse volitum extrinsece tantum denominatur à potentia, quatenus est illius objectum: voluntarium vero est denominatio intrinseca dosumpta ab ipsa potentia per dependentiam intrinsecam illius.

SECTIO SECUNDA.

Traduntur variæ Voluntarii divisiones.

Scot. 105. SCotus in 2. dist. 32. q. unica n. 15. & quodlibet. 18. art. 3. §. *ad primum* tripliciter accepit voluntarium. Primo objective, quod nec elicitur à voluntate nec ab ea imperatur, sed tantum objective acceptatur, ut cum quis lætatur de bonis, vel malis ab alio factis, quibus nullo modo cooperatus est: ac propterea hujusmodi voluntarium improprium appellant Theologi, & potius volitum, quam voluntarium est. Secundo subjective, convenitque omnibus, quæ in voluntate subjectantur. Tertio causaliter, & hoc appellat proprium voluntarium: debet tamen distingui voluntarium causaliter, ad hoc ut proprii subeat rationem: vel enim est voluntarium causaliter in potentia, vel in actu: Voluntarium in potentia est, quod adhuc non processit à voluntate, sed continetur in ejus virtute per modum actus primi, & potest ab ea exire: & hoc voluntarium non est proprium, siquidem continentia effectus in virtute causæ, non denominat illum simpliciter, ut lapis in omnipotentia contentus *non est creatum, sed ipsa creatrix natura.*

Voluntarium in actu secundo est proprium voluntarium, cujus definitionem exposuimus, & modo divisionem investigamus. Varias divisiones tradunt Doctores. Prima est in imperfectum, & perfectum voluntarium. Secunda in physicum, & morale. Tertia in indirectum, & directum. Quarta est in voluntarium in se, & in alio. Quinta in elicitum, & imperatum. Sexta in operantis voluntate propria, & voluntate altera. Septima in actuale, & interpretativum.

SUBSECTIO PRIMA.

Explicatur divisio Voluntarii in imperfectum, & perfectum.

106. HÆc divisio traditur à D. Thoma q. 6. D. Thom.
art. 2. admittiturque communiter à Theologis: Voluntarium perfectum est, quod procedit ex perfecta cognitione finis, idest quando non solum aprehenditur res, quæ est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis, & proportio eorum quæ ad finem ordinantur: Voluntarium imperfectum, est illud quod sequitur imperfectam finis cognitionem, quando scilicet solum percipitur res, quæ est finis, non tamen ratio finis, nec proportio mediorum ad illum. Subdividitur voluntarium imperfectum in illud, quod procedit cum cognitione sensitiva, & in illud, quod procedit cum cognitione intellectiva, dummodo hæc, non plene in objecto discernat rationes convenientis, vel disconvenientis. Perfectum vero dividitur in liberum & necessarium: liberum procedit à voluntate sub indifferentia ad utrumque, necessarium procedit cum determinatione ad unum, sed supponens perfectam, & deliberatam cognitionem intellectus. Quibus explicatis plures sunt difficultates, quæ sub uno titulo explicari non possunt, ideo sit

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum propria ratio Voluntarii reperiatur in imperfecto Voluntario?

107. REspondetur affirmative. Ita D. Thomas D. Thom.
q. 6. art. 2. in corpore, ubi omnes Commentat. Videantur Franciscus Felis tract. 2. cap. 1. difficultate 2. Montesinos disp. 9. q. 1. Carmelitani tract. 10. disp. 1. dub. 2. §. 2.

Probatur primo authoritate Aristot. 3. Ethicor. Aristot.
c. 2. ubi ait: *Voluntaria enim quidem, & pueri, & omnia animalia communicant, electionem autem non.* Eodem modo loquuntur Nisen. l. 5. c. 4. Damas. l. 2. Nisen.
cap. 24. Probatur secundo ratione, quia ratio propria, quæ in actu voluntario reperitur, æque participatur à voluntario perfecto, atque ab imperfecto. Et hoc ostenditur, quia ratio propria, & Damascen.

propriissima voluntarii, est ut procedat à principio intrinseco cognoscente; atqui tam voluntarium perfectum, quam imperfectum, procedit à principio cognoscente, æqualiter; ergo ratio propria voluntarii in utroque reperitur. Minor probatur, quia voluntas rationalis non est magis principium intrinsecum respectu sui actus, quam appetitus sensitivus respectu proprii: nec cognitio sensitiva, quæ movet appetitum sensitivum, est minus cognitio in suo genere, quam sit in suo cognitio intellectualis, quæ movet voluntatem; ergo cum appetitus sensitivus sit proprie principium intrinsecum, & cognitio sensitiva, quam supponit, sit propriissime cognitio, actus voluntarius appetitus sensitivi sive voluntarium imperfectum, etiam repertum in brutis, erit proprie voluntarium. Præcipue, quia actus, qui procedunt ab appetitu sensitivo, procedunt à potentia vitali, non naturali modo; ut procedunt à principio vitali, procedunt à principio intrinseco, & vitæ conjuncto, ut procedunt præsupponendo cognitionem, non procedunt naturaliter, sed voluntarie propriissime.

108. Objicies primo: Voluntarium dicitur à voluntate: ergo ubi non fuerit voluntas, non dabitur proprium voluntarium: atqui appetitus sensitivus non est voluntas; ergo in illo non reperitur proprium voluntarium. Hoc argumentum pro-
D. Thom. ponit D. Thom. q. 6 art. 2. in primo loco, & respondet, *quod voluntas nominat rationalem appetitum, & ideo non potest esse in his, quæ ratione carent. voluntarium autem denominative dicitur à voluntate, & potest trahi ad ea, in quibus est aliqua participatio voluntatis secundum aliquam convenientiam ad voluntatem, & hoc modo voluntarium attribuitur animalibus brutis:* ex qua solutione sequitur dari voluntarium proprium in appetitu sensitivo ex quadam participatione, & proportione, quam habet cum voluntate.

109. Vel dicendum duplicem esse voluntatem: unam sensualem, alteram rationalem, ex doctri-
D August. na Aug. 5. de civitate Dei cap. 9. & sancti Prospe-
S. Prosper. ri s. de vocat. gentium, qui docent duplicem dari in homine prædictam voluntatem: ac proinde voluntarium dicitur à voluntate, non tantum à voluntate rationali, sed à voluntate sensuali, idest ab appetitu sensitivo: unde nec etiam participative, & proportionaliter dicetur appetitus voluntas, sed proprie, & per consequens voluntarium imperfectum procedens ab appetitu sensitivo non denominabitur voluntarium à voluntate rationali, sed ab ipso appetitu: non enim voluntarium sumpsit denominationem à voluntate proprie dicta, idest à voluntate rationali: sed à voluntate, ut comprehendit utrumque appetitum.

110. Secundo. De ratione voluntarii est cognitio finis: atqui bruta non cognoscunt finem propositum: ergo in illis non datur proprium voluntarium. Major patet ex definitione D. Thomæ, & insuper, quia finis est quid præcipuum in actu voluntario. Respondetur primo negando majorem; non enim est necessaria cognitio finis, nec apponitur in definitione Aristotelis, ut supra vidimus. Respondetur secundo; distinguo majorem, de ratione voluntarii est cognitio finis formaliter, nego: materialiter concedo: deinde distinguo minorem; atqui bruta non cognoscunt finem formaliter, concedo, materialiter nego: cum enim bruta attingant objectum, quod concupiscunt, & objectum sit finis intrinsecus operis, licet non cognoscant illud objectum formaliter sub ratione finis, cognoscunt finem tamen materialiter, quatenus scilicet cognoscunt objectum, quod est finis, & hæc cognitio sufficit ad rationem voluntarii.

111. Tertio. Ad voluntarium requiritur, quod quis operetur propter finem; atqui bruta non operantur propter finem: ergo, &c. Major probatur, quia ad voluntarium requiritur, ut potentia moveat sa ad finem, & ad illum dirigat formaliter suos actus. Minor patet, quia bruta diriguntur ad proprios fines, ab Authore naturæ. Respondetur negando majorem, sufficit enim quod operetur à principio intrinseco cum cognitione, quod hæc cognitio sit propter finem, vel non per accidens se habet ad rationem voluntarii. Imo nec ad bonitatem formalem actus requiritur, quod homo operetur propter finem, dequo disp. 3. n. 472.

112. Et licet voluntarium imperfectum, quod reperitur in brutis sit proprium voluntarium, magna tamen est differentia inter actus voluntarios appetitus sensitivi, & voluntatis rationalis: actus namque omnes appetitus sensitivi, sunt simplices tendentiæ in objectum, nec ullus proprie oritur ex intentione alterius, sed ex simplici propositione objecti; unde si cætera ex parte objecti sint paria, omnes actus ex parte appetitus æque voluntarii sunt: at in voluntate rationali unus actus oritur ex alio ut electio mediorum ex intentione finis: inde est quod intentio sit magis voluntaria, quam electio, juxta illud, *propter quod unum quodque tale, & illud magis.*

DIFFICULTAS SECUNDA.

Utrum divisio Voluntarii in imperfectum & perfectum sit univoca?

113. PRætulimus præcedentem difficultatem huic, quia hæc ex illa dependet. Respondetur affirmative. Videtur communis sententia: & probatur, quia ad rationem univocationis tantum requiritur, quod sit ratio communis, una præcisa ab inferioribus, & apta ut sit in pluribus: atqui hoc reperitur in actu voluntario, ratione voluntarii perfecti, & imperfecti; ergo, &c. Major constat ex definitione univocorum: consequentia procedit.

114. Minor autem quoad omnes suas partes probatur: & primo quod illa ratio voluntarii sit communis, nam definitio voluntarii convenit voluntario in communi, non vero perfecto tantum, vel imperfecto voluntario. Insuper illa ratio communis voluntarii convenit proprie tam voluntario perfecto, quam imperfecto: ergo illa ratio est quid utrique commune.

115. Secundo quod sit una, quia si abstrahatur à perfecto, & imperfecto voluntari, oratio ista communis voluntarii, ab illis præscindetur, eritque una ratio præcisa. Patet, quia ex eo non esset una, quia ut sic abstracta includeret ultimas etiã differentias voluntarii perfecti, & imperfecti, ex hoc enim capite ratio communis entis non est una, quia imbibitur in ultimis differentiis omnium entium: atqui ratio illa communis voluntarii non includit differentias voluntarii perfecti, & imperfecti; ergo est una ratio respectu illorum. Minor probatur, quia ratio communis voluntarii, nec est sensitiva, nec rationalis, nec imperfecta, nec perfecta, sed abstrahens ab illis rationibus, per quas, tanquam per differentias specificas contrahitur ad perfectum, & imperfectum voluntarium, non minus, quam animal ad hominem, & leonem, per rationale, & irrationale.

116. Ex quo sequitur illam rationem communem, & præcisam, ac unam, esse aptam aptitu-

dine tam essentiali ad essendum, quam accidentali ad prædicandum: si enim ratio est communis, una, & præcisè, necessario habet aptitudinem, ut prædicetur de illis, à quibus abstracta est: non enim aliter philosophamus in reliquis universalibus, & univocis.

117. Confirmatur argumento, quo utuntur Carmelitani tract. 10. disp. 1. dub. 1. §. 1. n. 17. Principium & cognitio, à quibus procedit voluntarium, sunt univoca, principium respectu appetitus sensitivi, & rationalis, cognitio respectu cognitionis etiam univoca sunt: ergo etiam ratio communis voluntarii erit univoca; non enim assignari potest major ratio de principii, & cognitionis univocatione, quam de univocatione actus.

118. Objiciet primo: Voluntarium sensitivum, sive imperfectum includit essentialiter imperfectionem, rationale vero, sive perfectum, includit essentialiter perfectionem: ergo non possunt convenire univoce. Respondetur; distinguo antecedens, essentialiter, idest ratione gradus communis, & generici, nego: id est ratione differentiarum, concedo: cum enim ratio communis voluntarii solum dicat in sua ratione essentiali processionem à principio intrinseco cognoscente, hæc proprie, & æqualiter reperitur, tam in actu voluntario imperfecto, quam perfecto; quod autem unum sit sensitivum, & imperfectum, alterum vero rationale, & perfectum, hæ rationes conveniunt ratione differentiarum, & non ingrediuntur rationem formalem genericam voluntarii, eo modo, quo imperfectio leonis, & perfectio hominis non refunduntur in rationem genericam animalis, quia illas habent ratione differentiarum.

Secundo: Voluntarium perfectum, & imperfectum suscipiunt magis, & minus in ratione generica: atqui, suscipere magis, & minus destruit univocationem; ergo, &c. Minor probatur, quia ex eo leo, & homo conveniunt univoce in ratione communi animalis, quia licet homo sit perfectior leone, non tamen est magis animal quam leo.

Respondent Carmelitani n. 28. negando minorem: asserunt enim suscipere magis & minus in eis, quæ in sua perfectione admittunt latitudinem gradualem, & prædicantur per modum adjectivi, non tollere univocationem: unus enim Angelus dicitur magis immaterialis, quam alter, & unum corpus materialius altero, & tamen omnes Angeli conveniunt univoce, ut etiam omnia corpora; cum ergo voluntarium prædicetur per modum adjectivi, licet suscipiant ejus inferiora magis, & minus, non amittet univocationem: exemplum vero quod affertur de leone, & homine, & quod de similibus afferri potest, non est ad rem, quia animal prædicatur per modum substantivi, ejusque inferiora nullam admittunt gradualem latitudinem.

119. Verum hæc solutio displicet, primo, quia ad univocationem requiritur, quod ratio communis sit una, & æqualis, ubi autem admittit magis & minus, nec una est, nec æqualis. Secundo quia *quidquid est de ratione communi generis, est de ratione specierum*, itaut præter differentias nihil reperiatur in speciebus, quod in genere non sit; ergo cum suscipiant illæ species magis, & minus in sua essentia ut præscendit à differentiis, hoc participabunt à ratione communi, indeque hæc non erit æqualis, nec una. Tertio quia non datur major ratio convincens, cur animal non suscipiat magis, & minus, quia ex hoc desineret esse univocum, quàm cur voluntarium suscipiens magis & minus, non desinet esse univocum: illa enim; quæ affertur de prædicatione per modum adjectivi, nullius momenti est: parum enim refert ad univocationem hæc, vel illa prædicatio, si ratio communis inæqualis est.

120. Quare Respondeo negando majorem; nam ratio voluntarii reperta in actu voluntario perfecto non est magis voluntaria secundum rationem communem genericam, quæ ex se tantummodo postulat procedere à principio intrinseco cognoscente: quod vero sit magis perfectum, non ex ratione generica, sed ex differentiis provenit: si enim, ut fatentur citati Carmelitani n. 17. imperfectio reperta in actu voluntario, ex differentiis, & non ex ratione communi voluntarii provenit; ex differentiis etiam, & non ex ratione voluntarii proveniet major, vel minor perfectio: *Unde enim oritur perfectio, oritur etiam major, vel minor perfectio*, qui enim dat unum, consequenter & alterum tribuit.

121. Tertio quando duorum inferiorum unum participat rationem communem per similitudinem, non convenit univoce cum alio, à quo similitudinem participat, sed voluntarium imperfectum, præcipue in brutis dicitur per similitudinem, & participationem à rationali voluntario; ergo, &c. Major probatur, quia quod prædicatur per prius & posterius, non prædicatur univoce: atqui voluntarium prius prædicatur de rationali, quam de sensitivo voluntario: ergo non prædicatur de utroque univoce. Minorem probo, quia ratio communis prius prædicatur de eo, in quo est vere, & proprie, quam de eo, in quo est per similitudinem, & posterius prædicatur de eo inferiori, quod ab alio inferiori participat illam rationem. Respondetur primo negando minorem: ut enim supra diximus tota difficultate 1. proprie, & vere est ratio voluntarii in actu voluntario imperfecto. Secundo distinguo minorem, quod similitudinem participat quoad rem ipsam, concedo, quoad denominationem nominis, nego: voluntarium autem imperfectum, non similitudinem, sed veram, & propriam voluntarii rationem participat.

DIFFICULTAS TERTIA.

Utrum Voluntarium essentialiter dividatur in imperfectum, & perfectum?

122. Supponendum est primo divisionem essentialem esse illam quæ dividit genus per suas species, vel superius per inferiora, in quibus inest: onde divisio subjecti respectu accidentium non est essentialis. Secundo posse comparari hanc divisionem voluntarii quinque modis: primo si comparetur voluntarium imperfectum sensitivum, cum voluntario perfecto rationali: secundo si comparetur idem voluntarium sensitivum cum voluntario imperfecto rationali: tertio si comparetur voluntarium imperfectum rationale cum voluntario perfecto libero: quarto si comparetur idem voluntarium imperfectum cum voluntario perfecto necessario: quinto si comparetur voluntarium perfectum necessarium cum voluntario perfecto libero.

123. Tertio, suppono libertatem actualem non consistere in denominatione extrinseca, sed in denominatione intrinseca, ut late probandum est disp. 2. sect. 10. à n. 195. quibus suppositis: Quæstio est an hæ divisiones tradantur per membra essentialiter diversa, sitque divisio essentialis subjecti inaccidentia. Per cujus resolutione,

124. Dico primo. Divisio voluntarii in communi,

muni, respectu voluntarii imperfecti sensitivi, & perfecti, est essentialis: dividitur enim tanquam genus in illa membra, ut in species essentialiter diversas. Est communis sententia, de qua Cornej. disp. 1. dub. 4. Carmelit. tract. 10. disp. 1. dub. 1. §. 2. n. 26. & probatur, quia ubi dividentia sunt essentialiter diversa, divisio rationis communis essentialis est: sed voluntarium sensitivum, & rationale, quæ sunt membra dividentia voluntarii in communi sunt essentialiter diversa; ergo divisio illa est essentialis. Minor probatur, quia ubi potentiæ essentialiter distinguuntur, etiam actus, qui per se, & essentialiter ab illis dependent, essentialiter distinguuntur: atqui appetitus sensitivus, & rationalis essentialiter distinguuntur; ergo etiam actus voluntarii, qui ab utrisque per se, & essentialiter dependent, essentialiter distinguuntur.

125. Secundo ostenditur, quia actus voluntarius sensitivus, est materialis, actus voluntarius rationalis, est spiritualis; atqui materiale, & spirituale distinguuntur; ergo etiam illi actus. Ex qua probatione optime sequitur divisionem voluntarii imperfecti in actum voluntarium sensitivum, & rationalem, esse essentialem, ubique enim eadem est ratio.

126. Dico secundo. Divisio voluntarii perfecti in actum voluntarium liberum, & necessarium, est essentialis: hæc conclusio non est adeo certa, ut præcedens. Illam tuentur Lorca 2. 2. disp. 1. q. 6. Vasq. disp. 23. cap. 4. & ea videtur esse Doctorum, qui asserunt eundem numero actum necessarium non posse transire in liberum, & libertatem actualem esse quid intrinsecum actui, de quo illa disp. 2. tota sect. 16.

127. Probatur primo, quia necessarium, & liberum essentialiter & specie differunt: ergo divisio illa est essentialis. Probatur antecedens, quia ad unitatem specificam actuum requiritur unitas specifica potentiarum, & objecti: atqui in actu necessario datur diversitas specifica ex parte potentiarum, & objecti; ergo etiam dabitur respectu actus liberi. Consequentia legitima est.

128. Major duas habet partes. Prima, quod requiratur unitas specifica principiorum ad unitatem specificam actuum, probatur ex Aristotele 2. de anima cap. 2. tex. 22. ubi ait, *quod si potentiæ sint specie distinctæ, etiam actus distinctos esse specie:* & ratio est, quia ubi principia specie differunt secundum virtutem causandi, non possunt concurrere ad actus ejusdem speciei. Probatur, quia per virtutem uniuscujusque principii communicatur aliquod prædicatum speciale effectui, quod non potest communicari alteri, qui procedit ab alio principio speciei diversæ; ergo per hoc speciale prædicatum distinguetur essentialiter ab alio affectu, in quo simile prædicatum non reperitur. Antecedens probo, quia diversa virtus specifica non potest concurrere ad tribuendam eandem numero, & speciei entitatem, & essentiam: essentia enim unius speciei, non continetur in virtute causæ alterius speciei; neque hic effectus, qui producitur ab una causa, potest postulare, quod producatur à causa diversæ speciei secundum virtutem ab ea, à qua factus est; inde est, quod homo non potest producere leonem, nec frigus calorem, & in hac ratione fundatur principium Aristotelicum, de quo videri potest Ægidius Lusitan. tom. 2. de Beatitud. lib. 11. q. 5. art. 3. §. 15. semper enim est certissimum, quod si illæ potentiæ operentur secundum virtutem diversam speciei, producant actus specie distinctos, ut in citato Ægidio videre est, ut fatetur Suar. lib. 2. de attribut. negat. c. 19. n. 7. & procedere in actibus naturalibus docet Navarrus tom. 1. controvers. 42. q. 1. §. & nota.

Aristot.

129. Secunda pars ejusdem majoris, quod scilicet ad unitatem actuum requiratur unitas objecti formalis, est communis sententia, quæ fundatur in illo proloquio, quod *actus specificantur per objectum*; ergo ubi defuerit unitas specifica objecti formalis, deficiet etiam unitas specifica actuum: nam à diversitate objecti formalis specifica, optime infertur diversitas specifica actuum: inde est, quod eadem potentia elicit actus diversos in specie, quia illos elicit sub diversa ratione formali, & sæpe duæ potentiæ concurrunt ad effectum ejusdem speciei, quia concurrunt secundum idem objectum formale.

130. Minor principalis argumenti etiam duas habet partes, & prima videlicet, quod actus liber procedat à principio secundum diversam virtutem specificam ab ea, secundum quam procedit actus necessarius, ostenditur, quia potentia libera, ut libera, est principium indifferens, potentia verò necessario est principium determinatum: atqui esse indifferens & determinatum, arguunt diversitatem specificam: ergo cum actus liber procedat à principio indifferenti, & actus necessarius à principio determinato; proculdubio unusquisque procedet à suo principio secundum virtutem essentialiter diversam. Minor probatur, quia indifferens, & determinatum opponuntur contradictorie, vel ad minus contrarie, ergo utriusque virtus est essentialiter diversa. Probo consequentiam, quia si virtus esset ejusdem speciei, non esset opposita, sed conveniens. Et confirmatur, quia actus necessarius, ut necessarius, nec per divinam potentiam potest elici à potentia libera, ut libere operatur: nec actus liber, ut hic, & nunc libere elicitur, elici potest à potentia necessariò hic, & nunc operante. ergo ex eo quod agere libere, & necessario diversificentur specie, oppositasque rationes habeant causandi. Tandem, quia rationes oppositæ causandi non possunt convenire eidem principio secundum eandem virtutem specificam causandi; aliter igni conveniret naturaliter frigefacere, & calefacere, & sic de similibus.

131. Secunda pars ejusdem minoris, videlicet, quod actus necessarius, & liber habeant diversum objectum formale, patet, quia actus voluntatis specificatur per objectum, non ut est à parte rei, sed prout per intellectum apprehenditur: atqui per advertentiam, & per cognitionem claram apparent in objecto diversæ rationes mediorum, vel finis, quas inadvertentia, & cognitio obscura non attingebat: ergo ex variatione cognitionis, variatur objectum: diverso enim modo, & cum diversis rationibus apprehenditur secundum diversitatem cognitionis: & quod hæc diversitas cognitionis ita mutet objecti rationes formales, ut non maneat idem in specie, ex eo patet, quia ea illa diversa cognitione ita mutatur modus operandi potentiæ, ut non operetur secundum illud objectum magis, vel minus perfectè, sed libere, & necessario secundum rationes diversas specifice causandi, qui quidem diversus modus arguit factam esse diversitatem in objecto formali: quæ quidem doctrina approbatur à Cajetano Principali Thomistarum 1. p. q. 82. art. 2. §. ad hæc breviter. *Ad hæc breviter dico, quod voluntas non eodem modo se habet, quoniam aliter se habet respectu vitii, & non vitii, quia hæc spectant per se ad objecti differentiam, eo quod bonum cognitum, & non bonum absque cognitione est objectum voluntatis: & falsum est*

quod visum, & non visum differant tantum, sicut magis, & minus in eadem specie, imo differunt, sicut res diversarum rationum objectivarum, ita quod Deus visus, est objectum diversa rationis objectiva à se ipso cognito: citra visionem. Quod si quis non penetrat, ex hoc percipiat effectu quod visus beat, non visus non. Constat enim, quod beatum est alterius rationis à non beatif. Ubi non solùm Cajet. nostram approbat probationem, sed etiam illius optimam affert rationem.

132. Nec obstat, quod cognitio obscura, & inadvertentia sint extrinsecæ voluntati, ad hoc, ut non possint mutare modum operandi voluntatis: non inquam obstat, quia licet non mutent modum operandi voluntatis primario, & directe, mutant tamen secundario, & indirecte, idest illæ cognitiones mutant rationem formalem objecti, faciuntque in illo apparere tales rationes, quæ antea ex inadvertentia, & cognitione obscura, non apparebant, & per consequens mutant objectum, mutato autem objecto diverso modo proponitur ab intellectu, & ex diversa propositione objecti, & ex variatione illius mutatur specifice modus operandi voluntatis. De quo argumento, & instantiis, quæ circa illud fieri possunt, vide etiam quæ dicemus disp. 2 sect. 16. à n. 217. ad n. 228.

133. Secundo principaliter probatur conclusio: Demus, quod cognitio intellectus non ita variet objectum formale, ut maneat, diversum: negari tamen non potest, quod variatur modus operandi voluntatis essentialis, & specifice: tum sic sufficit diversitas essentialis in virtute causandi ad hoc ut actus essentialiter sit diversus, etiam si tendat in idem objectum formale, *quod*, quam sententiam citatis pluribus antiquis, & recentioribus sequitur Salas tom. 2. in 3. 2. tract. 11. disp. 6. à n. 34. Petrus Hurtado lib. de anima disp. 3. sect. 5. §. 32. Coninch. de actibus supernaturalibus disp. 5. à dub. 1. n. 15. disp. 20. dub. 3. n. 18. Granado 1. p. disp. 5. Proœmiali sect. 4. n. 13. Molen. variis locis relatis à cit. Ægidio dub. 3. num. 19. Eadem est sententia Lorcæ 2. 2. disp. 12. ad. 4. docentis specificationem actuum non provenire à solo objecto, sed etiam à potentia, ex qua etiam desumenda est, & alii, quos refert Cardinalis de Lugo de virtute fidei disp. 9. sect. 1. n. 2. & sequitur à n. 3. cum Suar. lib. 2. de grat. cap. 11. n. 6. & 30. Herrice 1. p. disp. 38. cap. 4. quatenus omnes docent actus supernaturales, & naturales differre specie, etsi habeant idem objectum formale cujus probatio dependet ex prima probatione majoris data supra n. 128. & 129.

134. Et insuper præter argumenta, quæ afferuntur à Lugo, sic probatur: Si ad unitatem specificam actuum requiritur unitas specifica principiorum, & objecti, ad diversitatem specificam actuum sufficiet diversitas specifica unius, vel principiorum, vel objecti formalis: plus enim requiritur ad unitatem, quam ad diversitatem, si enim requiruntur essentialiter duo ad unitatem unius, deficiente uno ex duobus, deficiet etiam unitas; non enim potest stare ratio unius deficiente uno essentialiter requisito ad illam, quæ ratio est Scoti in 3. dist. 31. q. 1. n. 4. ubi ait: *quando enim perfectio actus est à duobus, scilicet à potentia, & objecto, quando variatur propria ratio istorum, vel alterius eorum in se, vel conjunctione cum reliqua causa, vel secundum approximationem ad reliquam causam, quia minus perfecte agunt causa partiales respectu effectuum, quando non sunt sufficienter approximata, & conjuncta, variabitur tunc perfectio hujus actus.* Scot. Et tota hac quæstione defendit non obstare unitatem objecti formalis diversitati specificæ actuum, quamquam oppositum videatur docere in 1. dist. 1. q. 4. n. 14. de quorum locorum concordia videantur Leuentus, Tartaretus, & Pitigianes ad locum tertiò citatum. Quæ doctrina confirmatur exemplis, nam cognitiones Angelorum, & hominum sunt diversæ speciei, etiam si versentur circa idem objectum formale *quod*, quæ est communior Theologorum sententia, ut testatur Ægidius Lusitan. cit. n. 76. Conimbricenses de anima separata disp. 1. art. 7. §. altera. Suar. de Angelis lib. 2. cap. 2. Deinde in virtutibus moralibus patet, supernaturales enim à naturalibus differunt specie, cum tamen habeant idem objectũ formale, de quo Coninch. cit. dub. 5. à n. 28. Cardinalis de Lugo, cit. à n. 7. Etiam Deus super omnia diligi potest, non solum amore supernaturali, sed etiam naturali, ut fatetur Scotus in 2. dist. 28. n. 8. & in 3. Scot. dist. 27. q. 1. n. 13. ergo circa idem objectum formale *quod* versari possunt actus diversæ speciei.

135. Dices semper requiri aliquam diversitatem ex parte objecti formalis *quod*. Sed contra, quia sufficit diversitas ex parte objecti formalis *sub quo*: hæc enim diversitas necessario requiritur, sufficit enim diversum motivum ad hoc ut potentia tendat in diversum actum specie sub eodem objecto materiali, & formali *quod*, ex quo semper erit verum ad salvandum proloquium Philosophorum, & Theologorum, *actus specificantur per objecta*, quod diversitas actuum sumatur ex diversitate objecti formalis, saltem *sub quo*. Ex quo actus amoris Dei in via & in patria erunt diversæ speciei, tum quia tendunt in diversum objectum formale *sub quo*, nimirum clarum, & obscurum, tum quia procedunt à diversa specifica virtute voluntatis: eodemque modo actus necessarius ex inadvertentia procedens, erit diversæ speciei ab actu libero, tum quia procedunt ex diversa ratione causandi, tum quia esse deliberatum, & indeliberatum, funt diversum motivum formale *sub quo*, quam doctrinam approbat Suar. de Angelis cit. loco: ex his enim motivis infert diversitatem specificam in Angelis.

Contrariam sententiam, quod scilicet divisio actus voluntarii in liberum, & necessarium, sive sit perfectum, sive imperfectum, non sit essentialis, sed accidentalis subjecti in accidentia, docent Valent. Alvares, Franciscus Felix, Moutesinos, quos referunt, & sequuntur Carmelitani tract. 10. in 1. 2. disp. 1. dub. 2. §. 2. n. 23. & quoad divisionem voluntarii in liberum, & necessarium tract. 9. disp. 1. dub. 4. à n. 63. ubi docent amorem patriæ, & viæ esse ejusdem speciei: sequuntur etiam loquentes de amore Dei in patria, & in via. Vasq. 3. p. disp. 64. cap. 3. Becan. 2. 2. cap. 22. q. 5. Turrianus ibi q. 77. dub. 6. ubi Lorca disp. 18. Gaspar Hurt. tract. de tribus virtutibus disp. 10. de charitate differente 3. Ludovicus Caspens. tom. 2. curs. Theologici tract. 17. de charitate disp. 2. sect. 9. n. 89.

Primo, quia amor viæ est liber, amor patriæ necessarius, & tamen est idem amor numero, vel ad plurimum differunt numero: ergo jam liberum, & necessarium, non differunt specie; ergo nec etiam actus charitatis. Consequentia procedit, quia *ubi datur id in specificativum, datur idem specificatum*: atqui specificativum habitus, sunt actus, ut enim actus per objecta, ita etiam habitus per actus specificantur; ergo si habitus est ejusdem speciei, etiam actus. Antecedens vero probatur ex Paulo primæ ad Corinth. 13. ubi *charitas nunquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur*: Ex quo loco commu- 1. ad Cor. 13.

niter Doctores colligunt eundem habitum charitatis in specie, qui erat in via, permanere in patria, D. Thom. præcipue D. Thom. 1. 2. q. 67. art. 6. & in Commentar. ad locum Pauli lect. 3. cessabunt enim, & defficient alii habitus fidei, spei, prophetiæ, & linguarum, noo tamen habitus eharitatis.

136. Respondetur negando minorem, ad probationem responderi potest primo negando Antecedens, nimirum habitum charitatis in patria, & in via esse ejusdem speciei: non enim nos cogit locus Apostoli ad adstruendam unitatem specificam in illo habitu, varias uamque patitur locus ille explicationes: prima est, verum esse apostolum loqui de charitate, tam in via, quam in patria, & quamvis loquatur sub nomine uoius habitus, est in genere, abstrahendo ab hoc, & illo habitu, juxta vulgatem scriptoræ sacræ modum, quæ quando ad amorem alicujus rei bomines vult excitare, eam laodat in genere, abstrahens ab bac, vel illa specie, utramque comprehendens sub nomine unius: boc enim modo Salomon, Proverb. 8. Proverb. 8. loquitur de sapientia, sub nomine enim unios sapientiæ modo creatam, modo increatam intelligit sapieotiam; eodemque tenore loquitur Ioan. epist. 1. eap. 4. loqoens de eharitate ereata, & increata, ac proinde cum hic sit sensos vulgaris scripturæ sacræ, similiter interpretari potest locus Pauli, quasi locutns fuerit de eharitatis habitu in genere recensens eharitatem in patria, & in via tanquam unam, non quidem specifice, sed generice.

137. Secunda explicatio est, Apostolum oon loqoi de habitu, sed de actu charitatis: omnia enim, quæ ibi de eharitate tradit, non habitum, sed actum esse declarant, & contextus sic probat, cum enim de fide, spe, scientia, ac dono linguarum loquator, prout sunt actus, & non habitus, non esset bona comparatio cum ebaritate, si de actibus charitatis uoo loqoeretor, & juxta hanc explicationem antecedens illud de habitu nullom est.

137. Tertia explicatio est Apostolum loqui de habitu charitatis in Patria, sed ex hoc non sequitur statim locutum fuisse de eodem habitu charitatis in specie, qui fuit in via, non enim dicit Apostolus eadem ebaritas, quæ ounc est in via nunquam excidit, sed procedit absolute, *charitas nunquam excidit*, sed persistit in Patria, potest autem permanere charitas in Patria, quamvis sit diversæ speciei ab ea, quæ fuit in via: cum enim Apostolus doceat, quod pereant fides, spes, dona linguarum, & Prophetiæ, permaneat autem charitas, est sensus germanus juxta communem interpretum sententiam, qood cum osus fidei, & cæterorum habituum non sit necessarius in Patria (vel ut multi asserunt, non sint compossibiles cum statn Patriæ) non etiam esse necessariam fidem, spem & reliqua, siquidem cessavit necessitas, propter quam concessa erant: at vero cum osus, & actus charitatis perseveret io patria, & ibi sit excellentior, permanet charitatis habitus, sed nou idem; diversus equidem, cum diversus sit in specie actus, quam solutionem probavit Coninch. de actibos supernaturalibus disp. 23. de actu charitatis, n. 11. quatenus docet Apostolum loqui de actibus charitatis, qui distinguuntur juxta ejus opinionem specie.

138. Sed ne videamur effugere difficultatem, respondetur secundo oegando minorem, nimirum, quod actus charitatis in via, & in patria sint ejusdem speciei: ad probationem concedo aotecedens, quod scilicet habitus charitatis in via & in patria sint ejusdem speciei: Nego conseqoentiam; oon enim repugnat, quod sit idem habitus in specie, imo & numero respectu diversorum in specie actuom, dummodo habitus sit supernaturalis, nam illod prologuium *habitus specificantur per actus*, intelligitur de habitibus naturalibus, non supernaturalibus, & ratio diversitatis est, quia habitus supernatorales non producuntur ab actibus: & dant simpliciter posse, non vero tantum facilitatem, ac proinde æquiparantur potentiis, non habitibus naturalibus: ideo specificantur ad modum potentiarum per aliquam rationem genericam actibus, qui ab illis producuntur, ot enim onica potentia producit actus diversos in specie; ita etiam habitus supernaturales producunt actus diversos specie: & ut potentia oon specificatur per objectum formale suornm actuum, sed per aliquam rationem illis communem, verbi gratia voluntas per rationem volibilis, quæ ratio communis est, & generica respectu actuum specifice diversorom, ita etiam habitus supernaturalis, verbi gratia habitus charitatis specificator per illam rationem formalem diligeodi Deum super omnia; quæ ratio generica est ratione suorum actuum, & ex hac ratione non solum inclinat voluntatem ad proprios actus, sed etiam ad actus aliarum virtotum: non enim datur ad hunc actum liberum, vel ad illum necessarinm diligendi Deum super omnia, sed ad unum, vel alterum indistincte, quæ est doctrina Scoti in 3. dist. 31. q. 1. u. 8. & Car- Scot. thusiani in 1. dist. 17. q. 8.

139. Objicies secundo: Proloquium est Philosophorum, quod *actus specificentur per objecta formalia*. ergo ubi fuerint objecta formalia ejusdem speciei, actus erunt ejusdem speciei: atqoi necessarios actus, & liber habent objectum formale ejusdem speciei; ergo, &c. Respondetor hoc argumentum satis solutum manere ex dictis. Primo namque proloquium solum procedit, quando potentiæ sunt ejusdem speciei ex doctrina data n. 133. Secundo intelligendum est de objecto inadæqoato, non vero de adæquato: objectum vero adæquatum est formale *quod*, & *sub quo*. ac proinde ad specificandum non requiritur diversitas utriusque objecti, sed unius: sufficit enim diversitas objecti *sub quo* ex dictis n. 135. Tertio dato, quod objectum formale *quod*, sit specificativum actus, adhuc in actu necessario & libero, datur diversum objectum formale *quod*, in hoc enim non solnm gradualis, sed etiam essentialis reperitur latitudo ex dictis à n. 131.

Cætera argumenta, quæ contra diversitatem specificam actus liberi, & necessarii fieri possunt, solvenda sunt disp. 2. à n. 117. dum docuerimus actum necessarinm ooo posse transire in liberum, libertatemque esse aliquid intrinsecum actui.

140. Circa illam comparationem voluntarii imperfecti cum voluntario perfecto necessario, dicendum est primo: voluntarium imperfectum sensitivum essentialiter differre à volontario perfecto necessario ex iisdem fundamentis, qoibus supra à n. 127. probatum est voluntarium imperfectum sensitivum differre essentialiter à voluntario absolute.

141. Dicendum secundo mihi probabilios videri, voluntarium imperfectum rationale necessarium discriminari esseotialiter à voluntario perfecto necessario. Primo, quia voluotarium perfectum procedit ex perfectissima cognitione, & advertentia, voluntarium vero imperfectum procedit ex imperfectissima cognitione & inadvertentia, hæ autem cognitiones mutant objectum formale ex dictis n. 131. & per consequens essentialiter variant

actus. Secundo quia ad minus per illas cognitiones variatur essentialiter objectum formale *sub quo* ex dictis n. 135. variatio autem essentialis objecti *sub quo* sufficit ad variandos actus in specie ex dictis n. 131. & inde

142. Dices. Illae cognitiones non variant modum operandi potentiae essentialiter, siquidem operatur cum illis necessario; ergo variatio ab illis facta in objecto, non sufficit ad diversificandos in specie actus. Respondetur negando consequentiam: non enim requiritur variatio in potentia essentialis ad producendos actus essentialiter diversos, siquidem eadem potentia operans necessario, vel libere producit actus specifice diversos; unde variatio facta à cognitione cum sit circa objectum formale, sufficit ad diversitatem actuum, etiam si non sit talis, ut sufficiat ad faciendum diversum modum operandi potentiae.

DIFFICULTAS QUARTA.

Utrum perfectum voluntarium convertatur cum libero?

143. QUaestio est, utrum perfectum voluntarium excludat necessitatem, itaut solos actus liber sit perfecte voluntarius? Respondetur negative. Est communis sententia Theologorum, Suarii hic disp. 1. sect. 3. n. 11. & in relectione divinae voluntatis disp. 1. sect. 2. n. 23. Valent. disp. 2. q. 2. puncto 1. Commentat. D. Thomae ad q. 60. r. 2. art. 2. ubi Martines dub. 2. Medio. q. 2. Granad. disp. 2. n. 6. Curiel dub. unico, Montesin. disp. 9. q. 4. n. 36. Alvares disp. 32. estque expressa sententia D. Thomae citat. art. 2. cujus mentem explicant, & sequuntur Carmelitani tract. 10. disp. 3. dub. 1. §. 1. à n. 2. Cornejo disp. 5. dub. 5. D. Thom.

Probatur primo ex definitione voluntarii, quod est à principio intrinseco cognoscente: ergo illud erit perfecte voluntarium, quod perfecte procedit ab intrinseco cum perfectissima cognitione, cui enim perfecte convenit definitio rei, debet etiam perfecte convenire essentia per ipsam definitionem explicata. Tum sic, voluntarium perfectum necessariom procedit à principio perfecte intrinseco cum perfectissima cognitione perfectiori, quam illa, cum qua procedit voluntarium liberum; ergo erit perfecte voluntarium.

144. Secundo, quia amor, quo Deus se diligit & quo Pater, & Filius spirant Spiritum sanctum, & summe necessarius, & summe voluntarius est: ergo vel perfecte voluntarius, vel non: si primum, habetur intentum, si secundum, jam iste amor in ratione voluntarii erit aequalis voluntario appetitûs sensitivi, siquidem uterque necessario elicitur, uterque sine cognitione indifferente, quae juxta adversarios ad perfectum voluntarium requiritur; hoc tamen non videtur dicendum; ergo, &c. Idem argumentum fit de amore beatifico, dato quod sit necessarius juxta Thomistas.

145. Respondet primo Vasq. disp. 23. cap. 4. n. 26. & cum eo Salas disp. 1. sect. 3. amorem Dei esse in entitate perfectissimum, non tamen esse in ratione voluntarii perfectum defectu libertatis. Sed contra, quia quidquid est in Deo formaliter sub ea ratione, qua est in Deo, non potest esse imperfectum: atqui ratio voluntarii formaliter est in amore divino: ergo non potest admittere secum aliquam imperfectionem. Minorem probo, quia totum illud, quod requiritur ad rationem formalem voluntarii, formaliter reperitur in amore divino; procedit enim à voluntate divina, tanquam à principio intrinseco sub perfectissima cognitione; ergo etiam ratio voluntarii formaliter erit in Deo.

146. Nec obstat id, quod addit Salas multa esse formaliter in Deo, & perfectissima, quae imperfecte significantur, verbi gratia, divina justitia nomine irae, misericordia nomine doloris, ita etiam amor Dei qui est perfectissimus, significatur tamen nomine imperfecto voluntarii. Sed contra, quia diversa significatio est voluntarii, ac irae, doloris, & similium, haec enim tantum per metaphoram dicuntur de Deo, voluntarium vero proprie, & formaliter; quanquam enim non significet ratio voluntarii totam amoris divini perfectionem, significat tamen rationem amoris voluntarii, non per metaphoram, sed propriissime, ideo amor divinus formaliter etiam cum ea ratione voluntarii est in Deo, quomodo non sunt ira, dolor, & similes passiones, quae de Deo per metaphoram dicuntur.

147. Oppositam sententiam nimirum, quod voluntarium perfectum sit idem cum libero, docent Vasq. citat. Salas etiam citat. Lorca de actibus human. disp. 1. sect. 2. Viguarius in suis institution. cap. 3. §. 4. à principio. Conrad. 1. 2. q. 6. art. 2. tribuitur Almaino tract. 1. moralium, & quanquam ab aliquibus afferatur Angelicus Doctor pro hac sententia, non tamen pro illa est, locus enim, qui affertur ex q. 6. art. 2. in corpore, ubi docet perfectam cognitionem, ex qua oritur voluntarium perfectum, talem esse, ut ex illa operans possit moveri, vel non moveri in finem. Et ad tertium ubi dicit: *Laus, & vituperium consequuntur actum voluntarium secundum perfectam rationem voluntarii*, cum autem non reperiantur laus, & vituperium, nisi in actu libero, videtur, juxta ejus mentem, denegandam esse perfectam rationem voluntarii voluntario necessario. Verum haec non urgent; loquitur enim Angelicus Doctor de voluntario viae meritorio, vel demeritorio, & ideo docuit secundum illud, hominem esse dominum suarum actionum, laudemque, vel vituperium promereri: in via enim ratio deliberans omne objectum proponit indifferenter, saltem quoad exercitium, ex qua deliberatione oritur, & perfecte voluntarium, & liberum in eadem via; caeterum quando cognitio perfecta fuerit, nec proposuerit objectum indifferenter, efficiet voluntarium necessarium, & perfectum, ut videre est in amore beatorum, & Dei. D. Thom. D. Thom.

148. Magis urget quod ait D. Thom. 1. contra gentes cap. 82. in fine; docet enim ibi, quod voluntarium, nec est naturale, nec violentum, nec necessarium, loquitur vero de voluntario perfecto, & aeque ab eo excludit violentiam, & necessitatem; verum iste locus similiter explicandus est, ac praecedens, loquebatur enim de voluntario perfecto viae, quod semper est liberum, solumque inseruit ad quaestiones de peccatis, & virtutibus, quae ab Angelico Doctore in sequentibus expediendae erant. D. Thom.

149. Probant primo ex scriptura sacra ex illo Psal. 53. *Voluntarie sacrificabo tibi*, ex Epist. Jacobi 1. *Voluntarie genuit nos*, & ex aliis locis, ubi particula *Voluntarie* significat idem, atque libere: ergo scriptura sacra solum accipit voluntarium pro perfecto libero. Respondetur negando consequentiam, quamvis enim in illis, & aliis locis scriptura sacra loquatur de voluntario libero, non tamen ex hoc sequitur omne voluntarium perfectum esse liberum, non enim loquitur de voluntario in omni sua latitudine, sed de voluntario viae perfecto, quod semper cum libero convertitur. Psal. 53. Jacob. 1.

Secundo. Perfectum voluntarium ex sua ratione formali importat perfectum operandi modum cir-

ta objectum: atqui modus operandi libere eſt perfectior; ergo modus operandi neceſſario non eſt perfectus. Minor probatur, quia modus operandi neceſſario eſt communis brutis, modus vero operandi liberè eſt proprius naturæ rationalis; ergo eſt perfectior.

150. Reſpondetur primo, tranſeat minor quæ tamen neganda eſt difficultate ſeqnenti, nego conſequentiam: poteſt enim modus operandi libere eſſe perfectior, & non eſſe imperfectus modus operandi neceſſario, ut in amore neceſſario, quo Deus ſe diligit, & in amore, quo beati diligunt Deum videre eſt.

151. Reſpondetur ſecundo negando minorem: dupliciter enim poteſt potentia operari neceſſario: primo defectu perfectæ cognitionis, ut in appetitu ſenſitivo, & motibus indeliberatis videtur: ſecundo ex perfectione cognitionis, ut in amore patriæ apparet: primus modus operandi eſt imperfectior libero, & communis brutis: ſecundus vero eſt perfectior, nec convenit brutis, imo eſt communis ſolum creaturæ rationali, intellectuali, & divinæ.

152. Tertio licet actus neceſſarins ſit ab intrinſeco principio, tamen determinatur ab extrinſeca perfectione objecti: ergo non eſt perfecte voluntarius. Patet conſequentia, quia perfectum neceſſarium totum eſt ab extrinſeco. Reſpondetur negando conſequentiam, quia motio objecti, cum ſit in genere cauſæ finalis, & formalis, non tollit perfectiſſime eſſe à principio intrinſeco activo, ut jam ex mente D. Thomæ diximus n. 25. inſuperque jam actus liber non eſſet voluntarius perfecte, nam ſi quis eleemoſynam det propter Deum, voluntas movetur ab indifferentia objecti, & à fine, quapropter cum illa perfectio objecti neceſſitet ut cognita, cognitio vero ſit intrinſecà operanti, totus actus voluntarius erit à principio intrinſeco ſaltem ratione ſuppoſiti, quod non officit perfectæ rationi voluntarii.

153. Qnarto. Amor neceſſarius potius ſit impetu naturæ, quam vi rationis; ergo ex hac parte non erit perfectum voluntarium. Reſpondetur negando antecedens, eo modo, quo Lorca accipit impetum naturæ: licet enim actus neceſſarius procedat à principio determinato, nec ſit ſub dominio illius principii, in ſe tamen habet totam, & adæquatam rationem agendi, eo modo, quo Deus diligit ſeipſum, quod quamvis dici poſſit, diligere ſeipſum impetu naturæ, non eſt eum ea imperfectione, qua bruta animantia operantur; quæ cum in ſe non habeant adæquatam rationem agendi propter finem, impelluntur à Deo ad illum, ut ab anthore naturæ particulari, & hic impetus naturæ aufert perfectam voluntarii rationem. Ita ſolvunt Carmelitani n. 7.

DIFFICULTAS QUINTA.

Quodnam ſit perfectius Voluntarium, liberum, an neceſſarium?

154. Reſpondetur voluntarium perfectum neceſſarium eſſe perfectius, quam voluntarium perfectum liberum. Ita Doctores citati difficultate ſuperiori pro noſtra ſententia: & probatur primo, quia voluntarii diviſio in imperfectum, & perfectum, traditur per ordinem ad imperfectam, & perfectam cognitionem, quæ eſt doctrina communiter approbata, quam tradidit Angelicus Doctor hic art. 2. in corpore; ergo etiam diviſio voluntarii perfecti in magis, & minus perfectum traditur per ordinem ad magis, vel
D. Thom. minus perfectam cognotionem ex illa regula, *ſicut ſimpliciter ſe habet ad ſimpliciter, ita magis ad magis:* atqui modus perfectus operandi, neceſſario ſequitur perfectiorem cognitionem, ut in amore, quo Deus ſe diligit, & in amore beatorum erga Deum, liquido conſtat; ergo erit perfectior modus operandi voluntarie, quam modus operandi libere.

155. Secundo, quia iſta major, vel minor perfectio deſumi debet, vel ex principio, vel ex cognitione: nihil enim aliud requiritur in voluntarii definitione: atqui non deſumitur ex majori, vel minori perfectione potentiæ, ſiquidem voluntas ſemper eſt ejuſdem perfectionis; ergo ex majori vel minori perfectione cognitionis.

156. Dices voluntatem, ſeu principium, eſſe ejuſdem perfectionis in eſſendo, non vero in operando; ſiquidem operari libere perfectius eſt, quam operari neceſſario. Sed contra, quia operari neceſſario, præſuppoſita perfectiſſima cognitione eſt perfectior operandi modus, quam operari libere, quod convincitur in amore beatorum erga Deum, qui neceſſarius eſt, & perfectior viatorum in via; inſuperque actiones Dei ad intra, ut amor, quo Deus ſe diligit, & amor, quo Pater, & Filius diligunt Spiritum ſanctum, ſunt neceſſariæ, & perfectiores actionibus liberis, videlicet amore quo Deus diligit creaturas.

Oppoſita ſententia traditur à Doctoribus, qui ſupra n. 147. aſſeruerunt voluntarium neceſſarium non eſſe perfectum. Primo, quia perfectior ratio voluntarii reperitur in ea operatione, qua agens magis ſe ipſum movet: atqui voluntas magis ſe movet ab intrinſeco in operatione libera quam in neceſſaria: ergo perfectior ratio voluntarii erit in operatione libera, quam in neceſſaria. Minor probatur, quia quando voluntas operatur libere, dicitur movere ſe ipſam ſimpliciter, & quando operatur neceſſario, dicitur moveri ab alio; ergo quando operatur libere magis ſe ipſam movet, quam quando operatur neceſſario. Antecedens probatur, quia tunc, actus eſt neceſſarius, quando voluntas neceſſitatur ab objecto, & tunc magis movetur ab abjecto, quam à ſe ipſa, & tunc actus eſt liber, quando voluntas à ſe ipſa movetur.

157. Reſpondetur negando minorem: ad probationem nego antecedens, & ad ejus probationem diſtinguo antecedens, & tunc magis movetur ab objecto, quam à ſe ipſa, in genere cauſæ efficientis, nego antecedens, in genere cauſæ finalis concedo; cum enim cognitio non influat efficienter in actum voluutatis, ſed præſupponatur, ut voluntas influat ex dictis à n. 54. totus influxus eſt à voluntate in genere cauſæ efficientis, neceſſarius tamen, quia neceſſitatur ex majori bonitate, & cognitione objecti, ex qua non redditur minus perfectum voluntarium, ſed perfectius; ex eo quod illud ſit magis voluntarium, in quod plene cognitum voluntas tanto impetu feratur, ut ſe cohibere non poſſit. De quo argumento jam ſupra plura diximus diffic. 4. n. 145. præcipue n. 152.

158. Dices: Eo voluntas voluutarius agit, quo liberius; ergo perfectius libere quam neceſſario. Antecedens probatnr, quia quando voluntas libere agit, poteſt ſuſpendere actum, vel non ſuſpendere pro libito: ergo quia agit cum majori voluntario. Reſpondetur negando antecedens, ad probationem nego conſequentiam, quia libertas ſita eſt in indifferentia, voluntarium vero in independentia à potentia præſuppoſita cognitione; ſi igitur cognitio fuerit perfecta, & objectum infinitum, voluntas ſponte ſua, majorique propenſione per actum neceſſarium tendit in objectum, quam per liberum.

Secundo voluntarium dicitur tale à voluntate; ergo illud erit magis voluntarium, quod à voluntate fuerit, qua voluntas est. Tum sic. Actus liber procedit à voluntate, ut voluntas est, necessarius vero procedit à voluntate, ut natura est; ergo actus liber magis voluntarius erit, quam necessarius.

159. Respondetur, concesso primo enthimemate: ad id, quod additur nego antecedens: aliter nullus actus necessarius foret voluntarius, siquidem nullus foret à voluntate, qua voluntas est: dicitur autem voluntas operari ut natura, quando necessario operatur, non quia tunc operetur naturaliter, sed quia operatur determinatè ad unum, qui est modus proprius naturæ: hic tamen modus operandi dupliciter convenit voluntati; primo defectu cognitionis perfectæ, & sic communis est brutis, causatque imperfectum voluntarium, quando quidem tunc non operatur secundum suam perfectionem: secundo ex perfecta cognitione, & tunc operatio necessaria est perfectior, convenuque Deo se ipsum perfectissimo modo amanti; voluntas enim tunc magis voluntarie propendet in objectum, quam quando libere operatur.

SUBSECTIO SECUNDA.

Explicatur divisio Voluntarii in physicum, & morale, & in Voluntarium operantis voluntate propria & aliena.

160. VTraque hæc divisio coincidit, ideoque explicatur utraque simul: voluntarium physicum, sive voluntate propria, non contra, dividitur à morali, ex eo quod nullam habeat moralitatis admixtionem, aliter voluntarium physicum esset idem, atque necessarium, morale esset idem atque liberum, cum actus necessarius non possit esse moralis, & omnis actus moralis sit liber, de quo disp. 2. sed intelligitur per voluntarium physicum illud, quod condistinguitur à morali, in quo nulla datur ratio, aut mixtio entitatis physicæ, estque pure morale, quod licet supponat entitatem physicam, non tamen voluntarium morale; voluntarium morale est ipsa entitas physica.

161. Unde voluntarium physicum est omnis actus, qui procedit à voluntate propria: voluntarium morale est illud, quod pendet à voluntate aliena, in quo quidem duplex datur voluntarium, nimirum voluntarium illius, qui exequitur voluntatem alienam, & hoc est physicum, & illud quod tantum correspondet voluntati alienæ, quod reputatur in illo, à quo exequitur, velut unum, quatenus alterius voluntatis consensus.

162. Hic autem transfertur quatuor modis, primo quando quis per se ipsum dat consensum alteri, ut quidquid ab eo nomine ipsius actum fuerit, ratum habeatur: tunc enim is quæcumque facit censetur facere ex voluntare alterius: & hoc modo transfertur voluntas mandantis in mandatarium, & voluntas collegii, reipublicæ, universitatis, vel alicujus particularis in aliquem procuratorem, quem constituit; tam enim mandatarius, quam procurator censetur facere quæcumque agit nomine mandatarii, & constituentium procuratorem; translata est enim voluntas aliena mandantis, vel constituentis procuratorem in mandatarium, & procuratorem: intelligendum tamen est voluntatem alienam translatam esse in alium, tantum circa illa, quæ specifice committuntur, quando enim transfertur cum clausula generali in procuratorem, aliqui excipiuntur casus, in quibus non censetur translata, de quo toto titulo de procuratoribus.

163. Unde notabis differentiam esse in voluntate aliena translata in procuratorem circa matrimonium, ac circa alios contractus: nam quando quis constituit procuratorem ad contrahendum matrimonium, si à constituente procuratorem revocetur procurario, etiam si notitia talis revocationis non perveniat ad procuratorem, matrimonium contractum non valet: aliter se habet in aliis contractibus: omnes enim validi sunt, etiam si fiant post revocationem procurationis, dummodo non pervenerit revocatio ad procuratoris notitiam. Et ratio diversitatis est, quia in his contractibus potest jus transferre consensum contrahentium, illisque renitentibus dominium transferre potest; non vero in matrimonio, quod constituentis consensum omnino desiderat, qui abest post revocationem, de qua doctrina, videantur Sanches lib. 2. de matrimonio disp. 11. n. 6. Rebello de obligat. justitiæ lib. 2. q. 5. n. 1. & Doctores citati à Barboza in collectaneis ad sextum decretalium ad cap. procurator. de procuratoribus lib. 1.

164. Et circa id quod diximus de matrimonio est textus expressus in dicto capite *procurator*, vbi sic. *Sane, si procurator, antequam contraxerit, à Domino fuerit revocatus: contractum postmodum matrimonium ab eodem, licet tam ipse, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignorarent, nullius momenti existit, cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit.* Cap. procurator de procuratoribus lib. 1.

Circa vero alios contractus deciditur cap. *ex parte* de rescript. & cap. *mandato* de procuratoribus; vbi *mandato procuratorio post litem contestatam à Domino revocato, si hoc ignorante judice, vel adversario, factum fuerit judicium, quod idem quasi procurator postmodum expertus est, ratum esse debebit:* Cap. ex parte de rescriptis. & Clementina unica de renuntiatione ibi: *ut si quis ad cedendum pontificale, aut alii cuilibet dignitati, vel beneficio, procuratorem sponte, ac libere constituerit, & ipsum ignorantem postmodum duxerit quomodolibet revocandum, teneat cessio facta per eum, antequam ad ipsum, vel illius, in cujus manibus cessio fuerit facienda, notitiam revocatio hujusmodi facta fuerit.* Cap. mandato de procuratore.

165. Secundo transfertur voluntas aliena in alium ex dispositione juris, ut voluntas pupillorum in tutorem, & curatorem, voluntas uxoris in maritum, filiorum in parentes, quodcunque enim tutor agit nomine pupilli, censetur factum à pupillo, nam à jure transfertur voluntas pupillorum in tutores, non quidem pro omnibus causis, sed pro iis tantum quæ in pupillorum factæ sunt commodum: authoritas namque, & voluntas tutorum, est eadem authoritas, & voluntas pupillorum: unde si promissa fiant pupillis, promittentes sine authoritate tutorum obligantur pupillis: si vero pupilli promittant, nullatenus obligantur § furiosus de inutilib. stipul.
absque tutorum authoritate. Ita habetur §. *furiosus* instit. de inutilib. stipulationibus. *Ut ubi tutoris authoritas necessaria sit adhibeatur tutor, veluti si ipse obligetur.* Volnit enim jus quod pupillorum voluntas tota translata esset in tutores in his contractibus, ex quibus mutuæ nascuntur obligationes, circa eam tamen tantum partem quæ obligat pupillos, estque in eorum detrimentum: eo quod cum pupilli non sint sui juris defectu planissimæ deliberationis, necessarium fuit ut per jus eorum bonis, & rebus attenderetur & hoc non aliter fieri poterat, quam si pupilli in propria bona nullum jus haberent, nec pro libito de eis disponere possent, sed pro authoritate tutorum in quos translata fuit eorum voluntas circa contractionem obligationum; ut optime Cajus l. ult. §. 1. de verbo-

rum obligationibus, ubi optimam adducit rationem cur filii impuberes non obligantur ex authoritate parentum juxta supra citat. §. furiosus, sed *qui in potestate parentis est, ne authore quidem patre obligatur*, ea est quia patria potestas non est ad contrahendas obligationes, sicut instituta est tutorum authoritas.

§. furiosus de inutilib. stipul.

166. Inde etiam filiorum voluntas transfertur in parentes, ex quo una, eademque vox censetur utriusque, ex §. *quod si* institutis de inutilib. stipulat. *quia vox tua tamquam filii sit; sicut etiam filii vox tamquam tua intelligitur in his rebus, quæ sibi acquiri possunt.* Imo una, eademque persona censetur Pater, & Filius, ut habetur in l. finali C. de impuberum, & aliis substitutionibus, *cum & natura Pater & Filius eadem esse persona pene intelligatur.* Vbi glossa *Vnde quod unus dicit, alter videtur dicere* l. *cum scimus* §. fin. C. de agricol. & censit. Filiorum tamen voluntas à jure civili non est omnino translata in parentes, nisi pro aliquibus casibus tantum, de quo passim in jure.

§ quod si de inutilib. stipul. l. fin. C de impub. & aliis substitut. Glossa ibi l. cum scimus C. de agricol. & censit.

Sed non tantum à jure, sed à fortiori ratione patriæ potestatis transfertur voluntas filiorum in parentes, itaut filii sub patre contineantur, ex quo fit quod infidelium filii baptisari non possint licite invitis parentibus, de quo videantur Theologi. ad 3. partem Suar. tom. 3. disp. 25. Vasq. disp. 155. Gasp. Hurtado de sacramentis disp. 3. difficultate 3. Lugo de sacramentis disp. 9. sect. 7. Diana. 7. p. tractatu 7. resol. 67. Casp. tom. 2. tract. 27. disp. 1. sect. 5. quod intelligunt si parentes non sint servi christianorum, ut bene Suar. disp. 25. sect. 3. §. dico 2. nec filii sint in extrema necessitate, si tamen baptisentur validum erit baptisma ex iis quæ docent Diana, Casp. & Lugo cit.

167. Ultimo voluntas tranfertur ex pacto quod quis acceptavit pro se & in se contentis tamquam dominus, vel pater, ut si pater ineat pactum pro se & filiis, voluntas filiorum transfertur in patrem, ut apparet in pacto Adami.

SUBSECTIO TERTIA.

Explicatur divisio Voluntarii in indirectum, & directum.

168. VOluntarium directum datur, quando voluntas per actum positivum tendit in objectum sive actus immediate, sive mediate, sive virtute profluat à voluntate: indirectum voluntarium est, quando voluntas suspendit, & omittit actum, quin ibi interveniat aliquis actus positivus: ut enim bene notavit Herrera disp. 30. de peccatis q. 2. §. *unde quia*, quando voluntas influit per verum influxum in objectum, tunc directum datur voluntarium, siquidem directe voluntas influit, quando vero voluntas potest influere & non influit, sed omittit actum; tunc datur indirectum voluntarium, eo quod indirecte, & quasi per circuitum censetur voluntas nolle effectum, quod quidem voluntarium, etiam dicitur interpretativum, cum enim voluntas possit influere, si non influit, optime interpretatur noluisse.

169. Hæc igitur divisio in præsenti explicanda est, & quod attinet ad voluntarium directum nihil occurrit dicendum, cum enim versetur circa omnes actus voluntarios, quidquid de his dicitur, de illo etiam intelligendum est: indirectum vero voluntarium, sive omissio, multis & gravissimis implicatur dubiis, quæ in sequentibus expedientur.

170. Ante quod notandum est, apud nullum Auctorem dubium esse, dari voluntarium indirectum, nimirum omissionem, si illius detur causa antecedens, vel directa, vel concomitans, ut si velim omittere sacrum absolute propter ludum, vel studium; causa ergo controversiæ in hoc puncto tota versatur circa omissionem puram, cujus nullus actus sit causa, vel occasio, & per consequens an detur omissio pura, & quomodo dari debeat.

DIFFICULTAS PRIMA.

Vtrum ex natura rei possit dari omissio sine omni actu?

QUæstio est utrum de essentia omissionis sit aliquis actus? Respondetur negative, in hoc conveniunt omnes fere Doctores; Curiel, Vasq. Lorca, Montesinos, Alvares, & Almainus, quos refert, & sequitur Araujo 1. 2. q. 71. art. 5. dub. 1. n. 17. §. 3. Richard. Durand. Gabriel, Adrianus; Major, quos refert, & sequitur Herrera de peccat. disp. 30. q. 1. §. 3. sententia. Bachonus in dist. 43. q. 1. art. 1. & 4. Martines 1. 2. q. 6. art. 3. dub. 1. Carmelit. ibi tract. 10. disp. 2. dub. 4. §. 2. n. 11. asserentes; & merito hanc esse sententiam Angelici Doctoris. Et alii Doctores citandi difficultate 2.

171. Probatur, quia ut omissio sit voluntaria, non petit per se aliquem actum; atqui etiam illud non postulat ex ratione alicujus debiti; ergo nullo modo ex se postulat fieri cum actu. Minorem probabo difficultate 3. Major patet, quia tam libera est voluntas ad amandum, quam ad non amandum; ergo æqualiter potest elicere, & non elicere actum amoris; ergo si immediate voluntas elicit actum, & immediate cum illo conjungitur, etiam immediate omittet, & immediate cum omissione actus conjungetur, quod amplius patebit ex difficultate 2.

172. Oppositam sententiam docuerunt aliqui ex antiquis, quos refert Araujo n. 17. Probant primo, quia ad hoc ut omissio sit voluntaria, requiritur aliquis actus; ergo actus est de essentia omissionis. Antecedens patet ex definitione voluntarii. Respondetur primo negando antecedens ex dictis supra à n. 65. ubi explicavimus etiam omissiones intelligi in illa definitione. Secundo transeat antecedens, nego consequentiam. Nam etiam ad libertatem essentialiter requiritur cognitio, & tamen cognitio non est de essentia libertatis: & ad relationem essentialiter requiritur terminus, qui non est de ejus essentia.

Secundo voluntarie operari est vitaliter moveri, sed motus vitalis, intrinsece & essentialiter includit actum: ergo actus est de essentia omissionis. Antecedens probatur, quia ubicumque est exercitium libertatis, est etiam exercitium vitalitatis: sed de essentia omissionis est esse liberam; ergo etiam de essentia illius erit esse vitalem.

173. Respondetur primo negando antecedens; non enim voluntarie operari, est vitaliter moveri, nec ex hoc sequitur esse mortuam voluntatem, sed sequitur, nec esse viventem, nec mortuam, est enim tantum suspendens actum suum, ut patet in dormiente, qui quando suspendit actum, nec est vivus, nec mortuus. Ad probationem distinguo majorem: ubicunque est exercitium libertatis positivum, est etiam exercitium vitalitatis, concedo: negativum, nego: sufficit enim quod antecedat exercitium vitalitatis præsuppositive, id est cognitio intellectus.

174. Respondetur secundo, & verius distinguo minorem: motus vitalis essentialiter includit actum, motus physicus, concedo, moralis, nego,

tantum enim tunc voluntas operatur vitaliter, moraliter non physice: interpretative non formaliter. Alia argumenta, quibus quidam probare nituntur de essentia omissionis culpabilis non esse actum, esse tamen de essentia inculpabilis, difficultate tertia solventur.

DIFFICULTAS SECUNDA.

Vtrum possit dari omissio sine aliquo actu, qui sit ejus causa, vel occasio?

175. RESpondetur affirmative. Ita ex antiquioribus Richardus, Durandus, Rubeus, Argentinas, Basolus, Angestus, Gabriel, Almainus, quos relatos sequitur Raynaldus 1. p. operis moralis dist. 4. q. 3. art. 3. n. 294. sequitur etiam dist. 2. q. 1. art. 2. n. 33. plures adducit, & sequitur Salas tract. 3. in 1. 2. disp. 1. à n. 21. & tract. 13. disp. 2. sect. 5. n. 82. Sequuntur Suar. tom. 1. metaph. disp. 9. sect. 4. n. 8. & lib. 7. de Angelis cap. 5. n. 18. & tom. 1. de religione tract. 3. lib. 1. cap. 5. n. 6. Azor 1. p. lib. 4. cap. 3. q. 3. Beccan. 2. p. sum. tract. 2. cap. 3. q. 2. n. 4. Bonacin. tom. 2. disp. 2. q. 4. puncto 4. n. 12. Malderus 1. 2. q. 71. §. nil ominus. Cornejo tom. 1. tract. 4. disp. 1. dub. 7. Supponit Ripald. tom. 1. de ente supernaturali disp. ultima sect. 1. à n. 2. Petrus Hurtado de anima disp. 1. sect. 7. Curiel q. 71. art. 5. dub. 1. §. 3. in 1. conclus. Granado tract. 2. disp. 3. n. 3. Roiz de providentia disp. 37. sect. 1. n. 13. & disp. 42. sect. 7. n. 17. Gaspar Hurtado de peccatis disp. 3. difficult. 17. Arriaga de anima disp. 8. Franciscus de Oivedo de anima controvers. 10. punct. 1. §. 3. Ægid. Lus. in manu scriptis ad 1. 2. q. 6. art. 3. disp. 2. §. 3. Herrera disp. 30. q. 1. §. *tertia conclusio*, qui omnes fatentur posse dari omissionem puram sine omni omnino actu.

Addendi sunt Authores, qui licet negent posse dari omissionem sine omni actu absolute, eo quod nostræ animæ potentiæ non possant esse in pura suspensione, quin aliquid exerceant, quod ut asserunt, provenit ex natura potentiarum, intellectus nimirum, & voluntatis, quæ determinatæ sunt ad nunquam cessandum; possunt enim cessare ab hoc, vel illo actu, non tamen ab omni, eo modo, quo voluntas potest evitare hoc, vel illud peccatum, non tamen omnia, concedunt tamen non esse necessarium, quod talis actus sit causa vel occasio omissionis, cum sufficiat, quod tantum concomitanter se habeat, & in his terminis nostram sententiam defendunt Valent. disp. 2. q. 1. disp. 6. q. 1. punct. 2. Medina 1. 2. q. 71. art. 5. Lorca disp. 5. de actibus. Araujo. 1. 2. q. 71. art. 5. dub. 2. §. dico 2. Ægid. de Coninch. de actibus supernaturalibus disp. 3. de bonitat. & malit. dub. 15. n. 204.

Pro hac etiam sententia citari debent Doctores, qui docent voluntatem omittere posse sine omni actu physice, & non moraliter, id est pro brevissima morula, non vero pro multo tempore, & in hac sententia sunt Valent. citat. disp. 6. punct. 4. Medina citat. In eadem etiam est. P. Vasq. qui à contrariis pro sua opinione citatur: hoc enim docet 1. 2. disp. 92. cap. 2. n. 7. & 8. & disp. 128. n. 5. ubi admittit dari posse puram omissionem sine aliquo actu, quando videlicet voluntas propositis duobus bonis, uno levius, altero efficacius potest suspendere actum circa unum, & alterum objectum, sed pro parva morula, & hoc negari non posse ibi affirmat, licet neget posse dari omissionem peccaminosam sine aliquo actu.

Hanc etiam sententiam putant meliores Thomistæ esse D. Thomæ 1. 2. q. 6. art. 3. in corpore D. Thom. ad. 1. & ad 2. q. 71. art. 5. & 22. q. 79. art. 3. in corpore, ad. 1. expressius in 2. dist. 35. q. 1. art. 3. quibus in locis docet actum per accidens tantum se habere ad omissionem, non vero requiri per se, ita enim habet citato loco secundi: *quandoque omissionis peccatum est cum actu interiori, ut cum aliquis vult non ire ad Ecclesiam: quandoque vero absque omni actu, vel interiori, vel exteriori, sicut cum aliquis hora, qua tenetur ire ad Ecclesiam, nil cogitat de eundo, vel non eundo*, &c. Et eodem loco: *potest hoc modo prætermittere aliquid, quod ejus contrarium non velit, nec de ejus contrario cogitet, nec etiam de aliquo alio, quod sit per se impedimentum ejus, quod facere tenetur.* Quæ loca adeo sunt clara pro nostra sententia, ut Carmelitani infra citandi n. 27. & oppositæ sententiæ assertores, fateantur in illis expresse D. Thomam nostram docuisse sententiam, sed ab eo postea mutatum esse, ubi vero, non ostendunt clare. Subtilis Doctor in hac quæstione nullum præbuit Scot. assensum, indecisam enim eam reliquit in 1. dist. 1. q. 3. n. 18. versu *posset*

176. Probatur primo conclusio fundamento à priori: voluntas est libera, tam libertate contrarietatis, quam libertate contradictionis; ergo sicut immediate potest velle, vel nolle objectum libertate contrarietatis, ita etiam immediate potest non velle suspendendo actum. Antecedens admittitur ab omnibus Theologis: consequentia probatur, quia libertas primo, & immediate dividitur in illa duo membra; ergo sicut libertas contrarietatis immediate, & æqualiter respicit utrumque actum, ita etiam libertas contradictionis respuit immediate, & æqualiter respicit actum, & ejus omissionem, aliter libertas contradictionis non conveniret voluntati, nisi media libertate contrarietatis.

Respondent primo aliqui apud Durandum in 2. dist. 35. q. 2. n. 7. & in 3. dist. 33. q. 2. n. 6. ad hoc, ut voluntas habeat dominium supra omissionem debere esse medio aliquo actu positivo, quo voluntas exerceat suam causalitatem, eo quod diversum quid sit non exire in actum, diversum vero exercere causalitatem supra illud non exire, hoc autem fieri non potest sine aliquo actu, quo voluntas velit non exire in actum.

177. Sed contra quia non magis liber est actus positivus per se ipsum, quam omissio; atqui ideo ille actus positivus est liber, quia ita elicitur immediate, ut possit non elici, aliter si ad hoc, ut eliceretur, requireret actum positivum, de hoc eodem exurgeret quæstio, & sic procederetur in infinitum; ergo similiter omissio per se libera erit, quatenus ita elici potest, ut immediate eliciatur sine aliquo actu positivo, aliter cum hic actus, qui necessario fingitur requiri, sit liber, etiam poterit omitti, & hæc omissio requireret alium actum, per quem omitteretur, & sic procedendum foret in infinitum. Confirmatur, quia si Deus deneget omnem concursum voluntati ad actum malum, adhuc voluntas poterit omittere bonum, & tunc non omitteret per actum aliquem, hic enim foret malus, cum esset ad omittendum bonum, ad actum autem malum ex suppositione nullus datur concursus Dei: quod vero posita suppositione, voluntas posset omittere bonum, ex eo constat, quia de ratione voluntatis operantis libere non est, quod sit formaliter activa circa actus contrarios, sed quod possit agere, vel non agere.

178. Respondent secundo voluntatem posse suspendere hunc, vel illum actum, non tamen omnem, saltem dum vigilamus, & intelligimus,

eo

eo quod hoc postulet status nostræ naturæ. Sed contra primo, quia ex hac responsione tantum sequitur voluntatem non posse esse sine aliquo actu, non tamen quod statim iste actus debeat esse occasio, vel causa omissionis; potest enim voluntas posita advertentia rationis occupare se in hoc actu (volo aperire Breviarium) præscindendo ab Horarum recitatione, non excludendo, neque volendo illam, & sic occupata potest perseverare usque ad ultimum instans horæ, in quo omittit recitationem culpabiliter, & per consequens omittit voluntarie; siquidem culpa supponit voluntarium, & tamen non datur ibi actus, qui sit occasio, vel causa omissionis; ergo, &c. Minor patet, quia apertio Breviarii non est actus impeditivus recitationis, imo est dispositio prævia ad illam.

179. Dices illum actum non esse absolute impeditivum recitationis, esse tamen ut continuatur. Verum hoc est confundere opiniones; jam enim omnis actus ablativus omissionis esset illius impeditivus, & jam nulla foret inter Doctores dissensio, sed tantum de nomine certamen, & insuper si quis, cum pervenit ad primam vigiliam pro exercitio suæ libertatis actum omittat; tunc nullus dabitur actus; qui sit illius omissionis occasio.

Secundo, infringitur eadem responsio, quia ille actus, quicunque sit, non necessitat voluntatem; ergo est liber; ergo etiam suspendi potest; ergo ne procedamus in infinitum, fatendum est suspendi posse per omissionem puram sine aliquo actu talis omissionis occasionativo.

180. Nec satisfit; si dicas voluntatem exercere libertatem suam circa hunc, vel illum actum divisive, non tamen collective; itaut manere possit sine omni actu. Contra enim est, quod voluntas ex opposito, jam non esset libera libertate contradictionis, quæ postulat, quod actus omittatur immediate, non vero mediate media libertate contrarietatis, ut enim volitio est libera immediate, & ratione sui independenter ab omni alio actu adjuncto, per hoc solum, quod in potestate nostræ voluntatis est, ita similiter omissio ipsius volitionis.

Respondent tertio Carmelitani n. 28. etiam hoc argumentum solvi debere in nostra sententia, ex eo, quod ut omissio sit voluntaria; requiratur præceptum non omittendi: verum hæc responsio futilis est; ut etiam futile est illud præceptum, quod requirit ad hoc, ut omissio sit voluntaria, de quo difficultate tertia.

181. Probatur secundo conclusio. Pura suspensio actus, si sit contra præceptum, est culpabilis, de quo cum communi Theologorum sententia disp. 4. à n. 514. & constat ex illo Iacobi 4. vers. 17. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi*; ergo talis suspensio voluntaria est. Probatur consequentia, quia ratio culpæ, vel supponit, vel includit rationem voluntarii. Iacob. 4.

182. Tertio. Argumentor ex absurdo. Præcipiat Deus voluntati, ut eliciat aliquem actum, abstrahendo ab hoc, vel illo (hoc autem præceptum nullum habet inconveniens) tum sic si suspensio pura absque alio actu dari non potest, sequitur tale præceptum violari non posse. Probatur, quia vel violaretur per puram omissionem ejus actus, vel per aliquem actum: si primum, habetur intentum, si secundum jam non violatur præceptum, cum enim præceptum sit, ne aliquis actus exerceatur, non potest servari tale præceptum exercendo actum.

183. Respondent aliqui posse violari dictum præceptum per volitionem omittendi omnem actum. Verum hæc responsio se ipsam infringit: primo, quia eo ipso quod elicitur ea volitio, jam datur operatio, & actus; atqui præceptum est de non faciendo actu; ergo per illam omissionem impleretur tale præceptum. Secundo, quia illa volitio, si efficax foret, ut esse debet, implicationem involvit, implicat enim cum volitione omittendi omnem actum, dari aliquam volitionem, cum sit actus.

184. Quarto. Si omissio absque aliquo actu non potest esse voluntaria, aut ille actus est liber, aut necessarius: non necessarius, aliter omissio libera non foret, cum procederet ex causa necessaria; si liber, jam voluntas poterit illum actum elicere, vel non elicere; ergo si non eliciat, dabitur omissio pura.

185. Tandem probatur argumento insinuato supra n. 178. quia dato non posse dari omissionem sine aliquo actu positivo, non sequitur necessario hunc actum fore causam, vel occasionem omissionis. Sequela probatur, quia si intellectus proponat duo objecta non opposita, sed disparata, ut studium, & votum, voluntas potest elicere actum utriusque objecti, vel suspendere utrumque actum simul, ut enim cognitiones simul sunt disparatæ in intellectu, ita etiam omissiones; & actus in voluntate disparati erunt; atqui ex eo quod actus sit incompossibilis cum omissione, provenit actum esse omissionis causam; ergo cum possit dari actus compossibilis cum actu, quo privat omissio, omissio illa non erit causata ex illo actu. Confirmatur ex primo actu libero illius, qui pervenit ad usum rationis, vel exurgit à somno, cum enim sit primus non supponit priorem, & cum sit liber, optime omitti potest, ac per consequens ratum maneat posse dari, imo sæpe dari omissionem puram absque ullo actu, qui illius sit causa, vel occasio.

Solvuntur argumenta opinionis contrariæ.

Oppositam sententiam, quod scilicet non possit dari omissio pura actus sine aliquo actu, qui illius sit causa, vel occasio, docent Lorca disp. 15. de peccatis sect. 4. Montesinos t. 2. disp. 2. q. 2. n. 9. §. Eis non. Alvares disp. 124. Capreolus, Cajet. Banhes, Victor, Conrad. Tumel, Martines; Puteanus, Albertus, Henriq. Abulensis, Vasq. quos referunt, & sequuntur Carmelit. tract. 10. disp. 2. dub. 1. §. 1. n. 4. Videtur D. Bonavent. in 2. dist. 35. in exposit. litter. D. Thom. voluntque esse D. Thomæ q. 71. art. 5.

Verum ex his Doctoribus Capreolus in 2. dist. 35. circa secundam conclusionem, ubi citatur, nil de hac quæstione loquitur; solum enim ibi asserit, quod voluntas possit moveri ab objecto medio consilio, & reddi de indifferenti determinata ad tale objectum. Vasq. pro nobis est, ut supra vidimus: solum enim asserit non posse dari omissionem sine aliquo actu peccaminosam, non enim loquitur de voluntaria; Henriq. vero quodlibet. 10. q. 24. vers. talis, aliter intelligi debet; ait enim duplicem actum esse radicem omissionis, disjunctive tamen, aut positivum; aut interpretativum: *interpretativus vero* (ut bene explicat Vitalis Tavolius ejus scholiastes) *ut cum voluntas detinet illum occupatum in eo, quod quidem est licitum suapte natura, tamen ob circunstantiam temporis nequaquam* Ex quo non colligitur Henriquem negasse omissionem sine aliquo actu.

186. Probant primo, quia posita advertentia

non potest voluntas ab actu cessare, nisi aut volendo cessare ab actu, aut volendo aliquid cum actu incompossibile. Probatur antecedens, quia non potest quis videre se non posse ab actu desistere, nisi uno ex his duobus modis. Respondetur negando antecedens: non enim datur aliquod principium, per quod voluntas necessitetur ad illum actum; non enim est Deus, aliter si actus foret peccatum, voluntas à Deo necessitaretur ad peccandum: non est ipsa voluntas, cum potius ad oppositum voluntas sit indifferens: non est etiam bonitas exercitii actus, cum enim actus non necessitet, minus necessitare poterit bonitas exercitii; cum ergo voluntas non necessitetur ad aliquem actum, liberè poterit omittere omnem actum, quin ibi interveniat, aliquis, qui ejus sit causa vel occasio.

187. Inferes; ergo voluntas poterit cessare ab omni actu per totius vitæ spatium, cum non detur major ratio, cur cesset in parvo tempore, quam in multo. Respondetur negando illationem, ut enim voluntas potest parvo tempore non peccare, non tamen in toto temporis spatio, ut Theologi latè docent in materia de gratia: occurrunt enim tot occasiones volendi, vel nolendi, ut impossibile sit moraliter, ut in aliqua, nec velit, nec nolit.

188. Secundo. Pura omissio non est volita: ergo non est voluntaria. Antecedens probatur, quia si fuisset volita, esset volita per actum positivum formaliter. Respondetur distinguendo antecedens, pura omissio non est volita formaliter, physice, concedo; interpretative nego: licet enim omissio non sit volita per actum physicum volendi, est tamen volita per actum interpretativum: cum enim possit voluntas, & advertat se posse, si non facit, censetur noluisse facere.

189. Et quia in isto actu interpretativo est tota vis solutionum argumentorum, explicandus est, qualis sit: actus enim interpretativus non est aliquid superadditum voluntati per modum actus tendentis in omissionem, velut in objectum, sed est ipsa voluntas potens non omittere, & omittens; ac proinde omissio est idemmet actus interpretativus, & ideo omissio formaliter non est volita, tanquam objectum, sed est voluntaria tanquam actus eo modo, quo actus elicitus formaliter non est volitus per aliquem actum, sed tantum virtualiter, & se ipso: Unde licet omissio non addat aliquid physicum positivum voluntati; addit tamen aliquid moraliter: quam moralitatem non ponit judicium viri prudentis interpretantis voluntatem noluisse: sed ponitur ab ipsa voluntate, quæ cognoscitur à prudenti judicio moraliter mutata, ante omissionem enim voluntas poterat omittere, & non omittere in actu primo, posita omissione potest non omittere, & omittit in actu secundo.

190. Quæ quidem doctrina explicari potest aliqualiter exemplo peccati habitualis; homo enim peracto peccato actuali dicitur esse in peccato, voluntatemque in complacentia habituali peccati, ista autem habitualis cõplacentia non est aliquis actus physicus, & formalis voluntatis, sed tantum interpretativus, quia cum voluntas teneatur resipiscere, & non resipiscat, interpretatur voluntatem sibi in peccato præterito complacere: per illam enim complacentiam, quasi conservatur actus peccati præteriti: unde tale peccatum habituale, quandiu manet, formaliter est voluntarium, sed volitum tantum per actum interpretativum, nimirum per ipsam voluntatem sibi complacentem. Vt igitur peccatum habituale censetur voluntarium, quin aliquid superaddatur physicum voluntati, sed tantum morale, complacentiam nimirum, sive voluntatem complacentem qua interpretatur voluntas velle illud peccatum, quod potest non velle, si jam de illo pœniteat, ita omisio pura non superaddit aliquid physicum voluntati, sed tantum morale, nimirum ipsam voluntatem omittentem, quatenus poterat non omittere, & omittit.

191. Quare argumenta, quæ contra actum interpretativum faciunt Carmelitani citati n. 16. non impugnant actum explicatum, sed alium à se ipsis confictum: asserunt enim actum interpretativum non esse in omittente, sed in intellectu interpretantis, quamvis enim iste actus interpretativus in intellectu interpretantis sæpisime detur, non tamen est actus interpretativus, de quo hic est sermo; ex quo similiter corruit id, quod dicunt, videlicet, quod actus iste supponat omissionem voluntariam, & per consequens etiam volitam, corruit enim, quia iste actus non supponit omissionem, sed est ipsa omissio, similiterque futile est id, quod addunt, nimirum actum interpretativum esse conditionatum, cum enim sit ipsa omisio exercita, conditionatus esse non potest.

Tertio. Probant suam sententiam. Omne voluntarium, vel est formale, vel virtuale; atqui pura omissio neutro modo est voluntaria: ergo absolute voluntaria non est. Minor probatur, quia voluntarium formale tale est per actum positivum formalem: Voluntarium virtuale, cum in virtute alterius voluntarii formaliter voliti fiat, supponit voluntarium formale; atqui pura omissio non est per actum formalem, nec fit in virtute voluntarii formaliter voliti, aliter pura non esset: ergo non est voluntaria.

192. Respondetur negando minorem: est enim pura omissio, voluntaria formaliter: voluntarium enim formaliter non est solus actus physicus, & formalis, sed omne id, quod per se, & ratione sui immediate elicitur à principio intrinseco, sive à voluntate, qualis est pura omisio. Unde duplex est voluntarium formaliter, seu per se; unum realiter positivum, repertum in actibus formalibus voluntatis; alterum realiter negativum, inventum in puris omissionibus; quæ non solum formaliter, sed etiam voluntariæ sunt, directè & per se: non enim minus est in potestate voluntatis directe influere, quam suspendere influxum propter duplicem facultatem virtualiter distinctam conceptam in eadem realitate voluntatis: unam ad faciendum, alteram ad suspendendum actum: à priori facultate sunt actus formales physici; à posteriori omissiones: sicut etiam dicimus omnipotentiam divinam agere, & cum influit, & cum suspendit influxum.

193. Quarto. Nemo potest omittere actum externum, nimirum auditionem sacri, verbi gratia, nisi quiescat, dormiat, aut ad alia loca pergat, in quibus sacrum non dicitur, vel saltem deliberet quid facere debeat: atqui hæc omnia sunt actus positivi incompossibiles cum actu externo; ergo saltem non dabitur omissio sine actu respectu actus externi. Respondetur distinguendo consequens: ergo non dabitur omissio respectu actus externi, sine actu, qui omisionis sit causa, vel occasio, nego: qui concomitanter, vel consequenter se habeat, concedo: in præsenti autem non est quæstio, an posit dari omisio sine actu: certum enim est semper intervenire aliquem actum; sed est quæstio utrum talis actus debeat esse causa, vel occasio, quod negamus, cum voluntas non omittat propter

illos actus, sed omittit, quia vult, & ex omissione ad alia negotia determinatur.

194. Quinto. Ex omissionibus sæpius repetitis producuntur quidam, & quidam corrumpuntur habitus: atqui corruptio, & generatio habituum non potest esse, nisi per actum positivum: ergo in omissionibus semper reperiri debet aliquis actus. Respondetur distinguo majorem; ex omissionibus sæpius repetitis producuntur, & corrumpuntur habitus per se, nego; per accidens, concedo: idest licet pura omissio, quia est quid negativum non producat effectum physicum, nimirum habitum, nec simul destruat alium habitum per se, tamen per accidens defectu exercitii unum potest ponere, & alium destruere: Verbi gratia licet omissio non producat habitum vitiosum, nec simul destruat habitum virtutis, quia ad positionem habitus vitii destruitur; tamen, quia omittens exercitium virtutum, locum præbet voluntas inordinatis passionibus, ut suos actus exerceant, quibus habitus vitiosi producuntur, & virtuosi corrumpuntur, inde est quod per accidens gignant vitia, & virtutes corrumpant.

195. Et eadem doctrina applicanda est omissionibus, quando sunt volitæ in alio objecto incomposaibili cum re omissa: nam licet per actus illos incompossibiles producantur habitus studii, verbi gratia, non tamen producitur habitus vitii, eo quod illa indirecta volitio non sit physica, sed moralis; & ut actus incompossibilis cum re omissa tendit indirecte in omissionem; ita etiam habitus productus tendit formaliter in actus similes illis, à quibus productus fuit, & virtualiter in similem omissionem: quando verò omissio directè est volita, producitur habitus directè, & formaliter inclinans in volitiones omissionis. Ita Salas in solutione septimi argumenti.

196. Sexto. Voluntas quando voluntarie omittit, suam exercet libertatem, & est in usu, quia jam est determinata, sed non potest determinari, & esse in usu sine aliquo actu positivo; ergo semper iste requiritur. Respondetur negando minorem; nam voluntas, non solum se reducit de actu primo ad secundum per actum positivum, sed etiam per voluntariam omissionem, quæ dici potest actus positiuus interpretativè, & in hoc differt etiam potentia libera à necessariis; quia potentiæ necessariæ semper reducuntur de actu primo ad secundum per actum physicum positivum: libera vero etiam reducitur per puram omissionem, cum enim potentia libera in actu primo sit indifferens ad velle, & non velle, determinari potest ad non valle per suspensionem actus, quæ est usus ejus vitalis, subjectaturque ista omissio in ipsa entitate voluntatis, & pro fundamento haber libertatem contradictionis.

197. Instabis. Omissio est privatio, sed privatio non inducitur, nisi media forma negata: ergo omissio non inducitur, nisi medio actu formali, qui est forma negata omissionis. Respondetur distinguendo minorem, privatio physica, & potentiæ necessariæ non inducitur, nisi media forma negata, concedo: privatio moralis, & potentiæ liberæ, nego: ratio diversitatis est, quia cum potentiæ necessariæ sint contrariæ inducunt privationem media forma negata: at potentia libera, cum se ipsa terminetur ad talem privationem, eam introducit ex vi positivi actus interpretativi, ut enim voluntas determinatur se ipsa ad actum ex vi facultatis influentis, ita etiam immediate se ipsa determinatur per omissionem ad alteram partem contradictionis negativam, quæ repræsentata fuit, ut conveniens; & delectabilis bonitate quidem late accepta, eo modo, quo carentia vitæ sæpè sæpius concipitur ut bona.

198. Præter hæc argumenta alia afferunt Carmelitani, quibus existimant convincere: arguunt igitur septimo. Voluntas non est principium voluntariæ omissionis, nisi ut est vitalis, & activa; atqui hæc activitas non potest esse directa in ipsam omissionem; ergo necessario debet esse in aliquem actum, ratione cujus voluntas, ut agens, sit causa non agendi. Respondetur negando minorem, cum enim hæc activitas sit libera, & activitas potentiæ liberæ consistat æqualiter in posse agere, vel non agere; sicut exercet activitatem liberam directè eliciendo actum positivum, ita eandem exercet directè omittendo, quæ activitas omittendi solum est propria potentiæ liberæ, eo quod sola potest elicere, vel non elicere actum, nec minus libera est cum elicit, quam cum omittit actum, nec immediatius actum elicit, quam omissionem. Dicitur verò omissio voluntarie indirecta, non quod directè non profluat à voluntate, sed quia quasi per circuitum censetur voluntas noluisse quod omittit.

199. Octavò arguunt, estque argumentum, in quo nimis fidunt Carmelitani. Pro quo supponunt primo ad hoc ut omissio sit voluntaria egredi debere à principio intrinseco, vitali, & activo, & per consequens terminare influxum talis principii. Secundo. Omne exercitium principii voluntarii, sive directum per actum positivum, sive indirectum per omissionem, necessario esse in ordine ad suum objectum specificativum, extra cujus limites transilire non potest potentia. Tertio, quando voluntas omittit aliquid circa suum objectum specificativum, ipsam non versari circa illud, tanquam circa bonum; sed tanquam circa malum, eo quod omissio sit veluti fuga, quæ pro objecto malum, non bonum habet, & ideo actus interpretativus, per quem explicatur non est prosecutio; sed fuga objecti omissi. Quarto. Omissionem ipsam concipi non posse, ut bonam, sed ad plurimum concipiendam esse, ut utilem, veluti medium ad finem delectabilem. His positis.

Arguunt. Repugnat voluntatem influere in omissionem; & reddere eam voluntariam, nisi ex motione sui objecti specificativi; quod est bonum, seu finis: atqui bonum, & finis non potest movere voluntatem absque aliquo ejus actu; ergo absque illo nulla omissio est voluntaria. Consequentia patet, major constat ex secundo præsupposito, & insuper ostenditur, quia natura voluntatis essentialiter sita est in eo quod sit mobilis à suo objecto specificativo; ergo sicut omne ejus exercitium quocunque modo voluntarium debet fundari in ejus natura, & ab ea originari, ita etiam debet fundari in motione prædicti objecti, & ab ea ortum ducere.

Minor probatur primo, quia bonum, seu finis non movet voluntatem, nisi attrahendo illam ad se: atqui voluntas non trahitur ad objectum, nisi per actum; ergo, &c. Probo minorem, quia voluntas per omissionem potius retrahitur ab objecto, quam ad objectum attrahitur. Secundo, quia ut intelligamus voluntatem moveri à fine, & ex hac motione exercere se circa alia, quæ non sunt ipse finis, prius debemus intelligere voluntatem, ut se exercentem circa finem recipientemque hujusmodi finis influxum medio aliquo effectu, quæ sit ratio cujuslibet alterius exercitii voluntatis: atqui talis effectus non potest esse omissio; ego erit aliquis actus. Minor patet, quia iste effectus de-

bet esse prosecutio : atqui omissio est fuga : ergo non sufficit omissio. Major patet, quia iste effectus est respectu finis : atqui fuga non est respectu finis, sed mali oppositi; ergo, &c.

Confirmatur, quia eo ipsu quod objectum specificativum voluntatis est determinate bonum, omnes actus fugæ, qui versantur circa malum supponunt aliquem effectum, sive actum voluntatis erga ipsum objectum bonum, in cujus virtute voluntas exerceatur circa malum, ut sæpe sæpius docet Angelicus Doctor : atqui omissio est fuga : ergo debet supponere prædictum affectum, & per consequens sine illo nulla omissio dari poterit.

200. Hoc argumentum multa secum involuit, quorum quædam falsa, quædam vera sunt : separemus vera à falsis. Primo verum est omissionem non posse esse voluntariam, nisi egrediatur à principio activo, & vitali, ut sæpe diximos in hac q. præcipue à n. 35. ad 53. & à n. 54. ad 64. Est enim voluntas, ut causa est omissionis, potentia vere physica, ut bene contra Cajet. & Hurtado, probat Oviedo in lib. de anima controversia 10. punct. 1. §. 2. & Suar. in Metaphys. disp. 19. sect. 4. n. 8. docens facultatem voluntatis ad suspendendum actum esse perfectionem intrinsecam positivam, explicari tamen per negationem, & ratio est clara, quia tam vere, & intrinsece voluntas est potentia libera active ad suspendendum actum, quam ad faciendum : illa enim omissio factibilis, & operabilis est à voluntate libera, libere enim voluntas omittit, & non metaphorice, per quod corruit fundamentum, quo Hurtado de Incarnat. disp. 62. sect. 3. docet voluntatem metaphoricè agere tantum in omissionem. Ex quo primum præsuppositum Carmelitanorum verum est.

201. Secundo, etiam secundum præsuppositum verum est, nimirum omne exercitium voluntatis versari circa suum objectum specificativum; hoc enim clarum est, quia nulla potentia vitalis versari potest extra suum objectum; ad hoc tamen ut versetur circa illud duo requiruntur : primum est cognitio intellectus : secundum est motivum objecti : utrumque enim requiritur ad hoc, ut voluntas operetur, sive faciendo, sive omittendo actum.

202. De cognitione constat, quia voluntas est potentia cæca : ergo debet dirigi, allici, & inclinari ab intellectu, hoc fit media cognitione; ergo à cognitione dependet voluntas, ut omittat, cum enim omissio necessario dependeat à cognitione, ut ab aliquo, à priori requisito, dicendum est necessariam esse cognitionem, de quo videantur quæ diximus supra à n. 41. ad 53.

203. De motivo patet, quia cognitio non movet voluntatem, nec voluntas à cognitione dependet, nisi in quantum cognitio proponit objectum, quo moveatur voluntas; ergo illud objectum, ut proponitur à cognitione, est motivum, quo voluntas omittit. Sitne istud motivum intrinsecum, an extrinsecum; intrinsecum esse fatetur Didacus Roiz disp. 37. de provident. sect 1. n. 13. extrinsecum vero tantum esse, & non intrinsecum affirmant Suar. lib. 12. de grat. cap. 2. n. 9. Arriaga citatus subsect. 3. Oviedo citat. §. 5. n. 39. qui satis fuse hoc discutit punctum. Et merito, quia motivum est illud, quod proponitur voluntati per cognitionem : atqui ad eandem omissionem possunt proponi diversa motiva disparata, quorum cum neutrum intrinsecum sit omissioni, intrinsecum enim motivum semper necessario comitatur actum, dicendum est motivum illud esse extrinsecum, immediatum (applicatio enim ponitur ex parte agentis) & quasi interpretativum, & virtuale, ex eo præcise, quod omissio dependeat à cognitione proponente.

204. Tertio. Verum esse voluntatem non versari circa suum objectum, nisi ut repræsentatur bonum, falsum tamen esse actus fugæ versari circa malum, quod explico, namque duo actus contrarii dantur in nostra voluntate : unus dicitur prosecutionis respectu boni; alter fugæ respectu mali: ille est volitio, nolitio iste, qui dicitur fuga, non quia tendit in malum sub ratione mali, sed quia habet malum pro objecto materiali, ad quod tendit sub ratione boni, videlicet non vult voluntas studere, quia oppositum ei bonum videtur, ac proinde uterque actus est veluti affirmatio, & negatio : tendit enim voluntas per fugam in negationem boni, quod per volitionem vult, sicut intellectus assentiendo affirmat, & dissentiendo negat : unde nolitio non est mera negatio, est enim actus quidam positivus, estque volitio licet per negationem explicetur, quæ negatio posita est ex parte objecti, non vero ex parte actus : cum enim dicitur, nolo studere, idem est, ac volo non studere, ac proinde actus fugæ non retrahit voluntatem ab objecto, imo trahit voluntatem ad oppositum ejus, quod fugit, de quo disput. 3. à n. 195. Nec hæc doctrina videri debet nova Carmelitanis, siquidem ipsi loco supra citato n. 38. vers. *& si urgeas*, eam admittunt, ita enim habent : *& si urgeas talem nolitionem, ut pote actum fugæ, præsupponere aliquam volitionem circa prædictum motivum, ex qua originetur : Responderi potest non semper præexigere aliam volitionem formalem, quoniam ipsa nolitio virtualiter, & implicite est simul volitio talis motivi.*

205. Similiter etiam in voluntate datur actus, & ejus omissio : omissio est per modum fugæ, & respondet nolitioni, non enim vult actum, aut objectum actus, quo privat : interpretative tamen dicitur nolle per modum fugæ illum actum, & velle non esse talis actus, & ratione hujusmodi volitionis trahitur voluntas ad objectum, sive ad oppositum actum, licet retrahatur ab actu, qui omittitur, ut in nolitione apparet. Quibus positis

206. Patet quid respondendum sit ad argumentum, concedo majorem ex rationibus ibi assignatis, nego minorem, ad primam probationem distinguo minorem, atqui voluntas non trahitur ad objectum, nisi per actum physicum, nego; etiam interpretativum, concedo, per omissionem autem non retrahitur voluntas, nisi ab objecto, & actu omisso, cum trahatur ad objectum non omissum, ut explicavimus n. 203. & 204. ad probationem neganda est major, superfluus enim est affectus talis distinctus ab ipsa omissione, ut de nolitione ipsi Carmelitani citat. n. 33. affirmant: non enim datur major ratio de nolitione, quam de omissione. Ad confirmationem neganda est major; supponit enim objectum omissionis esse malum, quod est falsum, ut vidimus n.   Alia argumenta circumferuntur, quæ ex dictis facilem habent solutionem.

DIFFICULTAS TERTIA.

Utrum ut omissio pura sit voluntaria, requiratur aliquod debitum in omittente?

207. EST quæstio utrum, ut voluntas censeatur voluntarie omittere, requiratur, quod sit ad stricta aliquo præcepto? Repondetur negative. Ita Bachonus in 2. dist. 43. q. 1. art. 3. Vasq.

disp. 24. c. 4. Valent. disp. 2. q. 1. Suar. tract. 2. in 1. 2. disp. 1. n. 7. Salas tract. 3. disp. 1. sect. 4. n. 36. referens Angestum Durand; & Palarios, Granad. controuers. 2. tract. 2. §. 3. disp. 3. n. 7. Malderus. 1. 2. q. 6. art. 3. disp. 28 Raynaud. dist. 2. q. 1. art. 2. o. 35. Herrera de peccatis q. 33. in 2. & 3. conclus. qui §. *ultima sententia*, asserit hanc sententiam colligi ex Scoto. Monresinos disp. 9. q. 4. n. 67. asserens esse magis communem inter Thomistas, Alvares 1. 2. q. 6. disp. 34. quorum sententia est ad omissionem voluntariam sufficere, quod quis possit omittere, & advertat se omittere, quamvis non teneatur omittere.

Probatur primo, quia voluntas, seclusa quacunque obligatione est libera libertate contradictionis; ergo sicut libere potest elicere actum, ita etiam potest omittere. Tum sic. Illa omissio absque obligatione est libera; ergo etiam voluntaria. Consequentia patet, quia voluntarium est superius ad liberum, & necessarium; ergo licet voluntarium possit non esse liberum, liberum tamen semper erit voluntarium: quid enim magis voluntarium esse potest, quam quod libere fit à principio intrinseco præcedente cognitione? Confirmatur, quia illud est voluntarium, cujus domini sumus, atqui sine præcepto aliquo voluntas habet dominium supra omissionem; ergo sine præcepto omissio voluntaria erit.

Respondet Cornejo tract. 4. disp. 1. dub. 10. & ex eo Carmelitani citati n. 56. in voluntate dari libertatem contradictionis in potentia, quæ ad actum reduci non potest, si deficiat præceptum; eo quod ut voluntas esset libera, & voluntaria in actu, necessarium erat, quod intelligeretur talem omissionem procedere ab ipsa voluntate, quod sine præcepto intelligi nequaquam potest. Idem respondet ad confirmationem, nimirum, quod simus domini omissionis in potentia, ac proinde duplex distinguit voluntarium, unum in potentia, alterum in actu: primum dari posse ait sine præcepto, non tamen secundum, eo quod non appareat per quid voluntas censeatur omittere. Quam doctrinam, ut etiam reliquam accepit à Curiel 1. 2. q. 6. art. 2. dub. 2. §. 4.

208. Verum solutio hæc non solvit, sed involvit difficultatem: etenim ex ea sequitur primo voluntatem, amoto omni præcepto, liberam non esse libertate contradictionis. Sequela patet, quia si voluntas sine præcepto non potest omittere actualiter, sine præcepto eliciet actum positivum necessario. Et hoc probo, nam in illo instanti, vel tempore, quo absque ullo præcepto elicit actum, aut voluntas potest proxime, & expedite omittere actualiter, aut non potest: si primum, sine præcepto omittet, si secundum, jam non habet potentiam ad omittendum, & necessario non omittit; ergo & necessario elicit actum oppositum: *quando enim ex duobus unum fieri non potest, & alterum solum potest fieri, quod fit necessario, & non libere fit.*

209. Secundo. Quod intelligatur, aut non intelligatur ab aliquo, quod voluntas omittit, parum refert ad illud, quod in re fit, dummodo qui operatur intelligat se facere, vel omittere ex displicentia, aut complacentia facti. Deinde non potest requiri præceptum, ut voluntas censeatur omisisse opus externum: nam si urgente tentatione quis prematur, ut actum malum exerceat: si nullatenus ei consentiat, sed tantum negative se habeat, licet nullum urgeat præceptum omittendi, vel faciendi, procul dubio censebitur voluntatem non voluisse consentire, sed omisisse libere, atqui tunc nullum urgebat, ut suppono, præceptum non omittendi, sed potius obligatio omittendi, quæ quidem etiam apud contrarios non sufficit ad interpretandam omissionem voluntariam, ut videre est apud Curiel dub. 3. in 4. conclus. & ejus transcriptorem Cornejo dub. 11. nulla etiam datur obligatio faciendi actum positivum, aliter omissio illa mala foret: ergo absolute sine præcepto voluntas est principium sufficiens, ut absque ullo actu omittat.

210. Tertio. Ut omissio, sive negatio amoris sit extremum libertatis contradictionis, non requiritur quod sit negatio actus debiti, sed actus præcogniti, & repræsentati tantum cum indifferentia; ergo frustra requiritur illud præceptum. Antecedens patet, quia alterum extremum positivum libertatis contradictionis non requiritur, quod sit actus debitus; aliter voluntas libere non posset elicere aliquem actum sine præcepto; ergo nec requiritur, quod alterum extremum negativum sit negatio actus debiti, nam extrema immediata habent conditiones oppositas, & cum unum extremum non postulet, quod sit debitum, nec alterum id postulabit.

211. Quarto. Quando quis omittit die feriali audire sacrum, non solum est in potentia, sed etiam in actu non audiendi, redacta enim est voluntas ad actualem omissionem audiendi sacri; ergo quando volontas omittit, non est tantum in potentiali, sed etiam in actuali libertate. Antecedens patet, quia quandiu homo est in potentia tantum, ad non audiendum sacrum, non verificatur de illo, quod actu non audiat sacrum, atqui de illo homine verificatur, quod non audierit actualiter sacrum; ergo est in libertate actuali, & per consequens amplius aliquid habet, per quod interpretetur omisisse; hoc autem est exercitium libertatis, sive omissio actualis, per quam voluntas dicitur moraliter mutata.

212. Probatur secundo conclusio principaliter. Obligatio illa non facit, quod omissio sit voluntaria; ergo seclusa obligatione omissio voluntaria erit. Antecedens probatur, quia vel illa obligatio requireretur essentialiter, vel ut conditio logica; non primum, aliter in definitione voluntarii explicaretur, saltem implicite, illa obligatio: quod tamen non explicatur, nec Aristoteles, Damas; Nemesius, aut D. Thomas, qui definitionem tradiderunt, aliquam mentionem faciunt de illa; solum enim asserunt ea, quæ in nostra potestate sont voluntaria esse; ergo talis obligatio fictitia est. Non secundum, quia iam nec per divinam potentiam daretur voluntarium pure omissivum sine tali obligatione; hoc autem verum non esse constat, si quis à tyranno, vel ab amico tenetur, ut ex contrariis fatentur Curiel citato loco, Cornejo citat. §. *vel secundo*.

213. Tertio probatur conclusio. *Gradus communior a contractiori oriri non potest* cum enim sit prior, à posteriori ortum non ducit; non enim ideo homo est animal, quia rationabilis, nec ideo vivens, quia animal; sed potius ideo est animal, quia vivens, & ideo rationabilis, quia animal, atqui ratio voluntarii est gradus communior, & abstractior, quam sit præceptum; ergo impertinens est talis obligatio non omittendi. Minor probatur, quia ratio voluntarii reperitur sine tali obligatione, ut apparet in voluntario positivo, non tamen reperitur actus præceptus sine voluntario, cum nec sine libertate valeat reperiri. Confirmatur, quia præceptum non facit rem voluntariam, sed prohibitam; ergo supponit, & non causat voluntarium. Antecedens probo ex eo, quod præceptum non

dat majores vires voluntati, nec causat aliquam connexionem inter voluntatem, & ejus suspensionem; ergo tantum facit, quod illa omissio sit culpabilis. Antecedens probatur, quia voluntarium est à principio intrinseco intermedia cognitione; atqui voluntas absque ullo præcepto est principium intrinsecum, ita liberum, ut est posito præcepto; ergo dummodo repræsentetur objectum, quocunque modo suspensio erit voluntaria.

214. Tandem probatur, quia ad actum formalem voluntarium non requiritur præceptum: ergo nec ad actum interpretativum. Antecedens traditur etiam à contrariis. Consequentia probatur, quia actus interpretativus includitur in actu formali opposito: verbi gratia in isto actu formali, volo ludere tempore sacri, includitur iste actus interpretativus, nolo audire sacrum; & constat quia, *quod ex aliquo necessario consequitur, necessario in illo aliquo modo includitur*, sed ex isto actu, volo ludere tempore sacri, colligitur actus interpretativus, nolo audire sacrum: ergo actus ille interpretativus includitur in isto formali. Tum sic, ad actum formalem non requiritur præceptum; ergo neque ad actum interpretativum. Probo consequentiam, quia *causa, quæ sufficit ad causandum includens, sufficit etiam ad inclusum*, & quæ potest producere essentiam, producit etiam proprietates consequentes.

Solvuntur argumenta contraria opinionis.

Requiri præceptum, ad hoc ut voluntas possit omittere, defendunt præcipui Thomistæ Cajet. Conrad. Medina, & Victor 1.2.q.6.art. 3. Sairo, Navar. citat. à Salaen. 85. Curiel dub. 2. §. 3. in 2. conclus. Cornejo dub. 10. §. 2. conclus. Azor lib. 4. cap. 3. q. 6. Lorca ad locum D. Thom. disp. 2. Puteanus ibi, Carmelitani tract. 10. disp. 4. dub. 2. §. 1. Martines ibi dub. 5. §. 2. conclus. ubi docet omissionem ea se non requirere præceptum, requirere tamen illud in exercitio, ac proinde eorum Authorum sententia est non posse voluntatem voluntarie omittere, nisi teneatur ex præcepto omittere.

Probant primo. Vt voluntas censeatur omittere, debet reduci de statu indifferenti ad determinatum; ergo debet habere aliquid amplius, quando determinatur. Tum sic. Istud, quod amplius voluntas habet, non est aliquid physicum, ut omnes fatentur, non morale, si secludas obligationem faciendi; non enim est considerabilis aliqua moralitas in illa omissione: aut enim esset bonitas, aut malitia, aut indifferentia: mala esse non potest, cum non sit contra præceptum; minus potest esse bona, aliter foret honesta, & meritoria, contra communem Theologorum sententiam: indifferens in individuo esse non potest, cum non detur actus indifferens in individuo; ergo illud morale non potest esse, nisi quod provenit ex præcepto.

215. Respondetur concesso primo enthimemate, simulque supperaddi aliquid morale quod quidem non est imputabile; ratio enim moralitatis communior est ratione imputabilitatis, nam omnis actus imputabilis moralis est, non è contra, ac proinde erit illa omissio indifferens, ut disp. 5. à n. 110. dicendum est.

216. Dices. Morale sumitur per ordinem ad regulam rationis, sive præceptum; ergo si illa omissio est moralis, erit præcepta. Respondetur, morale proprium, & contractum sumitur per ordinem ad regulam rationis, & præceptum, concedo, morale improprium, & absolute, nego: in duplici enim genere est morale, quoddam enim tale dicitur, quia pertinet ad mores, & hoc est proprium, semperque imputabile ad laudem, vel vituperium: quoddam vero dicitur, quia cum in se nil sit physicum, pertinet tamen ad usum hominum, & morem physice, quale reperitur in omnibus denominationibus extrinsecis; ut in valore pecuniæ, doctoratus, & magistratus, titulis, aliisque similibus, moralia enim sunt, sed improprie, de quorum numero est omissio.

217. Secundo. Actus interpretativus dari non potest sine præcepto; ergo nec omissio. Antecedens probo, quia non apparet aliquod principium, ex quo interpretemur moraliter voluntatem esse mutatam, nisi detur aliqua obligatio. Respondetur negando antecedens, ad probationem nego antecedens; ipse enim omittens cognoscens se omisisse optime interpretari potest se voluisse omittere, interpretatio enim externa parum refert ad omissionem.

218. Tertio. Quando quis non tenetur vitare effectum, qui sequitur ex omissione, non censetur causa talis effectus, nec effectus illi attribuitur; ergo similiter si voluntas non teneatur vitare omissionem, non censebitur illam causare; ergo non erit illa omissio voluntaria. Patet hæc consequentia, quia de ratione voluntarii est, quod procedat à principio effectivo, vel quasi effectivo. Respondetur; transeat antecedens, de quo in difficultatibus sequentibus. Nego consequentiam; potest enim voluntas interpretative velle omissionem, effectum nec velle, nec nolle: quod in contrariorum sententia manifestum est; potest enim quis actu positivo velle omissionem & non effectum secutum: eo modo quo potest quispiam causare actum positivum, non vero effectum ab illo actu prodeuntem, ut nimirum quis comedat cibos, ex quibus secutura est pollutio, ad quorum abstinentiam non tenetur; illa enim pollutio non est causata voluntarie à comedente cibos.

219. Instabis: *Quidquid est causa causæ, est causa causati*, sed omissio est causa effectus; ergo qui est causa omissionis, est etiam causa effectus subsecuti. Respondetur; explico majorem, quidquid est causa causæ, est causa causati, per se, concedo, per accidens, nego: omissio est causa effectus, est tamen causa per accidens, non per se, cum possit effectus ab alio evitari, sed de hoc iterum difficultate sequenti erit sermo.

220. Quarto. Voluntas non est causa libera alicujus actus, quin illius sit causa moralis; atqui voluntas non est causa moralis omissionis; ergo nec libera. Probatur minor, quia voluntas non confert omissioni bonitatem, vel malitiam; ergo non est illius causa moralis. Respondetur primo, negando majorem, de quo disp. 2. num. 92. non enim causa libera coincidit cum morali, possunt enim dari plures actus liberi, non morales. Respondetur secundo: transeat major, nego minorem; omissioni enim voluntas potest conferre bonitatem, vel malitiam, cum possint esse omissiones bonæ, vel malæ, ut de omissione bona videbimus disp. 3. à n. 697. & de mala disp. 4. à n. 514. Respondetur tertio negando consequentiam, quia potest dari omissio indifferens, de quo disp. 5. à n. 100.

221 Quinto. Qui voluntarie permittit peccatum, peccato consentit, atqui qui non tenetur succurrere, non consentit: ergo illa permissio non erit voluntaria. Tum sic, si quis omittit persuadere amico, ne aliquem occidat; permittit illam occisionem; ergo illa omissio ex

eo non est voluntaria, quia deficit obligatio. Respondetur distinguendo majorem, qui voluntarie permittit peccatum peccato consentit, si tenebatur non permittere, concedo, absolute nego; aliter Deo hominum peccata tribuerentur, eique poterunt imputari, quia permittit homines peccare, à quibus peccatis homines poterat Deus retardare.

222. Sexto. Carentia operationis non tribuitur agentibus non debentibus operari; sed agentibus quæ operari debent; non enim privatio illuminationis, aquæ tribuitur, sed soli; ergo similiter in agentibus liberis omissiones tribuendæ sunt illis, qui tenentur operari. Respondetur negando antecedens: namque negativa carentia illuminationis, est negativa aquæ, & privativa soli, non quia debet, sed quia potest operari; privationamque solum tribuitur subjecto apto ad formam tribuendam: similiter omnibus inanimatis carentia actus humani tribuitur, tamquam negatio, voluntati vero tamquam privatio; ex eo tantum quod potest operari, & non operatur, non autem ex eo, quod tenetur operari.

Quare cum plures Authores contrariæ sententiæ viderint tale præceptum stricte sumptum non esse necessarium, ad hoc ut omissio sit voluntaria, asseruerunt verum esse, quod non requiratur præceptum stricte, sed latè sumptum, nimirum honestatis, consilii, vel consuetudinis: ita Azor. 1. p. lib. 4. cap. 3. q. 6; quem sequuntur aliqui juniores; & probabile esse dicit Araujo supra citat. n. 19.

223. Et probant primo, quia omnis privatio est carentia formæ debitæ, atqui carentia actus, ad quem voluntas non tenetur non est debita; ergo non est privatio; ergo nec voluntaria. Respondetur negando ultimam consequentiam, latius enim patet omissio voluntaria, quam omissio debita; illa enim spectat, ut quis faciat quod potest: ista, ut quis faciat quod debet.

224. Dices; ergo modo mihi erunt voluntariæ plurimæ omissiones. Probatur antecedens, quia possum excitari ad actus varios, studii nimirum orationis, & similium, per piam cogitationem, aut prædicatorem: atqui si nullos elicio actus, omnes illos omitto; quia cum possim elicere, non elicio; ergo jam plurimæ darentur omissiones. Respondetur concedendo antecedens; dummodo tales actus repræsententur ut simul possibiles, nam si repræsentantur ut simul impossibiles, illorum omissiones non erunt voluntariæ.

225. Secundo. Voluntas non potest transire ad actum secundum, nisi per aliquid de novo adveniens; atqui non apparet, nisi aliqua obligatio; ergo cum hæc non debeat sumi stricte; saltem large sumenda est. Respondetur negando minorem; est enim propositio omissionis, & actus intellectus; estque ipsa omissio, ut cognita, & animadversa existens, & conveniens; quæ tamen tempore antecedente non sic erat. Nec dicas potentiam non mutari à cognitione; licet enim non mutetur physicè, mutatur moraliter, imò etiam physicè, sæpissime voluntas mutatur per cognitionem, de quo supra num. 151. & disp. 2. num. 217.

DIFFICULTAS QUARTA.

Utrum eventus ortus ex omissione voluntarius sit, quamvis nullum detur præceptum?

226. VT verà sententia proponatur, advertendum est primo in indirecto voluntario duo involvi: primum est omissio actus interioris eliciti, & exterioris imperati, ut quando quis non vult eleemosynam pauperibus impendere, non solum intervenit suspensio, & omissio internæ volitionis, sed etiam externæ actionis, qua quis eleemosynam pauperibus attribuit: utraque autem omissio est voluntaria in se; elicita immediatè: imperata vero mediatè, seu ratione prioris, & internæ omissionis: eodem enim modo philosophandum est in omissionibus, atque in actibus positivis: hic namque optime applicatur illud Aristotelis, *sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis*, id est proportionato modo, sicut affirmatio oritur ex affirmatione, ita ex negatione negatio; cum igitur actus elicitus, & imperatus immediate, & directe in se voluntarii sint, elicitus per se ipsum, imperatus vero per elicitum, eodem modo omissiones elicita, & imperata immediate in se voluntariæ sunt, elicita per se ipsam, imperata per elicitam: de omissione elicita in superioribus difficultatibus disputatum est, de imperata disputabimus difficultate 5. n. 252. Aristot.

227. Alterum, quod in indirecto voluntario invenitur, est eventus ortus, & causatus ex prædicta omissione elicita, vel imperata, ut mors, vel naufragium subsecutum, ex eo quod aliquis videns, omisit subvenire extreme agenti, vel gubernare navem naufragantem, in quo casu, nec mors, nec naufragium voluntarium est in se, etiam indirecte, sed solum quatenus in omissione priori, virtute continetur.

228. Advertendum est secundo duplex genus eventus distinguendum esse, unum est eventus, qui per se sequitur ex causa, sive ex omissione præcise sumpta: Verbi gratia, si quis videat ex certo exercitio, vel usu ciborum processuram esse pollutionem: alterum est eventus, qui per accidens tantum sequitur; idest non ex vi omissionis, sed ex aliis adjunctis, ita tamen quod hic, & nunc infaillibiliter sequatur, & sequi prævideatur. De utroque igitur eventu resolvenda est difficultas, & primo de eventu per se, secundo de eventu per accidens secuto ex omissione.

Resolvitur difficultas de eventu per se.

Eventus prævisus causari per se, ex omissione est voluntarius, licet nullum interveniat præceptum. Ita Valent. disp. 2. q. 1. puncto primo ad 2. Suar. citat. sect. 4. n. 8. & sect. 5. n. 9. Vasq. disp. 24. cap. 3. n. 7. & 9. Sanches lib. 9. de matrim. disp. 45. n. 33. Salas tract. 3. disp. prima sect. 5. n. 46. (licet asserat, si formaliter loquendum esset, nec eventum per se, nec per accidens esse proprie voluntarium) Granado disp. 4. n. 2. Montesinos disp. 9. q. 5. Raynaud. dist. 2. q. 1. art. 2. n. 35. Carmelit. tract. 10. disp. 4. dub. 2. §. 3. n. 52. indicat Araujo in prima 2. q. 71. art. 5. dub. 1. §. ad 5.

229. Probatur, quia *qui vult causam, vult etiam necessario effectum virtualiter in ea contentum, si effectus ex causa necessarie, & per se sequatur*: atqui non vult effectum ratione alicujus præcepti, sed ratione continentiæ, & connexionis virtualis in causa; ergo qui vult omissionem, necessario etiam vult eventum secutum per se, quin detur aliquod præceptum ratione tantum connexionis virtualis. Consequentia est optima, quia eventus per se ortus ex omissione necessario continetur in ipsa omissione, ex qua oritur. Major est proloquium Philosophorum, quod constat ex duobus aliis proloquiis etiam à Iuristis approbatis: primum est, *qui vult antecedens, vult similiter consequens*, quod

affert Barbosa in suis principiis juris lit. C. n. 103. secuodum est, *annexo, & connexo, idem est judicium*, adducitor ab eodem Barbosa lit. A. n. 87. Minor, in qua videtur esse aliqua difficultas, probatur: nam etiamsi nullum detur præceptum, ille effectus necessario sequitur ex vi omissionis, parum enim interest ad physicam connexionem obligatio, si enim aliqui cibi necessario causarent pollutionem, tam connexa esset pollutio cum causa, si fieret, vel non fieret ex præcepto; cum ergo volitio eventus oriatur ex connexione illius cum omissione, ubi primum detur conuexio necessaria, & per se inter omissionem, & eventum; tam voluntaria erit omissio, ac eventus ex ea ortus. Adverte tamen hanc connexionem debere esse practicam, non enim sufficit speculativa, de quo alibi.

230. Probatur secuudo. Talis eventus per se pendet saltem mediate à voluntate cum cognitione; ergo est voluntarius. Consequentia constat ex definitione voluntarii. Antecedens patet, quia euentos per se pendet, & immediate ab omissione, ab eaque prævidetur futurus: sed omissio est voluntaria; & pendet immediatè à voluntate; ergo eventus erit voluntarius, mediateque à voluntate dependebit.

231. Dices. Voluntas non influit in illum eventum; ergo ab illa, nec mediate dependet. Antecedens probo, quia vel voluntas influit physice, vel moraliter: non physice, quia intantum influit in eventum, in quantum est causa omissionis, omissio cum sit quid negativum, non potest esse causa eventus positivi, nec voluotas ratione omissionis: non moraliter, nam ad moralitatem requiritur obligatio. Respondetur negando antecedens: ad probationem respondeo voluntatem infloere physicè in eventum, non propter aliquem influxum physicum, sed propter causalitatem privativam, & puram omissionem, quam causat: cum enim ista omissio sit per se oecessario connexa cum effectu, causa immediata omissionis, erit causa mediata eventus, qui ex illa necessario oritur: sic eoim iste eveutus à voluntate physicè interpretativè, oon quidem per influxum positivum, sed propter non influxum in actum elicitum, eo quod ex tali non influxu necessario sequitur eventos: eo modo, quo si Deus suspenderet concursum ad pluviam, esset causa mediata damni illati segetibus, & plantis.

232. Confirmo hoc argumentum, nam ut fatentur contrarii, voluntas nullam habet connexionem cum eventu, qui per accidens ex omissione sequitur, habet tamen connexionem moralem, si apponatur præceptum; ex illa enim connexione eventus dicitur voluntarius moraliter; ergo similiter si connectatur eventus cum omissione essentialiter, erit voluntarius, non quidem moraliter defectu præcepti, sed physice respectu connexionis physicæ, quam habet cum omissione.

Oppositam sententiam docens aliqui ex Thomistis 1.2.q.6.art.3. Ubi Lorca disp.2. §. *& quia*, Malderus disp. 29. Curiel dub. 2. in 1. concluf. ejus translator Cornejo dub. 9. §. *conclusio*; qui duo posteriores Doctores, licet se non explicent, absolutè tameo loquuntur: verum est quod Cornejo n. 29. §. *respondetur* oppositum satis indicat.

Probant primo autem, Iam nostra peccata Deo essent volootaria; hoc est absurdum; ergo & illud ex quo sequitur. Major probatur, nam ex dispositione rerum à Deo volita, ipsique efficaciter voluntaria, prævidet Deus plura secutura fore peccata infallibiliter; ergo si eventus, qui per se oritur, est voluntarius, voluntaria erunt Deo nostra peccata, quæ ex dispositione rerum à Deo volita prævidentur infallibiliter secutura.

233. Respondetur primo negando majorem; nam illa peccata, non per se, sed per accidens oriuntur ex omissione auxilii efficacis, quod autem per accidens sequitur ex omissione voluntaria, oon est voluntarium, ut statim dicemus. Præcipue, quia Deus non vult illa peccata, quin potius vult oppositum, ad quod tribuit auxilia sufficientia, quibus homo poterat, si vellet peccatum vitare; tantum igitur Deus permittit peccata, voluotas vero permittens nec est voluntaria, nec involuntaria, sed abstrahit ab utroque; imo si proprie loqoendum est, habet admixtum aliquid involuntarii, ut infra probandum est n. 806.

234. Respondetur secundo negando minorem cum Salas disp. 1. sect. 5. n. 43. & sect. 13. n. 169. quod postea approbavit Raynaud. dist. 2. q. 1. art. 2. n. 36. uterque enim hanc propositionem approbat, *peccata voluntaria sunt Deo*; intelligunt tamen physicè, non moraliter, permittendo, non volendo; Deus enim odit impium, & ejus impietatem: cum eoim Deus sit causa universalis, nec seneatur concursum impedire, id, quod non impedit, quamvis uon sit volitum, est voluntarium physice; quare non erat cur Salas à Vasqueo disp. 24. cap. 3. n. 10. Curiel citat. Granado tract. 2. disp. 4. n. 7. Montesinos citat. & ab aliis absurditatis notaretur. Quæ responsio Salas confirmari potest ex eo, quia plus offendit affirmare illa peccata esse à Deo volita, quam esse voluntaria: contrarii verò videntur affirmare esse volita, cum ex dictis eorum constet eventus secutos ex omissione esse volitos, uon voluntarios.

Probant secundo. Eventus, qui per se sequitur ex actu positivo voluntatis, uon est voluntarius; ergo nec eventus qui sequitur per se ex omissione. Antecedens probo, quia si quis velit emittere sagittam cum periculo occidendi aliquem hominem, non adhibita sufficienti diligentia ne illum occidat, statuit tamen se nolle occidere hominem, si emissa sagitta homo occidatur, ista occisio erit involuntaria, licet prævideatur in omissione sagittæ futuræ; ergo ex illo actu positivo voluntatis emittendi sagittam, occisio orta non est voluntaria.

235. Respondetur negando antecedens cum Doctoribus non solum uostræ, sed contrariæ sensentiæ. Ad probationem respondetur illam occisionem esse involuntariam in se, & voluntariam in causa, eo qnod virtute contineatur in causa, quam libere posoit. Vnde eveutus ille tribuendus est voluntati ad culpam: punctum enim difficultatis utrobique est idem: nam licet eveutus sit involuntarius in se, est tantum inefficaciter, efficaciter vero est voluntarius, siquidem sequitur per se ex vi omissionis, illumque non impedit secundus nolitionis actus, cum uon apponat sufficientem diligentiam, quod necessarium erat, ne voluntarius censeretur.

236. Inferes; ergo idem eventus erit simul voluntarius, & involuntarius. Respondetur distinguendo illationem, diverso modo, & respectu diversorum, concedo, eodem modo, & respectu ejusdem, oego, est euim voluntarius efficaciter in causa, involuntarius in se, & inefficaciter: eodem modo, quo circa idem objectum versatur voluntas efficax, & inefficax opposita, ut apparet in projiciente merces in mare, & in omni voluntario ex metu; & in divina voluntate, quæ inefficaciter vult omnes homines salvos fieri, efficaciter vero reprobat.

237. Tertio. Ex nostra conclusione plura sequuntur

quuntur absurda. Primum, mortes innocentum voluntarias esse illis, qui destruunt civitatem aliquam. Secundum, pollutionem ortam ex confessione, aut ex studio, voluntariam esse confessori, vel studenti, si prævisa non impediatur. Tertium, submersionem navis voluntariam esse illis, qui cum poterant navim salvare, illi non occurrerunt, quia non tenebantur. Respondetur negando antecedens, ad probationem respondeo omnia exempla, quæ afferuntur esse voluntaria physice, non moraliter: nam ad primum sufficit permissio illa non impediendi, & non removere prohibens, licet enim hoc non sit proprie causalitas, est tamen improprie, & sufficiens ad voluntarium physice, ad morale enim requiritur præceptum, & obligatio, sine quo non imputaretur ad culpam. Et juxta hanc responsionem non est reddenda ratio doctissimo Curiel quærenti §. 2. in multis, cur ille actus sit voluntarius habenti præceptum, & involuntarius non habenti præceptum? Eo quod uterque ille actus sit voluntarius illi, qui non obligatur, physice: ei autem, qui obligatus est, moraliter.

238. Instat Curiel, & ex eo Cornejo, quia principium morale, vel est solum principium voluntarium, & liberum, vel est etiam illud, quod subjicitur regulis rationis; atqui voluntas utroque modo se haberet respectu illorum eventuum; ergo vel illi eventus erunt moraliter voluntarii, vel nullo modo physicè. Minor probatur, quia non potest voluntas esse principium illorum eventuum, nisi quatenus est principium omissionis: atqui non potest esse principium omissionis, nisi in libera est, de quo disputatione 2. à n. 92. operatur cum subjectione ad regulas rationis; ergo eodem modo se habet quando operatur libere, ac moraliter. Confirmatur ex Aristotele 3. Ethicor. cap. 1. docente nihil esse voluntarium, si laude, aut vituperio dignum non sit; ergo si illi eventus sunt voluntarii, laude & vituperio digni erunt: non sunt digni laude; ergo vituperio; sunt digni vituperio; ergo morales: solum enim morale imputari potest ad culpam. Respondetur voluntatem esse principium morale, quatenus subjicitur regulis rationis, non tamen semper tenetur voluntas operari cum illa subjectione, multoties enim sine illa operatur, ut disp 2. à n. 92. dicendum est, non enim idem est esse principium liberum, ac morale. Ad confirmationem jam responsum est supra n. 18. loquitur enim de voluntario morali, & non physico tantum.

Aristot.

239. Vrgent. Ille homo omittens non operatur conformiter ad rectam rationem; ergo operatur difformiter. Probatur consequentia, quia causa moralis ad minus est illa, quæ causat per ordinem ad rectam rationem difformiter, vel conformiter. Antecedens probo, quia operari difformiter, est oppositum operandi conformiter; ergo si ille homo non operatur conformiter ad rationem, operabitur difformiter. Respondetur negando antecedens; non enim operatur conformiter, nec difformiter rectæ rationi: non difformiter, quia non prohibetur: non conformiter, quia nulla ratio consulit, vel præcipit eventum: tantum enim permissive se habet voluntas, non attendens ad id, quod recta ratio dictat, eritque euentus voluntarius solum physicè, non moraliter, sed de his disp. 2. n. 240. & 241.

240. Dices: velle actu formali damnum alterius est malum; ergo etiam velle actu interpretativo. Consequentia probatur, quia actus interpretativus æquipollet formali. Respondetur distinguendo antecedens: velle actu formali absoluto, & complacentiæ, damnum alterius, est malum, concedo: actu permissivo, nego: hoc enim modo Deus permittit omnium hominum mala opera, quæ licet possit impedire, non impedit: & tamen Deo non imputantur, quia in eis operibus non sibi complacet, nec ad ea impedienda tenetur aliquo præcepto. Consequentia distinguenda etiam est: actus enim interpretativus æquipollet actui formali proportionato, ut permissivus permissivo.

241. Resolvitur difficultas de eventu per accidens secuto ex omissione. Eventus, qui per accidens ex omissione sequitur, nec physicè est voluntarius. Ita communiter Doctores. Probatur à priori, quia voluntas non potest esse principium illius eventus; ergo eventus secutus non est voluntarius. Antecedens probo; quia vel eventus esset à voluntate physicè, vel moraliter: hoc secundum inficiantur etiam contrarii: primum dici non potest, quia ex eo voluntas foret causa illius eventus, vel quia influeret in effectum, vel quia influeret in omissionem, in qua virtute eventus contineretur propter essentialem connexionem, atqui voluntas non influit in eventum, solum enim voluntas omittit per suspensionem actus, suspensio autem, cum sit negatio, non potest esse causa eventus positivi, cum *nulla negatio sit causa affirmationis*. Deinde eventus per accidens sequitur ex omisione, & per consequens nullam connexionem cum omissione habet; ergo non apparet aliquid, per quod voluntas influat in illum eventum.

242. Contrarium sentiunt Salas sect. 5. n. 46. Raynald. n. 35. Primo, quia si apponatur præceptum non omittendi, eventus erit voluntarius; ergo etiam non apposito præcepto voluntarius est. Antecedens probabitur infra à n. 246. Consequentia patet quia præceptum supponit, & non facit voluntarium, ut supra n. 212. cum de omissione sermo fuit probavimus, & inde probatur, quia ideo ille effectus prohibetur, quia voluntarius est, si enim voluntarius non foret, neutiquam caderet sub præcepto. Respondetur ex Suar. sect. 5. n. 10. negando consequentiam, ad probationem nego antecedens, si loquamur de voluntario pure morali, non verò de physico, ut eo loco locuti fuimus: quia licet voluntarium istud sit prius, quam culpabile, non tamen est prius, quam sit præceptum: sufficit enim ut imponatur præceptum, quod persona, cui imponitur sit capax operationis voluntariæ in actu primo, quam in actu secundo facit præceptum voluntarium, eo quod mutatur habitudo moralis objectorum, tum inter se, tum in ordine ad operantem. Ex quo patet responsio ad probationem hujus antecedentis: ideo enim prohibetur actus, quia est voluntarius in actu primo.

243. Instabis. Præceptum semper est per ordinem ad actum secundum; ergo non sufficit, quod eventus sit voluntarius in actu primo, ad hoc, ut cadat sub præcepto. Antecedens probatur, quia si libertas impediretur perpetuo ad actum secundum, nullus daretur locus imponendi præceptum voluntati. Respondetur negando consequentiam, aliud enim est supponere actum secundum, aliud vero imponi præceptum per ordinem ad actum secundum, ad hoc enim sufficit, quod voluntas possit exire in actum secundum, ad primum verò quod actualiter existat actus secundus: præcepta autem attendunt actus, & per ordinem ad illos imponuntur, non tamen eos supponunt, nisi quatenus virtualiter continentur in causa.

244. Addendum est materiam supra quam cadit præceptum, jam supponere voluntarium in

actu ſecundo, nimirum omiſſionem, denuo vero præceptum tantum operatur, us voluntarium omiſſionis dirivetur in eventum, qui quamvis phyſicè oriatur per accidens ex ea, accedente tamen præcepto, oritur jam per ſe moraliter propter connexionem inductam per obligationem, ut ſubtiliter notavit Vaſq. diſp. 24. cap. 4. n. 20. cum enim non poſſit ille effectus per accidens dependere à voluntate, niſi mediante præcepto, ex eo erit, quia hoc cauſat connexionem eventus cum omiſſione.

Secundo. Præceptum negativum non cadit in opus, niſi ut eſt cauſa per accidens effectus prohibiti: atqui non eſt cauſa per accidens, niſi in quantum potuit impediri; ergo ſine præcepto effectus erit voluntarius. Conſequentia probatur, quia voluntarium conſtituitur in dependentia actus præſuppoſita cognitione: atqui dependentia actus à voluntate non eſt major poſito præcepto, quam erant ante præceptum: ergo ante præceptum effectus erit voluntarius, ſiquidem nulla ratio voluntarii addita eſt cauſæ per accidens, à qua oritur.

245. Reſpondetur negando conſequentiam, quia ante præceptum, non poterat voluntas influere, etiam moraliter in eventum, & ideo ille eventus ſine præcepto ſolum eſt volitus objective, non voluntarius effective. Ad probationem reſpondetur diſtinguendo minorem, ſed dependentia à voluntate, non eſt major poſito præcepto, quam erat ante præceptum, phyſicè, concedo, moraliter, nego: deinde nego conſequentiam: additur enim connexio moralis inter illum eventum, & ejus cauſam, namque ante præceptum ſolum datur cauſalitas per accidens, & permiſſio tantum per accidens, quæ impertinens eſt ad voluntarium, nulla enim connexio dabitur inter eventum & omiſſionem; poſito autem præcepto connectunur interſe eventus, & omiſſio moraliter, ratione cujus connexionis eventus ſecutus eſt voluntarius, *qui enim vult cauſam, vult etiam effectum connexum cum illa*: ex quo iſtud voluntarium eſt omnino morale ſine aliqua admixtione phyſica, quæ interveniat inter cauſam, & effectum, ſolumque ſupponit voluntarium phyſicum in potentia, ideſt virtutem phyſicam voluntariam.

246. Quod verò poſito præcepto eventus ſecutus per accidens ex omiſſione ſit voluntarius, tradunt communiter Authores, & patet, quia poſito præcepto vitandi cauſam, ne ſequatur eventus, cauſa, & eventus ſortiuntur rationem unius objecti diſconvenientis, & vitandi à voluntate; ergo ſi voluntas velit cauſam, cenſebitur velle etiam effectum. Confirmatur primo quia quod facit phyſica virtus cauſæ, imitatur moraliter præceptum; ergo ſi effectus ortus per ſe ex omiſſione eſt ſine aliquo præcepto voluntarius phyſicè, etiam eventus ortus per accidens ex omiſſione poſito præcepto erit voluntarius moraliter. Secundo, ratione præcepti tenetur homo evitare effectum, quantum poteſt; ergo etiam cauſam vitare tenebitur, quia licet præceptum ſit phyſicè extrinſecum, intrinſecum tamen eſt moraliter propter neceſſariam connexionem quam inter cauſam, & effectum moraliter cauſat.

247. Ex quo ſequitur, ſi quis non teneatur ex officio, aut charitate ſuccurrere navi naufraganti, aut amico periclitanti, aut pauperi egenti, & ſimilibus, ſi non ſuccurrat, ſubmerſio navis, mors amici & pauperis ſequutæ, erunt permiſſæ, non voluntariæ: idemque eſt ſiquis duobus extreme indigentibus alimentum non præſtet, ſed tantum uni, cui ſtrictiùs tenetur ex charitate ſubvenire, alterius mors ſecuta illi non eſt voluntaria, ſed permiſſa.

248. Si tamen teneatur quis ex præcepto juſtitiæ, vel charitatis ſuccurrere, eventus ſecutus ex omiſſione voluntarius erit. Inde eſt, quod naufragium ſecutum, ex eo quod nauclerus omiſit navem debito modo dirigere, eſt nauclero voluntarium, qui ulterius tenebitur ad reſtitutionem damni illati, quia obligatio naucleri erat de juſtitia: cæteris verò, qui poterant ſuccurrere navi ſubmergenti, ſubmerſio erit voluntaria, quia ex charitate tenebantur, ſi id abſque notabili periculo vitæ, vel alio gravi damno illato præſtare poterant, non tamen tenerentur damnum reſtituere, quia ex juſtitia non obligabantur.

DIFFICULTAS QUINTA.

Expediuntur aliquot dubia circa voluntarium indirectum.

249. ALiqua superſunt dubia expedienda, quæ in ſuperioribus difficultatibus locum habuiſſent, tamen ad hunc ea reſervavi, ut confuſionem evitarem. Primum dubium eſt, utrum non ſolum poſſit dari omiſſio pura hujus, vel illius actus, ſed etiam omnium actuum voluntatis; itant ſola omiſſio illa detur in voluntate? Reſpondetur affirmative. Ita Oviedo citato loco de anima, qui latè quæſtionem hanc expendit. Ratio eſt, quia voluntas poteſt ſe ſuſpendere ab hoc, vel illo actu diviſive; ergo etiam ab omnibus. Probo conſequentiam, quia ex eo voluntas ſuſpendit hunc actum, quia illum libere elicere poteſt: atqui omnes actus ſimul liberè exercere poteſt; ergo poterit omnes ſuſpendere, dabiturque omnium omiſſio: non enim datur major ratio, cur omittat hunc actum, eo quod liber eſt, & non omittat omnes, ſi omnes liberi ſunt.

250. Dices Voluntatem non eſſe liberam circa omnium actuum collectionem, ſed naturaliter ad aliquem ex omnibus inclinari, licet enim non verſetur neceſſario circa hunc, vel illum diviſive, verſatur tamen circa unum ex omnibus, quia neceſſario inclinatur ad bonum, ideo pro libertate ſua cohiberi non poteſt ab omni actu exercendo. Sed contra, quia neceſſitas voluntatis oritur ex bonitate objecti propoſiti ſine aliqua ratione mali; ergo ſi omnia objecta propoſita habuerint aliquam admixtionem mali, ſive diſconvenientiæ, quæ ſemper reperitur in omni objecto creato, voluntas circa illa verſabitur libere, non neceſſario. Confirmatur, quia illa objecta collectivè ſumpta habent eandem bonitatem, ſingulorum diviſive; ergo ſi ſingula non habent bonitatem, qua neceſſitetur voluntas, no etiam illam habebunt collectivè ſumpta; nec eſt eadem ratio de peccatis, quæ vitare poteſt diviſivè, non tamen collectivè: non eſt enim eadem ratio, quia voluntas propter urgentes tentationes, & naturæ lapſæ defectus non poteſt omnia mala vitare, cum vero vulnerata non ſit natura in libero arbitrio, multitudo objectorum, quæ ſummam bonitatem non perficiunt, non poterit voluntatem neceſſitare, quod vero inclinetur ad bonum, non tollit libertatem, quando bonum non eſt ſummum.

Oppoſitum docent plures recentiores, quos retulimus ſupra: ſequitur tenaciter Didacus Roiz de Provideot. diſp. 42. ſect. 2. 161. ad cujus probationem multa adducit argumenta, quæ ex dictis ſolui poſſunt; ſoluit citat. Oviedo. Principale autem eſt, quia ſi detur omiſſio omnium actuum collectivè, non poterit voluntas ſe reducere ad

actum secundum; ergo ne maneat in perpetua omissione actuum, neganda est talis omissio. Antecedens probatur, quia posita illa omissione, non apparet aliquid, per quod reducatur ad exercitium suarum actionum. Probat hoc antecedens, quia voluntas non potest inchoare aliquam volitionem liberam sine aliqua volitione præcedente: atqui volitio qua voluit omittere omnes actus non reducit voluntatem, nec relinquit in voluntate aliquid ratione cujus se possit determinare ad aliqoem actum, sequitur, quod voluntas non habeat per qoid reducatur ad exercitium suarum actionum, & consequenter posita omissione necessario in illa persistet.

251. Respondetur in hoc argumento onum suppont falsum, nimirum voluntatem necessario requirere aliquam volitionem ad hoc ut omittat, quod tamen non esse verum in superioribus demonstratum est, non enim tequiritur ad hoc, ut voluntas omittat; hic actus, *volo omittere*, determinatur enim ad omittendum per ipsam omissionem, eo modo, quo determinatur ad actum positivum per ipsummet actum, quin præsupponatur alius actus præcedens voluntatis, quo velit illum alium actum. Ideo in forma respondeo ad argumentum: nego antecedens, ad probationem nego antecedens, determinatur enim voluntas ex vi cogitationum, quibus omisit, & poterat non omittere, ut enim illæ cogitationes sufficientes fuerunt, ad hoc ut voluntas omisisset, eædem sufficiunt, ut non omittat, & reducatur ad actum positivum ex vi propriæ libertatis, quin requiratur ille actus reflexus, *volo omittere*, in quo consistit probatio hujus antecedentis.

252. Secundum, dubium otrum eodem modo procedat omissio actus imperati, ac eliciti? Supponitur dari actus imperatos, & omissiones illorum, modo quæritur, an eodem modo procedendum sit in omissionibus actus eliciti, ac imperati? Respondetur affirmativè, sicut enim actus imperatus denominatur directè voluntarius ab actu elicito, ita etiam omissio actus imperati denominatur indirectè voluntaria ex omissione actus eliciti; ergo sicut hæc est voluntaria absque ullo actu, & præcepto, ita etiam omissio actus imperati, procedit enim à voluntate ex vi omissionis actus eliciti, ac proinde utraque omissio erit voluntaria in se, elicita immediate, imperata mediate, ratione omissionis elicitæ; eo modo quo loquimor de actibus elicitis, & imperatis, hic namqne optime applicatur illud Philosophi, *sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio negationis*, quæ est doctrina Suar. 1. 2. tract. 2. disp. 8. sect. 5. n. 6.

253. Tertium, dubium utrum dato quod omissio absque præcepto non esset voluntaria; voluntaria fieret, si immediate prohiberetur? Constat omissionem sine præcepto esse voluntariam, concorsque sententia est voluntariam esse, si ejus actus prohibeatut. Hac sententia supposita inquiritur, utrum omissio si sine præcepto voluntaria non foret, sufficeret ad hoc, ut voluntaria esset, præceptum, quo immediate prohiberetur, itaut præceptum ad ipsam omissionem immediate, & non ad ipsum actum tenderet?

Respondeo affirmative cum Maldeto disp. 28. & Doctoribus, qui asserunt dari omissiones meritorias, de quibus disp. 3. sect. 10. si enim omissio in se potest esse meritoria, erit quia immediatè præcipitor, vel prohibetor. Probatur, quia si urgente tentatione, aut tormentorum vi quis omittat peccare, talis omissio est voluntatia, ut contrarii etiam fatentur; ergo etiam sufficit præceptum, quod immediate fertur in illam, si nimirum urgeat præceptum in illo instanti, quo quis omittit.

254. Oppositum docent Curiel q. 6. art. 3. dub. 3. in 2. conclus. ejusque transcriptor Cornejo dub. 11. in 2. conclus. Carmelit. tract. 10. disp. 4. dub. 2. §. 3. n. 50. attribuuntque hanc sententiam Doctoribus, qui inficiantur omissiones meritorias, immerito tamen, quia isti Doctores non negant meritum omissionum defectu voluntarii, sed defectu ordinationis in finem, ut videre est apud Suar. tom. 3. de grat. lib. 12. à n. 4. & apud Salas tract. 3. disp. 1. sect. 3. n. 27. illorum fundamentum est, quia jam omissio foret meritoria, cujus resolutio pendet ex dicendis disp. 3. n. 723. interim respondeo non sequi necessario illam omissionem esse meritoriam, sed honestam, plus enim requititur ad meritum, quam ad honestatem, sed de his loco citato à n. 723.

SUBSECTIO QUARTA.

Explicatur divisio Voluntarii in se, & in alio.

255. Voluntarium in se est illud, quod voluntas formaliter vult, vel non vult in se ipso, sive sit per actum positivum physicum, sive sit per actum interpretativum: volitio enim homicidii intenti per se à voluntate est voluntaria in se, ut etiam omissio sacri, quod per se omittitur: Voluntarium in alio est, quando voluntas vult aliquid, non quidem in se, sed in alio prius volito, verbi gratia qui vult cibum noxium, vult simul in cibo morbum, qui ex eo cibo sequitur, tunc enim cibus est in se voluntarius, morbus autem est voluntarius in alio, id est in cibo, similiterque volitio cibi erit in se, volitio vero morbi erit in alio voluntaria: cum hac divisione coincidunt duæ, quæ communiter circumferuntur, nimirum divisio voluntarii in explicitum, & implicitum, & divisio voluntarii in formale, & virtuale, nam voluntarium in se est formale, & explicitum: voluntarium in alio est virtuale, & implicitum.

Circa voluntarium in se nihil restat discutiendum præter ea quæ de voluntario in communi dicta sunt, de voluntario verò in alio aliquæ sunt difficultates, quæ brevem postulant discussionem, & sigillatim sunt expediendæ.

PRIMA DIFFICULTAS.

Quid requiratur ex parte intellectus ad voluntarium in alio?

256. Suppono ad voluntarium in alio necessarium esse, quod prævideatur, & præcognoscatur in sua causa. Est communis sententia, de qua possunt videri Suar. 1. 2. tract. 2. disp. 8. sect. 4. n. 6. Salas disp. 1. sect. 13. & patet qoia *nil volitum, quin præcognitum, & nil voluntarium, quin volitum*; ergo ut detur voluntarium debet præcedere ejus cognitio; ergo cum voluntarium in alio non cognoscatot in seipso, aliter non foret voluntarium in alio, sed in se, sequitur, quod necessario præcognosci debeat in sua causa.

257. Difficultas est, quæ cognitio requisita sit? Debeatne ista cognitio effectus esse actualis, an sufficiat virtualis, & interpretativa. Pro resolutione notandum est cognitionem virtualem, & interpretativam ab aliquibus dici eam, quæ datur, quando operans potuit, & debuit advertere de illo effectu secuto, non tamen illum advertit, nec de illo cogitavit, actualem verò dici eam, quando operans actualiter advertit, & cogitat de tali effectu sive in genere, sive in specie, sive

dubitans; sive cum scrupulo, vel periculo illius effectus: hæc enim omnia cognitiones sunt actuales.

258. Respondetur necessario requiri cognitionem actualem, quæcunque illa sit. Ita Moutesinos disp. 9. q. 4. n. 61. Granado disp. 3. n. 5. Cornejo disp. 1. dub. 8. n. 21. Raynaud. dist. 2. q. 1. art. 2. n. 26. Accedunt Doctores, qui asserunt ad hoc ut actus sit malus, malitia que sit voluntaria, & imputabilis, necessarium esse, quod de ea detur cognitio actualis. Ita Vasq. 12. disp. 107. cap. 3. referens viginti duos Doctores ex antiquis; & merito ibi conqueritur de recentioribus oppositum affirmantibus, & disp. 123. cap. 2. n. 6. ubi affirmat, cum primum hoc docuit anno Domini 1581. aliquibus displicuisse Doctoribus, quod tamen postea, ut proprium approbaverunt, secuti sunt postea. Sanches tom. primo Decalogi lib. 1. cap. 26. n. 2. Sayro in clavi regia lib. 8. cap. 7. n. 6. Curiel. 1. 2. q. 76. art. 1. dub. 4. in principio, Philiarchus de officio Sacerdotis. p. 2. lib. 4. cap. 18. Salas tract. 13. disp. 18. sect. 11. n. 87. Suar. de fide disp. 17. n. 8. de qua quæstione, si Deo placuerit alibi dicendum est.

259. Primo probatur, quia malitia non est voluntaria, nec imputabilis, nisi sit cognita actualiter, ut prædicti Doctores docent; ergo nec etiam voluntarium dabitur sine actuali cognitione. Patet consequentia à paritate rationis.

260. Secundo. Ad hoc ut omissio sit voluntaria necessario requiritur, quod saltem in potestate voluntatis sit applicare intellectum ad cognitionem sufficientem ejus quod omittitur, vel ejus quod sequitur ex omissione, aut opus cum quo connectitur: atqui hoc esse non potest in potestate voluntatis absque aliqua actuali cognitione ipsius, saltem confusa, vel implicita; ergo similiter. ut effectus sit voluntarius, debet præcedere illius actualis cognitio, perquam applicetur intellectus, adhoc ut proponatur voluntati, ut illum repudiet, vel sequatur. Minor probatur, quia intellectus cogitare non potest, de quo nullo modo cogitat, & quod nullo modo prævidet.

Contrarium tribuitur ab aliquibus Curiel q. 3. art. 6. dub. 1. in 3. conclus. Herrera in 2. disp. 30. q. 2. conclus. 3. Suar. de voluntario disp. 1. sect. 4. n. 5. & disp. 4. sect. 3. Verum P. Suar. ibi accipit virtualem cognitionem pro ea quæ non est cognitio formalis objecti, quamvis intercedat dubium, vel scrupulus: meritoque tribui potest illis Doctoribus, qui apud Patrem Vasq. disp. 107. cap. 2. asserunt sufficere cognitionem virtualem, & interpretativam ad malitiam imputabilem, & voluntariam, quibus assentiuntur Valent. 1. 2. disp. 6. punct. 1. Zumel 1. 2. q. 76. art. 2. disp. 2. dist. 4. & alij, quos refert Salas citat. n. 86.

261. Probant primo, quia ad voluntarium indirectum non requiritur actualis cognitio, sed sufficit interpretativa; ergo etiam hæc sufficiet ad voluntarium in alio. Antecedens probatur, quia cognitio proportionatur voluntario: atqui voluntarium indirectum est voluntarium interpretativum; ergo etiam sufficiet ad illud cognitio interpretativa, nimirum posse applicare intellectum ad considerandum, quamvis non applicet. Respondetur: distinguo consequens; ergo hæc sufficiet ad voluntarium in alio, si cognitio interpretativa involvat cognitionem actualem objecti, concedo: si intelligatur, itaut nullo modo consideretur objectum, nego: quid enim est ista cognitio interpretativa, si nullus est actus intellectus? Non equidem est cognitio, sed potest esse cognitio, si nimirum actualiter existat in intellectu, possibilitas autem cognitionis non sufficit, ut intellectus applicetur, & proponat aliquid voluntati; quando vero dicitur, quod cognitio interpretativa sufficit ad voluntarium interpretativum, non intelligitur per cognitionem interpretativam posse intellectum cognoscere, sed intelligitur actualis cognitio objecti, quæ saltem confuse illud attingat, cum enim voluntarium sit actus voluntatis, requiritur quod eum præcedat cognitio objecti, ut appetatur, vel omittatur à voluntate.

262. Secundo: Dormientes; & vincibiliter ignorantes habent omissiones voluntarias, & exercent effectus voluntarios, ut patet, cum peccant omittendo, vel faciendo aliquid, & tamen non habent actualem cognitionem; ergo sufficit virtualis, nimirum quod possint cognoscere, & non cognoscant. Respondetur negando Minorem, licet enim dormientes, dum dormiunt, & vincibiliter ignorantes, dum actu non cogitant, non cognoscant actualiter, tamen ut actus, vel omissiones ipsorum voluntariæ dicantur, necessarium est, quod antea præcesserit actualis cognitio illius, quod voluntarie fit, aut omittitur, aliter non fuit in potestate voluntatis effectus, vel omissio, cum enim prima cogitatio non sit in nostra manu, ante eam nec cogitare, nec velle possumus; dicentur ergo actus, quos non præcessit actualis aliqua cognitio, saltem confusa, vel involuntarii, vel non voluntarii.

Tertio. Malitia potest esse voluntaria, quin detur actualis illius cognitio, atqui non requiritur plus ad voluntarium in alio, quam ad malitiam voluntariam; ergo si adhanc sufficit cognitio virtualis, & non requiritur actualis, similiter ad voluntarium in alio. Minor, & consequentia patent primo ex capite *si culpa* de injuriis; ubi statuitur ignorantiam non excusare eum, qui nescit, & debuit scire, & ex §. *Præterea*, institutis de lege Aquilia, quo loco decernitur imperitiam non excusare in re ad proprium officium pertinente; ex regula 13. de regulis juris in 6. *ignorantia facti non juris excusat*, & ex aliis iuribus, quæ videntur adstruere cum ignorantia dari voluntarium, & per consequens non requiri ad illud actualem cognitionem.

Cap. si culpa de injuriis.
§. Præterea inst. de leg. Aquilia.
Regula ignorantia de reg. juris, in 7.

Secundo. Quando quis cogitat de re, quæ moraliter illum potest excitare ad cognitionem malitiæ, quæ in objecto est, nec tamen de illa cogitat, ei imputatur ad culpam, quatenus tenebatur advertere non tamen advertit, atqui hæc cognitio solum est virtualis, & interpretativa; ergo.

Tertio, quia jam excusarentur à peccato mortali multi, quia de malitia actualiter non cogitarunt, unde qui sine consideratione hominem occideret, non peccaret, & sic de aliis multis; hoc autem absurdum est; ergo & illud ex quo sequitur.

Quarto, quia sequitur, nunquam posse committi peccatum absque expressa reprehensione conscientiæ, quæ datur quoties peccans in se culpam agnoscit; atqui hoc est contra D. Paul. 1. Corinth. cap. 4. dicentem. *Nil mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum*, ubi Apostolus gentium videtur dicere se sæpius culpæ obnoxium esse absque ulla conscientiæ reprehensione.

1. ad Corinth. 4.

263. Respondetur negando majorem; ad primam probationem, illa, & similia vera esse, intelliguntur enim si detur aliquod dubium, vel scrupulus de obligatione, quod frequenter in re-

bus ad proprium munus pertinentibus accidit; eoquod cogitatio de illis; veluti naturalis fit; ut enim hæc juta admittantur, semper intelligi debent de ignorantia; vel imperitia, quæ secum deferant aliquod dubium, vel scrupulum, vel cognitionem aliquam confusam, aliter veram non continerent doctrinam. Unde siquis aggrederatur opus periculosum, quin de periculo illo cogitaret, non peccaret, ex eo quod periculum illi voluntarium non esset, de quo legantur Suarius de censur. disp. 4. sect. 8. n. 18. Sanches citatus n. 24. & lib. 9. de matrimon. disp. 32. n. 4.

264. Ad secundam respondetur negando majorem, si enim ille homo de malitia nullo modo cogitavit, illi imputanda non est, nec etiam effectus aliquis, qui in causa continetur virtualiter imputari potest ad culpam, nisi sit voluntarius, ad voluntarium verò requiritur, quod aliquo modo præcognoscatur.

265. Ad tertium respondetur negando minorem, nam si nulla præcesserit cogitatio de malitia, ille actus malus materialiter nullam majorem habebit malitiam, quam habent actus primo primi, & actus brutorum. Non tamen inde infertas non peccare mortaliter, qui aliquod peccatum committit, non considerans esse mortale, nec considerans differentiam mortalis à veniali; sufficit enim quod cognoscat talem actum esse malum, quando enim quis deliberate tendit in objectum, quod malum esse cognoscit, censetur illud velle, quacunque malitia sit affectum, *qui enim amat periculum peribit in illo.*

266. Ad quartam respondetur concessa sequela, & negando minorem, cum enim reprehensio conscientiæ consistat in cognitione mali, vel periculi, semper committitur peccatum cum illa, licet non committatur cum cruciatu, vel timore ex parte voluntatis. Locus D. Pauli interpretatur à Vasq. n. 15. de aliquo peccato præterito, quod poterat oblivioni mandari; hoc autem, quamvis recesserit à memoria D. Pauli, præsens tamen erat Deo: ideo ait Paulus, ego nullius criminis conscius sum, sed quia alicujus possum esse oblitus; quod divinam scientiam non effugit, ideo in hoc non justificatus sum.

DIFFICULTAS SECUNDA.

Quid requiratur ex parte voluntatis ad voluntarium in alio?

267. Breviter respondeo ex dictis de omissionis eventibus à n. 226. ad 248. primo, si voluntarium in alio, sive effectus per se connectatur cum sua causa, & prævideatur effectus futurus sine aliquo præcepto, voluntas exercet voluntarium in alio; si tamen Voluntarium in alio, sive effectus per accidens sequatur ex causa, non erit voluntarium, nisi accedat præceptum: præcepto enim posito effectus erit voluntarius, eo quod præceptum moraliter sequatur ex causa; & *voluntas causa censetur virtualis voluntas effectus*, id est in priori objecto volito eventus judicatur voluntarius. Ita Vasq. disp. 14. cap. 3. n. 57. Salas tract. 3. disp. 5. sect. 13. n. 171.

268. Advertendum tamen est primo, ut præceptum vim habeat connectendi cum causa hujusmodi objecta moraliter per se, opportere quod operans percipiat causam vitandam, ne effectus sequatur; si quis enim teneatur abstinere à cibo propter præceptum jejunandi, non tamen, ne inde oriatur pollutio, etiam si violetur præceptum, & pollutio sequatur, hæc non censetur voluntaria, quia præceptum vitandi illam causam, idest cibum, non imponitur ut evitetur pollutio, & per consequens ex illo præcepto jejunandi non sortitur cibus connexionem moralem cum pollutione. Inde est quod si quis ab usurario, urgente necessitate petat pecuniam mutuam prævidens usurarium fore peccaturam, si non petat sub usuris, non peccat, quia petitio pecuniæ non est causa per se peccati, nec datur obligatio non petendi. Videatur Molina tom. 2. de justitia & jure disp. 335. & alii quos sequitur Sanches in Decalog. lib. 3. cap. 8. & ex eadem causa peccatum non est Deo voluntarium, licet illud prævideat sequuturum, nec pollutio confessori imputatur ad culpam, & ita resolvendi sunt similes casus passim occurrentes.

269. Advertendum secundo, quando præceptum fuerit ex justitia, non solum effectum fore voluntarium in alio, sed etiam injustum: proindeque non evitata causa culpabiliter, dabitur obligatio restituendi, quæ non daretur, si operans ex sola charitate, votu, aut alio præcepto operaretur.

270. Tertio posse effectum esse involuntarium in se, & voluntarium in alio, nec per involuntarium in se excusari peccatum, dummodo detur voluntarium in alio: exemplum sit, si quis nolens actu formali hominem occidere, incaute tamen prævidens periculum emisit sagittam, hominemque occidit, illud homicidium est in se involuntarium, & voluntarium in alio, non enim ei actus sunt formaliter contrarii, *nolo effectum in se, & volo in causa*, & tamen est culpabile ex illo proloquio; malum exquocunque defectu, bonum, nisi ex integra causa.

SUBSECTIO QUINTA.

Explicatur divisio Voluntarii imperantis, & imperati.

271. Hujus divisionis explicatio plus ex principiis Philosophicis quam ex Theologorum discussione dependet: constat enim voluntarem imperare potentiis, & sibi ipsi. Pro quo suppono primo voluntatem imperare actus potentiæ vegetativæ, & sensitivæ indirectè, dum vel cibum subtrahit vegetativæ, vel objectum subtrahit potentiæ sensitivæ: directè namque nullum exercere potest imperium in potentiam vegetativam, quæ causa naturalis cum sit semel applicata, necessario operatur, nec etiam in sensus externos constitutos in actu primo complete, si enim velimus sensationem impedire cogimur destruere sensorium, juxta Aug. de natura, & grat. cap. 47. D. August.

272. Secundo sensum internum quoad primum actum cognitionis non subjici directè voluntati, ubi enim primum ab externo sensu determinatus est, non est in hominis potestate illum cohibere, ne ad oppositum deferat id quod ab externo sensu, tamquam apparitore præmonitus fuit.

273. Tertio vim progressivam ad nutum obedire voluntati, de ista enim fatetur Aug. lib. 8. confes. cap. 9. *Imperat animus, ut moveatur manus, & tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium.* Cur autem tanta hic detur obedientia, cum interse ipsam, intellectum, & appetitum intestinum bellum intercedat; videatur Rainaldus tom. 1. operis moralis dist. 2. q. 2. art. 6. n. 196. D. August.

274. Quarto appetitum sensitivum subjici voluntati politice tanquam civem, non verò despo-

tice tanquam servum, ideo nec omnino imperium voluntatis detrectat, nec omnino cogitur, cum rebellare possit præter naturalem ordinem, illius enim rebellio est contra voluntatis edictum, etiam efficacissimum, quod malo nostro sæpius experimur, de illaque conqueritur Apostolus ad
Ad Roman. 7. Roman. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.*

275. Quinto in apprehensione intellectus, & in judicio evidenti nullum jus habere voluntatem. De quo videantur Suar. 1. 2. tract. 2. disp. 10. sect. 1. n. 3. & 4. Raynaud. citatus n. 200. aliter dicendum de judicio inevidenti, potest enim moveri intellectus quoad speciem, itaut circa illud, vel assensum, vel dissensum præstet, unde ortum habet illud apothema ab Isidoro Pelusiota appro-
S. Isidor. Pelus. batum, *quod quis vult, hoc esse putat.* Videantur Suar. n. 5. Raynaudus n. 201.

276. Sexto voluntatem non solum exercere suum dominium in potentias à se distinctas, sed etiam in se ipsam, quod probandum est disp. 3. à n. 730. ad 773. His suppositis

277. Duplex est genus actuum imperatorum: unum est eorum, qui sunt mere externi; eo quod eliciantur à potentiis, quæ subjiciuntur voluntatis imperio, solumque extrinsecè denominantur voluntarii ex voluntario actus imperantis, de quibus specialis erit quæstio in illa disp. 3. à n. 784. ad 801. alterum est eorum, qui eliciuntur, & imperantur ab ipsa voluntate, dicunturque actus eliciti simul, & imperati, voluntariumque in illis est intrinsecum, eo quod procedat ab ipsa voluntate: an verò voluntarium, quod recipiunt ab actu imperante sit illis intrinsecum, eo loco videndum est. n. 784.

SUBSECTIO SEXTA.

Explicatur divisio Voluntarii in actuale, & interpretativum.

HÆc est ultima divisio voluntarii, de actuali nil superest dicendum præter ea, quæ de voluntario usque adeo dicta sunt, omnia enim, de quibus hactenus, voluntaria sunt actualia.

278. Interpretativum est illud, quod licet hic, & nunc non sit actualiter volitum directè, vel indirectè, esset tamen si occurreret in talibus circumstantiis, in quibus postea occurrit, qualis est casus epycheæ, in quo aliquis operatur contra tenorem legis expressum, talis enim interpretatio est voluntaria respectu legislatoris, qui licet, quando legem condidit, non habuisset talem voluntatem, procul dubio eam teneret, si illi occurrissent circumstantiæ, quæ postea occurrerunt: exemplum sit, si princeps interdiceret, ue quis ab urbe egrederetur, & postea tales occurrerent circunstantiæ, ut prudenter judicetur legem in eo casu non obligare, tunc egressio interpretativa est voluntaria respectu legislatoris, eo quod rationabiliter præsumatur principem in eo casu consentire, & hoc est voluntarium interpretativum de præterito: quod si videat fieri aliquid contra legem, & non prohibeat, si commode possit, dicitur voluntarium interpretativum de præsenti, si autem judicetur volitum, dicitur interpretativum de futuro, & hoc genus voluntarii non sufficit ad meritum, vel peccatum, cum tantum voluntarium sit fictum, & præsumptum, ut optimè notavit Salas sect. 13. n. 163.

279. Unde hoc voluntarium maxime inservit ad præstandum judicium de eis, quæ ex voluntate aliena dependent, ut enim actus sit honestus, sufficit interpretativum, sive de præterito, ut in casu epicheæ, quæ optima erit, si impossibile sit, vel nimis durum servare legem in talibus circumstantiis; tunc enim ad honestatem illius actionis sufficit, ne sit contra superioris voluntatem formalem, aut interpretativam. De quo videndus est Suar. de legibus lib. 6. à cap. 6.

280. Sive voluntarium interpretativum sit de præsenti, verbi gratia si Prælatus videns aliquem audire confessiones suorũ subditorum taceat, cum possit commodè impedire, actio illa est honesta, & Prælatus videtur consentire juxta regulam 43. de regul. juris in 6. *qui tacet consentire videtur* desumpta ex lege qui tacet ff. eodem titulo. Et observat Sanches lib. 2. de matrimon. disp. 5. n. 5. Regul qui tacet de regul. jur. in 6.

281. Sive etiam sit voluntarium interpretativum de futuro, videlicet, si quis utatur re aliena, credens dominum illius consensurum fuisse, si agnovisset, quod ille usus non esset contra justitiam: talis enim usus non est contra voluntatem domini, saltem præsumptam: similiter ut Religiosus licitè convertat aliquid in propriam utilitatem, satis est superioris ratihabitio de futuro, sive voluntarium interpretativum de futuro, dummodo probabiliter judicet eam licentiam concedendam esse à superiore.

282. Ad cujus voluntarii majorem declarationem duo sunt inquirenda. Primum, utrum ad hujusmodi voluntarium requiratur aliqua cognitio? Respondetur negative cum Suar. sect. 4. n. 4. Salas tract. 3. disp. 1. sect. 13. n. 164. Raynaud. dist. 2. q. 1. art. 2. n. 50. §. est. Primo, quia sequeretur ex opposito neminem per voluntarium interpretatium uti posse re pueri, qui nunquam habuit usum rationis; hoc autem adversatur communi usui; ergo, &c. Sequela ostenditur, quia ut supponitur in puero nulla præcessit notitia. Secundo, quia si Princeps cogitet, vel non cogitet de casu occurrẽte, epichea optime facta esset, honesteque operatum foret.

283. Unde illa voluntas legislatoris, reverà non est voluntas: non enim potuit legislator velle casum, quem non prævidit, & apparet in eo, qui ex ignorantia invincibili hostem interfecit, ita tamen dispositus, ut si eum agnovisset, facilius hostem occideret, in quo casu occisio illa nec est voluntaria, nec involuntaria juxta doctrinam Philosophi 3. Ethicorum cap. 1. approbatam à D. Thom. q. 6. art. 8. Sed est non voluntaria, eo quod cognita non fuit. Eodem igitur modo epichea facta realiter, nec est voluntaria, nec involuntaria, sed est non voluntaria, & inservit, ut operatio hic, & nunc contra legem facta, non fiat contra legislaturis voluntatem: ex quo aperte sequitur istud voluntarium interpretativum non esse verum, sed præsumptum. Aristot. D. Thom.

284. Vasq. disp. 24. cap. 1. n. 3. contrariam viam aggressus est, docens in legislatore, etiam ad illum casum particularem, quem non prævidit dari cognitionem, & voluntatem universalem, quã vult servare æquitatem universaliter ex qua voluntate universali colligitur voluntas interpretativa & per consequens talem causam esse voluntariam legislatori, & in lege ab eodem exceptam.

Probat, quia ad hoc voluntarium requiritur voluntas legislatoris, quæ interpretetur; ergo etiam requiritur ad illud cognitio universalis, sive confusa, sive explicata, per quam proponatur voluntati id, quod rationabiliter hic, & nunc conveniat. Antecedens probatur, quia si non datur voluntas, non datur quid possit interpretari; ergo nec dabitur voluntarium interpretativum.

Respondetur negando antecedens, solùm enim requiritur; quod illa interpretatio non sit contra voluntatem superioris, quia non est voluntaria legislatori, sed est non voluntaria, eo quod non fuit prævisa, si enim prævideretur; voluntaria foret.

285. Secundum dubium est, utrum hoc voluntarium sufficiat, ut subditus licitè operetur? Respondetur primo, si ad honestatem actionis satis est quod non opponatur voluntati superioris, sufficere istud voluntarium. Ratio est, quia tunc non fit contra voluntatem superioris; qui præsumitur velle, unde si superior juberet, ne quis tali bona loquatur, vel similem actionem, si occurrat circunstantia talis; in qua judicetur prudenter, & morali evidentia, quod Prælatus nolit legem observari in eo casu, locutio erit honesta, & sic de cæteris.

286. Respondetur secundo; si ad honestatem actionis necessaria est positiva voluntas superioris, non sufficit hoc voluntarium, quia istius voluntarii voluntas non est vera: unde si ad valorem sacramenti pœnitentiæ necessaria est jurisdictio à superiore collata, non sufficit illa interpretatio: debet enim constare aliquo modo de ejus voluntate. Ita Suar. tract. 2. disp. 1. sect. 4. n. 4. Salas citat. n. 164. addens nullum contractum validum esse sine positiva voluntate illius, qui sibi aliquam obligationem in eo inducit: nemo enim se obligat absque vera voluntate.

SECTIO TERTIA.

De causis, & subjectis; in quibus reperitur Voluntarium.

287. CUm juxta communem sententiam quatuor sint genera causarum, nimirum efficiens, materialis, formalis, & finalis, omnes reperiuntur in ratione voluntarii. Primo namque datur causa efficiens, nimirum potentia appetitiva, quæ est principium, à quo procedit, & hæc causa efficiens coincidit cum causa materiali, cum enim voluntarium sit actus vitalis, & immanens; necessario postulat, recipi in eadem potentia, à qua producitur. Secundo; causa formalis intrinseca est ipsa formalis ratio voluntarii explicata à n. 77. ad 89. cum enim actus voluntarius sit forma & actus ultimus, ipse sibi est causa formalis intrinseca: causa formalis extrinseca est ipsum objectum movens voluntatem, ut supra dixi n. 54. & dicendum est disp. 2. à n. 69. ad 88. causa vero finalis sæpe est finis extrinsecus, sive operantis; sæpe est finis intrinsecus, sive operis, de quo disput. 3. disserendum est: omnis enim actus humanus est propter finem, sive intentus ab ipso operante, sive ab ipso Authore naturæ.

288. Circa causam subjectivam voluntarii duplex subjectum distinguendum est, unum est proximum, alterum remotum: subjectum proximum est ipsa potentia, à qua procedit voluntarium, subjectum remotum est ipse operans, & de utroque dicendum est.

289. Primo de subjecto remoto tria asserenda sunt. Primum est, in agentibus cognitione carentibus nullum reperiri voluntarium. Patet ex definitione voluntarii, ubi requiritur, quod procedat à principio cognoscente, cum ergo agentia de quibus est sermo, cognitione careant, illis non potest attribui voluntarium propriè: attribuitur tamen metaphoricè, quo pacto dicimus agrum sponte sua flores producere, quia nullo semine suscepto, nec ab agricultura cacultus ex sese flores producit, habet enim se tunc instar sponte agentis; dum à nullo exteriori compulsus, vel excitatus principio, operatur.

290. Secundum est; voluntarium perfectum, quod procedit ex perfecta cognitione finis, in solis agentibus intellectu præditis reperitur: hæc enim sola agentia operantur propter finem: voluntarium perfectum necessarium reperitur in Deo circa spirationem Spiritus sancti, & amorem creaturarum possibilium. Voluntarium verò perfectum liberum datur in Deo circa amorem creaturarum futurarum: Voluntarium perfectum necessarium datur in creaturis beatis; amant enim Deum necessario juxta opinionem D. Thomæ, etiamque in via dari potest, si nimirum cum perfectissima cognitione finis Deus substrahat concursum necessarium.

291. Tertium est, bruta, infantes, atque insani agunt voluntariè propriissime, sed imperfectè; eo quod finem non percipiunt nisi, imperfectè, ut bene docent Aristoteles, Damasc. Nicenus & D. Thom. q. 6. art. 2. ubi loquitur de brutis, & pueris, de insanis verò idem docuit D. August. lib. 83. quæstionum q. 30. & nos supra documus à n. 107. ad n. 112.

292. Secundo. Subjectum proximum voluntarii perfecti est voluntas, sive divina, sive Angelica, sive humana. Voluntarii imperfecti subjectum proximum est tum appetitus sensitivus, tum etiam rationalis, quando indeliberatè operatur; & imperfectè.

Reliquarum facultatum, quæ ab appetitu distinguuntur, actiones voluntariæ sunt, non quidem intrinsece, sed extrinsecè, per denominationem extrinsecam desumptam ab actu elicito potentiæ appetitivæ.

SECUNDA PARS DISPUTATIONIS.

De Involuntario.

OPpositorum teste Philosopho eadem est scientia, & ideo postquam de voluntario in 1. p. disseruimus, involuntarium in hac secunda explicandum est: cujus exacta cognitio ad res morales decidendas Theologis prænecessaria est.

293. Involuntarium igitur fusè acceptum tripliciter usurpatur. Primo negativè, secundo privativè, tertio positivè: primo modo dicit solummodo voluntarii negationem, & propterea hæc usurpatio impropriissima est, convenit enim inanimatis; & agentibus naturaliter operantibus, quæ voluntate non agunt. Privativè importat privationem voluntarii, atque adeo connotat subjectum capax volendi: & hæc usurpatio etiam impropria est, siquidem ad illam non exigitur rem fieri contra positivum impetum voluntatis, sed satis est non esse ex consensu illius, cum tamen possit consentire: unde etiam ex circunstantiis colligeretur voluntatem in tali eventu consensuram. Proprie ergo involuntarium solum contrariè accipiendum est, nimirum quando fit contra internum impetum voluntatis, & de hoc in præsenti sermo est.

SECTIO QUARTA.

De essentia involuntarii.

294. EX Aristotele 3. Ethicorum cap. 1. sumenda est definitio involuntarii: duo enim ibi Philosophus requirit ad rationem formalem involuntarii. Primum est, quod sit à principio extrinseco: ita enim habet eo loco juxta interpretationem Argyropili, *at quorum principium* Aristot.

est in ipse ea agere, vel non agere, in ipso est situm, talia igitur sua sponte quisque agit, id est quæ sponte fiunt, & voluntarie procedunt à principio intrinseco quod in ipso operante est; quod verò involuntarie agitur, procedit à principio extrinseco, quod in ipso operante non est: secundum quod requirit, est, ut involuntarium non sit ex inclinatione, sed contra inclinationem appetitus, causetque molestiam, & dolorem, ita toto illo capite.

Ex quibus ea erit definitio involuntarii in communi: *Involuntarium est à principio extrinseco contra inclinationem appetitus*, *idest renitente appetitu*, vel quod inidem recidit, expressitque Philosophus loco citato. *Involuntarium est, quod quisquam invitus agit.*

SUBSECTIO UNICA.

Explicatur definitio involuntarii.

Circa primam particulam definitionis; quod est *à principio extrinseco* nihil speciale apparet præter ea, quæ dicenda sunt de violento, involuntario ex metu, ex ignorantia, & concupiscentia: circa vero secundam partem definitionis, nimirum *contra inclinationem appetitus*, duo tantum diabola sunt explicanda.

295. Primum est, Utrum involuntarium, necessario debeat fieri contra inclinationem in actu secundo, idest, Utrum necessario requiratur, quod sit contra appetitum elicitum, an sufficiat, quod sit contra innatum? Respondetur sufficere, quod sit contra unum, vel alium appetitum. Ita indicant Suar. 1. 2. tract. 2. disp. 2. sect. 4. n. 20. Salas tract. 3. disp. 2. sect. 2. n. 18. & 19. recipiturque ab Authoribus, qui asserunt ad violentum sufficere, quod sit contra innatum appetitum, de quo sect. 6. subsect. 1. diff. 3. n. 336.

296. Probatur primo, quia propensio naturæ in actu primo, sive innatus appetitus (idem enim est) est impetus quidam naturæ contra id, quod in oppositum venit; ergo quidquid fuerit contra istam inclinationem involuntarium erit. Secundo quis plus requirit ad violentum, quam ad involuntarium, sed violentum fieri potest contra innatum appetitum; ergo etiam involuntarium. Minor infra probanda est à n. 336. ex quo patebit hujus resolutionis veritas.

297. Secundum dubium, Utrum quando dicitur involuntarium esse contra naturalem inclinationem actualem, actus iste debeat esse absolutus, & efficax, an sufficiat, quod sit conditionatus, & inefficax? Pro quo dico primo: Involuntarium simpliciter debet esse contra inclinationem actualem, sive contra actum, & affectum efficacem voluntatis. Est communis sententia Theologorum. Videantur Suar. tract. 2. sect. 1. n. 3. Salas tract. 3. disp. 2. sect. 1. n. 3. Vasq. disp. 26. cap. 3. §. quæret tamen. Indicat Cornejo tract. 4. dub. 1. §. 6. dum loquitur de violento.

298. Et probatur, quia involuntarium simpliciter debet esse oppositum actui, cum quo simul stare nequeat: atqui cum voluntate inefficaci, & conditionata potest esse simul voluntas opposita absoluta, & efficax; ergo non sufficit ad simpliciter involuntarium, quod sit contra inefficacem inclinationem. Minor probatur in mercatore projiciente merces in mare, quas inefficaciter vellet retinere, & in Christo Domino, ac Martyribus, qui cum voluntate efficaci moriendi, habebant simul voluntatem inefficacem non moriendi.

299. Secundo probatur, quia si ad involuntarium simpliciter, sufficeret affectus simplex, & inefficax, jam Deo multa forent involuntaria simpliciter, & proprie: Hoc autem est absurdum, *quia omnia quæcunque voluit Deus fecit*, & *nemo potest resistere voluntati divinæ*. Sequela antem probatur, quia Deus per simplicem, seu antecedentem voluntatem juxta Paulum 1. ad Timoth. cap. 2. *vult omnes homines salvos fieri* & tamen plures damnantur; ergo cum hæc damnatio foret contra effectum simplicem salvandi homines, si hæc renitentia, & inclinatio inefficax sufficeret ad involuntarium simpliciter, foret Deo simpliciter involuntaria, idemque judicium foret de aliis, quæ obveniunt contra simplicem, & antecedentem Dei voluntatem. 1. ad Timoth. c. 2.

300. Confirmatur primo, quia ex opposito sequeretur mortem Christi Domini ei involuntariam fuisse simpliciter; Hoc autem est falsum, quia Christus Dominus *proposito sibi gaudio sustinuit crucem, oblatusque est, quoniam ipse voluit*. Sequela patet, quia Christus Dominus simplici, & inefficaci affectu optavit, ut calix mortis ab eo transiret. Secundo, quia ex opposito etiam sequeretur voluntatem cogi posse ad volendum involuntarie simpliciter; Hoc autem negandum est infra à n. 4. ad 10. cum communi Theologorum sententia; ergo nullatenus admittendum est sufficere, quod involuntarium simpliciter sit contra actualem inclinationem appetitus inefficacem. Sequela ostenditur, quia sæpe voluntas cogitur ad volendum, quod per alium simplicem affectum, seu inefficacem nolitionem, non vult, ut apparet in metu, de quo infra.

Dices. Si requiritur actus efficax ad involuntarium simpliciter, sequitur mortem non esse involuntariam simpliciter illi, qui ad supplicium rapitur capitale. Sequela ostenditur, quia non potest dari voluntas efficax, respectu rei impossibilis, & inevitabilis, ut dnce Philosopho tradunt omnes Philosophi; atqui in eo casu homo ille non potest resistere sibi inferentibus mortem; ergo mors illa erit inevitabilis, & per consequens non habebit respectu illius voluntatem efficacem.

301. Respondetur negando sequelam: ad probationem explico antecedens: non potest dari voluntas efficax respectu rei impossibilis, & inevitabilis, secundum se, nego; vestitæ talibus circumstantiis, concedo. licet enim respectu rei impossibilis omnino, & secundum se impossibilis, non detur voluntas efficax, quia circa istud impossibile versari nequit affectus efficax: tamen respectu rei impossibilis, quæ simpliciter, & secundum se possibilis est, & impossibilis tantum attentis circumstantiis, dari potest voluntas efficax, non quidem efficax extrinsece, & intrinsecè, sive exparte operis, & operantis; sed tantum extrinsece, & ex parte operantis efficax, quando scilicet exvi illius actus adeo voluntas est disposita, ut obfirmata maneat ad impediendum involuntarium, quod si non potest, non est defectus efficaciæ, sed potentiæ: inde est, quod si offeratur occasio ad illud involuntarium evitandum, extemplo exvi illius actus potentia applicabitur ad medis, per quæ vitari possit involuntarium illud.

Instabis. Voluntas non tendit in illud objectum, nimirum in mortem, nisi illis circumstantiis vestitum: atqui cum illis circumstantiis objectum est omnino impossibile, & inevitabile; ergo si volntas efficaciter non tendit in objectum impossibile simpliciter, nec etiam tendet efficaciter in illud ita circumstantionatum. Major constat,

stat, quia voluntas non tendit in objectum absolutè, sed in objectum, ut proponitur per intellectum: atqui proponitur sub talibus circumstantiis: ergo proponitur ut impossibile simpliciter.

302. Respondetur negando minorem; est enim illud objectum sub talibus circumstantiis impossibile, & inevitabile secundum quid, non simpliciter: ad hoc enim, ut simpliciter esset inevitabile, necessarium erat, quod per nullum auxilium vitari posset: cum vero intellectus sentiat talem mortem per media aliqua humana, vel saltem divina, evitari posse, voluntas efficaciter media illa vult, & evitationem mortis, quæ quidem mors licet ut sic sine aliis mediis appareat inevitabilis, non tamen est inevitabilis simpliciter.

303. Inferes: Ergo illa voluntas tantum erit conditionata. Probatur illatio, quia voluntas ex eo tendit efficaciter in illud objectum, quia si darentur media, foret possibilis illius evasio; ergo possibilitas dependet ex purificatione conditionis, nimirum ex appositione mediorum, sed ad objectum conditionatum non datur voluntas absoluta & efficax, sed conditionata, ergo. Respondetur distinguendo illationem; ergo illa voluntas erit tantum conditionata ex parte objecti, concedo: ex parte actus, nego: nam actus, quo ille homo vult evasionem mortis absolutus est, & verus, adeo efficax, ut posita conditione sine novo actu voluntas revocaretur ad evasionem mortis.

Dices: Ex hac solutione sequitur Deo esse simpliciter involuntariam reprobationem damnatorum. Sequela probatur, quia reprobatio ista est contra voluntatem Dei conditionatam ex parte actus, ut docent Fonseca 9. Met. cap. 2. q. 3. sect. 3. assert. 1. Molin. q. 19. 1. p. art. 6. disp. 2. Suar. & alii, quos relatos sequitur, Salas 1. 2. tract. 6. disp. 1. sect. 3. n. 9. ubi Montesinos disp. 17. q. 4. n. 42. qui docent actum illum, quo Deus vult omnes homines salvos fieri esse absolutum, & verum in Deo, conditionatum tantum ex parte objecti.

304. Respondetur negando sequelam, quamvis enim verum sit illam voluntatem Dei salvandi omnes, esse conditionatam ex parte objecti, non verò ex parte actus, quia tamen est quidam simplex, & inefficax affectus, quantum est ex se, ideo reprobatio, cui ille affectus renititur, non est Deo simpliciter involuntaria, nam simpliciter involuntarium postulat renitentiam efficacem: an verò sit secundum quid involuntaria respectu Dei, videndum est infra à n. 803.

305. Unde notanda est differentia præcipua inter actus efficaces, & inefficaces: efficax enim est ille, quo posito voluntas, si potest absque alio novo actu applicabit potentias, exietque in opus: si verò non potest, defectus operis per accidens se habebit ad efficaciam actus, & in defectum potentiæ, non verò actus refundetur, nam eodem actu, quo voluntas non exit in opus propter impedimenta, exiet illis remotis: actus verò inefficax talis est, ut licet voluntas possit exire in opus, non tamen applicat potentias per illum actum, sed alio actu eget, & per consequens defectus operis non tribuitur potentiæ, quæ de se potest exire in opus, sed inefficaciæ actus tribuendus est: cum igitur in damnatis, & similibus detur actus, quo quantum est ex se voluntas evitaret illud malum, si obstacula non essent, efficax dicendus est; voluntas verò divina salvandi omnes, cum non exeat in opus, non est defectus potentiæ, quia omnipotens est, sed defectus efficaciæ actus.

306. Urgebis: Voluntas efficax non dicitur talis, nisi per ordinem ad effectum, ad quem refertur; ergo si effectus fieri non potest, non erit efficax actus erga illam. Consequentia probatur, quia illa voluntas in damnatis tendit in effectum impossibilem; atqui effectus impossibilis fieri non potest; ergo volontas illius non erit efficax. Respondetur: concedo antecedens, distinguo consequens; ergo si effectus fieri non potest secundum se, & absolute, non erit efficax, concedo: si fieri non potest in his tantum circumstantiis, nego: ad probationem distinguo majorem, illa voluntas in damnatis tendit in effectum impossibilem absolute, & secundum se, nego, ut circumstantionatum, concedo: similiter distinguenda est minor, &c. neganda consequentia: & quamvis volontas specificetur ab objecto, non secundum se, sed apprehenso, tamen damnati non apprehendunt illud objectum, ut omnino impossibile absolutè, cum probè norint absolute possibile esse, si Deus velit, veniantque auxilia humana, quamquam ut sic, & nunc non possit evitari.

307. Dices: Voluntas efficax non solum postulat effectum, sed debet illum actualiter habere: atqui illi damnati ad capitale supplicium non habent actualem effectum; nimirum evasionem; ergo nec habent actum efficacem erga illum. Respondetur distinguendo majorem, voluntas efficax non solum postulat effectum, sed etiam illum actualiter habere; divina, concedo; creata, nego: cum enim voluntas divina non possit impediri à fortiori agente, cum defectus effectus non possit refundi in defectum potentiæ divinæ, refundendus est in defectum efficaciæ actus: voluntas vero creata, cum impediri possit ab alio agente, sic impedita potest esse efficax, non per denominationem extrinsecam ab effectu sequuto, sed intrinsece per modum actus primi, eo quod si non foret impedita, quantum est ex se, sine novo actu prodiret in effectum, ideo defectus effectus refundendus est in defectum voluntatis, non in defectum efficaciæ actus.

308. Dico secundo. Ad involontarium secundum quid requiritur, quod sit contra actum omnino inefficacem voluntatis. Ita communiter Doctores. Primo, quia involuntarium secundum quid est contra actum voluntatis, qui simul stare potest cum opposito actu efficaci (quocumque modo efficax sit) circa eumdem omnino effectum; ergo actus, qui illi renititur, non potest esse efficax. Probatur consequentia, quia jam darentur duo actus in eadem voluntate respectu ejusdem effectus cum eadem efficacia contrarii.

309. Probatur secundo. Quando quis projicit merces in mare, ista projectio mercium est involuntaria secundum quid projicienti: atqui est contra actum inefficacem, sive velleitatem non projiciendi merces in mare, qui stat cum voluntate opposita efficaci projiciendi, quæ de facto projicit merces in mare; ergo. Minor patet, quia si non esset actus inefficax, sed efficax; voluntas simul efficaciter projiceret, & non projiceret merces in mare. Idem argumentum fit de voluntate, qua Christus mortem timuit: & de voluntate, qua Deus vult omnes homines salvos fieri.

SECTIO QUINTA.

De divisione involuntarii.

VArias divisiones involuntarii tradunt Auctores, in præsenti vero tantum trademus eas, quæ communiter, vel reprobantur, vel approbantur à Doctoribus.

SUBSECTIO PRIMA.

Utrum involuntarium dividatur in actuale & objectivum.

310. INvoluntarium actuale est quod procedit à voluntate, sive actus potentiæ appetitivæ; objectivum verò, est objectum, quod respicitur ab ipsa potentia: & cum constet dari involuntarium objectivum, est quæstio, utrum etiam detur actuale, sive causale? idem enim est. Respondetur negativè. Est communis sententia tradita ab Scoto In 4. dist. 49. q. 7. n. 7. sequitur Suar. tract. 2. In t. 2. disp. 2. sect. 1. n. 11.

311. Probatur primo ex definitione Involuntarii, quod est *à principio extrinseco contra inclinationem naturæ*: atqui actus procedit ab intrinseco, siquidem à potentia appetitiva elicitur: non est contra inclinationem; siquidem omnes actus, qui à potentia procedunt, illi sunt convenientes; *nihil enim convenientius est causa, quam proprius effectus*; ergo nullus actus voluntatis, vel potentiæ appetitivæ, est illi involuntarius, sed omne involuntarium objectum est per denominationem extrinsecam, desumptam ab actu nolitionis, cui opponitur, quæ quidem nolitio maximè voluntaria est, etiam si objectum illius involuntarium sit.

312. Probatur secundo ex definitione voluntarii; est enim quod procedit *à principio intrinseco prævia cognitione*, ergo quicumque actus potentiæ appetitivæ illi est voluntarius, siquidem omnes ita eliciuntur ab ipsa. Tertio, quia voluntas omne involuntarium detestatur, eique molestum, & peracerbum est: atqui voluntas non detestatur suos actus, cum in illos ab intrinseco propendeat, & ex eadem ratione nullam ex eis capit acerbitatem, vel molestiam: ergo nullus actus voluntatis, sive potentiæ appetitivæ illi est involuntarius.

313. Oppositum innuit Cornejo disp. 3. dub. 2. n. 9. §. Respondetur secundo. Defendit Montesinos disp. 10. p. 8. n. 116. Primo, quia involuntarium opponitur voluntario; atqui voluntarium est actuale, & causale; ergo involuntarium debet esse causale. Consequentia probatur ex illo communi proloquio, *quot modis dicitur unum oppositorum, dicitur & aliud*. Respondetur distinguendo majorem: involuntarium opponitur voluntario, tamquam actus actui, nego: tamquam objectum objecto, & actui, concedo: cum enim implicet dari actum involuntarium, non potest opponi tamquam actus actui voluntario, sed tamquam objectum objecto, & actui voluntariis, ita tamen quod objectum involuntarium immediatè opponatur objecto voluntario, & mediate actui voluntario.

Explicatur solutio exemplo mortis, quæ quidem objectum est involuntarium, oppositum immediatè objecto voluntario, idest vitæ, & mediate actui voluntario, idest desiderio vitæ. Dices. Qui mortem detestatur, & vitam desiderat, non solum mortem, sed etiam actum, per quem mors desiderari potest, abhorret; ergo etiam actus erit involuntarius. Respondetur distinguendo consequens; ergo etiam iste actus erit involuntarius, ut actus elicitus, nego: ut objectum necessario connexum cum morte, concedo: quamvis enim impossibile sit, quod quis mortem, & non ejus desiderium detestetur, tamen desiderium illud est objectum, & ut objectum apprehenditur, ut fugiatur.

314. Secundo. Actio est violenta agenti: ergo est involuntaria: sed actio est actus; ergo dabitur actuale involuntarium. Respondetur: transeat antecedens, de quo infra à n. 355. deinde distinguo primum consequens; ergo actio est involuntaria, extrinsecè, per denominationem desumptam à voluntate, concedo; intrinsecè, nego; licet enim actio procedat ab agente externo intrinsece, prout physicum quid est, non tamen intrinsece est involuntaria, nam hanc denominationem involuntarii desumit ab appetitu, estque illa actio tunc involuntaria, non ut actus, sed ut objectum, quod non vult appetitus, siquidem actus potentiarum externarum actus sunt respectu illarum, & objecta respectu appetitus.

QuidamConimbricensis Academiæ gravis Doctor involuntarium actuale ut defenderet, ita philosophatus est: asserit enim involuntarium actuale esse illum actum, qui impossibilis judicatur ad imperandum, vel eliciendum ex dispositione voluntatis, veluti si voluntas nolit efficaciter ambulare, volitio ambulandi est involuntaria, ut actus elicitus respectu voluntatis sic affectæ, eo quod voluntas ut sic, volitionem non possit elicere: similiter & actus ambulandi, est involuntarius, quia voluntas sic affecta, ambulationem imperare non potest.

315. Verum hæc doctrina, ultra quod sit contra omnes Theologos, falsa est; primo, quia ille actus, ut judicatur impossibilis, nullam affert molestiam; ergo non est Involuntarius. Consequentia patet, quia involuntarium juxta Aristotelem molestiam causat, & dolorem. Antecedens verò probatur, tum quia impossibile non causat molestiam voluntati: tum quia illa impossibilitas oritur ex propria voluntate; nam quotiescumque voluntas voluerit omittere volitionem illam efficacem, cessabit impossibilitas actus oppositi: atqui involuntarium simpliciter non est in proprio appetitu; ego, &c. Secundo, quia si stante illa volitione efficaci ambulandi Deus efficeret, ut voluntas simul eliceret volitionem contrariam (nam duo actus contrarii per divinam potentiam in eodem subjecto esse possunt) illa volitio non esset violenta voluntati, siquidem procederet à principio intrinseco; ergo nec etiam erit violenta, & involuntaria judicata, ut impossibilis.

316. Ex præfata resolutione, sequitur reprobandam esse divisionem involuntarii in intrinsecum, & extrinsecum, coincidit enim cum divisione involuntarii in actuale, & objectivum; & insuper probatur primo, quia id quod procedit à principio intrinseco non est involuntarium simpliciter: ergo omne involuntarium debet esse extrinsecum. Patet consequentia, quia omne intrinsecum procedit Intrinsecè à potentia, nulloque modo potentia ipsi contrariatur, aliter ipsa potentia sibi ipsi ruinam, & molestiam moliretur. Secundo; Si daretur involuntarium intrinsecum, vel esset nolitio, vel volitio: atqui neuter horum actuum potest esse involuntarius; ergo non est admittendum, nisi involuntarium extrinsecum. Minor probatur primo de volitione, quam ex ipso nomine constat esse voluntariam, nil enim magis est voluntarium voluntati, quam ipsa volitio: secundo ostenditur da nolitione, tum quia procedit à voluntate prævia cognitione: tum quia nolitio est actus positivus voluntatis explicatur per nega-

tionem; & absolute est volitio, qua voluntas vult fugere malum, de quo supra à n. 204.

SUBSECTIO SECUNDA.

Utrum involuntarium dividatur in indirectum, & directum?

317. REspondetur affirmativè. Ita Ægidius Lusit. in suis manuscript. de voluntario art. 4. ad q. 6. disp. 1. sect. 1. §. *si rursus*, eam postea videtur sequi Muntesinos disp. 10. quæst. 4. sequitur etiam Granado tom. 1. in 1. 2. controuers. 2. disp. 6. n. 10. quatanus docet simpliciter, & absolute voluntatem violentari posse quoad cessationem actus: idem docuit Suar. disp. 2. sect. 5. n. 3. appellans talem cessationem (quam admittit) involuntariam: & in hac sententia videntur stare Doctores asserentes carentiam actionis posse esse violentam, & involuntariam voluntati, quos refert & sequitur Salas tract. 3. disp. 2. sect. 2. Cornejo dub. 4. §. *secunda conclusio*, in eadem est sententia, quatenus admittit voluntatem cogi posse à Deo quoad omissionem actus eliciti simul, & imperati.

318. Probatur primò ex Philosopho 3. Ethicor. cap. 1. dicente non solum efficere involuntarium id, quod est contra actum voluntatis, sed etiam id quod sedat naturalem ejus motum: atqui sedare motum voluntatis, nil aliud est, quam impedire operationem voluntatis, ad quam in actu primo voluntas est propensa; ergo illa cessatio operationis erit involuntaria, & per consequens dabitur involuntarium indirectum.

319. Secundo probatur, quia in externis potentiis multi actus imperantur à voluntate, quibus frustratur, dum à vi externa agentis impediuntur, ut cum quis detinetur, ne audiat sacrum, aut navem gubernet: atqui omissio sacri, & gubernationis, involuntaria est voluntati; & per consequens effectus ex omione secutus; ergo dabitur involuntarium indirectum.

320. Tertio, quia Deus potest denegare voluntati concursum generalem, ut aliquem actum producat, vel conservet, itaut si voluntas velit illum actum producere, vel conservare, non possit; ergo involuntarie, & violenter cessabit voluntas à productione, & conservatione talis actus. Probatur consequentia primo, quia si Deus denegaret concursum soli, ne illuminaret, sol violentiam pateretur; ergo similiter si Deus denegaret concursum voluntati, ne produceret, voluntas involuntariè cessaret; quod enim soli est violentum, voluntati est involuntarium. Secundo, quia ista cessatio provenit ab agente extrinsaco contra naturalem inclinationem voluntatis, quæ quantum in se est vult producere, & conservare actum; ergo ista cessatio erit involuntaria indirecte.

321. P. Suar. citat. n. 14. quem communiter sequuntur Recentiores in manuscriptis, negat dari involuntarium Indirectum: primo, quia si daretur, vel foret omissio actus, vel omissio effectus; neutrum dici potest: ergo nullum datur involuntarium indirectum. Minorem probat, quia involuntarium debet supponere aliquid positivum, cui contrarietur: atqui hic nullum apparet positivum: ergo nullum dabitur involuntarium. Respondetur negando minorem, utrumque enim dici potest: nam in potentiis externis fit vis actui elicito voluntatis, qui renititur, ne audiat sacrum, & ab auditione sacra violenter impeditur, deinde in ipsa voluntate fit vis ipsi appetitui, & inclinationi innatæ potentiæ in actum, à quo cessare compellitur: eo enim ipso quod tollitur unum comprincipium naturale, & privatur potentia aliqua perfectione sibi debita, violentia illi infertur.

322. Secundo. Si auferatur omnis virtus, & actus, ex quo omissio procedit, omissio quidem erit non voluntaria, non verò involuntaria contrarie. Antecedens probatur, quia de ratione involuntarii est; quod repugnet appetitui positivè. Respondetur: concedo totum, hic enim non tollitur omnis vis positiva, sed impeditur, quo impedimento fit vis, & violentia potentiæ, ut apparet in sole non illuminante, quia Deus illi denegat concursum necessarium. Quando verò Doctores docent omissiones non esse involuntarias, sed esse non voluntarias, non loquuntur de omnibus omissionibus, sed de his, quæ ignoranter fiunt, aut sine ulla renitentia voluntatis elicita, aut innata.

SUBSECTIO TERTIA.

Traduntur cætera divisiones involuntarii.

323. REprobatis divisionibus involuntarii in actuale & objectivum, in extrinsecum, & intrinsecum, approbataque divisione in indirectum & directum involuntarium, supersunt aliæ divisiones. Prima est in involuntarium perfectum, & imperfectum: perfectum est, quod accidit contra voluntatem deliberatam, vel cum formali cognitione mali, quod evenit: imperfectum fit contra voluntatem indeliberatam, ut in motibus primo primis, brutis, & amentibus videre est.

324. Secunda fit in involuntarium in se, & in alio: involuntarium in se est id, quod voluntas per propriam nolitionem detestatur, ut pœnæ damnatorum: involuntarium in alio est id, quod voluntas detestatur in causa necessario connexa cum suo effectu: qui enim venenum fugit immediatè, in eo simul mortem, quæ est illius effectus abhorret.

325. Ubi notandum est, quando involuntarium in alio fieri postulat à diversis causis, non sufficere, quod quia nolit unam ex causis, ad hoc ut censeatur nolle effectum, licet ut actus sit voluntarius in alio sufficiat velle unam ex causis, à quibus procedere potest effectus, dummodo prævideatur futurus: & ratio discriminis est, quia, ut effectus producatur, sufficit velle unam causam sufficientem ad existentiam effectus, ut verò non existat effectus, requiritur nolle omnes causas, quia licet nolit hanc causam, potest velle aliam, negatio quippe cum sit malignantis naturæ, omnem excludit virtutem, affirmatio verò stare potest cum qualibet virtute; ex quo à fortiori infertur nullum esse involuntarium in causa per accidens, sive detur, sive non detur præceptum.

326. Tertia est celebris divisio involuntarii in involuntarium simpliciter, & in secundum quid: involuntarium simpliciter est contra actum voluntatis efficacem, sive est contra actum, qui cum opposito actu efficaci cohærere non potest: exemplum sint pœnæ damnatorum, quæ involuntariæ sunt simpliciter damnatis, eo quod sunt contra actum voluntatis efficacem, per quem illis pœnis renituntur: involuntarium secundum quid est contra actum simplicem, & inefficacem, qui cum opposito actu efficaci stare potest: exemplum sit projectio mercium in mare, quæ involuntaria est secundum quid, eo quod est contra voluntatem inefficacem non projiciendi illas. Hæc divisio coincidit cum illa alia, qua dividitur involuntarium in involuntarium purum, & in mixtum: purum coincidit cum involuntario simpliciter, mixtum verò cum involuntario secundum quid.

327. Subdividitur autem hæc divisio tam involuntarii simpliciter, quam secundum quid; nam involuntarium simpliciter dividitur in involuntarium per vim, & in involuntarium per ignorantiam; involuntarium verò secundum quid dividitur in involuntarium ex metu, & in involuntarium ex concupiscentia: cujus divisionis membra quam plurimis difficultatibus involvuntur, quæ per sequentes sectiones explicandæ sunt.

SECTIO SEXTA.

De involuntario per vim, sive de violento.

Exposita involuntarii in communi essentia, ejusque divisionibus, aggredimur in speciali agere de involuntario, ut in tertia divisione subdivisa est n. 327. & primum locum obtinet violentum, quod species est involuntarii, de quo agemus, prius ut violentum est commune, deinde ut violentum involuntarium.

SUBSECTIO PRIMA.

De essentia Violenti.

328. Violentum definitur à Philosopho 1. Ethicor. cap. 3. text. 6. juxta translationem Leonardi Aretini, *cujus principium extra est, cum is, cui vis affertur, nihil opere conferat:* approbatur definitio à Nisen. 5. Philosophor. cap. 1. Damascen. lib. 2. de fide orthodoxa. cap. 24.

Quam clariori modo proposuere Theologi scholastici, *Violentum est illud, quod est à principio extrinseco, passo non conferente vim.* Illam approbaverunt Angelicus Doctor 12. q. 6. art. 4. Subtilis in 4. disp. 29. n. 6. & dist. 43. q. 4. n. 2. quos secuti sunt reliqui Theologi; & ut ejus veritas manifesta sit, per sequentes difficultates ejus particulas exponam.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum principium violenti debeat esse supposito distinctum à passo?

329. Excitatur prædicta difficultas propter illam particulam (*à principio extrinseco*) & est dubium, utrum necessario requiratur, quod istud principium sit distinctum supposito à passo, cui vim infert. Respondetur negative, ita Martines. 12. q. 6. in expositione art. 4. & probatur primo exemplis; motus enim febrilis existens in ipso homine, causat varios effectus violentos violentiamque infert ipsi homini, cui inest: motus etiam primus, quo appetitus sensitivus omnino prævenit advertentiam rationis, cui voluntas renititur per inclinationem contrariam, est ipsi voluntati violentus; sive voluntas sit in gratia, sive non: nam si est in gratia tendit ad oppositum finem illius motus: si non est in gratia, sed in peccato habituali, renititur per inclinationem ad bonum secundum rationem: maxima enim pugna est inter utrumque appetitum, concupiscentem sensitivum adversus spiritualem: juxta illud Pauli ad Galat. cap. 5. vers. 17. *caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.*

330. Dices: Idem respectu ejusdem suppositi, nequit esse simul naturale, & violentum: atqui motus ille est naturalis respectu appetitus sensitivi; ergo non potest esse violentus respectu voluntatis. Respondetur distinguendo Majorem secundùm eamdem rationem consideratum, concedo: secundum diversam rationem, nego: in præsenti verò motu diversæ dantur rationes, nimirum caro, & spiritus; & respectu carnis, sive appetitus sensitivi, est motus naturalis, violentus respectu spiritus: Unde quando repugnat spiritui est violentus voluntati: respectu vero appetitus est simpliciter naturalis; Et ratio est, quia licet ad violentum requiratur distinctio realis, non tamen requiritur distinctio passi à supposito.

331. Dicendus ne sit iste motus absolutè & simpliciter violentus, an secundum quid? sive quidnam in præsenti motu prædominetur, violentum, an naturale? Respondetur prædominari violentum, illumque motum esse simpliciter talem, eum enim appellat D. Thom. q. 77. art. 7. in corpore simpliciter involuntarium: Et probatur, quia id, *quod supposito convenit secundum formam specificam, & propriam, simpliciter convenit: quod autem ei convenit secundùm rationem genericam, convenit secundum quid.* Arqui motus ille est violentus homini, ut homo est, siquidem repugnat voluntati, & est naturalis homini, ut animal est, siquidem convenit appetitui sensitivo; ergo erit violentus simpliciter, & secundum quid naturalis. D. Thom.

332. Dices, calefactio est simpliciter naturalis aquæ, quia est juxta inclinationem materiæ: atqui materia est pars minus principalis; ergo etiam motus ille, erit simpliciter naturalis, quia est juxta inclinationem appetitus sensitivi, quamvis sit pars minus principalis. Respondetur distinguendo minorem: atqui materia est pars minus principalis, in agendo, concedo: in patiendo, nego: Calefactio autem est passio respectu materiæ, motus est actio, iden naturalitas calefactionis desumi debet penes principium principalius passivum, nimirum materiam: naturalitas vero motus desumi debet penes activum principalius, quod cum sit voluntas, cui renititur violentus erit simpliciter.

333. Unde semper violentum desumendum est per ordinem ad partem principaliorem suppositi in genere physico; nam in genere morali semper voluntas est principalior pars, quæ attenditur: renitente enim voluntate, actio erit involuntaria, & violenta; etiam si sit conveniens naturæ; ut visio pulchri, est conveniens naturæ, & tamen si renitatur voluntas, erit simpliciter involuntaria: consentiente autem voluntate, quamvis actio sit naturæ disconveniens, erit voluntaria, ut abscissio brachii: quam doctrinam fuentur Salas tract. 3. disp. 1. sect. 1. n. 5. Rainaud. dist. 2. q. 1. art. 1. n. 19. Suar. 1. 2. tract. 2. disp. 2. n. 6. Corneio dub. 1. in fine.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum omne agens extrinsecum inferat violentum?

334. Respondetur affirmativè, si violetur interna exigentia naturæ: ita Rainaud. dist. 2. q. 1. art. 1. n. 12 ex Durando, & Bannes: quibus addo omnes Doctores, à n. 373. qui asserunt à Deo posse inferri violentiam creaturis, quasi enim coincidit cum ista difficultate, & ideo eo loco latius probanda est. Interim breviter probatur, quia ubicumque à principio extrinseco impeditur interna inclinatio, violentia passo infertur, sive à Deo, sive à creatura impediatur, si enim impedimentum appositum passo à creatura,

est violentum; cùm appositum à Deo violentum non erit, cum eadem sit impressio, & modus infereodi, à quo desumitur deoominatio violenti, & non à creatura?

Scot.

335. Si queras utrum priocipium extrinsecum sit per se complens; & constituens rationem violenti? dubium est, quod movit Scotus io 4. dist. 43. q. 4. à n. 4. Ex quo respondeo negative, ponitur enim in diffinitione violeoti *principium extrinsecum*, tamquam cause extrinseca necessaria ad hoc ut detur ratio formalis violenti, non verò ponitur, ut ratio formalis violenti: oemque ratio formalis violeoti, est quod passum reoitetur, ac proinde sumitur ratio formelis violenti ex habitudine passi ed formam, non verò passi ad agens.

Probatur ex Scoto citato vers. respondeo; *quia passo; & forma manentibus in sua ratione, puta, quod forma sit receptibilis, tamen contra inclinationem passi quomodocumque varratur agens, passum violente recipit*; ergo per ordioem passi ad formam, & non ad agens desumenda est tota ratio formalis violenti. Ant. patet exemplis, nam si lapis posset quiescere in loco superiori sioe actione agentis, violenter quiesceret: & si agens non coosetvet effectum, per quem violentiem intulit, passum adhoc violentatur: deinde, si aliqua forma à principio extrinseco inducatur, petita tamen ab ipsa natura passi, non obstante, quòd agens sit extrinsecum, forma non erit violenta passo; quando violentum non desumitur ex habitudioe formæ ad ageus, sed ad passum: quam resolutionem approbat Rada 4. p. controv. 15. art. 4. in fine, & §. *quæstionem istam*, ac §. *sed contra*:

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrum ad violentum sufficiat quod passum renitatur per appetitum innatum?

336. EXcitatur difficultas propter illam particulam definitionis, *passo non conferente vim*, & respondetur negativè, non enim sufficit, quòd potentie negetivè se habeat, sed requiritur amplius, quod positive resistat, ac proinde illa particule, *passo non conferente vim*, explicanda est contrarie, idest renitente, & resistente poteuna per oppositum. Ita D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 4. ad 1. Scotus in 4. dist. 29. q. 1. n. 6. vers. *ad quæstionem*: Suar. tract. 2. disp. 2. sect. 5. n. 5. vasques disp. 25. cap. 5. §. *cæterum*, & communiter Theologi: Probatur ex Philosopho. cap. 1. libri tertii Ethicor. & lib. 2. ad Eudemium cap. 8. docente violentum talis esse naturæ, ut in passis cognoscentibus molestiam generet: atqui quod non est contra ioternum appetitum, sive innatum, sive elicitum, oon generat molestiam, sed gaudium: quis enim oon gauderet, si veheretur equo, vel cucru, quæ vectio est contra gravitatem passi? sed quia passum non renititur contrarie, ideo oon est violenta.

D. Thom. Scot.

Aristot.

337. Probatur 2. quia ex opposito seqneretur quod anima violentiam pateretur in receptione habitunm supernaturalium; quod lux foret violenta corporibus opacis; & artificialis forma esset violenta ligno; & similiter aliæ actiones, circe quas passum se haberet oegative, forent violentæ: atqui hoc à nullo philosopho admittitur, ergo nec illod, ex quo sequitur.

338. Objicies 1. Philosophus definivit violentum 5. de generatione animel. *id quod est præternaturam*: atqui quod est præter naturam, non requirit resistentiam positivam in passo; ergo sufficit quòd passum non consentiat, & se habeat pure negative. Respoodetur vocem græcam, pro qua interpres transtulit *præter*, melius transferri posse *contra*, & ideo in græco idem est *præter*, ec *contrà*, & ideo particula *contra* semper usus est Aristot. 1. Magnorum moralium cap. 15. & sect. 1. problematum propositione ultima: imo etiam apud Latinos, *præter*, idem valet, atque *contra*, Ita enim haber Terentius in And. *præter civium morem, atque legem*!

Aristot.

Terentius.

339. Secundo. Siquis propriis bonis spolietur absque proprio; licet non reoitatur, vel resistat, patitur violentiam; ergo sufficit ad violentiem, quod voluntas se habeat negativè. Ant. probetur ex definitione *vis*, quæ habetur in lege, *vis autem*, ff. de eo quòd metus causa; ubi *vis est majoris rei impetus; qui repelli non potest*; ergo quamvis passum non resistat dabitur violentia. Respondetur distioguendo aot. licet non renitatur, nec resistat externe, concedo: interne, nego: Ad violentiam enim requiritur resistentia positiva, & non tantum oegativa; in casu illius legis, licer non detur resistentia externa, datur tameo interna volunteis, sine qua vis non daretur.

l. vis autem ff. de eo quòd metus causa.

340. Ex quo colliges præter potentiam activam, & passivem, dari inter utremque, potentiam neutram, quæ non inclinatur ad aliquam partem, sed est indifferens, & æque postulat utrumque; aut nec postulat, oec noo postulet; cui respondet motus neuter medius inter violentum, & naturalem: quæ fuit sententia Scoti in 4. dist. 43. q. 4. n. e. vers. *& ex hoc*, quem præter discipulos sequuntur Rainaud. citatus o. 5. Suar. io metaphisica disp. 41. sect. 4. n. 3. & 12. tract. 2. disp. 2. o. 5. Salas tract. 3. disp. 1. sect. 1. §. *tota doctrina*; & Doctores, qui inter naturalem, & violeotum motum; admittunt motum præternaturalem, ut Duran. & Almain, apud citat. Rainaud. Molin. 1. p. q. 12. art. 1. dub. 2. sub finem, Martinez 1. 2. q. 6. in Commentatio art. quarti.

Scot.

341. Et patet quia potentia potest considerari duobus modis: primo ut est sub eliqua forma, secundo secundùm se: Primo modo materia prima dicitur esse in potentia neutra ad actus formæ indifferentes: ignis est in potentia neutra ad hoc, ut in suo proprio loco quiescat, vel circulariter moveatur, nam primario solum postulat existere in suo loco, concomitanter verò, & per accidens, sic, vel sic existere: Aer est in potentia neutra ad lumen, & ejus carentiam: superficies etiam est in potentia neutra ad colores: & sic de eliis. Quæ quidem potentia, neutra dicitur, potius respectu formæ, quàm sui. Secundo modo, si potentia est instituta ad talem actum, actus erit naturalis respectu illius; si verò actus concomitanter sequatur entitatem potentiæ, tunc actus iile erit neuter: illa enim capacitas potentiæ, oec adæquate, oec ioadæquate per se ordioatur ad illum actum, sed tantum concomitanter: quo pacto superficies est in potentia neutra ad singulos, & ad omnes colores, ideo in cælo sine violentia caret omni colore; & materia prima est in potentia neutra ad singula, & ad omnia accidentia, una excepta quantitate, per quæ solvuntur argumenta, quibus eliqui Thomistæ potentiam oeutram impugnant.

QUARTAS DIFFICULTAS.

Utrum renitentia potentia debeat esse activa, an sufficiat passiva, vel formalis?

341. EXcitatur difficultas propter eamdem particulam *passo non conferente vim.* Suppono sufficere ad violentiam renitentiam formalem, quæ nimirum datur inter duas formas: in hoc conveniunt Doctores, de quo videndus est Montesin. disp: 10. q. 1. n: 17. & patet, quia inter albedinem, & nigredinem, inter frigus, & calorem, datur renitentia formalis, ergo si manente nigredine vel frigore, introducatur albedo, aut calor, hæc introductio violenta erit respectu formæ præexistentis.

343. Est tantum difficultas de renitentia passiva, an sufficiat ad violentum? Respondetur affirmativè; est sententia Scoti in 4. dist. 43. q. 4. n. 3. ubi
Scot. licet in primo passo, idest, in materia prima non admittat violentiam, est quia nihil est contra ejus inclinationem, & si foret inclinatio passiva, violentum esset. Sequuntur communiter Recentiores: Suar. in Metaphisica disp. 14. sect. 6. n. 19. & 12. tract. 1. disp. 2. n. 6. Rubius q. 4. de potentiis animæ n. 72. Salas citatus §. *unde*, Martines cit. Montesin. citatus n. 6. Curiel 12. q. 6. art. 4. in commentario Cornejo dub. 1. §. quæres 3. Carmelit. 1. 2. tract. 10. disp. 4. dub. 1. §. 2. n. 3. Et quo magis
D. Thom. est, est expressa sententia D. Thom. 1. 1. q. 6. art. 4. ad 2. ubi *non semper est motus violentus, quando passivum immutatur à suo activo, sed quando hoc fit contra interiorem inclinationem passivi.*

344. Probatur: ad motum naturalem sufficit, quod fiat secundùm inclinationem passivam; ergo etiam ad motum violentum sufficit quod fiat contra inclinationem passivam. Respondet 1. Vasquius 1. 2. disp. 25. cap. 1. n. 20. §. *ad posterius* negando ant. asserit enim nullum motum esse naturalem ex sola potentia passiva materiæ, aliter contra naturam materiæ esset perpetua quies, quam cælum habebit. Sed contra, quia motus cæli, vel est neuter, vel naturalis: si neuter, quies non erit violenta; si naturalis, quies violenta erit ratione materiæ, non subjecti, de quo infra n. 348. Respondet 2. supponi falsum, materiam esse naturam, ac proinde cum motus naturalis debeat progredi necessario secundum inclinationem naturæ, etiam motus violentus debet esse contra inclinationem naturæ, & cum materia non sit natura, nullus motus respectu illius erit violentus; sed hæc responsio
Aristot. supponit falsum contra Philosophum 2. Physicor. cap. 1. text. 10. & 11. reprobaturque communiter à Philosophis. Videantur Suar. in Metaphysica disp. 15. sect. 11. n. 9. Petr. Hurtado in lib. Physicor. disp. 7. sect. 2. Conimb. ibi q. 3. art. 2. §. Peripatetica, Carmelit. in cursu philosophico ad lib. Physicor. disp. 7. q. 3. n. 18.

34. Respondet tertio. Ægid. Lusitan. in manuscriptis de voluntario q. 6. art. 4. disp. 1. sect. 2. §. 3. ad 3. negando consequent. quia ad violentum requiritur renitentia activa, non ad naturalitatem. Verum de hoc est quæstio, & major ratio inquiritur: & non apparet, nec apparebit, cur oculus applicatu objecto, medio illuminato, pupillaque recte disposita, non recipiat speciem visibilem, & in non recipiendo, nullam patiatur violentiam, eam verò patiatur, si informatus specie, aliisque requisitis ad videndum, non videat: cur materia, si omni forma denudaretur, impediretur que ab alteratione, & generatione substantiali, non passa foret violentiam, cum ab extrinseco agente, contra vim passivam renitentem materialiter passo dē nudetur omni forma.

346. Oppositum docuerunt Vasques n. 16. §. *mihi tamen.* Granad. tract. 2. disp. 5. n. 2. Conimb. 2. de generatione cap. 11. q. 1. art. 4. ad 4. Ægid. Lusitan. cit. Probabile fatetur Salas, & menti Philosophi consonum. Probant 1. ex Aristor. 2. Ethicor. Aristot.
ad Eudemum cap. 8. docente, violentum esse contra motum, impetum, & conatum patientis: atqui inclinatio passiva ad formam; non est impetus; ergo, &c. Probatur Minor, quia impetus denotat activitatem. Respondetur negando minorem: sumitur enim à Philosopho impetus latè pro propensione, & pondere naturæ in aliquid sibi consentaneum, quod involvit etiam inclinationem passivam; aliter, si stricte sumeretur, significaret inclinationem potentiæ actuæ in actu 1. & sic non sufficeret ad violentum renitentia activa in actu 1. quod nullus contrariorum asserit.

347. Probant secundo ex variis absurdis, quæ ex nostra sententia sequuntur. Primum est tenebras esse aëri violentas. Respondetur negando ant. nam aër est in potentia neutra ad lucem, & tenebras, nec magis has, quàm illam, postulat, & ideo nec tenebræ, nec lux violenta sunt aeri, ut nec etiam illi sunt naturalia. Et si cum Salas admittamus tenebras esse violentas aëri, quando eis non eget, ut ad pristinum reducatur statum: non video, quid habeat absurditatis.

348. Secundum absurdum, est: quies esset violenta cælo, quando in die judicii immobilis persistet, & per consequens, jam violentum foret perpetuum, siquidem quies illa perpetua erit. Circa hoc punctum variæ sunt Doctorum sententiæ, quidam enim affirmant primum mobile determinare sibi proprium motum ab Oriente, ad Occidens, Sphæras verò determinare sibi proprium motum ab Occidente in Oriens, & hoc tantum ratione principii passivi. Ita D. Thom. 1. p. q. 70. art. 3. ad 4. D. Thom.
Capreolus in 2. dist. 9. q. 1. art. 3. ad 5. Soncin. 12. Met. q. 2. Fonseca 5. Met. cap. 4. q. 2. sect. 5. celebremque esse sententiam testantur Conimb. 1. de cælo cap. 2. q. 3. ex qua opinione sequitur quietem futuram cælo violentam, nisi recurratur ad eam opinionem, quæ asserit non inferri à Deo violentiam creaturis, & cum illa quies esset à Deo specialiter, non foret violenta. Ita Carmelit. respondent huic argumento in cursu philosophico lib. 2. Phys. disp. 7. q. 7. & hoc loco tract. 10. disp. 4. n. 4. sed quia subsect. 3. hanc opinionem non admittimus, aliam sequimur viam.

349. Alii namque, quos nunc sequimur probabilius docent, cælum ad utrumque motum habere potentiam neutram, cum non magis ex sua natura ad hunc, quàm ad illum motum se determinet: Ita de Sphæris docuerunt Conimb. 2. de cælo cap. 5. q. 4. art. 2. ad 2. simulque eamdem potentiam habere ad motum, & quietem juxta doctrinam Fonsec. sect. 6. Conimb. 1. de cælo cap. 2. q. 3. art. 4. Phys. cap. 1. q. 2. art. 3. ad 1. ex qua opinione sequitur quietem non futuram cælo violentam, sed præternaturalem. Addo ex Salas cit. quietem nunc esse cælo violentam, non tamen sic futuram esse in consummatione mundi, si motus nunc circularis est cælo naturalis, ad hunc enim motum inclinatur modo in quantum conducere potest ad generationes, ad quas, cum in fine mundi non conducat, non inclinabitur magis ad motum, quàm ad quietem.

350. Tertium absurdum est, quia materia, quæ modo est sub una forma, violenter alia carebit, cum ad illam, quam non habet, inclinetur ex ap-

petitu naturali. Respondetur negando ant. quia quando materia actuatur aliqua forma, naturaliter est sub illa, & quando hac privatur, aliaque introducitur, etiam naturaliter materia est sub illa alia forma: & ratio est quia materia non determinat sibi receptionem hujus formæ, sed indeterminatè, successivè postulat omnes formas, & inde est quod naturaliter est sub quacumque forma, & actuata per unam formam respectu illius, habet appetitum complacentiæ; appetitus desiderii, quem ad alias formas habet, non renititur, etiam passivè, cum naturaliter sit impossibile pro tunc habere aliam. Si autem asseratur, ubi primum materia est disposita ad introductionem alterius formæ, violentari, nisi denudetur ea, qua actuatur; nullum erit absurdum, ut bene vidit Raynaud. cit. n. 15.

351. Quartum absurdum, humanitas Christi Domini esset in statu violento defectu propriæ subsistentiæ. Probatur, quia illa res est in statu violento, quæ caret aliqua proprietata, & perfectione sibi connaturali: atqui subsistentia creata est perfectio, & proprietas humanitatia, quâ caret subsubsistentia Verbi; ergo erit in statu violento. Respondetur primo negando ant. ad probationem distinguo majorem: si non introducatur alia forma supplens propriæ proprietatis defectum, concedo: si introducatur alia, quæ illum defectum suppleat, nego: quamvis enim humanitas Verbi careat perfectione subsistentiæ sibi connaturalis, suppletur tamen carentia per subsistentiam Verbi divini, per quod supplementum non datur actio repugnans humanitati, sed supernaturalis; ad violentum autem requiritur & quod sit ab agente extrinseco, & quod forma, quæ introducitur fiat per actionem repugnantem subjecto, formæque introductæ repugnet, & contrarietur inclinationi subjecti, sive activæ, sive passivæ: inde est quod si aqua calefiat, est in statu violento, eo quod introducitur forma repugnans, idest calor, proprietati aquæ, idest, frigori, & per actionem repugnantem; nimirum per calefactionem; carentia autem formæ leonia in materia lapidis non est violenta, quia carentia formæ leonis non inducitur in materiam lapidis per actionem repugnantem: Unde cum Verbum divinum non fuerit unitum humanitati per actionem repugnantem; siquidem unio hypostatica non repugnat humanitati, non inducet violentiam.

352. Instabis, appetitus innatus nunquam satiatur, nec impletur, nisi per propriam perfectionem, etiamsi carentia illius suppleatur per perfectiorem, ideo aqua non satiatur per calorem, qui frigore perfectior est; ergo etiam si subsistentia Verbi sit perfectior, non ex eo humanitas carens propria subsistentia desinet esse in statu violento. Ant. probatur, quia hæc est differentia inter innatum, & elicitum appetitum, quod appetitus innatus non nisi per propriam perfectionem, elicitus verò etiam per aliam perfectionem perfectiorem satiatur: & ratio differentiæ est; quia appetitus elicitus sequitur cognitionem, & cum cognitio proponat objectum perfectius, objecto hoc satiabitur, & implebitur. Respondetur distinguendo majorem: appetitus innatus nunquam satiatur, nec impletur, nisi per propriam perfectionem, si alia, quæ introducitur eminenter contineat propriam, & cum ea sit incompossibilis, nego: si non contineat eminenter perfectionem, & sit compossibilis, cum alia, quæ illam continet, concedo: & ex hoc provenit quod visio beata non satiat appetitum innatum, quia licet contineat perfectiori modo scientiam acquisitam, est tamen compossibilis cum ea: & calor non satiat aquam, quia non continet eminenter frigus: cum ergo subsistentia Verbi eminenter contineat omnem perfectionem subsistentiæ creatæ, & incompossibilis sit naturaliter cum subsistentia creata, non erit violenta humanitati.

353. Respondetur secundo ideo subsistentiam Verbi non esse violentam humanitati, quia non solum continet eminenter perfectionem omnis subsistentiæ creatæ, sed perfectionem subsistentiæ creatæ communicat nobiliori modo, veluti effectum formalem: Unde, quamvis lux eminenter contineat calorem, virtus, & qualitas Astrorum eminenter contineat frigus, nec ignis per lucem, nec aqua per qualitatem Astrorum satiabitur, quia lux non communicat formaliter calorem, nec qualitas Astrorum, frigus; & in hac solutione scientia beata satiabitur per appetitum innatum intellectus circa scientiam acquisitam, quia effectū formalem hujus scientiæ formaliter communicat intellectui.

354. Tandem respondetur tertiò, hoc argumentum æque valere in opinione eorum, qui asserunt subsistentiam promanare à natura, namque in illa subsistentiæ carentia est contra renitentiam activam humanitatis, & sic in hac opinione solvitur hoc argumentum asserendo illam renitentiam activam non manere per modum actus secundi, sed primi: ideo non dari violentiam, utunturque exemplo dotis agilitatis, quæ cum sit contra gravitatem naturalem, non est violenta corpori glorioso, quia manet fundamentaliter per modum actus primi gravitas absque appetitu desiderii, quo actu tendat in grave, non concurrente Deo ad eam renitentiam ratione dotis agilitatis: eo igitur modo est dicendum, si renitentia est passiva: vel enim omnino tollitur à Deo, vel manet fundamentaliter per modum actus primi absque appetitu desiderii, quo actu tendat in consecutionem propriæ subsistentiæ. Responderi potest 4. cum Raynaud. citato, non esse absurdum asserere humanitatem esse violentam, sed cum violentia grata, & optabili, quam per appetitum elicitum optaret perpetuo habere.

SUBSECTIO SECUNDA.

De rebus, quæ possunt esse violenta agenti.

CUm violentiæ ratio formalis non sit ordo ad agens extrinsecum, sed passi ad formam; videndum est quænam formæ, vel illarum carentiæ sint agenti violentæ, quod in sequentibus difficultatibus discuciendum est.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum actio sit violenta agenti?

355. SUppono omne, quod repugnat appetitui, vel innato, vel elicito, vel activo, vel passivo, esse passo violentum: & cum in omni violentia interveniat agens, & patiens, etiam intervenire debet actio, passio, & terminus, & de actione modo est difficultas, utrum sit violenta agenti, ut agens est? Respondetur negativè. Ita Suar. t. 2. tract. 2. disp. 2. sect. 2. n. 3. Vaq. disp. 25. cap. 2. n. 14. §. *jam verò*, & n. 15. §. *his omnibus*; & disp. 27. cap. 1. n. 1. §. *similiter*. Cornejo disp. 2. dub. 1. §. *quæres* 1. & prius Paludanus in 4. dist. 29. q. 1. art. 1. dicens, *movens potest cogi non in se, sed in illius mobili*, Cajet. 1. p. q. 82. art. 1. §. ad 2.

Probatur primo quia actio, nec est ab extrinseco, nec agenti repugnans, ut actio est; quando nequit esse agenti violenta. Consequentia optima est ex

definitione violenti. Ant. probatur primo, quia actio, ut ab agente est, est à virtute agentis, seu ab ipsomet agente (idem enim est:) atqui agens non potest esse extrinsecum sibi ipsi; quando actio respectu agentis non est à principio extrinseco. Secundo quia agens, ut agens est, actione completur, & illi conveniens est agere, quando actio non est forma repugnans agenti, imò illi est conveniens.

356. Confirmatur, quia agens aut est principale, aut instrumentale: si primum, enim agat in virtute propria, actio est ab ipsius agentis naturali propensione: si secundum, aut est instrumentum naturale determinatum à natura ad illam actionem, & tunc etiam actio connaturalis est illi instrumento, cum sit juxta inclinationem naturæ; aut est instrumentum artificiale, in quo actionem præcedit motio agentis principalis, quæ motio multoties violenta est instrumento, quod respectu illius, non agens, sed passum est: posita verò motione, actio, quæ postea sequitur connaturalis est tali instrumento: exemplum sit aqua, quæ violentatur in receptione caloris, non tamen in calefaciendo: aut instrumentum est supernaturaliter elevatum, & sic actio non est repugnans, nisi fortè in recipiendo.

357. Ex qua doctrina sequitur, si actio consideretur per ordinem ad principium immediatum, à quo elicitur, non esse agenti violentam: posse tamen esse violentam, si consideretur per ordinem ad aliud principium superius, cui immediatè subjicitur, ideo si manus moveatur contra voluntatem renitentem, motus erit manui naturalis, violenta voluntati.

358. Oppositam sententiam docuit Salas tract. 3. disp. 2. sect. 2. n. 11. §. *sed hac opinio*, ubi inadvertenter affirmat nostram conclusionem pro se nullum habere Authorem: eam indicat Raynaud. in opere morali tom. 1. citata dist. 2. q. 1. art. 1. n. 8. & n. 18. primò probat ex Aristot. qui ita definit violentum: *violentum est, cujus principium est foris, in quod nihil is, qui agit, aut patitur, confert*, ubi particula *is, qui agit*, videtur denotare actionem etiam esse agenti violentam. Respondetur ex Vasq. Aristot. disp. 25. cap. 2. n. 14. sensum Aristot. circa illam particulam ab eodem explicari 2. Ethicor. ad Eudemum cap. 8. dum post definitionem affert ea verba, *ut siquis manu, voluntate, & cupiditate renitentis arrepta, percutiat alium.* Et sensus est, agentem instrumentarium (de hoc enim tantum sermo ibi est) quatenus ab alio intrinsecus movetur, ut medio illius motu aliquid faciat, violentari, non in eo, quòd percutiat aliquem, sed in eo quòd recipiat principalis agentis motionem, qua recepta, manui agere naturale est; nec est alia mens Philosophi, quidquid cum Fabro Stapulensi, Alberto, & Donato dicat Salas n. 11.

359. Dices: Etiam ille homo quando agit, invitus agit; ergo non solum recipiens motum principalis agentis, sed etiam ut elicit actionem, violentabitur; Respondetur negando consequentiam, nam illa actio violenta est, non quidem respectu immediati agentis elicientis actionem, sed respectu alterius agentis, cui subordinatur.

360. Probat secundo: Actio immanens potest esse ab extrinseco determinante, & necessitante; ergo poterit esse agenti violenta. Probatur ant. siquis aperiat oculos alicujus, ut videat, ista visio est ab extrinseco necessitante: ergo visio ista erit violenta videnti. Respondetur distinguendo consequens; ergo actio erit violenta agenti respectu alterius, cui subjicitur, concedo: quando enim vi aperiuntur oculi alicujus, apertio oculorum violenta est: at tunc respectu videntis non est actio, sed passio; & visio, quæ sequitur ex apertione, est actio, sed naturalis videnti, violenta tantum voluntati, respectu cujus non est actio, sed veluti forma, cui renititur voluntas patiens: & eodem modo projecta, in primo impulsu violenter impelluntur, at motio, qua post impulsum moventur, si à propria forma oritur, illis naturalis est, non violenta.

361. Tertio: Actiones metu factæ sunt involuntariæ; ergo & violentæ. Respondetur negando ant. nullum enim involuntarium actuale admittimus, sed tantum objectivum, unde non actio, sed objectum, cui renititur illa actio, est involuntarium. Et pro solutione omnium objectionum adverto cum Cajet. cit. operationem dupliciter convenire posse appetitui, & similiter aliis agentibus; Primò originaliter: Secundò subjectivè. Primo modo non est violenta, quia repugnat actionem esse violentam agenti, à quo oritur: secundo modo potest esse violenta, si nimirum ab alio agente inchoetur actio per impressionem, vel imperium: & in hoc sensu actio potius habet rationem passionis, quam actionis, patitur enim agens recipiendo aliquid agentis imperantis, sive inchoantis, post cujus receptionem naturale est agenti agere.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum carentia actionis sit violenta agenti?

362. RÉspondetur negativè. Ita Suar. cit. n. 6. qui bene pro hac sententia refert Paludan. citatum (quicquid in contrarium dicat Salas) ita enim habet, *licet verum sit sensu non sentiente, saltem interiori, intellectum non cogitare, nec voluntatem velle, hoc tamen non est alterum ipsorum cogi, cum hac sit eorum natura, non habere actum sine objecto, sic non cogitur oculus, si visibile sibi subtrahitur &c* ubi loquitur de potentia, & non de supposito, certum enim est carentiam posse esse violentam supposito, ratione voluntatis renitentis, à qua desumenda est denominatio simpliciter violenti ex dictis supra n. 329. nam respectu potentiæ non est violenta.

Probatur, quia agens potest impediri ne operetur, vel naturaliter, vel supernaturaliter: si naturaliter, erit ex defectu alicujus conditionis necessario requisitæ ad operationem, nimirum, distantiæ, aut resistentiæ passi: si supernaturaliter, erit per substractionem concursus Dei: atqui nullo modo illa carentia est violenta agenti; ergo, &c.

Minor probatur primo quoad primum modum, quia non est naturale agenti, quod agat, nisi positis omnibus conditionibus requisitis: atqui his positis, non possunt causæ naturaliter impediri ab operationibus: nam causæ naturales, naturaliter applicatæ, necessariò suos producunt effectus: causæ liberæ à nulla causa creata cogi possunt: si autem non ponatur aliqua conditio, tunc non est violentum, sed naturale, quod non agant, non enim debitum est agentibus, quòd ponantur conditiones, nec est contra agentis inclinationem naturalem, quòd non positis conditionibus, non operetur, hæc enim carentia operationis oritur ex naturali agentis imperfectione: quod etiam fatetur Sal. n. 18. ubi manifestè implicat, dum asserit naturale esse

agenti

agenti non agere, & carentiam operationis agenti esse violentam.

363. Probatur secundo Minor, quoad secundum modum, idest *supernaturaliter*, quia quando agenti deest aliqua conditio omnino necessaria ex parte principii, tunc carentia operationis non est violenta: atqui concursus generalis in actu primo necessarius omnino est, ut potentia constituatur in actu primo ad agendum; ergo carentia operationis orta ex ejus defectu, non est violenta, sed naturalis. Major probatur, quia impetus innatus repugnans carentiæ, tunc datur, quando potentia est in actu primo prompta, & expedita ad operandum; in eo enim statu potentia pondere suo fertur in actionem: atqui deficiente concursu, potentia non est in actu primo constituta; ergo carentia actionis illi non est violenta.

364. Ex quo sequitur primo: si Deus esset præparatus ad concurrendum cum causa secunda, illique offerret concursum in actu primo (idem enim est) si denegaret causæ secundæ concursum in actu secundo, causam secundam violentari in carentia actionis ex eo quod per impetum activum reniteretur illi carentiæ ex denegatione formæ debitæ concursus, nimirum oblati. Secundo, solam voluntatem posse indirecte violentiam pati in carentia operationis, non quidem elicitæ, sed imperatæ; ut si imperet visionem oculorum, & vi oculi claudantur, carentia visionis violenta est voluntati, ut etiam violentum fuit oculis, quod clauderentur, tamen postquam clausi fuerunt oculi, naturale illis fuit non videre: aliter se res habet in causis, & potentiis naturalibus, quæ cum non imperent, non illis est violenta carentia operationis; siquidem carentia illa ex defectu conditionum non est contra earum appetitum innatum, ut nec etiam contra appetitum innatum voluntatis, & ideo solùm voluntati est violenta ratione imperii.

365. Oppositum docuit Sal. citatus n. 16. & affert pro hac sententia (ut etiam Suar.) Durandum in secundo dist. 25. q. 4. n. 5. verum ibi non loquitur de violento contrariè, & propriè, sed privative, & large, ut ibi videre est, & ipse iterum docet in quarto dist. 29. q. 1. o. 5. & 6. ut etiam loquitur Marsilius in secundo dist. 26. art. 5. dub. penultimo: pro ea tamen sunt Medin. Valent. Angest. Almain. apud Salas. Fundamentum est Locus Aristot. secundo Ethicor. ad Eudemum cap. 8. ubi, *quando foris quispiam præter impetum intrinsecum moverit, sed avertuve, id vi fieri affirmamus*; ergo ex mente Aristot. si agens *sedetur*, idest, impediatur ab actione, violentiam patietur. Respondetur negando conseq. nam verbum, *sedaverit*, non significat carentiam actionis, sed carentiam motus, & idem valet ac quiescere: quies autem violenta esse potest, ut est lapidi sursum detento; unde sensus est, siquis moveatur, aut quiescat vi extrinseca, violentiam patitur. Aristot.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrum formæ naturales, sint passo violentæ?

366. Respondetur affirmative: ita communis sententia, de qua Suarius n. 7. Salas sect. 3. Probatur, quia calor violentus est aquæ, motus sursum violentus est lapidi. Dices: Forma positiva est perfectio: atqui perfectio non est contra appetitum naturalem; ergo non est violenta. Respondetur distinguendo Minorem: atqui perfectio non est contra apetitum naturalem, absolutè, concedo: ut disconveniens, ratione disconvenientiæ cum passo, & privationis, quam inducit, nego: disconvenientia autem mala est naturæ, cui disconveniens: cum ergo multæ sint formæ disconvenientes subjectis, etiam erunt illis violentæ, non quidem ratione propriæ perfectionis, sed ratione disconvenientiæ, & contrarietatis, quam cum subjectis habent, & cum formis, quæ eisdem subjectis naturaliter debentur.

367. Si quæras utrum per aliquam formam inferri possit violentia passo, quin passum privetur sua connaturali forma? negat Suar. n. 7. affirmandum tamen est cum Sal. n. 21. & patet exemplis, si enim Deus introducat calorem in aquam, quin ab aqua auferat frigus, quod possibile esse, probabiliter defendunt Conimbr. 2. de generatione cap. 5. q. 8. art. 5. §. *sit tamen*, in eo casu calor violentus erit aquæ. Deinde si Deus imprimat qualitates peregrinas in cælis juxta opinionem commoenem, asserentem esse incorruptibiles: ista impressio erit violenta cælis. Et ratio est quia natura ex se determinata est ad suam formam naturalem in quam inclinat per innatum appetitum, qui est ipsa capacitas rei, & per eumdem contrariatur aliis formis, quæ suæ formæ connaturali opponuntur: non quidem ratione formarum, sed disconvenientiæ, quam habent cum forma passi; ergo si aliqua forma imprimatur ab extrinseco, quæ sit disconveniens formæ passi, erit passo violenta, etiamsi passum propria forma non privetur.

QUARTA DIFFICULTAS.

Utrum carentia formarum naturalium, sint passo violenta?

368. Respondetur affirmative sive sit mixta carentia formæ cum introductione formæ contrariæ: sive sit pura, absque introductione alicujus formæ: pro quo suppono subjectum posse privari propria forma per introductionem formæ contrariæ, & etiam sine introductione alicujus formæ: prima carentia dicitur mixta, secunda pura; utraque est violenta. Probatur primo de carentia mixta, namque carentia frigoris ab aqua introducta per calorem, violenta est aquæ, cum contra aquæ appetitum expellatur frigus, calorque introducatur ab extrinseco. Probatur secundo de carentia pura, quia si Deus ab aqua frigiditatem, à lapide gravitatem, ab igne levitatem auferat, quin formas contrarias introducat: aqua violenter carebit frigiditate, lapis gravitate, & ignis sua levitate. Et ratio est, quia potentia conatur ad eliciendas perfectiones naturales, in quas inclinat: atqui conari, non est elicere eas perfectiones, sed esse potentiam accinctam, promptam, & expeditam ad eas eliciendas; ergo si impediatur potentia, vel subjectum, eis perfectionibus, illis carebit violenter.

369. Ex qua doctrina deduco primo in carentia mixta dupliciter violentari passum: primo ratione privationis, secundo ratione formæ contrariæ, siquidem diversa violentia infertur ab una, & ab altera, cum carentia sine formæ contrariæ introductione, inferat violentiam.

370. Deduco secundò materiam denudatam omni forma, esse in statu violento eo quod violentia infertur cum retinentia passiva ex dictis n. 343. carentia autem omnis formæ ioducitur ab extrinseco, & renititur inclinationi passivæ materiæ. Dices, Ad violentiam requiritur, quod fiat per actionem contrariam, & repugnantem, ex dictis supra à n. 336. Sed contra, quia actio, qua materia denudatur omni forma, est contraria ipsi materiæ, quæ ex se postulat esse sub aliqua forma, licet non postulet hanc, vel illam.

371. Deduco tertio, non omnem carentiam alicujus formæ, esse passo violentam, sed tantùm illam, qua passum privatur propria & naturali forma: unde carentia motus deorsum, quam habet lapis sursum elevatus ad replendum locum vacuum, lapidi est oaturalis, naturaliter eoim tunc lapis alevatur seorsum, ex dicendis subsect. 3. n. 390. & carentia oppositi motus etiam naturalis erit: carentia formæ respectu materiæ actuatæ, naturalis est, eo quod materia actuata non reluctatur, ex dict. n. 350. Carentia rerum impossibilium non est violanta, nec formæ impossibiles dici possunt violentæ: cum enim appetitus propriè non conetur ad formam impossibilem, nec etiam resistit ejus carentiæ: licet enim volnntas possit desiderare impossibile, non tamen sufficit renitentia speculativa, sed requiritur practics, qua passum in actu exercito reluctetur formæ, vel carentiæ, & hæc renitantia supponit possibilem esse formam, vel ejus repulsam saltem absolutè. Tandem nulla forma necessariæ violenta est subjecto, omnis enim convenit secundùm naturalem appetitum, ut apparet in operationibus naturalibns.

372. Utrum verò corruptio, sive mutatio sit violenta, quæstio est philosophica, & ad præsens institutum parum refert quidqnid dicatur: resolutivè dico, corruptio non violenta, sed naturalis materiæ, siquidem materiæ essentia consistit in eo quòd possit recipere plures, & diversas formas inter se iocompossibiles; ergo sicut per se primario inclinat ad formam, quam possidet, ita etiam secundariò inclinabitur ad ejus amissionem, cum non possit recipere plura incompossibilia, nisi etiam respiciat successionem eorum. Idem dicendum de corruptione, non respectu rei quæ corrùmpitur, siquidem in illa non datur potentia naturalis activa ad sui corruptionem: sed respectu naturæ, quæ per se intendit corruptionem per virtutem activam correspondentem passivæ potentiæ materiæ, ut do-
D. Thom. cet D. Thom. 3. contra cap. 94. & 1. p. q. 22. art. 2. ad 2. sed de his alibi.

SUBSECTIO TERTIA.

Utrum à Deo possit inferri violentia creaturis?

373. NOn procedit quæstio de voluntate, de hac enim disserendum est infra subsect. 6. sed de natura, sive de creatura, ut natura quædam est. Negant communiter Thomistæ Cajet. Conrad. Ferrar. & Sotus, quos refert, & sequitur Martines q. 6. art. 4. dub. 5. §. *propter*, Alvares disp. 37. Carmelitani tract. 10. disp. 5. dub. 2. §. 1. n. 15. Cutiel. q. 6. art. 4. dub. 2. Cornejo disp. 2.
D. Thom. dub. 2. eam asserentes esse sententiam Angelici D. q. 1. de potentia art. 3. ad 1. & q. 6. art. 1. ad 1. de veritate q. 23. art. 2. ad 2. 1. p. q. 103. art. 8. ad 3. q. 95. art. 6. ad 1. 2. 2. q. 109. art. 5. 3. p. q. 44. art. 2. ad 2. & 3. contra. cap. 100. asserunt etiam hanc esse sententiam D. Bonavent. in 2. dist. 35. p. 2. art. 2. q. 5. Verum Bonavent. illi non patrocinatur, ut videbimus n. 374. Docent igitur hic Doctores, licet Deus aliquid faciat repugnans inclinationi naturali alicujus causæ particularis, tamen, quia hoc est consentaneum alteri inclinationi obedientiali, qua subjicitur creatnra Deo; ideo illud opus est naturale simpliciter, & non violentum.

374. Affirmativa sententia est communis inter Doctores: ex Antiquis Durand. Paludan. Gabriel, Almain, Olchot, Angles, Valent, quos refert, & sequitur Salas tract. 3. disp. 2. sect. 5. §. *secunda sent.* ex recentioribus Vasq. disp. 25. cap. 4. n. 25. §. *hac tamen*, Suar. sect. 3. n. 5. Lorca disp. 4. de actibus memb. 2. dub. 5. §. *versor*, Granad tract. 2. disp. 7. n. 3. Montesin. disp. 10. q. 2. n. 29. Franciscus Fœlix tract. de actibus cap. 1. difficult. 2. & hæc absque dubio est sententia D. Bonavent. in 2. dist. 25. q. 5. n. 65. §. *ad illud*, ubi sic: *nec etiam alicui creaturæ violentiam inducit, quantum ad illam potentiam obedientiæ, quantum autem ad potentiam specialis naturæ, bene aliquando alicui infert violentiam in miraculorum operatione.*

375. Et hic mihi videtur legitimus sensus D. D. Thom.
Thom. si attente legatur q. 6. de potentia art. 1. ad 1. & ad 3. art. 2. ad 3. & q. 13. de veritate art. 1. ad 1. ita enim habet, *Et ex hoc dicitur esse dupliciter aliquid secundum naturam, vel contra naturam: uno modo quantum ad naturam particularem, alio modo, quantum ad universalem: sicut omnis defectus, & corruptio, & senium est contra naturam particularem, tamen naturale est secundum naturam universalem, ut omne compositum ex contrariis, corrumpatur: quia igitur ordo universalis causarum hoc habet ut inferiora à suis superioribus moveantur, omnis motus, qui fit in inferiori natura, ex impressione superioris, sive in corporalibus, sive in spiritualibus, est quidem naturalis secundum naturam universalem, non autem secundùm naturam particularem, nisi quando à superiori sic imprimitur in naturam inferiorem, ut ipsa impressio sit ejus natura.* Ex quibus verbis clare constat opera facta à Deo multoties esse contra naturam particularem, & hac de causa illi naturæ particulari contraria.

376. Pro solutione notandum est primo, quæstionem apud utrosque Authores esse quæstionem de nomine, namque omnes fatentur Deum posse agere contra ioclinationem naturalem creaturæ; & solum controvertunt, an forma impressa à Deo creaturæ, violenta dicenda sit? Secundo, duplicem potentiam considerari in qualibet creatura, unam naturalem per respectum ad naturam cujusque, alteram obedientialem per respectum ad Deum, cui creaturæ obediunt. Tertio, duobus modis posse Deum immutare creaturam: primo, movendo creaturam eodem modo, quo agens naturale illam movere posset, & ad formam ejusdem rationis sive naturalem: secundo, movendo creaturam ad formam supernaturalem recipiendam: de primo modo in præsenti est sermo, nam de secundo agendum est subsect. 4. His positis

377. Respondeo; si Deus moveat creaturam eo modo, quo moveret causa secunda, illi infert violentiam. Ita Authores citati n. 374. & D. Thom. n. 375. in fine. Probatur quia Deus se solo potest movere membra hominis ipsomet resistente, veluti Angelus à Sodomis extraxit Loth: potest etiam detinere hominem resistentem, in uno loco, velut Angelus luctabatur cum Iacob; & sic de pluribus: atqui tunc infert violentiam homini; ergo, &c. Probatur Min. qnia quando simnl cum causa secunda sursum lapidem movet, lapis violenter movetur; ergo etiam quando à solo Deo ad talem motum impellitur. Antecedens admittunt contrarii, Martines §. *ad 2.* prope medium. Conseq. proba-

tur, quia talis motus fit à Deo contra inclinationem lapidis, resistente ipso lapide.

Dices primo diversam esse rationem, quia quando Deus agit cum causa secunda tamquam per instrumentum, tunc, licet creatura plenè subjiciatur Deo, non tamen plene subjicitur instrumento: ideo detentio Dæmonum, & animarum purgatorii, mediante igne, est violenta, quia non plenè subjiciuntur igni, eo quod non potest tantum crescere virtus agentis creati, ut passum ei non resistat, ita ait Martines.

378. Sed contra; quia posito illo instrumento, poterit Deus illi communicare virtutem propemodum infinitam, cui passum resistere non possit: imò Angelus tanta virtute posset, ut ei nec lapis, nec homo resistere potest. Confirmatur, quia impulsio illa non tribuitur instrumento, sed Deo ut causæ principali, cujus virtus est tota virtus instrumenti. Dices cum eodem limitari virtutem Dei in instrumento. Sed contra, quia quando Deus impellit lapidem usque ad cælum Lunæ, verbi gratia, non agit quantum potest, aliter cum ageret actione, & virtute infinita, lapidem impelleret in locum infinite distantem; sed eadem virtute agit, qua ageret si per instrumentum lapidem projiceret in cælum Lunæ; ergo si agens per instrumentum, creatura violentatur, etiam violentabitur si se solo operetur.

379. Dices secundo, ideo illum motum non esse violentum creaturæ etiamsi fiat à Deo medio instrumento, quia ipsimet instrumento communicatur virtus superexcedens retinentiam passi. Sed contra primo, quia jam detentio Dæmonum in inferno voluntaria illis foret, & non violenta. Secundo quia solus Angelus habet tantam virtutem respectu lapidis, ut eam superexcedat; & tamen motus, quo Angelus sursum lapidem impelleret, foret violentus; ergo illa major, vel minor virtus violentiam non aufert.

380. Dices tertio, & est trita solutio Thomistarum, ideo creatura patitur violentiam, respectu instrumenti, non verò Dei, quia creatura non habet potentiam obedientialem, nisi respectu Dei. Sed contra primo, quia creatura non solùm subjicitur Deo, se solo operanti, sed etiam quando operatur per instrumenta; ergo æqualiter creatura habet potentiam obedientialem. Secundo, quia non est major inclinatio creaturæ ad obediendum Deo se solo operanti, atque operanti cum instrumento.

381. Probatur secundo conclusio, quia si aliquid obstaret, ne diceretur violentum id, quod fit contra inclinationem creaturæ, foret summa obedientia, & potentia obedientialis, qua Deo subjiciuntur, & secundùm quam Deus operatur: atqui hæc non tollit rationem violenti. Min. probatur primo, quia potentia obedientialis ut sic, non fundat appetitum naturalem, sed solummodo non repugnantiam; ergo si Deus aliquid faciat contra appetitum naturalem, procuIdubio violentiam inferet. Probatur conseq. quia naturalis inclinatio adhuc perseverat in creatura; hæc enim inclinatio non potest esse in creatura per potentiam obedientialem subjecta ad formas sibi contrarias: quis enim dicet ignem habere naturalem inclinationem, ut frigefiat? cum ergo detur in creatura repugnantia, & ab extrinseco agente, ei imprimatur forma contraria, non est cur ista impressio non sit violenta creaturæ. Secundo, quia appetitus elicitus etiam est creatura: & tamen illa potentia obedientialis non sufficit, ne illi violentia inferatur à Deo; ergo similiter. Tertio, quia violentum non desumitur per ordinem ad agens, sed ad passum ex dictis supra n. 335. ergo si aliquid fiat contra inclinationem passi, à quocumque agente fiat, erit violentum.

382. Probatur ultimo conclusio, & amplius confirmatur superior probatio; Dæmones nunc violentiam patiuntur in perpetua alligatione ad ignem, & ad infernum, & tamen Dæmones habent potentiam obedientialem, ut Deo subjiciantur quoad hanc alligationem, & hæc alligatio à Deo est immediate; ergo non obstat potentia obedientialis, nec immediata Dei operatio, quo minus violentia à Deo inferatur creaturis. Respondet primo Alvares illam alligationem ad ignem non esse immediatam, sed medio igne tamquàm instrumento. Sed contra est argumentum superius factum n. 377. Insuper alligatio, & detentio in inferno immediate fit à Deo.

383. Respondet secundo Martines, Dæmones non detineri, nec alligari violenter physicè, sed moraliter, idest, ut liberi sunt, propter actum contrarium elicitum detinentur violenter, non tamen ut quædam naturæ sunt. Sed contra, quia ideo detinentur violenter moraliter, quia habent appetitum elicitum resistentem illi detentioni, quæ à Deo infertur; ergo similiter detinebuntur physicè, quia in illis permanet appetitus naturalis innatus resistens detentioni. Probatur conseq. quia propensio naturalis tolli non potest, eò quòd sit idem cum natura, quamdiu enim fuerit lapis, erit & ejus gravitas: si auferatur intellectus ab anima, manebit propensio ad intellectum; ergo cum violentum non minus sit contra inclinationem naturalem, quàm contra elicitam, procuIdubio si propter resistentiam elicitæ, non obstante potentia obedientiali, infertur violentia Dæmonibus; etiam propter resistentiam inclinationis naturalis, infertur creaturis.

384. Respondent tertio, Carmelitani n. 26. Dæmones non pati violentiam in illa alligatione ad ignem, nec in detentione in inferno, quia inclinatio ad obediendum, potentior est omni alia inclinatione, per quam reluctantur. Sed contra primo, quia hæc solutio est expresse contra D. Thom. q. 1. de malo art. 4. in corpore, ubi docens tria esse de ratione pœnæ, ita ait: *Secundum verò quod pertinet ad rationem pœnæ, est quòd voluntati repugnet: voluntas uniuscujusque, inclinationem habet in proprium bonum, unde privari proprio bono voluntati repugnat.* Et ad 1. ait, *Impossibile est, quòd idem secundùm idem, sit pœna & culpa: quia idem secundùm idem non potest esse voluntarium, & contra voluntatem.* Ex qua doctrina sequitur evidenter, nullam pœnam dari posse, etiam si infligatur à Deo, quæ voluntaria sit, cum ex sua ratione postulet esse violenta, & contra inclinationem, ita ut impossibile sit oppositum. Secundo, quia Dæmones resistunt illi pœnæ per affectum peccaminosum, qui non subjicitur divinæ voluntati, neque inclinationi ad obediendum Deo; ergo cum ex obedientia à Deo oriatur, ne impressio repugnans sit violenta, si hic affectus non inclinat ad obediendum Deo, nec Deo subjicitur, quidquid contra illum fit, violentum erit.

D. Thom.

Solvuntur argumenta contraria.

385. SEd contra hanc resolutionem arguunt contrarii: primo ex Scriptura sacra Genesis 31. vers. 19. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Iudith. cap. 16. vers. 17. *Non est qui resistat voci tuæ.* Ester 13. vers. 9. *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Sapientiæ cap. 16. vers. 24. *Creatura enim tibi factori deserviens:* loquitur autem de igne suæ na-

Genesis 31. Iudith. 16. Ester 13. Sapientiæ cap. 16.

Ad Roman. 9. turæ oblito. Ad Rom. 9. verſ. 19. *voluntati enim ejus quis reſiſtit?* ergo videtur non fieri violenter id quod à Deo fit contra creaturæ inclinationem. Patet conſeq. quia nulla datur reſiſtentia in creatura ad obediendum Deo, & datur ſumma obedientia juxta ſacram ſcripturam. Reſpondetur negandò conſeq. namque ex illis locis ſolum colligitur voluntati Dei efficaci nullam creaturam poſſe reſiſtere, imò Deo ita omnem ſubjectam eſſe, ut Deus poſſit de illa facere quidquid voluerit, ac ſi propriam & non contrariam virtutem haberet: hoc autem non tollit, quòd tales creaturæ retineant oppoſitas inclinationes, quibus violentum erit quicquid contrarium illis inducatur: aliter Deus deſtrueret ipſas rerum naturas, cum appetitus innatus ab ipſa natura non diſtinguatur.

August. Secundo objicitur Auguſt. tom. 6. lib. 26. contra Fauſtum Manich. cap. 3. ubi: *Deus autem creator, & conditor omnium creaturarum, nihil contra naturam facit, id enim erit cuique naturale, quod ille fecerit, à quo eſt omnis numerus, motus, & ordo naturæ:* Eadem habet tom. 10. lib. 27. de civitate Dei cap. 8. ubi: *quomodo eſt contra naturam, quod Dei fit voluntate, cum voluntas Conditoris condita rei cujuſque ſit natura?* ergo expreſſè Auguſt. aſſerit non eſſe contra naturam, imo eſſe ipſam eſſentiam naturæ, quod à Deo fit contra ejus naturalem inclinationem. Reſpondetur aliam eſſe mentem Auguſt. duplicem enim ſtatuit naturam, unam univerſalem, quam remotiſſimam eſſe à noſtra cognitione aſſerit; alteram particularem, quam, ut Author naturæ rebus inſeruit, ut bene expli-

D. Thom. cat D. Thomas 1. p. q. 105. art. 6. in corpore, & ad 1. loquitur ergo magnus Auguſt. de natura univerſali, non verò de particulari, & quod contra naturam particularem facit, eſt ſecundùm naturam univerſalem, quod nullo modo habet rationem violenti, de qua doctrina iterum erit ſermo n. 388.

386. Tertio, nulla datur violentia, quando contra oroprias inclinationes inferiora moventur à ſuperioribus, quia naturaliter ſubjiciuntur; ergo ſimiliter nulla dabitur violentia, quando Deus contra proprias inclinationes naturatum operatur. Ant. patet ex perenni fluxu, & refluxu maris, ex aſcenſu corporis gravis ad replendum vacuum, vel etiam ex deſcenſu corporis levis ad idem vacuum replendum.

Reſpondent Vaſq. Lorca, Granado Salas, Suar. negando ant. & ſpecialiter loquuntur de corpore gravi ſurſum aſcendente, putant enim talem motum revera violentum eſſe ſimpliciter. Primo, quia motus naturalis conſequitur aliquod naturale principium; atqui nullum datur in naturà particulari reſpectu boni in communi. Secundo, quia inclinatio naturalis eſt ad unum tantùm motum, id eſt, ad naturalem, atqui hæc inclinatio eſt oppoſita & contraria motui ſurſum; ergo motus ſurſum erit violentus corpori gravi aſcendenti. Tertio, quia hæc veritas conſtat ex manifeſta experientia: verbi gratia, In aqua aſcendente ſurſum per fiſtulam ne detur vacuum, fiſtula enlm ipſa, quæ manu tenetur, dum aqua aſcendit, magis gravitat, quam ſine aqua, & eo plus gravitat, quo major copia aquæ aſcendit; quod quidem ſignum renitentiæ eſt.

387. Verum hæc ſolutio non videtur admittenda, quin potius multa oppoſitum ſuadent, nam terra ex ſua natura poſtular aquis cooperiri ratione ſui loci: & tamen ex eo quod ſit in altiori loco aquis diſcooperta, non eſt dicendum terram eſſe in ſtatu violento. Motus deinde ille, quo partes alicujus animalis exponuntur periculo pereundi propter capitis conſervationem, naturalis eſt, & naturaliter partes exponuntur illi periculo. Quando homo etiam movetur ſurſum, movet aliquas partes, quæ ex ſua natura poſtulant moveri deorſum, qui quidem omnes motus naturales ſunt.

388. Et tota ratio eſt, quia licet ex ſua natura poſtulent oppoſitum motum, tamen poſtulant etiam hunc motum, qui eſt contra inclinationem naturalem, ob conſervationem ſui; quæ conſervatio ſtare non poteſt abſque conſervatione totius, cujus ſunt partes: ideoque, quando periclitatur bonum commune, potius inclinantur ad illud conſervandum, quam ad ſui particularem conſervationem, eo quod in periculo totius, ſua etiam conſervatio periclitetur: ſuccurrunt igitur bono communi, & communi naturæ malo, quia in ipſam particularem naturam redundare debebat: cum igitur finis ultimus inclinationis particularis, ſit conſervatio ipſius rei, cum hæc conſervatio, dato vacuo, perſiſtere non poſſit, ad naturalem univerſalis naturæ providentiam ſpectat, ut corpus grave particularem appetitum ſine reſiſtentia ſubjiciat agenti ſuperiori, à quo ſurſum movetur, ut vacuum repleat; & rectè ſane; grave enim, ſolùm propter ſui conſervationem deorſum inclinatur: ceſſante autem hoc fine, non poteſt naturaliter non ceſſare inclinatio ad locum deorſum, ita diſponente natura: eo quòd motus deorſum contrarietur in eo caſu ipſi naturalis inclinationis fini, qui conſervari nequit toto periclitante.

389. Ad ea, quæ in contrarium afferuntur, Reſpondeo ad primum negando Minorem, quia cum creatura ex ſua natura inclinetur ad ſuum finem particularem, qui eſt conſervatio ſui, naturaliter etiam inclinabitur ad conſervationem totius, ſine quo partes conſervari non poſſunt, & ad hoc, principium naturale habet, ipſam, nimirum naturam: unde (quidquid figmentum appellet Vaſq.) duplicem admitto inclinationem in natura, unam univerſalem; particularem alteram, ad duo bona diſtincta, ſiquidem utraque tendit in conſervationem ejuſdem rei: ex quo natura ad unum finem acquirendum, qui eſt conſervatio ſui, ſemper eſt determinata, una, vel altera inclinatione; & hanc duplicem inclinationem defendunt Capreolus in tertio diſt. 27. q. 1. art. 3. ad 3. *contra tertiam* & Doctores citati n. 373. imò Salas probabilem dicit hunc modum dicendi, qui facilè defendi poteſt, eſtque expreſſa doctrina D. Thom. q. 1. de potentia art. 3. ad 1. & tertio contra cap. 100. & ex mente D. Thom. defenditur à Carmelit. n. 18. D. Thom.

390. Ad ſecundum Reſpondetur; inclinatio naturalis eſt in corpore gravi, oppoſita motui ſurſum, attenta ratione particulari corporis, concedo: attenta ratione partis, nego: verum enim eſt, quod una quæque res ſubeat determinationem ad unum motum, qui magis ſpectat ad ſui conſervationem, ut corpus grave ad motum deorſum: ſed cum corpus grave ſit pars univerſi, ut ſic aliam habet inclinationem ad motum, qui conformis ſit proprio fini, & conſurmis, ut finis particularis proprius, ad quem primario inclinatur, ſervetur: hic autem finis ſervari non poteſt abſque conſervatione totius: unde poſita totius deſtructione, naturaliter creatura ad illud conſervandum concurrit, ejuſque malo naturaliter ſuccurrit. Ad tertium, Reſpondetur, illam ex-

perientiam falsam esse, non enim fistula gravitar, nec talis gravitas sentiri potest à sensu, cum ille morus sit velocissimus.

391. Quare aliter solvendum est argumentum positum n. 386. Respondeo enim, concedo ant. ut vidimus n. 388. nego conseq. major. Ratio est; quia quando creaturæ Deo subalrernantur, non spectant ad naturalem rerum conservationem, quæ supra, præter, aut contra naturam operatur, ideo possunt fieri cum actuali renitentia ex parte creaturæ: at verò quando creaturæ subjiciuntur agentibus superioribus, quidquid abhis fit contra earum inclinationem, spectat ad creaturarum conservationem, ideo non fit cum resistentia ex parte creaturæ, quin potius fit secundùm inclinationem naturalem creaturæ.

392. Instabis, omnis creatura habet potentiam obedientialem, ut subjiciatur Deo operanti quidquid voluerit; ergo sicut ex dispositione naturæ appetitus particularis non renititur corpori cælesti in iis, quæ propriè contrariantur naturæ, nec etiam renititur in iis, quæ contra naturam fiunt à Deo. Respondetur negandò conseq. quia potentia obedientialis non est secundùm ordinem naturæ, nec secundùm providentiam naturalem Dei constituentis creaturas; sed creaturis convenit, secundam alium ordinem superiorem, cujus causas Deus non inseruit creaturis, sed eas in se absconditas habet; quæ est doctrina Augustini lib. 9. de Genesi ad litt. cap. 18. Ideo ista potentia non potest dici mere, & simpliciter

August. naturalis, quia non pertinet ad ordinem naturæ, quem Deus ut Author naturæ specialiter instituit; hic enim ordo, solùm respicit ea, quæ ad rationes seminales rebus concreatas spectant.

393. Tota solutio est August. citati in fine capitis, & in principio capitis 18. ubi ita; *Habet*

August. *ergo Deus in se ipso absconditas quorumdam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit, easque implet, non illo genere providentiæ, quo naturâ substituit, ut sint, sed illo, quo eas administrat ut voluerit, quas, ut voluit, condidit.* Quare cum cujusque rei natura, propter seminales rationes, quas Deus ipsi inseruit, habeat appetitum naturalem, in illisque iste fundetur ad formas, quarum est capax natura: non habebit appetitum naturalem ad formas, quas tantum obedientialiter respicit, nec enim in potentia obedientiali fundari potest appetitus naturalis; cum ergo potentia obediennalis non spectet simpliciter ad providentiam naturalem, nec ad eam pertinebit impedire renitentiam particularis appetitus, quando Deus contra communem naturæ cursum operatur.

394. Quarto arguunt. Magis subjicitur Deo creatura, quam appetitus sensitivua voluntati: sed appetitus sensitivus nullam patitur violentiam, quando movetur à voluntare contra ejus naturalem inclinationem; ergo nec creatura patietur violentiam quandoita à Deo movetur. Probatur Minor, quia posita cognitione objecti proportionari, etiamsi sit ministerio voluntatis illi resistentis, appetitus fertur in objectum maxime spontaneè. Respondetur negando consequ. diversa enim ratio est, quia appetitus movetur à voluntate media cognitione, qua posita ipse appetitus per actum vitalem consentit voluntati, qui quidem actus cum sit ab ipso appetitu, ei non potest esse violentus, ex dictis n. 355. Motus vero Dei factus in creatura contra ejus naturam, non elicitur ab ipsa creatura, quin potius ei renititur. Instabis, Deus quando operatur, agit ut causa interna; ergo eadem utrobique est ratio. Respondetur negando ant. quamvis enim Deus propter suam immensitatem, summè rebus illabatur, tamen ut causa est, ab effectu, & ab alia concausa, realiter distinguitur.

395. Quintò, jam Deus in omnibus miraculis violentiam inferret creaturis: atqui hoc non est dicendum; ergo etta Mar. patet, quia multa miracula facta sunt contra naturalem inclinationem creaturarum, ad vocem enim Josue stetit sol., retrogressus est ad lachrimas Ezecchiæ; & ad orationem puerorum ignis Babilonius non combussit. Respondetur nullum esse inconveniens miracula esse violenta, si fiant contra naturalem inclinationem, ut multa fiunt contra naturam teste D. Thom.

D. Thom. q. 6. de potentia, art. 2. ad 2.

396. Sexto, appetitus naturalis creaturæ; est ad agendum cum subordinatione ad voluntatem divinam; ergo non erit contra ejus naturalem inclinationem id, quod à Deo fit. Respondetur negando Conseq. quia creaturam subordinari Deo, Deoque esse subjectam, nihil aliud est, quam non posse resistere voluntati Dei efficaci, nec posse Dei impedire operationem: hoc tamen non obstat violentiæ, si actio fiat ab externo agente, contra inclinationem naturalem creaturæ: nec talis creatura inordinatè Deo renititur, quia in eo casu, Deus non operatur ut Author naturæ, sed particulari modo, cui renititur creatura ex ipsa inclinatione, quam Deus ipsi concessit: unde creatura resistens non inclinatur contra Dei voluntatem, sed inclinatur ad suum proprium bonum propter quod resistit opposito, quod fit.

397. Septimo. Vel ista violentia fieret per impressionem alicujus contrarii, vel per substractionem concursus ad proprias operationes: atqui neutro modo infertur violentia à Deo; ergo &c. Minor probatur; quia per impressionem contrarii, licet imprimatur forma contraria, tamen creatura non renititur; & per substractionem concursus, non remanet in creatura inclinatio ad operandum. Respondetur negando Min. utroque enim modo potest inferri violentia à Deo; quia licet, quando imprimitur forma contraria non possit creatura ita resistere Deo, ut Dei impediat voluntatem, potest tamen resistere contranitendo in oppositum, tam per inclinationem innatam, quam per elicitam: similiter quando Deus suum subtrahit concursum, si creatura parata erat ad agendum cum omnibus requisitis, proculdubio impeditur antecedenter, ne operetur, & fit violentia creaturæ, ex dictis n. 364.

398. Octavo si Deus auferat gravitatem à lapide, non erit lapidi violentum in loco superiori detineri: siquidem sine gravitate descendere non potest: atqui non minus eget lapis concursu Dei, ad descensum, quam gravitate; ergo si Deus negaret lapidi concursum ad descensum, detentio illa in loco superiori non foret violenta. Respondetur negando Majorem: imò in eo casu lapis duplicem pateretur violentiam; unam in privatione gravitatis, ad cujus productionem forma lapidis naturaliter inclinat: alteram, in privatione motus deorsum, qui est consentaneus gravitati debitæ, ideo enim gravitatem appetit, quia ea mediante deorsum fertur lapis in locum sibi connaturalem.

SUBSECTIO QUARTA.

Utrum circa effectus supernaturales, possit à Deo inferri violentia creaturis?

399. Constat posse inferri à Deo violentiam creaturis circa effectus naturales: inquiritur utrùm etiam violentia illis inferri possit à Deo circa effectus supernaturalra. Pro quo notandum est primo, tribus modis à Deo posse moveri creaturam ad effectum suprrnaturalem. Primo, non auferendo aliquid debitum à creatura, sed conferendo indebitum, ut quando confert gratiam, & lumen gloriæ: Secundo, auferendo à creatura aliquid debitum, & confrrendo indebitum, quod tamen suppleat vicem debiti ablati: ut quando Verbum divinum assumpsit humanitatem loco subsistentiæ creatæ, subrogata est divina: Tertio, auferendo à creatura aliquid ei naturaliter debitum, & non confrrendo indrbitum, quod suppleat debiti vicem, ut abstulit in fornace Babylonis calorem ab igne.

400. Notandum est secundo violentiam non competere formis supernaturalibus, & earum carentiis rationr sui, nam forma supernaturalis ex se non est contra naturam creaturæ, imò est creaturæ maxima perfectio: nec forma supernaturalis creaturæ debetur, & ideo ejus carentia, non est contra naturalem impetum creaturæ, licet enim creatura habeat capacitatem ad formas supernaturales, eas tamen actu recipere, non est naturæ creatæ, sed gratiæ. Tertio, quæstionem manere, an forma supernaturalia ex aliqno extrinseco possit esse violenta creaturæ? his notatis

401. Dico primo, si Deus moveat creaturam ad formam supernaturalem simpliciter, nihil auferendo ab ea, quod ei naturaliter debeatur, non infert violentiam creaturæ. Est communia doctrina, & probatur facilè, quia violentum non solùm postulat fieri ab extrinseco agente, sed essentialiter requirit renitrntiam passi: atqui in præsenti casu, Deus non operatur contra, sed supra naturam creaturæ; ergo non infert violentiam creaturæ. Deinde creatura non resistit collationi formarum supernaturalium, siquidem hæ non repugnant creaturæ, quin potius crraturā maximè perficiunt.

402. Dico secundo, si Deus moveat creaturam ad formam supernaturalem, auferendo ab ipsa aliquid naturaliter drbitum, quod suppleat vicem formæ debitæ, non infert violentiam creaturæ: Ita communiter Theologi. quia ut detur violentia in alicujus formæ introductione; vel forma, quæ introducitur debet contrariari formæ, quæ à subjecto expellitur, vel saltem ex parte subjecti debet dari repugnantia, & renitentia: atqui in præsenti casu, nec forma, quæ introducitur, contrariatur formæ expulsæ: non enim inter naturale, & supernaturale datur propria contrarietas; nec subjectum resistit formæ supernaturali, non enim forma supernaturalis est contra, sed supra naturam; ergo in introductione formæ supernaturalis, non patitur passum violentiam, etiamsi ab eo auferatur forma aliqua debita.

403. Confirmatur, quia humanitas Christi Domini, denudata propria subsistentia, non patitur violentiam, eo quòd subsistentia creata suppleatur per divinam; de quo supra à n. 352. Idem affirmant aliqui de accidentibus sacræ Eucharistiæ; verùm hæc mihi videntur esse in statu violento, eo quòd licet supleatur inhærentia per aliquem modum positivum (quod tamen minus esse probabile existimo) tamen iste modus non confert effectum formalem inhærentiæ, sed oppositum; & hunc ad huc tribuit per actionem repugnantem: unde non satiatur appetitus accidentium, sed semper permanet in accidentibus inclinatio naturalis existendi in alio; quapropter conclusio intelligenda est cum illis limitationibus, quas posuimus supra à n. 352.

404. Dico tertio, si Deus moveat creaturam ad formam supernaturalem, & à creatura auferat aliquid naturaliter debitum, quin ei conferat aliud, quod illius vicem suppleat, violentiam infert creaturæ. Probatur quia illa creatura manet cum appetitu innato ad formam sibi debitam, & ab agente extrinseco indebita forma introducitur; ergo propter suam naturalem inclinationem, cum qua adhuc prrmanet, resistet formæ introductæ, & per consequens violentiam patietur. Nec obstat potrntia obedientialis, hæc enim, ut patet ex subsect. 3. non tollit inclinationem naturalem inditam creaturæ, sed tantùm dicit vim, & virtutem omnipotentiæ Dei, quæ de creatura sua facere potest quidquid voluerit.

SUBSECTIO QUINTA.

Utrum violentum causet involuntarium?

405. EXposita ratione communi violenti, descendimus ad rationem particularem, ad involuntarium nimirum ex violento, & inquiritur utrùm violentum causet involuntarium? Respondetur affirmativè, quam cum Angelico D. 12. D. Thom.
q. 6. art. 5. & cum Subtili in 4. dist. 29. q. 1. n. 6. Scot.
omnes ferè Philosophi, & Theologi sequuntur. Pro quo noto primo violentum duobus modis sumi posse: primo activè pro motione, qua agens movet passum contra ejus naturalem inclinationem: secundo passivè pro eo quòd recipitur contra inclinationem passi: Noto 2. duplicem esse violentiam, unam simpliciter, quæ obligat passum, sive appetitum renitentem, & à Iurisperitis appellatur *præcissa, & absoluta*, de qua in l. 2. ff. de eo quod metus causa. Videatur Molin. de ritu nuptiar. lib. 3. q. 98. n. 3. altera dicitur secundùm quid, quæ insufficiens est ad effectum, nisi simul concurrat voluntas: dicitur secundùm quid, quia solùm est contra inefficacem appetitum, & à Iurisperitis appellatur *conditionata*, de qua in cap. *Majores* de Cap. Majores de bap-
baptismo Covas in epitome 4. Decret. 2. p. 5. 1. tismo.
n. 12. His positis

Probatur conclusio, quòd scilicet violentum causet involuntarium simpliciter, tam activè, quàm passivè, idest, tam effectivè, quàm formaliter. Quia ratio cur datur involuntarium, est quia forma recipitur contra naturalem passi inclinationem ab agente extrinseco: atqui actus violentus, est à principio extrinseco renitente voluntate efficaciter, & absolutè; ergo causabit involuntarium simpliciter, & absolutum: probo conseq. quia ratione violentiæ aufertur ratio voluntarii, cujus defectu actus simpliciter violenti, nec meritorii, nec demeritorii sunt.

406. Ex quo sequitur, siquia per violentiam simpliciter cogatur suscipere sacramenta, verbi gratia, baptismum, baptismus non erit verum sacramentum: unde etiamsi in foro exteriori vis probetur, non tenebitur baptizatus ad legis Christianæ observationem, ex cap. *Majores* de baptismo. Nec Cap. Majo-
obstat, quod in jure pontificio; præcipiatur ut Iu- res de bap-
dæi baptizati tempore Regis Sisibuti ad legis ob- tismo.
servationem compellantur, namque compulsio Cap. Iudæi
ista Iudæorum ad baptismum non fuit simpliciter dist. 45.
violenta, nec absoluta, sed tantum compulsio conditionata, & secundùm quid. Inde etiam est, quod

sacramentorum Ordinis per violentiam simpliciter susceptum non est validum, nec confert characterem, ut late docet Cabreros Auendanò, in Methodica delineatione de metu lib. 2. cap. 16. à n. 74. cum Glos. in cap. unico verbo *discretionis* in fine de Cler. per salt. promoto. Quapropter, qui ita est violenter promotus, non tenetur continere, & potest matrimonium contrahere, de quo Diana tract. 4. resolutione 195. p. 1. Valboa in cap. *si verò* n. 21. de Iurejur. citatus Auendanò n. 101. Et sic resolvendi sunt similes casus, omnes enim actus ita violenti sunt nulli.

407. Contra resolutionem, nimirum; quod violentum causet involuntarium, objicies primo: si quis compulsus adorare Idolum, de facto adoret exterius, interius tamen non consentiat, adoratio erit violenta, & tamen illa adoratio est voluntaria simpliciter; ergo, &c. Respondetur illam adorationem tribus modis contingere posse: primo si adoret homo ille, faciens repugnantiam extrinsecam, ita ut adorationem illam faciat coactus, invitus, & victus violantia extrinseca: secundo si nolens adorare in principio, postea mutata voluntate, adoravit exterius, & interius: tertio si retineat fidem interius, & exterius exhibeat reverentiam Idolo. Primo modo adoratio illa est omnino violenta, & simpliciter involuntaria, in illaque non demeretur, imo meretur adorans: Secundo est voluntaria simpliciter, & nullatenus violenta; adoransque puniendus est tamquam Idololatra, juxta pœnas à jure constitutas. Tertio, modo adorans non perdidit fidem, peccavit tamen, voluntariaque fuit exterior adoratio, non violentiâ, sed metu extorta; quæ non excusat, quia præceptum de non adorando Idolum, negativum est, obligans semper & pro semper.

Objicies secundo, si virgo opprimatur, ea resistente aliquantulum, non autem pro viribus quantum potest: si virgo interius non consentiat, stuprum est violentum, & tamen non est involuntarium simpliciter; ergo, &c. Minor probatur, quia stuprum illud virgini imputatur ad culpam.

408. Pro solutione hujus, & similium argumentorum, notandum est, aliud esse quid possit quis facere; aliud, quid teneatur facere: nam potest quispiam aliquem occidere, quin illi mortem inferre teneatur: veluti siquis aggressus à latrone, potest latronem occidere, non tamen tenetur illum occidere, imo potest dimittere pecuniam, propter quam aggreditur: similiter puella, ut evitet oscula, vel tactus impudicos, poterit quempiam ferire, non tamen occidere: ut autem evitet stuprum, potest aggressorem occidere. Si quæras utrùm teneatur occidere? Respondeo ex communi doctrina, si illa mulier non est in periculo morali consentiendi, non solum non tenetur occidere, sed nec etiam infamiam inferre vel gravem percussionem aggressori; licet licitè possit; satis enim est quod faciat id, quod potuerit, ad propulsandam oppressionem: cum enim resistentia in hoc casu solum præcipiatur præcepto affirmativo, non obligat pro semper, nec cum tanto damno, quare tunc oppressio non est omnino violenta, sed voluntaria, non quidem mala eo quod non teneatur plus facere: si verò puella se sentiat in morali periculo consensus, tenetur tunc adhibere omne medium ne violetur, mortem, infamiam etiam suam, & aggressoris, aliter colligetur, dissensum stupri esse inefficacem, & stuprum non ex violentia, sed ex metu fuisse factum: *Castitas* enim
August. ait August. 1. de civitate cap. 18. *est virtus animæ, quæ comitem habet fortitudinem, qua potius qualibet mala tolerare, quam malo consentire decrevit.* Et optime Scot. in 4. dist. 29. q. 1. n. 6. *Non potest esse ma-* Scot.
jus malum, quod eminet, quam sit istud peccatum, quia nulla pœna solum pejor est, quam culpa mortalis.
Et D. Thom. q. 1. de malo art. 5. disputans quod- D. Thom.
nam majus malum pœna, an culpa, post multa disertissime concludit in fine corporis; *& ideo culpa habet plus de ratione mali, quam pœna.* Et hic est communis Catholicorum consensus, onde si mulier non fecerit omnia quæ potest ad evitandum stuprum; stuprum non erit illi simpliciter violentum, sed voluntarium. Et quamquam fœminæ non teneantur occidere aggressorem, quando non sunt in morali periculo consentiendi, semper tamen illis consulendum est, ut se defendant, etiam cum morte aggressoris, hoc enim licitè facere possunt, imò & clericum occidere absque excommunicationis incursu.

409. Objicies tertio, violentum non contrariatur voluntario; ergo illud non excludit. Ant. probatur, quia contraria sunt circa idem subjectum: atqui voluntarium habet pro subjecto voluntatem, quàm non habet violentum; ergo, &c. Minor patet, quia si violentum haberet pro subjecto voluntatem, daretur involuntarium actuale, contra id quod docuimus supra n. 310. Respondetur negando ant. Ad probationem distingo Min. voluntarium elicitum habet pro subjecto voluntatem, concedo: participatum, nego: violentum autem actuale non opponitur immediate voluntario actuali, sed objectivo, nimirum participato; voluntarium verò objectivum non excludit violentiam; ideoque tam voluntarium hoc, quàm violentum, possunt esse circa idem subjectum.

SUBSECTIO SEXTA.

Utrum voluntas violentari possit?

410. QUæstio ista vastissima est, multis difficultatibus implicita propter latitudinem voluntatis, cujus imperium ad omnes potentias exteriores extenditur, & cum non solum eliciat actus proprios, sed etiam imperium exerceat in proprios, & in actus aliarum potentiarum, non solum videndum est, an violentiam patiatur in elicientia actuum propriorum, sed etiam in alienorum imperio, imo etiam an violentari possit in receptione actuum, vel habituum supernaturalium, & in aliis, quæ sigillatim expedienda sunt.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrùm voluntas violentari possit circa proprios actus elicitos?

411. REspondetur negativè: est communis doctrina, quam tradunt Magist. in 2. dist. 25. cap. *est namque*: ubi, *ideoque voluntas meritò apud Deum judicatur, quæ semper à necessitate libera est, & nunquam cogi potest*: D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 4. & q. 22. de veritate art. 5. & art. 8. ubi: *Deus potest immutare voluntatem de necessitate, non tamen eam cogere potest*: Scotus in 4. dist. 29. q. 1. n. 6. vers. *ad* Magister.
quæstionem, ubi loquens de violento ita habet: *&* D. Thom.
velle non potest sic inesse voluntati, quia tunc nolens Scot.
vellet, vel volens nollet. Quos principes Theologiæ, sequuntur reliqui Theologi.

412. Probatur primo ex sanctis P. P. August. August.
quinto de civitate cap. 10. *velle, si volumus, est; si nolumus, non est, non enim vellemus, si nollemus.*
Anselm. de libero arbitrio cap. 5. *Ligari potest ho-* S. Anselm.
mo, & invitus, quia nolens: potest torqueri invitus, quia nolens: velle autem non potest invitus, quia

non poteſt velle volens velle, nam omnis volens ipſum ſuum velle vult. Probatur ſecundo ratione: quod eſt abſolute voluntarium, non poteſt eſſe abſolutè violentum (unum enim contrarium non poteſt eſſe aliud) atqui eo ipſo, quòd voluntas elicit actum ſuum, actus iſte eſt abſolute voluntarius; ergo non poteſt eſſe violentus. Minor probatur, quia voluntas eſt principium intrinſecum ſuorum actuum, & nihil magis voluntarium eſt voluntati, quam quod voluntas abſolute vult, & nihil magis abſolute vult, quàm proprios actus; ergo actus abſolute elicitus à voluntate, erit abſolute voluntarius. Videantur rationes Durandi in quarto diſt. 29. q. 1. n. 8. quibus hanc veritatem evidentiſſime demonſtrat.

413. Oppoſitum tuetur Angeſtus in moralibus cap. 3. & poteſt probari: primo voluntas poteſt vi externa adigi à Deo ad eliciendum actum; ergo voluntas illum eliciet violenter. Ant. patet primo, quia Deus poteſt neceſſitare voluntatem, ut enim bene ait Auguſtin. in Enchitid. cap. 96.
Auguſt. *Neque veraciter ob aliud vocatur Omnipotens, niſi quia quidquid vult, poteſt, nec voluntate cujuſpiam creatura, voluntatis Omnipotentis impeditur effectus:* ergo cum neceſſitatur, cogitur. Secundo, quia Deus poteſt imperare efficaciter voluntati, ut gratiam producat, quam tamen voluntas non vellet producere. Reſpondetur negando conſeq. quia iſta neceſſitas nullo modo fiet in terminis difficultatis, quam faciendo Deus ut voluntas velit actum elicere, ſi autem vult, actus non eſt violentus, ſed voluntarius neceſſario prodiens à voluntate effectivè prævia cognitione, non enim neceſſitas opponitur voluntario, ex dictis n. 90. ergo: Actus autem, quo voluntas non vellet gratiam, eſſet tantùm inefficax.

414. Inſtabis: ille actus, quo voluntas vellet, eſſet à principio extrinſeco, id eſt, à Deo, contra naturalem inclinationem potentiæ, quæ libera eſt: ergo ſaltem quoad modum eliciendi, violentus erit. Medin. t. 2. q. 6. art. 4. concluſ. 4. concedit conſequentiam, ſi voluntas cogatur ad majorem intenſionem actus, eo modo, quo ſi lapis velocius projiciatur quam ejus poſtulat natura, violenter projicitur. Salas n. 74. concedit eamdem conſequentiam, ſed ex alio principio, nimirum, ſi tunc Deus neceſſitaret voluntatem ad amandum majus bonum. Uterque tamen falsò concedit conſeq. Medin, quia intenſio actus eſt ſupra, & non contra voluntatis inclinationem; inſuperque iſta intenſio eliceretur à voluntate. Salas, quia voluntas ex ſe non poſtulat determinate bonum, ſed indifferenter hoc, vel illud, & cum determinetur ad bonum, ad quod naturaliter inclinatur, licet ſit minus bonum illo, quod vult per actum elicitum, violenter non aget, ſiquidem illa determinatio non eſt contra actum efficacem. Quare nego ant. ille enim actus cum ſit à voluntate concurrente juxta ejus naturam, quæ non ſolum poſtulat agere libere, ſed etiam neceſſariò, erit voluntarius, & non violentus.

415. Secundo ſi voluntas per actum elicitum nollet amare Petrum, & eo actu perſiſtente Deus efficeret, ut voluntas eliceret amorem erga Pe-
D. Thom. trum, amor iſte violentus erit: ergo etiam. Reſpondetur primo negando ant. ex doctrina D. Thom. q. 22. de veritate art. 8. negantis poſſe ſimul actum efficacem circa unum objectum, coexiſtere actui oppoſito. Secundo negando conſeq. quia in eo caſu, uterque actus erit voluntarius, cum uterque procedat à principio intrinſeco (ſupponitur enim voluntatem concurrere ad utrumque actum) & ſecundùm inclinationem naturalem voluntatis, quæ indifferens eſt ad oppoſitos actus: ſicut ſi Deus tribueret lapidi gravitatem, & levitatem motus deorſum, & ſurſum, illi foret naturalis.

416. Inſtabis: etiamſi ille amor erga Petrum non opponatur voluntati conſideratæ in actu primo, quia indifferens ad utrumque actum, opponitur tamen voluntati conſideratæ in actu ſecundo reſiſtenti per actum elicitum. Probatur ant. quia voluntas per odium actualiter repugnat amori ſupervenienti erga Petrum; ergo ille amor repugnabit voluntati in actu ſecundo. Reſpondetur diſtinguendo ant. opponitur voluntati conſideratæ in actu ſecundo, adæquatè, nego: inadæquatè, concedo: nam etiam amor ille elicitur à voluntate ex actuali inclinatione erga illum: ut actum repugnantia induceret violentum, debebat eſſe contra adæquatam inclinationem voluntatis, ita ut nulla daretur in voluntate inclinatio efficax ad illum actum, eo modo, quo ſi materia prima informaretur duplici forma contraria, utraque forma illi foret naturalis, quia quamvis forma una repugnet materiæ, actuatæ per alteram, non tamen illi abſolutè, & adæquate repugnat, quia materia habet inclinationem ad illam formam, ideo illa repugnantia ſolum eſt ſecundum quid, & extrinſece per denominationem extrinſecam deſumptam ab actu antecedente.

417. Urgebis. Saltem in perſiſtentia amoris cogetur voluntas. Probatur ant. quia non ſolum tunc voluntas renititur, ſed tota illa perſiſtentia procedit à principio extrinſeco; ergo erit violenta. Probatur ant. quia illa perſiſtentia amoris erga Petrum ſolùm dicit non deſiſtentiam: atqui hæc negatio tota eſt à Deo (ſuppono quòd voluntas velit ſuſpendere amorem) ergo: &c. Reſpondetur negando ant. ad probationem, nego ant. Nam iſta perſiſtentia duo dicit: primum ipſum actum elicitum, ſecundum negationem deſiſtentiæ: primo modo perſiſtentia eſt à voluntate, ut etiam eſt actus elicitus: ſecundo etiam modo à voluntate eſſe poteſt, quæ, dum actum producit, eo ipſo deſiſtentiam impedit: non enim ſtare poteſt continuatio actus, cum ejus deſiſtentia: cum igitur à voluntate ſit actus, ab eadem etiam erit deſiſtentia.

418. Tertio, ſtante amore ſui, poteſt Deus facere, ut quiſpiam proprium ſuum eſſe proſequatur odio, ſuique appetat annihilationem; ergo illud deſiderium, & odium, quo proſequitur ſuum eſſe violentum erit voluntati. Reſpondet Martines art. 4. dub. 1. ad 8. dupliciter poſſe proprium eſſe, conſiderari. Primo, ut habet connexionem cum beatitudine, ſecundo ſecundùm ſe: primo modo amor ſui neceſſarius eſt, ut etiam neceſſarius eſt amor beatitudinis, & in hac conſideratione non poteſt dari odium ſui, ut nec beatitudinis in communi: ſecundo modo eſt liber, & poteſt odiſſe ſe ſecundum ſe, & diligere ſe ut medium ad beatitudinem, & tunc non ſunt illi duo actus contrarii, cum ſint reſpectu diverſorum. Verum ſolutio non eſt ad propoſitum, ſuppono enim amorem illum proprii eſſe, non verſari circa ſubjectum, ut medium eſt beatitudinis, & ut taliter apprehenſum.

419. Ideo reſpondetur negando conſequent. quia licet illud deſiderium, & odium proprii eſſe, ſit contra naturalem inclinationem, tamen eſt ab intrinſeco, & efficax, & in voluntate denominatio

violenti,

violenti, potius sumitur ab actu elicito, quàm ab inclinatione naturali; cum ergo uterque ille actus sit à principio intrinseco, uterque erit voluntarius, quamquam enim illud desiderium, & odium sui, etiam oriatur ex voluntate Dei, oritur tamen ab ea, ut à causa remota, & inadæquata, non verò proxima, & adæquata: constat autem ad propriam violentiam requiri, & renitentiam passi, & influxum ab extrinseco, ac proinde admisso casu suppositionis, dabitur tantum violentia inadæquata, & secundum quid, quia etiam provenit ab extrinseca voluntate Dei. Quod si à voluntate eliciatur desiderium mortis, quin in illa existat actus amoris sui, tunc illud desiderium est contra proprium esse, non absolutè, sed affectum miseria, ideo est voluntarium, tum quia est ab intrinseco, tum quia est secundum naturalem inclinationem sui esse absolutè, nam illud desiderium mortis oritur ex amore proprii esse absolutè, & odio prosequitur illud, quia sic affectum est miseria, & potius odit miseriam, quàm vitam; miseria enim sublata, mors propria non exoptaretur.

420. Quarto; motus imperfecti voluntatis, qui insurgunt ex suggestione appetitus sensitivi sunt violenti, & tamen eliciuntur à voluntate; ergo, &c. Major probatur, quia illi motus sunt contra absolutum, & planarium consensum voluntatis. Respondetur negando Majorem, quia si voluntas est deliberata, illisque motibus absolute repugnat, habet sufficientem advertentiam, ut ab illa insurgant motus voluntariè, si insurgunt: si verò non est deliberata, nec habet actum contrarium repugnantem, illi motus non sunt violenti, sed necessarii: & idem est, si prius advertens ratio, vi passionis postea distrahatur, ut non animadvertat propter quod motus insurgunt, tunc non est violentia, sed mutatio voluntaria voluntatis; ita respondet Suar. 1. 2. tract. 2. disp. 2. sect. 5. n. 5.

421. Quinto, si quis velit aliquod objectum, & metu mortis ad oppositum objectum tendat, stante prima volitione, violentabitur voluntas; ergo saltem hoc modo actus elicitus erit violentus. Respondetur distinguendo ant. violentabitur voluntas simpliciter, nego: secundum quid, concedo: est enim involuntarium ex metu. Sexto, potest Deus facere, quod voluntas talem eliciat actum, ut ex eo sequatur tristitia; ergo violentari potest. Probatur consequentia, quia tristitia sequitur violentum. Respondetur negando consequentiam, quia tristitia est actus voluntatis, & voluntarius, objectum verò illius est violentum. Nec obstat quod Aristot. dixit *Tristitiam esse de his, quæ nobis nolentibus accidunt:* loquutus enim fuit de tristitia objectiva, idest, de objecto nolito: nemo enim vult mortem, vult tamen tristari de morte: ac proinde cum tristitia sit actus voluntatis, voluntarius erit, & non violentus, ut bene notavit Scotus in quarto dist. 14. q. 1. à n. 13.

Aristot.

DIFFICULTAS SECUNDA.

Utrum voluntas violentari possit in cessatione à proprio actu elicito?

422. SUppono duobus modis posse voluntatem cessare ab actu elicito: primo liberè per suspensionem actus: secundo, si impediatur voluntas: & hoc impedimentum fieri potest tribus modis: primo per substractionem concursus: secundo ponendo impedimenta: tertio si potenter efficiat, ut voluntas relicto primo actu, alium eliciat, & hoc vel libere, vel necessariò.

423. Dico primo: cessatio actus eliciti non potest esse violenta voluntati per substractionem concursus generalis. Ita Valentia disputatione 2. quæst. 1. puncto 3. §. *sed tamen*. Lorca disputat. 4. de actibus memb. 1. in secundo puncto, Carmelitani tract. 10. disputatione 5. dub. 3. §. 2. numero 37. Cajet. Conrad, Almain. quos refert, & sequitur Martinez 1. 2. quæst. 6. art. 4. dub. 2. §. *primæ conclusionis*, Cornejo dub. 4. §. *primæ conclusionis*. Probatur ex iis, quæ diximus supra numero 362. loquentes in simili materia, & insuper quia illa cessatio non est contra aliquam inclinationem naturalem voluntatis, namque cum voluntas sit potentia libera, de ratione potentiæ liberæ est esse indifferentem ad actum, & ad ejus cessationem.

424. Oppositum docent Suar. citat. sect. 5. numero 3. Vasques disputat. 26. cap. 5. num. 26. Montesin. disputat. 10. quæst. 4. Granad. controvers. 2. tract. 2. disputation. 6. numero 6. Salas sect. 6. numero 57. cum Almain. Gabr. & Medin. Curiel. quæst. 6. art. 4. dub. 5. §. 2. in 2. conclusione & alii. Primo, quia voluntas quantum ex parte sua, est in actu primo constituta ad operandum; ergo cessatio ab operando actum per substractionem concursus, erit illi violenta. Respondetur negando ant. ut enim numero 363. dixi, unum ex requisitis ad constituendam potentiam in actu primo, est concursus Dei in actu primo: ut enim causa secunda in actu secundo subordinatur causæ primæ ut est in actu secundo: ita causa secunda, quando est in actu primo, subordinatur causæ primæ in actu primo: unde sicut non est constituta causa secunda in actu secundo, nisi concurrente actualiter causa prima, ita non est constituta in actu primo, nisi eadem causa prima concurrente in actu primo, & offerente concursum: si voluntas non est præparata in actu primo, & impediatur ab actu, non violentatur: imò naturaliter ab illo cessat: eo modo quo, si tolleretur objectum, ut voluntas, aut oculus operaretur, oculus, & voluntas naturaliter cessarent, ut bene fatetur Vasques citatus, non enim ad operationem causæ secundæ, minus requiritur concursus Dei in actu primo quam objectum: est enim quælibet creatura respectu Dei veluti instrumentum, quod operari nequit sine causa principali.

425. Secundo licet principium universale desit, tamen particulare, idest, voluntas, est integrum principium in actu primo; ergo violentabitur cessando à suo actu. Probatur consequentia, quia ad hoc satis est si positis requisitis ex parte causæ operaturæ, operatio ejusdem impediatur ab extrinseco, contra inclinationem naturalem passi. Respondetur negando ant. namque, ut principium particulare sit integrum in actu primo, nihil ei debet deficere ex parte principii ad operandum. Unde si fuerit causa naturalis, necessario operabitur, & si fuerit causa libera, operabitur si voluerit, deficiente autem concursu generali in actu primo, deficit unum requisitum ex parte principii, ita ut nullatenus causa naturalis aut libera, possit operari sine illo.

426. Inferes; ergo causæ naturales saltem si impediantur à suis operationibus, nullam patientur violentiam, imò nec lapis sursum detentus, eo in loco erit violenter. Respondetur

distiuguendo illationem, per substractionem concursus in actu primo, vel per aliud impedimentum. quo non manent constitutæ in actu primo, concedo: diverso modo; nego: quare non bene Cornejo cit. à §. *arguitur secundo*, diversam assignat rationem in causis liberis, & necessariis: quòd si voluntati præparatæ, & constitutæ in actu primo per concursum generalem, & indifferentem Deus substraheret concursum in actu secundo, proculdubio in eo casu voluntas violentiam pateremt: & hoc tantum probat argumentum: nam concursus in actu secundo, est debitus potentiæ præparatæ in actu primo, ideo detentio lapidis sursum, & negatio combustionis in igne, violentæ sunt lapidi, & igni, quia habebant præparatum concursum in actu primo, & dabantur omnia requisita in lapide ad descensum, & in igne ad combustionem; lapisque descenderet, ignisque combureret, nisi ab extrinseco apponeretur impedimentum, defectus nimirum concursus in actu secundo.

417. Dico secundo, carentia actus eiiciti non potest esse violenta voiuntati, si fiat per ablationem alicujus antecedentet requisici ex parte causæ secundæ, quo constituitur in actu primo, nt per ablationem speciei, objecti, vel similis requisiti. Ita Valentia puncto 3. §. *sed tamen.* Vasques dispur. 26. cap. 1. §. *quod vero* in medio, Suar. sect. 4. puncto 2. num. 8. Probatur, quia voluntas sine illis requisitis, non est constitura in actu primo; ergo si non operatur, ista cessatio ab operatione, non est violenta, sed naturalis ex imperfectione naturali. Quare in hac materia hæc est regula certissima, *ubicumque potentia non est in actu primo constituta, impedita àb extrinseco à sua operatione, non patitur violentiam.*

428. Oppositum docet Medin hic quæst. 6. art. 4. ad 2. Lorca dispnt. 4. de actibns, memb. 2. assertione 2. Saias num. 63. quia si grave detineatur sursum, violentiam patietur, & tamen detinetur defectu alicujus requisiri, videlicet propter impedimentum; ergo, &c. Respondetur distinguendo majorem: si sit constitutum in actu primo, concedo; si non, nego: si enim lapis habear omnia requisita ad descensum, & impediatur, tunc violenter detinebitur, non verò si id, quod deficit, sit vnum ex requisitis ad hoc, ut constituatur in actu primo.

DIFFICULTAS TERTIA.

Utrum voluntas violentari possit in actibus imperatis?

429. NOtandum est, diversum esse voluntatem cogi ut imperer, & diversum esse cogi posse post imperium: Nam primum fieri non potest, cum enim voiuntas non imperet, nisi per actum à se elicitum, cum ad actum elicitum cogi non valeat, ut ostendimus à numero 411. ad num. 421. nec etiam cogi potest ad imperandum: procedit igitur quæstio utrum postquam voluntas imperat, possit cogi in actibus imperatis, tam à se eliciris, & imperatis, quam melicitis ab aliis potentiis, & à voluntate imperatis? circa quam difficultatem

430. Dico primo, voluntas creata non potest violentiam pari circa proprios actus imperatos. Iia docent Doctores, qui voluntatem violentari posse circa actus tantummodo elicitos inficlantur. Probatur, quia utrobique est eadem ratio, siquidem hi actus à voluntate ita imperantur, ut ab eadem volnntate sint eliciti. Et licet voluntas, dum imperium exercet, habeat sa circa actus imperatos, ut principium extrinsecum, ut tamen est principinm eiiciens, est principium maxime intrinsecum.

431. Dices, voluntas violentari potest in actibus imperatis aliatum potentiarum, ut infra probabitur; ergo etiam violentari potest in actibus propriis. Respondetur negando consequenriam, quia actus aliarum potentiarum non habent pro principio eliciente voluntatem, sed tantum pro principio imperante: respectu autem propriorum actuum, etiam imperatorum, voluntas est principium eliciens; Hæc resolutio verissima est, si voluntas libere eliciar actum proprium imperatum: Nam si voiuntas imperet sibi prohibitionem alicujus actns, & stante boc imperio à Deo determinetur ad elliciendum actum, quem voluntas non vult, voiuntas necessariò illum actum eliciet, eritqne actus voluntarius physicè, moraliter violentus propter repugnantiam, quam habet cum imperio, quod actualiter existit prohibens illum actum.

432. Dico secundo, voluntas violentari potest à Deo in actibns imperatis aliatum potentiarum. Ita D. Thom. quæst. 6. art. 4. t. 2. Scotus in 4. dist. 29. quæst. 1. num. 6. vers. *potest*: sequuntur communiter Scholastici, & discipuli utrinsque Doctoris: præter antiquos videndi sunt Valentia 1. 2. quæst. 6. art. 4. punct. 3. Suar. sect. 6. num. 5. Vasques disput. 26. cap. 3. Granad. disp. 7. num. 3. Salas sect. 6. num. 44. Lorca citat. disp. 4. ad locum D. Thom. §. *secundum dub.* Aaor 1. p. D. Thom. Scot.
lib. 1. cap. 9. quæst. 6. Sanches tom. 1. de matrim. lib. 4. disputatio 1. Fonseca tomo 3. Met. lib. 9. cap. 2. quæst. 25. §. *altera ratio*; Sayro in clavi regia lib. 2. cap. 2. num. 1.

Probatur, quia voluntate renitente possunt potentiæ externæ, vel cessare ab actibus suis, vel suos actus producere; ergo patietur violentiam. Probatur ant. quia si volnntas imperet fugam, visionem, aut loquelam, possunt potentiæ externæ impediri à fortiori agente, ne exerceant actus imperatos à voluntate, ita ut contra ejus imperium homo fugere, non possit, nec videre, nec loqui: atqui in eo casu voluntas resistit nihil conferens, quin potius patitur tantummodo; ergo violentiam patietur. Ex quo patet in his actibus tam à Deo, quam à creatura posse voluntatem cogi: cum enim sit virtutis finitæ, facilè vinci potest, & conseqnenter cogi.

433. Obsicies primo, actus imperati aliarum potentiarum vitales sunt; ergo procedunt à principio vitæ conjuncto; ergo procedunt à principio intrinseco; & per consequens violenti esse non possunt. Respondetur distinguendo secundum consequens; ergo procedunt à principio intrinseco, physicè & elicitive, concedo: nt humani, & applicativè, nego: Pro quo nota duobus modis posse bos actus considerari. Primo, physicè secundum suam entitatem absque respectu ad voluntatem: Secundo, nt humanos per ordinem ad illam: primo modo actus imperati naturales sunt, respectu potentiarum, à quibus eliciuntur: Secundo modo sunt violenti, cum ut sic dependeant à voluntate, quæ est proprium principium actuum humanorum, ut bumani sunt: Unde si voluntas imperet, ne potennia exterior actum suum eliciat, & non obstante resistentia voluntatis, potentia impedita à fortiori agente,

actum eliciat, voluntas cogitur, siquidem renitente, & vim non conferente voluntate, potentia externa, actum elicit.

434. Dices: Voluntas in tali eventu nil patitur; ergo non violentatur. Probatur ant. quia per illam coactionem nihil fit in voluntate. Respondetur negando ant. ad probationem distinguo ant. nihil fit in voluntate physicè, concedo: moraliter, nego: cum enim coactio illa nil aliud sit, quam actio, & passio facta in inferiori potentia renitente voluntate; voluntas patitur non in se ipsa, sed in ipsa inferiori potentia: sicut enim voluntas, quando potentia inferior bonum assequitur quod appetit voluntas, dicitur quod voluntas assequatur illud bonum: ita violentata potentia inferiori, violentatur voluntas. Unde eodem modo motus appetitus sensitivi, qui contra voluntatem insurgunt, voluntarii sunt appetitui sensitivo, violenti verò voluntati, & homini absolutè, eoquòd per voluntatem homo humano modo operetur, & à potiori parte desumenda est denominatio; ex dictis à n. 331.

435. Objicies secundo: Violentum est contra actum efficacem voluntatis: atqui quando aliæ potentiæ operantur resistente voluntate, voluntas non imperat efficaciter; ergo non patitur violentiam. Min. probatur; quia imperium, seu influxus efficax est ille, quo posito sequitur influxus alterius potentiæ imperatæ: atqui in præsenti non sequitur actualis applicatio, & influxus potentiæ imperatæ ad id quod voluntas imperat, quin potius sequitur oppositum; ergo in illo casu voluntas non imperat efficaciter potentias exteriores. Respondetur negando Min. ad probationem distinguendo Majorem. Imperium efficax est illud, quo posito sequitur actualis applicatio potentiæ exterioris, quantum est ex parte sua, concedo: ex parte effectus, nego: est enim illud imperium efficax quoad affectum, non quoad effectum, juxta explicationem datam supra à n. 301. Quod vero non sequatur effectus, non fuit efficaciæ defectus, sed potentiæ propter obstaculum causæ extrinsecæ impedientis, de quo supra citato numero.

436. Dices: Actus imperatus denominatur à voluntate imperante; ergo omnis actus imperatus est à voluntate ut à principio intrinseco imperante; ergo omnis est voluntarius. Respondetur distinguendo ant. absolutè, & specificativè, nego: reduplicativè, qua imperatus, concedo: quæstio autem in præsenti est de actibus imperatis in primo, non in secundo sensu: loquimur enim de illis ut actus sunt imperabiles per voluntatem, & ut ab ipsa solent imperari, non verò ut actualiter imperantur: esset enim manifesta implicatio, esse actualiter imperatos, & non fieri ex imperio, sed contra imperium voluntatis, elicique violenter, & non voluntariè.

437. Dico tertio: Circa actus imperatos, qui eliciuntur à potentia motiva, potest voluntas
D. Thom. violentari, & cogi. Ita D. Thom. cit. art. 6.
Scot. Scot. citat. n. 6. vers. *potest*, utriusque Doctoris Discipuli, & communiter Theologi. Probatur facile, quia siquis contra propriam voluntatem renitentem, detineatur in loco, vel de loco ad locum moveatur, violentiam patietur, non enim diversa ratio assignari potest in actibus aliarum potentiarum, atque potentiæ motivæ: & licet post impressum impulsum potentia motiva naturaliter moveatur, semper tamen renititur voluntas; ratione cujus, ut partis nobilioris, & principalioris appetitus, erit simpliciter violentus motus: & idem judicium est de privationibus, quæ renitente voluntate in potentiis externis contingunt.

DIFFICULTAS QUARTA.

Utrum voluntas violentari possit in carentia actuum imperatorum?

438. NOn est quæstio de carentia actuum imperatorum, qui eliciuntur à potentiis externis, de his enim constat posse violentari ex dictis tota difficultate 3. sed procedit de carentia, & cessatione actus, qui simul sit elicitus, & imperatus à voluntate: verbi gratia, si voluntas velit per actum efficacem in sequenti hora elicere contritionem, & adveniente hora impediatur ab eliciantia contritionis, illa carentia erit violenta. Ita Suar. section. 5. num. 3. Vasq. disp. 26. cap. 5. n. 26. Montesin. disp. 10. q. 4. Granad. controv. 2. tract. 2. disp. 6. Salas sect. 6. n. 57. & alii. Probatur, quia illa cessatio & carentia actus omninò est ab extrinseco, renitente passo per imperium actuale; ergo violentiam patietur. Consequent. probatur, quia non datur major ratio in cessatione actuum aliarum potentiarum, quibus imperat, quam in cessatione proprii actus: atqui in cessatione actuum patitur violentiam; ergo etiam in cessatione proprii actus.

439. Oppositum docuerunt Valentia t. 1. disp. 2. q. 1. punct. 3. Bannes 1. p. q. 82. art. 1. dubio primo in prima conclus. Quia voluntas non est in actu primo constituta ad illum actum imperatum; ergo non patietur violentiam in illius cessatione. Respondetur distinguendo ant. ad illum actum eliciendum, concedo: ad imperandum nego: duplicem enim agnosco cum Vasq. cit. n. 27. & 29. constitutionem voluntatis in actu primo, secundùm duplicem illius inclinationem naturalem: nativam, scilicet, unam; & imperantem alteram; non solum enim voluntas constituitur ad eliciendum actum proprium, sed etiam ad actum imperandum: constitutio voluntatis ad imperandum, prior est, quàm constitutio ad eliciendum actum imperatum; siquidem constitutio ad actum imperandum, antecedit ipsam elicientiam actus imperati: quare voluntas constituta est ad imperandum actum, imò & actualiter imperat, quando Deus constitutæ voluntati ad imperandum, & actualiter imperanti subtrahit concursum, ne eliciat actum imperatum; & cum hæc cessatio sit ab extrinseco contra actuale imperium voluntatis, erit violenta voluntati: non quidem elicienti; sed imperanti: verbi gratia, si voluntas imperet oculo, ut videat, illi quoque removeatur objectum, cessatiò illa videndi respectu oculi naturalis erit, cum non sit constituta in actu primo; respectu tamen voluntatis erit violenta; similiter si voluntas imperet sibi contritionem, si Deus subtrahat concursum, carentia contritionis erit violenta voluntati non elicienti, siquidem deficit ei concursus ad eliciendam contritionem defectu cujus non est constituta in actu primo; erit ergo violenta voluntati imperanti, cum non solum constituta sit in actu primo ad imperandum, sed etiam actualiter imperet.

440. Dices, imperium actuale non dari ad actum impossibilem: atqui in præsenti casu im-

possibilis est actus imperatus; ergo impossibile erit imperium efficax actuale. Min. probatur, quia impossibile est, quod voluntas eliciat actum imperatum, quin constituatur in actu primo per concursum Dei generalem, qui, ut supponitur, deficit in præsenti. Respondetur distinguendo Majorem: imperium non potest esse ad actum impossibilem absolutè, & ut impossibilem apprehensum, concedo: in his circumstantiis, nego: de quo plura diximus supra à n. 300. ad n. 307. præsertim quia ille actus non apprehenditur, etiam in his circumstantiis, ut impossibilis, quin potius apprehenditur ut possibilis absolute, siquidem voluntati imperanti nulla facta est revelatio, quòd deficiat concursus generalis.

441. Inferes; ergo etiam in cessatione actus eliciti tantum, voluntas violentiam patietur. Respondetur negando illationem: diversa ratio est, quia actus pure elicitus, à quo voluntas cessaret, esset primus, quem alius non antecederet, per quem applicaretur voluntas ad faciendum ipsum actum, à quo cessaret: & consequenter cessatio non esset contra actualem inclinationem voluntatis: nec etiam foret contra nativam, & internam inclinationem, eo quòd voluntas indifferens est ad actum, & ejus cessationem: Nec contra imperantem, cum actus ille, à quo cessaret voluntas, non sit imperatus; cum insuper nullo modo inclinet in actum illum pure elicitum defectu concursus generalis, actus pure elicitus nullo modo erit violentus, quæ omnia è contra se habent in cessatione actus simul eliciti, & imperati.

441. Quare si voluntas per imperium velit actum à quo cesset, posita cognitione ex defectu concursus generalis, cessatio erit violenta. Unde hæc est unica regula in hac materia, quam supra tetigimus, *ubicumque potentia in actu primo constituta impeditur à sua operatione ab extrinseco, violentiam patitur*: per quam regulam destruitur quædam doctrina Vasq. n. 29. asserentis carentiam amoris Petri, verbi gratia, quem voluntas sibi imperat, fore quidem violentam voluntati, si fiat denegante Deo concursum ad cogitandum de Petro, non tamen si fiat denegante Deo concursum ad amorem, cujus doctrinæ eam rationem assignat, quod voluntas non exercet imperium in suos proprios actus, quæ ratio cum rejicienda sit disp. 3. sect. 11. à n. 750. ex eodem principio sequetur talem cessationem violentam esse voluntati propriis actibus imperanti.

DIFFICULTAS QUINTA.

Utrum voluntas violentari possit in carentia vel receptione habituum?

443. Dico primo: Carentia habitus potest esse violenta, si fiat à principio extrinseco contra appetitum elicitum voluntatis. Ita Suar. sect. 4. punct. 2. n. 7. Valentia q. 1. punc. 3. §. *sententia igitur*, Salas sect. 3. n. 57. Granad citat. disp. 6. n. 10. Almain. Marsilius, & Medin. citati à Suar. qui idem docent de carentia actuum; & probatur, quia potest voluntas velle actualiter habere habitum quem possidet, & Deus voluntate resistente, potest auferre illum habitum; ergo carentia illius violenta erit voluntati, cum illa carentia fiat à principio extrinseco, idest, à Deo, nil conferente voluntate, quin potius renitente.

444. Dico secundo: Carentia habitus non est violenta voluntati, si fiat contra ejus appetitum innatum. Probatur, quia vel habitus erit supernaturalis, vel naturalis: si supernaturalis, etiamsi concedamus in voluntate dari appetitum innatum ad illum, est incompletus juxta Authores, qui probabilissime illum admittunt; ac proinde voluntas non constituta est in actu primo ad actum supernaturalem, & per consequens illius carentia non est voluntati violenta: si habitus est naturalis, voluntas solùm habet capacitatem ad illum, non verò inclinationem, cum non magis inclinetur ad habendum, quàm ad non habendum habitum. Adverte tamen sermonem esse de habitibus acquisitis, nam de habitibus inditis à natura aliter sentiendum est, nimirum carentiam illorum futuram esse violentam voluntati, eo quòd fit ab extrinseco contra naturalem voluntatis impetum.

445. Contrarium docuerunt Doctores citati pro prima conclusione, pro quo ita arguit Suar. primo: Voluntas, dum privatur habitu, sua naturali perfectione privatur; ergo violentiam patietur. Respondetur distinguendo ant. sua naturali perfectione privatur, ad quam est determinata, nego: ad quam est indifferens, concedo: Voluntas indifferens est ad carentiam habitus, & ad ipsum habitum: indifferentia verò aufert à passo rationem violenti, aliter ad violentum non requireretur resistentia, quod falsum est.

446. Secundo, si Deus per impossibile, vel possibile sine efficientia voluntatis, ei infunderet habitum, per illum voluntas non violentaretur; ergo privatio talis habitus violentum causabit in voluntate. Probatur conseq. quia ideo Deus non causaret violentum voluntati, infundens habitum, quia habitus, seu forma recepta, est naturalis voluntati, ejusque perfectio: atqui omnis potentia inclinat in suam perfectionem; ergo si ab extrinseco illa careat, violentiam patietur. Respondetur negando conseq. ad probationem distinguendo Min. atqui potentia inclinat in suam perfectionem, si est determinata ad illam, concedo: si indifferens, nego: Voluntas verò cum sit indifferens, non solum inclinat ad perfectionem, sed etiam ad illius carentiam, ideoque tam naturale est voluntati habitum habere, quam illo carere.

447. Hæc de carentia habituum: circa vero eorum receptionem in voluntate; Dico tertio: Voluntas non patitur violentiam attenta tantummodo ejus nativa inclinatione in receptione habituum. Ita Suar. sect. 4. punct. 1. n. 2. Vasq. disp. 26. cap. 1. n. 16. §. *id quod diximus*, Martinez 1. 2. q. 6. art. 4. dub. 1. ad 3. & alii. Probatur, quia nullus habitus contrariatur nativo appetitui voluntatis, qui de se indifferens est, ad omnesque inclinat habitus; ergo nullius habitus infusio voluntati est violenta. Probatur ant. quia vel habitus est per se infusus, quia in entitate est supernaturalis, vel est per accidens infusus; quia naturalis est in entitate: si est per se infusus, quamquam non sit secundùm naturalem appetitum completum voluntatis, est tamen secundùm naturalem appetitum incompletum voluntatis, juxta probabilissimam sententiam; vel absolutè, licet non sit secundùm aliquem appetitum naturalem voluntatis, est tamen supra, & non contra naturam, & appetitum voluntatis, ideo nullo modo violentus; cum violentia requirat renitentiam passi: si habitus est per accidens infusus, ad illum voluntas inclinat, ut etiam inclinat ad ejus actum.

448. Dices: Potest à Deo infundi voluntati

habitus vitii, ut tuetur Vasq. 1. 2. disp. 90. cap. 4. n. 11. & 3. p. disp. 61. n. 59. Herrera de peccatis disp. 38. q. 1. §. 3. *est notandum*, Ripalda lib. 3. disp. 59. n. 15. atqui iste habitus est contra internum, & nativum appetitum voluntatis; ergo illius infusio erit voluntati violenta. Min. probatur, quia voluntas per se inclinat in bonum honestum: atqui habitus vitiosus non est bonum honestum; ergo non est conformis, sed contrarius voluntati. Respondetur primo negando Maj. cum Suar. in Met. disput. 44. sect. 13. num. 18. & 1. 2. tract. 4. disp. 4. sect. 2. n. 6. Turrian. 1. 2. disp. 3. dub. 4. Lorca 1. 2. q. 71. disp. 4. §. *sed ex hoc*, Coninch. de actibus disp. 10. dub. 2. num. 30. cum Medin, & Vincentio, Martinez citatus, Ruz de voluntate Dei disp. 18. sect. 7. ex Aragonio, Navarrete, & Alvarez.

449. Respondetur secundo negando Minorem, nam appetitus voluntatis, ut ad omnes actus est indifferens, ita etiam ad omnes habitus, nullusque habitus contrariatur inclinationi voluntatis absolutè, & secundum se. Nec admitto id, quod Suar. citato loco 1. 2. sect. 4. punct. 1. n. 3. docet, nimirum voluntatem habere perfectiorem aliquam inclinationem ad bonum honestum; hoc enim non est verum, eo quòd voluntas æquali pondere feratur in bonum honestum, ac in bonum utile, & delectabile, ut materia prima æqualiter inclinat ad omnes formas tam perfectiores, quàm imperfectiores, ideo in receptione formæ imperfectioris nullam patitur repugnantiam, nec ullam etiam patitur cum privata anima rationali introducitur forma ignobilior. Et ex hac doctrina sequitur, si Deus destruat habitum perfectiorem, & introducat imperfectiorem, nullam inferre violentiam voluntati, idemque dicendum est, si Deus imprimat in voluntate aliquam qualitatem, quæ voluntati non contrarietur, & voluntas illius sit capax.

450. Dico quarto: Voluntas violentari potest à Deo, si Deus illi imprimat aliquem habitum contra ejus elicitum appetitum. Ita Suar. sect. 5. n. 2. Vasq. citatus, Salas sect. 6. n. 56. §. *dico* 2. Carmelit. n. 38. & ante eos Paludan. in 4. dist. 29. q. 1. art. 1. io 3. conclus. Probatur, quia si Deus infundat in voluntate quamcumque actum repugnante ipsa per actum suum, idest, per actualem nolitionem, violentiam inferet voluntati; ergo similitar violentiam inferet, si imprimat habitum in voluntate: cum nulla detur major ratio. Confirmatur argumento Paludan. de facto voluntas patitur violentiam io habitibus vitiosis, quos in tempore malitiæ acquisivit, & redacta ad pœnitentiam per actum amoris detestatur; ergo similiter si voluntas detestetur habitus vitiosos, illosque Deus in illa infundat, proculdubio violentiam patietur.

451. Oppositum docent aliqui Recentiores, inter quos est Martinez citatus in fine paragraphi ad 3. quia vel voluntas habet potentiam naturalem, vel obedientialem, vel nullam, ad illum habitum: atqui ex quacumque, non infertur violentia voluntati; ergo, &c. Min. probatur, quia si potentia est nulla, infusio habitus non est contra potentiam naturalem, nec infusioni voluntas renititur; si potentia est naturalis, hæc est indifferens: si obedientialis, inclinat ad hoc, ut Deus imprimat illum habitum, vel quemcumque alium. Respondetur voluntatem secundùm se habere potentiam ad receptionem cujuslibet habitus, nullam tamen inclinationem habere, ut invita habitum recipiat, imò habet oppositam inclinationem ad actus, nimirum ad illos, quos ipsa velit producere, sicut potentia motiva in homine non habet absolutam inclinationem ad motum, sed sub conditione, si præcedat debita motio appetitus, & ideo appetitu renuente motus erit violentus: eodem igitur modo voluntas non habet absolutam inclinationem ad illum habitum, renitente verò voluntate, jam infusio illius habitus erit violenta propter resistentiam appetitus eliciti.

452. Instabis voluntas habet aliquam inclinationem naturalem ad illum habitum; ergo illius infusio erit conformis saltem inclinationi innatæ voluntatis, & consequenter licet sit illa infusio contra elicitam inclinationem voluntatis, non erit violenta. Respondetur primo, distinguendo ant. voluntas habet inclinationem ad illum habitum, ut illum recipiat, absolutè, concedo: ut recipiat invitè, nego: secundo, negando conseq. quia quando aliquid fit contrà appetitum elicitum, non datur innata inclinatio, per quam violentis impediatur, cum illa infusio habitus simul sit contra elicitam, & innatam inclinationem inclinationis illius elicitæ: non enim datur major inclinatio in voluntate ad gratiam, vel infusionem habituum, quam ad motum ad hunc, vel illum locum, & tamen siquis invitus moveretur, violentiam subiret; Insuperque, licet daremus manere inclinationem naturalem, semper tamen præferenda est inclinatio actualis, & elicita.

DIFFICULTAS SEXTA.

Utrum voluntas cogi possit in receptione actuum?

453. RESpondetur, Voluntas secundum se violentari non potest in receptione actuum: violentari tamen potest si voluntas per actum elicitum efficaciter repugnet, accipere actum contrarium, & pro utraque parte conclusionis, suppono, à Deo posse infundi actum vitalem in qualibet potentia sine efficientia ipsius potentiæ, in qua recipitur: quam suppositionem possibilem esse fatentur cum Angesto cap. 3. Granad. disp. 6. n. 7. Salas sect. 6. n. 70. impossibilem verò esse docent Suar. disp. 2. sect. 5. n. 70. Lorca disp. 4. memb. 1. §. *quod ego*. Medin. q. 6. art. 4. ad 4. ubi Martinez dub. 3. in 2. conclus. Montesin. disp. 10. q. 4. n. 75. Cornejo disp. 2. dub. 1. ex Curiel. dub. 2. §. 6. ad 1. quidquid tamen sit de suppositione, conclusio procedit, admisso quod Deus infundat actum contrariante voluntate efficaciter.

454. Qua posita, prima pars conclusionis constat ex difficult. 5. n. 447. secundam vero partem, quòd scilicet actus elicitus sit voluntarius, infusus verò violentus (qui est casus suppositionis) tuentur Curiel citatus, Granad. n. 8. Vasq. disp. 26. cap. 2. n. 11. Becan. 2. p. sum. cap. 2. q. 10. n. 43. Et probatur, quia actus ille infunditur à Deo solo, sine efficientia voluntatis, ut à principio extrinseco, contra actualem volitionem, qua vult non recipere talem actum, & per consequens contra innatum appetitum imperandi, & eliciendi actum invitè, juxta dicta difficult. superiori; per quod solvitur fundamentum Valentiæ disp. 2. punct. 2. Suar. sect. 3. n. 9. Martinez citati, & Salas n. 68. oppositum sentientium.

455. Solum opponi potest: Voluntas per illum actum essentialiter vellet, aut nollet; ergo erit voluntarius. Ant. constat ex opinione constituente essentiam volitionis in qualitate. Consequentia colligitur ex opinione quam supra defendimus

n. 80. quæ docet voluntarium in facto esse, consistere in ipsa entitate actus. Respondetur primo, negando consequentiam; ad probationem eodem loco n. 84. assertum esse, voluntarium non consistere tantum in illa entitate actus absolutè, sed ut postulat connaturaliter produci à voluntate; ille autem actus infusus, licet absolute postulet produci connaturaliter à voluntate, non tamen in his circunstantiis, quando scilicet, in voluntate existit actus contrarius illi, qui infunditur. Respondetur secundo, ideo illum actum non esse voluntarium, quia infunditur; quin ad illum voluntas concurrat, & ad rationem voluntarii requiritur actio ipsius voluntatis; ex dictis supra n. 85.

456. Scio quemdam doctissimum Recentiorem Conimbr. Academiæ Doctorem asserere, utrumque actum esse violentum, infusum simpliciter, elicitum ab instanti infusionis alterius actus. Fundatur, quia actus elicitus, quando alter actus à solo Deo infunditur, conservatur à solo Deo, voluntate renitente; ergo ubi primùm infunditur actus, non solum actus infusus, sed etiam ipse actus elicitus erit violentus. Fragile tamen est hoc fundamentum, quia licet actus elicitus renitatur formaliter actui infuso, non tamen renititur efficienter voluntati: erit ergo actus elicitus contrarius actui infuso, non voluntati; cujus virtutem Deus extendit, ut utrumque actum simul habeat, sicut de materia prima simul duas formas recipiente communiter asseritur, conservatio etiam illius actus eliciti est à voluntate, cum enim conservatio à productione non distinguatur, ut docui in libris Physic. cum D. Thom. 1. p. q. 104. art. 1. ad 4. Scoto in 2. dist. 2. q. 1. n. 21. Fonseca 7. Met. q. 3. sect. 7. Carmelitanis in lib. Physic. disp. 21. q. 2. §. 4. n. 24. Amico tom. 2. in 1. p. disp. 5. sect. 11. & sect. 12. Suar. disp. 21. Met. sect. 2. n. 8. ubi multos refert pro hac sententia: si voluntas elicit illum actum, etiam conservat. D. Thom. Scot.

SUBSECTIO SEPTIMA.

Utrum potentiæ à voluntate distinctæ violentiam pati possint circa proprios actus?

457. IN duplici genere sunt potentiæ, quædam enim non obediunt voluntati, ut nutritiva, augmentativa, & similes, quæ violentiam pati non possunt; cum semper eliciant actus juxta propriam inclinationem, & non habent inclinationem ad obediendum voluntati: quædam potentiæ natæ sunt obedire voluntati, potentia scilicet motiva, appetitus sensitivus, & similes, circa quas non est quæstio, an patiantur violentiam in cessatione à propriis actibus, cum fiat contra internum appetitum, quem habent ad operandum: sed est quæstio utrum, si renitente voluntate istæ potentiæ operentur, operationes sint violentæ.

Quidam Theologi, inter quos sunt Valentia punct. 1. Salas sect. 6. n. 48. Martinez 1. 2. q. 6. art. 4. dub. 4. §. *quantum* ex Medio, & Capreolo, & Soto, Cornejo dub. 6. §. 1. *conclus.* Bannes 1. p. q. 82. art. 1. dub. 1. conclus. 4. Carmelit. tract. 10. disp. 3. dub. 3. §. 2. n. 34. docent duplicem dari inclinationem in potentiis externis, unam particularem, alteram universalem obediendi voluntati: & tunc docent illas operationes esse quidem secundùm inclinationem naturalem particularem potentiarum, quam habent ad operandum; esse tamen contra universalem inclinationem obediendi imperio voluntatis, ex quo inferunt illas operationes non solum esse violentas voluntati resistenti, sed etiam ipsis potentiis operantibus, contra imperium voluntatis.

458. Dicendum tamen est, illas operationes non esse violentas potentiis, etiamsi eliciantur renitente voluntate. Ita Vasq. disp. 26. cap. 8. n. 21. Montesin. disp. 10. q. 6. n. 92. ex Durando, & Paludan. Soncinas 9. Met. q. 18. Et probatur facile ex dictis à n. 355. ubi asseruimus actiones, nec divina potentia posse esse agentibus violentas, ex eo quod eliciantur à principio intrinseco, secundum inclinationem naturalem, quam potentiæ habent ad eliciendos proprios actus. Videantur ibi dicta. Insuper gratis fingitur illa inclinatio universalis ad obediendum voluntati, nam inclinatio illa universalis solum admitti debet in potentiis ad propriam earum conservationem, obedire autem voluntati non est ad propriam conservationem, cum sæpissime depravata voluntas possit velle destructionem alicujus potentiæ sibi subditæ. Neque eis favet Scot. in 4. dist. 49. q. 1. cum ibi potius n. 6. Scot.
nostræ assentiatur conclusioni.

459. Objicies primo: Si renitente voluntate, potentiæ operentur, violentia infertur voluntati; ergo toti homini violentia infertur; ergo etiam potentiæ particulari. Ant. probatur, quia violentum denominatur à principaliori appetitu, ex dictis à n. 331. Ultima conseq. patet; quia non potest totum violentari, quin etiam pars violentetur, ideo, quando ignis deorsum vergit, non solum igni, sed etiam levitati infertur violentia. Respondetur, negando ultimam conseq. quia totum non dicitur violentum ratione omnium partium, sed quia ibi intervenit duplex ratio contraria, una à nobiliori appetitu, qui est totius hominis; altera ab ignobiliori, qui tantum est appetitus particularis, cum enim denominationes sint suppositorum; non à particulari appetitu, sed à communi sumenda est denominatio, verbi gratia, calor dicitur violentus aquæ, ratione formæ, non materiæ: Quod additur de igne, non est ad rem; nam motus ille deorsum, non oritur à levitate, imò contra illam fit.

460. Secundo: Manus exponitur sui ipsius destructioni propter totius defensionem, ita ut si detineatur ab illo motu patiatur violentiam; ergo similiter; si potentia detineatur ab obedientia voluntatis, violentabitur; Respondetur negando conseq. & ratio diversitatis est, quia, ex offensione capitis, oritur partium destructio, & cum quælibet res habeat inclinationem naturalem ad sui conservationem, inde oritur, ut ad caput defendendum naturaliter occurrat, hoc enim non est contra propriam inclinationem, imò pro illa, ex dictis supra n. 388. at verò obedientia potentiarum respectu voluntatis non est propter propriam conservationem, nec propter conservationem totius, cum sæpius voluntas imperat totius, & partium destructionem.

SUBSECTIO OCTAVA.

Colliguntur aliqua corollaria ex dictis.

461. EX dictis colligo primo, violentum ab involuntario distingui, neque enim omne violentum est involuntarium; neque omne involuntarium, violentum est. Primum patet, nam ex parte subjecti violentum convenit etiam non viventibus, ut igni, & aquæ, involuntarium solum viventibus convenit: & in illis omne involuntarium præcipue cognoscitur ex parte actus eliciti, licet etiam cognoscatur ex parte appetitus innati; violentum verò, æque dignoscitur ex parte

utriusque appetitus; ex parte objecti datur objectum violentum naturæ, quod est simpliciter voluntarium, ut mors Christi; & tormenta Martyrum. Secundum ostenditur, quia involuntarium ex ignorantia non est violentum ex Philosopho tertio Ethicor. Amici interfectio, & navis submersio involuntaria sunt, non violenta. Aristot.

462. Secundo, ad violentum requiri principium extrinsecum vim inferens, non quidem suppositò, sed realiter à passo distinctum: tertio formam constitutivam violenti, non esse habitudinem ad agens extrinsecum, sed habitudinem passi ad formam, quod quidem passum non solùm negativè, sed contrariè, & positivè debet resistere formæ, vel per activam, vel per passivam, vel per formalem resistentiam: si enim forma non sit contra aliquam inclinationem naturæ, ejus introductio non erit violenta physicè, poterit tamen esse moraliter violenta respectu actus eliciti, per quem voluntas efficaciter renuit, formam etiam sibi convenientem recipere.

463. Quarto, colligo violentum non esse idem, quod coactum, si præcisè sumatur: nam coactum solum convenit animantibus, inanimata enim magis propriè dicuntur violentiam pati, quam cogi: insuper coactum semper est contra appetitum elicitum efficacem: nemo enim dicitur cogi ad ea, quæ fiunt contra voluntatem inefficacem: ideo projectio mercium in mare, desideriumque impossibilium non sunt simpliciter coacta, violenta, aut involuntaria.

464. Quinto, molestum esse quod secum dolorem, & tristitiam affert, non coincidere cum violento, & involuntario simpliciter, namque si illud molestum acceptetur à voluntate, erit simpliciter voluntarium propter principaliorem partem appetitus. Sexto, invitum potius dicitur de illo, qui vim patitur, quàm de objecto: Nec coincidit cum violento, siquidem invitum fit à voluntate, licet invita, non verò violentum: nec etiam coincidit cum involuntario, namque involuntarium ex ignorantia non est aliquid invitum.

465. Septimo, necessarium ex vi nominis significat determinationem ad unum, & inveoltur in *violento*, ut in ascensu lapidis: invenitur in *coacto*, ut siquis cogatur facere, quod omnino non vult: invenitur in *involuntario*, ut siquis per ignorantiam aliquid faciat: invenitur etiam *in ipso voluntario*, ut patet in amore Dei: tandem invenitur in *operatione naturali*, veluti in operationibus viventium.

SECTIO SEPTIMA.

De involuntario ex metu.

Scio Aristotelem tertio Ethicor. prius egisse de Involuntario per ignorantiam, quam de Involuntario ex metu, Nobis tamen commodius visum fuit ordine inverso, prius agere de involuntario ex metu, eo quòd affinitatem maximam habeat cum violento, propter quam *metus* dicitur violentia: & hæc affinitatis ratio nos movet, ut de illo simul agamus, ut ex proximiori jam explicati violenti cognitione facilius involuntarium ex metu percipiatur: nec animus est omnia quæ de metu traduntur, explicare, sed tantum ea, quæ præsenti instituto aptiora visa fuerint.

SUBSECTIO PRIMA.

De essentia metus.

466. Præsuppono tres præerequiri actus antequam voluntas metuat, unum ex parte intellectus, sive potentiæ cognoscitivæ: duos ex parte potentiæ appetitivæ: in potentia cognoscitiva datur vel apprehensio virtualiter judicativa, vel etiam judicium formale de futuritione mali impendentis: ex parte potentiæ appetitivæ est amor boni, quod per malum timetur amitti, & odium mali oppositi: sitne amor prior, quàm odium? affirmant Ægid. Coninch de actibus disp. 20. dub. 1. n. 1. Rainaud dist. 3. q. 3. art. 4. n. 336. ex August. q. 33. ex 83. ex his sequitur anxietas quædam, & trepidatio potentiæ appetentis orta ex imaginata futuritione mali impendentis, sive timor, vel metus: exemplum sit timor mortis; concipit enim intellectus probabiliter futuram esse mortem, amat vitam, mortem detestatur, ex hoc sequitur metus mortis, si enim vitam non diligeret, nec mortem odio prosequeretur, procul dubio non timeret. August.

467. Hic igitur metus definitur à Philosopho, secundo Rethoricor. cap. 15. *animi perturbatio orta ex cognitione imminentis mali*, quæ non est diversa ab illa, quam tradit Ulpianus l. 1. ff. quod metus causa, ubi metus definitur: *est instantis periculi, vel futuri mali causa, mentis trepidatio*. Cujus definitionis partes dum expono, & illius veritas, & metus essentia apparebit. Aristot. l. 1. ff. quod metus causa.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum metus sit propriâ animæ passio, & ab aliis animæ passionibus distincta?

468. Excitatur quæstio propter illam particulam *est animi perturbatio*, & quæritur, utrum illa perturbatio animi sit passio animæ? Respondetur affirmativè. Est communis sententia, quam tradunt August. 14. de civitate Dei cap. 3. Hieronim. ad caput primum Ezechiel. Cicero lib. 4. Tusculan. qq. Boetius de consolat. metro septimo, dum dividentes passionem in communi, inter membra dividentia numerant gaudium, & tristitiam, spem, & timorem. Videantur Suar. t. 1. tract. 4. disp. 1. sect. 1. n. 2. Rainaud. tom. 1. operis moralis dist. 3. q. 1. art. 1. n. 13. Cabreros in methodica delineatione de metu lib. 1. cap. 5. n. 9. & præ omnibus videatur Angelicus Doctor 1. 2. q. 22. art. 1. & 2. Et probatur, quia metus ut hic sumitur, oritur ex mali imaginatione: atqui imaginatio habet vim movendi humores, & efficiendi passionem in corpore; ergo quamquam metus in se non sit passio, sed actio, saltem ex effectu, dicendus est passio. August. S. Hieronim. Cicero Boet. D. Thom.

469. Dubium vero est, sit ne metus passio appetitus sensitivi, an voluntatis? Respondetur esse utriusque passionem: & primo quod sit passio appetitus sensitivi, docent communiter Theologi, videndi sunt Suar. citatus n. 1. Raynaud citatus n. 13. Quia passio, ut hic accipitur, est motio quædam appetitus orta ex imaginatione mali, quæ, quia habet vim movendi humores, & causandi passionem in corpore, dicitur passio: atqui metus oritur ex imminentis mali imaginatione, qua excitatur appetitus sensitivus, ut malum fugiat; ergo metus est passio appetitus sensitivi.

Minor patet in brutis, quæ sæpe timent, & fugiunt ex cognitiona mali imminentis.

Scot. 470. Secundo, quòd metus sit passio voluntaris, tuetur Scot. in primo dist. 1. q. 3. n. 15. loquens de delectationa, & in 3. dist. 33. q. 1. n. 9. Gervasius tract. da notitiia cap. de apperitu rationali, q. ultima, Rainaud dist. cit. n. 14. & alii: suitque expressum à D. August. 14. de civitate Dei cap. 14. ubi, *Nam quid est cupiditas, & latitia, nisi voluntas in eorum consensionem, qua volumus? & quid est metus, atque tristitia, nisi voluntas in dissensionem ab his, qua nolumus?* Et infra, *Omnino pro varietate rerum qua appetuntur, aut fugiuntur, sicut allicitur, vel offenditur, voluntas hominis, ita in hos, vel illos affectus mutatur.* Et probatur ratione, quia objectum metus ad voluntatem spectat, non minus enim voluntas in bonum tendit prosequutione, quam in malum fuga: atqui ad potentiam, ad quam spectat objectum, spectat etiam actus; ergo, &c. quin potius negari non potest, quòd voluntas refugiat malum imminens.

August.

D. Thom. 471. Nec obstat D. Thom. 1. 2. q. 22. art. 3. & primo contra gentes cap. 89. ubi docet, passiones non residere in appetitu rationali, loquitur enim da passione propriè, ut axplicat Suar. sect. 5. n. 3. & ipse Angelicus Doctor se explicavit art. 3. in corpore, ubi docet in voluntate dari passiones metaphoricè, per similitudinem ad appetitum sensitivum, ut velle vindictam, vocatur ira; quod bene notavit ibi Cajat. §. *in argumento*, ex qua doctrina optima infertur metum propriè & principaliter, esse passionem appetitus sensitivi, nam prima nominis impositio, est ad sensualem motum, quo excitatur, & alteratur corpus, fitque aliqua transmutatio corporalis, ex quo derivatur ad voluntatem, licet impropriè, quo ad passionis nomen: præcipuè si motus fiat à causa extrinseca, unda non solum voluntas est causa dirigens passiones appetitus sensitivi, ut voluit Picolmineus gradu primo cap. 9. sed etiam in se ipsa movetur spiritualibus motibus immediate, qui quidem actioes sunt motibus appetitus sensitivi.

472. Pertineat metus ad appetitum concupiscibilem, an ad irascibilem? Respondetur pertinere ad irascibilem: namque appetitus concupiscibilis respicit objectum bonum, vel arduum absolutè: irascibilis verò respicit idem bonum sub ratione ardui, vel difficilis, ut tradunt Conimbr. in lib. Ethic. disp. 6. q. 5. art. 2, Carmelit. in lib. de anima disp. 21. §. 3. à n. 57. Cabreros lib. 1. cap. 5. datus est enim appetitus irascibilis velut adjutorium concupiscibilis, ut scilicet auferat impedimenta, nimirum, arduitatem, & difficultatem repertas in objecto concupiscibili: tum sic, metus versatur circa objectum malum non absolutè, sed arduum, vel difficile, sive jam suis circumstantiis singularisatum, quod requirit adjutorium irascibilis; metus, ergo ad hunc spectat.

473. Circa distinctionem metus ab aliis animæ passionibus, notandum ast tria genera passionum reperiri in appetitu concupiscibili, & tria in irascibili: cum enim bonum habeat virtutem attractivam, malum repulsivam: bonum causat in appetitu concupiscibili inclinationem, estque amor, cui opponitur contrarium odium ex parte mali: & cum bonum non sit adeptum, movetur appetitus ad illud assequendum, estque desiderium seu concupiscentia, cui opponitur fuga mali; cum verò bonum est adeptum, in illo quietatur appetitus, estque delectatio, sive gaudium, cui opponitur dolor, siva tristitia: in appatitu irascibili, supposito amore boni, vel odio mali, datur inclinatio ad bonum prosequendum, si non est adeptum, estque spes, & desperatio; & si malum adhuc non nocet, est timor, & audacia: si malum jam patitur, ast ira. Ex quibus jam apparet, quæ distinctio interveniat inter metum, & relatas passiones, cum enim habeant diversum objectum, & munus peculiare, saltem formaliter inter se discriminabuntur.

474. Solum potest esse dubium de fuga, utrum distinguatur formaliter à metu? Respondetur affirmative, quia oppositæ sententiæ Authores fatentur, quod in eo distinguatur fuga à metu, quia fuga attandit objectum malum, & arduum: metus verò attendit illud objectum malum, & non arduum: atqui ratio ardui, & non ardui, est aliquid formaliter diversum, positum ex parta objecti formalis; ergo cum objectum formale sit diversum, actus circa illud, formaliter diversi erunt: licet enim ad idem objectum formale, terminari possint actus essentialiter diversi, ex dictis à n. 130. nunquam tamen ad diversum objectum formale poterunt terminari actus ejusdem naturæ formaliter.

475. Quod vero arduum, & non arduum, sint quid formaliter diversum, patet quia bonum mihi, bonum absolutè, & bonum arduum specificat actus specie diversos: nam bonum mihi, concupiscentiam; bonum absolutè, charitatem; bonum arduum specificat spem: atqui bonum arduum, & non arduum plus differunt, quàm bonum mihi, & absolutè; ergo, &c. Loquor de fuga, quæ tendit in objectum malum in communi, quæ sub se comprehendit metum, & fugam oppositam concupiscentiæ: da hac enim Suar. sect. 10. num. 2. Raynaud. dist. 3. q. 2. art. 4. n. 101. fatentur non esse distinctam à metu, sed immerito; cum illa ratio ardui, & non ardui, distinctiva habeant essentialiter diversa: idem etiam existimo de fuga in particulari, qua voluntas refugit objectum malum imminens, quod probabiliter existimatur futurum, & difficile ad evadendum, ex D. Thom. 1. 2. q. 42. art. 5. opponiturque audaciæ: quia fuga est de malo futuro, licet futurum non credatur: metus autem est de eodem malo, credito ut futuro: de quo bene Vasq. 1. p. q. 20. art. 2. disp. 83. cap. 2. n. 4. & ex eo Cabreros lib. 1. cap. 5. n. 13.

476. De discrimine tandem timoris, tremoris, pavoris, consternationis, trepidationis, & similium passionum, quæ affines sunt metui, tractat citatus Cabreros: fere enim sunt synonime, & tantummodo hanc habent differentiam accidentalam inter se: metus est de periculo remotiore, timor de eo jam jam appropinquante ex Tullio lib. 4. qq. Cicero.
Tusculan. Inde est quod metus est capax providentiæ erga periculum, non tamen timor: tremor addit metui concussionem corporia, ex quo effectu metaphoricè sæpe dicitur terram tremere: pavor addit metui, mentis timiditatem, quæ solvitur tempore: terror aliis incutitur, metus est apud timentes. Hæc ut similia metui mihi fuit visum axplicare, ut metus propria essentia penetratur.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum objectum metus debeat esse malum non solum futurum, sed etiam certò futurum?

477. EXcitatur quæstio propter illam particulam definitionis, *orta ex cognitione imminentis mali.* Et quæritur quodnam malum sit hoc objectum metus? Respondeo triplici conclusione:

prima

Prima sit: Objectum metus est malum; est communis sententia de qua nullus Philosophus aut Theologus dubitavit; bonum enim speramus, malum metuimus: metus cum fuga, spes cum prosequutione jungitur, ut appetitus bonum speratum consequatur, & malum quod timetur, evitet.

Et hoc satis liquet ex ipsius metus effectibus, plures enim causat, quàm par est, malum enim apprehensum, ut bonorum, ita & malorum causa sæpissimè est: bonus enim metus ex apprehensione mali, primos fecit In orbe Deos, imò ex metu Religionem natam credidit antiquitas, teste Servio in illud Æneidos 7. *Multosque metu servata per annos*: metus fidei fundamentum, legum observantia, optimorum signum, causa salutis, impedimentum vitiorum, gehennæ exterminium, Reipublicæque ornatus est, de quo videri possunt Bernardus de dono Spiritus sancti cap. 1. Greg. Magn. 2. p. pastoralis cap. 16. sanctus Isidor. de summo bono lib. 3. cap. 47. Solorzano de parricid. lib. 1. cap. 1. metus autem malus, carnifex equidem rerum futurarum est, quot infortunia peperit, quot victorias perdidit? animos dubios efficit & degeneres, In mille vitiorum inutiliumque rerum labirinthos proijcit homines. Videantur Lipsius lib. 3. de manuduct. ad Stoicam Philosophiam dissert. 1. Greg. Lopez Syntagmate 1. lib. 39. cap. 22. Senec. Epistola 13. Bobadilla lib. 4. polit. cap. 2. n. 51. Henric. Stephan. lib. 6. Schedi. cap. 3. Ex quibus constat malum esse objectum metus.

Virgil. — Bernard. — Greg. Magn. — S. Isidorus.

478. Secunda conclusio: Malum, quod est objectum metus, debet esse futurum. Ita Suar. sect. 10. n. 2. Sanch. lib. 4. de Matr. disp. 1. n. 16. Narbon. l. 20. tit. 1. Glosa 7. 65. lib. 4. recopil. Cabreros lib. 1. cap. 2. n. 3. Indicat Scotus in 4. dist. 29. q. 1. n. 6. Probatur primo ex definitione, ubi malum, quod est objectum metus, dicitur *imminens*, & ab Vlpiano dicitur *instans periculum*, vel futurum malum: imminens autem, vel instans periculum, & malum, non est malum præsens, sed quod evenire potest: prope enim est, ac non longe ne eveniat, ideo instat & imminet: ut benè videre est in Philosopho secundo Rethoric. cap. 5. Probatur secundo, quia malum præsens non sequitur timor, sed tristitia, potius enim malum præsens dicitur inferre damnum, quam timorem.

Scotus. — Aristot.

479. Objicies primo legem *Metum autem præsentem* 9. ff. de eo quod metus causa, Ibi: *metum autem præsentem accipere debemus, non suspicionem inferendi, sed si illatus est timor ab aliquo.* In quibus verbis tantum abest, quod objectum metus sit malum futurum, quòd etiam metus ipse dicitur præsens. Respondetur text. intelligendum esse, de præsentia metus, non mali; debet enim metus esse præsens, non verò malum quod timetur: nam metus præsens versatur circa periculum, & malum futurum, ut post Accursium explicant Donellus lib. 15. comm. cap. 38. Faber in ratione ad dictam l. metum 9. Duarenus, & Osvald. quos refert & sequitur Cabreros citatus n. 5.

L. Metum autem ff. de eo quod

Objicies: In brutis reperitur metus; & tamen non percipiunt futurum; ergo objectum metus non est malum futurum. Major est certa, cum enim vident, aut audiunt aliquid terrificum, timent, suspensa manent, aut fugiunt, ut ovis lupum timet, & canis hastam. Minorem probat Medin. 1. 2. q. 40. n. 3. cum aliis, quia futuritio non est objectum sensus: atqui appetitus brutorum solùm præsupponit cognitionem sensus; ergo &c. Major patet, quia sensus non fertur in objectum quod non existit.

Multa omitto circa hoc argumentum: non mihi improbabile videtur id, quod asserit Rainaud. n. 427. à brutis percipi futurum, qua ratione canis fame, & siti confectus, cibi & aquæ indigus adjumenta illa requirit: & conspecto baculo, aut loco, in quo non bene tractatur, fugam capescit, non solum ex recordatione mali præteriti, sed etiam ex cognitione mali iterum infligendi: aliter enim se habet cum recordatur, aliter cum timet, & fugit: non tamen ista cognitio futuri admittenda est in brutis in actu signato, cum temporis subsequentis ad præsens comparatione, quæ rationis usum expostulat; sed in actu exercito per apprehensionem objecti, quod nec est, nec fuit, sed erit: quamvis non attingat formaliter rationem futuri; & hæc videtur sententia D. Thom. 1. 2. q. 40. art. 3. ait, ubi ad 1. *quamvis bruta animalia non cognoscant futurum, tamen ex instinctu naturali movetur animal ad aliquid in futurum, ac si futurum prævideret.* Et ad 2. ait, etiam possibile esse objectum sensus brutorum, ideoque, ut ait in corp. articuli, canis non insequitur leporem distantem, quia eius assequutio illi impossibilis est.

D. Thom.

480. Quare respondeo ad argumentum negando Minorem, ad probationem distinguo Majorem: futuritio non est objectum sensus formaliter, concedo; materialiter, nego: sensus enim internus, de hoc enim est sermo, motus ab uno objecto cognito per sensum externum determinatur ob simpathiam & apprehensionem intellectus separati, nimirum divini, qui naturam instituit (ut loquitur D. Thom. in corp. articuli 3. cit.) & excitatur ad cognoscendum objectum propositum per sensum, non solùm secundum rationem cognitam à sensu, sed etiam secundum rationem insensatam futuri propter connexionem, quam habet cum illo objecto.

481. Si quæras utrum malum futurum, quod est objectum metus, debeat esse certò futurum? dividuntur Authores, nam quidam negant, ex Aristot. 2. Rethoric. cap. 5. ut D. Thom. 1. 2. q. 42. art. 2. & 3. p. q. 15. art. 7. Cajet. & alij expositores ad hunc locum, Valentia tom. 4. disp. 1. q. 15. punct. 4. Suar. citatus sect. 10. n. 2. & 5. & probant primo, quia Aristot. asserit eos, qui ad mortem damnati sunt, non timere, eo quòd, ut quis timeat, necessarium est, quòd illi supersit aliqua spes salutis, quæ omnino aufertur per certitudinem, & inevitabilitatem mortis; secundo, quia metus ad consulendum inducit: atqui nemo consilium init de re, cujus nulla est spes; ergo metus non est de malo, certò & inevitabiliter futuro. Alij verò è contra affirmant; inter quos est Vasq. 3. p. disp. 62. cap. 3. primo, quia ex opposito in Christo Domino nullus daretur metus, siquidem Christus Dominus certò & inevitabiliter mortem suam futuram esse prænoscebat; secundo quia multi, quibus statutum est, se certò subituros esse aliquod malum, verbi gratia, brachij sectionem, timent: tertio quia, ut se habet spes ad bonum; ita timor ad malum: atqui spes non est solum de bono incerto, sed etiam certo futuro; ergo similiter metus erit de malo certo futuro.

Aristot. — D. Thom.

482. Utraque sententia vera est, si commode explicetur: nimirum si prima loquatur de timore efficaci, secunda de inefficaci: nam timor efficax non potest habere pro objecto malum certò futurum, quod habere potest timor inefficax: ita ex-

pressit Rainaud. cit. n. 313. Videtur de mente Vasquij, qui explicans locum Aristot. fatetur loquutum fuisse de timore efficaci, & eodem modo explicant Suar. & Regusa ad cit. locum D. Thom. 3. p. & sic solvuntur utriusque sententiæ fundamenta: Primæ, dum damnati ad mortem non ò-ment timore efficaci, cum sciant frustra conari, timent tantùm inefficaciter, quis nollent talia subire, & ex hac causa non ineunt consilia. Secundæ sententiæ eodem modo solvuntur fundamenta: nam timor Christi Domini excitatus fuit inefficaciter ob malum formidabile propositum. Quod additur non destruit id quod asseritur: cum enim spes sit motus, quo prosequimur bonum, illius certitudo firmat spem: at verò timor cum sit fuga mali, si fuga ut impossibilis apprehendatur, timor obruitur.

SUBSECTIO SECUNDA.

De divisione metus.

S. Damasc. Nemesius. VAriè dividitur metus, de cujus divisionibus inter Patres videodus est Damascenus lib. 2. Orthodoxæ fidei cap. 15. Nemesius lib. de natura hominis: ioter Juristas Franc. Bussat. consil 72. o. 50. volumioe 1. Cabreros latissime lib. 1. cap. 8. inter Theologos Sanches tom, primo de matr. lib. 4. disp. 1. Azor. p. prima l. 1. cap. 10. §. *Secundo quæritur*: attamen omissis omnibus divisionibus, quæ præsenti instituto noo inserviunt, solum explicabimus divisionem metus in eo sensu, quo à Theologis tractatur, & qui necessarius est ad materias morales decidendas.

483. Dividitur ergo metus in speculativum, & practicum: speculativus est, qui sistit in illa animi perturbatione, nec movet potentias ad aliquid agendum, ut malum imminens evitetur: ut cum pusillanimis animo emoritur: unde hic metus ad præsentem materiam non spectat, cum per illum nihil efficiatur. Metus practicus & qui noo sistit in illa animi perturbatione, sed ulterius progreditur, movetque timentem, ut pro malo vitando aliquid moliatur, verbi gratia, metus mortis ex naufragio conceptæ, movet & inducit timentem ad proijciendas merces in mare.

484. Metus practicus subdividitur in metum levem, & gravem: metus levis est, quòd leviter perturbat, vel etiamsi grave malum objiciatur, vix tamen creditur eventurum, ut siquis pauper, & imbellis mortem viro forti, & magnæ authoritatis minetur: aut propter leves minas consentiat: onde noo bene Lessius de Just. & Iure lib. 2. cap. 17. dub. 6 asserit metum levem habere pro objecto malum leve, etiamsi plurimum perturbet timentem, nam talis metus gravis est, ut videbimus n. 504. cum metus respective ad personas sit gravis & levis.

485. Metus gravis est qui graviter perturbat animum, nimirum, si malum, quod timetur, grave sit, & probabiliter credatur eventurum; gravitas enim mali, & illius existentia probabiliter futura requiritur ad metum gravem.

486. Vterque metus subdividitur io metum incussum ab intrinseco, & in metum incussum ab extrinseco: metus incussus ab intrinseco, provenit non solum à causis liberis naturalibus, ut à morbo, tempestate, feris, & similibus: sed etiam à causis liberis (quidquid asserat Lugo de Just. & Jure tom. 1. disp. 22. sect. 7. o. 12.) si enim ego timeam malum ab aliquo homine faciendum, & antequam ille incutiat metum, vota faciam ut liberer à tali malo; hoc non succedente, metus ille non dicitur ab extrinseco, sed ab intrinseco: nam metus ab intrinseco incussus, licet occasionetur ab extrinseco, noo tamen ab extrinseco movet ad extorquendum consensum, sed movet per modum naturæ, & ab ipso metuente concipitur, & quasi metuens sibi ipsi metum incutit, & ipsemet præhabita consultatione, eligit medium tamquam necessarium ad malum evadendum, ut pro sanitate recuperanda fiunt vota, & pro vita proijciuntur merces in mare.

487. Metus ab extrinseco, est ille, qui ab alio, incutitur ad consensum, aut ad agendum, vel non agendum, ut Tyranni Martyribus, latrones viatoribus metum incutiunt, qui quidem metus iocutitur, vel directè propter consensum extorquendum, ita ut metus sit causa consensus directa, & immediata, ut si te volenti occidere ad hoc ut oubas filiæ suæ, promittas metu cogente nuptias: vel incutitur propter aliam causam omnino diversam ab ea, cui præbetur consensus, ut si cui propter odium te volenti occidere promittas pecuniam, oe occidat: vel propter diversas causas, quarum uni præbeas assensum, ut si te volenti occidere, ut nuptias contrahas cum filia sua, & ut vendas prædium, unum tantum promittas, nimirum venditionem prædij.

488. Metus ab extrinseco dividitur io metum injustum, & in metum justum: injustus fit ab eo, qui nullam habens authoritatem, malum minator, vel licet habeat authoritatem, iojuriosè tamen minatur: ut si homo privatus alicui minitetur carcerem, vel Iudex carcerem minetur sine justitia, uterque ut extorqueat consensum. Metus justus est qui incutitur rationabiliter à viro habente potestatem, vel potente licite omne id quod minatur, ut siquis minetur denunciationem criminis, nisi pecunia donetur.

SUBSECTIO TERTIA.

Explicatur metus cadens in virum constantem.

489. DIviditur tandem metus in metum cadentem in virum constantem, & in virum inconstantem: quæ divisio deducitur ex utroque jure: ex canonico; ex cap. *ad audientiam* cap. *cum dilectus* de his, quæ vi, metus ve causa fiunt: ex cap. *veniens* secundo de sponsalibus: ex civili, l. *metum* secundo. l. *ne timorem* ff. quòd metus causa, & approbatur communiter à Theologis: metus cadens in virum constaorem, est gravis, l. *metum* secoodo ff. quod metus causa: est justus cap. finali de appellationibus: est probabilis ex Gofredo in summa tit. de his, quæ vi, numero 2. & Angelo verbo *metus* numero 1. Sylvestro verbo *metus* q. 1. & per consequens metus cadens in virum inconstantem est levis, injustus, & improbabilis: & rationem assignat Sanches ex communi lib. 4. de Matr. disp. 1. numero 9. quia metus cadens io virum constantem, non repugnat constantiæ, imò justè & probabiliter homo eo terretur: Nam quando nec metus est probabilis, nec gravis, sed improbabilis, & vanus, non cadit in virum constantem, sed io inconstantem, de quo dixit Lucretius:

Cap. ad audient. Cap. dilectus de his, quæ vi. cap. veniens de sponsal. l. Metum 2. l. ne timorem ff. quod metus: cap. finali de appellat.

Lucretius. *Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis*
In tenebris metuunt, ita nos in luce timemus,

Seneca. Et Seoeca epistola 13. *quædam autem nos magis torquent, quàm debeant, quædam torquent, cum omnino non debeant.* Et iotra: *Plura sunt Lucili, quæ nos terrent, quàm quæ premunt, & sæpius opinione, quam re laboramus*: Non est ergo sermo de hoc metu sed de metu cadente in virum coostaotem.

D.Thom. 490. Qui qoidem metus definitur à D. Thom. 1. 2. q. 41. art. 1. ad 2. *passio potentiæ appetitivæ, qua refugimus malum futurum, cui resisti non potest*: quæ defioitio majori ex parte explicata manet à n. 466. ex expositiooe definitionis Aristot. qua definitur metus io commoni, conveniont enim in eo quòd metus cadens in constantem virum, est animæ perturbatio, passioque utriusque potentiæ appetitivæ, per quam ex imaginatione mali timetur malum futurum, qood si metus fuerit efficax, ut est metus cadens in virum coostantem, habebit pro objecto malum noo evitabile, nec certò futurum, sed incertò an eveoiat; igitur tantum specialia in præseoti explicabimus.

491. Et ante quam objecti hujus metus explicationem aggrediamur, ootaodum est ex Saocbes n. 11. Faguodez de contractibus lib. 1. cap. 5. o. 11. ad metum cadentem in virum constantem, quinque conditiooes esse necessarias: prima est, ut malum quod timetur sit grave. Deciditur in

l. metum à prima ff. de eo quod metus. l. *metum* à prima, ff. de eo qnod metus causa, *metum accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, sed majoris mali.*

492. Seconda, ut æstimatio mali qnod timetur sit fortis, ita ut credatur, non vane, sed probabiliter, malum imminere: habetur in l. *ne timorem* §. *proinde* ff. de eo, ibi: *siquis meticulosus rem ullam frustra metuerit, per hoc edictum non restituitur.* (l. ne timorem ff. eodem tit.)

493. Tertia, ut metum incutiens, potens sit minas exequotioni mandare, ex l. *famosi* ff. ad l. Jul. Majestatis, ibi *enim & persona spectanda est an potuerit facere*, & ex aliis Juribus, quæ afferuotur à Saoches citato n. 19. (l. famosi ad l. Jul. Majestatis.)

494. Quarta, ut metum incutiens, non solum possit, sed etiam solitus sit mioas exequutiooi mandare; oam si ira deposita, oihil, aut parum mandet exequutioni, noo iocutit metum cadentem in virum constantem, habetur in eadem l. *famosi*, ubi: *nam & persona spectanda est, an potuerit facere, & ante quod fecerit.* (l famosi eodem tit.)

495. Quinta, ut timens facile non possit occurrere malis quæ timentur, argumento desumpto ex cap. finali de electione: ubi, *tempus statutum à canone currit, ex quo in mora fuerint, licentiam hujusmodi postulandi*; ergo similiter consensus imputabitur ei, qui facile potuit occurrere malis quæ timebantur. Quæ conditiones majorem lucem accipient ex iis, quæ in sequentibus dicemus. (cap. finali de elect.)

PRIMA DIFFICULTAS.

Quodnam sit malum, objectum metus cadentis in virum constantem?

496. REspondetur esse malum grave: ita communiter Doctores. Videantur Sanches citatus n. 10. Fagundes n. 11. Cabreros lib. 1. cap. 18. n. 13. estque prima cooditio posita n. 491. probata ibi ex l. *metum*, & approbavit Aristot. tertio Ethic. cap. 1. (Aristot.)

Suot tamen aliquot dubia circa gravitatem istius metus. Primom est, utrum istud malum debeat esse re ipsa grave, an sufficiat, quòd sit æstimatione tantùm grave? Respondetur necessariò requiri, quod sit re ipsa grave: ita Scot. in quarto dist. 29. q. 1. n. 6. & dist. 41. q. 1. n. 4. Palatius in 4. dist. 29. disp. 1. vers. *ad hoc*; ubi Scotus q. 5. art. 2. Sanches o. 12. Fagundes n. 12. patetque ex secunda conditione posita n. 492. & Scot. ex verbis text. ibidem allegati, quæ docent metum debere esse talem, ut io homioem constantissimum cadat: atqui si malum leve est, & tantum æstimatiooe grave, timor sequutus non est dignus homine constaote, sed vanus; ergo, &c. confirmatur quia metus iste talis est ut impediat taliter libertatem, quòd propter impedimentum minuantur pœnæ, resciodantur cootractus, & multories culpa excusetur; atqui, si malum re ipsa leve est, non taliter impeditur libertatis concursus; ergo, &c.

497. Dices: cum Vera, Cruz, Sylvest. & aliis apud Sanches n. 11. Viri fortis, & constaotis est, ex duobus malis minus eligere; ergo si ex illis duobus malis, unum sit leve, si hoc eligatur, sufficiet ad hoc ut metus cadens io virum constantem sit. Respondetur distinguendo ant. viri constantis est, ex duobus malis levissimis minus eligere, nego ant. quorum unum sit grave, concedo: namque coactus ex metu eligere ex duobus levissimis malis unum, nec est constantis, nec prudentis viri, cum trepidet voluntas ubi non est timor: & eligat malum, quod non præ timore amplectendum, sed fugiendum erat. Unde non approbo opinionem Sanches asserentis n. 15. illum hominem prudenter & coostanter agere, non, inquam, approbo, quia electio illa non procedit ex natura timoris, sed ex corruptiooe imaginationis. Nec ex hoc ioferas metum in omoibus futurum esse æqualem, oam licet requiratur ad metum cadeotem io virum coostaotem, malum grave, hoc tameo malum in sua gravitate habet latitudinem, & unum est gravius altero.

498. Ex quo sequitur primo, æstimationem mali imminentis, debere esse fortem, id est non vanam, & levem, sed prudeotem, probabilem, & rationabilem: fugit enim impius nemine persequente, & hæc est tertia condinio posita o. 493. quam optimè approbavit Scotus in 4. dist. 29. q. 1. vers. *ad* 2. (Scot.)

499. Secundum dubium est, utrum ad hoc, ut istud malum grave censeatur, sufficiat dubitate de offensione illius probabiliter? Respondetur affirmativè. Probatur ex l. *si quis fumo* ff. ad l. Aquil. & ex l. *habitatores* § *cæterum* ff. loc. l. *hac stipulatione* ff. de damn. infecto, & probat Cabreros n. 29. sequutus Burgas de pact. consilio 25. ex quo infert metum esse gravem, etiamsi effectus non sequatur cum Glos. in cap. *Bonæ* primo, verbo *metuebat* de electione, & inde docet sufficere evaginare gladium ad feriendum, etiamsi ictus noo sequatur, ad hoc ut metus sit gravis, quod etiam probat Suar. allegatiooe 23. n. 3. & 4. Gail. de pac. public. lib. 1. cap. 2. o. 3. imò suspicio metus probabilis, habetur pro metu cadente in virum constantem, ut multis probat citatus Sancbes n. 17. Et ratio est, quia malum in se grave est: atqui ut incutiat metum non requiritur, quòd sit præsens, sed sufficit, quòd apprehendatur futurum; ergo cum probabiliter dubitetur de ejus futuritione, metum gravem incutiet. (l. siquis fumo ff. ad l. Aquil. l. habitatores ff loc. l. hac stipulati ff. de damn. infect.)

SECUNDA DIFFICULTAS.

Vtrum ad obiectum metus cadentis in virum constantem, sufficiat quòd ex duobus malis minus eligatur?

500. PRo solutione notandum est, metum cadentem in virum constantem, diverso modo considerari à Theologis, ac à Iurisperitis: nam Theologi attendunt virtutem constantiæ, & immunitatem à culpa; Iurisperiti attendunt pœnam, & rescissionem contractuum: utrum scilicet metus ille rescindat contractus, vel reddat transgressorem legis immunem à pœna. Hoc posito,

501. Dicendum est, quando quis eligit minus malum ob vitandum majus, quoad immunitatem à pœna, & à culpa, non est metus cadens in virum constantem, & ideo ab utraque non excusat: ita docent communiter Theologi cum D.Thom. in 4. dist. 29. q. unica art. 2. in corpore: ubi & subtilis Doctor q. 1. n. 6. & dist. 41. q. unica n. 4. videantur Doctores relati à Sanches disp. 2. n. 1. Probatur 1. ex cap. *sacris* de iis, quæ vi, ubi: metus, ex quo quit cum excommunicato communicavit, non dicitur cadens in virum constantem, redditque text. rationem, quia *pro nulla metu debet quis committere mortale*; ergo ex illa ratione quòd malum electum, nimirum culpæ, sit majus malum, & eligatur ad evitandum minus malum. Secundo, quia viri constantis est, ex duobus malis, quorum alterum est eligendum, minus eligere ad vitandum majus; ergo vice versa inconstantis erit, majus eligere ut evitetur minus. Ant. probatur, quia vir constans operari debet juxta rectæ rationis dictamen: atqui recta ratio dictat, quòd minus malum eligatur, ut evitetur majus, ut habetur in cap. *duo* dist. 13. cap. *Iuravit*, cap. *non solum* 23. q. 3. l. *quoties* ff. de Regulis iuris, & ratio est quia pro tunc minus malum habet rationem boni, ut late docet Henriques in Summ. lib. 12. cap. 6.

D. Thom. Scot. — Cap. sacris. de his. — Cap. duo. 13. dist. cap. Juravit, cap. non solum. 23. q. 3. l. quoties. ff. de reg. Iur.

502. Tertio, quia solus ille metus est justus, ex quo eligitur minus malum, nam ex hac ratione inferunt Theologi in nullo casu eligi posse peccatum, quia ut bene ait Scotus in 4. dist. 29. q. 1. n. 6. vers. potest, *nullus metus potest inducere aliquem ad peccatum mortale secundum rectam rationem, quia non potest esse majus malum, quod imminet, quam sit istud peccatum, quia nulla pœna solum pejor est, quam culpa mortalis*, quare sicut qui malum majus eligit, ut evitetur minus, non excusatur à culpa, nec à pœna, ut deducitur ex cap. *sacris*, & ex cap. *siquis coactus* 22. q. 5. primo enim loco metus gravis non excusat ab excommunicatione, & in secundo loco non excusat à pœna perjurii, hominem, qui pro tuenda vita pejeravit: ita qui eligit minus malum, ut evitetur majus, excusatur à culpa, & à pœna in utroque foro, ut cum Covar. Fortun. & Sanches; docet August. Barbosa in dicto capite *sacris*. & patet ex l. *metum* ff. quod metus causa.

Scot. — Cap. sacris. cap. siquis 2. 2. q. 5. — l. metum. ff. quod metus causa.

503. Circa rescissionem contractuum, quæ magis attenditur in jure, dicendum est, quando quis eligit majus malum, ut evitetur minus, rescindi omnes contractus, qui ex tali metu geruntur: ita Sanches citatus cum Soto, Ledesm. Ludovico, Lopex, Hentiques, Philiarc, Menochio & aliis. Probatur, quia metus cadens in virum constantem satis est ad rescindendos contractus ex cap. *ad audientiam*, ex cap. *cum dilectus* de iis, quæ vi, ex l. *metum* à 1. ff. quod metus causa: atqui ad rescissionem contractuum solùm requiritur gravitas mali, non verò gravitas majoris mali: & ideo operantibus ex metu levi, negatur actio ex citat. cap. *cum dilectus* §. *constitit*. ex l. *ne timorem* ff. quòd metus causa. l. *cum te*, Cod. de his, quæ vi; nec amplius ad rescissionem contractuum jura requirunt. Imò in l. *isti quidem* ff. quod metus causa, videtur expressum, non amplius requiri; ergo siquis eligat minus malum, dummodo hoc grave sit in se, & injuriose inferatur, metus erit cadens in virum constantem, quoad rescissionem contractuum, quam tantùm jura attendunt.

Cap ad audientiam cap. cum dilectus de iis, quæ vi. l. metum ff. quod metus causa cap. cũ dilectus §. constitit. — l. ne timorem ff. quod met. causa. L. cum te cod. de his. l. isti quidem ff. quod metus causa.

TERTIA DIFFICULTAS.

Vtrum obiectum metus cadentis in virum constantem, possit sumi comparativè, per ordinem ad personam?

504. QUæstio est utrum malum, quòd respectu unius personæ esset leve, nec sufficeret ad incutiendum illi metum gravem, sufficeret ad incutiendum metum gravem alteri personæ? Verbi gratia, utrum malum, quod est leve respectu hominit, possit grave respectu fœminæ esse? Respondetur affirmativè. Ita communis sententia; Menochius de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 60. Cabreros lib. 1. cap. 8. n. 54. Surdus deciss. 144. n. 24. Ricc. decis. 119. n. 10. p. 2. Alex. Ludovic. decis. 174. n. 8. cum multis, quos refert, & sequitur Barbosa cap. *cum locum* de sponsalibus; Sanches disp. 3. n. 2. ubi ad fastidium refert Doctores hujus sententiæ, Lugo de Iust. & Iure disp. 22. sect. 7. n. 133. decisumque fuit in Rota coram Ludov. decis. 316. n. 24. & 26.

Probatur, quia fœminæ imbecilliores sunt viris; ergo malum, quod multoties non est sufficiens ad incuriendum metum gravem in viris, sufficiens erit in fœminis. Ant. latè probat Tiraquellus l. 2. *connubiali* n. 71. Consequent. patet, quia illud, quod est imbecillius, minus potest resistere metui: Ac proinde licet in muliere non requiratur metus cadens in constantem virum, requiritur tamen metus cadens in constantem mulierem, nimirum, quod malum illud talis sit conditionis, ut moveat in muliere ad tales effectus, ad quales movet in homine. Et hæc est ratio, quia *quidquid operatur metus majoris mali in viris, operatur metus minoris mali in in fœminis*.

505. Quæ doctrina non solùm locum habet comparato malo inter viros & fœminas, sed etiam inter viros & viros, & inter fœminas ac fœminas, & de viris deciditur in cap. *indignantur* 31. q. 6. ubi ita, *cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere fœminas*, ubi non solùm constat malum leve respectu virorum, esse grave respectu fœminarum, sed etiam affertur ratio, quia scilicet plus virtute vincunt fœminas; & cum virtute, & robore animi vincantur etiam viri à viris, eadem ratio erit respectu virorum. Probatur etiam ex l. 3. ff. quibus causis majores, ibi: *Metus autem causa abesse videtur, qui justo timore mortis, vel cruciatu corporis conteritur, & hoc ex affectu ejus intelligitur*: ubi affectus, & animus timentis consideratur.

Cap. indignantur 32. q. 6. — L. 3. ff. quibus causis.

506. Unde metus, qui est levis respectu hominis robusti, est gravis respectu pueri, infirmi, senis, vel etiam fragilis ex quacumque causa, vel accidenti, ut claudi, rustici, ut cum multis observat Mogoll. cap. 2. §. 5. & ex eo Cabreros n. 55. Quare prudenter attendenda est dignitas, animus, & robur cujuscumque, & ex eo pendenda est gravitas mali, quæ sufficiens sit ad incutiendum metum cadentem in virum constantem, & circunstantia major est, quia pro diversitate temporis, & status, idem malum, quod erat leve respectu unius personæ, respectu ejusdem potest esse grave, ut si

fiat captivus, detrudatur in carcerem, infirmetur, vel ex alio accidenti excidat à pristino corporis & animi vigore.

507. De fœminis idem judicium ferendum est, ut bene advertit Lugo cit. n. 133. Eadem enim ratio est de viris, ac de fœminis, sæpe enim aliqua fœmina cum eo malo deterretur, cum quo alia nullo modo terreretur & hoc propter naturæ constitutionem, diversamque indolem: sæpe enim mulier fortis, & valida est, ut probat Majol. tom. 1. dierum Canicularium colloq. 3. & de quadam scriptum extat, quod nullis tormentis sit domita. Videatur Gellius lib. 9. Noct. Attic. 2. Lactantius lib. 1. cap. 20. Alciat. Emblemat. 13. imò aliquæ adeo austeræ, & crudeles sunt, ut non terreantur, imò terreant, & timeri se faciant, de quibus ego judico, malum quod est grave respectu aliquorum hominum, respectu illarum esse leve, & non sufficere malum, quod satis in aliquibus hominibus est ad metum cadentem in virum constantem, ad incutiendum illis fœminis metum cadentem in mulierem constantem.

QUARTA DIFFICULTAS.

Utrum objectum metus cadentis in virum constantem, debeat timeri in propria persona?

508. RRespondetur negativè: est communis sententia, & probatur facile: primo, quia sufficit timere malum in filiis, uxore, fratribus: de filiis deciditur in l. *isti quidem* 8. ff. quòd metus, ibi: *hæc quæ diximus ad edictum pertinere, nihil est, quis in se veritus sit, an in liberis suis, cùm pro affectu, magis in liberis parentes terreantur.* De uxore constat, quia vir, & uxor censentur eadem persona, & sunt duo in carne una de consanguineis late probat Sanches disp. 4. n. 8. 2. quia sufficit terreri in amicis, illorum enim animus est unus in duobus corporibus habitans, ex Aristot. 2. Rethoric. cap. & unusquisque alterna vice est dimidium animæ, ex August. lib. 4. confessionum cap. 6. Horat. lib. 1. Ode 3. amicitiaque vera similis est proximiori consanguinitati, quod in suis principiis Iuris posuit Barbosa verbo *amicitia* n. 84. Ideoque amicus frater appelletur in l. *nemo dubitat*, vers. *qui frater*, ff. de hæred. instituen. de quibus latè tractat Sanches: videndus omnino tota disp. 4. ideo in illis non immoror

L. isti quidem ff. quod metus.

Aristot. August Horatius.

L. nemo dubitat ff. de hæred. inst.

QUINTA DIFFICULTAS.

Quænam mala inducant metum cadentem in virum constantem?

HAnc quæstionem latè tractat P. Sanches tota disput. 5. Cabreros lib. 1. cap. 8. & brevissime resolvit Scot. in 4. dist. 29. q. 1. n. 6. & dist. 42. q. unica n. 4. sunt enim plura; breviter attingam potiora, cætera ex eis colligentur.

Scot.

509. Primum malum inferens metum cadentem in virum constantem, *est mors, illiusque periculum, aut cruciatus mortis*: ita in l. *interpositas* Cod. de transact. videndusque D. Chrysost. tom. 5. homil. de consubstantiali. Secundum, *verbera*, ut pluribus probat Barbst. consil. 60. n. 2. & 3. volumine 1. Tertium, *amissio alicujus membri*. constat ex l. 2. tit. 8. par. 7. ubi Gregorius. Quartum, *amissio libertatis*, de quo Sebastian. Medic. de fortuitis cas. 1. p. q. n. 7. Quintum, *denudatio*, ut bene Tiraquel. l. connubiali. 4. n. 11. Sextum, *Catena*, ex l. *quæ neque sequantur*. ff. de verborum signific. l. 1. Cod. de custod. Reorum.

L. interpositas cod. de transact.
S. Chrysost.

L. quæ neque. ff de verb. signif.
l. 1. cod de custodia Reor.
l. 3. ff. de vi, & vi arm.

510. Septimum, *terror armorum*, ex Alex. consil. 156. n. 4. imò & *visus armorum* ex l. 3. § *qui armatis* ff. de vi, & vi. arm. Octavum, *locus non tutus ob inimicos*, ex cap. *accedens* 1. ut lite non contest. Nonum *incendium, quo prædia destrui possunt*, ex l. *siquis fumo* ff. ad l. Aquil. Decimum, *vis ventorum* ex l. *quemadmodum* ff. eodem tit. Undecimum, *amissio bonorum, aut majoris partis*, ex cap. *cum dilectus* de his quæ vi. Duodecimum *timor lucri amittendi*, ex Cephal. consil. 295. n. 17. Decimum tertium, *præcepta pœnalia* ex Natta consil. 106. n. 11. Decimum quartum, *periculum verecundiæ, & amissionis honoris*, ex Decian. consilio 2. n. 134. lib. 3. etiam *metus infamiæ* ex l. *justa* ff. de manum. vind. Decimum quintum, *locus pestis*, ex Peguelra decis. 8. n. 5. Decimum sextum, *amissio status*, ex l. *ego puto*. l. isti ff. quod metus causa: imò, & *amissio officiorum*, ex Cephal. consil. 295. volu. 2. Decimum septimum, *metus excommunicationis injustæ*, nam justæ ipsi imputatur.

Cap. accedens, ut lite non cōtest.
l. siquis fumo ff. ad l. Aquil.
l. quemadmodum eodem tit.
Cap. cum dilectus.

l. justa ff. de manum vind.
l. ego puto l. isti ff. quod met. cau.

511. Ex his colligi poterunt mala, quæ possunt inducere metum cadentem in virum constantem, ad tria enim capita revocantur; ad animam, ad corpus, ad bona: ad animam pertinent peccata, honor, injuria, & similia: ad corpus, mors, vulnera, cruciatus, carcer, & alia: ad bona, status, officia, divitiæ, & reliqua: quæ si fuerint talia, ut censeantur esse gravia in se, proculdubio inferent metum cadentem in virum constantem: sed gravitas horum malorum relinquenda est judicio viri prudentis in foro conscientiæ, & in foro externo, arbitrio Iudicis, ut ex multis probat Cabreros lib. 1. cap. 8. n. 9. Utrum verò preces, reverentia, minæ, & præcepta, æquiparentur metui cadenti in virum constantem, infra videndum est à n. 608. ad n. 664.

SUBSECTIO QUARTA

Utrum gesta ex metu sint simpliciter voluntaria?

512. PRo solutione notandum est primo, aliud esse operari ex metu, aliud operari cum metu, ut dicam infra n. 597. secundo, ea quæ geruntur ex metu, in duplici esse genere: vel enim talia sunt, ut secluso metu nullo modo fierent, & tantummodo fiunt ad evitandum majus malum, vel talia sunt, ut etiam secluso metu, eligerentur. Tertio, terminum *simpliciter* duobus modis posse sumi: Primo, ex parte objecti: secundo, ex parte operantis. Primo modo significat objectum nude consideratum, in quo sensu projectio mercium in mare est simpliciter involuntaria, abstrahit enim ab omni alia utilitate: Secundo modo (de quo est in præsenti sermo) dupliciter accipitur. Primo, ut excludit omnem mixtionem involuntarii: secundo, quod est simpliciter ac efficaciter volitum, per actum in suo genere perfectum, qui sufficiat ad denominandum hominem simpliciter volentem, & in hac acceptione procedit quæstio, nimirum de voluntario simpliciter ex parte operantis, & de rebus, quæ ex metu fiunt, ita ut metu secluso non fierent. Quarto notandum est posito metu practico, voluntatem moveri ad volitionem medii, quod est tantum in illis circumstantiis eligibile, & absolute malum est, causatque displicentiam in voluntate. Quibus positis,

513. Est quæstio, utrum gesta ex metu sint simpliciter voluntaria Respondeo affirmativè. Ita communiter Theologi cum D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 6. Scotn in 4. dist. 29. q. 1. n. 6. Videantur Sanches lib. 4. de matr. disp. 5. n. 2. Suar. tract. 2. in 1. 2.

D. Thom. Scot.

disp. 1. sect. 1. n. 1. Raynaud. dist. 2. q. 1. art. 1. n. 54. Rods 3. p. controv. 17. art. 2. §. 2. Fagundez de contractibus lib. 1. cap. 5. Salas tract. 3. disp. 1. sect. 1. n. 3.

Probatur primo ex utroque jure: ex cap. *Marito* 15. q. 1. cap. *vides*. 23. q. 6. cap. *displicet* 23. q. 4. ex l. *si mulier* 21. §. *si metu* de eo quod metus causa: ex l. *cum proponas* cod. de hæredib. instituen. ex l. *qui ita* ff. ad Trebelianum, & adeo rereptum est in jure quod ex metu gesta sint simpliciter voluntaria, ut tamquam principium Juris proponatur à Barbosa in suis Axiomatibus, verbo *voluntas* n. 72. Probatur secundo ex Philosopho id expresse affirmante tertio Ethirorum, cap. 1.

Probatur tertio ratione: voluntarium simpliciter est quod procedit à principio intrinseco cognoscente singula: atqui gesta ex metu procedunt à principio intrinseco, idest, à volontate, præsupposita cognitione omnium cirrumstantiarum; ergo sunt simpliciter voluotaria. Quarto, quia etiamsi actio ex metu orta non sit amabilis, tamen hîc, & nuoc proponitur, ut medium amabile, & tonveniens ad majus malum vitandum: ergo sub hac ratione hîc & ounc erit simpliriter voluntaria. Probatur conseq. quia id; quod efficaciter voluntas vult, & rojus impedimentum est violentum, non potest non esse simpliciter voluntarium: atqui projectio mercium in mare, verbi gratia, est efficaciter volita, ita ut si volnntas ab illa projectiooe impediretur, violentiam pateretur; ergo quodcumque ex metu fit, simpliriter voluotarium est.

cap. Majores de baptismo.

514. Objicies primo, ex cap. *Majores* de baptismo, ubi statuitur eum, qui ob metum gravem baptismum suscipit, cogendum esse ad observationem fidei Christianæ, & ratiooem affert rext. *Quia licet absolute sit invitus, est tamen conditionatè volens*; ergo ex mente summi Pontificis non est simpliciter, & absolute voluotarium, sed conditionatè, quodcumque ex metu gravi fit. Respundetur, particulam *absolutè* in præsenti non sumi ut distinguitur contra *secundùm quid*, sed respectu rei absolute consideratæ, non hic & nunc affectæ circumstantiis, & quamvis res absolute voluntaria non sit, est tamen, ut hîc & nunc eligitur ut medium ad evitandum majus malum; & sensus est, quod ille actus, quo eligitur res ut medium ad evitandum malum, non est absolutè voluntarius, non quòd actus, quantum est ex se, non sit absolutè voluntarius, sed quia versatur circa rem, quæ absolute voluntaria non est, sed ut hîc & nunc eligitur.

Secundo objicies, aliquos modos loquendi Jurisconsultorum, & primo, qui aliquid coactè operatur, & contra propriam voluntatem, oon est illi imputabile, ex cap. *ita ne* 31. q. 5. l. *cura* ff. de muner. & honor. de quo videatur Salgado de regia protectione 1. p. cap. 4. n. 10. Valencuela consilio 79. n. 133. ergo ex eo quod oon est simpliciter voluntarium. Serundo, quia quamquam voluntas coacta, voluntas sit ex l. *si mulier* 21. §. *si metu*, ff. de eo quòd metus causa l. *qui ita* ff. ad Trebelianum, l. *si patre cogente* ff. de ritu nupt. & ex cap. *merito* 15. q. 1. tamen absolute non est voluntas, sed voluntas qualificata, & secundum quid, ut probat Decius in l. *velle non creditur*, n. 5. & 6. ff. de regul. Juris. Butigel. in l. *sciendum* n. 48. de verb. obligationibus; ac proinde licèt videatur volitio simpliciter, nolitio est, ut ex pluribus probat Cabreros lib. 1. cap. 11. n. 7. Menocb. consil. 9. 12. o. 9. Surdus consil. 414. o. 55.

515. Respondetur in Jure, non attendi voluntarium secundùm rationes formales illius, & pro foro interiori, sed pro foro exteriori, & quo ad pœnas, quæ per leges imponuntur: ut colligitur ex l. *velle* ff. de regul. Jur. & Glos. ibi Decio, Cagnol. ibi n. 1. & ex l. *scientiam* §. *qui cum aliter* ff. de lib. caus. Menocb. de arbitr. cas. 354. n. 8. ex quo inferuot plectendum non esse qui compellitur delinquere: de quo Marsil. consil. 25. n. 29. rum tameo ex eodem jure habeatur voluntatem coactam, simpliciter voluntatem esse. Affertur hoc jus n. 514. & simpliciter appellatur voluntarium, quod per metum gestum, in cap. *merito*, & in cap. *illa cavenda* 15. q. 1. Quare ne sibi jura contrarientur, direndum est, in uno loro loqui de voluntario pro foro ronscientiæ, & pro peccati incursu, est enim simpliciter voluotarium, & imputabile ad rulpam quidquid metu gestum est: in alio vero loco loqui pro foro exteriori, & pro pœnis à lege statutis, & tunc judicant nullum esse voluntarium ner imputari posse ad pœnam, quæ ex metu geruntur, eo quòd talia absolute non fierent, si metus non interveoiret. l. velle ff. de regul. jur. l. scientiam ff. de liber. caus.

516. Tertio objicitur, Aristot. 3. Ethic. cap. 1. ubi ita: *nemo simpliciter suas merces projicit in mare sponte*, eique subscripsit. D. Thom. 12. q. 14. art. 3. ubi asserit, *quæ per timorem fiunt principium habent ab exteriori impellente; unde non sunt simpliciter voluntaria*. Subscripsit etiam Scotus in quarto, dist. 19. q. unica n. 12. vers. *ad* 3. ubi io iodoctione: *per terrores multum est de involuntario*. Eadem habet Nisenus qointo Philosophiæ cap. 5. Respondetur explicandos esse de actionibus in se consideratis, non vero hic, & nunr cum talibus cirrumstantiis, sub quibus necessariæ judicantur ad malum gravius fugiendum, considerant enim objectum nudè sumptum, oon verò affectum circumstantiis, ideoque appellant gesta ex metu minus voluntaria, & noo simpliciter volontaria videntur dicenda; de quo infra n. 576. Aristot. D. Thom. Scot. Nisenus.

517. Quarto, illud medium, quod eligitur ut necessarium, non est necessarium simpliciter, sed secundùm quid; ergo causat volontarium Serundum quid. Respondetur distinguendo ant. Non est necessatium simpliciter, absolutè, roncedo: posita ronditione, nego: Conditio autem quando hir & nunr ponitur, idest, metus gravioris damni, facit ut actus transeat in objectum necessarium simpliciter.

518. Dices, involuotarium in eis, quæ ex metu geruntur, non est tale, nisi cum addito idest, hic & nunc; ergo non est simpliciter voluntarium. Probatur ronsequentia: Illud *quod est tale cum additamento solùm, non nisi secundùm quid est tale*, ut homo pictus non est simpliciter homo, quia dicitur rum additameoto, quà pictus. Respondetur distinguendo aot. Non est tale, oisi rum addito, intrinseco, conredo: extrinseco, nego: deinde nego consequentiam. Ad probatiooem, iorelligendum esse illud proloquium, de addito extrinseco; ut apparet in exemplo hominis picti: in actu verò voluntario, ritcumstantia temporis, & finis motivi, est de intrinseca ratione actus humani, & per consequens voluntariom per ordinem ad illam debet expeodi.

SUBSECTIO QUINTA.

Proponitur quintum argumentum de invaliditate contractuum.

QUintum argumentum deducitur ex contractibus metu extortis, & sic proponitur: Omnes contractus metu cadente in virum constantem celebrati, sunt irriti, & invalidi; ergo non sunt simpliciter voluntarii. Ant. supponitur, consequentia probatur, quia nulla alia ratio dari potest, nisi defectus voluntarii simpliciter.

519. Hoc argumentum celebrem tangit quæstionem; Utrum scilicet contractus celebrati ex metu cadente in virum constantem sint validi? Et quamvis non excitetur de metu illato ab intrinseco, quem explicavimus supra n. 486. constat enim omnes esse validos, procedit tamen de metu illato ab extrinseco, sive sit justus, sive injustus; sive sit gravis, sive levis, & de omnibus contractibus tam nominatis, quàm innominatis, tam onerosis, quàm gratuitis, & liberalibus: & cum tot involvatur difficultatibus, quæ ad alias materias pertinent, nec simul tractari possunt, nec possunt, ut eatum materia postulat, explicari; breviter igitur, & specialiter pro foro conscientiæ, exponam quid sentio: interim videri possunt Sanches de matr. lib. 4. Basil. Pont. de matr. lib. 4. cap. 6. Lessius lib. 2. à cap. 17. Rebellus de obligat. Just. p. 1. lib. 1. q. 5. Fagundes de Just. & Jur. lib. 1. cap. 5. Cardinalis Lugo de Just. & Jure disp. 22. sect. 7. Cabreros io methodica delineatione de metu lib. 2. cap. 14. Layman. tract. 4. cap. 6. Gutierres de matr. cap. 76. Farinacius 1. p. frag. crim. verb. *metus*, Bonacina tom. 1. de contrac. disp. 3. q. 1. Valenc. consil. 74. Carbo de restitut. cap. 46. q. 4. Henriques lib. 1. cap. 8.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum contractus metu gravi, & injuste celebrati, sint Jure naturæ invalidi?

520. VTilis & necessaria est hæc difficultas in materia morali ad cognoscendam obligationem restitutionis, nam, si Jure naturali sunt invalidi contractus, tenetur qui metum incussit, restituere statim ac metum intulit, nulla expectata sententia Judicis; si verò sunt validi Jure naturæ, non tenetur homo ad restitutionem antequam contractus rescindatur per sententiam Judicis, ut bene notavit Diana 3. p. trac. 5. resolut. 11.

521. In hac difficultate, triplex est sententia principalis: Prima asserit omnes contractus tam onerosos, quàm promissorios, & ex liberalitate manantes, esse validos Jure naturæ: ita Sanches lib. 4. citato disp. 8. n. 4. Lessius dub. 6. n. 37. Lugo n. 115. & 116. & pro hac sententia affert citatus Sanches ex Jut. Cæs. Doctores 23. ex Pontificio Doctores 24. ex Theologia 8. addendi sunt Azor p. 1. cap. 11. q. 6. & 12. Aragon. 2. 2. q. 88. art. 5. dub. 2. concl. 5. Cajet. Medin. Petrus de Soto, Ovand. Zunniga apud Salas citandum, Valentia 1. 2. disp. 2. q. 1. punc. 4. Martinez 1. 2. q. 6. art. 6. dub. 2. §. *dico* 6. Montesin. disp. 10. q. 8. n. 131. Carmelit. trac. 10. q. 6. art. 6. n. 14. qui asserunt esse communem inter Thomistas: plures affert Cabreros citatus n. 20. Castro Palav. tract. 2. disp. 1. p. 9. tom. 1. A sancto Fausto in speculo disp. 5. q. 46. Trulenc. in decalog. tom. 1. lib. 7. cap. 16. dub. 4. Rebell. cit. Lugo cit. n. 126.

522. Secunda sententia docet omnes contractus esse invalidos Jure naturæ: Ita Salas trac. 5. disp. 5. sect. 1. n. 8. qui plures Doctores affert pro hac, quàm pro opposita sententia. Cabreros citat. n. 70. qui pro hac sententia refert Barthol. Fortuni. Molin. Carb. Valenc. Petra Greg. & Grassis. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 7. §. ad 5.

523. Tertia sententia media est inter utramque, asserit enim contractus onerosos esse validos Jure naturæ, promissorios verò, & liberales esse invalidos ipso Jure naturæ. ita Vasq. 1. 2. disp. 27. cap. 2. n. 18. Pont. cit cap. 6. n. 4. & cap. 7. n. 2. & de impedimentis matr. cap. 31. §. 8. vers. 3. & §. 10. vers. *in primis*. Diana cit. resolut. 118. & resolut. 129. Bonacina cit. & q. 11. punc. 1. n. 13. Candidus disquisitionum moralium tom. 2. disquisit. 28. art. 5. dub. 8. n. 9. & dub. 10. Turrianus 2. 2. disp. 55. dub. 2. n. 1.

524. Hæ sunt sententiæ principales, pro difficultatis tamen declaratione notandum est contractus vel esse onerosos, in quibus datur res pro re, ut venditiones, emptiones, & similes, vel esse gratuitos, celebratos titulo gratitudinis, aut titulo liberalis donationis, ut promissio, & donatio gratuita: de quibus omnibus mihi videtur esse invalidos Jure naturæ: ita sentio cum Authoribus secundæ sententiæ.

525. Et primò probatur à priori. In injustitia, & in vi injusta, Justitia, & Jus naturale fundari non potest: atqui per metum injustum, injustè extorquetur consensus; ergo in illo Justitia fundari nequit. Major probatur, quia sicut in causis physicis ex tenebris non oritur lux, nec ex frigore calor; ita etiam ex injustitia justitia oriri non potest: iniquum enim foret, & injustum jus à tali radice exortum; injustumque est, quòd aliquis ex damno illato, lucrum proprium reportet: unde cum injuste consensum extorqueos non teneretur ad restitutionem ante Judicis sententiam & contractuum rescissionem, si non rescinderetur contractus, multum lucraretur metum extorquens ex damno quod injuste alicui intulit.

526. Secundo; quia qui per vim & injuriosum metum aliquid ab alio extorquet, non solum injustum metum iofert, sed etiam stando in præciso Jure naturæ, injuste accipit & retiner idipsum, quod extorsit; ergo prædicti contractus invalidi sunt Jure naturali. Ant. admittitur à contrariis, & admitti necessario debet, quia si per injustitiam extorquetur consensus, per injustitiam etiam retinetur, & accipitur. Conseq. optima est. Dices injuste accipi, & retineri ratione injuriæ, non tamen ratione contractus. Sed contra, quia injuria facit rem injuste accipi & retineri, vel quia per se non confert ad accipiendum, vel retinendum, vel quia impedit, & quasi extinguit jus, quod dimanat ad contractum: si primum, non est ad rem, quia etiamsi per injuriam extorqueus consensum, non acquirat jus retinendi, sufficit tamen quod ex alio capite, nimirum ex ratione contractus, sibi vindicet tale jus, cum ad juste possidendum titulus unus tantum sufficiat, & non plures requirantur. Si secundum, inde infertur contractus invalidati jure naturæ per injuriam: impossibile enim est naturali jure jus auferri, quin ipso jure contractus invalidetur, siquidem jus est effectus moralis

contractus validi: atqui stante causa morali, idest validitate contractus, impediri nequit effectus ejus moralis.

527. Tertio, & est major explicatio argumenti superioris, qui metum passus est, si non tradit rem promissam, non habet obligationem tradendi, & si tradidit potest eam subripere quorumque modo; ergo contractus vel promissio valida non fuit Jure naturæ. Conseq. patet, quia contractus, qui nullum jus resurgit, nullamque obligationem inducit, nullus omnino est; non enim hæc duo simul stare possunt, quòd contractus sit validus, & tamen ille, qui dedit, possit ante Judicis sententiam, rem, quam dedit occulte subripere, si aliter recuperare non possit, & is, qui accepit, teneatur ante sententiam eam restituere. Ant. admittunt Sanches, Lessius citati, & Turrian citatus dub. 11. n. 9. & 12. Lugo n. 116. Et probatur ex l. *metu* §. *licet* ff. quod metus causa, ibi: *quia in bonis ejus res est, qui vim passus est*. Cum ergo maneat res, & dominium in eo, qui metum passus est, non translatum est in eum, qui metum intulit: Ac proinde homo, qui metum passus est, non solum dominus manet propriæ rei extortæ per metum ante illius traditionem, cum ut constat ex lege *traditionibus* (de pactis,) non nudis pactis, sed traditionibus, jus adquiratur, quod etiam habetur in l. *traditio* ff. de acquirend. rerum domin. sed etiam facta traditione, siquidem necessaria est voluntas domini sine metu extorta, ut constat ex §. *per traditionem* instit. de rer. divis. l. *nisi voluntate* ff. de acquir. rerum domin. ex cap. *gemma* de spons.

l. metu ff. quod metus causa.

l. tradit. de pactis.

l. traditio ff. de acqu. rer. domin.

§ per tradit. inst. de rer. divis.

l nisi voluntate de acq. rer. domin.

cap gemma de spons.

Lugo n. 119. §. septimo *arguitur*. Respondet dari solum actionem utilem in rem, perinde acsi dominus mansisset ille, qui metu tradidit, & ideo dicitur rem in ejus bonis esse, & non transferri dominium in eum, qui rem metu extorsit, quæ est solutio Glosæ verb. *in bonis* ad citatam l. *metu*, quia Prætorii Juris fictione id accidit, quod concedens utilem rei vindicationem, integrè restituit eum, qui vim passus est, perinde ac si à principio contractus irritos esset: quod patet ex l. *nemo* ff. de restit. in integ. ubi: *non videtur re exclusus, quem Prætor in integrum se restituturum pollicetur.* Ac proinde, qui vim passus est, retinet dominium fictum ad similitudinem præscriptionis ex lege *si vi vel metu* 3. cod. de eo quod metus causa.

l. nemo ff. de restit.

l. si vi de eod. quod metus caus.

528. Sed contra hanc solutionem optimè insurgit Cabreros à n. 61. ubi probat non solum fictum dominium possessionis, sed etiam verum in eo, qui metum passus est; tum ex eo, quia, qui metum passus est, duplici actione potitur, tam actione in rem ad ejus rei prosequutionem, quàm ad quadruplum, si illam non persequatur; actio verò in rem prosequendam non datur, nisi ubi manet dominium verum, ex l. *si alienam* ff. de solut. tum quia verba naturaliter, & non civiliter intelligenda sunt ex variis legibus ab eodem allegatis n. 62. ergo illa verba legis *metum*, *quia in bonis ejus res est*, non intelligenda sunt de ficto, sed de vero dominio, quam interpretationem approbat Anton. Fab. de error. pragm. decis. 8. a. errore 10. Ad id, quod dicitur de verb. *videtur* ex lege *nemo*, respondetur in ea lege, sermonem esse de actione possessionis: or etiam in lege *qui actionem*, quam possessionem cum non habeat qui vim passus est, re vera non dicitur possidere, sed videri possidere, eo quod in integrum à Prætore restituendus est: non verò loquuntur illæ leges de dominio rei, quod verè & propriè etiam facta

l. si alieni ff. de solut.

traditione remansit in eo qui metum passus est, similiter explicanda est lex *si vi, vel metu*, non enim procedit præscriptio temporis ratione ficti dominii, sed ratione bonæ fidei, sine qua nullo tempore præscribitur.

529. Et hoc argumentum probans invalidos esse omnes contractus defectu translationis dominii, est subtilis Doctoris in quarto dist. 29. q. unica, n. 9. ubi ex eo probat matrimonium metu contractum esse invalidum, quia non transfertur dominium corporis ab eo qui metum passus est: ita enim ibi habet, *nec tamen per istum consensum transfert potestatem sui corporis in illam, quia nullus consensus est translativus, nisi mere liber: & si dicas; saltem iste libere habet actum voluntatis; ergo quantum est ex se transfert: respondeo non libere habet, quia non nisi ex metu habet.* Cum igitur Scotus ex eo asserat matrimonium esse invalidum Jure naturæ, quia defectu consensus merè liberi, quia ex metu provenientis, factum est, optime sequitur rationem valere in omnibus contractibus, siquidem in omnibus deficit consensus merè liber propter metum: quamquam ego in contractibus onerosis non propter defectum libertatis, sed propter injustitiam non transferri dominium existimo.

Scotus.

530. Quarto, in speciali probo contractus promissorios, gratuitos, & liberales, ut donationes, promissiones, & similes, esse invalidos Jure naturæ. Quia tales contractus sunt liberales, & beneficia, quæ nullo cogente fieri debent, ut ex multis probat Cabreros lib. 2. cap. 3. n. 22. unde bene Seneca dixit lib. 3. de Beneficiis cap. 19. *Beneficium, id est, quòd quis dedit: cum illi liceret ut non daret:* & Quintilian. declamat. 7. *omnium beneficiorum ista natura est, ut non sit necessitas, sed potestas, quod in honorem alicujus inventum est, definit privilegium vocari posse, si cogas, cuncta (si videtur) Iura procurrite, nusquam adeo pro nobis sollicita lex est, ut quod præstat, extorqueat:* Jura verò quæ videri à Quintiliano jubemur, affert Cabredus: ergo beneficium, quod per metum extorquetur, non est, nec potest esse validum jure naturæ.

Seneca.

Quintilian.

531. Confirmatur primo, quia etiamsi contractus onerosi possint esse validi Jure naturæ, non tamen contractus gratuiti, quia ad contractum validum semper requiritur aliquis titulus, quia licet fingi possit res pro re in contractibus onerosis, in aliis fingi non potest. Primo, quia non est res pro re, hic enim titulus est contractus onerosi, & illius qui ob aliquam causam celebratur; nec etiam est donationis, aut promissionis, quia iste titulus postulat libertatem, & voluntarium omnino liberum, quin aliquis metus intercedat. Secundo quia isti contractus sunt irrevocabiles, ut patet ex eorum definitione tradita ab Aristot. quarto Ethic. cap. 2. loquente de donatione, de quo loquentes etiam approbant l. 1. ff. de donat. l. *Senatus* §. *donatio* l. *Seja* §. fin. ff. de donat. causa mort. atqui ex eo Angelicus Doctor in quarto dist. 29. art. 3. q. 1. & Scotus cit. docent matrimonium metu contractum Jure naturæ esse nullum, quia est contractus indissolubilis; ergo à simili.

Aristot.

D. Thom.

Scot.

532. Objicies primo pro prima sententia: non apparet ratio cur tales contractus sint invalidi Jure naturæ; ergo est asserenda eorum validitas. Antecedens probatur, quia vel esset defectus consensus liberi, & voluntarii, vel ratio injutiæ, quæ fit homini, cui metus infertur: non primum: nam minor metus justè infertur, quam injustè: atqui

atqui justus metus non invalidat contractus Jure naturæ; ergo nec injustus: cum æqualis consensus utrobique detur. Deinde non major consensus requiritur ad peccandum, quàm ad contrahendum: atqui metus etiam injustus sufficit ad peccatum; ergo etiam ad validitatem contractuum. Non secundum, quia injuria non reddit hominem invitum simpliciter, nec damnum est adeo grave, cum per sententiam Iudicis facile possit reparari. Respondetur negando anteced. ad probationem dicendum, causam invaliditatis contractuum non esse defectum consensus, sed injuriam illatam, ut ex fundamentis nostræ sententiæ patet, indeque oritur, quod omnis contractus ex metu justo celebratus validus est, quia deficit injuria: imò in contractibus merè gratiosis, & ex defectu consensus, & ex injuria illata oritur eorum invaliditas, ut constat ex dictis à n. 529.

Cap. cum contingat de jure jur. l. si dolo de inutil. lib. stipul.

533. Secundo contractus dolo gravi celebrati sunt validi jure naturæ; ergo etiam metu. Conseq. optima est, quia metus, & dolus æquiparantur in Jure cap. *cum contingat* de Jurejur. l. *si dolo* ff. de inutilibus stipulat. Respondetur negando anteced. utrobique enim eadem est ratio; & ideo eodem modo de dolo, ac metu loquuntur Doctores, ut cohærenter loquantur. Tertio Jure positivo validi sunt prædicti contractus: ergo ne damnemus tot Jura, ut Juri naturali contraria, dicendum est esse etiam validos Jure naturæ. Propter hoc argumentum quæritur

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum contractus sint validi Iure positivo?

l. metum ff. de eo quod metus causa.

534. Breviter me ab hac difficultate expediam ut pote, quæ, ut Iuris propria, ab eius professoribus late tractatur. Ideo respondeo Jure civili nullum contractum ex metu injusto celebratum, esse validum. Probatur primo ex l. *metum* §. *licet* ff. de eo quod metus causa, ubi deciditur dominium rei non transferri in eum, qui metum intulit, sed manere in eo, qui metum passus est; Ita ibi, *quia in bonis ejus res est, qui vim passus est*: ubi text loquitur de vero dominio, ut explicavimus numero 528. cum ergo nullum effectum operetur ille contractus, nec aliquam obligationem inducat, aut dominium transferat Iure civili, eodem Iure nullus erit contractus.

l. nihil 116. ff. de regul. Iur.

535. Secundo probatur ex l. *nihil 116.* ff. de regul. Iuris, ubi: *nil consensui tam contrarium, quàm vis, atque metus.* Et ex aliis Iuribus allegatis supra numero 525. ubi quamquam admittatur consensus pro foro interiori, & peccato, non tamen admittitur consensus metu illatus, prò incursu pœnarum, aut validitate contractuum, ad quam requiruntur consensum omnino liberum, omnisque vis atque metus expertem.

l. qui in carcerem 22. ff. de eo quod metus causa.

536. Tertio quia jus decernit nullius momenti esse quidquid ob metum factum est: ita habetur in l. *qui in carcerem* 22. ff. de eo quod metus causa, ubi ita, *qui in carcerem quem detrudit, ut aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc causam factum est, nullius momenti est*: sed Illud quod, quando fit, nullius momenti est, non est validum sed invalidum, & irritum.

l. nunquam ff. de acq. rer. domin.

537. Quarto ex l. *numquam* ff. de acq. rer. domin. ubi habetur, *numquam nuda traditio transfert dominium, nisi præcedat venditio, vel justa alia causa*: ubi notandum non decerni per hanc legem sufficere solam venditionem, sed requirere, & supponere futuram esse Justam, ad hoc enim referuntur illa verba, *vel justa alia causa*: unde si causa non fuerit justa, non transfertur dominium: cum ergo in injusto metu non possit intervenire justa causa extorquendi consensum, nullus omnino erit contractus metu extortus.

538. Tandem probatur ex l. 1. ff. de eo quòd metus, ubi *Prætor ait*, ibi: *quod metus causa gestum est, ratum non habebo.* Ex quibus verbis colligitur evidenter contractus esse sua natura nullos, non enim ait Prætor, non irritabo, sed *ratum non habebo*, idest, declarabo contractum esse irritum, seu invalide factum natura sua; quare tantum abest, ut validi sint Jure positivo, quod nec invalidi sint eodem Jure; non enim Jus positivum validavit, aut invalidavit contractus metu injusto extortos, sed tantum declaravit esse nullos ex sua natura. l. 1. ff de eo quod met. cau.

539. Ex qua resolutione sequitur, non esse necessariam sententiam declaratoriam prædictæ nullitatis, sed potest qui metum passus est, prædictis contractibus contravenire propria authoritate, quando potuerit, & voluerit, verbi gratia, si mulier coacta professionem emisit mortuo marito, propria authoritate potest exire de Monasterio, & contrahere matrimonium, & idem dicendum est, si quæ fœmina Matrimonium contrahat metu injusto, potest contrahere cum altero nulla spectata sententia primi matrimonij, ex cap. significavit, de eo qui duxit in Matr. quàm pollu. per adult. Pro quo videndus est Matienlo in rubr. tit. 1. lib. 5. Recopilat. Gloss. 1. n. 55. & ratio est, quia *quod est nullum ipso Iure, ulterius non annullatur*: ut bene docet Scacci. de sent. & re jud. Gloss. 13. ex addit. ad Pelin. in cap. Ecclesia sub numero 15. verbo *est nullum.* de constit. Vanciùs de nullitatibus tit. *Quot & quibus modis* &c. à n. 47. fol. 380. ex L. *nam & si* §. post defectum, & ex Gloss. ibi ff. de injusto rupt. Baldus in l. *hi, qui ad civilia* columna secunda, vers. *& hoc facit.* Cod. de appellat. ex cap. *dudum* secundo vers. *licet autem* de electione. Romanus Consil. 67. n. 1. Cardio. Thusc. litera N. conclus. 139. denique Bartholus Consil. 91. n. 3. in dub. 3. lib. 1. Cap. significavit. de eo qui duxit. in Matr.

540. Contrariam sententiam docent Doctores citati numero 521. & numero 525. primo ex l. *si mulier* 21. §. *Si metu coactus*, secundo ff. de eo quod metus causa, ibi: *si metu coactus adivi hæreditatem, puto me heredem effici, quia quamvis liberum essem, noluissem, tamen coactus volui.* Idem habetur in l. *si metus* ff. de acq. hæred. Respondetur utrumque textum intelligendum esse de metu Justo, qui non annullat, imo confirmat contractus, nam Prætor justa de causa hæredem compulit. l. si mulier 21. § si metu coact. secundo ff. de eo quod met. cau. l. si metus ff. de acq. hæred.

541. Secundo ex principio Iustit. de except. ibi: *si metu coactus Titio stipulanti promisisti quod non debueras promittere, palam est Iure civili te obligatum esse*: ubi text. *promissionem metu extortam inducere obligationem Jure civili*, ait. Ac proinde Jure civili valida est illa promissio. Respondetur illam obligationem non oriri ex validitate promissionis, sed ex eo quòd promittens credidit se obligatum esse ad promissionis satis-

K

factionem. Ita explicat Accurs.

541. Tertio quia non infirmatur, nisi quod firmum erat, nec rescinduntur, aut revocantur, nisi quæ valida erant: atqui contractus metu injusto extorti, Iure civili rescinduntur, infirmantur, & revocantur: ergo Iure civili sunt invalidi contractus, qui alias Iure naturæ validi erant. Minor probatur ex l. finali. Cod. de his quæ vi: ibi, *venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extorta sunt, præcipimus infirmari.* & ex cap. 2. eodem tit. ibi, *quæ metu & vi fiunt de Iure debent in irritum revocari.* Respondetur negando Majorem: ita enim intelliguntur, quòd illi contractus, qui ex sua natura nulli erant, declararentur authoritate Prætoris fuisse nulla: ita explicant Rebell. de obligat. Just. pag. 2. lib. 1. quæst. 5. numero 10. Pont. de Matrimonio lib. 4. cap. 8. à numero 8.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrum contractus metu levi injusto celebrati, sint invalidi Iure naturæ?

543. Respondetur affirmativè, ita Molina, Nau. Cou. Ledesm. Vera, Cruz, Ludovic. Lopez quos refert, & sequitur Sanches lib. 4. de Matr. disp. 9. numero 4. Less. Rebell. Reginald. Azor. Bonacin. relati à Lugo n. 135. Fagund. cit. cap. 6. numero 12. qui omnes docent restituenda esse in conscientia ante ullam Judicis sententiam extortam per metum levem, quando re vera talis metus fuit causa, sine qua non læderetur metum patiens in re tali: in quo sensu defenditur etiam à Lugo numero 138. ait enim si metus levia ita de facto influat in consensum, ut unicum sit motivum consentiendi, vel si sunt alia, quæ simul concurrant, adhuc voluntas propter metum ita consentit, ut eam ablatis aliis motivis consentiret propter illum metum, vel licet propter solum metum non consentiat, non consentiret tamen propter alia motiva sine metu: ac proinde concordant isti Doctores, si metus levis, sit causa contractuum, tales contractus esse nullos Jure naturæ: loquuntur tamen supposita sententia, quod gesta ex metu gravi injusto sint invalida jure naturæ.

544. Probatur, quia eadem argumenta quæ convincunt contractus metu gravi extortos esse invalidos Jure naturæ, idem convincunt de contractibus metu levi extortis, omnes enim fundantur in injustitia. Unde Less. 2. cap. 17. numero 47. asserit posita sententia de metu gravi circa invaliditatem contractuum, necessario idem asserendum esse de metu levi; & insuper ostenditur, quia cum per Jus positivum non rescindantur, nec infirmentur contractus metu leui extorti, imò nec detur actio metus, nulla erat via qua resarciretur damnum factum metum patienti, & consequenter injuriam inferens reportaret commodum ex sua iniquitate; cum enim authoritate publica metum patiens non posset recuperare illa, quæ metu injusto injustè extorta sunt, nec authoritate propria posset consequi ea, quæ per metum ablata sunt, ablatum esset omne remedium, quo in propria restitueretur, ideo ne hoc absurdum sequatur, dicendum est Jure naturæ invalidos esse contractus metu injusto extortos, & authoritate propria ante aliquam sententiam posse sibi suisque bonis consulere, si jam in extorquentem fuerint translata, utendo occulta recompensatione, ut optime docent Filiuc. tract. 33. cap. 2. numero 35. Sapiro in clavi lib. 1. cap. 6. numero 5. Suar. de juramento lib. 2. cap. 37. numero 22. Molin. tom. 2. disp. 560. Fagundez numero 44.

545. Objicies primo: Leges, Juraque universa, omnia quæ metu levi gesta sunt non tantum valida esse censent, sed etiam jubent ut in judicio non rescindantur; ergo signum est quod existimant contractus metu levi extortos esse validos Jure naturæ, aliter injustum esset, & iniquum definere sine remedio eum, qui metum passus est, jubendo quòd ex damno metum incutiens lucrum reportaret: si quidem nullam actionem contra illum admittunt. Respondetur ex Nauar. leges civiles respicere forum externum, & ideo excludunt metum levem: primo quia si propter metum levem in foro externo contractus rescinderentur, omnium fere rescissio peteretur, ex quo innumeræ lites exurgerent. Secundo quia leges constituentes discrimen inter metum grauem & levem, fundantur in præsumptione; merito enim præsumunt, gravem esse causam contractuum, non verò levem, lex autem in præsumptione fundata, non habet locum coram Deo, si veritas non respondet. Ita Nau. cap. 22. §. 51: quare leges non admittunt actionem ex metu levi, quia cum facilè probari possit, impedirentur commercia, pax frangeretur, lites excitarentur, non tamen per hoc statuit ne fiat recompensatio, si in conscientia fieri debet, hoc enim foret injuriæ approbatio, & injustitiæ fomentum.

Secundo, votum metu injusto extortum, Jure naturæ est validum; ergo etiam contractus. Probatur ant. ex cap. penult. de his quæ vi, ubi expressè decernitur professionem Religionis metu levi factam validam esse: idem habetur cap. 5. eodem titulo, ex quo textu expressè colligitur, votum, quantum est natura sua, etiam injurioso & gravi metu emissum valere, seclusso Jure positivo, quia stando in præciso Jure naturæ eadem ratio est de metu levi ac gravi. Cap. penult. de his, quæ vi. Cap. primo eodem tit.

Negant aliqui Doctores antecedens, & ad probationem respondent, ex prædictis juribus solùm colligi votum levi metu injusto emissum reputari validum in foro externo, quia non præsumitur metum levem fuisse causam, sine qua votum non emitteretur.

546. Concedo tamen ant. cum communiori sententia, quam sequitur Suar. tom. 2. de Relig. lib. primo de essentia & honestate voti cap. 7. & diversa ratio est; quia votum, fit Deo, qui injuriam non infert, acceptando illud, etenim, licet consensus vovendi injustus & injuriosus sit prout ab homine extorquetur, tamen quatenus Deus respicit illum consensum, nullam inde contrahit injustitiam acceptans. Verùm quando aliquis metu extorquet pecuniam ab alio, donanti injuriam facit, ex qua nullum jus acquirere potest.

547. Dices: si injuriam inferens, non sibi, sed alteri donationem extorqueat, donatio erit valida. Probo ant. quia ex eo votum emissum est validum, quia Deus, qui acceptat, nullam injuriam infert voventi: atqui etiam ille alter, qui acceptat, nullam infert injuriam donanti; ergo valida erit donatio.

Respondetur negando ant. quia vel ille alter donationem acceptat, vel non: si secundum, donatio nulla est; si primum, injusiam facit, quia tenetur non acceptare donationem injustè extortam: hoc autem in Deo non habet locum, quia cum sit Dominus omnium, non solum justè acceptat promissa quæ per metum ab alio injustè extorquentur, sed etiam absque ulla injustitia potest inferre metum, ut promissa extorqueat, quin aliquam injuriam faceret promittenti.

548. Instabis: si fiat acceptatio ab homine ignorante metum injustum, iste homo carebit omni culpa in acceptando; ergo nullam efficiet injuriam; ergo saltem in hoc casu donatio eris valida. Respondetur distinguendo primum consequens; ergo nullam efficiet injuriam, materialèm, nego: formalem, concedo: Jus autem naturale fundatus in injuria materiali, unde quamvis ignorantia invincibilis excuset acceptationem illam à formali culpa, non tamen à materiali: Quare ex prædicta instaotia solum sequitur acceptationem prædictam fieri bona fide, & sine culpa sem donatam retineri posse, quandiu acceptans ignorantia laborat, velut si quis sem accipiat alienam invincibiliter ignosans esse suam, non proptesea Jus aliquod acquirit, quamvis à peccato excusetur.

Tertio. Matrimoniom metu levi injusto celebratum validum est; ergo etiam cæteri contractus. Negans aliqui consequentiam, assignantque diversam raoonem intes matrimonium, & reliquos contractus.: quia matrimonium immediate respicit bonum speciei humanæ, & ita quocumque metu fiat, Jure naturæ validum erit: quia bonum commune particulari præferendum est: cæteri verò contractus non ita spectant ad bonum commune, & ideo nisi celebrentur absque injurioso metu validi non suns: quod explicari potest, quia qui docent cæteros contractus Jure naturæ esse validos, adhuc non dubitant non posse justè accipi, vel retineri quod pes tales contractus collatum fuit, in matrimonio antem noo teoetur ille, qui metum incussit, ad non petendum debitum, vel ad noo cohabitandum cum uxore, ex eo quòd tale matrimonium validum sit Jure naturæ: unde videtus intercedere differentia intes hos cootractus, & matrimonium.

549. Verùm hæc solutio noo exhaurit difficultatem, quia ex injusto consensu oriri non potest Justitia ad utendum matrimonio, & ad petendum debitum, ideo Respondeo negando ant. Est enim illud matrimonium invalidum Jure naturæ, & in foro conscientiæ, quamdiu non datur novus consensus spontaneus, in foro verò externo Jus canonicum tale matrimonium validum reputat, quia non præsumis metum levem causam esse illius, ita ut sine illo metu matrimonium non fieret; alioquin plusa matrimonia rescinderentus, facile enim quispiam metum levem prætenderet: quam opinionem satis probabilem appellas Sanches lib. 4. de Matr. disp. 8. & multò probabiliorem posita opinione de metu gravi Jure naturæ annullante matrimonium docet Lessius citatus lib. 2. cap. 17. n. 47.

550. Pro fine advertendum est, si metus injuriosus sive gravis, sive levis, solum sit causa, sine qua contractus, vel non ita celebraretur, vel non adeo citò fieret, noo tamen sine qua absolutè non fieret, validum esse in foro conscientiæ, solus enim metus dans causam contractui illum redditritum Jure Naturæ, ut bene ootavit Azor. p. 1. lib. 2. cap. 11. q. 26. in foro tamen exteriori metus gravis semper judicatur causa sine qua non, quamdiu oppositum non probatus. Levis verò non præsumitur in foro externo causa, sine qua contractus non celebraretur.

Corollaria precedentis doctrinæ.

551. QUamquam ex nostra doctrina constat omnes contractus, quicumque illi sint, sive metu gravi, sive levi injusto & injurioso extortos, esse Jure naturæ nullos, nullamque obligationem inducere in eo qui metum passus est, ad seddendum id, quod per consensum illum extortum fuit, Imò potest in consciendia uti occulta recompensatione, & resarcire damnum sibi illatum modo possibili, ad cujus restitutionem tenetus qui metum incussit, statim ac illum intulit, ac commodum teportavit ex metu: tamen claritaòs gratia aliqua exempla proponam, quæ etiam Jure Ecclesiastico approbantur.

552. Primo, electio metu extorta nulla est ex cap. *ubi periculum* §. *cæterum* de elect. in 6. Probant Bald. in Consil. schismat. & plures allati à Cabreros lib. 2. cap. 5. n. 60. Candid. disquisit. moral. tom. 2. disquisit. 28. art. 8. dub. 10. Nav. cons. 5. n. 1. de elect. Farinac. decis. 65. n. 6. tom. 1. Sigismund. de elect. dubit. 54. & ad hunc metum sufficit omor inferendæ violentiæ ex Gloss. in cap. *bona* 1. ubi August. Barbosa numero 11. de elect. ex quo si populus habens potestatem eligendi Dominum, eligat illum pes metum, electio nulla est, & gesta pet talem Dominum non valebunt ex Basthol. in l. 1. C. ut ord. dignitat servet. Abbas in cap. *olim* n. 10. de restit. spoliat. & si Electores cogantus per metum ad electionem certæ personæ, nulla est electio ex cap. *ubi periculum* supra. Caodid. dub. 15. loco ubi supra Bald. in cap. *licet* n. 9. de electiooe, similiterque nulla erit si ad duos, vel tres aut quatuor arctetur electio ex eodem Candido dub. 15. Azor. 1. p. lib. 4. cap. 18. q. 15. Rodrigues in sum. cap. 15. ubi affert bullam Pii V. quæ incipis *Pastoralis* & tom. 2. qq. regul. q. 56. art. 1. quod mihi videtur verum quando Electores metu, sioe urgente causa, & necessitate compelluntur. Quid verò dicendum de electiona summi Pontificis, late tractat Cabreros citatus à n. 75. quod si metus cesset post electionem, spontaneus consensus supervenieus non validat electionem, ut bene Bald. in cap. *quisquis* de elect. Franc. in cap. *ubi periculum* §. *cæterum* eodem tit. lib. 6. Jas. in l. *qui aliena* §. *Celsus* numero 25. de acq. hæred. ut etiam electio sponte facta non vitiatur ex metu supervenienle, argumento ex l. *Patre furioso* 8. ff. de iis, qui suns sui, vel alien. Jur. Sanches de Matr. lib. 10. disp. 28. n. 18.

cap. ubi periculum §. cæter.

cap. ubi periculum §. cæterum.

l. patre furioso 8. ff. de iis, qui sunt sui, vel alieni Iur.

555. Secundo, jurisdictio metu extorta nulla est, ut ex moltis probat Cabreros cap. 12. n. 58. Farinac. 2. p. frag. Crim. verb. *metus* n. 32. Pont. de Matr. lib. 4. cap. 8. n. 14. Candid. dub. 15. ex capite *ubi periculum*, de elect. in 6. imò etiam prorogatio Jurisdictionis, ut probat idem Candid. ex l. 2. ff. de Judiciis, & de utroque videantus Doctores in l. *si mulier* §. *si dos* ff. quod metus causa.

cap. ubi periculum de elect. in 6. l. 2. ff. de mulier §. si dos ff. quod met. caus.

554. Tertio, renunciatio beneficii metu extorta nulla est ex cap. *super hoc* de renunciat. & ex Clemen. *multorum* de pœnis §. *considerantes*, de quo Candid. dub. 11. quod etiam verum est, si periculum immineat consanguineo, ut Felin. in cap. *Ecclesia sancta Maria* de Constit. vers. 13.

quaro : unde si ex metu Regis sub juramento renuntiet quis suam Ecclesiam, non obstante illo juramento potest illam petere ex cap. *ad audient.* de his quæ vi. Suar. de Religione lib. 2. de juramento cap. 26. n. 9. & cap. 41. n. 18.

[Cap. ad aures. Cap. 2. Cap. ad audientiam de his quæ vi.] 555. Quarto, Resignatio beneficij metu extorta omnino nulla est ex cap. 2. & ex cap. *ad aures*, & ex cap. *ad audientiam* de his quæ vi, & cum multis probas Cabreros cap. 14. n. 59. Flamin. de resign. lib. 13. q. 1. à n. 1. August. Barbosa in cap. *accepta* n. 4. de restit. spoliat. & circa materiam beneficiorum quæcumque collationes, renunciationes, provisiones beneficiorum, nullæ sunt Jure naturæ juxta nostra principia, tenenturque metum inferentes ad restitutionem fructuum ab ipso die quo factæ sunt, de quo puncto videantur Garcia de beneficiis p. 1. cap. 3. §. 2. Rosin. cap. 89. de beneficiis, Flamin. supra. Azor 2. p. lib. 7. cap. 26. q. 1. & 2. Selva de beneficiis 3. p. q. 32. Rebuff. in praxi beneficior tit. de Resign. metu facta, & tit de causis resignationem irritantibus. Thuscus tom. 6. concl. 255. litt. R. Pont. de Matr. lib. 4. cap. 8. n. 16. Exquo inferunt Rebuff. & Flamin. cit. imponentes metum ut fiant renunciationes, incurrere excommunicationem, privarique beneficiis.

[Cap. quemadmodum de jurejur. l. fin. C. de non numer. pecun. l. fin. qui satisdar.] 556. Quinto, contractus ipso naturæ Jure nulli, non validantur adjuncto juramento, siquidem juramentum sequitur naturam actus super quo interponitur ex cap. *quemadmodum* de Jurejuran. ex l. fin. C. de non numer. pecun. l. fin. qui satisdar. cogant; & ex alijs legibus videndis apud Cabreros lib. 2. cap. 7. n. 30. Sanches lib. 3. in Decalogum cap. 12. n. 8. Vnde nullum est juramentum adjectum contractibus nullis, de quo optime Pont. lib. 22. de Matr. cap. 8. §. 6. 7. & 8. Suar. de Juramento lib. 2. cap. 29. quod intelligendum est respectu inferentis metum, cui non obligatur, qui metu juravit: non vero respectu Dei, respectu cujus ex juramento oritus obligatio, ut bene D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ac proinde tale juramentum non obligat ex justitia, sed ex Religione, ut habetur in cap. *quamvis pactum* de pactis lib. 6. & ex cap. *cum contingat* de Jure jur. [D. Thom.]

[l. qui in aliena § Celsus ff. de acq. hæred.] 557. Sexto, testamentum metu extortum, est ipso Jure naturæ nullum, ut ex multis probat Cabreros lib. 2. cap. 20. à n. 41. Fagun. de Iust. lib. 1. cap. 6. n. 8. Sanches lib. 4. de Matr. disp. 8. n. 6. Molin. tom. 1. de Iust. tract. 2. disp. 136. imò etiam additio facta metu, nulla est, ut ex l. *qui in aliena*, §. *Celsus* ff. de acq. hæred. Candid. dub. 10. Eodem modo nulla authoritas Tutorum metu extorta, ut ex l. 1. §. *ultimo* ff. de authoritate Tutorum, nec etiam testimonium in testamentis metu datum, ex l. *qui testamentum* ff. de testament. probat Candid. dub. 10.

[Cap. conveniens secundo Cap. cum locum primo. Cap. consolationi de Sponsal. l. si mulier 22. ff. de eo q. d. met.] 558. Septimo, matrimonia metu extorta nulla sunt, nullamque inducunt obligationem, nullumque conferunt effectum: ita Sanches lib. 4. disp. 12. n. 18. Azor. 3. p. lib. 3. cap. 7. Less. citato cap. 17. dub. 6. n. 37. Henriques lib. 11. cap. 9. n. 6. Lugo disp. 22. sect. 7. 120. Fagun. citatus n. 4. quod etiam verum est, etiamsi juramento firmentur: ut cum pluribus docet Sanches lib. 4. disp. 10. à n. 12. Ochogavia de Sacrament. tract. 3. q. 32. n. 5. ex cap. 2. de eo, qui duxit in matrimonium: Idemque dicendum est de sponsalibus, ut docent citati Doctores, & latissime Bonacin. de Matr. q. 3. punc. 8. n. 31. ex cap. *conveniens*, secundo. ex cap. *cum locum*, primo. ex cap. *consolationi* de sponsal. unde etiam promissio dotis metu extorta nulla omnino est, ex l. *si mulier* 22. §. *Si dos* ff. de eo quod metus causa, Novell. de dote p. 6. privilegio 39. n. 3. uterque Barbosa: primus de soluto matrim. p. 4. n. 25. Augustin. in cap. 2. n. 6. de his quæ vi. Lugo n. 123. Sanches lib. 4. disp. 12. n. 23. Fagund. citatus.

559. Octavo, Professionem metu extortam esse nullam ex cap. 1. de his quæ vi, latissime Sanches in decalogum lib. 4. cap. 3. à n. 11. Lugo. n. 122. Fagund. n. 5. Suar. tom. 3. de Religione lib. 6. cap. 4. Farinac. decis. 175. n. 5. p. 2. Reginald. in praxi lib. 18. n. 373. Bonacin. de clausura q. 2. punct. 10. Sanctarellus variar. qq. q. 48. Rebuff. consil. 68. & 69. Riccius in praxi rer. quotid. resolut. 401. & communiter Doctores. Cabreros lib. 2. cap. 10. ubi late hoc punctum discutit: quæ nullitas professionis non validatur per promotionem ad sacros Ordines ex Mirand. tom. 1. q. 30. art. 1. conclu. unica. Navar. consil. 6. de his quæ vi, nec per persistentiam longi temporis, nam etiam ultra quinquennium reclamare potest, ex Navar. consil. 9. de his quæ vi, & consil. 34. n. 4. consil. 89. n. 3. de Regularibus. Cabreros à n. 35. Ac proinde solummodo validatur ex voluntaria ratificatione, de quo idem Cabreros n. 13.

560. Nono, Votum metu emissum nullum est, ex Sayro in clavi lib. 2. cap. 2. n. 12. lib. 6. cap. 4. n. 17. Suar. de Religione lib. 1. de essentia voti cap. 7. n. 9. Sanches in decalogum lib. 4. cap. 3. n. 11. Rodrigues in sum. tom. 2. cap. 93. n. 5. & tom. 3. qq. regul. q. 17. art. 15. & communiter Doctores ex cap. *licet* de voto: intelligendum tamen est respectu hominis, non Dei, juxta dicta supra à n. 545.

161. Decimo, Absolutio à censuris metu extorta nulla est ex cap. 1. de his quæ vi, ut cum multis docent Pont. lib. 4. de matr. cap. 8. n. 17. Bonacin. de censur. disp. 1. q. 3. punct. 8. propositione 2. A Cunha in caput 1. 74. dist. Henriques de Matr. & aliis, quos refert Cabreros lib. 2. cap. 16. n. 9. 6. Imò extorquentes metu absolutionem, ipso Jure manent excommunicati, Suar. tom. 5. in 3. p. disp. 4. n. 11. Henriques lib. 13. cap. 30. §. primo. Filliuc. tract. 14. n. 53. & 59. Barbosa de Officio & potestate Episc. tom. 2. alleg. 50. n. 206. Nav. in Man. cap. 27. n. 225.

56a. Vndecimo, Traditio rerum Ecclesiasticarum facta ex metu nulla omnino est, ut probant Doctores ex cap *pervenit* de Jurejur. Lug. n. 123. [Cap. pervenit de Iurejurando.] 12. Licentia extorta à Prælato metu non excusat Religiosum à vitio proprietatis, de quo Navar. lib. 3. de restit. cap. 1. p. 3. dub. 1. n. 161. Turrecrem. in cap. *non dicatis* 12. q. 1. n. 9. Cordub. q. 54. Mendonca q. 8. Scholastica, Sanches de Matr. lib. 4. disp. 10. n. 9. Ex quibus casibus colligendi sunt similes in hac materia.

SUBSECTIO SEXTA.

Proponitur sextum argumentum de observantia legum.

SExto Arguitur contra voluntarium simpliciter ex metu ortum: Si actiones vi metus factæ forent simpliciter voluntariæ, quoties lex positiva violaretur, committeretur peccatum, hoc autem est absurdum; ergo & illud ex quo sequitur. Conseq. patet, quia si quis mortis metu, jejunium frangat, vel sacrum non audiat, juxta omnium Theologorum sententiam, nullum committit peccatum. Major probatur quia transgressio le-

gis est simplicites, & intsinsece voluntaria, ergo
Machab. 7. absolutè est mala, & peccatum; & patet ex secundo Machab. cap. 7. vers. 2. ubi illi septem fratres compulsi edere carnes porcinas, majos illorum ita respondit: *Parati sumus mori magis, quam*
August. *patrias Dei leges prævaricari.* Vnde August. lib. 1. de civitate Dei cap. 18. *Cum pudicitia virtus sit animi, comitemque habeat fortitudinem, potius quælibet mala tolerare, quam malo consentire decrevit.* Respondetur concedêdo Majorem, negando Minosem: semper enim transgressio legis mala est intrinsecè formaliter, si igitur obligat cum periculo mortis, infamiæ, vel alterius gravis incommodi, observanda est lex, aliter peccatum committitur, in omni enim casu, in quo lex obligat, tenemur legem observare, legisque transgressio formalites mala est: sed quia multotics leges non obligant cum tanto periculo, actio facta ex metu contra legis præscriptum oon est peccatum, non quidem ob defectum voluntaris, sed quia hic & nunc non datur transgressio legis formaliter, eo quod in prædictis circumstantiis non obligat.

563. Pro quo notandum est legem, vel esse positivam, vel naturalem; lex positiva humana est aut divina: naturalis affirmativa est, vel negativa: præcepta positiva sive divina, sive humana (excepto contemptu legis) non obligant cum metu cadente in virum constantem, quia credibile non est Legislatorem ita severè legem sancire, ut velit etiam tali periculo obstante, quod lex adimpleatur, ac proinde in eo casu leges positivæ non obligans.

564. Et probatus psimo de lege positiva di-
1. Machab. cap. vina, namque Judæis prohibitum eras pugnare die Sabbatorum, & tamen pugnaverunt ob periculum mortis, juste, & licite; ut constat ex primo Machab. cap. 2. vers. 41. *Et cogitaverunt in die illa dicentes: omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbathorum, pugnemus adversus eum, & non moriemur omnes.* Etiam lege divina panes
1. Regum. cap. 21. propositionis prohibiti erant Laicis, & tamen urgente fame, sacerdos eos attribuit David, & pueris ejus: primo Regum cap. 21. vers. sexto. *Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem.* Theologorum autem ratio est, quia ubi *concurrunt duo præcepta, quæ simul observari non possunt: observandum est majus, cessatque minoris præcepti obligatio:* Atqui vitæ & famæ conservatio, præcipitur lege naturali, quæ excellentior est ac magis obligatoria, quàm lex divina; ergo non obligat lex divina. Verum est quod Deus vt Author naturæ, & supremus omnium Dominus, potest imponere præceptum obligans cum periculo vitæ, quod obligabit cum illo periculo, dummodo ista peculiaris obligatio declaretur; si etiam in violatione præcepti detur contemptus legis, tenetur quis legem servare, etiam cum periculo mortis. Secundo enim Machab. cap. 6. laudantur qui mortem potius, quam legum transgressionem elegerunt.

565. Probatur secundo de lege humana, sive Civilis sit, sive Ecclesiastica: si enim præceptum divinum cessat, à fortiori humanum cessabit. Dices: excommunicatur, si quis quovis modo cum excommunicato communicet ex cap. *Sacris*, de his
Cap. sacris. de his quæ vi. quæ vi; ergo lex Ecclesiastica obligat cum periculo mortis, & cum metu cadente in virum constantem: siquidem censuris ferit hominem, qui ex tali metu cum excommunicato communicat. Respondetur negando Majorem: nam *caput Sacris* intelligitur de illo qui communicat in crimine, vel in contemptu legis, non vero qui absque crimine, & contemptu, solùm communicat coactus metu mortis. Scio oppositum doceri à Barbosa in dicto cap. *Sacris*.

566. De lege naturali aliter judicandum est, nimirum dari principia per se nota, quæ præcisa omni circumstantia habent connexionem cum honestate, ut illa: *bonum est amandum, malum fugiendum*: dantur etiam conclusiones necessariò deductæ ex principiis: Principia semper obligant, conclusiones solum obligant positis circumstantiis, ideò non occidere, non furari, non est de lege naturæ absolutè, sed positis circumstantiis, idest, authoritate privata, & injuriosa.

567. Lex igitur naturalis affirmativa non obligat regularites posito metu cadente in virum constantem, quia tunc ex circumstantiis metus, cessat obligatio legis; non enim præcepta naturalia affirmativa obligant semper, & pro semper, sed tempore determinato, secundum prudentiam, nullum autem tempus aptius est, in quo deficiat obligatio, quam periculum mortis, unde in l. *ut enim* ff. de Just. & Jur. habetur, *qui ob tutelam sui corporis aliquid facit, id Iure fecisse videtur.*

568. Unde præceptum affirmativum subveniendi proximo in extrema necessitate; non obligas quando impleri nequit absque periculo vitæ: similiter reddere depositum est præceptum naturale, cujus obligatio oon perseverat, quando id fieri non potest sine periculo depositarij, aut alterius tertij; idemque dicendum de solutione debiti, quod exsolvere tenemur Jure naturali, non tamen cum periculo vitæ.

569. Dixi regulariter, quia sæpissime obligas cum periculo vitæ: Pastos enim animatum senetus succurrere subditis in necessitate spirituali tempore pestis, aut in alio simili casu cum probabili vitæ periculo; idem dicendum de Gubernatore navis, qui cum eodem periculo tenetur perseverare in suo munere. Ratio est, quia in hujusmodi officijs obligatio oritur quasi ex contractu in eodem officio incluso, quod natura sua respicit tempus periculi, & propterea accipit accommodatum stipendium: quapropter in his præceptis, consideranda præcepti natura; & cum gravitate periculi comparanda, atque ita judicandum, cesset ne, an non, obstante metu talis incommodi: de quo videatur Suar. lib. 2. de legibus à cap. 13.

570. De lege naturali negativa putant aliqui, nullius metus, vel periculi causa cessare: primo, quia nunquam licet mentiri, vel furari, eo quod mendacium & furtum præceptis negativis prohibentur: secundo, quia hæc est vulgaris differentia præcepti affirmativi, & negativi, quòd affirmativa non obligant pro semper, negativa vero obligant sempes, & pro semper, ut traditur 2.2. q.57. art. 2. tertio, quia illa, quæ adversantur præceptis negativis naturalibus, sunt intrinsecè mala: atqui quæ sunt intrinsecè mala, nec possunt exuere naturam, nec propriam amittere malitiam: ergo legis naturalis negativæ obligatio nunquam cessabit, etiam posito evidente periculo mortis.

571. Verùm, oppositum verius est, & certissimum; nam de non occidendo extat præceptum negativum naturale, & habetur in decalogo, *non occides*; & tamen hujusmodi obligatio cessat, cum quis prudenter timet mortem sibi ab injusto aggressore inferendam esse, nisi illum occidat. Extat etiam præceptum negativum naturale de non

accipiendis alienis, quod non obligat in extrema neceſſitate. Præceptum etiam reſtituendi negativum eſt, quatenus obligat ad non retinendam D. Thom. rem alienam juxta D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 8. ad 1. & tamen communis ſententia eſt, quòd liceat protrahere reſtitutionem, quando fieri nequit abſque majori damno, vitæ ſcilicet, vel famæ.

572. Ac proinde in præceptis negativis, ſæpe interveniente metu, ceſſat obligatio, licet enim ſemper, & pro ſemper obligent; hoc intelligendum eſt, ſi non mutatur propria materia, in qua nititur malitia, non enim illa, quæ intrinſecè mala ſunt deponunt malitiam, niſi auferatur materia, cui ineſt, cum qua ipſa malitia aufertur: quod regulariter contingit in præceptis Juſtitiæ, cujus obſervantia eſſe non poteſt contra Jus alterius: etenim Jus quod quis habet, ne vulneretur, vel occidatur, ceſſat ubi primùm homo non poteſt ſe tueri, quin injuſtum aggreſſorem interficiat, aliter magna foret injuſtitia, ſi non liceret patienti injuriam, ſe defendere, etiam cum morte aggreſſoris, quando nullo alio modo effugere poteſt injuriam, & ſimiliter ſe res habet in bonis fortunæ, nam Jus, quod Domini in illa vendicant, non impedit quominùs in extrema neceſſitate ſint communia quoad uſum.

573. In aliarum virtutum materiis ex nullo metu ceſſat obligatio, quia materia in qua fundatur præceptum negativum, numquam mutatur propter quævis pericula, ſive infamiæ, ſive mortis, & ideo morte contempta, obſervari debet lex: qua de cauſa mendacium, fornicatio, aut quodlibet peccatum mortale, aut etiam veniale, ex nullo metu fieri debent: de quo videndi ſunt D. Thom. 2.2. q. 110. art. 1. & 4. Scot. in
D.Thom. Scot. quarto diſt. 29. q. 1. n. 6. Sanches citato lib. 4. de matr. diſp. 1. n. 6. & diſp. 2. n. 2. & præ omnibus latiſſimè hanc quæſtionem tractat Corduba in quæſtionario lib. 1. q. 29. quod ita verum eſt, ut etiam prætextu magni boni, verbi gratia, liberandæ patriæ, & publicæ ſalutis cauſa, non eſt committendum etiam peccatum veniale: extat enim apud Apoſtolum peremptorium edictum, non ſunt facienda bona, ut veniant mala ad Rom.
ad Rom. 3. 3. verſ. 8. *Et, Non ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere, faciemus mala, ut veniant bona, quorum damnatio juſta eſt*: quod libet enim malum culpæ, etiam venialis, pejus eſt malo pœnæ comminatæ juxta text. in cap. *ſi quis* 22. q. 5. cap. *ne, quis*
cap ſiquis 22.q.5. cap ne quis 22.q.2. cap. ſacris de his quæ vi. Auguſtin. 2. 2. q. 2. cap. *ſacris* de his quæ vi: unde eſt illa optima Auguſtini ſententia primo de civitate Dei cap. 28. omnia mala potius eſſe toleranda, quàm peccato conſentiendum, & lib. 2. de peccatorum meritis cap. 10. *Cum omnia ſuperanda ſint amore, & delectatione Juſtitiæ.* Et lib. 1. contra mendacium cap. 8. affirmat pro nulla re committendum eſſe peccatum veniale.

574. Quare miror quoſdam Doctores Catholicos, adeo deliraſſe, ut oppoſitum doceant, ut Euſtrat. Epiſcopus in tertio Ethic. cap. 1. Balforeus ibi aſſerens præter immania, & nefaria, cætera mala committi poſſe pro magno commodo, aut publica utilitate, quia ſi quæ honeſta ſunt, turpiter fiunt malo fine appoſito: cur non etiam turpia, honeſte fient bono fine appoſito? de quo majorem rationem afferemus diſp. 3. à n. 617. Subſcripſere Gloſſ. in l. *ſi familia*, verb. *legi poteſt* ff. ſi famil. furt. feciſſe dicatur: ubi Barthol. in l. *ſi ſervus* §. *ibi, qui* ff. de noxal. Cyn. in l. 1. c. unde vi. Salice tibi n. 12. Jaſ. §. *ſi minus* n. 17. Inſtit. de action. cardinal. in cap. *Sacris* de his quæ vi, docentes, quodſi Dominus ſervo; vel Tyrannus ſubdito, ſub interminatione mortis præcipiat, ut aliquem etiam innocentem interficiat, ſervus & ſubditus interficiens innocentem non peccat, ſi ipſe mortem aliter non valeat evadere. Ariſtot.

575. Nec eorum errori patrocinatur Ariſtot. tertio Ethic. cap. 1. dicens, nonnumquam laudari homines, quando pro magnis, & honeſtis rebus aliquod turpe faciunt; ſi verò è contra faciant, vituperari: nam Ariſtot. non loquitur ibi de turpibus peccaminoſis, ſed de iis, quæ etiam citra culpam turpia, & ignominioſa videntur, ut verbera, carcer, & ſimilia, ut intuenti textum apparebit: mox enim addit. *Quædam autem fortaſſe ſunt, ad quæ perpetranda nemo cogi, vel compelli poteſt, ſed potius extrema quæque pati, ac mori convenit.* Nec etiam eis patrocinantur aliqua loca ſacræ Scripturæ, ut videbimus diſp. 3. à n. 596. & interim videatur Cordub. citat.

SUBSECTIO SEPTIMA.

Utrum geſta ex metu ſint ſecundum quid involuntaria.

576. RESpondetur affirmative: eſt communis Theologorum, à qua nullus diſſentit: tria afferuntur indicia in ejus probationem: Primum eſt, triſtitia, nam, quæ ex metu fiunt, cum triſtitia fiunt: atqui voluntarium non cauſat triſtitiam, ſed delectationem, involuntarium verò triſtitiam generat ex Philoſopho; ergo geſta ex metu ex ea parte, qua triſtitiam generat, erunt involuntaria. Secundum, opus turpe ex metu factum minori pœna, & majori venia dignum eſt, quam ſi ſine metu fieret; atqui peccatum in tantum eſt culpabile, in quantum eſt voluntarium; ergo ex eo erit minus culpabile, quia habet aliquid involuntarii. Tertium eſt, quia opus ex metu factum nec per ſe, nec ex ſe eſt eligibile, ſed tantum eligibile eſt in tali circumſtantia: atqui objectum omnino voluntarium ſecundùm ſe & ratione objecti eligibile eſt; ergo in geſtis ex metu factis aliquod reperitur involuntarium.

577. Decius tamen in regula *velle* 4. ff. de regul. Iur. n. 3. & 4. docet geſta ex metu facta eſſe ſimpliciter involuntaria: & ſecundùm quid voluntaria. Falſo tamen, & leges, in quibus nititur ita intelligendæ ſunt, quòd ea, quæ ex metu fiunt, ſunt conditionaliter voluntaria, & abſolutè involuntaria quoad apprehenſionem, & rationem objecti, non tamen quoad actionem, ut bene explicat Sanches numero 6. & earumdem legum varias explicationes dedimus ſupra n. 514.

578. Contra concluſionem objicies primo, metus nullo modo eſt involuntarius; ergo geſta ex metu non ſunt involuntaria, cum non detur principium, unde hoc involuntarium proveniat. Antecedens probatur, quia metus eſt cauſa, ut voluntas prorumpat in actum; ergo potius eſt cauſa volitionis, quàm nolitionis. Probatur conſeq. quia volitio eſt actus proſequutionis, nolitio verò fugæ: atqui metus eſt cauſa, ut voluntas proſequatur, & non ut fugiat; ergo potius eſt cauſa voluntarii, quàm involuntarii. Variis omiſſis ſolutionibus, diſtinguo ant. Metus nullo modo eſt involuntarius, formaliter, concedo: materialiter, nego: id eſt, licet metus ſolùm

ſit cauſa voluntrtii, ex illo namque naſcitur volitio efficax projiciendi merces in mare, quia tamen eſt cauſa actionis externæ, quæ inſuavis eſt, & diſplicet voluntati, contra amorem quem obóner erga merces, ideo dicitur cauſa involuntarii, quia nimirum, ita eſt cauſa volitionis, ut ſi non fuiſſet talis volitio, non daretur actio, quæ ſecundùm ſe eſt contraria voluntati, & amori antecedenti erga merces, & tantummodo eligibilis eſt poſito metu, qui ſi non poneretur, nullo modo eligenda foret. Ad probationem antecedentis, diſtinguo Majorem. Metus eſt cauſa, ut voluntas protumpat in actum, abſolutè, & ſecundum ſe, nego; conditionate & in bis circumſtantiis, concedo. Metus namque non eſt cauſa ad hoc ut voluntas ex ſe, & abſolute prorumpat ad proſequendum aliquid, ſed ad hoc ut evitetur majus malum.

Objicies ſecundo, ſequitur eum, qui legem obſervat ex metu gehennæ, vel pœnatum, quæ pro culpa debentur, quod involuntarie legem obſervet, hoc autem eſt falſum; ergo & illud, ex quo ſequitur. Sequela patet, quia ille homo operatur ex metu gehennæ. Minorem probo, quia aliter obſervantia præceptorum, peccatum foret, ſiquidem haberet hunc actum, nollem obſervare præceptum, ſi non eſſet metus: & per conſequens lex ſecundum ſe diſpliceret.

579. Pro ſolutione hujus argumenti notandum eſt, ut aliquid ex metu factum, cenſeatur involuntarium, duo requiri: primum ut opus fiat cum diſplicentia voluntatis, per quam opus vere, & ſecundum ſe diſpliceat: ita Suar. 1. 2. tract. 2. diſp. 2. ſect. 2. n. 9. Vaſques diſp. 27. cap. 2. §. *ego ſane*, Salas ſect. 3. n. 8. & ratio eſt, quia cum involuntarium ſit contra inclinationem voluntatis, debet ex ejus parte aliqua intervenire diſplicentia, & renitentia, quomodo dicitur projectio mercium in mare involuntaria, quia licet eligatur tanquam medium utile ad mortem evitandam, diſplicet tamen ſecundum ſe, & abſolute.

580. Secundum eſt, ut diſplicentia iſta talis ſit conditionis, ut metu ablato opus non fieret: nam cum requiratur aliqua diſplicentia, non requiritur efficax, & abſolutè, quando omnibus penſatis virtus executiva applicatur ad opus faciendum, nec ſufficit omnino ſimplex diſplicentia, qua objectum placet, vel diſplicet, ſine ordine ad executionem, ſed neceſſaria eſt quædam diſplicentia media inter efficacem, & omnino ſimplicem, nimirum conditionate efficax, talis ut ablata conditione opus non fieret: & quod non requiratur voluntas efficax omnino, patet, nam quod fit ex metu procedit ex volitione omni efficaci; ergo non poteſt opus eſſe contra volitionem, ſive diſplicentiam omnino efficacem in oppoſitum, aliter darentur ſimul in eadem voluntate duæ volitiones efficaces omnino, & contrariæ. Quod etiam non ſufficiat diſplicentia omnino inefficax, patet, quia ad voluntarium requiritur diſplicentia, per quam voluntas renitatur: ſimplex verò effectus non poteſt dici renitentia, non enim renititur operi, qui ad oppòſitum nullo modo nititur; neceſſaria ergo erit diſplicentia efficax conditionatè quibus poſitis.

581. Reſpondetur ad argumentum, negando ſequelam, nam licet diſpliceant peccata, & violatio legis propter metum, non tamen diſplicet legis obſervatio, nec dolor de peccatis in ſe, quin potius quando pœnitentes dolent & triſtantur de peccatis, de dolore, & triſtitia gaudent: defectui gitur diſplicentia dolor ille peccatorum, & illa obſervatio legis involuntaria non eſt: cum enim ſint actiones ſecundùm ſe amabiles, & eligibiles; ex amore proprio poteſt quia vitare pœnam, & obſervare legem: actio verò, quæ cauſat involuntarium ſecundùm quid, non eſt amabilis ſecundùm ſe, ſed tantum eligitur, ut evitetur majus malum.

582. Quod ſi in hoc caſu, quiſpiam conſideret rationem moleſti, & difficilis, ex qua oriatur triſtitia, & diſplicentia in voluntate, non ſtatim talis diſplicentia erit peccatum: tum quia poteſt eſſe motus ſubitus, & non liber, poteſt enim occurrere mors, ſi non obſervetur præceptum, ſubitòque poteſt diſplicere mors: tum quia etiamſi diſplicentia illa ſit libera, ſi tamen ſolummodo verſetur circa difficultatem, quæ eſt in obſervatione præcepti, non ſolum non erit peccatum, ſed proficiet ad coronam. In Chriſto enim fuit hæc diſplicentia circa mortem ſecundùm ſe, non ut erat ſub præcepto, ſed ut erat quoddam malum naturæ: ita colligitur ex illis verbis Marci cap. 14. verſ. 31. *cœpit pavere, & tædere*: & ex illis Mathæi cap. 26. verſ. 37. *cœpit contriſtari, & mæſtus eſſe*: eademque diſplicentia reperta fuit in Suſanna, habuit enim dolorem de difficultate, non de legis obſervatione, quam perpetuo ſtatuit ſervare ex Daniele cap. 13. verſ. 23. & 23. & tunc actio non eſt involuntaria poſitis his circumſtantiis, ſed quatenus difficilis eſt.

Marc. 14.
Matth. 26.
Daniel. 13.

583. Si tandem in pœnitentibus, aut in quolibet alio daretur talis actus, quo nollet obſervare legem, tunc foret peccatum exortum à timore ſervili, eo quòd ſolùm propter metum operatur, qui quidem metus, ſi non ſtaret, non operaretur bonum; habet enim propoſitum non ſervandi legem, ſi non eſſet pœna; quod intelligendum eſt de lege naturali, cujus objectum eſt intrinſecè malum, & ante omnem legem habet intrinſecam malitiam: non tamen intelligendum eſt de lege poſitiva, cujus objectum ante prohibitionem indifferens eſt ad bonum, & malum, non enim tunc ille actus fertur in malum, eo quod malum non ſit, objectum illud, niſi poſito præcepto, ideoque velle non abſtinere à carnibus in ſexta feria, ſi non foret prohibitum, peccatum non eſt: ut bene obſervavit Martinez citatus §. *ad* 2.

SUBSECTIO OCTAVA.

Quotuplex actus reperiatur in involuntario ex metu?

584. CErtum eſt apud omnes Theologos neceſſario dandos eſſe tres actus, in omni involuntario ex metu: Primus eſt amor abſolutus mercium, verbi gratia, quæ projiciuntur in mare: ſecundus eſt amor conſervationis vitæ: tertius eſt volitio efficax, & abſoluta projiciendi merces in mare: ſolum controvertitur utrum dandus ſit quartus actus, quo nolit projicere merces in mare, ita ut ſicut ex amore vitæ oritur volitio projiciendi merces in mare, ita ex amore mercium oriatur nolitio, ſive diſplicentia de projectione earumdem mercium.

Reſpondetur dandum eſſe prædictum quartum actum: ita D. Thom. 3. p. q. 18. art. 3. 5. & 6. & q. 21. art. 4. in corpore: dum in Chriſto Domino duplicem iſtum actum admittit circa ejus mortem, & duplicem etiam actum circa orationem Chriſti: Scotus in 3. diſt. 15. n. 17. loquens in terminis noſtræ quæſtionis, & in primo diſt. 6. dum in An-

D. Thom.
Scotus.

gelis admittit similem actum, quo appetierunt Dei æqualitatem: sequuntur utrumque Doctorem præter discipulos, cæteri Recentiores.

585. Probatur quia ille duplex amor de se est efficax; ergo amor mercium, verbi gratia, si non impediatur prorumpet in actum: atqui non potest prorumpere in nolitionem efficacem projiciendi merces in mare; ergo prorumpet in nolleitatem, quæ est actus voluntatis absolutus ex parte ipsius voluntatis, conditionatus ex parte objecti: nam si stare posset, non projicere merces in mare cum amore vitæ, procul dubio merces non projiceret in mare. Confirmatur quia objecta horum actuum diversa sunt; ergo etiam actus: actuum distinctio oritur ex distinctione objectorum. Dices illos actus distingui suis rationibus formalibus, non verò distingui realiter. Sed contra, quia displicentia projiciendi merces in mare oritur ex mercium amore: atqui iste amor nequit producere projectionem earumdem mercium; ergo sicut volitio projiciendi merces orta ex amore vitæ, distinguitur realiter ab isto amore, ita etiam nolitio projiciendi merces orta ex amore mercium distinguetur realiter ab eodem mercium amore. Vide Martinez 1. 2. q. 6. art. 6. dub. 1. §. *tertia sententia.* Nota tamen cum Cornejo disp. 3. n. 2. licet non daretur ille quartus actus, adhuc actionem futuram esse involuntariam, eo quod fieret contra amorem mercium.

586. Objicies primo pro sententia aliquorum asserentium eumdem met actum esse voluntarium, & involuntarium, ex quo docent non dari illum quartum actum, nimirum nolitionem mercium, sed amorem mercium tantùm esse voluntarium, & involuntarium. Et primo à Philosopho voluntarium ex metu dicitur actus mixtus, sed in rebus naturalibus, mixtum est unum quid, constans ex miscibilibus; ergo etiam hic actus erit unus constans ex voluntario, & involuntario. Respondetur: explico Philosophum, voluntarium est actus mixtus respectu actus, nego: respectu projicientis, concedo: non enim actus dicitur mixtus, quia constat ex duobus actibus, voluntatis scilicet, & involuntario, sed quia uterque actus simul reperitur in voluntate.

587. Secundo, quia actus iste, vel est conditionatus ex parte actus, vel ex parte objecti: si primum jam non datur actualiter, sed dareur posita conditione: si secundum, erit actus perfectus, & absolutus, ut apparet in promissionibus, & votis conditionaris: atqui unus actus absolutus, & perfectus non potest stare cum alio actu absoluto, & perfecto opposito; ergo cum necessariò danda sit volitio absoluta, & perfecta projiciendi merces in mare, non dari debet nolitio absoluta & perfecta projiciendi easdem merces: Respondetur actum illum esse conditionatum ex parte objecti, sed talis conditionis, ut possit stare cum contrario: duplex namque est genus actuum conditionatorum, unum, quod non potest stare cum actu contrario, & iste perfectus est, & absolutus, qualis est promissio, & votum, quod etiam posita conditione non potest stare cum actu contrario, nec habet à quo remittatur: alterum est, quod cum actu contrario stare potest, de quo in præsenti, & ideo hujus generis actus non sunt absoluti, & perfecti, sed imperfecti ex conjunctione ad actum oppositum, à quo impeditur eorum executio.

SUBSECTIO NONA.

Utrum voluntarium ex metu semper sit mixtum?

588. Respondetur negative. Ita Suar. citatus n. 9. Vasq. n. 8. Salas n. 40. Martinez §. *ad* 2. Montesin. disp. 10. q. 8. n. 118. qui omnes docent non semper gesta ex metu esse cum involuntario, & probatur quia in duplici differentia sunt gesta ex metu: vel enim non semper sunt mala, nec ut mala cognoscuntur: vel ita sunt mala absoluté, & ut mala cognita ac volita, tamen ut majus malum evitetur, eliguntur: atqui in primo genere malorum non est necesse reperiri involuntarium, cum illa actio ex se, & secundum se sit amabilis: & posito metu, voluntas non resistit, quin potius ad objectum propensius amandum inclinatur: ut si quis posito metu pœnarum, propter illum eligat observationem legis, quam etiam sine tali metu eligeret: quod quidem bonum est; ergo potest dari voluntarium ex metu, quod non habeat admixtum aliquid involuntarii. Et ratio est quia in hoc casu, metus non est causa adæquata actus, sed inadæquata movens: quamquam enim non daretur metus, lex observaretur.

589. In secundo genere malorum semper voluntarium ex metu admiscetur involuntario: & hæc fuit mens Damasceni, Niseni, & Philosophi asserentium, voluntarium ex metu admisceri cum involuntario, nimirum quando majoris mali timore, minus malum eligitur: mota enim ab Aristot. hac quæstione concludit, *spontanea igitur hujuscemodi sunt, simpliciter verò invita, quippe cum tale quidpiam per se eligat nemo.* Dicitur autem metus causare involuntarium, non quia causat illum actum nolendi, siquidem idem objectum nequit duos actus contrarios causare, sed quia superat illum affectum inducens ad volendam actionem repugnantem.

590. Si quæras quo pacto voluntarium dicatur mixtum ex voluntario, & involuntario? Respondetur, ex eo quod constat ex duplici actu, volitione scilicet, & nolitione: impossibile enim est, quod idem actus sit voluntarius simul, & involuntarius: quod explicatur communi exemplo projicientis merces in mare: hic enim habet duos actus, volitionem nimirum projiciendi, & nolitionem circa projectionem earum.

591. Sed quidnam in tali mixto præponderat, & prædominatur, voluntarium ne, an Involuntarium? Respondetur ex Philosopho tertio Ethic. cap. 1. ibi: *mixta igitur hujusmodi actiones cum sint, spontaneis magis sunt similes*: quem communiter sequuntur Theologi, & Philosophi, & ratio est quia absolute, & principalius ut simpliciter, *unumquodque denominatur ex eo quod ei actu competit, & secundùm quid denominatur ex eo quod ei competeret si conditio poneretur*: quòd enim actu convenit, realiter: quod verò conveniret, convenit apprehensione: atqui quod fit ex metu est voluntarium in actu, idest, hîc, & nunc, quod autem non fit, est involuntarium solùm in apprehensione. Et confirmatur quia id, quod fit ex metu est voluntarium voluntate efficaci absoluta, superans involuntarium, sive voluntatem conditionatam, ac proinde, si proprie loquendum est, malum quod eligitur ex metu, non involuntarium, sed voluntarium dicendum est à parte prædominante, Aristot.

SUBSECTIO

SUBSECTIO DECIMA.

Quisnam actus dicatur mixtus ex voluntario, & involuntario?

591. EXcitatur quæstio, quia in his quæ ex metu fiunt dantur duo actus interiores, volitio scilicet & nolitio projiciendi merces: & unus exterior, projectio scilicet mercium; quæritur ergo quisnam actus dicatur mixtus, interior-ne, an exterior? Respondetur exteriorem. Ita Vasques disp. 27. cap. 2. 0. 7. Probatur quia tam prosequutio, quàm fuga, sive tam volitio, quam nolitio sunt actus interiores voluntatis & ab ea eliciti, & per consequens voluntarii debent esse, sunt enim à principio intrinseco, & maximè inclinationi naturæ consentanei, de quo supra n. 310. ergo solus actus exterior, nimirum opus & projectio mercium, erit involuntarius, quia assumitur ut medium conveniens ad evitandum majus malum: quod quidem medium solùm ex ea parte, qua utile est, nos movet, non ex alia parte, ex qua secundum se malum est, & contra illum actum inefficacem, quo voluntas non vult projicere merces in mare.

593. Dices primo cum Montesin. disp. 10. q. 8. numero 116. Actus internus, sive volitio projiciendi merces, est contra actum inefficacem non projiciendi easdem; ergo erit involuntarius. Respondetur negando conseq. quia non est à principio extrinseco, sed à principio intrinseco præcedente cognitione: oritur enim ex amore vitæ, & solum potest dici inadæquatè involuntarius juxta dicta supra à n. 590.

594. Secundo, illi duo actus interiores habent rationes oppositas; ergo idem numero actus externus, sive idem numero opus externum, non potest in se habere utramque rationem oppositam. Respondetur distinguendo consequens: ergo idem numero actus, sive opus externum non potest in se habere utramque rationem oppositam, respectu ejusdem actus voluntatis, concedo: diversorum actuum, nego: Vnde illud opus, respectu amoris vitæ, & volitionis projiciendi merces, est voluntarium, & à voluntate imperatur: respectu verò amoris mercium, & nolitionis projiciendi eas, est involuntarium, nec censetur esse à voluntate. Imò illi duo actus interiores non sunt contrarij, habent enim diversa objecta sub diversa ratione formali: nam objectum amoris mercium, sunt ipsæ merces, ut bona propria: objectum verò amoris vitæ, & volitionis projiciendi, sunt eædem merces, ut medium electum ad evitandum naufragium.

595. Si autem quæras primo, ex interioribus actibus: quisnam fiat ex metu, volitione projiciendi merces, an nolitio? Respondetur volitionem, hæc enim proximè imperatur à metu mortis, qui quidem metus oritur ex amore propriæ vitæ: displicentia verò sive nolitio non oritur à metu mortis, sed ab amore divitiarum à qua imperatur: ac proinde ista nolitio non est ex metu, sed conjungitur cum re quæ fit ex metu, & quia ad metum consequitur, dicitur fieri ex metu: ita Montesin. citatus n. 115.

596. Si quæras secundo, utrum eò actio sit minus voluntaria, quò metus, illius causa, gravior est? Respondetur negativè, quia ratio involuntarij non ex majori metu, sed ex majori displicentia voluntatis desumenda est: & ideo potest esse metus gravissimus cum tenuissimo involuntario: & potest esse majus involuntarium ex minori metu, secundum majorem vel minorem displicentiam voluntatis: & ratio est quia secundum majorem renitentiam voluntatis, sumenda est ratio involuntarij: atqui voluntas minus resistit objecto, quòd ei minus displicet; ergo ex displicentia, non ex metu, sumenda est ratio involuntarii. Unde Confessores non imponunt pœnitentiam attendentes principaliter ad gravitatem peccati; sed attendentes potius ad rationem displicentiæ.

SUBSECTIO UNDECIMA.

Utrum ea, quæ cum metu geruntur, sint secundùm quid involuntaria?

597. NOtandum est, aliud esse operari ex metu, aliud operari cum metu: nam id, quod ex metu fit, eligitur ut medium utile ad vitandum malum: metus illius actionis est causa motiva; & ideo appellatur metus antecedens: id verò, quod cum metu fit, non dependet à metu, ut à motivo, sed tantum comitatur metum: unde tantum abest, quod metus voluntatem moveat ad opus, ut potius eam retrahat, ne tam libenter operetur, veluti quando quis timet concionem, vel orationem habere pro rostris. Hoc posito

598. Dico primo, quæ fiunt cum metu sunt minus voluntaria. Probatur, quia tunc operatio est minus voluntaria, quando est minus intensa & quando fit cum minori impetu voluntatis: atqui illa minus intensè, minorique cum impetu procedunt à voluntate, quæ fiunt cum metu; ergo minus voluntaria erunt. Minor probatur, quia ille metus cohibet & retardat voluntatem, ne tam promptè, & expedite operetur.

599. Dices: Ubi vincitur major difficultas, requiritur major vis: atqui quando opus fit cum metu, major superatur difficultas, quàm quando ex metu; ergo etiam in voluntate dabitur major vis, & per consequens majus voluntarium. Major probatur exemplo impulsus levantis magnum pondus. Respondetur distinguendo Majorem: ubi vincitur major difficultas, requiritur major vis, quam sit ipsa difficultas, concedo: vis major alia, quæ daretur sine difficultate, (dummodo cætera sint paria) nego: cum ergo illud voluntarium majus sit, quàm resistentia, minuitur eo quod resistentia retardatur, & ipsa resistentia generat molestiam, ac proinde non ita promptè exequitur opus, quam sine resistentia, quod patet exemplis fluvij currentis, modò sine, modò cum impedimento, & ignis comburentis aridum, & viride lignum. Neque inferas tantum voluntarium dari quando opus exequitur cum difficultate fiat, quando sine difficultate: nam intentio, prævisis obstaculis, minus movet ad media, & actus executionis cum minore intensione fit.

600. Instabis: Illa difficultas reddit actum magis demeritorium, ergo & magis voluntarium. Patet conseq. quia juxta mensuram voluntarij, datur mensura demeriti. Anteced. patet à simili de actu meritorio, qui perfectior est, factus cum damno aut periculo proprio. Respondetur negando consequens. nam potest actus esse magis intensus in ratione voluntarij, & imperfectior in ratione meriti, quàm sit alius actus minus intensius: si quis enim intensè reciret orationem, minus merebitur, quàm ille, qui vitam minus intensè exponit pro Deo: idemque de amore inimicorum minus intenso defendit Ægid. de Coninch. de actibus disp. 24. dub. 8. n. 158. qui

perfectior eſt, quàm ſit actus magis intenſus amoris erga amicum: quod etiam verum eſt in opinione, quæ aſſerit amorem amici minus intenſum, magis meritorium eſſe, quàm ſit amor inimici magis intenſus.

601. Dico ſecundo: Actio facta cum metu, eſt ſecundùm quid involuntaria reſpectu appetitus ſenſitivi. Hæc concluſio nec pro ſe, nec contra ſe habet Authorem. Probatur tamen, quia appetitus ſenſitivus timet, & renititur tali operi: voluntas verò appetitui imperat, ut conſentiat: appetituique tale opus moleſtiam cauſat; ergo ei eſt involuntarius. Probatur conſeq. quia illud opus eſt à principio extrinſeco, id eſt, à voluntate, reſiſtente appetitu, qui ex illo moleſtiam patitur. Dices: Voluntas non eſt principium extrinſecum. Sed contra, quia voluntas ab appetitu realiter diſtinguitur, non quidem ſuppoſito, ſed ſubjecto, quod ſufficit non ſolum ad involuntarium, ſed etiam ad violentum ex dictis ſupra, numero
Ariſtot. 319.

602. Dico tertio: Actio facta cum metu non eſt involuntaria voluntati. Concluſionem expreſſit Ariſtot. ſecundo Ethic. cap. 9. & ex eo docent communiter Theologi. Primo, quia qui operatur cum metu, non inducitur ad agendum ex aliqua cauſa extrinſeca, ſed ex præciſa apprehenſione & incitatione objecti boni; ergo licet operetur cum difficultate, operabitur voluntarie: non enim metus inducit ad agendum, imò retrahit ab agendo: & voluntas operatur ex amore objecti, propenſius operatura, ſi timor abeſſet. Secundo, quia non datur in voluntate diſplicentia de furto, verbi gratia, quod cum metu fit, ſed de periculo; ergo furtum non erit involuntarium voluntati.

603. Objicies primo: Omne moleſtum eſt violentum: atqui operatio facta cum metu eſt moleſta; ergo etiam erit violenta. Reſpondetur diſtinguẽdo Majorem: Omne moleſtum eſt violẽtum, ſi oriatur ex principio extrinſeco, concedo: ſi oriatur ex principio intrinſeco, nego: quando igitur voluntas operatur cum metu, non inducitur ad operandum ex metu, neque per aliquam cauſam extrinſecam; potius enim metus avertit, quàm allicit voluntatem, quæ tantum allicitur à delectabilitate objecti intus apprehenſa, & hæc delectabilitas ita placet, ut metum ſuperet voluntas ab actione avertentem. Apparet in motu animalis, ubi elevatio pedis violenta eſt corpori, quia fit gravitate renitente, & à principio extrinſeco reſpectu gravitatis, à potentia nempe motiva, non tamen eſt involuntaria voluntati, cum ab ipſa imperetur: & licet fatigatio diſpliceat voluntati, tamen quia voluntas allecta à bono, motum imperat, non operatur involuntarie. Unde hæc eſt differentia inter operari cum metu, & ex metu: Nam in operatione cum metu, metus eſt cauſa diſplicentiæ, non operationis: in operatione verò ex metu, metus eſt cauſa operationis, non diſplicentiæ.

604. Secundo: Suſanna cum metu legem obſervavit, & tamen involuntariè illam obſervavit; ergo operatio cum metu involuntaria eſt.
Daniel.13. Minor probatur ex Daniele cap. 13. verſ. 22. *Ingemuit Suſanna & ait; Anguſtiæ ſunt mihi undique*: atqui qui operatur cum anguſtiis, operatur involuntarie; ergo &c. Reſpondetur negando Majorem: namque caſtiſſima Suſanna operata eſt ex gravi metu ab illis ſenibus illato per comminationem mortis, & infamiæ: ſed non operata eſt cum diſplicentia obſervationis legis: illi enim involuntariæ erant mors, & infamia, quæ ut objecta mala multùm diſplicebant; voluntaria verò erat obſervatio legis, quæ etiam in illis circunſtantiis in ſe placebat: & ideo elegit potius mori, quàm legem, & caſtitatem violare.

SUBSECTIO DUODECIMA.

De his, quæ æquiparantur metui.

MUlta ſunt quæ ſimilia metui videntur extorquere conſenſum, nimirum preces, importunitas, blanditiæ, perſuaſiones, præcepta, reverentia, de quibus omnibus videndum eſt, an cum extorquent conſenſum æquiparentur metui in virum conſtantem cadenti, operenturque eoſdem affectus, quos metus ipſe operatur, ſed priuſquam difficultates excitemus, explicandum eſt quid ſint, pro quo ſuppono

605. Primo, preces & blanditias non inducere involuntarium, ex illis enim tantum homo excitatur ut agat ex perfecto conſenſu opus quod ſine illis feciſſet, gaudent enim homines rogati, & quod libenter facere decernunt, libentius exequuntur, exemplo Dei, qui precibus inclinatur ad donandum ſine aliqua ratione involuntarii: Unde preces præciſæ, & blanditiæ non aſſimilantur metui: hujus enim objectum eſt malum imminens, objectum verò precum & blanditiarum eſt bonum, ideo de precibus præciſis, & blanditiis non poteſt eſſe quæſtio, quamvis à multis moveatur.

606. Secundò, preces & blanditias adjungi poſſe, vel cum importunitate, vel cum reverentia, vel cum utraque ſimul: preces importunæ, non ſunt qualeſcumque ſed inſtantiſſimæ, & repetitæ, ut deducit Archidiaconus cap. fin. n. 2. de reſcriptis in 6. ex ipſo nomine, *importunum enim ait dici quaſi ſine portu, & ſine quiete*, doceтque Peralta in l. *ſiquis* n. 94. ff. de legatis tertio & Gloſſ. in authen. de hæred. & falſid. collat. 1. verbo *importune*, ideſt, *valde inſtanter*: preces cum reverentia ſunt quæ fiunt à perſonis, quibus debetur, verbi gratia, ab Epiſcopo, à patre, & ſimilibus.

607. Tertiò, reverentia ſive metus reverentialis datur in eo, qui Jure aliquo jubenti, vel petenti ſubeſt, ut Clericus Epiſcopo, ſecularis Magiſtratui, uxor viro, filius patri, & matri, gener ſocero, nepos avo, pupillus tutori, ſervus domino, & ſic de ſimilibus, ut bene Carolus de Graſſis except. 21. à n. 24. Caſtill. lib. 3. variarum cap. 1. Cabreros lib. cap. 8. numero 71. In qua reverentia, vel metu reverentiali conſideratur primo an ſi non exequatur id, quod petitur, aliquod eveniat damnum non ſatisfacienti petitionibus ſuperioris. Secundo, utrum licet non eveniat, timeatur tamen ne eveniat aliquod lucrum, quod à petente ſpetabatur. Tertio, ſi rogans talis ſit conditionis, ut velut injuriam vindicet, & vindicare poſſit petitionem non admiſſam: Quarto, ſi terribili vultu, & torvo aſpectu poſtulet, tacite minando grave damnum. Quinto, ſi minas addat precibus, & ſuaſionibus, aliæque poſſunt fieri ſimiles conſiderationes, quæ facile ex prædictis colligere eſt, de quibus omnibus eſt graviſſima quæſtio, & neceſſaria, Utrum cauſent involuntarium, æquiparenturque metui cadenti in virum conſtantem?

PRIMA DIFFICULTAS.

Vtrum preces importunæ causent involuntarium.

608. Dico primo: Si preces importunæ fiant ab eo, à quo malum aliquod non timetur, sed speratur aliquod lucrum, aut beneficium, non causant involuntarium. Ita Sanchez lib. 4. de matr. disp. 10. n. 3. Lugo de Just. disp. 22. sect. 7. n. 144. & probatur, quia in his terminis consensus non extorquetur ex metu, sed ex concupiscentia: atqui iuxta communem sententiam de qua infra à n. 667. concupiscentia non causat involuntarium; ergo preces, quæ non inducunt metum alicujus mali, sed concupiscentiam boni, non causant involuntarium. Major probatur, quia objectum metus est malum futurum; objectum verò concupiscentiæ est bonum: atqui in præsenti casu consensus non est timor damni, sed concupiscentia lucri; ergo preces in illis terminis non causant involuntarium. Quod tamen intelligendum est dummodo non detur vexatio, & molestia in importunitate precum, tunc enim concupiscentia involuntarium causabit, ex dicendis in hac quæstione à n. 667.

609. Dico secundo: Si preces fiant ab inferiori, & personis à quibus nullum damnum timetur, & sint importunæ, modo causabunt, modo non causabunt involuntarium: verbi gratia, si populi Regem, subditi Superiores, & similiter, rogent. Pro probatione hujus conclusionis notandum est tribus modis opus, quod fit ex precibus, considerari posse. Primo ut tale sit, quod secundùm se amabile sit, & non apprehendatur ut malum, fieretque, etiamsi non intervenirent preces, verbi gratia, si superior sæpius rogetur ad præstandum id quod libenter præstaret: etiam non rogatus: secundo ut preces inducant tantum ad consensum, & ad opus, ita tamen quod non sint causæ totales illius consensus & operis, non tamen fieret sine illis, nec etiam solùm ex illis, sed ex illis, & ex aliis motivis quæ adjungerentur precibus, verbi gratia, si superior ob aliqua motiva velit dare licentiam inferiori, si tamen rogetur. Tertio, ut preces tales sint, quod extorqueant consensum, causæque illius sint, sine quibus nullo modo extorqueretur consensus.

610. Primo ergo modo preces non causant involuntarium, cum illis præbeatur consensus circa opus de se amabile, & nullo modo apprehensum ut malum, quod quidem fieret etiamsi non essent preces; libentius tamen fit cum illis, unde preces non sunt causa consensus, sed sunt causa majoris voluntarij quod patet ex ijs quæ diximus supra n. 608.

611. Secundo modo, si objectum sit amabile secundum se, & non apprehendatur ut malum, eo modo, quo loquuti fuimus in prima conclusione, non causant preces involuntarium: si autem objectum non sit secundum se amabile, vel licet tale sit, apprehendatur tamen ut malum, quia vexat, & molestat, causat involuntarium, opusque ex illis precibus factum involuntarium est. Et constat ex eo quòd involuntarium est quod generat molestiam. Et à fortiori tertio modo preces causabunt involuntarium, si quidem per importunitatem, & precum nimietatem extorquetur consensus, qui aliter non extorqueretur.

612. Et quòd hoc tertio modo preces importunæ causent involuntarium; est communis sententia, de qua Sanchez lib. 4. de matr. disp. 6. n.

Iudicum 16.

9. Et probatur primo ex sacro textu. Iudic. cap. 16. v. 16. ubi de Samsone ait sacer textus, *Cumque molesta esset ei & per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus & ad mortem usque lassata est* Vatablus legit *cum coarctaret, & pene cogeret*, ubi Abulensis q. 15. *Molestabat, & per istum modum necesse erat quod tædio affectus exponeret veritatem.* Quod clarius exposuerunt Septuaginta, legentes, *quando vexavit illum sermonibus suis.* Ex quibus omnibus constat Dalilam extorsisse à Samsone sermonibus & precibus suis importunis, revelationem secreti, in quo suæ fortitudinis vires nitebantur, ita enim illis precibus molestatus fuit Samson, ut contra voluntatem cogeretur aperire secretum, quod efficaciter statuerat occultare, & per consequens involuntarie illud detexit. Secundo ex Luca cap. 11. ubi pater familias accomodavit panes non quia volebat, sed ne afficeretur importunis precibus petentis: ita vers. 8. *propter improbitatem ejus surget & dabit*: Ubi August. relatus in Catena aurea, *dat, non amicitia, sed tædio compulsus.* Et ex utroque loco constat, precibus importunis extortum fuisse consensum, qui sine illis non extorqueretur, quin aliquid mali timeret, qui importunitate precum coactus consensum præbuit, opusque exequutus est.

Vatablus. Abulensis. Septuaginta.

Lucæ 11.

August.

613. Tertio, ratione: precibus importunis compellitur quia, ut præbeat id, quod sine illis donandum non erat, eo quòd importunitas precum molestiam, & tædium causabat; ergo donatio talibus precibus extorta, involuntaria erit. Conseq. patet, tum quia tædium & molestiam generant illæ preces: tum quia, licet detur efficax volitio donandi, inefficacem tamen habet nolitionem donandi, contra quam est donatio illa. Unde quando Doctores docent preces importunas non causare involuntarium, intelligendi sunt, quando tædium, & molestiam non causant, vel quando non extorquetur consensus, qui sine illis aliàs non fieret.

614. Dico tertio: preces importunæ, quibus si homo non consentiat, timet aliquod damnum, causant involuntarium. Pro qua conclusione notandum ex Lugo n. 136. malum quod accersitur consentiendo precibus importunis, duplex esse posse, primum futurum, quia scilicet rogans talis est, ut si dissentiat, probabiliter timeatur damnum aliquod in vita, bonis, honore, corpore, fortunis: secundum est malum præsens, nimirum vexatio, quam preces importunæ secum afferunt; de timore mali futuri, non est dubium, quòd causent involuntarium, & ita sentiunt omnes Theologi, quibus assentiemur postea, asserentes harum precum qualitatem æquiparari metui cadenti in virum constantem. De secundo idem asserendum est, cum illa vexatio tristet, & molestet, ad quam tristitiam, & molestiam evitandam tamquam majus malum, elicitur ut medium, consensus precum, quæ omnia amplius ex sequenti difficultate patebunt.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Vtrum preces importunæ æquiparentur metui cadenti in virum constantem?

615. Variæ sunt sententiæ in hac materia. Prima absolutè docet preces importunas præcisè æquiparari metui cadenti in virum constantem. Ita Angelus de Ubaldis consil. 46. n. 4. p. 1. Craveta consil. 461. n. 11. volum. 3. Gloss. in cap. *tuæ fraternitati* verbo *importunitatem* de præbend. Hostiens. Imol. Rebuff. Peralta, Nald.

quos sequitur August. Barbosa in votis decisivis lib. 1. voto. 1. in secundo fundamento, Caldas Pereir. in l. *si curatorem habens* C. de in integ rest. verb. *læsis* n. 40. Matienco. lib. 5. tit. 10. Recop. Gloss. 6. per tot. Parc. de nobil. Gloss. 17. n. 12. vers. *accedit*. Luc. cap. *in Iuventute* de purg. vulg. & can. cap. *Importuna* de pœnit. dist. 1. Fran. Ant. Cost. consil. 38. n. 18. Ramon consil. 96. Castill. lib. 3. variarum cap. 1. n. 118. Bald. & Barbat. in cap. *cum adeo* in fine de rescrip. Boer. decis. 101. n. 10. Vitel de Camban. de clausulis tit. de metu tiranni. Cabreros lib. 1. cap. 8. n. 40. & n. 113. & lib. 2. cap. 3. n. 34. Calcaneus, Curtius, Roman. Paulus, Oldrad. Menoch. Dacian. Padill. Gutiert. & alij, quos refert Thomas Sanches disp. 6. n. 4. Dominic. cap. fin. n. 1. de rescript. in. 6. Ioann. Lupus rubric. de donat. inter virum, & uxorem §. 81. n. 5. Pont. latissime lib. 4. de matr. cap. 3. n. 17. & cap. 11. per totum, Diana 3. p. tract. 5. Miscellan. resolut. 26. §. *notandum*.

616. Secunda sententia absolutè negat, preces importunas præcisè æquiparari metui cadenti in virum constantem. Ita Abb. Roland. Ludovicus Lopez Ledesm. relati à Sanches n. 6. & disp. 7. n. 7. Henriques lib. 11. de matr. cap. 9. n. 5. Molin. tom. 1. de Just. & Jure, disp. 133. §. *sitamen*, Fagund. de Just. lib. 1. cap. 5. n. 25. & alij Doctores penes ipsos.

617. Utraque opinio vera est, si commode explicetur. Dico primo: preces importunæ, quæ nullum causant involuntarium, non æquiparantur metui cadenti in virum constantem. Conclusio per se est manifesta, quia in eo casu consensus non extorquetur involuntariè, ergo non fit ex metu, sed ex concupiscentia. Videantur dicta supra in prima difficultate à n. 608. cognito enim modo, quo istæ preces movent, clarissimè apparebit consensum non esse ex metu, nec æquiparandum illi consensui, qui ex metu procedit.

618. Dico secundo: preces causantes involuntarium modò æquiparantur metui cadenti in virum constantem, modo non: ita Lugo n. 146. concordatique possunt juxta hanc conclusionem Doctores utriusque sententiæ. Quòd non æquiparentur, metui explicatur, quia metus cadens in virum constantem talis naturæ debet esse ut à patiente ipsum metum repelli non possit, ut constat ex dictis subsect. 3. 4. n. 495. atqui vexatio præsens, quæ est malum ortum ex importunitate precum, quas repetunt miserabiles personæ, subditi, & inferiores, facile repelli potest à potentibus, superioribus; ergo consensus ex ortus ex hujusmodi precum importunitate, non est talis, ut judicetur extortus à metu cadente in virum constantem: vanè enim timet quis vexationem præsentem, quam repellere, potest. Unde omnia, quæ conceduntur à superioribus ex vi hujuscemodi importunitatis à precum, valida omnino sunt, & in hoc sensu intelligendi sunt Doctores relati n. 616.

619. Quod verò importunitas precum etiam æquiparetur metui cadenti in virum constantem, certissimum est, sive timeatur damnum futurum, vel etiam molestia præsentis vexationis: & de malo futuro probatur primo ex l. 1. C. de rapt. Virgin. ex cap. *importuna mulier* de pœnit. dist. 1. ex cap. *petitio* Extravag. de Jure Jur. ubi æquiparantur preces metui cadenti in virum constantem; ibi: *vel precibus importunis, vel metu. qui caderet in constantem virum*, ex l. *si privatum* ff. qui, & à quibus; & aliis Juribus allatis à Doctoribus primæ sententiæ, in quibus preces æquiparantur metui cadenti

l. 1. C. de rapt. virgin. Cap. importuna mulier de pœna dist. 1. Cap. petitio extr. de Iurejur. L. si privatum

in virum constantem.

620. Secundo quia non minus cogunt preces importunæ, quàm importunæ persuasiones: atqui persuasiones æquiparantur metui cadenti in virum constantem; ergo etiam preces. Min. patet ex l. 1. ff. de servo corrupt. ibi: *persuadere est plusquam compelli, & cogi sibi parere*, & ex l. *cum* 5. C. de apost. ibi: *quis servum sive ingenuum invitum, vel suasione*: & ita docent Ferter. consil 196. n. 17. ex Innocent. in cap. *petitio* de Jur. Jur. Craveta consil. 461. n. 11. volum. 3. Philipp. Paschal de juribus patriæ potest. p. 3. cap. 2. numero 37. Monald. consil. 5. n. 47. volum. 1. Joan. de Castill. controu. lib. 3. cap. 1. n. 105. Barbosa citato voto 1. n. 31. Crabreros lib. 1. cap. 8. n. 40.

ff. qui & à quibus. l. 1. ff. de servo corrupt. l. cum 5. C. de apost.

621. Tertio probatur ratione theologica: nam, ut supponitur, consensus extorquetur ex eo quòd si non præberetur consensus ad id quod precibus postulatur, probabiliter timetur damnum aliquod in honore, corpore vel bonis fortunæ: atqui hic consensus non tantum videtur extortus ex precum importunitate, quantùm ex metu damni futuri, verbi gratia, si Princeps consentiat importunitati alicujus Ducis ex eo quod timet ne ad hostes transeat, ex quo grave periculum immineat Regno, ille consensus quamquam videatur extortus ex importunitate precum, oritur tamen ex metu futuri damni, & periculi; ac proinde similis importunitas non solum æquiparatur metui, sed etiam inducit metum, secumque affert tacitas minas, quæ quidem adjunctæ precibus, faciunt metum cadentem in virum constantem ut bene fatetur Sanches lib. 4. de matr. disp. 6. Fagundes de Just. lib. 1. cap 5. n. 25. Roman. in l. *interpositas* n. 3. & 4. C. de transaction. Navar. in sum. cap. 17. n. 16. Mascard. de probat. Concl. 191. n. 4. Ludovicus Lopez 1. p. Instruct. cap. 96. §. addit verò.

622. De malo verò præsenti, in quo nullum futurum timetur, sed tantum illa vexatio, quæ de præsenti molestat, ut de precibus importunis, quibus summi Pontifices, supremique Reges moventur, patet æquiparandum esse metui cadenti in virum constantem. Primo ex extr. *execrabilis* de præbendis in principio, ibi: *Et improbitas importuna petentium à nobis, & à prædecessoribus nostris, non tam obtinuisse, quàm extorsisse plerumque noscuntur*. Ex cap. fin. de rescriptis lib. 6. ibi, *quia per ambitiosam importunitatem petentium*. ubi Gloss. verb. *importunitatem*, *propter quam Princeps sæpe non concedenda concedit*: & ex l. 1. C. de petit. bon. sublat lib. 10. ibi: *Inverecunda petentium inhibitione constringimur*. In quibus nulla alia datur ratio coactionis, & extortionis consensus, nisi importunitas petentium, quæ tantam infert molestiam, ut etiam supremum Ecclesiæ caput non concedenda concedat; quin aliquod malum futurum timeat, sed ut avertat præsentem vexationem, consentit postulatis illorum, qui assiduis & importunis precibus deprecantur. Accedit, quòd si cruciatus corporis inducit metum cadentem in virum constantem, cur cruciatus animæ ab importunitate illatus non inducet metum similem? ut bene ratiocinatur Pont. lib. 4. cap. 5. numero 17

Extr. execrabilis de præbend. Cap. fin. de rescript. l. 1. C. de petit. bon. sublat.

623. Verum hoc cum mica salis accipiendum est; si nimirum vexatio repelli non possit, nec preces impediri valeant sine gravi malo, vel sine aliquo damno: verbi gratia, si Princeps aut superior sine scandalo, vel sine propriæ personæ inhonestamento, aut etiam sine dedecore illarum personarum, quibus malum infert metum gravem: nam si facile, vel sine aliquo damno evitari possent pre-

ces, & vexatio illa repelli, proculdubio non inducerent tale involuntarium, quod æquiparari debeat metui cadenti io virum constantem, juxta dicta supra n. 609.

DIFFICULTAS TERTIA.

Virum gesta per importunas preces valida sint Iure natura?

614. NOn minus necessaria est hæc difficultas ad varios casus Morales decideudos, ac fuit illa agitata de validitate contractuum ex metu supra à n. 519. Quæ ut decidatur, notandum est primo ex Lugo citato n. 146. & 147. malum quod rimetur per importuoitatem precum, sive fututum, sive præsens, de quibus supra à u. 477. vel posse esse grave, vel leve juxta explicationem mali gravis, & levis, quod est objectum metus, de quo supra n. 484. & n. 485. secundo utrumque importunitatis malum, vel esse injustum & injuriosum, vel justum eo modo, quo supra n. 488. explicavimus metum justum, & injustum: nam etiam in vexatione tantum (licet tarò contingat) potest intervenire injustitia, nimitum, si iojuriosè petatur, si cum cootemptu postuletur, si ex negatiooe in verba ignomioiosa, protumpatur, ex quibus damnum bouoris, & dignitatis patiatur superior. Proptet quod si concedatur quod nullateous concedendum erat, equidem injuriose & injuste extorquetur consensus, non dissimilis cousensul extorto ex metu cadente in vitum constantem. Rarò tamen hoc evenit, nam in repetitioue precum, quæ fiunt à mendicis, & ab aliis personia inferiotibus, nulla injoria irrogatur superiori.

625. Ex quo decidenda est prædicta difficultas eo modo, quo decisa est alia de metu cadente in virum constantem, asserendumque omnia gesta ex importunitate precum, sine qua nequaquam fierent, & quæ æquiparatur metui cadenti in virum constantem esse valida, si non sit injusta, nec iujuriosa, sive sit gravis, sive levis; quæ omnia coustant ex dictis de metu gravi, & levi: utrobique enim eadem est ratio, & eodem modo, decidendi suot casus in importunitate precum, quæ æquiparatur metui; ac in ipso metu.

626. Unde infero primo: Matrimotium per similes importunas preces contractum, esse invalidum, ot late probat Baibosa citato voto primo n. 31. Ferretus, Graver. Paschal. Monald. Joan. del Castill. ab eodem citati, Hostiensis, Imola, Rebuff. Peralta, Nald. Pont. quos refert & sequitur Diana p. 3. tract. 5. Miscell. resolut. 20.

627. Secundo, electionem his precibus importunis extortam, esse oullam: de quo Cabreros lib. 2. cap. 5. n. 70. tertio, licentiam extortam importuois precibus à Prælato, esse nullam; noo enim est *licentia, sed violentia*, ut dixit Bernardus de consideratione ad Eugenium, & inde est quod noo excusatur à vitio proprietatis Religiosus, qui taliter licentiam retinendi aliquid à superiore obtinult, ut bene Cabreros lib. 2. cap. 27. n. 35. Plor. de Juram. in litem. §. 8. o. 12. Caballin. Melliloq. 528. Imò ex Doctrina Navarr. & Turrecrem. addit idem Cabreros, si Religiosus dicat se paratum esse relinquere umnia, quæ possider ad nutum superioris, fundendo murmurationes; preces, & querelas, ita ut superior taceat, licentia obtenta non excusat Religiosum à violatione voti paupertatis.

628. Quarto, dooationem per hanc importunitatem concessam esse Invalidam. Ita Bald. & Barbat. in cap. *cum adeo* in fine de rescriptis. Matienlo in l. 15. Gloss. 8. ubi Azevedo tit. 10. lib. 5. Recop. Cabreros lib. 2. cap. 3. n. 34. Similiterque promissio precibus importunis obtenta nulla est, ut erudite probat Basil. Ponr. lib. 4. de Matr. cap. 12. ex quo quidquid donatur, vel promittitur per hanc importunitatem, non debetur à promittente in foro consciennæ, & potest qui coactus est, non solum promissa non rr*d*dere, sed etiam donata aliqua recompensatione sibi recuperare.

619. Quinto, testamentum oimia importunitate, & suasione molesta effectum; nullum est. Ita Basil. Ponr. lib. 4. de Matr. cap. 5. num. 17. Gerard. Main decis. Tholos. 6. num. 14. lib. 5. Castill. lib. 3. contiov. cap. 5. à n. 514. & ex illis Cabreros lib. 2. cap. 20. onmero 75.

630. Sexto, siquis aliquem precibus importunis ruborem causantibus, cogat ad ludum, quidquid lucratus fuerit ab isto ille qui precibus eum coegit ad ludum, restituendum est in foro conscienriæ, ut docent Adrian. Cordub. Joan. de Medin. Farinac. Covas, Sylvester, Sotus, Petr. à Navarra, Rebello; Valer. quos refert & sequitur Cabreros lib. 2. cap. 8. n. 52. quamquam oppositum doceat cum mulris Dian. p. 2. tract. 3. Miscellan. resolutione 27. ex quibus similes casus decidi possunt; unica enim sit regula generalis; *ubicumque preces importunæ æquiparantur metui cadenti in virum constantem, injuriosa sunt & injusta: quidquid ex vi earum gestum est, & sine illis non fieret, invalidum, & nullum est, & in conscientia tenentur ad restitutionem, qui similibus precibus aliquid impetratrunt.*

QUARTA DIFFICULTAS.

Quid sit reverentia, & metus reverentialis?

631. NOtandum est aliud esse reverentiam, aliud metum reverentialem: reverentia namque est honor quidam, & respectus debitus majoribus, & eis personis, sub quarum dominio, vel temporaliter, vel spiritualiter sumus, & hic honor, eum oriatur ex ipsa natura subjectionis, non inducit justum metum per se & absolutè, ut bene notavit Tuscus litt. M. concl. 219. Gregorius XV. decis. 120. num. 2. Covas, Salced. Bernard. Dias, Henriques, Ludovic. Lopes refert, & sequitur Suar. tom. 3. de Religione lib. 6. cap. 4. n. 16. & allegatis pluribus Juristis, sequitur Sanches lib. 4. de Matr. disp. 6. n. 18. & multis relatis ab August. Barbosa in cap. *unusquisque* n. 7. 2. 2. q. 4. decisumque est in Rota Toletanæ professiunis 19. Novembris 1614. coram Ubaldo, & decis. 326. & 374. n. 14. coram Greg. XV. ubi decisum fuit, reverentiam causare justum metum, *junctis tamen adminiculis.*

632. Sunt autem adminicula ista, quæ reverentiam faciunt esse metum reverentialem multa. Primum, *indignatio superioris* ut bene Pont. lib. 4. de Matr. cap. 5. n. 6. Alciat. consil. 1. n. 14. Cabreros lib. 1. cap. 8. n. 92. & cap. 5. libri secundi n. 63. decisumque est in Rota Valentinæ professionis 27. April. 1570. coram Lamel Soto.

633. Secundum est, *terribilis vultus superioris.* Ita Cabreros lib. cap. 13. n. 65. Barbosa in votis decisivis lib. 1. voto 1. ex Baldo in cap. 1. §. *injuria*

C. de pace Juram. firm. Angel. in l. *qui in aliena* §. 1. ff. de acq. hæred. Cald. Pereira decis. 30. n. 7. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 4. n. 17. ex Abb.

634. Tertium sunt *preces importunæ superioris*. Ita habet Gloss. in l. 1. C. si Rector Provinc. Gloss. in Clem. 1. verbo optimum de restit. in integr. Caldas Pereira in l. si Curatorem habens C. de in integr. restit. verbo læsis. n. 40. Barbosa dicto voto I. n. 38. ex Farinat. fragm. crimin. p. 2. verbo metus n. 9. q. Sanches lib. 4. disp. 7. præcipue n. 7. Basil. Pont. apud Dian. p. 3. tract. 5. resolut. 20. & communiter Doctores, decisumque fuit in Rota decis. 326. num. 13. & 14. coram Greg. XV. & decis. 105. num. 3. p. 1. Recentiorum.

635. Quartum si *reverentiæ conjungantur persuasiones*, ut optime probat Cabreros lib. cap. 13. num. 64. ex Mant. de conject. lib. 2. tit. 7. n. 4. Castill. lib. 3. controv. cap. 5. n. 18. Barbosa dicto voto 1. numero 32. ex Ziletto, Martin. de Gamatis, Ferreto, Crav. Philip. Paschal, Monald.

636. Quintum, *si minæ conjungantur reverentiæ patris*, & in hoc cohærent omnes, de quibus videatur Covas de sponsal. p. 2. cap. 3. §. 6. n. 7. & 8. Marienlo, in dialogo relat. p. 3. cap. 10. n. 4. Padilla in l. interpositas n. 17. C. de transact. Henriques lib. 11. cap. 9. §. 5. Sanches lib. 4. de Matr. disp. 6. n. 18. Sayro in clavi lib. 6. cap. 4. n. 18. Suar. de Religione tom. 3. lib. 6. cap. 4. n. 17. August. Barbosa in cap. fin. n. 5. qui Cler. vel vovent. Nullus enim Doctor est, qui reverentiam cum minis metum esse reverentialem inficietur: unde ego existimo, metum reverentialem esse illum, qui conjungitur minis, nam indignatio, vultus terribilis, importunitas suasioque, minæ tacitæ sunt, quæ inducunt metum personis inferioribus.

637. Quare non bene Mongollon. tract. de his quæ vi cap. 3. n. 3. quem approbat Diana citata resolut. 20. §. *sed aliquid*, asserit quamquam præsentia illius, cui reverentia debetur, non sufficiat ad metum reverentialem, sufficere tamen reverentiam nimiam, hoc enim falsum est, siquidem non datur in superiori, & in patre reverentia, quæ non sit nimia, ut ex Nevizan. Socin. Men. Curs. Surdo, docet Cabreros lib. 1. cap. 8. n. 107. & ex Archidiacono, à Cunha, Dominico à S. Gemin. lib. 2. cap. 13. n. 60. Et merito siquidem reverentia cum detur ratione dignitatis, vel potestatis, semper vel inducit metum, vel non; cum autem non inducat metum præcise, ut apparet in nimia reverentia, quæ debetur Principibus, qui si faciles sint, non incutiunt metum præcipiendo, aut petendo, dicendum est ad metum reverentialem necessarium esse unum ex prædictis adminiculis.

QUINTA DIFFICULTAS.

A quibus personis metus reverentialis proveniat?

638. HAnc quæstionem late prætractat Sanches lib. 4. disp. 6. à n. 14. in qua constat superiores respectu suorum subditorum, virum respectu uxoris, patrem respectu filiorum; fratrem majorem natu respectu aliorum fratrum; tutorem, & curatorem respectu pupillorum: denique omnes personas, quæ imperium, & dominium exercent in alias, esse à quibus incutitur metus reverentialis. Solùm duplex est dubium, primum circa matrem, secundum circa magistrum, pædagogum, aut confessorem, an sint personæ, quæ inducant metum reverentialem.

639. Pro primo quæro, utrum mater etiam incutiat metum reverentialem? Quæstionem proposuit Cabreros lib. 1. cap. 8. n. 114. cui respondet n. 117. affirmative, & merito. Primo, quia æqualis matri, & patri debetur reverentia ex l. *furiosæ* 4. ff. de Curat. furiosi: imo aperte constat ex jure naturali contento in præcepto Decalogi, *honora patrem tuum, & matrem tuam*. Secundo, quia filius opponi non potest voluntati matris, itaut eam non adimpleat; ergo ex obligatione, & non ex libero arbitrio eam voluntatem adimplebit; & ex metu, non ex omnino libero animo matris voluntatem exequetur, optime enim dixit Seneca Epistola 97. *Paret potius, quam assentitur, qui alieno subest imperio, nec tam ille ex animo, quam quia necesse est, sequitur. Non sunt*, prosequitur Quintilian. declam. 281. *enim preces, ubi negandi libertas non est*. Et ideo hanc sententiam sequuntur Aretin. consil. 24. n. 6. Castill. lib. 3. controv. cap. n. n. 156. & n. 179.

l. furiosæ 4. ff. de Curat. furiosi.

Seneca.

Quintil.

640. Oppositum docuerunt Hippolit. consil. 124. n. 33. Burg. de patre n. primo, quia fœminæ imperium non exercent ex §. *fœminæ* Inst. de adopt. & late Petr. Greg. lib. 7. cap. 11. Adam Contzen. lib. 1. polit. cap. 16. atqui reverentia, & metus reverentialis fundatur in subjectione; ergo cum filius non subjiciatur matri, nec mater in illum imperium habeat, mater non incutiet filiis metum reverentialem. Respondetur negando minorem; non enim metus reverentialis incutitur tantum ratione imperii, & potestatis, sed etiam ratione obedientiæ, ut bene docent Navar. consil. 36. de his quæ vi, loquens de Curatore; & loquentes de tutore Henriques lib. 11. cap. 9. num. 5. Sanches de Matr. lib. 4. & loquens de similibus personis Castill. lib. 3. cap. 2. à num. 1.

641. Secundo, matribus, mortuo marito ex legibus Romanis dabatur curator, ut ex multis probat Cabreros lib. 1. cap. 8. n. 131. ergo non videtur dicendum esse sufficientes ad incutiendum metum reverentialem. Admittit citatus Cabreros n. 133. consequentiam de fœminis imbecillibus, non verò de aliquibus ita crudelibus, & terribilibus, ut se faciant timeri. Verum falso admittitur, nam quæstio non procedit de personis absolutè, quæ possunt incutere metum, sed de personis, quibus debetur reverentia; ad quod non interest, sintne imbecilles, an crudeles, aliter idem dicendum foret de patribus, quidam enim adeo imbelles, & effœminati sunt, ut mulieribus non possint comparari in fortitudine, & tamen negari non potest ab eis incuti metum reverentialem.

642. Pro secundo dubio quæro, utrum magistri; & pædagogi numerentur inter personas, quibus debetur metus reverentialis? Respondetur affirmativè, ut bene docet Barbosa citato voto primo n. 41. ex Horat. Luti de privil. scholar. in procemio n. 22. habetur tom. 18. tractatuum Doctorum, ex Joan. de Torres in Philosophia morali principum lib. 4. cap. 8. & probatur, quia pædagogi, & magistri, veniunt nomine parentum, ut constat ex divinis litteris, ubi Elias dicitur pater Elisei, & idem Eliseus pater Joab Regis Israëlis, & discipuli Prophetarum dicebantur eorum filii, & tanta æquiparantia, ut Philosopho visum fuerit, non posse filios reddere æquale parentibus,

ac Magistris, & ex hoc debito, ac obedientia debita Magistris oritur reverentia, & metus reverentialis erga illos.

643. Imò addit Barbosa citatus majorem metum reverentialem incuti à Magistris, & pædagogis, quam ab ipsis parentibus, quia ut plurimum parentes remittunt ad pædagogos supplicia filiorum, unde amor crescit in parentibus, & timor in Magistris, ac pædagogis. Præsertimque de Jure concessa est Jurisdictio puniendi discipulos ipsis pædagogis in l. 1. ff. ad legem Aquil. & in l. *item quæritur*, §. *item* Julian. ff. locati in l. *aut facta* §. *causa* ff. de pœnis, & ex cap. 1. in fine 2. q. 5.

L. 1. ff. ad l. Aquil. L. item quæritur. ff. locati l. aut facta ff de pœnis. cap. 1. 2. q. 5.

SEXTA DIFFICULTAS.

Utrum metus reverentialis causet involuntarium?

644. DIco primo: reverentia præcisè non causat involuntarium. Probatur, quia natura ex propria & naturali inclinatione, inclinatur ad obediendum majoribus, suaveque inferioribus est sæpissime majorum obedire præceptis, præceptum enim & mandatum superioris, tantum abest quod opponatur voluntati inferioris, ut ejus animum magis adaugeat ad obedientiam illius: est enim præsentia & reverentia superioris; stimulus obedientiæ: quòd si, mandata principum, & superiorum causarent involuntarium, etiam mandata Dei idem involuntarium causarent, quod tamen erroneum est, cum homines teneantur Dei præceptis voluntariè omnino obedire.

645. Unde non est audiendus Cabreros lib. 5. cap. 8. n. 39. asserens mandata Regis haberi pro vi, nec etiam Barbosa in cap. *periculoso* §. *porro* n. 39. de statu regul. asserens, mandatum summi Pontificis haberi pro vi, quod probant ex variis textibus Juris Canonici, non inquam uterque est audiendus, quia ex ista doctrina sequitur manifestè, Reges, & summos Pontifices inferre violentiam, & involuntarium suis subditis, quotiescumque aliquid jubent, hoc autem dici non potest, minus practicari.

646. Dices: In omni præcepto, mandato, aut petitione superioris vis latet, unde Ausonius rogatus à Theodosio ut carmina sua ederet, ita fatur:

Scribere me Augustus jubet, & mea carmina poscit,
Pene rogans, blando vis latet imperio.

Extatque celebre proverbium satis tritum

Est orare Ducum, species violenta jubendi.

Cogitque rogando, qui rogat potentior; cum ergo vis, & quædam species violentiæ, insit in mandatis & precibus superioris, clarum est quod causet involuntarium. Respondetur quamquam in mandatis, & precibus superioris tyranni & crudelis lateat illa vis & violentia causans involuntarium, non tamen in mandatis & precibus clementis & pii: verum est, quod etiam in his possit latere aliqua vis, & violentia, non causans involuntarium, sed augens voluntarium; non molestiam ingerens, sed dulcedinem; non terrorem, sed amorem, quo allecta voluntas, majori vi, & propensione exequitur sui Principis mandata. Quod si precibus, & mandatis Princeps addantur promissa, non est unde causetur involuntarium: imò lubentius inferiores in opus à Principe præceptum prorumpunt.

647. Dico secundò: Metus reverentialis causat involuntarium. Probatur ex illis adminiculis, quæ addita reverentiæ, metum faciunt reverentialem: in omnibus enim insunt tacitæ, vel expressæ minæ, quæ molestiam causant, & tristitiam. Nam indignatio, vultusque terribilis, importunitas superioris, non sunt incitamenta ad exequendum opus, sed violentia extorquens consensum, qui taliter extortus, sine displicentia & involuntario fieri non potest.

648. Dico tertio: Si ex metu reverentiali consentiat quispiam, non timens aliquod damnum futurum, sed sperans aliquod bonum à superiore, non causatur involuntarium; tunc enim non metus, sed concupiscentia est causa consensus, & eodem modo explicatur hic consensus, atque explicatus est supra à n. 608. consensus similis ex importunitate precum causatus: non enim illa adminicula facientia metum reverentialem, in suis terminis conducunt ad consensum, sed tantum spes lucri, nisi sine aliquo ex illis adminiculis, non daretur consensus, quia in eo casu consensus ille magis provenit à metu, quam ab spe. Unde quotiescumque consensus non datetur, nisi interveniente metu reverentiali, censetur ille consensus habere aliquid involuntarii.

649. Dico quarto: Vexatiò illa præsens extorta ex metu reverentiali, sufficiens est ad causandum involuntarium. Nam si sufficit importunitas precum, quæ fiunt ab inferioribus, ut propter vexationem præsentem causet involuntarium in superiore, plus sufficiet metus reverentialis, ut propter præsentem vexationem involuntarium causet in inferioribus: regulariter enim illa vexatio plena est angustiis, & timoribus, hinc enim apprehensio incurrendi indignationem superioris, illinc aspectus terribilis, & tacitæ minæ in importunitate latentes, multum perturbant animum inferioris, ex qua oritur consensus, qui necessario cum involuntario admisceri debet.

SEPTIMA DIFFICULTAS.

Utrum metus reverentialis æquiparetur metui cadenti in virum constantem?

650. NOtandum est primo metum reverentialem incutere saltem metum levem, de quo nullum dubium est apud Doctores, ut testatur Lugo de Just. disp. 22. sect. 7. n. 150. Et ideo quidquid dicitur de metu levi, etiam de reverentiali dicendum est.

Secundo non esse quæstionem de reverentia præcisè, hæc enim, ut diximus, non causat involuntarium, nec metum, nisi tantum sit quidam metus, & verecundia, quæ naturaliter inest filiis coram patre: inestque hominibus coram illis personis, quibus reverentia debetur, & quamquam hæc reverentia faciat multoties ut præbeatur consensus, qui sine illa non præberetur, tamen hic consensus non præbetur cum displicentia voluntatis, sed libenter, ut morem gerant illis quos reverentur, & amant, sæpe amore tantum, sæpe etiam spe allecti.

651. Notandum est tertio apud omnes certum esse, metum reverentialem conjunctum minis, omnino æquiparari metui cadenti in virum constantem. Quod constat ex cap. *ex litteris*. de desponf. Impuber. ibi: *nolente, & invita minis parentum impulsa*, in quo loco declaratur fuisse invalidum, quod ex minis parentum factum fuit: idemque habetur in quadam Epistola decretali Johannis Papæ VIII. quæ est 226. & habetur tom. 3. Concilior. fol. 985. Ratio clara est, quia si minæ solum sufficiunt ad incutiendum metum cadentem

cap. ex litt. de desponf. impub.

in virum constantem, de quo supra à n. 489. à fortiori metus reverentialis cum ipsis minis, de quo Sanches tom. 1. decalogi lib. 4. cap. 3. n. 26. & lib. 4. de Matr. disp. 6. n. 7.

652. Quarto, etiam certum esse apud Doctores, metum reverentialem adjunctum precibus importunis, & persuasionibus æquiparari metui cadenti in virum constantem, ut tradunt Molin. Donel. Fachineus, & triginta Doctores, quos adducit & sequitur Barbosa apud Dianam p. 3. tract. 5. resolut. 20. Boërius, Cephal. Castill. Marcus Maurus, Franc. Ant. Costa, Petr. Barbosa, Mendez à Castro apud Cabreros lib. 1. cap. 8. n. 76. decisumque est in Rota decis. 326. n. 3. coram Greg. XV. ubi *concurrunt importunæ preces, & continuæ persuasiones, quibus nomine patris sollicitabatur, tam à Noverca, quam à quodam sacerdote, quæ sufficiunt sine minis, & verberibus.* Videatur Sanches citata disp. 6. ubi n. 5. plures refert, Suar. t. 2. tract. 2. disp. 3. sect. 4.

653. Superest ergo tantum difficultas, utrùm solus metus reverentialis sine verberibus, minis, aut precibus sufficiat ad incutiendum metum cadentem in virum constantem, in qua duplex est sententia extrema. Prima negativa, quam docuerunt Jas. Soccin. senior, Nevizanus, Montalv. Octavian. Salced. Bernard. Dias, Mascard. quos relatos sequitur Sanches citato lib. 4. de Matr. disp. 6. Molin de primog. lib. 2. cap. 3. n. 9. Donel. lib. 15. comment. cap. 39. Fachine. lib. 2. cont. Jur. cap. 96. Barbosa in Collect. tom. 3. lib. 2. in 6. decret. tit. 18. cap. 2. n. 18. ubi triginta Doctores adducit pro hac sententia, Covas de sponsal. p. 2. cap. 3. §. 6. n. 7. & 8. Sayro in clavi lib. 6. cap. 4. n. 18. Oter. 2. p. diversar. q. 22. Padill. in l. *interpositas* n. 17. C. de transact. Azor p. 2. lib. 12. cap. 5. q. 9. Bene Bartholom. de Vecck. in praxi disp. 23. dubitat. 1. 2. Marienlo in Dialogo relat. p. 3. cap. 10. n. 4. Bernard. Dias regula 353. ampliat. 1. Henriques lib. 11. cap. 9. §. 5. Cabreros lib. 1. cap. 8. n. 73. lib. 2. cap. 10. à n. 43. estque hæc opinio magis communis inter Doctores, qui præter metum reverentialem, requirunt saltem preces opportunas, ad hoc ut metus reverentialis æquiparetur metui cadenti in virum constantem, & causa cur invalidentur gesta per talem metum facta.

654. Affirmativa sententia docet sufficere metum reverentialem absque precibus importunis, minis, verberibus, & similibus, ad hoc ut metus reverentialis æquiparetur metui cadenti in virum constantem. Ita Fulu. Pacian, consil. 54. Honded. consil. 29. n. 17. volum. 1. Hippolit. singul. 347. Menchac. illustr. lib. 1. cap. 35. n. 17. juncto n. 19. Campeg. de dot. p. 3. q. 88. Navar. consil. 26. n. 4. de sponsal. Jacob. de Graff. in aur. decis. 1. p. lib. 2. cap. 55. n. 17. Bursat. consil. 72. n. 11. volum. 1. Lessius opusculo de statu vitæ deligend. q. 8. n. 90. Ricci, collect. 932. in fine, Layman. tom. 2. tract. 4. cap. 5. n. 6. Grass. except. 11. n. 23. Mogol. cap. 24. §. 2. à n. 2. Peregr. lib. 6. variat. n. 75. quot omnes refert, & sequitur Cabreros lib. 2. cap. 16. n. 43. Pont. lib. 4. cap. 5. n. 6. & cap. 11. n. 15. & 16. Dian. p. 3. tract. 1. resolut. 92. & tract. 5. resolut. 20. Asserunt enim sufficere solum metum reverentialem, nimirum indignationem, non quidem talis conditionis, quæ statim transeat, & affectata sit, sed diuturna.

655. Ego huic secundæ sententiæ assentior, simulque assero metum reverentialem, qui æquiparatur metui cadenti in virum constantem, semper requirere adjunctas minas, non quidem formales & expressas, sed virtuales, & eminenter, idest, quod filius, vel inferior saltem ex vultu parentis, aut superioris, vel ex aliquo capite sibi persuadeat, quòd si non consentiat sibi imminere aliquod grave nocumentum: ac proinde cum metus reverentialis sit ille, qui adjungitur ad minas indignationi superioris, aut terribili illius vultui, semper secum defert tacitas minas; & ita Suar. tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 4. n. 17. docet metum reverentialem hoc modo explicatum sine minis, precibus, aut verberibus, æquiparari metui cadenti in virum constantem: quæ etiam est mens Abb. ab eodem Suar. citati, dicentis metum reverentialem æquiparatum metui cadenti in virum constantem, dari, *quando præcesserunt minæ, vel verbera, vel pater erat terribilis:* & proculdubio in hoc sensu, vera est sententia affirmativa ut satis se explicavit Pontius, requirens indignationem superioris diuturnam.

656. Probatur primo ex l. 1. §. *quæ oneranda* ff. quar. rer. act. non det. ibi, *si liquido appareat libertum metu solo, vel nimia patroni reverentia, ita se subjecisse, ut vel pœnali quadam stipulatione se subjiceret:* ex quo text. aperte colligitur, metum, & reverentiam æquiparari, non tamen quæ libet reverentia, sed nimia, non quidem ut explicabat supra numero 637. Mogoll. citatus, respectu majoris dignitatis, sed respectu majoris timoris illati à vultu, vel indignatione personæ. Probatur etiam ex l. *velle* ff. de regul. Jur. *Velle non creditur, qui obsequitur alterius imperio, cùm non intervenit mandatum, sed sola præsentia.* Cum igitur in utroque textu ad metum cadentem in virum constantem, non requirantur formales minæ, aut preces importunæ, sed tantum vel nimia reverentia, vel imperium, aut præsentia sola superioris, dicendum est non amplius requiri, dummodo tamen, tam reverentia, quam præsentia, & imperium in se contineant tacitas minas.

l. 1. ff. quar. rer. act. non det.

l. velle ff. de regul. Iur.

657. Facit etiam pro hac sententia tex. in cap. *puellæ* 20. q. 1. ubi deciditur, professionem factam à Virgine coacta parentum imperio, esse nullam; ubi, ad invaliditatem professionis non requiritur nisi imperium parentum, non quidem nude sumptum (sic enim vix involuntarium causat) sed imperium cum aliqua coactione, quæ non requiritur expressa, sed sufficit tacita, nimirum indignatio patris, vultus terribilis, & aliquid simile. Tandem idem colligitur ex cap. *præsens* 20. q. 5. & sic declaratum fuit à Congreg. Eminentissimorum Cardinalium præposi a dubiis Concilii Trident. in sess. 25. de Regularib. cap. 11. §. 2. quæ ita habet: *Obtenta est causa cujusdam Dominæ ad annullandam professionem ex metu reverentiali factam anno 1586. mense Februarii in Rota coram Domino Oradino.*

cap. puellæ 20. q. 1.

cap. præsens 20. q. 5.

658. Secundo probatur ratione, quia maxima, & urgentissima causa metus & quæ hominem constantissimum perturbare potest, est incurrere indignationem, vel parentis, vel superioris; à prudentissimis enim hoc malum gravissimum judicatur: atqui metus reverentialis præcise sumptus, defert secum ad minus indignationis timorem; ergo erit metus cadens in virum constantem. Nec video quid in contrarium afferri possit contra hanc sententiam, omnia enim, quæ afferuntur, probant minas,

minas, vel preces importunas satis esse conjunctas metui reverentiali ad metum cadentem in virum constantem: non tamen probant non sufficere solum metum reverentialem, in quibus insint tacitæ minæ, remotis minis expressis, & precibus importunis.

OCTAVA DIFFICULTAS.

Vtrum gesta ex metu reverentiali sint invalida jure naturæ?

659. QUæstio procedit de metu reverentiali, qui æquiparatur metui cadenti in virum constantem. In qua idem dicendum est, quod supra dictum fuit de metu cadente in virum constãtem: & de precibus importunis; & præ oculis habenda est distinctio metus justi, & injusti; nam ut metus sit injuste illatus, requiritur quod timeatur malum non juste inferendum. Unde si subditus vel filius aliunde puniri juste possit à superiore propter suam culpam, & ex metu hujus supplicij facile consentiat, ut superiorem reddat placatum, non est metus irreverentialis injuste illatus; & ita consideranda est natura mali quod timetur, an juste vel injustè inferendum sit, nam justè illatus metus non annullat gesta per eum facta, annullat tamen injustè illatus, ut bene notat Lugo numero 151. dummodo metus iste injustus, sit causa sine qua non fieret contractus; non verò tantum occasio, quæ inducat ad aliquem contractum, quem filius, & inferior post inductionem factam ex metu spontaneè contrahit: ex qua doctrina facile videre est, quinam contractus ex metu reverentiali orti sint invalidi jure naturæ; sunt enim omnes celebrati ex metu injusto juxta ea quæ diximus de metu cadente in virum constantem, & de precibus importunis.

660. Unde infero primo, electionem metu reverentiali injusto factam, esse nullam: ita Pont. lib. 4. cap. 11. Rodrigues tom. 2. qq. Regular. q. 51. art. 1. Dian. p. 3. tract. 5. §. *ex his*, resolut. 20. Navarr. consil. 5. de elect. & in manuali cap. 17. numero 29. ac 30. & cap. 21. numero 51. Cabreros lib. 2. cap. 5. numero 64.

661. Secundo, fidejussionem ab uxore factam pro marito, nullam esse, ut docet Basilius citatus, & Dian. Imò omnes obligationes, & contractus, promissiones, & donationes factæ à mulieribus sub virorum potestate constitutis ex metu reverentiali, sunt omnino nullæ, ut bene Castill. lib. 5. cap. 1. numero 159. Gaspar Antonius, Cevall. Petr. Fontan. Ramon, & alij, quos refert, & sequitur Cabreros lib. 2. cap. 11. quod à nemine negari debet, si nimia læsio intercesserit.

662. Tertio, donationem factam per filiam patri ex metu, esse invalidam, ut bene Tiraquel. in legib. connub. Gloss. 5. numero 36. Farinac. in pragm. crimin. 2. p. litt. m. numero 154. Dian. citat. & Pont. apud eumdem Cabreros lib. 2. cap. 3. numero 32. Idem dicendum est de promissione filiorum erga parentes, aut subditorum erga dominos: ita Bonacin. tom. 3. q. 11. punct. 8. Turrian. 2.2. disp. 75. dubitat. 3. & alij, quos refert & sequitur Cabreros lib. 2. cap. 11. numero 53. ex quo provenit quod si filius renunciet propter metum reverentialem hæreditati, seu successioni, renuntiationem esse nullam. Cabreros cap. 13. lib. 2. n. 63. Mant. de Conjectur. ult. volum. lib. 2. tit. 7. numero 4. Castill. lib. 3. cap. 1. numero 108. Iacob. Canc. lib. 3. resol. cap. 1. numero 90. & idem etiam de renunciationibus, & donationibus, ac alijs contractibus celebratis per fratres natu minores erga natu majorem. Asserunt Aretin. consil. 24. Guid. Panzirol. cons. 1. numero 77. Eugenius Consil. 12. n. 59. quamquam enim loquantur de sororibus, quoad hoc non est major ratio de illis, quàm de fratribus natu minoribus.

663. Quarto professionem ob metum reverentialem factam, esse nullam, ut cum pluribus docet Cabreros lib. 2. cap. 10. numero 43. Pont. lib. 4. cap. 11. à numero 15. Layman. tom. 2. tract. 4. cap. 5. numero 6. Dian. p. 3. tract. 2. resolut. 92. Sicque fuisse decisum docet Farinac. apud Hieronim. Rodriguez in Compendio qq. regul. resolut. 101. n. 78. quæ declaratio allata est supra numero 657.

664. Quinto, Matrimonium metu reverentiali celebratum, esse invalidum: de quo Barbosa voto 1. n. 39. Cabreros lib. 2. cap. 19. numero 74. Dian. p. 3. tract. 5. resol. 20. & multi allegati à Cabreros lib. 2. cap. 10. n. 430. Sexto, Juramentum metu reverentiali extortum nullum est. Ita Bald. in l. *etiam* numero 3. C. ad S. C. Velei. Hippol. sing. 347. Menchac. lib. 1. Illustr. cap. 35. n. 18. Mogoll. cap. 4. §. 2. n. 11. Denique quicumque contractus cujuscumque conditionis illi sint, sive lucrativi, sive promissorij, in quibus metum patiens, damnum aliquod reportat, invalidi omnino sunt jure naturæ, & circa hos contractus asserendum est idem, quod assertum est supra subsect. 5. diff. 2. à n. 512. circa obligationem ad restituendum in metum inferente.

SECTIO OCTAVA.

De Involuntario ex concupiscentia.

665. ADjungimus metui concupiscentiam: est enim metus actus appetitus sentientis, & corporei, pertinens ad aliam partem irascibilem, quæ concupiscibili parti appetitus sensitivi data est, velut adjutorium: & non quæritur de concupiscentia, ut potentia est, sed ut actus est, & passio concupiscentiæ, cujus potentiæ, sive appetitus concupiscibilis actus numeravimus supra n. 472.

666. Notandum deinde est concupiscentiam duobus modis sumi posse: Primo antecedenter: secundo consequenter. Concupiscentia antecedens, & rationem & voluntatem antecedit, voluntatemque inclinat & trahit ad suum actum: Consequens consequitur actum voluntatis, eoque est posterior tamquam ejus effectus: quando enim voluntas afficitur tristitia, vel lætitia erga aliquod objectum, excitat aliquem actum, sive passionem in appetitu sensitivo propter connexionem. & consensum utriusque: non enim voluntas potest vehementer tendere in objectum, quin excitet appetitum, juxta illud: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

SUBSECTIO PRIMA.

Utrum concupiscentia causet involuntarium?

667. SUppono quæstionem excitari posse, vel de concupiscentia erga primarium ob-

M

jectum, vel de cócupiſcentia erga media, quæ requiruntur ad conſequutionem objecti concupiti. Dico primo: Concupiſcentia antecedens non cauſat involuntarium. Probatur, quia omnibus modis voluntas tendit in illud objectum voluntarie, deinde in hoc æquiparatur concupiſcentia metui, tam enim voluntaria eſt fuga mali, metui; quam proſequtio boni, concupiſcentiæ.

668. Dico ſecundo: Concupiſcentia circa media multoties cauſat involuntarium. Ita Caet. in Sum. verbo *reſtitutio* §. *quia verò*, Lorc. 1. 2. q. 6. art. 7. in, Cumment. ibi: Curiel. Martinez dub. 1. §. dico primo. Salas tom. 1. tract. 3. ſect. 3. à n. 54. qui abſolute docent à concupiſcentia cauſari involuntarium: & hæc videtur fuiſſe ſententia Platonis, & diſcipulorum ejus, quatenus docebant honeſta & bona, ſponte; mala autem & turpia invitè fieri: & ad hanc ſententiam accedere videtur Suar. tract. 2. in 1. 2. ſect. 4. numero 5. affirmans multoties concupiſcentiam cauſare involuntarium. Probatur, quia metus cauſat involuntarium ſecundùm quid; ergo & concupiſcentia.

D. Thom.

669. D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 7. ad 1. quem communiter ſequuntur Doctores, negat conſequentiam, quia metus eſt de malo, concupiſcentia de bono. Sed contra: quia vel conſiderantur hi affectus per ordinem ad immediata objecta, vel per ordinem ad effectus, qui ex illis proveniunt: ſi primum, non minus voluntarie metus, quam concupiſcentia operatur: æqualis enim in ratione voluntarii eſt voluntati fuga mali, ac proſequutio boni: ſicut enim bonum eſt conveniens voluntati, ita & malum eidem voluntati diſconveniens eſt, & per conſequens æqualiter voluntaria eſt proſequutio boni, ac fuga mali. Si ſecundum, ut ex metu aſſumitur medium diſconveniens ſecundum ſe, cui ſecundùm ſe voluntas reſiſtit, etiam ex concupiſcentia aſſumitur medium, cui voluntas reſiſtit, ut patet mille exemplis, avarus enim pecunias donat ut delectetur, cui donationi ſecundum ſe voluntas avari reſiſtit; non ſine diſplicentia tota nocte armatus incedit amans: ex concupiſcentia honoris, quoties ambitioſus ſuſcipit pericula, vel occidens amicos, vel patriam tradens, vel ſimilia operans, quibus appetitus repugnat ſaltem inefficaciter: Ac proinde ſi ideo metus cauſat involuntarium ſecundùm quid, quia ex amore movet voluntatem ad imperium earum actionum, quæ ſecundum ſe conſideratæ diſplicent, cum concupiſcentia ſæpe voluntatem trahit ad ſimiles actiones ſecundum ſe moleſtas, pari ratione cauſabit involuntarium.

670. Reſpondet idem Angelicus D. ad *ſecundum*; diverſam rationem eſſe in metu, & concupiſcentia, quia cum concupiſcentia verſetur circa objectum delectabile, omnia media quæ aſſumit, quamvis per ſe moleſta, jucunda efficit, quod patet in exemplo amantis qui tota nocte & intempeſta armatus incedens, noctis vigilias, & inſuaves illius moleſtias habet pro delitiis ex eò quòd ſperat explere concupiſcentiam ſuam; at verò metus non tollit diſplicentiam actionis, ad quam inducit, etiam quando actio fit. Hanc reſponſionem mirificè extollit Vaſq. diſp. 28. cap. 4. numero 18. contendens ſemper concupiſcentiam objecti delectabilis efficere ut abſque ulla triſtitia, & anxietate tolerentur ea, quæ alioquin non parùm moleſta forent, cum tamen, ſi eadem pateretur homo ex metu, eamdem moleſtiam haberet: ſi enim homo hæc pateretur ad evitandam mortem imminentem, maximo afficetur angore: & probant hanc diverſitatem inter metum, & concupiſcentiam, quia fuga mali, cum non ſit in ſe bona, non poteſt conferre mediis jucunditatem, concupiſcentiæ verò objectum eſt delectabile, proptereaque refundens ſuam jucunditatem in media quæ aſſumit, eorum adimit moleſtiam.

671. Sed contra: quia licet multoties concupiſcentia auferat à voluntate diſplicentiam operationis, ad quam eadem concupiſcentia inclinat, tamen non ſemper contingit, præcipue quando ante aſſequutionem boni delectabilis concupiſcentia occupatur circa media in ſe difficilia; quamquam enim ſpes fruendi objecto concupito, minuat diſplicentiam mediorum, non tamen omnino adimit eorum moleſtiam, ut experientia compertum eſt: quo etiam modo tanta poteſt eſſe paſſio metus, ut auferat moleſtiam medij quod aſſumitur, non enim poteſt dubitari, ſi avarus ad mortem damnatus videat pecuniis redimi vitam ſuam, quod fieri nulla ratione ſperabat, quod pecunias ſuæ vitæ redemptrices ſine aliqua moleſtia daturus ſit; ergo ſaltem in hoc eventu non aſſignabitur differentia inter metum & concupiſcentiam: ſalſoque aſſerit Vaſques fugam mali non eſſe bonam, nam ſi proſequutio boni bona eſt, etiam fuga mali oppoſiti bona erit.

672. Quare Medin. in eodem art. 7. explicando diligentius, (ut ipſe ait) ſolutionem S. Doctoris, aſſerit verum eſſe interdum fieri cum triſtitia id quod cócupiſcentia operatur: tamen hujuſmodi triſtitiam non oriri ex concupiſcentia, ſed ex ſyndereſi, ideſt, verme conſcientiæ, quâ perpenditur peccati pœna ac turpitudo, & propterea, quamvis operatio concupita cum moleſtia aliquando fiat, non tamen céſetur involuntaria, eò quòd triſtitia & moleſtia non procedit ex cócupiſcentia, ſed aliunde: at verò metus ex ſe triſtitiam cauſat, & moleſtiam.

673. Sed contra primo: quia ut aliquid ſit cauſa involuntarij, non requiritur, quod efficiat diſplicentiam cum qua voluntas operatur, ſed potius quòd illa non obſtante, undecumque proveniat, opus fiat. Patet in violentia, quæ involuntarium cauſat, non quia diſplicentia cauſat, ſed potius, quia illa non obſtante, voluntas operatur, ut quando invita voluntate brachium movetur: ſimiliter metus non eſt cauſa triſtitiæ, qua merces proijciuntur, & tamen efficit involuntarium ſecundum quid. Secundo, quia ſi media quæ ex metu eliguntur, inſuavia non ſint, metus non cauſabit involuntarium; ergo metus ex ſe non cauſat involuntarium, ſed ratione operis moleſti, ex dictis ſupra numero 671. Tertio, quia ſicut ex metu majoris mali eligitur minus malum; ita ex concupiſcentia majoris boni, deſerimus minus bonum, quod erit involuntarium.

674. Reſpondet adhuc diverſam dari rationem, quia involuntarium fit ab extrinſeco, concupiſcentia autem ſemper movet ab intrinſeco alliciens ab interna perſuaſione. Sed contra primo; quia ad involuntarium non requiritur, quod ſit à ſuppoſito diſtincto & extrinſeco, ſed ſufficit quod ſit à ſubjecto realiter diſtincto, ex dictis ſupra numero 329. cum ergo concupiſcentia realiter à voluntate diſtinguatur, non obſtabit eſſe ab intrinſeco, quominus cauſet involuntarium. Secundo quia æquiparando metum concupiſcentiæ, ſicut metus eſt paſſio appetitus orta ex apprehenſione objecti mali, ita concupiſcentia eſt paſſio appetitus orta ex apprehenſione objecti delecta-

bilis: ficut metus allicit voluntatem, ut fugiat objectum, ita concupiscentia allicit voluntatem, ut objectum amet: ficut ex metu eligitur medium, vel secundum se eligibile, vel tantum eligibile in talibus circumstantiis, & quando eligitur medium eligibile tantum in talibus circumstantiis, causat involuntarium; ita ex concupiscentia eligitur opus, vel secundùm se eligibile, & suave, vel eligibile & suave tantùm in talibus circumstantiis; ergo quando eligit opus eligibile tantùm in talibus circunstantiis, causabit involuntarium, nullaque dabitur differentia inter metum, & concupiscentiam.

675. Confirmatur argumentum, quia interdum unum bonum alteri bono repugnat; ergo si homo affectus sit ad utrumque bonum, ad unum simpliciter, & ad alterum secundum quid, eligens unum, quod alteri repugnat, involuntarium dabitur: verbi gratia, si quis ex concupiscentia honoris filium occidat; & per consequens illud bonum, quod deserit, deserit involuntariè. Nec satisfacit responsio Suarij disp. 3. Sect. 4. n. 4. ex differentia objectorum metus, & concupiscentiæ, soluta enim manet ex argumento facto n. 669. Nec responsio quam affert n. 5. quatenus admittit multoties admisceri involuntarium cum concupiscentia, sed hoc esse per accidens, & extrinsecè, nullumque habens fundamentum in ipsa concupiscentia, quæ ex se voluntaria est: non, inquam, satisfacit, quia etiam fuga mali ex metu ex se voluntaria est, aliundeque habet causare involuntarium. Fateor tamen à metu majus & sæpius causari involuntarium, quàm à concupiscentia, hoc tamen non procedit ex natura metus, aut concupiscentiæ, sed ex ratione medii, quod eligitur.

676. Quod concupiscentia non causet involuntarium affirmant communiter Doctores; Valentia disp. 2. q. 1. punct. 5. Suar. disp. 3. sect. 4. n. 4. Vasq. disp. 28. cap. 4. Granad controu. 1. tract. 2. disp. 9. sect. 2. n. 7. Sanches lib. 4. de Matr. disp. 10. n. 3. Cardinalis Lugo de Just. & Jur. disp. 22. sect. 7. n. 144. Montesin. disp. 10. q. 9. n. 138. & his, Cornejo disp. 4. dub. 1. §. conclusio, & videtur Doctrina D. Thom. 1. 2. q. 9. art. 7. ubi omnes fere eius discipuli. D. Thom.

Aristot. 677. Primo quia hoc expressit Aristot. tertio Ethic. cap. 1. ubi ita: *profectò non rectè dicuntur ab invitis fieri ea, quæ vel ira fiunt vel cupiditate*. Ex quo sic formatur argumentum, quærens Aristot. an metus causet involuntarium, affirmat: quærens verò an concupiscentia causet involuntarium, negat, dicens: *profectò*, &c. ergo concupiscentia nullum causat involuntarium: Probo consequentiam: quia non causat involuntarium simpliciter: non causat etiam involuntarium secundum quid; cum enim juxta Aristot. hoc tantum involuntarium causetur à metu, & non à concupiscentia: clarum est, quòd concupiscentia nullum causat involuntarium.

678. Respondet primo Salas n. 55. eodem modo loqui Aristot. de metu, atque de concupiscentia: sicut enim Philosophus docet metum causare involuntarium, quando versatur circa media molesta, ita etiam docet concupiscentiam non causare involuntarium, quando versatur circa media delectabilia. Sed hæc solutio, nec apparentiam veritatis habet; Primo quia negatio est malignitatis naturæ, habet vim universalis; & cum absolutè Philosophus neget concupiscentiam causare involuntarium, intelligitur tam circa media suavia, quàm circa insuavia. Secundo quia si concupiscentia, sicut metus, potest causare involuntarium, si Aristot. intellexisset quòd concupiscentia posset esse causa involuntarii, eodem modo de metu, & concupiscentia loqueretur, & sicut docuit à metu causari involuntarium, ita docere debebat à concupiscentia involuntarium causari.

679. Quare responderet Aristotelem & S. Doctorem loqui de eo quod ex natura sua habet concupiscentia, & metus: nam metus ex sua natura inclinat ad media secundùm se disconvenientia; & per accidens est, quod sint aliquando eligibilia secundum se; concupiscentia verò ex sua natura movet ad media convenientia, & per accidens est quod sint tantum eligibilia in illis circumstantiis; & ratio est, quia objectum metus est fuga mali, seu malum secundum se, licet apprehendatur ut magnum bonum, malum autem, ut finis & per modum fugæ, ex sua natura non postulat media convenientia, nisi tantum in his circumstantiis: objectum verò concupiscentiæ est bonum, bonum autem ex sua natura tendit ad media convenientia: cum verò res dicatur causare secundum id quod ex se habet, inde est, quod metus dicatur ab Aristot. & D. Thom. causare involuntarium, non verò concupiscentia.

Secundo, absurdum est dicere quod inviti facimus ea, quæ opporteat appetere: atqui opportet sæpius irasci, sæpiusque cupere; ergo quæ fiunt ex concupiscentia, non sunt involuntaria. Respõdetur, distinguendo Majorem: absurdum est dicere, quòd inviti facimus illa, quæ oportet appetere; respectu finis, qui appetitur, concedo: respectu mediorum, nego: cum enim dentur multa media insuavia repugnantia appetitui, illis resistet voluntas.

SUBSECTIO SECUNDA.

Utrum concupiscentia augeat, vel minuat voluntarium?

680. NOtandum est tres dari gradus voluntarii. Primus consistit in eo solùm quòd procedat à principio intrinseco cognoscente, & est communis creaturis intellectualibus, & brutis: Secundus consistit in eo quòd procedat à principio intrinseco cum perfecta cognitione finis, & circumstantiarum, abstrahens à libero & necessariò, convenitque solummodo appetitui intellectivo. Tertius consistit in eo quòd procedat à principio intrinseco cum indifferentia, convenitque solum actibus liberis.

681. Notandum secundo unumquemque eorum graduum dupliciter considerari posse: primo essentialiter, secundo accidentaliter: Primus gradus consideratur essentialiter, quando actus procedit à principio intrinseco cum cognitione; accidentaliter, si procedat minus intensè; vel sine extrinseco impulsu, hoc enim accidentale est: & in aliis duobus gradibus reperitur, qui quidem etiam includunt hunc primum gradum. Secundus gradus consideratur essentialiter, si procedat à voluntate, & supponat cognitionem finis, ac circumstantiarum: quòd autem cognitio omnium, aut aliquarum circumstantiarum, accidentale est, reperiturque in tertio gradu, qui secundum gradum includit. Tertius gradus consideratur essentialiter, si procedat à voluntate, cum indifferentia, præsupposita cognitione finis, & circumstantiarum; quòd verò voluntas à se sola, vel ab alio inclinetur ad hanc potius partem, quàm ad illam, accidentale est, hoc posito duplici difficultate quæstionem explicabo,

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum concupiscentia augeat voluntarium?

681. RESpondetur affirmative. Probatur primo, quia concupiscentia movet intellectum, ut altius, & perfectius consideret bonum delectabile concupitum, quàm consideraret, si concupiscentia abesset: atqui quo perfectior est cognitio eò majus est voluntarium; ergo concupiscentia circa objectum delectabile, voluntarium auget, Major traditur ab Aristot. sextò Ethic. cap. 5.
Aristot.
ubi ita: *vitium hujusmodi est ut corrumpat principium,* id est, verum judicium, quod est principium rerum agendarum: & tertio Ethic. cap 4. *qualis unusquisque est dispositus, talis finis videtur ei.* Eam etiam
D.Thom.
videtur sequi D. Thom. 1. 2. q. 9. art. 2. in corpore ubi ita: *Manifestum est autem, quod secundùm passionem appetitus sensitivi, immutatur ad aliquam dispositionem; unde secundùm quòd homo est in passione aliqua, videtur sibi aliquid conveniens, quod non videtur ei extra passionem existenti, sicut irato videtur bonum, quod non videtur quieto, & per hunc modum ex parte objecti, appetitus sensitivus movet voluntatem.*

683. Ex quibus apparet veritas Majoris, quia cum concupiscentia per naturalem simpathiam moveat voluntatem, eamque inclinet ad objectum, facit ut intellectus magis ponderet rationes convenientiæ circa delectabilitatem objecti. Minor autem argumenti probatur, quia si voluntarium procedit à principio cognoscente, illud erit majus voluntarium, quòd perfectiorem supposuerit cognitionem: Inde est, quod siquis occidat hominem, sciens esse hominem, ignorans circunstantiam sacerdotis, illa occisio erit magis voluntaria, ut homicidium, quàm ut sacrilegium est.

684. Probatur secundo conclusio, quia experientia constat cæteris paribus, facilius, & intensius appetere objectum eum, qui movetur ex concupiscentia: ergo quo vehementior fuerit concupiscentia, vehementius voluntatem excitabit: ergo majus causabit voluntarium: si enim concupiscentia minus intensa causat voluntarium, cur concupiscentia intensior majus non causabit voluntarium? Confirmatur, quia eo velocior est jactus lapidis, quo impetus impressus major est: ergo intensior erit actus voluntarius, quando ex majori impetu voluntatis simul cum concupiscentiæ impulsu procedet.

685. Et ita hanc sententiam docuerunt Suar. disp. 3. sect. 3. n. 10. Granad. n. 13. Salas disp. 3. n. 49. Sajiro in clavi lib. 2. cap. 2. n. 13. Rainaud. tom. 1. operis moralis dist. 2. q. 1. art. 2. n. 61.
D.Thom.
Valentia disp. 2. q. puncto 5. Martinez q. 6. §. *tertia concl.* Cornejo supra concl. 2. Estque expressa sententia D. Thom. q. 6. art. 7. in corpore: quorum Doctorum hæc est sententia, ut concupiscentia augeat voluntarium, quoad intensionem, & rationem communem, sive inclinationem; in quo consistit primus gradus voluntarij, & hoc propter majorem considerationem objecti secundùm rationem jucundi.

686. Oppositum docent Vasques disp. 28. cap. 2. Lorca disp. 5. Montesin. q. 10. n. 150. Azor. 1. p. lib. 1. cap. 18. Conrad. 1. 2. q. 6. art. 7. qui absolute loquuntur de omni voluntario. Probant primo quia voluntarium postulat esse ab intrinseco: atqui magis ab intrinseco vult voluntas, quando vult ex se sola, quàm quando vult simul allecta à concupiscentia; ergo minus voluntarium erit id, quod ex concupiscentia vult. Minor probatur, quia voluntas trahitur à concupiscentia, & quodammodo cogitur ad operandum: atqui concupiscentia est extrinseca voluntati; ergo magis ab intrinseco operatur sola voluntas, nulla passione allecta. Respondetur negando minorem: ad probationem distinguo Majorem: voluntas trahitur à concupiscentia, & quodammodo cogitur ad operandum, ex parte objecti, & objective concedo: efficienter nego: concupiscentia autem non dicitur augere voluntarium ex eo quòd actum efficiat, sed quia cum homo affectus sit ex passione, ista passio, idest, concupiscentia, voluntatem movet, efficiens ut objectum delectabile efficacius apprehendatur, & ita proponatur voluntati: cognitio autem non censetur principium extrinsecum respectu voluntatis, sed intrinsecum, intrinsece inclusum, & conjunctum cum totali principio voluntarij, quod procedere debet à principio intrinseco cognoscente: est enim cognitio applicatio objecti formalis; pro qua doctrinâ videnda sunt dicta supra n. 50. & disp. 2. n. 73.

687. Quapropter non minus voluntas operatur à se, quando operatur simul cum concupiscentia, quàm quando sola operatur: operatur tamen voluntas magis voluntarie cum concupiscentia: non quòd voluntas non possit sola, & sine concupiscentia efficere actum æquè voluntarium, sed quia hic & nunc sola voluntas non prorumperet in actum tanto conatu, quàm cum concupiscentia: naturale enim est voluntati efficacius amare suum objectum, quando efficacius proponitur: undecumque ergo proveniat ista efficacia major apprehensionis, dummodo non sit à causa comminante, sed à causa alliciente, voluntas lubentius & magis voluntariè operabitur si ductum concupiscentiæ sequatur, nam pro sua libertate poterit voluntas minori conatu tendere in illud objectum.

688. Instabis: attractio ista voluntatis ab objecto, extrinseca est: ergo si concupiscentia movet voluntatem per objectum concupitum, movet per principium extrinsecum; ergo non auget, sed minuit voluntarium; tanto enim actus est magis voluntarius, quanto minus ab extrinseco movetur. Anteced. probatur, quia objectum est extra voluntatem; ergo est quid extrinsecum voluntati. Respondetur negando anteced. ad probationem distinguo antecedens, objectum est extra voluntatem, physicè, & entitativè, concedo: moraliter, & intentionaliter, nego: cum enim objectum voluntatem moveat interventu cognitionis allicientis per jucunditatem propositam, non quidem comminando malum ut in metu, sed alliciendo ad bonum, non est extra voluntatem ut principium voluntarium est, cum cognitio sit de intrinseca ratione principij voluntarij. Videantur dicta pro simili argumento supra n. 25. & n. 152.

689. Probant secundo: Concupiscentia antecedens minuit cognitionem; ergo etiam minuit voluntarium. Anteced. probabitur infra numero 693. Respondetur distinguendo anteced. quoad objectum, ut jucundum est, nego: ut pravum est, concedo: deinde distinguo consequens: ergo minuit voluntarium circa pravitatem, concedo: circa jucundum, & delectabile, nego: cum igitur in objecto sint plures rationes, sola illa est magis voluntaria, quæ versatur circa objectum jucundum, cæteræ verò, quæ indirectè consequuntur, minus voluntariæ sunt, ut dicam n. 697. & patet, siquis ex cupiditate divitiarum acquirat usuras, usuræ sunt directè volitæ; offensa Dei, amissio fa-

mæ, & honoris indirectè, & interpretativè sunt volitæ: concupiscentia autem facit, ut perfectius considerentur usuræ, non verò offensa Dei, aut honor amissus, ideo magis voluntariæ sunt, quàm offensa Dei. Imò potest esse offensa Dei involuntaria: sicut enim sunt tres gradus voluntarii, ita & tres cognitiones: prima versatur circa appetibilitatem objecti, pertinetque ad primum gradum, & cum hæc cognitio augeatur, etiam augebitur voluntarium: secunda terminatur ad objectum sub ratione finis, & circumstantiarum, pertinetque ad secundū gradum voluntarii, & cum minui possit circa numerum circumstantiarum, etiam voluntarium secundi gradus minuetur: tertia versatur circa objectum cum indifferentia, quam cum possit concupiscentia minuere, etiam poterit minuere voluntarium tertii gradus, ad quam spectat: minuta enim cognitione cujuslibet gradus, minuitur etiam voluntarium illius gradus: & ideo Theologi docent peccatum ex passione esse levius, quia minuitur voluntarium liberum defectu perfectæ cognitionis cum indifferentia.

690. Probant tertio: Concupiscentia minuit liberum; ergo etiam minuet voluntarium. Antecedens probandum est infra num. 695. conseq. probatur, quia voluntarium illud primi gradus includitur tamquam superius in libero, sive voluntario tertii gradus; ergo impossibile est, quòd minuatur liberum, & augeatur voluntarium in ipso libero inclusum. Conseq. probatur primo: impossibile est minui inferius, quin minuatur superius. Secundo, quia primus gradus voluntarii, (de quo est sermo in præsenti difficultate) est tertius gradus; ergo non potest unus sine altero minui, vel augeri. Tertio quia difficile intelligitur, quomodo idem actus ab eadem omnino causa, secundùm logicam rationem accipit incrementum, & diminutionem secundùm physicam rationem.

691. Respondetur primo negando conseq. ad probationem distinguo anteced. voluntarium primi gradus includitur tamquam superius in libero, accidentali subordinatione, concedo: essentiali, nego: deinde nego conseq. Probationes autem procedunt de inferiori, quod essentialiter includit superius, non de inferiori, quod tantùm accidentaliter illi gradui communiori subordinatur: bene enim potest subjectum, idest, gradus ille communior augeri in eodem actu, minuto inferiori: hoc enim modo Aristot. divisit elementa, ut quid superius in levia, & gravia tamquam in membra inferiora, gravia verò divisit in grave, & gravissimum: & in gravissimo augetur elementum quoad gravitatem, non quoad rationem elementi; & in eodem subjecto; quando per alterationem ex albo fit nigrum, minuitur album, non coloratum, quia quot gradus albedinis remittuntur, tot introducuntur gradus nigredinis: cum ergo voluntarium non sit gradus essentialis, nec genus respectu liberi, sed tantum subjectum universale comparatum ad liberum, ut ad accidens minus universale, eò quod ratio voluntarii est prima præsupposita libero, sine quo esse potest voluntarium, cum liberum accidentaliter adveniat voluntario, bene potest voluntarium esse perfectius ratione voluntarii, quàm liberum. Quod clarius apparet in opinione constituente libertatem in denominatione extrinseca.

692. Respondetur secundo negando similiter consequentiam: ad probationem transeat antecedens, nego conseq. & ad ejus probationes respondeo, veras esse, & concludere in illis, quæ habent suum esse ab intrinseco: nam illa, quæ dependent ab extrinseco, pro variatione extrinseci possunt variari, ita ut una ejus ratio varietur, altera non variata: ratio voluntarii, & liberi saltem ex parte intellectus dependet ab extrinseco, idest, à cognitione; si ergo cognitio augeatur circa bonum, augebitur voluntarium, minuetur liberum, nam voluntarium augetur ex cognitione melius suum proponente objectum, liberum verò augetur ex cognitione indifferentiùs proponente objectum.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum concupiscentia minuat voluntarium?

693. Ostendimus à concupiscentia augeri voluntarium primi gradus si versetur circa objectum, ut delectabile est: hoc enim modo intelligitur superior difficultas: modo inquirimus utrum concupiscentia minuat voluntarium? Dico primo: concupiscentia non potest auferre rationem voluntarii in primo gradu essentiali, potest tamen auferre rationem voluntarii in secundo, & tertio gradu. Probatur primo de primo gradu, quia concupiscentia non potest facere, quod actus voluntatis non procedat à voluntate præsupposita aliqua cognitione. Probatur secundò de secundo gradu, quia tanta potest esse concupiscentia, ut sit causa quòd ignorentur omnes circumstantiæ: atqui essentia secundi gradus voluntarii, est ut actus procedat à voluntate præsupposita cognitione aliquarum saltem circumstantiarum; ergo si omnes ignorentur, tolletur hic gradus voluntarii. Major probatur, quia sæpe contingit, quòd concupiscentia, sive gaudii, sive iræ, sive alterius generis absorbeat usum rationis, omnemque auferat advertentiam ad circumstantias particulares, ut apparet in amente, de quo Aristot. dixit ab eo posse omnes circumstantias ignorari. Aristot. Probatur tertio de tertio gradu, quia concupiscentia potest taliter perturbare intellectus judicium, ut determinetur voluntas ad unam tantum partem. Hanc conclusionem defendunt Cornejo disp. 4. dub. 2. §. *prima conclus.* Curiel. 1. 2. q. 6. art. 7. ubi Martinez dub. 1. §. *prima conclusio.* Granad. controv. 2. tract. 2. disp. 9. sect. 3. n. 15.

694. Dico secundo: concupiscentia minuit voluntarium in actione, ut prava est, seu quatenus versatur circa objectum, ut pravum est, hæc est communior Doctorum sententia. Probatur, quia sicut ratione concupiscentiæ accrescit consideratio objecti, ut jucundum & suave est, ita ratione ejusdem concupiscentiæ minuitur consideratio objecti, ut est pravum: atqui illud, quod cum minori consideratione, & cum imperfectiori cognitione fit, minus voluntarium est: ut enim actus voluntarius censeatur secundùm unam rationem, solùm exigitur consideratio, in quibus talis ratio sita est, ex dictis supra n. 61 & consequenter dici poterit secundùm unam rationem, jucundi nimirum, actum esse magis voluntarium, & secundum alteram minus, ut apparet exemplo occidentis hominem, quem non putabat esse sacerdotem, ubi magis voluntarium est homicidium, quàm sacrilegium.

695. Dico tertio: concupiscentia minuit rationem liberi; ita communiter Doctores. Probatur, quia libertas consistit in indifferentia: atqui hanc indifferentiam minuit concupiscentia, ergo etiam libertatem. Min. probatur, quia indifferen-

tia eò est major, quo ratio boni, & mali attentiùs consideratur: atqui concupiscentia facit, ut ratio mali inhonesti, quæ est in objecto concupito, minus consideretur, & ut perfectiùs consideretur ratio boni delectabilis; ergo ista major consideratio minuit indifferentiam.

696. Dices: concupiscentia auget voluntarium circa objectum ut jucundum; ergo etiam auget liberum circa idem objectum ut jucundum. Respondetur negando conseq. quia ratio liberi consistit in indifferentia ad utramque partem, & ideo, si diminuitur circa unam partem, etiam circa aliam minor erit: ratio verò communis voluntarii consistit in majori impetu, & in majori inclinatione voluntatis, & idcirco solum exigit perfectiorem cognitionem illius boni, quod amplectitur voluntas.

697. Dico quarto: Concupiscentia pure consequens, nec auget, nec minuit voluntarium, vel liberum, sed tantum est signum majoris, vel minoris voluntarii. Ita communiter Doctores, & patet, quia concupiscentia consequens comparatur ad voluntatem tamquam ejus effectus; ergo non potest augere nec minuere voluntarium. Conseq. probatur, quia *effectus, ut effectus est, nihil causat circa suum principium.* Dices: quando vir studiosus in se excitat passionem, ut constantius operetur, ex illa passione excitatur voluntas ad majus voluntarium, & tamen illa concupiscentia est consequens; ergo &c. Respondetur negando Minorem: licèt enim illa concupiscentia à voluntate causetur, & ut sic sit consequens respectu actus anterioris, tamen respectu actus subsequuti, qui ex illa concupiscentia originatur, ferventior est concupiscentia antecedens.

698. Ex dictis infertur quomodo consuetudo, & habitus augeant, vel minuant voluntarium, cum enim habitus, & consuetudo facilitent potentiam ad operandum, cum illis voluntas facilius, & delectabilius operabitur, & per consequens augebitur voluntarium, non tamen auget liberum, manet enim voluntas ex ea parte, qua determinatur ad unam partem, minus indifferens ad utramque partem, quamquam non ita determinetur quòd amittat libertatem, quia habitus solum inclinat & non determinat omnino voluntatem, habitibus enim utitur voluntas, prout vult.

699. Sed cum concupiscentia minuat liberum, simul diminuit culpam, leviora enim sunt peccata, quæ ex passione fiunt, namque ut ait Philo. Hebr. de specialibus legibus in medio: *Dimidiatum videtur facinus, cui non accessit longa deliberatio,* & ita deciditur in lege, *aut facta* ff. de pœnis. Quæres utrum etiam habitus, & consuetudo minuant culpam? Respondetur ex doctrina Suarii sect. 3. n. 16. negativè, si peccatum fiat ante pœnitentiam vel dolorem: affirmativè si peccatum fiat post pœnitentiam. Ratio primi est, quia ex culpa est, quòd actus ille fiat ex habitu, & ille habitus est voluntarius ex voluntario actuum adhuc moraliter perseverantium: ratio secundi est, quia illi actus, & consuetudo manent involuntaria contra actum inefficacem.

Philo. Heb. l. aut facta ff. de pœnis.

SECTIO NONA.

De involuntario ex ignorantia.

Aristot.

700. IGnorantia causat involuntarium, ut docet Philosophus tertio Ethic. cap. 1. ignorantia est negatio, vel privatio scientiæ, sive cognitionis, in præsenti non sumitur contrariè, pro errore Intellectus contrario scientiæ requisitæ ad actus humanos, nam ad effectus ignorantiæ in actibus humanis sufficit carentia scientiæ necessariæ, sive detur error intellectus, sive non.

Ignorantia ergo de qua hîc agitur, accipitur privative, non contradictoriè: namque ignorantia contradictoria dicit solam negationem scientiæ, præscindendo ab omni subjecto: & in ligno, aut lapide reperitur, privativa vero dicit eamdem negationem, in subjecto tamen apto ad habendam scientiam: ut in homine: hæc autem cum constituatur per aptitudinem ad habendam scientiam, non constituitur in aptitudine physica, qualis etiam in brutis datur ad cognoscenda ea, quæ actu non cognoscunt, sed in aptitudine morali, qualis datur in iis, qui habent aliquod debitum morale sciendi, & in quibus carentia scientiæ dicit imperfectionem.

701. Unde ignorantia de qua hîc sermo est, est privativa, & moralis, orta ex debito sciendi morali, quam tribus modis speculantur Theologi: Primo ut est speciale peccatum: secundo quatenus plura peccata circumstat, & peculiarem peccandi modum, videlicet per ignorantiam, constituit, diversum à ratione peccandi ex malitia & ex passione: secundo ut causat voluntarium, vel involuntarium. Prima speculatio spectat ad materiam de fide: secunda ad materiam de peccatis: tertia est hujus loci: cum enim voluntarium duo requirat, scilicet, influxum interni principii, & cognitionem actus, fit, ut involuntarium insurgat, vel ex utriusque, vel ex cujuslibet defectu: Unde Philosophus dixit tertio Ethic. cap. 1. *invitum, vel vi, vel ignorando agitur*: & cum involuntarium in superioribus explicatum sit ex defectu influxus interni propter vim extrinsecam, quæ, ut physica est, causat involuntarium violentum; ut moralis, causat involuntarium ex metu, modo agendum de involuntario ex defectu cognitionis, sive ex ignorantia. Aristot.

SUBSECTIO PRIMA.

Traduntur variæ ignorantiæ divisiones.

701. VAriæ sunt divisiones ignorantiæ, quas Doctores tradunt, non sine aliquali confusione, quam ut evitemus, quatuor divisionibus omnem ignorantiæ congeriem amplexabimur: Prima, per ordinem ad scientiam, qua privat: secunda, per ordinem ad objectum, quod ignoratur: tertia est ad voluntatem ut ad principium: quarta per ordinem ad peccatum cujus est causa: Prima divisio subdividitur in ignorantiam pravæ dispositionis positivam, estque error intellectus; & in ignorantiam negativam, ac privativam: negativa datur in pueris, & amentibus: privativa in iis, qui carent notitia, quam scire quis potest, & debet.

703. Secunda divisio ex parte objecti dividitur in ignorantiam Juris, & facti: de qua Scotus in quarto dist. 6. q. 8. n. 1. & 2. dist. 15. q. 2. n. 10. & de hac divisione extat titulus in Jure civili ff. de Juris & facti ignorantia. Ignorantia Juris est qua lex ignoratur, quando scilicet ignoratur an aliquid præcipiatur à Jure, sive divino, sive naturali, sive positivo. Facilius tamen ignoratur Jus divinum, quam naturale, & facilius Jus positivum, quàm divinum. Ignorantia facti est qua res præcepta ignoratur: ut siquis ignoret, in die Veneris esse præceptam abstinentiam à carnibus, Scotus.

laborat ignorantia Juris: si vero ignoret ipsam diem veneris, ignorantia facti laborat: utraque ignorantia subdividitur à Sanches lib. 1. decalogi cap. 16. n. 4. in Invincibilem, & vincibilem ignorantiam.

704. Tertia divisio ex habitudine ad voluntatem, fit in invincibilem, & vincibilem. Ignorantia invincibilis dividitur in antecedentem, & comitantem: ignorantia vincibilis, quæ etiam dicitur consequens, dividitur in ignorantiam ex electione, quæ dicitur crassa, sive supina: idem enim est, quidquid Suar. disp. 4. sect. 3. n. 10. & in ignorantiam ex negligentia. Hæc divisio est eadem cum illa, qua ignorantia dividitur in inculpabilem, & culpabilem; inculpabilis est invincibilis, culpabilis verò vincibilis: Quarta divisio per ordinem ad peccatum, versatur circa ea, quæ peccata sunt ex ignorantia.

705. De his omnibus, & aliis divisionibus latè agunt Doctores, Castro lib. 2. de lege pœnali, Cordub. in quæstion. lib. 2. q. 1. Valentia tom. 2. disp. 6. q. 6. Suar. tract. 2. in 1. 2. disp. 4. sect. 1. Salas tom. 1. tract. 3. disp. 4. sect. 1. Sanches citatus, Azor. 1. p. lib. 1. cap. 12. q. 1. Araujo 1. 2. q. 76. art. 4. dub. 1. Sayro in clavi lib. 2. cap. 2. Zumel 1. 2. q. 76. art. 3. disp. 2. Jacob. Gordon. in Theologia morali tom. 1. lib. 1. q. 8. Tannet. 1. 2. disp. 4. q. 9. Layman lib. 1. tract. 2. cap. 4. Castro Palaus in opere morali tom. 1. tract. 2. disp. 1. Nos verò in præsenti tantum agemus de ignorantia vincibili, & invincibili, hac enim cognita non solum aliæ ignorantiæ species cognòscuntur, sed etiam cognoscitur quænam ignorantia causet voluntarium, vel involuntarium.

SUBSECTIO SECUNDA.

De ignorantia invincibili.

706. IGnorantia invincibilis duobus modis contingere potest. Primo si deficiat cogitatio de scientia comparanda: Secundo si facta diligentia sufficienti, ignorantia, aut vinci non potest, aut non debet. Primo modo ignorantia est physica, nec pertinet ad materiam moralem: secundo modo ignorantia est moralis, quæ licet post factam diligentiam necessariam absolute vinci possit, moraliter tamen vinci non potest: & ita exponunt ignorantiam Invincibilem, Castro cap. 4. *in 4. divisione*, Cordub. in n. 4. *etiam divisione*, Valentia punct. §. *circa invencibilem*, Suar. sect. 1. à n. 18. Aviaro §. 3. Salas sect. 1. n. 5. per quod rejicitur opinio Vasquii 1. 2. disp. 123. cap. 2. n. 6. afferentis ad ignorantiam invincibilem necessarium, quòd nulla de re ignorata præcedat cogitatio, nam quam aliqua præcedit cogitatio, vincibilis est, ut asserit.

707. Quanta verò diligentia necessaria sit ut ignorantia dicatur invincibilis; Respondetur, non requiri summam diligentiam possibilem, sed eam tantùm, quam viri prudentes in similibus rebus solent adhibere, quorum judicio standum est. Ita Doctores relati. Suar. n. 10. Sanches n. 34. & 36. Valentia §. *sequuntur*. Curiel 1. 2. q. 76. in principio, §. *quod adhuc*, Sayro cap. 2. n. 17. Azor. §. 3. Martinez 1. 2. q. 76. art. 4. dub. 4. Salas n. 8.

708. Probatur primo ex sacro textu cap. 29. Genesis 29. vers. 4. ibi: *ad quam cum ex more Iacob fuisset ingressus, facto mane vidit Liam*: ubi omnes sancti P.P. & Interpretes docent congressum Jacobi cum Lia fuisse involuntarium ex ignorantia invincibili, cum tamen physicè vinci poterat talis ignorantia, si nimirum admota luce dolus discerneretur, quod fieri poterat, sed quia non debebat hoc facere, Ignorantia fuit invincibilis.

709. Probatur secundo ex *l. supina 6. ff.* de Juris & facti ignorantia, ibi: *nec supina ignorantia ferenda est factum ignorantis; ut neque scrupulosa inquisitio exigenda, scientia enim hoc modo æstimanda, ut nec negligentia crassa, aut nimia securitas satis expedita sit, nec delatoria curiositas exigatur.* Uni Gloss. per delatoriam curiositatem exquisitissimam intelligit, qualem solent adhibere qui bona vacantia ad fiscum deferunt; solùm igitur requiritur talis diligentia, quæ quantum est ex se sufficiat ad cogitandum talem ignorantiam esse involuntariam, faciens quod potest & debet moraliter ex obligatione comparandæ scientiæ, non verò ex aliis obligationibus, etiamsi ad comparandam scientiam per accidens concurrant: ideo Judei, qui non ascenderunt Hierosolimam in festo Pentecostes, in quo tenebantur, licet in eo quòd non venerunt, peccassent, non tamen peccarùnt in ignorantia legis Evangelicæ, eo die ibi promulgatæ; fideles verò, qui in die festo non adeunt Ecclesiam, si fregerint ex ignorantia jejunium, vel festum in hebdomada occurrens, peccant frangentes jejunium & diem festum, eò quòd non solum tenentur adire Ecclesiam propter auditionem sacri, sed etiam propter publicationem festorum. l. supina 6. ff. de Iuris & facti ignorantia.

710. Dividitur ignorantia invincibilis in antecedentem, & concomitantem; ignorantia antecedens est non voluntaria, antecedens ipsum actum voluntatis, & est causa operationis, eò quod opus non fieret, si cognosceretur id quod ignoratur, non tamen dicitur causa efficiens influens, cum sit privatio, sed est causa removens prohibens: si enim adesset, & non removeret notitiam, operatio nequaquam fieret: est ignorantia invincibilis, quia nullo modo est voluntaria, & ut expelleretur, facta fuit sufficiens diligentia. Concomitans ignorantia etiam non est voluntaria, aliter foret post actum voluntatis, nec est causa operationis, aliter antecederet saltem causalitate operationem, verbi gratia, siquis cogitat hominem interficere, & illum interficiat fortuito sagitta emissa, cum sufficienti diligentia ne aliquem læderet, illa ignorantia non est causa occisionis, quia si homo ille sciret in eo loco esse illum hominem, libentius eum occideret. Hoc supposito de una & altera ignorantia antecedente & concomitante, est difficultas an causet involuntarium.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum ignorantia invincibilis antecedens causet involuntarium?

711. DIco primo: Ignorantia antecedens invincibilis est causa per accidens, sive occasio voluntarii quoad rationem cognitam. Ita Suar. sect. 1. n. 6. Salas sect. 2. n. 11. §. *dico primo* fuitque sententia Cajet. 1. q. 76. act. 1. Pro hac eadem sententia citari debent Doctores, qui oppositum videntur docere, non enim negant ignorantiam esse occasionem voluntarii, sed solùm inficiantur ignorantiam esse causam per se voluntarii: Ita Montesin disp. 10. q. 2. 0. 86. & n. 180. Probatur, quia si non foret illa ignorantia antecedens, voluntas non imperaret talem actum hic & nunc, scilicet, emissionem sagittæ, quin po-

tius illum cohiberet, & idem apparet in eo, qui ex ignorantia antecedente carnes comedit die prohibito: actus enim comestionis est voluntarius tantum propter ignorantiam, hac enim ablata, comestio non fieret, aliter ignorantia non esset antecedens, sed concomitans.

711. Dices primo: Cognitio est causa voluntarii; ergo ignorantia opposita non est causa illius. Respondetur distinguendo antecedens, per se, concedo: per accidens, nego: Deinde distinguo consequens, per se, concedo; per accidens, & occasionativè, nego: illa enim ignorantia removet tale prohibens, quod si adesset, actus non fieret. Instabis: Eadem ignorantia est causa involuntarii simpliciter; ergo non est causa voluntarii. Respondetur negando conseq. secundùm enim diversam rationem est causa utriusque, voluntarii respectu rationis cognitæ; involuntarii, respectu conditionis ignoratæ.

713. Dices secundo: Ignorantia antecedens est omnino involuntaria; ergo nec per accidens esse potest causa voluntarii. Respondetur negando consequentiam, nam etiam cognitio antecedens actum voluntatis, est omnino involuntaria, & tamen est causa volitionis voluntariæ. Dices tertio: Ignorantia est non ens; ergo non potest esse causa entis voluntarii. Respondetur distinguendo consequens: per se, concedo: per accidens, nego. Affert Cajet. optimum exemplum, sicut gravi inclinato, ablatio columnæ dat per accidens motum deorsum, ita negatio scientiæ voluntati inclinatæ dat per accidens tale voluntarium: non enim ignorantia influit per se, sed per accidens in actum voluntarium, quatenus scilicet removet prohibens, quod si adesset, non daretur actus ille.

714. Dico secundo: Ignorantia antecedens quoad rationem ignoratam causat, vel non voluntarium, vel simpliciter involuntarium. Ita

Aristot.
Damascenus.
Nisenus.
Nemesius.
D.Thom.

communiter Doctores sequnti Aristotelem tertio Ethic. cap. 1. Damascenum lib. 2. de fide cap. 24. Nisenum lib. 5. Philosophiæ cap. 1. Nemesium de anima cap. 3. D. Thom. hic q. 6. art. 8. in corpore. Videndi sunt Suar. numero 10. Salas numero 14. Vasq. disp. 29. cap. 2. n. 10. Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 16. n. 9. Montesin. disp. 10. q. 2. numero 87.

715. Probatur primo quod ignorantia respectu rationis ignoratæ causet non voluntarium. Id quod involuntariè ignoratur, nullo modo est voluntarium: sed quod ignoratur antecedenter, involuntarie ignoratur: ergo si voluntas sibi non displiceat, nec de opere tristetur, illud quod sic ignoranter fit, erit non voluntarium: ad involuntarium requiritur remurmuratio voluntatis, & renitentia aliqua, ut bene docuit

Scotus.

Scotus in quarto dist. 14. q. 1. n. 11.

716. Probatur secundo quòd ignorantia sæpe causet involuntarium respectu rationis ignoratæ. Quia si quis ignorantia antecedente operetur, ita ut formaliter, vel virtute renitatur operari, ex ea ignorantia opus factum erit simpliciter involuntarium: quod apparet in patre ex hac ignorantia occidente filium & in homine timorato, qui emissa sagitta ex hac ignorantia occidit hominem. Insuper probatur, quia tale opus est contra renitentiam virtualem voluntatis, propter quam post factum opus, de illo sequitur tristitia, & pœnitentia. Unde quando ignorantia est causa operis, cui ablata ignorantia voluntas resisteret, opus est simpliciter involuntarium: si verò voluntas non resisteret, opus est non voluntarium.

717. Objicies primo: Nullus actus est simpliciter involuntarius, nisi appetitus actu elicito efficaci ei renitatur: atqui posita ignorantia invincibili antecedente, non datur ista renitentia actualis in voluntate; ergo non dabitur involuntarium. Min. probatur primo experientia, ex qua constat, cum agimus ex ignorantia antecedente, nullam dari renitentiam in voluntate. Secundo quia appetitus non potest ferri in illud, quod omnino est incognitum; ergo circa rationem omnino ignoratam nullo modo voluntas potest habere displicentiam, & renitentiam.

718. Respondetur distinguendo Min. atqui posita ignorantia invincibili, non datur renitentia in voluntate; actualis, formaliter, & in se ipsa concedo: virtualiter, in causa sui sufficiente, nego: renitentia enim formalis est in voluntate, quando voluntas elicit actum formalem renitentiæ; virtualiter verò quando voluntas ita est disposita, ut infallibiliter eliceret renitentiam formalem efficacem, & hæc sufficit: verbi gratia, filius sic diligit patrem, saltem habitualiter, ut absque dubio eliceret nolitionem efficacem occidendi illum hominem putatum inimicum, si sciret esse suum patrem: amor igitur, sive habitualis, sive actualis filii erga patrem est causa sufficiens renitentiæ ad occidendum patrem, & per consequens renitentia actualiter est in voluntate, non quidem formaliter in se ipsa, sed virtualiter in illa causa sui omnino determinata. Ad probationes Respondeo procedere de renitentia formaliter, non virtualiter.

719. Unde non approbo doctrinam Montesin. citati n. 190. asserentis hoc involuntarium esse contra affectum voluntatis, non quidem præsentem, sed futurum: quod probat ex D. Thom. D.Thom.
1. 2. q. 76. art. 3. ibi: *si scientia adesset, esset actus voluntatis contrarius, & hoc importat nomen involuntarium.* Non, inquam, approbo, hoc enim est divinare, quis enim scit quemnam affectum homo sit habiturus in futuro? ut in simili arguit Suar. tom. 2. de Relig. lib. 1. de voto cap. 12. n. 6. D. Thom. intelligitur de affectu formali, quem habiturus est ille, qui operatur ex ignorantia antecedente, nam posita scientia daretur actus contrarius efficax operationis factæ ex ignorantia, non tamen negat non dari illum affectum præsentem virtualem, aliter jam voluntas, quotiescumque operatur ex ignorantia antecedente, non esset disposita ad non faciendam operationem.

710. Objicies secundo: Ignorantia antecedens causat involuntarium secundùm quid; ergo non causat involuntarium simpliciter. Probatur anteced; quia ut se habet metus respectu actus ex illo facti, ita se habet ignorantia. Respondetur negando anteced. ad probationem, nego antecedens: nam actus ex metu factus, fuit prævisus, & perseverante periculo, semper faciendus erat: actus verò ex ignorantia factus, nec prævisus fuit, nec aliquo modo fieret, si adesset scientia opposita, eoquòd voluntas circa illum actum sic erat disposita, ut posita scientia nullatenus actum eliceret.

721. Tertio: Ignorantia affectata est antecedens: & tamen non excludit voluntarium; ergo etiam ignorantia invincibilis antecedens non excludet voluntarium. Respondetur distinguendo Major. ignorantia affectata est antecedens, simpliciter, nego Majorem: secundùm quid, concede: nam etiam si ille, qui affectus est ignorantia affectata,

affectata, nesciat prohibitionem, poterat tamen eam scire, si non esset negligens circa inquisitionem scientiæ, quam moraliter consequi poterat, ac proinde saltem dubitativè cognitio antecedit ignorantiam affectatam, quod in ignorantia invincibili antecedente locum non habet.

722. Quarto: vel ista ignorantia causat involuntarium per se, vel per accidens: atqui non causat per se, cum solùm sit causa removens prohibens, non etiam causat per accidens, siquidem ut unum contrarium causat, ita causat & alterum, scientia autem cum causet voluntarium per se, etiam per se ignorantia causaret involuntarium. Respondetur negando Minorem, utroque enim modo ignorantia involuntarium causat: formaliter, & ut negatio est, causat per accidens; materialiter, & privative, quatenus opponitur scientiæ, causat per se: ut enim voluntarium requirit cognitionem, ut sui causam per se; ita involuntarium requirit ignorantiam ut sui causam per se: contraria enim à contrariis per se debent causari. Ita ex Caet. respondet Martinez q. 6. art. 8. dub. 3. §. *hoc supposito*.

723. Instabis: quocumque modo sumatur ignorantia, est privatio, atqui privatio non potest influere in actum positivum; ergo influere non potest in involuntarium: siquidem involuntarium est positivum. Respondetur distinguendo Minorem: non potest influere in actum positivum, ex quo positivum est, concedo: qua privative sumi potest, nego: involũtarium enim non solum est quid positivum, sed sumi potest privative, ut ablatio est voluntarii, & sic potest ignorantia esse illius causa, quatenus removendo voluntarium introducit involuntarium eo modo, quo privatio unius formæ, est causa per se privationis alterius; ut privatio lucis est causa privationis visionis & sic privatio scientiæ est causa privationis voluntarii: imò & introductionis involuntarii, ut privatio unius formæ est causa introductionis alterius: privatio enim est unum ex tribus principiis generationis.

724. Quinto: id quod fit ignorantia antecedente, vel est elicitum, vel imperatum à voluntate; ergo est voluntarium. Probatur antecedens, quia occisio hominis putati inimici, cum sit pater, elicita est, vel imperata, & absque dubio involuntaria. Respondetur distinguendo antecedens, secundum partem cognitam, concedo: secundùm partem ignoratam, nego: nam illud, quod ignoratur, elicitum esse non potest, nec etiam imperatum, potest tamen esse non voluntarium, vel involuntarium, ut patet in eodem exemplo: licet enim occisio sit voluntaria, quatenus homicidium est, putat enim occidens esse hominem, quem occidit: involuntaria tamen est, ut parricidium, & sic de similibus: unde ignorantia antecedens respectu occisionis cognitæ absque ordine ad circumstantias ignoratas non causat involuntarium, cum ut sic, illa actio sit volita, & voluntaria; si tamen ignorantia antecedens consideretur cum ordine ad circumstantias ignoratas, & per ordinem ad illud conjunctum, est simpliciter involuntaria, & secundùm quid voluntaria. quia facta occisione illa, advenit pœnitudo de ipsa etiam ratione cognita, pro ut per accidens conjungitur cum circumstantiis ignoratis, & ideo tota occisio est contra internum impetum voluntatis, totaque simul non procedit à principio intrinseco cognoscente, siquidem totum, prout conjunctum est, ignoratur, & per consequens erit involuntarium simpliciter, & voluntarium secundùm quid, quatenus procedit à voluntate sine conditionibus ad rationẽ volũtarii requisitis respectu totius.

725. Verum est quod non semper voluntarium istud est secundùm quid etiam in toto conjuncto, cum possit esse simpliciter, si circumstantia ignorata per accidens se habeat ad rationem cognitam per se intentam: ut si quis elargiatur eleemosinam pauperi inimico, cui non tribueretur, si talis esse putaretur, in quo casu eleemosina est simpliciter voluntaria, cum esse amicum, vel inimicum, sit circumstantia accidentalis eleemosinæ, quæ sola datur titulo paupertatis, quæ vere persistit. Videantur Suar. tom. 2. de Relig. lib. 1. de voto cap. 11. numero 6. Vasquius in 1. p. disp. 50. cap. à n. 43. Sanches lib. 9. de matr. disp. 56. à lib. 10. disp. 9. à n. 13.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum ignorantia invincibilis concomitans causet involuntarium?

726. SUppono ex Philosopho tertio Ethic. cap. 1. aliud esse agere ex ignorantia, aliud agere ignoranter: nam tunc aliquis operatur ex ignorantia, quando ignorantia est causa actus; tunc autem operatur ignoranter, quando ignorantia concomitatur actum: de eo qui operatur ex ignorantia loquuti fuimus difficultate superiori, modo loquimur de eo qui operatur ignoranter, cum ignorantia scilicet concomitante. Circa quam Aristot.

727. Dico primo: Ignorantia concomitans non causat involuntarium contrariè, sed negative: idest, non voluntarium. Ita communiter Theologi. Suar. t. 2. tract. 2. dis. 4. sect. 2. n. 11. Vasq. in 2. disp. 29. cap. 2. Salas. n. 16. Granad. tract. 2. disp. ultima n. 3. Cornejo disp. ultima dub. unico n. 5. Martinez q. 6. art. 8. dub. 5. à §. *prima concl.* Valentia 6. assertione 1.

728. Prima pars probatur; quod scilicet ignorantia concomitans non causet involuntarium, quia involuntarium contrarium debet esse contra aliquam renitentiam positivam voluntatis saltem interpretativam, vel virtualem: atqui illud quod fit cum ignorantia comitante non ita se habet, ergo non causat involuntarium. Minor probatur ex ipsa natura ignorantiæ concomitantis, quæ ita afficit subjectum, ut si adesset scientia opposita, adhuc voluntas operaretur: verbi gratia, si quis emittat sagittam ignorans ibi esse inimicum, taliter tamen dispositus, ut si ibi adesset, eum lubentius occideret Confirmatur, quia ex involuntario remanet tristitia, & pœnitudo: atqui in præsenti ablata ignorantia, non remanet tristitia, nec pœnitudo; ergo ista ignorantia non causat involuntarium contrarium.

719. Secunda pars, quod scilicet ignorantia concomitans faciat illum actum quoad sui circumstantiam ignoratam, non voluntarium; probatur primo, quia nulla præcedit cognitio in se illius circumstantiæ, non etiam præcedit in causa, siquidem homo operans cum illa ignorantia sufficientem adhibuit diligentiam, ne occideret hominem: atqui voluntarium requirit cognitionem; ergo cum ille actus non sit involuntarius, erit non voluntarius. Secundo quia venatio, ex qua orta fuit occisio inimici, erat honesta (suppono ita esse) ergo occisio hominis non est voluntaria; Probo consequentiam, quia cum non sit involuntaria, & sit honesta, non potest esse voluntaria, sed non voluntaria. Tertio quia ignorantia concomitans excusat à culpa, ut communiter docent Theologi, & videantur inter alios Suar. numero 11. Sanches in decalog. cap. 16. numero 14. lib. 1. ergo non causat voluntarium, sed facit actum non voluntarium.

730. Objicies primo 1. si quis mane habeat voluntatem occidendi inimicum, qualitercumque ei offeratur, vespere autem venatum eat, & post factam diligentiam sufficientem, occidat inimicum, ista occisio saltem virtualiter est volita; ergo etiam voluntaria. Probatur anteced. quia siquis mane referat omnia sua opera in Deum, & post sine nova relatione faciat eleemosinam, per illam meretur homo, quia relatio mane facta transit virtute ad eleemosinam vesperi exhibitam; ergo similiter in præsenti. Respondetur negando antecedens, ad probationem nego conseq. quia volitio antecedens occidendi mane habita, per diligentiam vesperi factam impeditur ne transeat, vel influat in occisionem, veluti si gentilis mane offerat opera sua facienda per totum diem in Idolum, & vespere ex motivo pietatis eleemosinam faciat, istud opus non fit malum ex relatione antecedente in idolum, quia illa prima volitio referendi omnia in idolum impeditur à bono opere, quod tunc solummodo tendit in suum finem.

731. Secundo: ista ignorantia, non facta diligentia sufficiente, non excusat à culpa; ergo causat voluntarium. Respondetur negando consequentiam, quia in eo casu illa ignorantia non est simpliciter concomitans, sed consequens: licet enim concomitetur illum actum occisionis, consequitur tamen alterum, quo noluit facere diligentiam. Insuper nos loquimur de ignorantia invincibili de qua negari necessario debet antecedens. Vnde quando aliqui Doctores docent ignorantiam concomitantem non excusare à culpa, intelligendi sunt de affectu, quo quis, verbi gratia vult occidere.

732. Tertio: lætitia de opere est signum voluntatis: atqui post occisionem homo qui operatur cum ignorantia concomitante lætatur de morte inimici; ergo ex eo quod voluntaria fuit. Respondetur negando conseq. quia illa lætitia est ex eo quod postquam executa est occisio, fit voluntaria objectivè, & peccaminosa, non quidem propter actum occidendi, sed propter complacentiam voluntatis; eo modo, quo nullâ præcedente causa in somniis quis polluitur, de qua pollutione postea lætatur, ista pollutio cum fieret, non erat voluntaria, facta voluntaria fuit, & ut objectum complacentiæ, peccatum: quo etiam modo Ne-
Nemesius. mesius lib. de anima cap. 31. dicit mixtum esso quod fit cum ignorantia, si eodem modo fieret existente scientia, idest, ut ipse se explicat, in principio esse non voluntarium, sed in fine fieri voluntarium: similiter ante cognitionem inimici erat occisio non voluntaria, in fine posita cognitione inimici, fit voluntaria, quia sibi placet de illa.

733. Et pro solutione multorum argumentorum, simulque notitia majori hujus non voluntarii; Notandum est multis modis contingere posse occisionem illam.: verbi gratia, primo, si mane habeat voluntatem occidendi inimicum quocumque modo fuerit, & vespere facta sufficiente diligentia, ne ibi sit homo, occidatur inimicus, quin in animo sit voluntas actualis illum occidendi: Secundo, si in actu occisionis tantum habeat affectum habitualem occidendi inimicum: Tertio si in ipso actu habeat actualem volitionem occidendi inimicum, si ibi adesset, factaque sufficiente diligentia invincibiliter ignorat ibi esse inimicum: Quarto, si illa actualis dispositio talis sit, ut velit emittere sagittam, & si ibi fuerit hostis eum occidat: Quinto si emittat sagittam eo animo, ut occidat quidquid ibi fuerit, sive inimicus sit, sive non; invincibiliter tamen existimat esse ibi feram; Sexto si ita se habeat, ut velit exercere actum circa feram, ut postea certò transfigat inimicum.

734. Primo modo occisio non est voluntaria, ut dixi numero 730. nec etiam secundo modo, habitibus enim nec meremur, nec demeremur; nec etiam tertio modo, datur enim tunc tantum culpa interna, & non incurritur pœna pro peccato externo, nam illa volitio occidendi non influit in actum externum, iste enim oritur ex voluntate occidendi feram, quæ per se mala non est, ac proinde occisio inimici fuit tantum volita objective per simplicem affectum, non verò effective, eo modo, quo siquis videns emitti ab alio sagittam diceret; utinam meum occideret inimicum, & de facto occideretur, illa occisio non esset voluntaria, sed volita; & per consequens desideranti illa occisio non imputabitur, nec pœna propter illam imposita, eo quòd per accidens se habeat ille effectua, & per accidens etiam est quod conjungatur in eodem supposito. Idemque dicendum est, si occisus fuerit Clericus: actua enim interior sacrilegium foret, non tamen pro actu externo maneret occisor excommunicatus, aut irregularis. Ita Suar. citatus numero 14. & tom. 5. in 3. p. disp. 4. sect. 8. numero 9. Azor 1. p. lib. 1. cap. 14. q. 4. Sanches in decalog. lib. 1. cap. 16. à numero 14.

735. Quarto quoque modo occisio est voluntaria, & incurruntur ex ea omnes pœnæ contra homicidas impositæ, etiam præmissa sufficienti diligentia, quia illa occisio tunc non procedit solum ex volitione venandi, sed etiam occidendi. Verum est quòd cum tali affectu nunquam moraliter datur diligentia sufficiens: imò affectus iste oritur ex quadam notitia universali, qua quis novit fieri posse, ut præmissa diligentia sufficiente adsit inimicus, & per consequens non oritur ex ignorantia concomitante.

736. Quinto modo, illa occisio est voluntaria, & occisor contrahit omnes pœnas propter illam impositas: expresse enim attingitur occisio hominis per illam universalem apprehensionem, illamque simpliciter vult generaliter, etiam si ignoret homicidium inde sequendum, siquidem habet voluntatem occidendi quod videt, sive inimicus sit, sive fera: ita optime Sanches numero 14. Suar. citato loco t. 2. numero 15. Montesin. numero 176. Nota tamen in hoc quarto, & quinto modo potius dari ignorantiam consequentem, quàm pure concomitantem, eo quod illa ocisio oriatur ex cognitione inimici saltem confusa. Sexto modo est voluntaria, & peccaminosa illa occisio feræ, non quidem ex parte objecti, sed ex circunstantia finis, qui intenditur, nam illa occisio feræ accipitur ut medium, quo securius occidatur inimicus: ita Montesin. disp. 10. quæst. 2. numero 177.

SUBSECTIO TERTIA.

De ignorantia vincibili sive consequente.

737. EX explicatione ignorátiæ invincibilis posita supra n. 706. manifestè apparet explicatio ignorátiæ vincibilis; est enim illa ad quá vincédam sufficit diligétia, quá solent viri prudétes adhibere: dicitur voluntaria, quia semper est volita, vel

directè, ut cum quis affectat nescire: vel indirectè, seu interpretative, eo quod prudenter judicetur eum hominem noluisse scire, qui non adhibuit sufficientem diligentiam, quæ requiritur ad sciendum; dicitur etiam ignorantia consequens, respectu nimirum illius volitionis, quæ est volita, non quòd volitionem consequatur duratione temporis, sed quia consideratur ignorantia, ut volitionis effectus; ideo enim talis nescit, quia voluit nescire: unde ista ignorantia est voluntaria, & causa operis quod ex tali ignorantia fit, ideo respectu operis est ignorantia antecedens, respectu verò volitionis consequens.

738. Dividitur in ignorantiam ex electione, & in ignorantiam ex negligentia. Ignorátia ex electione dicitur affectata, quia voluntas eligit ignorare quod fieri potest, vel ex bono fine, ut si quis determinatus ad peccatum, nolit scire legem, ne jam videatur contemnere, & sic minus peccet: vel fieri potest (& sic fieri regulariter solet) ex pravitate animi, cum quis ex majori affectu peccandi non vult scire legem, qua forte à peccando retardaretur.

739. Ignorantia ex negligentia, est illa, qua aliquid ignoratur quia non adhibetur diligentia moraliter debita: dividitur in ignorantiam ex culpa levi negligentiæ, quæ solum facit peccatum veniale, & in ignorantiam ex culpa gravi negligentiæ, quæ facit peccatum mortale. Admittunt hanc divisionem Suar. de censuris disp. 4. sect. 8. à n. 4. Martinez 1. 2. q. 76. dub. 1. concl. 4. Ignorantia ex levi negligentia non subdividitur, licet enim dentur ex ignorantia levi quædam culpæ levés, & quædam levissimæ, omnes tamen differunt penes magis, & minus.

740. Utrum verò ignorantia ex gravi negligentia dividatur in crassam, & in aliam mortaliter culpabilem? Respondetur affirmativè. Ita Sanchez in decalog. lib. 1. cap. 16. n. 7. & lib. 9. de matr. disp. 32. n. 31. qui pro hac sententia refert Henriques, Cano, Soto, Valentia, Graff. utrumque Ledesma, Ludovic. Lopes. Addo, Rainaud. dist. 2. q. 1. art. 2. n. 26. Salas n. 6. Castro de L. pœn. cap. 14. sequuntur communiter Juristæ.

Cap. 2 de Const. in 6.

741. Probatur primo ex Jure Can. ex cap. 2. de Const. in 6 ubi: *ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta, quorumcumque ordinariorum Prælatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen ex ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Illa verba *ligari nolumus ignorantes*, non possunt exponi de ignorantia invincibili, siquidem taliter ignorantes ligari non possunt, nec ante constitutionem hanc ligabantur: non de vincibiliter ignorantibus ex levi negligentia, cum hæc excuset ab omnibus pœnis gravibus, in quibus solum esse possunt pericula animarum; ergo intelligenda sunt de ignorantia ex negligentia gravi distincta ab ignorantia crassa, & supina, quæ etiam ex ignorantia gravi.

l. plurimum ff. de Iur. & facti ignorant. l. regula est ff. eodem tit. l. latæ culpæ 223 de verb. signif.

742. Probatur secundo ex Jure civili, l. *plurimum* ff. de Iur. & facti ignorantia ubi sola ignorantia hominis deperditi, & nimium securi reputatur crassa, ac supina: ex l. *regula* est ff. eodem tit. ubi dicitur ignorantia crassa, vel supina illa, quæ provenit ex summa negligentia, ut siquis ignoret quod omnes sciunt in civitate: ex l. *lata culpa* 223. de verbor. sign. ubi late culpa ad ignorantiam crassam requisita sic describitur. *Lata culpa finis est, non intelligere quod omnes intelligunt.* Ex quibus legibus clare constat differentia inter ignorantiam crassam & aliam mortaliter culpabilam; nam ignorantia crassa requirit summam negligentiam in discendo, quam non requirit alia quæcumque ignorantia ex negligentia gravi, ex quo oritur, quòd sola ignorantia crassa non excusat à censuris, ut excusat alia ignorantia.

743. Propter quæ, hanc sententiam præter Doctores citatos n. 740. sequuntur Bonacinas de censuris disp. 1. q. 2. punct. 1. numero 10. Barbosa in Collect. ad Jus can. ad lib. 1. sexti decretal. tit. 2. cap. 2. numero 7. Portel in additionibus ad dubia regularia verbo *ignorantia* n. 25. apud Dian. 3. p. tract. 5. resolut 3. & apparet ex differentia maxima inter ignorantiam crassam, & aliam mortaliter culpabilem, vel enim est ignorantia crassa illa, qua homo ignorat ex negligentia quod omnes sciunt, ut ex citatis Juribus deducitur; vel quando ignorans, aut nullam, aut modicam adhibuit diligentiam, ut explicat Sanches lib. 9. de Matr. disp. 32. n. 31. vel quando ex malitia, & nimia negligentia provenit, ut explicat Graff. lib. 4. cap. 8. n. 20. aut denique, quod mihi magis placet, quando talis est ignorantia, ut ex latissima culpa æquiparetur dolo, ut existimat Anton. cap. 2. de Const. n. 6. namque magis congruit Juribus citatis, cum enim dicant culpam latam requisitam ad ignorantiam crassam, esse ex negligentia ignorare quod omnes sciunt, quod quidem fieri non potest, nisi aliquis dolus in acquirenda scientia interveniat: quocumque tamen modo explicetur ignorantia crassa, essentialiter differt ab alia quacumque ignorantia.

744. Lorca de peccatis disp. 29. §. *quod diximus*, occurrens argumento ex cap. 2. de Const. respondet illam constitutionem non esse inductivam, sed declaratiuam antiqui Juris, ideo per illa verba, *ligari nolumus ignorantes*, intelligi ignorantes invincibiliter. Sed contra primo, quia illa verba, cum sint præcèptiva, plus designant quàm declarationem Juris antiqui. Secundo quia invincibiliter ignorantes, nec novo, nec antiquo Jure ligari poterant, cum censuræ cadere non possint nisi in homines culpabiles, supponunt enim culpam, & cum nulla detur culpa in invincibiliter ignorantibus, ligari non possunt censuris.

745. Suar. verò disp. 7. de censuris sect. 10. num. 10. & Curiel 1. 2. q. 77. in principio §. *ex duobus* occurrunt prædictæ objectioni ex cap. 2. de Const. respondendo per illam constitutionem relevari ignorantes ex levi negligentia, non ex gravi, quia licet ignorantes ex levi negligentia ex natura rei liberentur à gravibus pœnis, non tamen absolute liberi erant ab omni pœna; Sed contra eos insurgit Barbosa citatus manifeste ostendens tex. non loqui de ignorantia ex levi negligentia, & ignorantiam crassam, ac supinam non esse idem cum qualibet ignorantia invincibili: & contra eos est primo, quia culpæ leves, sive negligentiæ veniales nulla continent pericula animarum propter quorum evitationem Summus Pontifex edidit Constitutionem, ut apparet in illis verbis, *ut animarum periculis obvietur.* Secundo quia Pontifex solùm eximit ignorantes à pœna ordinaria, non tamen à pœna extraordinaria gravi, quæ nullatenus cadere potest in ignorantes ex levi negligentia.

746. Quòd ignorantia crassa & supina, sit idem cum quacumque ignorantia vincibili ex negligentia morali, docent Suar. Lorca, & Curiel citati, Montesin. disp. 10. n. 167. Azor p. 1. lib. 1. cap. 12. q. 1. §. 4. Vasq. disp. 127. cap. 1. n. 3. Granad. tract. 5. de peccatis disp. 5. n. 1. Quorum fundamenta ad duo capita reducuntur, Primum, est quia nullo Jure exprimitur alia ignorantia ex negligentia gravi præter crassam & supinam. Secundo quia jam daretur magna relaxatio disciplinæ Eccle-

siasticæ, si ignorantia ex gravi negligentia tantùm, non esset crassa & supina; si quidem taliter ignorãtes non incurrerent pœnas statutas ab ordinariis contra eos, qui ex ignorantia peccant. Respondetur ad primum negando anteced. ut constat ex Iuribus allegatis. Ad secundum nego anteced. quia licet detur aliqua relaxatio, non tamen magna, & melius est quælibet relaxatio, quàm animas implicare.

747. Utrum verò ut ignorantia dicatur vincibilis sufficiat hominem posse, vel esse obligatum advertere, & non requiratur cognitio aliqua actualis illius quod ignoratur, satis explicatum est sect. 2. subsect. 4. in prima difficultate à n. 256. ubi docuimus ad voluntarium necessario requiri aliquam cognitionem actualem, quæcumque illa sit, & non sufficere posse vel debere hominem advertere, quod præter Doctores ibi citatos n. 258. docent Portel, Castro, Palaus, Alvares, Ægid. de Coninch. Tanner. & Layman apud Dian. p. 4. tract. 4. resolut. 36. ubi hanc sententiam probabiliorem esse censet, & immerito pro opposita affert Curiel. 1. 2. q. 76. art. 2. dub. 3. §. 3. cum se explicat dub. 4. in principio, & immerito etiam Iacobus Gordon. in theologia morali tom. 1. lib. 1. q. 8. cap. 10. n. 37. eam attribuit Patri Suar. afferens ita illam sententiam accepisse ab eo dum Romæ publice legeret anno 1582. quare idem Gordon. qui oppositam sententiam tuetur acerrime, nullum Authorem affert de novo pro illa sententia, nec etiam novam rationem: Diana Gordoni sententiam probabilem esse asserit. Ac proinde ad ignorantiam invincibilem requiritur cognitio actualis quæcumque illa sit. Supersunt duæ difficultates circa modum, quo ignorantia vincibilis causat volũtarium, quas brevissime expediemus.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum ignorantia vincibilis causet involuntarium?

748. VT diximus n. 737. ignoranda vincibilis dicitur consequens per ordinem ad actum voluntatis, à quo dependet, & hoc modo de illa non loquimur, sed per ordinem ad actum, & eventum quem causat, vel concomitatur, per ordinem ad quem dicitur antecedens, & concomitans secundum quid: antecedens datur quando quis non facta diligentia sufficiente aliquid facit, quod non fecisset si adesset scientia, ut si non facta diligentia ignoret diem jejunii, manuque comedat: concomitans est quando ex eadem negligentia opus facit, quod similiter fecisset, ut si pro fera occidat inimicum: duplex enim datur motus in voluntate, unus ad ignorantiam, alter ad effectum, quem ex ignorantia vult: respectu effectus ignorantia est causa antecedens, respectu voluntatis ignorantia est quid consequens cum volita sit ex imperio voluntatis. Hoc posito.

749. Dico primo: Tam ignorantia antecedens, quàm cõcomitans vincibilis causat actum simpliter
D.Thom. voluntarium. Ita communiter Doctores cum D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 8. Videndi sunt Martinez ibid. dub. 3. Suar. tract. 2. de voluntario disp. 4. sect. 2. n. 18. Vasq. disp. 29. cap. 2. n. 8. Salas n. 19.
Augustin. Cornejo citatus dub. unico n. 3. Montesin. n. 178. estque expressa sententia Augustini lib. 3. de libero arbit. cap. 19. ubi: *non tibi imputatur ad culpam, si ignores; sed si scire neglexeris.* Et probatur quia ista ignorantia est voluntaria, vel in se, si fuerit affectata, vel indirectè, si fuerit negligens; ergo etiam actus subsequutus, voluntarius erit. Probo conseq. quia tenemur vitare ignorantiam, ne effectus prohibitus sequatur: & quando tenemur aliquid facere, ne aliud sequatur, si non fiat, eventus subsequutus voluntarius est in alio; ergo similiter in præsẽti: Confirmatur quia ista ignorantia est absolutè voluntaria; ergo quod ex ea sequitur, non potest esse involuntarium simpliciter.

750. Objicies primo: Ideo ignorantia simpliciter antecedens causat involuntarium simpliciter, quia removet scientiam, quæ si adesset, opus non fieret: atqui ita se habet ignorantia antecedens secundùm quid, quæ simpliciter est consequens; ergo etiam causabit involuntarium simpliciter. Respondetur: Explico Majorem, Ideo ignorantia simpliciter antecedens causat involuntarium simpliciter, quia removet scientiam, tantum, nego: ex alio etiam capite, concedo: aliud verò caput est, quia id, quod fit ex ignorantia antecedente simpliciter, fit repugnante voluntate efficaciter: quod verò fit ex ignorantia antecedente secundùm quid, fit repugnante voluntate inefficaciter: nam si repugnantia foret efficax, voluntas adhiberet sufficientem diligentiam, qui autem causam non adhibet cum potest, censetur non habere absolutam dispositionem repugnantem effectui, qui ex illa ignorantia procedit, si enim ibi esset efficax dispositio, non permitteret hominem operari sine sufficienti diligentia.

751. Secundo, homicidium subsequutum ex ignorantia concomitante secundùm quid, non est voluntarium in se, nec in alio: non in se, cum non sit per se cognitum: non in alio, cùm ignorantia concomitans non sit per se causa homicidii. Respondetur negando anteced. est enim voluntarium in alio, nimirum in periculo occidendi, quod voluntariè eligitur, dum ille, qui incaute emittit sagittam, non adhibet sufficientem diligentiam ad expellendum dubium, utrum ibi sit homo, an fera?

752. Intelligenda tamen est conclusio hoc modo, quod ignorantia causat voluntarium morale, simpliciter: physicum, secundum quid. Probo primum primo, quia quod sequitur ex tali ignorantia imputatur ad culpam; ergo quia est simpliciter voluntarium morale. Secundo quia ad voluntarium morale sufficit quælibet cognitio etiam confusa de objecto imputabili cum proportionata dependentia à voluntate: atqui & cognitio & dependentia reperiuntur in opere facto ex ignorantia vincibili; ergo opus ex ea factum erit voluntarium morale simpliciter.

Dices: Voluntarium morale simpliciter non potest stare cum voluntario physico secundum quid. Respondetur negando antecedens, ut patet exemplo illius, qui offert sine causa rationabili occasionem peccandi, verbi gratia, in illo, qui ab usurario pecunias petit, ubi in usurario datur voluntarium morale simpliciter sine voluntario physico, cum voluntas usurarii à postulantis pecunias voluntate realiter non dependeat.

753. Probo secundum, quòd scilicet illa ignorantia causat voluntarium physicum secundum quid, quia voluntarium physicum simpliciter est illud, quod procedit à principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actus: sed quod procedit ab ignorantia circa rationem ignoratam fit à simpliciter ignorante circa illam, & cognoscente secundum quid, confuse scilicet, ratione dubij, vel scrupuli.

754. Dices cum Vasquio disp. 29. cap. 2. §. *deinde*, Valentia disp. 2. q. 1. punct. 6. Voluntarium in alio ut in causa, eodem modo est voluntarium, quo causa: sed ignorantia est causa, & causa physice voluntaria simpliciter: ergo etiam causabit voluntarium physicum simpliciter. Res-

ponderur distinguendo Minor. sed ignorantia est causa, & physicè voluntaria simpliciter, circa id, quod cognoscitur, concedo: circa id, quod ignoratur, nego: nam circa rationem cognitam, datur cognitio expressa, non verò circa rationem ignoratam.

755. Dico secundo: Ignorantia antecedens secundùm quid, causat involuntarium secundùm quid: ignorantia verò concomitans secundùm quid, causat non voluntarium. Prima pars est communis & probatur primo, quia opus ex ignorantia antecedente secundùm quid factum, generat pœnitudinem, & displicentiam, repugnatque dispositioni voluntatis inefficaciter. Secundo quia *ut se habet simpliciter ad simpliciter, ita & secundùm quid ad secundùm quid*: sed ignorantia antecedens simpliciter causat voluntarium simpliciter; ergo etiam ignorantia antecedens secundùm quid causabit involuntarium secundùm quid. Secunda pars exprimitur à Vasq. disp. 29. cap. 2. n. 7. Istud tamen non voluntarium non excusat à culpa propter periculum.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum ignorantia affectata causet involuntarium?

756. Respondetur affirmative: ita D. Thom. citatus quem ita explicat, & sequitur citatus Martinez, Cornejo citatus §. *ad hoc*, videtur de mente Granadi disp. ultima n. 4. Et probatur primo, quia illi, qui affectant ignorare ut minus peccent, eo quod cum ista ignorantia sibi videntur minus contemnere Deum, & ejus legem, aliquam displicentiam habent de peccato, quod committunt; sæpeque tristantur de actu commisso postquam in cognitionem transgressionis legis devenerunt; ergo talis ignorantia causat involuntarium.

757. Objicies primo cum Medin. 1. 2. q. 6. art. 8. docente ignorantiam ex negligentia causare involuntarium secundum quid: idemque docet Montesin. citatus n. 180. quia ignorantia affectata est formaliter & expresse volita propter ipsum effectum, & non propter se ipsam; ergo voluntas non potest habere aliquem actum, cui repugnet ille effectus; ergo ex hac ignorantia non causabitur involuntarium. Respondetur distinguendo primum consequens; ergo voluntas non potest habere aliquem actum, cui repugnet ille effectus, efficacem, & formalem, concedo: inefficacem, & virtualem, nego: Nam licet voluntas velit effectum efficaciter, tamen non vult scire rationem ejus malitiæ formaliter, eoquod virtualiter illi displiceat transgressio præcepti, & malitia, ac proinde datur actus contrarius voluntati, respectu effectus, non verò respectu ignorantiæ: nam ad interpretandam voluntatem, respectu effectus datur fundamentum, non respectu ignorantiæ.

758. Instabis: Ignorantia omnibus modis est absolutè volita; ergo & effectus, qui sequitur ex illa. Probatur consequentia; quia ille effectus est voluntarius in causa; ergo non minus voluntarius quam ipsa causa, idest quàm ignorantia. Respondetur negando consequentiam, ad probationem nego similiter conseq. non enim est necessarium, quòd tota perfectio causæ redundet in effectum: licet enim effectus non possit esse magis voluntarius quàm causa, potest tamen esse minus voluntarius, quàm ipsa causa; ut metus est simpliciter involuntarius, & tamen causat effectum simpliciter voluntarium; unde licet absolute ignorantia sit voluntaria, non tamen facere potest, quòd si adesset scientia, non sic operaretur voluntas, & per consequens facere etiam non potest, ne effectus sit secundum quid involuntarius, si nimirum, virtualiter renitatur voluntas.

759. Secundo etiamsi quis affectans ignorantiam, ut minus peccet, causet involuntarium secundùm quid, non tamen si affectet ignorantiam ut delectabilius operetur; ergo non semper ignorantia affectata causat involuntarium secundum quid. Probatur antecedens, quia ignorantia affectata, ut quis liberius peccet sine conscientiæ remorsu, & legis persuasione, ac sine difficultate peccandi, auget liberum, & voluntarium, ut docent Curiel 1. 2. q. 76. art. 4. Salas tract. 13. disp. 8. sect. 11. n. 41. Azor 1. p. lib. 1. cap. 14. q. 1. Sanches in decalog. lib. 1. cap. 17. n. 5. Bonacinas tom. 2. disp. 2. de peccatis q. 8. n. 20. ergo non causat involuntarium. Respondetur, nego anteced. ad probationem nego consequentiam quia licet ignorantia affectata ut quis liberius peccet, magis voluntaria sit, quàm ignorantia affectata ut quis minus peccet, non est tamen ita voluntaria, ut non habeat aliquid involuntarii secundum quid, non enim illud augmentum voluntarii repugnat esse cum involuntario secundum quid, quod necessario dandum est, eo quòd quocumque modo augeatur voluntarium, deest scientia, quæ si adesset, non daretur operatio, vel fieret cum tristitia & displicentia.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrum effectus orti ex ignorantia vincibili sint voluntarii?

760. Dico primo: Effectus ortus ex ignorantia vincibili non est magis voluntarius, quam sit ipsa ignorantia; ita Cordub. in quæstionar. lib. 2. q. 18. §. *ex dictis*. Castro lib. 1. de l. pœn. cap. 14. Navar. in sum. cap. 22. n. 6. Joannes Andreas cap. Si *mea* de jure jur. Angel. & Silvester verb. *perjurium*. Suar. tract. 2. de voluntario disp. 4. sect. 1. n. 18. & probatur, quia effectus non potest esse magis voluntarius, quam sit causa, qua est volitus: atqui totum voluntarium effectus, derivatur ex voluntario causæ idest, ignorantiæ; ergo non potest effectus esse magis voluntarius, quàm sit ejus causa, nimirum ignorantia.

761. Dico secundo: Omnes effectus causati ex ignorantia sive affectata sive non, sunt minus voluntarii, quàm illi effectus, qui causantur ex scientia: ita Valentia tom. 2. disp. 2. q. 1. punct. 6. ad 4. Suar. citatus n. 24. Et probatur: Illa sunt magis voluntaria, quæ procedunt à principio magis cognoscente, nam *quo major est cognitio, eò magis appetibile proponitur objectum*, ut voluntas feratur in illud: atqui quæ procedunt ex ignorantia, procedunt ex principio minus cognoscente; ergo sunt minus voluntaria, quàm illa, quæ procedunt ex scientia.

762. Dico tertio: Magis voluntarii sunt effectus orti ex ignorantia affectata, quam orti ex alia ignorantia ex negligentia: videtur ista conclusio de mente eorum Doctorum, qui asserunt ignorantiam vincibilem non affectatam minuere peccatum & malitiam, & augeri ab ignorantia affectata, de quo videantur Salas citatus n. 82. Sanches citatus cap. 17. Nam ratio cur ignorantia non affectata minuit peccatum, est quia minuit voluntarium, minuendo scientiam actus exercen-

di, *quò enim aliquid est minus scitum, eò est minus voluntarium*: ex opposita ratione ignorantia affectata augebit malitiam, quia aliquid habet plus cognitionis, quàm alia ignorantia. Insuper probatur, quia ignorantia affectata est magis voluntaria, quam alia ignorantia, siquidem est directe volita; ergo etiam effectus exorti ex ignorantia affectata, erunt magis voluntarii, cum enim totum voluntarium horum effectuum dependeat ex causa, quò magis causa fuerit voluntaria, eò effectus erunt magis voluntarii.

763. Dico quarto: Omnes effectus qui oriuntur ex ignorantia culpabili si nullo modo prævideantur in ipsa ignorantia, imò probabiliter ignorentur futuri, non sunt voluntarii, nec imputari possunt ad culpam. Ita Cajet. 2. 2. q. 150. art. 4. Covar. in Clement. *si furiosus* 3. p. relect. in principio, & n. 3. Suar. tom. 5. in 3. p. disp. 4. 6. sect. 1. Navar. in sum. cap. 27. n. 150. Castro de l. pœnali cap. 14. §. 1. Et constat ex iis, quæ diximus in hac disp. sect. 2. subsect. 3. in 4. diff. & patet, quia id quod nullo modo prævidetur, non potest esse voluntarium, *nihil enim voluntarium est, quod non sit volitum, & nihil volitum est, quod non sit præcognitum*: cum ergo illi effectus non sint præcogniti, non erunt voliti, si non voliti, nec etiam erunt voluntarii. Secundo, quia ut diximus citato loco, si eventus in causa non prævidetur futurus, non est eventus voluntarius; ergo si eventus ex ignorantia non prævideatur futurus, non erit voluntarius. Ex quo sequitur eventus prævisos per se fieri ex ignorantis, esse voluntarios: & pro hac difficultate videantur quæ diximus illo loco, illis visis nil desideratur.

SUBSECTIO QUARTA.

De involuntario ex inconsideratione.

764. SUb involuntario ex ignorantia, ponitur involuntarium ex inconsideratione, quia affinis est ignorantiæ: pro qua suppono primo dari aliquam inconsiderationem omnino involuntariam, estque oblivio naturalis, quia cum non sit in manu hominis facere, ut omnia, quæ habitualiter scit, sibi actualiter offerantur, homini involuntaria erit oblivio, orta ex fragilitate naturæ, quam rationem tetigit Cajet in sum. verb. *inconsideratio*. Insuper probatur; quia voluntarium est quod procedit ab actuali consideratione eorum, in quibus est actus; ergo si non detur aliqua cogitatio, per quam homo consideret, vel ad considerandum moraliter excitetur, non potest fieri, ut talis oblivio & inconsideratio sit involuntaria, ex quo Aristot. 7. Ethic. cap. 18. asseruit primam cogitationem non posse esse voluntariam, quia si foret voluntaria, daretur infinitus processus in consultando, qui ut evitetur, admitti debet aliqua cogitatio mere naturalis, ex qua prima procedat consultatio, per quam cogitationem quis advertit vel audit se non considerare aliquid ex iis, quæ considerare tenebatur, vel poterat, ac proinde ablata hac cogitatione naturali, non potest homo moveri ad considerandum, vel ad acquirendam scientiam; & per consequens dabitur inconsideratio involuntaria. Aristot.

765. Et hoc medio probat Scotus in secundo dist. 42. q. 4. n. 5. vers. *dicitur igitur*, cogitationem aliquam subesse voluntati, nullo tamen modo primam cogitationem posse subesse voluntati, eò quod præcedat omnem actum voluntatis. Ita enim habet. *Dicitur igitur, quod aliqua intellectio vel cogitatio est à voluntate imperata: & cum possit distingui cogitatio generaliter in primam, & secundam: de prima probo, quòd non potest esse in potestate voluntatis: quia aliqua cogitatio præcedit necessario omne velle (saltem natura) sed quod præcedit omne velle, & est prius natura, saltem non est in potestate nostra. Hoc etiam dicit August. 3. de libero arbitrio, non est in potestate nostra, quin visis tangamur.* Scotus.

766. Suppono secundo cum D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 3. dari aliquam inconsiderationem voluntariam. Ita enim habet ad 3. *sicut non velle, & non agere cum tempus fuerit, est voluntarium, ita etiam non considerare*: ex quo probat, sicut potest dari indirectum voluntarium sine actu voluntatis, ita etiam sine actuali consideratione. Idem etiam habet Scotus citato loco n. 10. à vers. *Respondeo ergo* 1 eamdem etiam veritatem supponunt Theologi dum de inconsideratione morali tractant, & de peccatis, quæ ab ea progrediuntur, optimeque probat August. lib. 10. de Trinitate à cap. 1. D. Thom. Scotus. Augustin.

767. Et probatur, quia voluntas potest excitare intellectum ad exercitium actus circa objectum, vel circumstantias considerandas; ergo etiam poterit non applicare intellectum ad considerandum cum possit, ex quo illa inconsideratio, cum sit ab intrinseco, erit voluntaria, attribueturque voluntati, quæ cum possit, noluit, & neglexit applicare intellectum ad considerandum, sicut enim voluntas applicans intellectum est causa considerationis voluntariæ, ita etiam non applicans intellectum, erit causa inconsiderationis voluntariæ, hic enim locum habet illud Philosophi; *sicut affirmatio est causa affirmationis, ita etiam negatio est causa negationis*. Hac igitur duplici inconsideratione supposita, superest breviter explicare duas difficultates, quæ circa illa occurrunt.

PRIMA DIFFICULTAS.

Quo pacto judicandum sit, quænam inconsideratio, sit voluntaria, vel involuntaria?

768. SIne disputatione, ut necessaria regula tradatur pro discrimine utriusque inconsiderationis procedendum est. Dico primo: Ut inconsideratio sit voluntaria in se, requiritur, quod intellectus reflectatur supra illam, vel actu advertens se non considerare objectum, & ideo teneri ad accuratiorem illius considerationem, vel dubitando de sufficiente consideratione, de obligatione amplius considerandi, quod si voluntas renuat id facere censetur inconsideratio voluntaria: ita Suar. citata disp. 4. sect. 3. n. 25. Salas citatus disp. 4. sect. 3. n. 34. Et probatur, quia in eo casu homo potest & tenetur inquirere & considerare objectum, ne in illo detur aliqua malitia, in quam incidat; ergo si homo non vult considerare, Inconsideratio erit voluntaria, & culpabilis: Unde licet voluntas non eliciat actum circa majorem considerationem; applicans tantum ad opus, erit indirecte inconsideratio volita, sed voluntaria in se.

769. Dico secundo: Ut inconsideratio sit voluntaria in alio, directè vel indirectè, id est, vel per actum positivum, vel per omissionem actus, non requiritur ista reflexio, sed sufficit consideratio alicujus objecti ita connexi cum alio, ut ex prævisione illius possit voluntas movere intellectum ad aliud considerandum, Probatur, quia ad

considerationem voluntariam non requiritur reflexio, ut infra dicam n. 775. secundo quia constituatur homo considerans esse peccatum id, quod operatur, sed non ponderans ejus malitiam, sit ne mortalis, an venialis; nec hoc dubitans, eo quòd non efficiat reflexionem circa gravitatem malitiæ: quæro, an illa inconsideratio gravitatis voluntaria sit, an non? si voluntaria est, jam ad voluntariam inconsiderationem, non requiritur reflexio: si involuntaria est, actus ex inconsideratione ortus, nec peccatum mortale, nec veniale erit, cum tamen certo constet esse peccatum: requiritur ergo solum, ut prævideatur objectum, ex quo sufficienter moveatur voluntas ad considerandum de turpitudine alterius objecti, cum quo connectitur.

770. Quod apparet in exemplo quod affert D. Thom. 1. 2. q. 71. art. 8. in corpore, attulit enim pro exemplo publicam fornicationem, ex qua plurimorum oritur scandalum, propter quod docuit publice fornicantem duplex committere peccatum, unum luxuriæ, alterum scandali, quamquam nec prævideat, nec expresse intendat scandalum sequuturum: ex eo quòd fornicatio publica ita connexa est cum peccato scandali inde sequuti, ut connexio cum fornicatione sufficiens sit, ut ex illa voluntas moveat intellectum ad considerandum scandalum inde exortum; in quo casu inconsideratio illa erit voluntaria, quia ille homo poterat, & debebat considerare: non enim sufficit, quod homo debeat considerare, sed requiritur quod possit; nemo enim tenetur ad impossibile, & impossibile est considerare, quod non potest considerari, ut autem possit considerari, requiritur connexio inter utrumque objectum, ita ut ex consideratione unius aliquod detur dubium vel scrupulus de turpitudine alterius, sine aliquali enim cognitione turpitudinis consideratio illius voluntaria esse non potest, ut sæpe diximus, præcipue supra à n. 256. ad n. 266. unde immerito aliqui Authores docuerunt sufficere debere hominem considerare.

D. Thom.

771. Quæ omnia mihi videtur dixisse August. lib. 10. de Trinitate cap. 1. & 2. dum ex cognitione in genere, ostendit posse voluntatem applicare intellectum ad considerationem magis plenam, & specificam objecti, quocirca, si habita priore cognitione, posterior non detur, talis omissio considerationis voluntaria erit: quam doctrinam secutus est Scotus citatus n. 11. vers. *dico igitur*, ubi asserit *quòd una intellectione intellectus existente perfecta, possunt ibi esse multa, confusa, & imperfecta.* Videatur, ubi subtiliter explicat modum, quo voluntas convertit, & avertit intellectum à consideratione alicujus.

August.

Scotus.

772. Dico tertio, eam inconsiderationem esse involuntariam, cujus nulla notitia in mentem venit, nec notitia alterius objecti, ex quo moraliter posset voluntas applicare intellectum ad aliud considerandum, cum quo tamen stare potest, posse actum involuntariè consideratum, esse voluntarium ex aliqua præterita volitione, quæ fuerit causa præsentis inconsiderationis, quæ modo invincibilis est. Præterea potest dari advertentia inconsiderationis; si nimirum objectum moveat ad aliud considerandum, cum quo connectitur, & potest esse hæc inconsideratio involuntaria, si videlicet facta debita diligentia, non expellatur inconsideratio: quænam verò sit debita diligentia diximus supra n. 705. loquentes de ignorantia invincibili: securius operabitur, qui prudentis viri judicio steterit, sæpe enim humana prudentia non consequitur, quænam diligentia necessaria, propter imperceptibilitatem, ut bene notavit Cajet. 2. 2. q. 88. art. 1. immo sæpissime nescimus proprium consensum, & deliberationem.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum inconsideratio causet involuntarium?

773. DIco primo: quæcumque inconsideratio involuntaria efficit actum non voluntarium quoad rationem inconsideratam: ita Cajet. & Medin 1. 2. q. 6. art. 8. Valentia disp. 2. q. 2. punct. 6. Saito in clavi lib. 2. cap. 2. n. 25. Corduba in quæstionario lib. 2. q. 17. Suar. citatus disp. 4. sect. 3. n. 9. Salas tract. 13. disp. 4. sect. 5. n. 27. Probatur, quia sine actuali inconsideratione non potest dari voluntarium; ergo si inconsideratio non sit voluntaria, opus ex illa, vel cum illa factum non erit voluntarium. Probatur antecedens, quia ideo ignorantia causat non voluntarium, quia tollit potestatem considerandi actum, ergo sine actuali consideratione, actus non est voluntarius: ideo enim qui dormiunt, vel impeditum habent usum rationis, non operantur voluntarie, quia licet habeant scientiam habitualem, non tamen habent actualem quæ requiritur.

774. Dices: Ignorantia, & inconsideratio actualis idem sunt. Sed contra, quia August. primo de Trinitate cap. 5. id negat dicens, *aliud est non se noscere, aliud non se cogitare: nec enim multarum doctrinarum peritum, ignorare grammaticam dicimus, cum eam non cogitat*, ex quo sequitur hanc inconsiderationem invincibilem, & involuntariam excusare à culpa, & consequenter à pœna, ab obligatione restituendi, à censuris, & ab irregularitate: quæcumque enim dixerimus de ignorantia invincibili, etiam de inconsideratione involuntaria intelligenda sunt.

August.

775. Objicies: Optime potest stare, quòd inconsideratio sit involuntaria, & opus ex ea factum voluntarium; ergo non omnis inconsideratio involuntaria efficit actum non voluntarium. Antecd. probatur, quia si quis advertat suam ignorantiam esse invincibilem, poterit suspendere actum & opus: ergo si non suspendat; actus, & opus voluntaria erunt; ergo poterit advertere suam inconsiderationem; ex qua advertentia, si non suspendat opus, voluntarium erit. Respondetur negando antecedens; ad probationem concedo totum enthimema, si commode possit voluntas suspendere opus, & nego ultimam consequentiam: Major ratio est, quia in ina considerarione actuali non datur illa reflexio mentis, qua quia advertit non expedire operari cum illa. Quod si admittatur illa reflexio mentis, quæ vix potest accidere, eodem modo de illa, atque de ignorantia dicendum est: sed tunc non oritur opus voluntarium ex ipsa inconsideratione involuntaria, sed ex consideratione reflexa, qua advertitur periculum.

776. Dico secundo: Inconsideratio voluntaria efficit actum voluntarium; ita communiter Doctores. Probatur primo, quia quando causa est voluntaria, effectus in ea prævisus voluntarius est, ut in simili diximus de eventibus sequutis ex omissione, & de eventibus ex ignorantia. Secundo quia ex opposito nullus peccaret, nisi actu cogitaret suam actionem esse gravem Dei offensam,

quod pauci cogitant cum peccant, cum sæpe solummodo ad suam vindictam, & cupiditatem attendant. Antecedens probatur, quia si illa conditio actus non cogiretur, formaliter in se, erit actu inconsiderata; vel ergo erit involuntaria, vel voluntaria: si primum, non est peccatum: si secundum; ergo oritur ex inconsideratione voluntaria, si enim involuntaria foret, opus ex ea sequutum voluntarium non foret. Insuper etiam, sequeretur neminem venialiter peccare, nisi actu cogitet turpitudinem peccati venialis: sequela falsa est, siquidem multi Religiosi si considerarent illam turpitudinem, peccatum veniale non committerent: imò in peccatis venialibus quæ ex subreptione fiunt, sæpius non intercedit cogitatio actualis de turpitudine illorum.

777. Tertio quia non committeretur peccatum aliquod sine remorsu conscientiæ, quod tamen est contra Apostolum 1. ad Corinth. cap. 4. vers. 4. *nil mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum*: quem locum ita interpretatur D. Hieronim. dialogo secundo contra Pelagianos, *sæpe aliqua malitia latet, ubi bene egisse arbitramur.* Et ideo Apostolus temperavit sermonem suum, *sed non in hoc justificatus sum*, ne forte per ignorantiam deliquisset, quæ sanè ignorantia vix in Apostolo potest admitti, nisi nomine ignorantiæ, inconsideratio actualis intelligatur: Unde Sancti P.P. sæpius advertunt, ut opera virtutis cum magna discretione fiant, ne fit reatus criminis, quod putatur causa virtutis.

1. ad Corinth. 4.

S. Hieronimus.

778. Ex quibus colliges primo; inconsiderationem voluntariam supponere aliquam cognitionem saltem confusam actualem, ut sæpe diximus, potest enim quis in confuso advertere, seu formidare & dubitare, oporteat ne amplius considerare objectum. Secundo, ut præceptum actu obliget, satis esse fuisse impositum pro eo tempore, & quod sit in hominis potestate considerare præcepti obligationem, neque enim necessarium est, quod obligatio considerandi proveniat ab speciali præcepto, tantum ad hoc imposito ut consideremus, in quolibet enim præcepto includitur obligatio considerandi.

SUBSECTIO QUINTA.

Proponuntur corollaria doctrina defensa in hac sectione.

DOctrina superposita de ignorantia invincibili, & vincibili, necessaria omnino est ad materias morales decidendas, præcipue circa materiam censuratum, qua de causa justum est ut aliqua colligantur ex illa, ex quorum luce lux offeratur colligendi similia, & primo proponemus aliqua, quæ colliguntur ex ignorantia invincibili; deinde quæ ex vincibili colliguntur.

Corollaria ex ignorantia invincibili.

779. COlligitur primo ignorantiam antecedentem invincibilem (cujus nomine etiam intelligo inconsiderationem involuntariam) excusare ab omni culpa. Ita communiter Theologi, quos longo numero refert Salas tract. 13. disp. 8. sect. 5. quia tota malitia ignoratur invincibiliter, quod autem ignoratur ita, non est voluntarium, & per consequens, nec culpabile: unde si in objecto pars malitiæ cognoscatur, vel vincibiliter ignoretur, & pars malitiæ ignoretur invincibiliter, pars malitiæ, quæ cognita est, vel vincibiliter ignoratur, tribuetur culpæ; non tamen pars ignorata invincibiliter, verbi gratia, si quis cognoscat esse hominem, vel vincibiliter ignoret an homo sit: & ignoret invincibiliter esse clericum, si illum occidat, excusabitur à sacrilegio, quod invincibiliter ignoratur, non tamen excusabitur ab homicidio.

780. Dices, si Rusticus, verbi gratia, audiat ab aliquo viro, quem prudenter existimat esse pium & doctum, actus externos furti, verbi gratia, esse peccata, non tamen actus internos, invincibiliter ignorat tales actus internos esse peccata, & tamen si habeat hujusmodi actus internos, peccat; ergo ignorantia invincibilis non excusat à culpa. Minor probatur, quia velle quod cognoscitur esse peccatum, est culpa, sed Rusticus vult actum externum, quem putat esse peccatum; ergo volitio illa peccatum est. Respondetur negando Minorem cum Sanches in Decalogum lib. 1. cap. 16. n. 17. Granad. controv. de peccatis tract. 5. disp. 3. n. 5. ad probationem distinguendo Major. absoluè, concedo: ex suppositione conscientiæ erroneæ, ac ignorantiæ, nego: velle igitur peccatum quod cognoscitur esse peccatum tantùm externum, & non ut volitum, peccatum non est.

781. Colligitur secundo ignorantiam concomitantem invincibilem excusare similiter à culpa, ex eadem ratione. Ita communiter Doctores videndi apud Suar. tom. 5. in 3. p. disp. 4. sect. 8. n. 8. & 1. 2. tract. 2. disp. 4. à n. 16. Azor 1. p. lib. 1. cap. 14. q. 4. Sanches citatus cap. 16. Curiel t. 1. q. 76. art. 3. §. 2. Bonacin. disp. 2. de peccat. q. 8. punct. 3. n. 34. Lorca disp. 33. membro 1. Aravio q. 76. art. 4. dub. 4. n. 11. Montesin. disp. 8. q. 12.

782. Colligitur tertio similiter utramque ignorantiam excusare à pœna, sicut à culpa excusant: patet ex cap. *cognoscentes* de Const. ubi sic: *rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit.* Et inde est, quòd si quis ignoret invincibiliter se esse excommunicatum, & celebret, non manet irregularis ex cap. *Apostolicæ* de Clerico excommunicato. Videndi Lorca disp. 33. Sairo in clavi lib. 2. cap. 9. à n. 24. Salas citata disp. 8. sect. 10. Sanches lib. 9. de Matr. disp. 32. Curiel citatus art. 4. dub. 3. certum est enim apud Theologos, opus quod excusat à culpa theologica, excusare etiam à pœna propter talem culpam statutam. Quod intelligitur de pœna propria, non de impropria, qualis est quæ sine culpa, non tamen sine rationabili causa imponitur, ut si imponatur propter decentiam, vel propter alienam causam, verbi gratia, si illegitimus celebret, aut minister Justitiæ hominem interficiat.

cap. cognoscentes de const.

cap. Apostolicæ de Cler. excom.

783. Colligitur quarto ignorantiam invincibilem, quæcumque illa sit, Juris, seu statuti, quo censura pro delicto imponitur, excusare ab incursu talis censuræ, idest excommunicationis, interdicti, vel suspensionis. Videatur Tannerus tom. 4. disp. 6. q. 10. dub. 3. n. 47. Cælestin. in compendio theologiæ moralis tract. 3. cap. 5. n. 2. Avila de censuris p. 2. cap. 5. disp. 5. dub. 8. Gaspar Hurtado, & Petr. Hurtado, ille tract. de censuris difficult. 21. Iste 2. 2. disp. 83. sect. 5. §. 41. Latè Dian. p. 3. tract. 6. resol. 41.

784. Colligitur quinto ignorantiam invincibilem solius censuræ excusare peccantem à censura,

ſura, etiam ſi peccans cognoſcat delictum prohiberi ſub aliqua pœna generali, vel damnatum jure naturali. Ita in terminis Sanches lib. 9. de Matr. diſp. 32. numero 13. cum Hoſtienſ. Angel. Silveſt. Henriq. Navar. Soto, Ludovic. Lopes, Rodrig. Philarich. Ovando, Vega, Bartholom. de Ledeſma, Graff. Dian. cum Salas, Molio. Valentia, Azor, Sajiro quos refert & ſequitur 3. p. tract. 6. reſolut. 41. Suar. tom. 5. in 3. p. diſp. 8. ſect. 4. numero 9. Zumel 1. 2. q. 76. art. 4. diſp. 3. io dub. annexo concl. 2: Ætavio citatus numero 11. & 16. Lorca diſp. 33. memb. 3. & ratio eſt, quia cenſuræ habent hoc ſpeciale, quòd non contrahuntur ſine contumacia, contra monitionem Eccleſiæ præcipientis, vel prohibentis ſub interminatione talis cenſuræ: hæc autem contumacia dari nequit cum ignorantia.

785. Quare non bene Covas in cap. *alma mater.* 1. p. §. 10. numero 9. ita acriter tuetur oppoſitum, ut contrarium exiſtimet eſſe errorem, maximamque ac pudendam oſcitationem, oſcitatur tamen, ei adhæſerunt plures Doctores, quos refert citatus Sanches numero 8. & citatus Dian. Probat, quia obligatio delinquentis eſt naturalis, & ex delinquentis conſenſu, qui delictum admittit, *qui enim vult antecedens, vult etiam conſequens*; ergo impertinens eſt, quod delinquens cognoſcat cenſuram ad hoc, ut eam incurrat. Reſpondetur, etiamſi admittatur antecedens in aliis pœnis, in cenſuris nequaquam admittendum eſſe, tum quia cenſura eſt pœna extraordinaria, tum quia quamvis foret ordinaria, requirit contumaciam, & monitionem Eccleſiæ per quod ſolvuntur reliqua argumenta.

786. Ex quo capite hæretici non incurrunt excommunicationem, ſi illius habeant ignorantiam invincibilem, de quo Petrus Hurtad. citata diſp. 83. ſect. 5. §. 42. Et idem dicendum eſt, ſi per inconſiderationem involuntariam hæretici obliti ſunt cenſurarum. Quod verum eſt, ſive cenſuræ latæ ſint ab Epiſcopo, ſive à ſummo Pontifice, ut bene cum multis reſolvit Diana citatus.

787. Unde ſi quis volens percutere Petrum clericum, & percutiat Paulum etiam clericum, qui probabiliter putabatur eſſe Petrus: excuſabit-ne hic error perſonæ ab excommunicatione? Affirmat Martinez. 1.2. q. 76. art. 4. dub. 2. §. *tertia regula*; negant Covas cit. numero 15. Lorca cit. memb. 1. §. *ſed inquirens.* diſtinguendum tamen cum Zumel citato §. *ſed interrogabis*, Curiel cit. dub. 3. §. 2. Alter. de cenſuris tom. 1. lib. 5. diſp. 12. cap. 5. §. *ſed quid*: vel enim Paulus inſignia clericatus habebat, ex quibus facile dignoſceretur eſſe Clericus, vel non: in primo caſu non excuſatur percutiens, in ſecundo excuſatur, nam in primo non habet onde excuſetur, habet tamen in ſecundo, licet enim intendat percutere Clericum, in executione non percutit, nec talis percuſſio erat percutientis intentio: cenſura autem non ponitur pro intentione, ſed pro executione.

788. Colligitur ſexto, ignorantiam invincibilem pœnæ legis humanæ, licet detur ſcientia juris divini & naturalis circa delictum, illud excuſare à pœna impoſita per legem humanam: Ita multi, quos refert, & ſequitur Sanches lib. 9. de Matr. diſp. 32. numero 17. quia non debet quis puniri pœna legis, quam non offendit, etiam ſi aliam legem tranſgrediatur.

789. Colligitur ſeptimo ignorantiam invincibilem ſolius pœnæ, excuſare tranſgreſſorem legis à pœna extraordinaria, non tamen à pœna ordinaria: ita Nav. in Sum. cap. 23. numero 47. cap. 27. numero 16. Philar. de officio ſacerdotis tom. 1. p. 1. lib. 3. cap. 4. §. *tertia.* Rodrigues in ſum. tom. 1. cap. 195. numero 3. probabile putat Sanches numero 21. Quia ad incurrendam pœnam requiritur, quòd delinquens conſentiat ſaltem in cauſam illius, ideſt in delictum, non nude ſumptum, ſed prout eſt cauſa talis pœnæ, ſufficiens ad pœnam inducendam: atqui pœna ordinaria commenſuratur delicto, extraordinaria vero eſt ſupra delicti qualitatem.

789. Colligitur octavo, nullam ignorantiam etiam invincibilem excuſare ab incurſu irregularitatis, quæ inducitur citra culpam propter aliquam indecentiam, vel defectum, ut ex bigamia, ex defectu natalium, lenitatis, litteraturæ, & ſimilium: ita plures, quos refert, & ſequitur cit. Sanches numero 17. & plures citati à Merolla tom. 1. diſp. 1. cap. 1. Corollario primo: quia hæc irregularitas non attendit culpam, nec voluntarium, nec propriè eſt pœna, multotieſque contrahitur per actum virtutis, ut patet in Judice, qui proferens juſtè ſententiam mortis, defectu lenitatis incurrit irregularitatem.

790. Colligitur nono, ignorantiam invincibilem illius juris, quod pro pœna delicti habet irregularitatem, ab ea excuſare. Ita Nav. Reginald. Peregrin. Sanches, Bonacin. Merolla, Caſtr. Palaus, Ægid. de Coninch. Portel, quos refert & ſequitur Dian. p. 4. tract. 2. reſolut. 85. verbi gratia, ſi impoſita ſit irregularitas adulterio, reiterationis baptiſmi indebito uſui, aut receptioni ordinum, hæreſi, & ſimilibus, ſi ignoretur invincibiliter impoſitam eſſe talem pœnam, non incurritur irregularitas, tum quia hoc commune eſt omnibus pœnis, ut non incurrantur, niſi Jus, quo ſtatuuntur, ſciatur: Inſuperque licet in aliis pœnis verum foret oppoſitum, verum eſſe non poteſt in irregularitate, quæ hoc commune habet cum cenſuris, ut non incurratur ſine contumacia, & conſenſu. Unde non approbo ſententiam Vaſqu. Azor, Cordub. Alvares, Huila. Sot. Martin. de Ledeſm. Gaſpar Hurtad. oppoſitum ſentientium, referuntur à Patre Dian. citato loco.

791. Excipio tamen unum caſum, nimirum irregularitatem poſitam pro delicto, quod includit defectum lenitatis, verbi gratia, homicidium, mutilatio membri, & ſimilia delicta. Ita Merell. citato loco numero 49. & 87. Mercer. de Sacrament. in 3. p. 66. numero 6. quos ſequitur Dian. citat. §. *verum*, quia in eo caſu non incurritur irregularitas, ut pœna impoſita pro delicto, nec tamquam pœna debita culpæ, ſed ex alio capite, nimirum ex defectu lenitatis, quæ etiam incurritur cum actu virtutis: ſcio oppoſitum communiter doceri, ſed ſine fundamento.

792. Sed quid dicendum, ſi quis det operam rei illicitæ contra jus naturale, & poſitivum cognitum, vel vincibiliter ignoratum, ſi tamen habeat invincibilem ignorantiam cenſuræ, vel irregularitatis, excuſabitur-ne à cenſura, & irregularitate? Reſpondetur affirmative: Ita Sanches lib. 9. de Matr. diſp. 32. q. 4. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 3. ſect. 6. & tom.

Scotus. 5. disp. 4. sect. 9. numero 19. Curiel. t. a. dub. 5. in fine ad q. 76. art. 4. sect. etiam in 4. dist. 13. q. 1. numero 10. ubi ait ignorantiam culpabilem non excusare à censura, quasi ignorantia inculpabilis excuset.

793. Colligitur 10. ignorantiam inuincibilem, quæ contingit sine ulla culpa theologica, vel juridica, semper excusare à restitutione damni, ex ea præter intentionem sequuti: Ita communiter Doctores. Utrum verò si quis ad comburendas paleas in agro suo ignem accenderet, & exortus ventus ignem rapiat in segetes alienas, adhibeatque tantam diligentiam, quantam conscientia dictat esse sufficientem; non tamen eam, quæ præcipitur legibus humanis, & per consequens ignorantia illa sit juridicè vincibilis, quæritur an accendens ignem excusetur in foro cōscientiæ à restitutione damni: Affirmat Rebellus de obligationibus Justitiæ p. 2. q. 10. sect. 4. numero 18. Negant communiter Canonistæ, Gloss. in cap. *consuluisti* verb. *homicidis* 21. q. 5. Adrian. de restit. q. 17. Couas de Sponsal. p. 2. cap. 6. numero 12. Alij hoc intelligunt, si culpa juridica leuis sit. Alij denique asserunt talem ignorantiam excusare quandiu damnificator non damnatur per sentētiam Judicis, non tamen excusare facta condemnatione, quæ fuit sententia Molin. tom. 3. de Iust. & Jure disp. 696. à numero 5. Zumel 1. 2. q. 76. art. 4. disp. 4. §. *de hac re*, ubi Curiel dub. 5. §. Azor. 3. p. lib. 4. cap. 7. Quælibet sententia probabilis est & sustineri potest; sed quid dicendum, si fuerit ignorantia juridicè invincibilis, vincibilis theologicè? Respondetur, si culpa fuerit mortalis teneri ad restitutionem in foro conscientiæ, non tamen, si fuerit venialis.

794. Colligitur 11. ignorantiam solum privativam difficultatum, idest quæ non fuerunt cogitatæ in materia voti, non sufficere ad irritandam voti obligationem, ita Sanches de matr. lib. 10. disp. 9. q. 14. Ignorantiam verò positivam difficultatum, quando scilicet sunt notabiliter majores, quàm cogitantur, excusare ab obligatione voti simplicis, si sit notabilis, & circa rem promissam, aut quantitatem, ut si promittat quis adire loca sancta, quia putat distare centum leucis. Ita Sanches n. 13. votum enim non obligat ultra voluntatem voventis. Tandem ignorantiam, vel errorem circa substantiam rei promissæ irritare votum etiam solemne, ut si quis voveat in una Religione, putans se in alia vovere. Ita Salas 1. 2. tract. 13. disp. 4. sect. ultima, Sanches à numero 20. & communiter Doctores, non enim vovens intendebat se obligare ultra id, quod cogitabat: sufficitque ex doctrina Sanches numero 22. non solum error viri prudentis, sed etiam crassus.

795. Colliges ultimo, omnia quæ dicta sunt de ignorantia invincibili, intelligenda etiam esse de inconsideratione, & oblivione naturali, æquiparatur enim ignorantiæ invincibili; unde si quis voveat non ludere, verbi gratia sub aliqua pœna, si ludat immemor voti, non tenetur solvere pœnam, nec etiam, si ludat immemor pœnæ, memor voti. Similiter etiam qui ex inconsideratione, aut oblivione naturali omittit recitare officium divinum, ad restitutionem non tenetur. Videatur Sanches in decalog. lib. 4. cap. 12. à numero 18. tom. 1. Exquo idem asserit Dian. p. 3. tract. 6. resolut. 40. §. *notandum.*

Corollaria ex ignorantia vincibili.

796. Colligo primo, nullam ignorantiam vincibilem excusare à tota culpa: imò, quæ auget voluntarium, auget & culpam. Colligo secundo, ignorantiam vincibilem præter crassam excusare ab incursu censurarum, ut constat ex cap. 2. de Const. in 6. Avila, Villalob. Præpositus, Coninck. Gasp. Hurtad. & Petr. Hurtad. Tancret. Cœlestin. quos refert, sequiturque Dian. 5. p. tract. 9. resolut. 17. Portel, Meroll. quos idem Diana sequitur, & refert p. 4. tract. 2. resolut. 85. Sanches tom. 3. lib. 9. de matr. disp. 32. numero 31. Bonacina de censuris disp. 1. q. 2. puncto 1. numero 10. Barbosa in Collect. tom. 3. tit. 2. cap. 2. numero 8. *ad sextum* decretal. Avar. tom. 5. in 3. p. disp. 4. sect. 10. numero 9.

Colligo tertio, ignorantiam vincibilem non solum excusare à censura excommunicationis, suspensionis, & interdicti; sed etiam ab irregularitate: est enim eadem ratio; ita Morella tom. 1. disp. 1. cap. 2. corollario 1. dub. 3. numero 83. Portel in dubiis regularium vers. *ignorantia* numero 7. Diana p. 4. tract. 2. resolut. 85.

797. Colligo quarto, si censura feratur contra facientes scienter, contra præsumentes aliquid facere, contra temere audentes facere, ab illa excusare ignorantiam, etiam crassam, & supinam, sive sit juris, sive facti. Ita Sanches citata disp. 32. numero 36. Pont. de matr. lib. 10. cap. 6. numero. 10. Curiel, Henriq. Avila, Molin, quos refert & sequitur Dian. p. 3. tract. 5. resolut. 13. Bonacin. de censuris disp. 1. q. 2. punct. 10. n. 10. Merolla cit. dub. 6. n. 232. Anquian. de legibus. tom. 1. lib. 4. contron. 4. n. 18.

798. Utrum vero etiam ignorantia affectata excuset à censuris latis contra aliquid scienter facientes; Affirmant Layman Suar. Henrisq. Sanches Molin. Graff. apud Dianam p. 3. tract. 6. resolut. 7. ibi sententiam probabilem dicit. Contraria tamen sententia probabilior videtur, quam late docent Bonacin. de censuris disp. 1. q. 1. punct. 1. n. 11. & eandem sententiam docent tom 3. disp. 1. q. 2. punct. 4. n 9. lateque Merolla citatus n. 232. & alij quos refert & sequitur Dian. p. 3 tract. 6. resolut. 7.

799. Colliges quinto, omnem ignorantiam vincibilem rerum fidei, etiam crassam, & affectatam excusare à pœna hæresis, dummodo ex affectu sit paratus acquiescere authoritati Ecclesiæ oppositum sententiis, nam cum dispositione voluntatis oppositæ, nulla ignorantia excusat. Ita Sanches in Decalog. lib. 2. cap. 7. à n. 20. Suar. de fide disp. 19. sect. 3. n. 17. Petr. Hurtado de fide disp. 82. §. 5. cum multis aliis: cum enim omnis ignorantia excuset à culpa hæresis, quia hæc culpa præter errorem, requirit pertinaciam contra authoritatem Ecclesiæ, etiam excusabit à pœna.

SUBSECTIO ULTIMA.

De subjectis, in quibus reperitur involuntarium.

800. Constat Involuntarium tam simpliciter, quàm secundum quid, reperiri in Angelis, Viatoribus, damnatis, hominibus, & brutis, omnibus enim vis inferri potest, in omnes cadere potest ignorantia & metus, quod libet à sua concupiscentia moveri potest; cum ergo ex his capitibus originetur involuntarium, omnibus illis attribuendum est. Cap. 1. de const. 6.

801. De Christo Domino, & Beatis est dubium

an in illis detur involuntarium secundum quid; & quamquam communis responsio sit negativa, affirmandum tamen est: & probatur primo de Christo Domino, quia Christo Domino fuit mors voluntaria simpliciter, involuntaria autem secundùm quid, juxta illud Math. cap. 26. vers. 41. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*: Patrem enim oravit, ut ab illo calix transiret, mortique renitebatur infirmitas carnis: & juxta illud Lucæ cap. 19. vers. 41. *Videns civitatem flevit super illam*: qui fletus apertè demonstrat destructionem civitatis Christo fuisse involuntariam: Unde eleganter Chrysostom. in Matth. homilia 38. ait: *ita non modo molestiam ex duritia adversariorum capiebat, verùm etiam & flenda*: cætera quæ prosequitur, vide. Unde etiam negari non potest peccata hominum & duritiem cordis eorum, Christo fuisse involuntaria.

Mathæi cap. 2. Lucæ cap. 19.

Chrysostom.

802. Secundo ostenditur de Beatis, qui maximo desiderio reproborum salutem concupiscunt, quibusque eorum reprobatio displicet, saltem ut divinæ conformentur voluntati: nec dubium esse potest, quod Beatis displiceant tot offensæ Dei. Imò adderem, licet de lege ordinaria non possit in Beatis reperiri involuntarium simpliciter, posse tamen de potentia absoluta, si nimirum Deus suum suspendat concursum, ne Beati eum ament, vel etiam si suæ voluntati relinquantur, non præstitis tot auxiliis. Solum igitur superest dubium gravissimum, quod specialiter tractandum est.

SUBSECTIO UNICA.

Utrum in Deo reperiatur involuntarium.

803. HÆc difficultas à paucis excitatur, & si qui illam attigerunt, negativam sententiam sequuntur: ego existimo in Deo dari involuntarium. Probo primo: Deus ardenti desiderio vult salutem reproborum: ergo illorum damnatio Deo est involuntaria secundum quid. Conseq. optima est, nam si reprobatio est contra Dei voluntatem antecedentem, & contra desiderium, quo de nostra salute agit, proculdubio involuntaria erit, ideo enim involuntaria sunt multa hominibus, quia fiunt contra eorum voluntatem inefficaciter. Antecedens verò probatur ex illo Pauli ad Timoth. primæ cap. 2. vers. 4. *Qui omnes homines vult salvos fieri*: qui quidem locus sive explicetur de voluntate generali inefficaci erga omnes, sive de efficaci erga prædestinatos, & inefficaci erga reprobos, de quo videatur Roiz de voluntate Dei tota disp. 19. semper in Deo datur voluntas inefficax salvandi reprobos, cui damnatio eorum opponitur, eritque involuntaria.

1. ad Timoth. cap. 2.

804. Et quod ista voluntas sit ardens desiderium salutis animarum; tradit aperte os aureum Chrysostomi exponentis locum Apostoli sermone primo ad Ephesios: *Hoc est propterea quòd vehementer hoc vult, concupiscentia ejus, ut ita dicam, ista est*: Et infra: *Beneplacitum igitur, primariam voluntatem dicit, vehementem scilicet, & quæ cum desiderio, & concupiscentia sit, quam habet erga nos.* Videte Chrysostomum, qui sæpius hoc in loco voluntatem, quam habet Deus salvandi omnes, vehementem fatetur.

Chrysostom.

805. Confirmo idem Antecedens ex cap. 15. Lucæ vers. 6. *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat*: ubi de salute unius ovis adèo Deus lætatur, ut ad solemnitatem convocet amicos, eo tamen pacto, ut non inventæ ovi, sed ipsimet Deo congratulentur, ostendens majus se percepisse gaudium de salute ovis perditæ, quam perceperit ipsa ovis perdita: ita enim elegantissime commentatur Gregorius Magn. in catena aurea: *Notandum, ait, quod non dicit: Congratulamini inventæ ovi, sed mihi, quia videlicet ejus est gaudium vita nostra, & cum nos ad cœlum reducimur, solemnitatem lætitiæ illius implemus.* Tum sic: Ex mensura desiderii colligitur magnitudo gaudii: atqui maxima & vehemens est lætitia, quam Deus circa unius hominis salutem habet; ergo etiam vehement erit desiderium salutis animarum: quam quidem doctrinam in omni rigore theologico defendit citatus Ruiz disp. 21. sect. 1. à n. 2.

Lucæ 15.

Greg. Magn.

806. Probatur secunda conclusio: Quidquid de invita voluntate venit, licet sit voluntarium simpliciter, aliquid habet admixtum involuntarii: atqui Deus invitus damnat & punit homines; ergo aliquo modo involuntaria illi est damnatio, & punitio hominum. Major est expressa Aristotelis tertio Ethic. cap. 1. ubi per invitum involuntarium definit: deinde patet ex nomine *invitus*, significat enim repugnanter facere, nec fit ex pura, & mera, ac omnino libera voluntate, cum habeat principium extrinsecum.

Aristot.

807. Minor autem est communis loquendi modus sanctorum Patrum: Ita enim loquitur Chrysostom. homil. 67. in Ioann. *Deus autem non modo nos non derelinquere, & punire vult, sed quoties punit, invitus punit.* Eleganter Tertul. in exhortation. castitatis paulo post principium, loquens de voluntate Dei permittente, ita fatur: *Nam si quædam videntur voluntatem Dei sapere, dum à Deo permittuntur, non statim omnia quod permittitur, ex mera & tota voluntate procedit ejus, qui permittit: ex indulgentia enim est quodcumque permittitur, quæ etsi sine voluntate non est, quia tamen aliquam habet causam in illo, cui indulgetur, quasi de invita venit voluntate, passa causam sui, quæ cogit voluntatem: vide qualis sit voluntas ejus, cujus altera sit causa.* Qui locus adeo est expressus pro involuntario in Deo reperto, ut alio argumento non egeret.

Chrysostom.

Tertul.

808. Tertio probatur ex doctrina sanctorum Patrum, qui asserunt à Deo puniri homines vi quadam, & coactè. Sic Nazianzenus oratione in plagam grandem inserens sermones de ira, & misericordia Dei, inquit, *ad illam enim à nobis pertrahitur, ad hanc suapte natura fertur: cum igitur non nisi coactus percutiat &c.* Bernard Sermone 5. in Nativitate Domini: *Nam quod judicat, & condemnat, nos eum quodammodo cogimus.* Salvian. lib. 4. de provident. *Tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, ut per nos cogatur irasci, vim ut ita dixerim, facimus pietati ejus, ac manus quodammodo afferimus misericordiæ suæ, cumque ejus benignitatis sit, ut velit nobis jugiter parcere, cogitur malis nostris, quæ admittimus vindicare.* Et similia prosequitur prope finem libri, qui modus loquendi passim reperitur apud SS. PP. ex quo clarissime deducitur in Deo dari involuntarium, cum Deus coactè, & vi veluti compulsus adigatur hominum scelera punire.

Nazianzen.

S. Bernard.

Salvianus.

809. Quarto probatur: Deo non possunt esse voluntaria peccata nostra: ergo erunt involuntaria. Dices esse non voluntaria. Sed contra, quia sancti Patres indicant aliquam dari displicentiam in Deo, & molestiam, quamquam la-

to modo accipienda sit, & ex non voluntario, nec molestia, nec displicentia ulla generetur. Insuper non voluntarium non est contra aliquam voluntatem, etiam non efficacem: peccata verò hominum sunt contra voluntatem Dei inefficacem.

810. Quinto: Deus ita punit nostra delicta, ut lubentius vellet ea non punire; ergo voluntas, quæ punit, non est sine involuntario, cum lubentius oppositum faceret. Antecedens est Magni Greg. in librum 1. Regum lib. 2. cap. 2. dicentis, *Misericorditer non salvat, nisi volens, per Justitiam nolens damnat.* Quod confirmat Judicum sæcularium exemplo, concludens, *sed dum ab iniquis audacter scelera committuntur, voluntariè eos punit, quos libentius non commisisse punienda voluerunt.*

Greg. Magn.


811. Et ut coronidem hujus sententiæ probationibus imponamus, in hac sententia videtur stare Angelicus D. primæ ad Timoth. secunda lect. 1. post medium, ubi distinguens ex doctrina Damasceni duplicem illam voluntatem, antecedentem, consequentemque, exemplum affert de mercatore projiciente merces in mare, vult enim omnes merces suas salvas fieri, & tamen ob propriam salutem, eas non vult saluare: ubi, cum projectio mercium juxta communem sententiam sit involuntaria secundùm quid, quia est contra illam voluntatem inefficacem salvandi merces, similiter ex mente S. Thomæ reprobatio hominum erit Deo involuntaria secundum quid, quia est contra voluntatem Dei inefficacem salvandi omnes.

D. Thom.

812. Hæc argumenta in quæstione non vulgari nostram resolutionem faciunt satis probabilem: propterea Suar. qui solus hanc quæstionem ex professo tetigit in opusculis relect. de libert. voluntatis divinæ sect. 2. numero 12. asserit ex Scriptura, & sanct. P.P. satis colligi in Deo involuntarium reperiri, quamvis oppositum sequatur.

813. Objicies: Involuntarium, aut fit per vim & ignorantiam, aut per metum, & concupiscentiam: atqui Deo nulla potest vis inferri, in Deum nulla ignorantia cadit; Deus, nec metu, nec concupiscentia turbatur; ergo nullo modo Deo involuntarium competere potest. Respondetur, voluntati, & inclinationi Dei, quæ maximè inclinat ad bonum suæ creaturæ, fieri posse vim, ita ut quodammodo, licet non cogatur simpliciter mala inferre creaturæ, cogitur tamen secundùm quid, ut ex SS. PP. apparet, ac proinde, cum ab intrinseco causetur voluntas illa puniendi, opposita voluntate bene faciendi, involuntaria erit, habet enim causam sui foris, ut dicebat Tertul.

814. Verum est, quod ista vis vinci poterat, stante tamen ordine generali, & decreto Dei vinci non debet; ideoque non causat involuntarium simpliciter, sed secundùm quid, minori quidem jure, quàm projectio mercium, quia ista necessaria est ob salutem propriam, & majus damnum projicienti imminens: at verò punitio & reprobatio, solùm est in damnum hominum. Quòd si admittamus concupiscentiam causare involuntarium, ut admissum est supra, etiam involuntarium secundùm quid ex concupiscentia attribui potest Deo, nam desiderium, & affectus voluntatis appellatur concupiscentia, ut notavit Suar. tract. 2 in 1. 2 disp. 3. sect. 3. numero 15. Voluntas verò, & desiderium salvandi omnes in Deo concupiscentia appellatur à Chrysostom. supra n. 804.



DISPVTATIO SECVNDA

DE

MORALITATE ACTVVM HVMANORVM.

1\. P*ARVI momenti hæc quæstio à Patre Ludovico de Arriaga judicabitur, ut pote qui tom. 1. in 1.2. disp. 14. sect. 1. n. 1. tam vocat quæstionem de nomine, miratusque est aliquos Doctores diffusè de hac re disputantes, ac si esset quæstio solida: miror tamen à doctissimo viro præcipuum humanarum actionum, quod est moralitas, judicari levem, & de nomine quæstionem. Quid enim sine moralitate sunt actus humani, nisi cum brutis communes actiones? ubi erit meritum, vel demeritum, bonitas, vel malitia actuum humanorum, si una illis deficiat moralitas? Quapropter gravissima quæstio est & difficillima explicatu, ut bene notat Jacobus Gordonus cap. 2. prolog. ad lib. de actibus humanis c. 2. n. 5. & vere cum sit Theologorum præcipuum munus; quæ tamen non fusè, nec eo judicio, quod requiritur, sed tantum per summa capita ab illis disputatur, cum tamen tot involvatur difficultatibus, ut non nisi per tres Disputationis partes possint absolvi. Prima erit de Moralitate objectiva: secunda de Moralitate formali: tertia de rebus in quibus Moralitas tam formalis, quam objectiva reperitur.*

PRIMA PARS DISPUTATIONIS.

De Moralitate objectiva.



ORALITATEM objectivam, nec clarè, nec satis explicant Doctores, cum tamen illius plena notitia adeo necessaria sit, ut absque illa, actuum humanorum Moralitatem formalem intelligi sit impossibile.

SECTIO PRIMA.

Utrum in objecto reperiatur Moralitas objectiva?

2\. SUppono rationes objecti, de quibus agunt Philosophi: in præsenti enim objectum est, *quod objicitur potentiæ*, comprebenditque non solum primarium objectum, quod est specificativum actus, sed etiam circumstantias, in quibus numeratur finis, ut est finis operantis propter quem diligitur, vel odio habetur objectum, diciturque finis operantis, & extrinsecus: nam si primo ametur vel odio habeatur, coincidit cum objecto, diciturque finis operis, & extrinsecus, quibus positis,

3\. Est quæstio utrum in objecto, idem intelligitur de circumstantiis, aliqua moralitas reperiatur? Respondetur affirmativè: est communis sententia approbata ab utroque Theologiæ lumine, illam enim docet divus Thomas q. 2. de malo, art. 6. in corpore ad 2. & 1.2. q. 19. ad 3. Caëtanus ibi q. 10. art. 1. §. *in corpore* & art. ad primum dubium, & q. 21. art. 1. Conradus 1.2. q. 18. art. 2. circa solutionem ad primum §. *nota quod*. Medina ibi ad confirmationem primi argumenti. Valent. tom 2. disp. 2. q. 13. puncto 1. §. *neque vero*, Salas tract. 7. disp. 1. sect. 3. §. 3. n. 3. & 4. Montesin tom. 1. disp. 22. q. 4. Aravio q. 18. art. 1. dubio 1. n. 13. §. *rursus*, latè Magister Soares tract. 3. in 1.2. disp. 1. sect. 3. n. 8. disp. 2. sect. 1. per totam, & sect. 2. n. 14. & disp. 3. sect. 3. Ferrarien 3. contra gentes cp. 10. Theophilus Rainaldus in opere morali tom. 1. dist. 14. q. 1. art. 5. n. 76. Curiel 1.2. q. 18. art. 1. dub. 1. §. 9. à principio, Corneo traject. 6. disp. 1. dub. 3. in fine. Indicat Ægid. de Conik de actibus supernaturalibus disp. 3. dub. 2. n. 35. additis iis quæ asserit dub. 1. Martinez dub. 1. conclus. 7. Patres Carmelitani 1.2. tract. 11. disp. 1. dub. 6.

D.Thom.

4\. Eamdem sententiam docet subtilis Doctor. in 2. dist. 1. q. 1. n. 11. expressius quodlibeto 18. art. 1. prope medium, sequuntur discipuli, præcipuè Licbet. ad locum quodlibeti ad 1. fol. 167. Herrera disp. 28. q. 4. Scotus.

Probatur primo, quia comestio carnium, verbi gratia, sexta & quinta feria, est ejusdem speciei physicè; & tamen actus tendens in illam ut objectum; feria sexta est peccatum, non autem est peccatum feria quinta; ergo ex eo quod illa comestio habeat aliquid amplius feria sexta quod non habet feria quinta. Tum sic: Illud quod amplius habet non est physicum, nec pertinens ad esse naturæ, siquidem ut supponitur, illa comestio carnium sine diminutione, est eademmet physice in una & altera feria: ergo erit morale; nimirum eadem comestio, ut prohibita & subjecta legi feria sexta, non autem feria quinta; & sic de aliis objectis, quibus cum proportione applicari debet hæc Doctrina.

5\. Probatur secundo: In potentiis, & habitibus admittitur moralitas, ergo etiam in objectis: Antecedens ostendam tertia parte disputationis, consequentiam probo, quia ex eo admittitur in potentiis, & habitibus moralitas, quia sunt causæ actuum moralium: atqui etiam objectum est prima causa, & radix moralitatis in actibus humanis, ergo etiam in eo reperienda est moralitas.

6\. Probatur tertio, quia actus in genere naturæ, & actus in genere moris, formaliter, imo genericè distinguuntur, ergo etiam objectum in esse naturæ & in esse moris. Probatur consequentia, quia *actus specificantur per objecta*.

7\. Dices: Objectum respectu actus in esse naturæ, & in esse moris, est idem, nam eadem comestio carnis specificat unum & eumdem actum; Respondetur distinguendo antecedens,

materialiter concedo ; formaliter nego ; non enim objectum materiale specificat actus sed formale: namque hac de causa circa idem objectum materiale plures etiam specie diversi versantur actus, accipiuntque specificationem à diversa ratione formali objecti, & multæ rationes formales reperiuntur in uno, eodemque objecto materiali, à quibus actus specificatiunem suam desumunt, & cum diversa sit ratio formalis objecti in esse naturæ, à ratione formali ejusdem objecti in esse motis, quamvis sit idem objectum materialiter, tamen formaliter est diversum: qua etiam ratione actus, qui versatur circa illud objectum, licet materialiter unus & idem sit, tamen formaliter est multiplex, & diversus.

8. Lorca 1.1. disp. 21. sect. 1. §. *quod attinet*, nullam motaliatem agnoscit in objectis. Fundamentum quo movetur est, quia ex opposito sequeretur, idem objectum simul esse bonum & malum. Probat sequelam, quia idem objectum est conveniens & disconveniens, vel saltem, ut sic apprehenditur, namque objectum circa diversos actus, diversas habet proportiones, & relatum ad unum actum foret conveniens, ad alium actum disconveniens, & per consequens, ut conveniens esset bonum, ut disconveniens, malum. Hoc autem inconveniens magnum est, quia jam Deus, qui convenientissimum est amoris, & disconvenientissimum objectum est odii, erit simul bonus, & malus. Respondetur concedendo totum argumentum, nullum enim est inconveniena respectu diversorum actuum de quo latius disp. 3. à numero 195. & disp. 4. numero 3.

SECTIO SECUNDA.

Utrum moralitas objectiva non solum specifica sit, sed etiam generica.

Scotus.

9. SUppuno dari moralitatem objectivam specificam, imo, & numericam, quod in prima parte disputationis 3. probandum est, cum egerimus de bonitate morali objectiva: quod modo vertitur in dubium, est utrum detur moralitas objectiva generica indifferens ad bonitatem & malitiam, quæ sit veluti genus abstrahens à moralitate bona, & à moralitate mala: in qua Respondeo affirmative. Hæc mihi videtur sententia Scoti in 2. dist. 7. q. 1. n. 11. vers. *qualibet*, & quodlibeto 18. art. 1. prope medium: Sequuntur Herrera q. 3. disp. 1ᴿ. §. *sed isti*; Curiel. 1.2. q. 18. art. 1. dub. ·. §. 9. à principio, Carmelitani tom. 11. in 1.2. disp. 8. dub. 4. §. 1. n. 55. & eidem sententiæ adscribere videntur Doctores, qui asserunt rationem formalem moralitatis formalis in communi, desumi ab objecto, de quo infra.

10. Probatur, quia in actibus humanis abstrahitur hæc moralitas generica, & in illis reperitur præter specificam; ergo etiam in objectis danda est ista moralitas generica. Antecedens patet, quia illud esse morale in communi, repertum in actibus humanis, indifferens est ad bonum, & malum morale; & veluti genus ad illam duplicem speciem moralitatis: aliter omnis actus humanus, vel foret tantum bonus, vel tantum malus, vel simul bonus, & malus, cum quilibet actus particularis includat rationem actus in communi. Consequentia autem probatur, quia actus ille in communi ab objecto in communi specificatur, & moralitas illa generica actuum à moralitate objecti desumitur; ergo non desumitur illa moralitas ab objecto secundum rationem specificam moralitatis bonæ vel malæ, sed à ratione generica moralitatis objectivæ: ut enim ab objecto morali bono desumitur bonitas moralis; & ab objecto malo, malitia; ita ab objecto morali in communi, sive à moralitate generica objectiva, desumitur moralitas generica actuum.

11. Ægidius de Coninch de actibus supernaturalibus disp. 1. dub. 2. docuit in objecto solum reperiri moralitatem specificam, bonitatis scilicet & malitiæ, non autem genericam: primo quia objectum non habet moralitatem; nisi ut est subjectum regulæ morum: atqui ut abstrahit à particularibus moralitatibus, non est subjectum regulæ morum, ergo ut sic non est morale, & per consequens nullam habet moralitatem genericam; Major est certa, & hæc prima p. sect. 4. probanda: minorem probat exemplo entis, quia ut se habet ens ad voluntatem, ita se habet objectum morale ad regulam morum: atqui ens est objectum voluntatis, aut ut bonum aut ut malum, non vero ut abstrahit à bonitate, vel malitia; ergo similiter objectum morale erit objectum morale regulæ morum, aut ut bonum, aut ut malum, non autem ut abstrahit à bonitate vel malitia morali.

12. Respondetur concessa majore negando minorem, quia quantumvis abstrahatur moralitas illa generica à bonitate, vel malitia, non tamen abstrahitur à subjectiane illa, quam habet ad regulam morum, immo subjectio illa, quam habet objectum, est illa muralitas generica, quæ contrabitur per subjectionem particularem bonitatis, vel malitiæ, namque objectum ut objectum in communi, specificat actum moralem communem; ut objectum in particulari, specificat actum bonum vel malum: quare ratio Coninch. potius firmat quam infirmat nostram conclusionem. Exemplum quod affertur de ente, non est ad rem, neganda enim est comparatio, quia ens non est objectum voluntatis sub aliqua ratione communi, sed tantum ratione boni; bonum enim tantum est objectum voluntatis; at vero objectum, non est objectum morale ut bonum, sed ut subjectum, quæ quidem subjectio est veluti genus, & materiale quoddam respectu bonitatis vel malitiæ.

13. Secundo arguitur: Non potest considerari in objecto morali subjectio aliqua ad regulam morum, quæ non sit conformitas, vel difformitas cum illa, ergo illa subjectio non potest esse communis, & generica sed vel conformis, vel difformis. Probatur antecedens, quia illud objectum ut sit morale, debet esse regulatum: atqui esse regulatum est esse confotme, vel difforme regulæ: ergo necessario illa subjectio objecti regulati, debet esse conformitas, vel difformitas; Respondetur negando antecedens, quia per intellectum considerari potest objectum illud, ut subjectum regulæ, & dictamini rationis, non quidem ut regulatum, sed ut regulabile; secundum diversos modos & rationes formales, secundum quas objectum est attingibile à ratione.

SECTIO TERTIA.

In quo sita sit ratio formalis moralitatis objectivæ.

14. HOc punctum est difficillimum, à paucis tantum, ab omnibus minus quam

par est speculatum: pro cujus decisione notandum primo, constantem opinionem omnium esse, illud additum, par quod objectum in esse naturæ, transit in morale, esse subjectionem ad regulam motum, cui subjicitur objectum, ut dicatur morale.

15. Secundo regulam morum esse rationem; quæ tribus modis considerari potest: primo propositive, secundo indicativè, tertio imperativè. Prima ratio propositiva, est quælibet cognitio intellectus, ostensiva objecti: illud enim tantum proponit cum indifferentia ad operandum, vel non operandum, dictans voluntati quid agendum, vel non agendum sit, cum enim nihil volitum, quin præcognitum, ut voluntas libere feratur in objectum, requirit objectum sic propositum per Intellectum. Secunda ratio indicativa, est ratio dictans, (ideo dicitur rationis dictamen) quid expediat, vel non expediat agere in ordine ad finem ultimum vitæ humanæ, hoc enim est vivere secundum rectam rationem ut bene explicat Herrera disp. 28. q. 1. §. 2. *concl.* Tertia ratio imperativa, est ratio proponens legem sive naturalem, sive æternam sive positivam.

16. Tertio notandum est, non esse quæstionem de ratione ostensiva, & propositiva, cum enim tantum sit ratio speculativa, non est sufficiens regula humanarum actionum, ut communiter docent Theologi, & bene Scotus q. 4. prolog. n. 25. & patet, quia sive voluntas ab illa ratione discordet, sive non, nec bene nec male operabitur, siquidem operatio voluntatis, nec secundum, nec contra illam rationem fit. Confirmatur quia talis ratio non regulat mores, cum circa illos nihil discernat. His positis

Scot.

17. Difficultas tota est de ratione indicativa, & imperativa, utrum scilicet, illa subjectio, per quam objectum constituitur in esse morali sit ad rationem indicativam, an ad imperativam? Et quidem decidenda est, juxta duas opiniones probabiles, quæ communiter circumferuntur; una asserit, nullum dari actum indifferentem eo quod detur circa omnes actiones humanas præceptum de apponendis bonis circumstantiis, præcipuè fine honesto, & per consequens, subjectionem illam esse ad regulam imperativam; altera admittit actum indifferentem, negatque præceptum illud de apponendis honestis circumstantiis, & per consequens asserit subjectionem illam esse ad regulam indicativam, qui quidem modus dicendi est probabilior, eamque sequemur disp. 5. sed cum modo tradatur ratio formalis moralitatis non est justum eam arctari uni tantum opinioni, ideo prius primam opinionem defensabo, ut probabilem, deindo secundam ut probabiliorem.

18. Dico primo: Probabile est subjectionem illam, quæ est ratio formalis constitutiva moralitatis objectivæ, esse subjectionem ad regulam imperativam. Hanc sententiam videntur docere Angelicus, & subtilis Doctor, nam D. Thomas 1.2. q. 9. art. 1. & 2. asserit regulam proximam actuum humanorum esse legem *secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur*; ita art. 1. cit. exprimitque, legem, quæ regula est humanorum actuum, esse æternam, ac naturalem participatam, cum qua doctrina cohæret alia quam tradit. q. 18. art. 4. & 7. ubi docet omnem bonitatem moralem dependere à lege humana quæ æternam participat, ex qua doctrina manifeste colligitur ex mente D. Thom. mensuram, & regulam actuum humanorum, esse legem imperativam, nam lex æterna, & naturalis veræ leges sunt, ut communiter fatentur Doctores, inter quos videantur Suares de legibus lib. 2. Salas disp. 5. sect. 2. de legibus.

D. Thom.

19. Scotus etiam quodlibeto 17. in fine asserit rationem communem actibus bono & malo, esse imputabilem ad laudem, vel vituperium: quod reperit quodlibeto 18. art. 2. & in secundo dist. 4. q. unica n. 3. vers. *de secundo*; ac proinde apud Scot. idem est esse morale, ac esse imputabile, cum autem nihil imputetur laudi, vel vituperio, nisi sit prohibitum, vel præceptum aliqua lege, inde est quod regula moralitatis debet esse lex juxta Scotum. Scotus.

20. Eamdem sententiam expressè tuentur Ochamus, & Cameratius loquentes de lege æterna, citantur à Rainaudo tom. 1. moralis disciplinæ dist. 4. q. 2. art. 3. n. 45. & loquens de lege naturali, eam sequitur idem Rainaldus cit. n. 45. & sic absolutè defendunt Cornejo tract. 7. disp. 4. dub. 3. à §. *secundum fundamentum.* Aravio q. 71. art. 6. dub. 2. n. 47. *ad primam* Herrera disp. 28. q. 2. §. *quod*. Eadem videtur sententia Curielis q. 18. art. 1. dub. 1. §. 8. vers. 3. ubi ait si per impossibile non esset lex, nec etiam esset actus moralis, & q. 71. art. 6. dub. 1. §. 8. ad. 2. & q. 74. art. 1. dub. unico §. 7. vers. *quare aliter*, ubi ex eo docet Deum non esse causam moralem, quia Deus non potest esse subjectus alicui legi.

21. Probatur primo; Nullum datur objectum morale in individuo, quod non sit subjectum legi imperativæ; ergo per subjectionem ad illam regulam constituitur in esse morali. Antecedens probatur, quia quodcumque objectum in individuo, aut est bonum, aut est malum (nam indifferens in hac opinione non admittitur). si bonum debet fieri ex præcepto, ex August. in Augustin. illud psalmi 100. *non adhæsit mihi cor pravum*, in quo loco introduxit Deum sic loquentem *quidquid bene fit, mihi fit, quia ex præcepto meo fit*: si autem malum, certum est omne esse contra legem aliquam; tum quia D. Ambrosius lib. de Paradiso cap. 8. peccatum definit, *divinæ legis prævaricationem, & cælestium mandatorum inobedientiam.* Ambros. Tum quia D. Aug. tom. 2 lib. 22. contra Faustum cap. 17. definit peccatum *esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam*: tum denique quia Theologi peccatum definiunt *esse transgressionem liberam divinæ legis*: Et certe juxta Paul. ad Rom. 4. *ubi non est lex, nec prævaricatio*, addito vers. psalmi 118. *prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* Augustin. Ad Rom. 4 Psalm. 118.

22. Probatur secundo ex illo ad Romanos 14. *quod non est ex fide peccatum est*, id est, quod non est ex conscientia juxta expositionem Lyræ, glossæ interlinealis, Ambrosii, Chrysostomi, Theophilacti D. Thom. ibi, sequitur Bernardus lib. de præcepto post medium. Habetur *ep. fin. de præscriptionibus & 24. q. 1. ep. omnes, & de pœnitentia dist. 3. ep. quærit.* Ergo bonum fit secundum conscientiam, & malum contra conscientiam, & nullus actus dari poterit, & consequenter nec objectum, quod non sit vel conformis, vel difformis conscientiæ. Tum sic: Conscientia vel est lex naturalis, vel legis naturalis applicatio, ut communiter tradunt Theologi in materia de conscientia, & de mente omnium Soares 1.2. tract. 2. disp. 12. sect. 4. n. 1. ad minus autem S. Bernard.

cap. litteras de restit. spoliat. cap. fin. de præst. cap. tuas de simonia cap. inquisitioni de sent. excom. cap si virgo 14. q. 1.

de ratione conscientiæ est obligare, ut deciditur cap. *litteras* de restitut. spoliatorum cap. fin. de præscriptionibus, cap. *tuas* de Simonia, cap. *Inquisitioni* de sententia excommunicationis in 6. & cap. *si virgo* 14. q. 1. ergo si omnis actus, & consequenter objectum, debet regulari juxta conscientiam, regula illa erit imperativa, & obligativa.

23. Objicies primo, reperitur bonum morale seclusa omni lege, ergo lex non est regula moralitatis. Patet consequentia, quia *quidquid est de ratione generis, est de ratione speciei*, speciesque continet quidquid continet genus; Ergo si species, nimirum objectum bonum morale non regulatur per legem, nec etiam genus, nimirum objectum morale in communi; antecedens vero patet in operibus consilii, quæ seclusa lege, sunt bona moralia, ut servare virginitatem, & actus charitatis pro tempore, quo non datur præceptum.

24. Respondetur cum Cornejo cit. negando antecedens: ad probationem nego antecedens, nam illa opera, bona quidem sunt, sed naturalia, & fundamentaliter tantum propter convenientiam cum divinis attributis, virginitas enim divinam æmulatur puritatem, caritas divinum amorem, eo modo, quo si non daretur lex de prohibendo odio, odium malum foret, non quidem morale, sed naturale, sive fundamentale ex contrarietate cum divinis attributis. Dicitur autem objectum intrinsece bonum fundamentaliter morale, & malum intrinsecè malum fundamentaliter morale; quia si circa hæc objecta imponendæ sunt leges, necessario lex circa illud bonum debet esse præceptiva, & lex circa illud malum debet esse prohibitiva, de qua Doctrina videri possunt Curiel in 1. 2. q. 71. art. 6. dub. 1. §. 3. Zumel. 1. 2. disp. 10. concl. 3. Herrera de pecc. disp. 29. q. 4. §. *secunda conclusio*.

25. Inferes primo; Ergo, qui servat illa opera consilii, vel exercet actus circa objecta consilii, nil merebitur. Probatur illatio, quia illa opera consilii, vel etiam objecta, circa quæ versantur actus, non sunt moralia, sed naturalia; atqui meritum non reperitur absque moralitate; ergo &c. Respondetur negando illationem; ad probationem, distinguo Majorem; quoad substantiam, concedo; quoad modum, & exercitium nego: deinde concessa minori, nego consequentiam: quia quantumvis homo non mereatur propter observantiam illorum operum ex consilio, quoad eorum substantiam, cum tamen numquam exerceri possint talia opera sine observatione alicujus præcepti, inde est, quod semper, qui exequitur illa opera, meretur in exercitio.

26. Dices supponi falsum dari aliquod præceptum circa opera consilii, aliter jam non forent opera consilii; Respondetur, negando esse suppositionem falsam, nam licet nullum detur præceptum in operibus consilii quoad substantiam, datur tamen quoad modum, quo exequi debent: verbi gratia, verum est quod nemo tenetur ex præcepto servare virginitatem, aut ingredi religionem, ex suppositione tamen, quod servanda sit virginitas, aut ingredienda religio, adstringitur quisque præcepto non apponendi malas circumstantias, nec malum finem, sed apponendi bonas circumstantias, & bonum finem, ex quo si quis servaret virginitatem ob Idolum, peccaret; si ob tuendam sanitatem non mereretur ex eo, quia non apposuit bonas circumstantias.

27. Inferes secundo, ergo non magis merebitur, qui ingreditur religionem, quam qui aliquod exercet opus consilii etiam minimum, hoc autem est falsum: ergo. Illatio probatur, quia ille homo non meretur, quia ingreditur religionem, sed quia servat præceptum de apponendis bonis circumstantiis, & non malis: atqui in quolibet opere consilii, etiam minimo idem omnino præceptum observatur; ergo in exercitio omnium operum consilii æquale erit meritum.

28. Respondetur negando illam majorem, ad probationem, distinguo Majorem: ille homo non meretur, quia ingreditur religionem, sed quia servat præceptum de apponendis bonis circumstantiis, & non malis, tantum, nego Majorem: applicatis objecto, concedo, nam illud præceptum de apponendis bonis circumstantiis non cadit tantum supra circumstantias, sed supra totum actum, siquidem illud præceptum jam est applicatum materiæ, circa quam apponi debent circumstantiæ, & per consequens jam totus actus manet moralis, quia totus actus ex suppositione manet sub præcepto, & ideo si opus fuerit excellentius, etiam meritum erit.

29. Objicies secundo: Sequitur homines qui alios juvant in iis, quæ ad salutem pertinent, nec operari moraliter, nec mereri, si non teneantur ex præcepto ad juvamen: hoc autem videtur de medio tollere tot consilia, & opera, quibus rustici, & egeni diriguntur; ergo &c. sequela probatur, quia operari moraliter, est operari cum subjectione ad legem imperativam: atqui in hoc casu nulla datur lex, (ut suppono) ergo non operabuntur moraliter, & nullum ex consiliis, & juvamine meritum consequentur.

30. Respondetur negando sequelam; ad probationem, distinguo minorem: atqui in hoc casu nulla datur lex imperativa quoad substantiam, concedo: quoad modum, nego; & quia consulendo, & juvando observant hoc præceptum, operantur moraliter, & merentur: licet enim homo non peccet non tribuens consilium, nec juvans alterum, quando ad id non tenetur ex præcepto, peccabit tamen si consilium tribuat, aut juvamen sine debitis circumstantiis, intentione videlicet, & fine bono: ut si quis consulat homini, ut in templum eat ad audiendum sacrum, cujus urget præceptum, eo tamen animo ut mulierem videat in Ecclesia, ex qua visione in prava desideria labatur, peccabit: non ex alio capite, nisi quia licet non urgeret præceptum de donando consilio, urgebat tamen de consilio donando, si dandum esset, cum bonis circumstantiis, ac proinde à contrario sensu, quamvis non mereatur tribuens consilium, quando non urget præceptum, meretur tamen, quia consilium tribuit observans præceptum de apponendis bonis circumstantiis.

31. Objicies tertio ex Suario t. 2. tract. 3. disp. 1. sect. 2. n. 10. hæc conditionalis est vera: *si per possibile vel impossibile homo non haberet superiorem vel ab eo non gubernaretur, nihilominus judicando per rationem dare eleemosynam esse per se conveniens naturæ rationabili, aut disconveniens, si liberè ageret secundum hæc dictamina, operaretur moraliter bene, vel male*, & tamen nulla datur lex imperativa; ergo ratio moralitatis per subjectionem ad regulam imperativam sumenda est.

Respon-

32. Respondetur ex doctrina Herreræ de peccatis disp. 24. q. 4. nego majorem, bene enim vel male operaretur, non quidem moraliter, sed naturaliter: verbi gratia, si sine præcepto Deum diligeret, virginitatem servaret, bene operaretur naturaliter, si autem Deum odio haberet, vel immunditias carnis sectaretur, male operaretur naturaliter, quia seclusa omni lege, illa opera, si intrinsecè mala, ut odium Dei, fornicatio, Idolatria, & similia, contraria sunt divinis attributis, & consequenter mala naturaliter: si intrinsecè bona, ut amor Dei, virginitas & similia, conformia sunt divinis attributis naturaliter, & ex suis naturis; eo modo, quo error, & veritas se habent, nam error, quia opponitur divinæ veritati, malum est naturale ex sua intrinseca ratione: veritas vero bonum, quia conformis est divinæ veritati; moralia autem bona, vel mala esse non possunt, quia nulla datur imperativa lex, per quam regulentur.

33. Objicies 4. ex eodem Suario esse regulabile per legem, supponit esse morale: ergo prius datur ratio moralitatis, quam detur lex. Probo antecedens, quia posita lege, non ideo actus est moralis, vel objectum, est morale quia regulatur per legem, sed quia homo est agens morale, & indiget lege, ut inclinetur voluntas ad bonum, & avertatur à malo. Respondetur negando antecedens; nam esse morale & esse regulabile per legem, idem omnino sunt. Ad probationem nego antecedens, quia si non foret lex, homo non foret agens morale, siquidem homo ante legem, est agens tantum liberum; & actus, qui versantur circa objectum nullo præcepto affectum, actus erunt liberi, sed non morales defectu legis quæ tribuit moralitatem objectio, & principio.

34. Ultimo arguo pro hac sententia efficacius, sequitur Deum non esse causam moralem; hoc autem esset absurdum, ergo &c. Sequela autem probatur, quia causa moralis agere debet per ordinem ad objectum subjectum legi, ipsaque debet esse subjecta, sed Deus nullum superiorem habet cui subjiciatur, ergo Deus non erit causa moralis: quod autem Deus sit causa moralis, infra probabitur. Respondetur negando sequelam: ad probationem, negando majorem, quia quantumvis objectum debeat esse subjectum, non tamen requiritur, quod ipse operans sit subjectum.

35. Dices. Non solum objectum est subjectum, ut sit morale, sed etiam ipsa causa moralis debet esse subjecta. Probatur antecedens, quia si subjectio ad legem est constitutivum moralitatis in objecto, eadem subjectio erit constitutivum moralitatis in causa. Respondetur, distinguo antecedens, etiam ipsa causa debet esse subjecta propriè, & formaliter respectu legis propriæ & formalis, nego antecedens: impropriè quatenus operans necessitatur ad non faciendum id quod lex probibet, concedo: (D. Thom.) Deus quantumvis non subjiciatur etiam legi æternæ, ut bene docent D. Thom. 1.2. q. 93. art. 4. Valent tom. 2. disp. 7. q. 3. punct. 3. Becanus 1. p. tract. 3. cap. 2. q. 2. numero 5. Salas de LL. disp. 4. sect. 2. Latissime Suar. lib. 2. de LL. sect. 2. numero 8. tum quia ejusdem ad se ipsum non datur superior; tum quia Deus nullum habet superiorem, & consequenter respectu Dei, lex non est vera; debebat enim esse lata à superiore, distincto ab ipso subdito: tamen amoris imperfectionibus, lex æterna respectu Dei facit eundem effectum, quem facit respectu creaturarum, sicut enim lex imponit creaturis necessitatem, ita, ut si quis à lege deviaret, peccaret; ita etiam lex imponit Deo necessitatem, ex suppositione enim quod Deus velit operari, tenetur conformari dictamini suæ sapientiæ, & sicut non licet creaturis à lege deviare, ita non licet Deo; non enim licet Deo mentiri, fidem frangere, & similia per legem æternam prohibita, quamvis enim Deus non obligetur, necessitatur tamen.

36. Quod autem non implicet Deum necessitari ex suppositione, multa exempla convincunt: si Deus velit creare creaturam, non obligatur, sed necessitatur ad illam cognoscendam, & ad illi attribuendam existentiam; & si Deus velit imponere aliquam legem circa aliquod objectum intrinsecè malum, necessitatur ad legem probibitivam: cum ergo id faciat lex æterna erga Deum amoris imperfectionibus, quod facit erga creaturas, inde est quod Deus sit causa moralis, quia operatur conformiter legi, licet ex illa non obligetur, necessitatur tamen, & objectum per ordinem ad quod operatur illa causa, necessitati, non obligationi est subjectum.

Hæc sunt, quæ faciunt istam opinionem probabilem, sed quia illud præceptum de apponendis bonis circunstantiis est superfluum adinventum tantum ad tuendam prædictam opinionem, de illoque nullibi constet, potius standum est pro libertate, & inficiandum tale præceptum.

38. Dico secundo: Probabilius est subjectionem quæ est forma constitutiva moralitatis objectivæ, esse per ordinem ad rationem judicativam, sive dictamen rationis. Ita Communiter Doctores. Durandus in 2. dist. 41. q. 1. numero 25. & dist. 38. q. 1. n. 28. Suar. tract. 1. in 1.2. disp. 1. sect. 2. n. 10. (D. Thom.) Salas 1.2. tract. 7. disp. 5. sect. 3. & 4. Valent q. 13. punct. 1. Montesin. disp. 22. q. 6. §. 4.

Eadem est sententia D. Thomæ. 1.2. q. 1. art. 1. q. 8. art. 5. q. 19. art. 1. q. 21. art. 6. sequuntur communiter Thomistæ ad quæst. 18. art. 1. cui non obstat id, quod in contrarium supra adduximus, loquitur enim impropriè de lege, accipientes legem pro ordinatione quadam Dei, per quam creaturæ irrationales diriguntur, quarum regimen non est per leges imperativas proprias; sed ordinativas, & improprias juxta illud, *& legem ponebat aquis*, (Scot.) quare idem Angelicus Doctor docuit creaturas irrationales per legem Dei dirigi, & gubernari.

37. Scotus etiam expressè tuetur hanc sententiam q. 4 prologi, præcipuè n. 24. & 25. & in 2. dist. 7. q. 1. numero 11. & magis explicatus numero 15. vers. *quælibet* ideo hæc debet esse opinio Scotistarum, ut docet Irribarne in 4. disp. 23. sect. unica §. 4. *observat*. Nec obstat id quod supra asseruit, nimirum rationem communem actui morali bono vel malo, esse imputabilitatem: namque imputabilitas sine lege dari potest: si quis enim faceret opus consilii, ad quod non teneretur ex præcepto, procuidubio illi imputaretur ad laudem, laus enim operis non tam desumitur ex lege, quam ex ipso (Scotus) opere, & hac de causa Deus laudandus est in operibus suis, ad quæ facienda nulla lege tenetur.

39. Nec etiam obstat alia Doctrina Scoti quam tradit quodlibet 18. art. 2. ubi loquens de actu morali duplicem requirit respectum, ad hoc ut actus moralis sit: primus est ad potentiam liberam, secundus est *ad aliquid correspondens actui vel agenti secundum justitiam*: justitia autem legem sonat, ac proinde per libertatem intelligit Scotus legem. Sed hæc Doctrina explicanda juxta mentem ipsius Scoti, qui justitiam appellat libertatem ipsam, in 2. dist. 6. q. 1. numero 8. vers. *ad videndum*, & numero 9. vers. *vel*. eoquod sola potentia libera potest à recta ratione moderari, & appetitum refrænare, ita ibi n. 8. vers. *illa* n. 9. vers. *ipsa* n. 10. vers. *per hoc*, n. 12. vers. *ad tertium*. Eandem

doctrinam repetit dist. 39. q. 2. n. 9. à vers. *ad aliud* ac proinde juxta Scotum, idem est respectus ad aliquid correspondens secundum justitiam, atque ad aliquid correspondens secundum rectam rationem moderantem voluntatem.

40. Probatur primo, quia non bene solvitur argumentum de operibus consilii, semper enim remanet scrupulus, quod æquale meritum haberet, qui exequeretur opus minimi valoris atque ille qui exequeretur opus maximi valoris, meritum enim illud pensandum est juxta observationem præcepti, præceptum autem tantum est de circumstantiis, quin afficiat substantiam operis, quæ etiam in ipsa exequutione non est subjecta præcepto.

41. Quare ad argumenta allata pro opinione contraria supra, Respondetur ad primum, negando antecedens, ad probationem; omne objectum malum, subjectum esse legi imperativæ, ut probat argumentum, non tamen objectum bonum, quod aliquando est subjectum legi imperativæ, aliquando vero solum subjectum est rationi indicativæ, ut apparet in operibus consilii. D. August. intelligitur de præcepto impropriè, ut significat ordinationem Dei eo modo, quo supra explicuimus D. Thomam.

42. Dices: Bonum, & malum sunt contraria; ergo si malum semper est subjectum legi imperativæ, semper etiam bonum subjectum erit legi imperativæ. Patet consequentia, quia contraria eodem modo specificantur, utrorumque eadem est ratio. Respondetur negando consequentiam, ad probationem, illa proloquia non verificari in omnibus, nam juxta probabilem sententiam malum consistit in privatione, non vero bonum: sufficit ergo, quod objectum bonum subjiciatur ut sit morale, non autem requiritur, quod subjiciatur legi imperativæ, ut malum.

43. Ad secundum Respondeo admittendo locum Pauli, & ejus expositionem, nego tamen semper esse de ratione conscientiæ, obligare: cum enim conscientia obliget non ratione sui, sed objecti, vel legis quam proponit, juxta doctrinam D. Thomæ 1.2. q. 19. art. 5. & q. 17. de veritate art. 2. quam approbant præter alios Suar. 1. 2. tract. 3. disp. 12. sect. 4. n. 1. & 2. Vasquez disp. 60. cap. 3. n. 12. si conscientia proponat objecta, quæ non sint prohibita, nec præcepta, verbi gratia, opera consilii, non erit obligativa, nec peccabit quisquam si illa opera non faciat, semper tamen ille conformabitur conscientiæ, quia conscientia non proponit illa opera, ut facienda, sed cum indifferentia, indicans melius esse illa facere, sed nullam inesse obligationem ea faciendi. Malum autem semper proponitur à conscientia, ut subjectum legi imperativæ sub obligatione vitandi.

SECTIO QUARTA.

Utrum illa subjectio constitutiva moralitatis objectivæ, sit per ordinem ad regulam formaliter judicativam?

44. Constat dictamen rationis, sive rationem judicativam esse illam regulam, cui subjiciendum est objectum, ut morale censeatur: cum autem hæc ratio sit, vel apprehensiva, vel judicativa, est quæstio an sufficiat apprehensiva: pro quo notandum est primo, duplex esse genus apprehensionis, primum est quando apprehensio proponit objectum sub aliqua ratione objectiva, propter quam illi assentiri possit intellectus, veluti hominem omnibus scientiis instructũ, diceturque judicium virtuale, eo quod necessario inferat judicium: cum enim proponat objectum absque ulla ratione dubii, si non causat judicium, saltem illud infert, quia cum intellectus sit potentia naturalis, necessario fertur in objectum, ut apparet, & cum appareat bonum, vel malum absque ratione dubii ex illatione judicii dicitur, quod apprehensio virtualiter judicet: secundum genus apprehensionis est; quando apprehensio proponit objectum simpliciter, sine ratione propter quam assentiri possit intellectus, veluti si proponas paritatem stellarũ.

45. Secundo, notandum est duplex esse genus (pro præsenti) actuum voluntatis; unum inefficacium, & sunt quædam simplices velleitates, quæ non mandantur exequutioni; alterum efficacium: Si vero actus efficaces vel sunt quoad affectum, & effectum, vel quo ad effectum tantum; actus efficaces, quo ad affectum & effectum dantur, quando objectum est possibile, & ejus exequutio est in potestate voluntatis constituta: actus vero efficaces, quoad affectum tantum, versantur circa objectum possibile, cujus exequutio non est in potestate voluntatis defectu potentiæ. Versari etiam potest circa objectum impossibile, ut apparet in odio Dei, quod tendit in non esse Dei, in detestatione peccati præteriti, in desiderio Martyrii, in quæ objecta adeo efficaciter fertur voluntas, ut si foret in potestate voluntatis eodem modo exequutioni mandaretur, ac si foret possibile: dicuntur isti actus efficaces intrinsece, id est, quantum est ex parte potentiæ, nam ad efficaciam actus non requiritur vis exequens: alii vero actus dicuntur intrinsece, & extrinsece efficaces, quia præter vim intrinsecam habent etiam in sua potestate media, per quæ exequutioni mandentur; de qua doctrina Lipalda tom. 1. de ente supernaturali lib. 5. disp. 14. sect. 3. n. 16. & lib. 3. disp. 62. sect. 1. n. 16.

46. Tertio notandum est, hoc dictamen rationis non distingui à conscientia, ut bene notavit Rainauduacit. n. 53. & probavimus in materia de conscientia, nihil enim magis tritum est, quam culpabiles habere eos, qui contra conscientiam agunt, & laudabiles eos qui secundum conscientiam operantur; ergo istud judicium dictans esse turpe vel honestum objectum, est ipsa conscientia, penes quam medio objecto statuitor de humanorum actuum bonitate, vel malitia. His positis

47. Respondetur: Hoc dictamen, quod est conscientia, sufficit, quod sit apprehensio virtualiter judicativa, & non requiritur, quod sit judicium formale. Ita Malderus disp. 82. in 1. 2. §. *dico 6.* Martinez 1. 2. q. 19. art. 6. dub. 2. §. *notandum*, ubi probat variis authoritatibus hanc esse sententiam D. Thomæ, Vasq. 1. 2. disp. 44. cap. 2. Petrus Hurtado de anima disp. 14. sect. 7. Probatur primo, ex divisione conscientiæ in rectam, erroneam, probabilem, dubiam, & scrupulosam, quæ ab omnibus admittitur, in qua dubia, & scrupulosa, ad simplicem apprehensionem, non autem ad formale judicium spectant. D.Thom.

48. Secundo vel actus moralis eliciendus à voluntate, est efficax, vel inefficax: atqui tam ad actum inefficacem, quam ad actum efficacem, sufficit apprehensio virtualiter judicativa; ergo non requiritur judicium formale. Minor, in qua est difficultas duas habet partes.

49. Prima est, ad actum inefficacem sufficit apprehensio. Hanc probant Vasques 1. p. disp. 134. cap. 3 & 1. 2. disp. 44. c. 2. n. 8. Granado 1. 2. controv. 2. tract. 3. disp. 2. sect. 1. n. 4. Ripal. cit. disp. 62. sect. 1. n. 7. estque expressa sententia Scot. in 2. dist. 6. q. Scot.

r. n. 4. & in 4. dist. 49. q. 10. n. 12. vers. *quod ergo*, ubi eleganter hanc decidit quæstionem.

50. Et patet primo, quia voluntas diligit impossibilia, juxta illud Philosophi Ethicorum 3. *voluntas impossibilium est*; atqui sine errore non possunt proponi impossibilia, ut possibilia, per formale judicium; ergo proponentur per simplicem apprehensionem. Secundo, ad hoc ut voluntas operetur circa aliquod objectum, sufficit quod proponatur ut conveniens, vel disconveniens rectæ rationi; atqui hoc potest fieri per solā apprehēsionem; ergo &c. Minor probatur, quia simplex apprehensio virtualiter judicativa in propositionibus complexis, verbi gratia, *paries albus, Deus Sanctus*, non solum attingit extrema, sed etiam unionem extremorum; ergo convenientiam, vel disconvenientiam objecti. Antecedens patet, quia judicium formale in hoc distinguitur solum à simplici apprehensione, quod judicium proponit idem objectum assertivè, quod simplex apprehensio proponit sine assertione: discrimen enim inter utrumque non est ratione objecti, sed modo, quo proponitur objectum; cum ergo judicium formale habeat pro objecto, extrema, & eorum unionem, idem objectum habebit apprehensio.

Secundam partem minoris, quod scilicet sufficiat simplex apprehensio ad actum efficacem, præter Doctores qui hoc admittunt pro inefficaci, defendit Ægid Coninch. de actib. supernat. disp. 2. dub. 5. à numero 79. de actu efficaci intrinsece tantum, sive quoad affectum, docuit bene Scotus cit.

Scot. in 4. dist. 49. q. 10. numero 12. vers. *quod ergo*. Primo quia ista apprehensio sola sufficit ut voluntas operetur necessario, ergo etiam ut operetur libere. Antecedens patet in motibus primo primis, qui ex sola apprehensione boni aut mali, ante omne judicium formale in extremas prorumpunt actiones.

51. Secundo probat Ripald cit. quia ista apprehensio sufficit ad eliciendum actum efficacem virtutis supernaturalis: ergo etiam ad omnem actum efficacem voluntatis. Antecedens probatur, quia voluntas potest elicere actum virtutis supernaturalis circa objectum apparenter honestum, & realiter inhonestum: atqui tale objectum non proponitur per judicium supernaturale; ergo per simplicem apprehensionem. Consequentia colligit. Minor patet, quia illud judicium foret falsum, judicium autem supernaturale falsum esse non potest: Major probatur, potest quis propter amorem Dei occidere hominem, existimans hoc esse honestum, & necessario faciendum, cum tamen à parte rei sit inhonestum, & prohibitum.

Requiri judicium formale, sive rationem illam, quæ conscientia est, esse formaliter judicativam, communiter docent Doctores, Bellarmin. lib. 3. de libero arbitr. cap. 8. Lorca 1. 2. sect. 1. de actibus disp. 10. Vas. disp. 59. cap. 1. §. *deinde*, sui ipsius immemor Valent. tom. 2. in 1. 2. disp. 1. q. 54. punct 4. §. *porro*, Becan. p. 2. tract. 1. cap. 4. q. 6. n. 2. & 3. Thom. Sanch. tom. 1. decalogi libr. 1. cap. 9. n. 1. Salas tract. 8. sect. 1. n. 6. ubi citat pro hac sententia Cordubam. Montesin. 1. 2. disp. 14. q. 1. à n. 3. Sair. in clavi reg. lib. 1. cap. 1. n. 6. Caspens. tom. 1. tract. de conscient. sect. 1. n. 6. Suar. tract. 3. in 1. 2. disp. 1. 2. sect. 1. n. 5. Rainaud in opere moral. dist. 4. q. 1. art. 3. n. 53.

52. Probant primo ex sanctis Patribus, qui expressè docent conscientiam esse judicium. nam

Basilius Chrysostom. Bernard. Laurentius

Basil. in Proverb. circa principium illam appellat *naturale judicatorium*. Chrysost. homil. 54. in Genesim. *Magistrum sufficientem*; Bernard. de interiori dono cap. 21. *cordis scientiam*; expressit Laurentius Justinianus serm. de S. Marco, ubi ait *conscientiam nihil aliud esse, quam judicium*, & Hugo de sancto Victore lib. 3. de anima cap. 18. ait *judicium propria conscientia fugere non valea*: ergo ex mente sanctorum Patrum conscientia, sive illud rationis dictamen, non est simplex apprehensio, sed judicium formale. Respondetur sanctos Patres fuisse loquutos indifferenter, vel de formali, vel de virtuali judicio, sive apprehensione virtualiter judicativa.

Justinianus. Hugo de S Victore.

53. Secundo ejusdem rei eodem modo apprehensæ successiuè possunt dari duo judicia contraria in eodem intellectu: ergo apprehensio non potest esse conscientia: Consequentia patet, quia jam conscientia una alteri foret contraria in eodem intellectu. Antecedens probatur, quia stante eodem objecto, eodem modo apprehenso, verbi gratia, manducandum est temperate, possunt esse cōscientiæ cōtrariæ: intellectus enim modo assentiri poterit, modo non: Respondetur 1. distinguendo antecedens, ejusdem rei eodem modo apprehensæ per apprehensionem virtualiter judicativam; nego antecedens: omnino simplicem, concedo. Respondetur secundo, transeat antecedens, distinguo consequens, ergo omnis apprehensio non potest esse conscientia, concedo; aliqua, nego: nam ad minus conscientia dubia, scrupulosa, & quæ versatur circa actiones, pertinent ad apprehensionem.

54. Tertio, veritas & falsitas, rectitudo, & error non sunt proprietates notitiæ apprehensivæ: atqui conscientia dividitur in rectam & erroneam; ergo hæ saltem erunt judicia formalia. Respondetur primo, concesso toto: non enim asseruimus solam apprehensionem esse conscientiam, sed non solum judicium formalē esse conscientiam; undè quamquam conscientia recta & erronea sint judicia formalia, reliquæ erunt apprehensiones: secundo negando majorem, licet enim veritas, vel falsitas non sint adeo propriæ proprietates apprehensionis, tamen aliquo modo erunt illius proprietates, quatenus scilicet intellectus ex illa apprehensione determinatus est ad judicium formale, quare apprehensio virtualiter judicativa dici poterit vera, vel falsa, erronea, vel recta, virtualiter.

55. Quarto: etiam si apprehensio sufficiat ad movendam voluntatem tam efficaciter quam inefficaciter, non tamen sufficiens est ad conscientiam formandam: Probatur, quia conscientiam debet præcedere consultatio, ut intellectus certificetur de bonitate, vel malitia objecti; atqui in simplici apprehensione non datur consultatio; ergo. Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo minorem, atqui in simplici apprehensione non datur consultatio formalis, concedo; non datur consultatio virtualis, nego: nam ut illa simplex apprehensio est virtualiter judicativa, ita etiam est virtualiter consultativa, certificans intellectū de bonitate vel malitia objecti, quatenus ex illa apprehensione necessario infertur judicium.

56. Quidam Doctores quamquam asserant sufficere apprehensionem ad actum inefficacem voluntatis, negant tamen sufficere ad actum efficacem, & per consequens asserunt rationis dictamen, sive regulam actuum humanorum, prout efficaces sunt, semper esse judicium formale. Ita Suar. in Metaphysica disp. 13. sect. 7. numero 9. & 12. tract. 1. disp. 6. numero 4. Fonseca, 9. Met. cap. 1. q. 5. sect. 2. numero 9. Gran. cit disp. 1. numero 6. Ægid. Lusit. tom. 1. de beatitudine lib. 1. q. 6 §. 3. & 4. Azor 1. p. lib. 1. cap. 28. q. 6. Valent. tom.

2. in 1.2. disp. 1. q. 4. punct. 1. Med. q. 10. art. 3. Lorca de actibus humanis disp. 10. Fanetus 12. disp. 2. q. 1. dub. 2. n. 16. Doctoresque omnes, qui asserunt ad omnem actum voluntatis non solum sequiti judicium practicum, sed etiam imperium: de quo Cursus Carmelitanus Theologicus 1. tom. tract. 5. disp. 2. numero 52. & 2. tom. p. posteriori tract. 7. disp. 10. dub. 2. §. 2. numero 11.

Aristot. 57. Probant primo ex Philosopho 3. de anima cap. 1. tex. 1. qui loquens de modo, quo voluntas ab intellectu movetur ita ait, *atque cum bonum aut malum dicit affirmando, aut negando, tunc fugit, aut prosequitur* ergo ex mente Aristotelis tunc voluntas operatur & elicit actus efficaces, quando intellectus affirmat, aut negat: affirmatio autem vel negatio ad judicium, non ad apprehensionem pertinet. Respondetur tex. Philosophi, quem allegat Lorca falsificatum esse, nam verba sunt hæc, *nam cum jucundum, aut molestum discernit, quasi affirmaverit, aut negaverit, tunc prosequitur, aut fugit*, quasi affirmatio aut negatio, simplex est apprehensio virtualiter judicativa: quapropter quamvis voluntas moveatur per judicium formale efficaciter, etiam movetur juxta Philosophum per judicium virtuale, per quod quasi affirmat vel negat intellectus.

58. Secundo: nemo operatur rationabili modo, si moveatur efficaciter ad objectum sic propositum possibile, quod non excludatur judicium de impossibilitate rei, atqui cum sola apprehensione possibilitatis stare potest judicium de impossibilitate rei; ergo ad operandum efficaciter, & ad movendam efficaciter voluntatem, non sufficit apprehensio. Respondetur distinguendo majorem, quod non excludatur judicium de impossibilitate physicè certum & evidens, nego: probabile saltem, concedo: deinde distinguo minorem, potest stare judicium de impossibilate rei; evidens, concedo: probabile nego, deinde nego consequentiam: sufficit enim ut objectum proponatur probabiliter possibile, ita ut ex vi propositionis possit fieri judicium probabile: tantum enim requiritur ad actiones humanas certitudo practica & moralis, & non requiritur certitudo, & evidentia physica, raro enim homines cum ista

Seneca. operantur, ut enim bene dixit Seneca lib. 4. de Beneficiis cap. 33. *Numquam expectamus nos certissimam rerum comprehensionem, quoniam in arduo veri explicatio est*: & ex opposito non sufficeret conscientia probabilis ad operandum bene moraliter, sed semper requireretur conscientia recta, quod quidem inficiantur omnes Theologi.

59. Tertio, efficaciter volens finem, & inquirens de mediis, necessario debet conferre media inter se, & cum fine, atqui hæc collatio prærequirit judiciũ formale: ergo non sufficit apprehensio. Respondetur distinguendo majorem, debet conferre media inter se, & cum fine, virtualiter, concedo; formaliter, nego; deinde negando minorem, distinguo consequens; ergo non sufficit apprehensio simplex, concedo; virtualiter judicativa, nego, quia hæc est virtualiter comparativa.

60. Quapropter ex dictis constat illam rectam rationem, sive conscientiam, per ordinem ad quam sumitur illa subjectio, quæ est ratio formalis constitutiva moralitatis objectivæ, esse actum intellectus, sive judicativum formaliter, sive virtualiter, tam enim judicium formale, quam apprehensio virtualiter judicativa, sufficiens regula est actionum humanarum, sufficiensque ad dirigendam voluntatem per ordinem ad actus non solum inefficaces, sed etiam efficaces.

62. Utrum vero ista ratio sit practica an speculativa? disputatur in materia de conscientia, ubi ego asserui circa actiones præteritas esse speculativam. Ita Montesin. disp. 29. q. 1. n. 21. Becanus tract. 1. cap. 4. q. 6. numero 2. Thom. Sanch. tom. 1. Decalogi lib. 1. cap. 9. numero 3. Martines q. 19. art. 6. dub. 1. §. *restat*: Suar. 1. 2. citata disp. 12. sect. 2. numero 1. Vasques 1. 2. disp. 59. cap. 1. numero 1. §. *quod si* Salas tract. 8. sect. 2. numero 9. Cornejo tract. 8. dub. 4. numero 5. §. *pro exacta*. Caspens. cit numero 6. circa vero actiones futuras & præsentes asserui conscientiam esse practicam cum prædictis Doctoribus, Granadn 12. controvers. 2. tract. 12. disp. 2. numero 7. Peres in Laurea, certamine 10. cap. 7. numero 13. §. *in hoc*, Sairo in claui lib. 2. cap. 2. numero 6. Raynald. dist. 4. q. 1. art. 3. n. 53. & aliis.

SECTIO QVINTA.

Quomodo sit moralitas in objecto?

63. DUplicem difficultatem involvit titulus quæstionis: prima est, utrum sit intrinseca objecto? Pro solutione, notandum est objecta vel esse intrinsecè bona & mala, vel extrinsecè bona & mala: objecta intrinsecè mala sunt, quæ ex sua natura contrarietatem habent cum divinis atributis, cum legibus, tam æterna quam naturali, etiam antecedenter ad omnem legem, consideratis enim naturis, odium & dilectio Dei contrariantur, odiumque Dei divinæ contrariatur bonitati ante omnem legem: & consequenter in genere naturæ deficit, ita ut nullatenus possit fundare bonitatem, ideoque dicitur malum naturale ante omnem legem etiam æternam, & solum fundamentaliter morale, eo quod necessario debeat fundare malitiam, eodemque modo philosophandum est de objectis intrisecè bonis, per contrarium sensum: objecta extrinsecè mala, sunt illa quæ ante legem nec sunt bona nec mala, sed indifferentia, & posita lege prohibitiva, sunt mala; sicut objecta extrinsecè bona nullam bonitatem habent ante legem: si tamen aliqua lege præcipiantur, bona erunt, quare malum intrinsecè est malum ex se, extrinsece autem est malum, quia lege prohibitum: hoc posito

64. Respondetur moralitatem objectivam in objectis intrinsecè malis seu bonis, esse intrinsecam: in objectis vero ex sua specie indifferentibus, sive extrinsecè bonis aut malis, esse extrinsecam: Prima pars patet, quia illa objecta ex sua natura, & necessario debent fundare vel bonitatem vel malitiam moralem, ita ut impossibile sit, quod objectum intrinsece bonum difformetur, aut intrinsecè malum conformetur rationi. Secunda autem ex eo constat; quia illa objecta ex sua specie nullam habent moralitatem, cum enim nec bona, nec mala sint, nec conformia, nec difformia erunt rationi ex sua natura, & specie: & cum illam conformitatem, vel difformitatem accipiant à lege, subjectio illa, per quam constituuntur moralia, illis erit extrinseca, quippe posita lege per illam subjectionem, nihil additur objecto, & sublata nihil minuitur.

65. Secunda difficultas, utrum moralitas objectiva simpliciter dicenda sit moralitas? Respondetur negative cum Ferrariensi, & Conrad, quos refert & sequitur Rainaud dist. 4. art. 5. numero 76. Herrera disp. 32. q. 1. §. 3. est enim tantum moralitas causalis, fundamentalis, vel radicalis, eo quod

causat actualem moralitatem, eo modo quo cibus dicitur sanus causaliter respectu sanitatis, quam causat in animali, non vero respectu sui: & ratio est quia per objectum non fiunt homines formaliter morales, sed per actus morales voluntatis.

66. Dices: moralitas objectiva est formalis; ergo etiam simpliciter dicenda est moralitas; Respondetur sub illa voce, *formalis*, latere æquivocationem, ut bene advertit Suar. tract. 3. in 1. 2. disp. 2. sect. 1. n. 9. vel enim sumitur respectu ipsius objecti, vel respectu hominis: si primum, moralitas optime dicitur formalis respectu objecti, nam *omnis forma formaliter constituit rem talem, quam afficit*: sed subjectio illa, sive moralitas objectiva formaliter afficit subjectum; ergo & formaliter constituit morale: Si secundum, non dicitur illa moralitas formalis, quia objectum non est forma, per quam homo redditur formaliter moralis, cum autem moralitas simpliciter sonet ipsam formam, per quam constituitur homo moralis, inde est quod illa moralitas non dicitur simpliciter moralitas, sed causalis, & hic modus dicendi magis placuit Carmelitanis 1. 2. dub. 6. n. 86. disp. 1. licet aliter ab eis explicetur.

SECTIO SEXTA.

Quænam sit causalitas objecti moralis erga actus morales?

HÆc quæstio philosophica est, coinciditque, cum ea, in qua quæritur in quonam genere causæ objectum concurrat ad actus morales voluntatis, à qua breviter me expediam, insinuans quid Doctores doceant in hoc puncto.

Et primo quidam asserunt concurrere objectum in genere causæ efficientis. Ita Cajet. 1. p. q. 80. art. 2. §. *in hoc dubio*, & 1. 2. q. 9. art. 2. & q. 22. art. 2. ubi asserit hanc sententiam pluribus placuisse Thomistis Fonseca, 9. Met. cap. 1. q. 6. sect. 2. Palud. in 4. dist. 49. q. 3. Sonsinas 9. Met. q. 11. & videtur de mente Doctorum, qui docent cognitionem intellectus concurrere effectivè ad actus voluntatis, quos refert & sequitur Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 1. disp. 5. sect. 3. numero 16. Conimbricenses in Ethica disp. 4. quæst. 2. de quo disp. 1. à numero 41.

Secundo, alii docent concurrere in genere causæ formalis extrinsecæ. Ita Curiel 1. 2. q. 18. art. 2. dub. 1. §. 2. & art. 1. dub. 1. §. 12. à principio: Cornejo tract. 6. disp. 1. dub. Suar. tract. 3. in primam secundæ disp. 3. sect. 2 n. 7. Conimbricenses in 2. Physicorum cap. 7. q. 1. art. 3. ad 2. & 1. Poster cap. 2. q. 3. art. 2. Aravio 1. 2. q. 18. art. 2. dub. 1. n. 3. §. *sed pro.* Tertio denique aliqui docent objectum concurrere in genere causæ finalis, quos tacito nomine refert & sequitur Suar. in Met. disp. 12. sect. 3. n. 17. & 1. 2. tract. 5. disp. 2. sect. 1. n. 6. & disp. 3. sect. 2. n. 7.

67. Pro decisione notandum est primo, duplicem esse causam formalem intrinsecam unam, extrinsecam alteram: causa formalis intrinseca est, quæ per seipsam communicat esse effectui à se ipsa indistinctum; namque effectus formalis intrinsecus nihil aliud est, quam ipsamet causa formalis communicata, veluti esse album est effectus formalis albedinis, quem ipsa albedo causat, non aliter quam se ipsam communicando; causa formalis extrinseca est, quæ non communicat se ipsam, nec est ipsa effectus, sed communicat perfectionem à se distinctam, ipsaque distinguitur ab ipso effectu formali: quæ doctrina communis est; & eam tradunt inter alios Fonseca 5. Met. cap. 2. q. 2. sect. 2. Suar. tom. 1. in 1. p. lib. de attributis negativis cap. 12. n. 7. & in Met. disp. 15. sect. 6. n. 7. Ægid. Lusitan. tom. 1. de beatitudine lib. 8. 2. p. q. 4. art. 2. §. 4. n. 30.

68. Notandum est secundo, in objecto duplicem reperiri habitudinem ad actus voluntatis: una est motiva, altera terminativa: objectum enim & movet potentiam ad eliciendum actum, & terminat ipsum actum. Tertio, communiter dividi finem ab Authoribus, in finem operis, & in finem operantis: finis operis est ipsummet objectum, circa quod versatur voluntas, diciturque finis intrinsecus, & proximus; finis operantis est ille, quem sibi proponit operans, & propter quem operatur, diciturque finis remotus, & extrinsecus; verbi gratia, voluntas amat Deum propter præmium; Deus est finis intrinsecus, & objectum; præmium, finis extrinsecus operantis. His positis

69. Dico primo: Objectum non concurrit ad actus voluntatis in genere causæ efficientis; ita Doctores cit. pro 2. & 3. modo dicendi, contra primum, præcipuè Scotus in 2. dist. 25. q. Scotus.
1. n. 19. vers. *dico igitur*, n. 20. vers. *sed rationabile*, & vers. *si etiam instes*; & tota quæst. ubi docet solam voluntatem esse causam totalem volitionis, ideo ut Scoti propria defenditur à Faventino in 4. dist. 14. quæst. 1. disp. 9. cap. 1. 2.

70. Probatur multis omissis primo, quia voluntas est potentia completa suorum actuum; ergo objectum non concurrit in genere causæ effectivæ ad illos actus; si enim ita concurreret, foret causa partialis, & per consequens voluntas non erit causa completa. Antecedens vero probatur, quia si voluntas non foret causa completa, aliquid ei deficeret ex parte principii ad operandum; ergo non foret causa libera: Antecedens patet, quia causa incompleta, & inadæquata ita indiget consortio alterius causæ, ut sine illa, nec per divinam potentiam possit operari. Consequentia autem probatur, quia potentia libera est illa, *quæ positis ad agendum omnibus requisitis potest agere vel non agere, vel agere oppositum*; quam diffinitionem omnes Theologi admittunt. D. Thom. 1. 2. q. 13. art. 6. in cor- D.Thom.
pore; Scotus in 1. dist. 1. q. 5. n. 18. dist. 39. q. Scotus.
5. n. 15. & in 4. dist. 49. q. 10. n. 10. Suar. in Met. disp. 19. sect. 4. n. 8. & in opusculis lib. 1. de auxil. cap. 3. tom. . de gratia, prologom. 1. cap. 1. Rainaud tom. 1. operis moralis dist. 2. q. 2. art. 2. n. 76. Pennetus in propugnaculo humanæ libertatis lib. 1. cap. 13. à n. 10. latissime Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 3. disp. 1. sect. 6. n. 55. Albertinus tom. 1. corollario primo sexti principii philosophici; Ægid. Coninck. de actibus supernaturalibus disp. 1. dub. 1. ubi ait aperte fuisse hanc diffinitionem traditam in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. & canon. 4. & alii Doctores, quorum citationibus supersedeo: atqui si esset causa incompleta, non esset illa quæ positis omnibus requisitis posset agere, vel non agere, vel agere oppositum; ergo non esset libera. Minor probatur quia causa incompleta non potest operari se sola, sed requirit aliud comprincipium, ac proinde ex impotentia, & non ex pleno dominio desinet operari, ergo non erit, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, po-

test agere, vel non agere, vel agere oppositum. Probatur consequentia, quia illa definitio ita intelligi debet juxta Doctores citatos, ut potentia libera positis omnibus requisitis, & constituta in actu primo, ac proxima potentia operandi, ita libere operatur ex pleno dominio, ut possit non operari, vel suspendere actum si libeat, non quod simul utrúque actum volendi & nolendi aut etiam omittendi elicere possit, impossibile enim est, sed quod ita agat, ut in prioritate naturæ antequam actum volendi eliciat, possit illum non elicere, vel elicere contrarium: cum ergo hæc stare non possint cum eo, quod voluntas sit causa incompleta suorum actuum, dicendum ipsam esse completam, & nullo modo objectum esse causam partialem respectu illorum.

71. Probatur secundo, quia ut optime arguit Scotus n. 6. vers. *contra conclusionem*, loquens de cognitione, licet objectum possit concurrere ad velle, non tamen concurrere potest ad suspensionem actus; ergo ad nullum actum voluntatia concurret effectivè, eadem enim ratio est de uno, quam de alio. Antecedens probatur, quia illa suspensio est negatio: atqui ad negationem non datur per se concursus effectivus; ergo ad illam non potest concurrere objectum effectivè.

72. Tertio, nullum agens naturale naturaliter operans potest esse causa contrariorum, ignis enim calefactionis, non frigefactionis causa est; sed in potestate voluntatia est elicere actus contrarios, imo & contradictorios circa idem objectum; ergo cum objectum illud foret causa naturalis, non poterit per se esse causa illorum actuum contrariorum; ergo influet in unum tantum determinate. Tum sic: Vel voluntas necessario illum actum, ad quem concurrit objectum, eliciet, vel alium ad quem non concurrit objectum: si secundum, jam sola voluntas concurret ad illum actum, & non objectum, & per consequens sola concurret ad alios actus, cum æqualem vim habeat ad omnes: si primum, jam voluntas operabitur necessario, cum concurrat sine indifferentia, & sine dominio in proprias actiones. Quod argumentum licet solvere contendant plures Thomistæ, non tamen solvunt, nec in hoc amplius immorari licet, quia alterius est instituti.

73. Objicies primo: Appetitus operatur ex concursu effectivo objecti; ergo similiter voluntas operabitur; Respondetur negando antecedens, quia ut ex sententia D. Thom. 1. p. q. 20. art. 1. ad 1. & 2. docet Murcia lib. 3. de anima tract. de immortalitate animæ disp. 2. q. 2 appetitus resider in corde, in capite autem operatio sensuum internorum, quod experientia convincit, nam ex nimia attentione defatigatur caput, ex lætitia, vel tristitia alteratur cor: qua posita doctrina, non potest operatio sensuum internorum, nec objectum concurrere effectivè ad appetitum: inquiro enim quomodo, si objectum est distans, concurrit in passum distans.

74. Respondent primo sufficere, quod cognitio & objectum sit præsens animæ, nam anima est causa principalis, & præsens potentiæ appetitivæ, quando autem causa principalis præsens est, parum refert, quod instrumenta sint præsentia, vel distantia; sed contra, quia licet anima existat præsens potentiæ appetitivæ, non tamen existit instrumentum, vel objectum; tum quia in actionibus physicis, magis ordinaria est approximatio causæ instrumentalis, quam principalis: Ergo si actio nequit exire à causa principali, nisi ubi fuerit præsens per se, vel virtutem, multo minus exire poterit ab instrumento, quod non fuerit præsens: tum quia instrumentum absens circa actionem distantem eo modo se habet, ac si non existeret: cum ergo ab instrumento non existente non possit exire actio, nec etiam ab instrumento absente; quam doctrinam latiùs prosequutus fui in libris Physicorum tract. 1. disp. 8. & ex illa ibidem docui cum Molina, Rubio, Vasquio, Gilio, & Becano, nec per divinam potentiam posse causam creatam prius agere in remotum quam in propinquum.

75. Respondent secundo, species elicitas ab objecto derivari à sensu externo per spiritus animales existentes in nervis, ac proinde jam objectum in illis speciebus repræsentatum est indistans à potentia appetitiva. Sed contra primo, quia sine fundamento asseritur illos spiritus esse subjectum aptum specierum. Secundo sequeretur illas species non solum ad appetitum, sed ad omnes corporis partes emitti. Probatur sequela, quia actio productiva spirituum animalium naturalis est. Ergo per eam producentur species in omni subjecto apto illas recipere: atqui spiritus animales, qui dicuntur subjectum aptum, per totum corpus diffunduntur: Ergo per totum corpus diffunderetur productio specierum.

76. Respondent tandem Conimbricenses 1. de generat. cap. 4. q. 24. art. 3. §. *ad secundum*, species illas productas ab objectis in sensu externo immediate producere alias usque ad appetitum, vel sensum internum; quæ quidem transeunt per spiritus animales, qui continuo diffunduntur à cerebro; sed contra primo, quia species visibiles non transmittuntur juxta eorum sententiam, nisi per medium diaphanum, & lucidum, quale inter oculum, & cerebrum non datur; secundo quia non datur medium, per quod illæ species transeant ad appetitum, quæ latiùs prosequutus sum in libris de anima disp. 3.

77. Quare causalitas objecti erga appetitum & sensum internum explicanda est, ut citato loco explicui, sine concursu effectivo per potentiarum simpathiam, quamquam enim requiratur operatio objecti, & sensuum externorum, non tamen requiritur ut principium effectivum, sed determinativum sensus interni, aut appetitus, quod fit per sympathiam, cum enim sensus externus, internus, & appetitus, reducantur in eadem anima, incitatur anima ad utendum sensu interno vel appetitu, & hæc consensio potentiarum dicitur sympathia, quæ non requiritur fieri per principium influens, sed sufficit quod fiat per principium determinans in genere causæ effectivæ, proponendo nempe animæ objectum.

78. Objicies secundo: Actio sumit speciem à principio: atqui non desumit à voluntate; ergo ab objecto. Major. probat D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 3. Minor patet, quia voluntas est principium commune omnibus actibus; consequentia colligit. Respondetur primo negando majorem, ut tradunt meliores Metaphysici, & est manifesta instantia in actionibus procedentibus ab eodem principio, diversæ enim speciei actiones procedunt ab eadem voluntate; & à diversis principiis procedit eadem numero, & specie actio, ut ab intellectu Angelico, & humano, qui specie differunt, & visiones beatificæ ab illis

elicitæ sunt ejusdem speciei juxta meliorem sententiam. Respondetur secundo, distinguo consequens; ergo ab objecto, ut à principio efficiente, nego; ut à principio formali, & specificativo, concedo; objectum enim specificat actionem ut causa formalis, non vero producit ut efficiens.

79. Dico secundo: Objectum concurrit in genere causæ formalis ad actus morales voluntatis. Ita Doctores relati supra pro secundo modo dicendi: & videtur sententia Scoti quodlibeto 18. art. 1. & in 3. dist. 7. q. 1. n. 11. ubi asserit objectum esse determinativum actus in genere moris per quod determinatur esse naturæ. Probatur; quia munus causæ formalis, est tribuere speciem rei, cujus est causa, illamque determinare, & ab aliis distinguere, ut patet in omnibus causis formalibus: atqui objectum tribuit speciem actui, actus enim juxta commune proloquium specificantur per objecta: deinde determinat, & distinguit actum; per quod enim res specificatur, per idem distinguitur. Confirmatur quia objectum est actus mensura, sed mensura est forma mensurati; ergo objectum erit forma actus, id est concurret ad actum in genere causæ formalis.

80. Dico tertio: Objectum est causa finalis respectu actuum moralium voluntatis, ita Doctores pro 5. modo dicendi. Probatur primo ex illa communi divisione finis, in finem operis, & operantis, ubi finis operis est idem, quod objectum. Secundo, quia omnis actus voluntatis est virtualiter volitio sui, id est, non solum vult objectum, in quod directè tendit, ut docent Suar. in 1. 2. tract. 1. disp. 7. sect. 1. n. 16. tract. 2. disp. 1. sect. 1. n. 6. Salas tract. 3. disp. 1. sect. 3. numero 16. in fine, sed etiam est volitio sui ipsius; atqui si actus est volitio sui, volitus est per se ipsum, & propter suum finem, id est objectum.

81. Dices: Finis debet esse nobilior his quæ sunt ad finem, atqui objectum non semper est nobilius, ergo non est finis. Major videtur certa; minor probatur, quia pecunia & mors, quæ sunt objecta liberalitatis, & fortitudinis, non sunt adeo nobilia ut prædictæ virtutes. Respondetur primo negando Majorem, ut apparet in fine operantis, qui sæpesæpius ignobilior est ipsis mediis, ut si quis diligeret scientiam propter pecuniam, virtutem propter respectus temporales. Secundo distinguo minorem, pecunia, & mors non sunt adeo nobilia, ut virtutes in esse naturæ, concedo: in esse moris nego; in esse enim moris pecunia non est objectum, sed illa bonitas, quæ in ea relucet; & cum ut sic sit causa æquivoca illius virtutis, non mirum quod nobilior censeatur.

SECTIO SEPTIMA.

Explicantur aliqua difficultates circa causalitatem objecti.

82. PRima difficultas est, utrum objectum concurrat in genere formalis causæ intrinsecæ, an extrinsecæ? Respondetur concurrere in genere causæ formalis extrinsecæ: ita Doctores cit. superiori sect. pro secundo modo dicendi, & videtur sententia Scoti quodlibet 13. art. 2. vers. *ad aliam*, ubi docet perfectionem actuum desumi ab objecto, non tamquam à principio, sed veluti à causa extrinseca.

83. Probatur primo, quia causa formalis extrinseca, in hoc distinguitur ab intrinseca, quod ista se communicat & est idem effectus formalis; illa vero non communicat perfectionem à se distinctam actui, non vero se ipsam, ergo non est causa formalis intrinseca, sed extrinseca. Minor probo, quia objectum communicat actui moralitatem, & perfectionem moralem distinctam à moralitate & perfectione ipsius objecti; deinde objectum etiam quando causat est distinctum realiter ab actu. Probatur secundo, quia actus desumit moralitatem & specificationem ab objecto ut à forma; sed non ut à forma intrinsece informante ipsum actum, sed extrinsece existente extra actum; ergo ut à forma extrinseca, non intrinseca. Minor probatur, quia Deus objectum est amoris sed extrinsecum ipsi amori: impossibile enim est, quod Deus sit forma intrinseca alicujus creati; Tertio, quia actus est formaliter & intrinsecè bonus; atqui non est bonus intrinsece per bonitatem objectivam, sed propriam formalem; ergo objectum, & ejus bonitas, sunt quid extrinsecum respectu actus.

84. Dices: Objectum est intrinsecum & essentiale definitioni actus; ergo etiam ipsi actui. Probo consequentiam, quia quod est essentiale alicui de essentia rei, est etiam essentiale ipsi rei, atqui definitio essentialis est de essentia rei definitæ; ergo si objectum est essentiale definitioni, etiam erit essentiale & intrinsecum rei definitæ, id est actui. Respondetur negando consequentiam, quia objectum ponitur in definitione, ut specificativum essentiale, definitio enim non solum explicat essentiam definiti, sed etiam ea, quæ necessario requiruntur ad essentiam: quando autem aliquid est intrinsecum definitioni, ut necessario requisitum, ad specificandum definitum, non ut pars essentialis ipsius definiti, tunc est intrinsecum, & essentiale definitioni, non vero definito. Exempla sunt clarissima, unum correlativum includitur in definitione alterius, ut quid definitioni intrinsecum & essentiale, non tamen includitur in alio correlativo, nec illi essentiale est: servus enim non est essentia domini, nec creatura de essentia creatoris: terminus etiam est intrinsecus & essentialis definitioni relationis, non tamen est intrinsecus & essentialis ipsi relationi. Ad probationem respondetur, distinguo minorem, definitio est de essentia rei, id est, explicat essentiam rei, concedo; id est constituit ipsam essentiam rei, nego: definitio enim dicitur essentialis definito, non quod constituat definitum, sed quod explicet essentiam ipsius definiti: eo igitur modo, quo explicat essentiam definiti; eo modo ad ipsius essentiam pertinebit quæ explicant ut partes essentiales, constituentes ipsius definiti essentiam, essentialia erunt definito: quæ vero explicant ut necessario requisitæ, hæc non pertinebunt ad constitutionem intrinsecam ipsius definiti.

85. Si quæras, utrum causa formalis extrinseca sit vera causa? Respondetur negativè cum Suar. in Met. disp. 16. sect. 1. n. 24. Fonseca 5. Met. cap. 2. in Coment. Ægid. Lusit. tom. 1. de beatit. lib. 8. 1. p. q. 4. art. 2. §. 4. n. 51. ex D. Thom. 5. Met. cap. 2. lect. 2. Videtur esse hanc sententiam Scoti quodlibeto 13. art. 3. vers. *ad rationem*, ubi ait *objectum esse causam extrinsecam, vel aliquid extrinsecum*, quod addit, ut insinuet non esse veram causam. D. Thom. Scot.

86. Probatur, quia vera causa est, quæ influit esse in effectum, id est, quæ tribuit aliquod esse effectui, & causa formalis extrinseca nullum esse tribuit, ut constat; ergo non est vera causa;

Major est definitio ipsius causæ, ex qua ego in libris Physicorum inferebam solum dari duplex genus causæ, efficientis scilicet & materialis, non enim videbam esse aliquod tributum à causa formali, aut finali. Dices: Actus accipit speciem, sive specificationem ab objecto; ergo etiam esse. Probatur consequentia, quia quod sufficit ad specificandum actum, sufficit etiam ad illi tribuendam entitatem. Respondetur negando consequentiam, & ejus probationem, apparet manifestè in termino relationis, terminus enim specificat relationem, non tamen tribuit entitatem eidem.

87. Secunda difficultas: utrum objectum sit causa mediata, an immediata? Curiel. 1.2. q. 18. art. 2. dub. 1. §. 2. vers. *deinde*, asserit esse mediatam, eo quod ad formam extrinsecam immediatam requiratur, quod illa causa inclusa sit in eo esse quod dat; cum non sit aliud, quam eadem forma unita. Verum dicendum est objectum esse causam immediatam, ut bene docet Aravio 1.2. q. 18. art. 2. dub. 1. numero 3. quia idem est esse formam immediatam atque esse objectum immediatum: atqui nihil mediat inter actum, & objectum, cum actus immediate specificetur per objectum; ergo objectum est causa formalis extrinseca immediata. Doctrina vero Curielis implicat in istis terminis, implicat enim objectum esse formam extrinsecam, & uniri actui cujus est forma, hoc autem proprium est formæ intrinsecæ.

88. Tertia difficultas, utrum objectum sit causa prius in genere causæ finalis? Respondetur affirmativè, quia objectum prius terminat actum, & movet potentiam, quam sit id, cujus gratia appetitur actus: atqui ex ratione terminativa, objectum subit munus causæ formalis, & ex ratione appetitiva subit munus causæ finalis; ergo prius est causa in genere formali, quam finali. Major probatur, quia prius tendit actus in objectum, ut specificativum, quam ut finalisans; ergo prius objectum terminat actum, quam sit id, cujus gratia actus appetitur. Probatur antecedens, quia actus per se, & directe tendit in objectum, ut specificativum, virtualiter vero, & quasi per reflexionem virtualem tendit in objectum, ut est finis: tendit enim in objectum ut est finis, quando ipse virtualiter volitus; ergo prius tendit in objectum ut specificativum, quam ut finalisans. Unde objectum, quamvis ut causa formalis & finalis, sit idem realiter, tamen est formaliter diversum, priusque ut causa formalis tribuit speciem actui, quam ut causa finalis sit causa, ut actus sit volitus virtualiter.

SECUNDA PARS DISPUTATIONIS.

De Moralitate formali actuum humanorum.

89. FAcilius jam iter aperitur ad investigandam formalem moralitatem actuum humanorum: cognita enim radice, non difficile pullulantes fructus intelliguntur, attamen priusquam moralitatis formalis formalem investigemus rationem, videndum est quo pacto loquendum sit in præsenti de moralitate; pro quo notandum est, *morem* significare primo inclinationem naturalem cujusque rei, juxta illud Machabæorum 2. lib. cap. 10 *in montibus, & speluncis, more bestiarum*: & cap. 11. *Leonum more impetu irruentes.* Secundo significare consuetudinem, quæ cum vim legis habeat, sæpe pro lege sumitur, ut videre est 1. Reg. cap. 2. vers. 16. & Act. 15. vers. 1.

Secundo Machab. cap. 10. cap. 11. Primo Regum cap. 2. Actuum cap. 15.

Circumcidamini secundum morem Moysis. Cum autem consuetudo & leges versentur circa actus liberos, *mos* pro illis accipitur, unde ita definitur *mos* à sancto Isidoro 5. etimol. habetur in cap. *mos* dist. prima: *Mos & longa consuetudo de moribus tantum tractat*, id est, est *consuetudo actibus liberis acquisita*; ex quo hic loquimur de Moralitate, non prout significat naturalem inclinationem, legem aut consuetudinem, sed actus humanos capaces meriti, vel demeriti, bonitatis vel malitiæ.

S. Isidorus cap. mos dist. 1.

SECTIO OCTAVA.

Utrum ratio formalis, per quam actus dicitur moralis, sit libertas?

90. QUæstio est, utrum actus liber convertatur cum actu morali? vel utrum idem sit formaliter actus liber, & moralis? Respondetur negativè; diversa namque ratio est libertatis, atque moralitatis. Ita Angelicus Doctor variis in locis, quos congerunt, sequuntur Thomistæ: præcipue Martines 1.2. q. 8. art. 1. dub. 2. §. *primo conclus.* Aravio ibi. dub. 10. n. 12. Lorca disp. 23. §. *ex his*; Cornejo tom. 1. tract. 6. disp. 1. dub. 2. n. 5. Curiel q. 18. art. 1. dub. 1. §. 8. Zumel. 1. p. q. 14. art. 13. in appendice, *conclus.* 3. Ægid Coninch. de actibus supernat. disp. 1. dub. 2. n. 13. Vasques 1.2. disp. 73. cap. 9. n. 41. disp. 95. cap. 9. & disp. 129. cap. 7. n. 23. Salas tract. 7. disp. 1. sect. 1. Cano, & Scot. quos refert idem Vasques cit. disp. 124. Rainaud. dist. 4. q. 1. art. 6. n. 102. loquens de libertate physica: & illi Doctores, qui infra referendi sunt pro opinione asserente, actus necessarios esse morales: novissime Petrus à sancto Joseph. p. 1. lib. 2. de peccatis cap. 1. §. *resolutio.* Patrea Carmelitani dub. 2. §. 2.

D. Thom.

91. De mente Scoti est dubium, sed mihi videtur stare pro hac sententia in quodlib. 17. §. *de tertio principali*. vers. *respondeo*, ubi distinguit actum naturalem à morali; naturalem appellat liberum, qui expectat perfectionem moralem, ait enim, *non solum igitur de actu merè naturali, ut scilicet prior est perfectione morali, sed de actu perfectè morali*: & quodlib. 18. art. 2. & in 2. dist. 7. q. 1. n. 18. vers. *de primo*, ubi distinguit actum in genere naturæ, & moris, *quia jam habet aliquid de illo genere, puta, objectum conveniens actui*, quare genus moris, juxta Scotum, habet aliquid amplius, quam liberum; nimirum ordinem ad objectum, ut conveniens, vel disconveniens: & clarius in 2. dist. 41. q. unica n. 4. vers. *sunt*, ubi loquens de actibus indifferentibus, eos admittit in genere naturæ, & moris, & sic sentiunt aliqui Scotistæ, Herrera disp. 28. de peccatis q. 2. §. *quod in actu*, Sousa tom. 1. difficul. 21. §. 3. n. 2. Unde quando Scotus in 2. dist. 40. q. 1. n. 3. vers. *de secundo* quodlib. 17. in fine, & quodlib. 18 §. *de secundo* docet *morale esse, quia libere elicitur* littera, *quia*, intelligitur materialiter, non formaliter, id est nullus actus est moralis, si libere non eliciatur, ut explicatur etiam Angel. Doctor; quando ait actus nostros dici morales, secundum quod procedunt à ratione, & in quantum sunt liberi, ut videre est 1. 2. q. 18. & 21. q. 2. de malo art. 6. est enim sensus causalis, & materialis, non formalis: id est, nullus est actus moralis, qui non sit liber. Vide Carmelit. tract. 1. disp. 1. dub. 24. n. 33.

Scot.

D. Thom.

72. Probatur primo. Quæ pertinent ad diversa genera, non participant eamdem rationem formalem:

formalem: sed ratio liberi, & moralia pertinent ad diversa genera, ergo diversam participant rationem formalem. Minor probatur, quia genus naturæ, & genus moris sunt genera primo diversa; atqui ratio liberi, pertinet ad genus naturæ; ratio moralis ad genus moris; ergo &c. Minor, in qua est difficultas probatur primo, quia operari liberè complet gradum intellectivum, atqui gradus intellectivus integrat ordinem naturæ; ergo ratio liberi pertinet ad genus naturæ; Secundo, quia *ad eundem ordinem, & ad idem genus pertinet essentia, & proprietas ejus*; atqui voluntas liberè operans, est proprietas naturæ intellectualis; ergo ad eundem ordinem, ad quem spectat natura intellectualis, spectabit etiam voluntas, & libertas: Tertio quia quælibet natura creata habet proprium modum operandi, quo perficitur intra ordinem naturæ ad suum finem; atqui nullus modus operandi est magis proprius naturæ rationalis, quam operari cum libertate; ergo libertas pertinet ad ordinem naturæ.

93. Probatur secundo: Causa libera, & causa moralis non habent easdem rationes formales; ergo nec actus liber, & moralis; actus enim qui ex sua natura postulant produci à diversis causis, diversis in modo operandi, non possunt esse idem. Antecedens patet, quia datur causa libera operans cum plenissima advertentia, & deliberatione, quæ tamen moralis non est; ergo causa moralis, & libera non sunt idem formaliter. Probatur antecedens, quia Deus, ut causa libera concurrit ad entitatem peccati, & tamen non concurrit ut causa moralis; ergo datur causa libera non moralis: Angeli etiam libere movent cœlos (si verum est, quod illos moveant) & non moraliter.

94. Probatur tertio ratione qua utitur Aravio. Actiones Christi Domini sunt in libertate finitæ, & in moralitate infinitæ; ergo non erunt idem moralitas, & libertas. Antecedens probatur, quia illæ actiones quatenus liberæ procedunt à voluntate cum finita virtute operante, quatenus morales habent rationem meriti infinitam, ratio vero meriti moralis est, & non physica.

95. Probatur quarto, quia idem numero actus habere potest plures rationes moralitatis, unam solum rationem libertatis, & duo possunt esse sub eadem specie moralitatis, & sub diversa libertatis; ergo neutiquam ratio moralitatis poterit esse eadem ratio libertatis; aliter multiplicata una ratione formali multiplicabitur & alia. Antecedens vero probatur variis exemplis, nam siquis furetur vas sacrum, non solum illa actio habet rationem furti, sed etiam sacrilegii: siquis violet Virginem Deo sacram, illa actio habebit rationem moralam stupri, & etiam sacrilegij: idem est, siquis jejunet propter pœnitentiam, committat homicidium propter furtum, in uno dabitur ratio jejunii & pœnitentiæ; in altero ratio homicidii & furti, & sic de aliis exemplis quæ passim occurunt: libertas autem in his actibus unica tantum est; non enim voluntas est diverso modo determinata ad unam rationem moralitatis, quam ad aliam, nec diverso modo mutata: quod argumentum latius prosequitur Curiel; & simile argumentum fieri potest in opinione Doctorum, qui asserunt eundem numero actum liberum sine aliqua sui diminutione posse transire de malo in bonum, vel contra: tunc enim variatur moralitas invariata libertate, quod fieri non posset, si ratio moralitatis foret eadem omnino ratio formalis, cum ratione formali libertatis; quoad secundum, patet in volitione omittendi sacrum, & in ipsa omissione sacri, ubi tam volitio, quam omissio habent eandem speciem sacrilegii, libertatis diversam: una siquidem est directa; alia indirecta.

96. Probatur ultimo à priori, quia esse liberum in sua ratione formali solum includit quod voluntas actum possit elicere, vel non elicere, vel elicere contrarium: esse morale ex sua ratione solum postulat, quod voluntas eliciat actum conformem, vel difformem rectæ rationi, cui tanquam regulæ debet esse voluntas subjecta, ut sit principium morale; quare licet non reperiatur morale sine libero, propter ea quæ infra dicenda sunt, reperitur tamen liberum sine morali, ut in exemplo permissionis Dei, qua permittit peccata, planum est; illa enim permissio libera est non moralis: similiter etiam in permissionibus humanis: cum enim homines aliqua mala permittunt, ad quorum impedimentum non tenentur, illæ permissiones, actus sunt liberi voluntatis, non morales: ideo illis hominibus, nec ad meritum, nec ad demeritum imputantur. Et confirmatur, quia pictor non est bonus, vel malus pictor, quia liberè pingit, sed quia pingit conformiter, aut difformiter regulis artis; ergo nec homo erit bonus, vel malus, quia libere agit, sed quia agit, vel non agit conformiter regulis rationis, ex quo diversum quid erit liberum, & morale.

97. Sed his argumentis se illudere putant duplici responsione, pro qua supponunt quidam, moralitatem esse in duplici genere, quædam enim est primaria cui non competit ratio generis in bonitatem, & malitiam sed, ratio subjecti; quædam est secundaria, quæ est genus ad gradus bonitatis, & malitiæ, unde primaria moralitas neutiquam à libertate distinguitur, maxime secundaria; ideo secundaria moralitas augetur, variatur, dividitur, & cætera ei conveniunt, de quibus in nostris probationibus, quin varietur, augeatur libertas, aut ei conveniant attributa, & proprietates, quæ conveniunt moralitati secundariæ, de qua loquimur, ita Salas disp. 5. sect. 2.

98. Quidam vero non dissimili modo procedunt asserentes duplicem esse libertatem, unam imperfectam, & naturalem, quæ consistit in indifferentia, & habet pro objecto bonum delectabile, non attendens ad honestum, & turpe; alteram perfectam, & moralem, quæ consistit in tendentia indifferenti ad bonum honestum, vel turpe, asseruntque hanc libertatem moralem, esse idem cum moralitate, non vero illam libertatem naturalem; & argumenta convincere de libertate naturali; non morali.

Sed hæc solutio in uno alteroque modo dicendi, falsa est, solumque inventa, ut vim ac efficaciam argumentorum evitet, ideo utroque eodem modo convincitur falsitatis.

99. Et primo, quia moralitas quam primariam appellat, est ficta: ergo ficta est solutio. Antecedens patet, quia omnia argumenta facta illam moralitatem condemnant: de primo constat, quia moralitas primaria, & secundaria ad diversa genera spectant; siquidem primaria pertinet ad esse physicum, & intellectivum, eique nullatenus convenit ratio generis respectu boni & mali, & multo minus proprietates, ut meritum & demeritum, laus, & vituperium: hæc enim omnia, & similia solummodo moralitati conveniunt, ex quo efficax fit argumentum, quia ficta est moralitas, cui proprietates & rationes moralitatis non conveniunt.

Q

100. Secundum etiam argumentum procedit, quia si præscindamus moralitatem secundariam ab ista primaria, voluntas manet in genere causæ liberæ, non moralis: cum enim sub illa præscisione, actui non imputetur meritum vel demeritum, laus aut vituperium, bonitas vel malitia, & attribuatur libertas, operabitur libere, non moraliter, cum non possit perfectius operari quam Deus permittens peccatum, aut Angeli moventes Cælum.

101. Tertium etiam argumentum æqualiter procedit, siquidem actus morales moralitate primaria, habere possunt plures rationes moralitatis secundariæ; vel, ut clarius loquamur, moralitatis; ergo hæc non est illa, ut illa moralitas primaria habeat nomen moralitatis effectum, & verum esse libetum, cum enim (ut bene in ultimo argumento ostenditur) illa moralitas sita sit in eo quod libere eliciatur, quin habeat aliquid proprium esse moralis, nec rationem generis, nec proprietates moralitatis obtineat, erit vere libertas, & nullo modo moralitas, nisi conficta.

102. Secundo contra secundam, aperte ostenditur moralitatem diversam esse ab utraque illa libertate, nam libertas non desumitur per ordinem ad objectum, sed ad indifferentiam, nihil enim ad libertatem facit, quod hoc vel illud, sit objectum, sed quod procedat à voluntate cum pleno dominio, & indifferenti; cum ergo utraque illa libertas ita procedat, non est dicenda moralitas; nisi velis appellare libertatem illam, perfectam moralitatem, ex eo quod tendat in objectum regulis subjectum, sed tunc non est constituere moralitatem in libertate, sed in illa tendentia superaddita illi libertati, etenim sine tendentia tali, manet libertas non moralitas.

103. Insuper, fictitia est illa divisio libertatis perfectæ, & imperfectæ: aliter enim explicatur, hæc divisio à Theologis, nimirum quod imperfecti sit illa, cui deest perfectissima cognitio, & plena advertentia, non vero cui deest obj ctum honestum: potest esse imperfecte liberum, si nimirum non eliciatur cum ea advertentia, quæ requiritur ad perfectam libertatem, & idem est de actu terminato ad objectum turpe, ut sæpissimè contingit in actibus non omnino deliberatis: è contra verò, potest actus tendens in objectum delectabile, esse perfectissime liber, si nimium eliciatur ex pleno voluntatis dominio, & ex plena advertentia rationis, quare infauste adinventa est ista solutio, quæ magis propter suam insufficientiam firmat nostram resolutionem, quam nostra argumenta dissolvit. Videantur etiam Carmelitani t. 2. tract. 11. disp. 1. dub. 2. §. 2. à numero 25. ubi aliis rationibus prædictam solutionem impugnant.

104. Oppositam sententiam, quæ asserit rationem formalem, per quam actus denominatur moralis, sitam esse in libertate, docent Henricus quod lib. 13. q. 10. S. Bonaventura in 1. dist. 41. art. 1. q. 1. n. 7. in corpore, quem ibi sequitur Berlifer quæsit. 1. Durand. in 2. dist. 38. q. 1. n. 5. Ferrariens. 3. contra gentes cap. 10. §. *circa tertiam* Scotus lib. 2 de Just. q. 7. art. 2. & in 2. dist. 40. q. 1. §. *de secundo dicto* Contad 1. 2. q. 18. art. 1. Bellarm. tom. 3. lib. 2. de amissione gratiæ, cap. 18. cap. 3. §. *observandum*. Valent. tom. 1. disp. 2. q. 13. punct. 1. à § *igitur*. Sair. in clavi regia lib. 2. cap. 4. n. 1. Suas. in 1. 2. tract. 2. disp. 1. sect. 1. à n. 15. tract. 3. disp. 5. sect. 1. n. 17. Granad. sect. 9. §. 1 515. & disp. 15. de anima sect. 6. Fagundes in præceptis decalogi præcepto 9. lib. 9. cap. 7. §. *ecce autem*; Favet Salas tom. 1. tract. 7. disp. 7. sect. 1. n. 6. Franciscus Felix de bonitate & malitia cap. 1. difficul. 4.

105. Probatur primo: Liberum, & morale habent easdem differentias, easdem proprietates, & eandem divisionem, ergo & eandem rationem formalem: consequentia patet, quia à diversis rationibus formalibus, non resultant formaliter, & adæquatè eædem differentiæ, proprietates; & divisio, hæc enim sequelæ sunt essentiæ. Antecedens vero probatur primo, quia ut actus liber specificatur ab objecto, ita & actus moralis; secundo quia uterque actus adæquate dividitur per bonum & malum; tertio, quia esse laudabile vel vituperabile, meritorium vel demeritorium, proprietates sunt tam actus liberi, quam moralis.

Respond. negando antecedens ad primam probationem, negando antecedens, quia diverso modo specificatur actus liber, ac specificatur moralis: nam liber specificatus ab objecto vel fine in genere naturæ, connotando potentiam cum indifferentia operantem: actus vero moralis specificatur ab eodem objecto, ut morali, subjecto scilicet rectæ rationi, connotando potentiam non solum indifferenter operantem, sed etiam subjectam regulæ moris. Ad secundum nego antecedens, diversa enim sunt bona, in quæ dividuntur actus liber & moralis, nam liber dividitur in bonum & malum in genere naturæ, moralis vero in bonum & malum in genere moris. Ex quo patet responsio ad tertium, nego enim antecedens, nam illæ proprietates non competunt actui libero præcise sed actui morali: Deus enim liberè peccata permittit, Angeli libere movent cælos, & quia non moraliter, ideo nec culpabiliter, nec laudabiliter: ac proinde, licet illæ proprietates non competant, nisi actui libero, non tamen illi competunt ratione libertatis, sed ratione moralitatis.

106. Secundo, *quorum eadem est diffinitio, eadem est essentia:* sed liberi & moralis eadem est diffinitio, ergo & essentia: Minor probatur, quia actus liber est ille, qui procedit à voluntate indifferenter operante: atqui ita se habet actus moralis; ergo &c. Respondetur negando minorem ad probationem distinguo antecedens; actus liber est, qui procedit à voluntate indifferenter operante, proposito objecto, quocumque modo, concedo: subjecto regulæ morum, sive rationi dictanti objectum esse conforme, vel difforme; nego: actus ergo moralis non tantum procedit à voluntate indifferenter, sed etiam subjecta regulæ morum, proposito objecto eidem regulæ subjecto.

107. Tertia ratio formalis est ea, à qua nomen imponitur, & adquam significandam imponitur: sed morale dicitur à more, & est idem quod mos; ergo eadem est ratio moralitatis, ac libertatis. Probatur consequentia, quia idem est libertas, ac mos. Probatur ex Isidoro 5. etimolog. 1. *Mos est longa consuetudo de moribus* (id est de actibus liberis) *tantum tracta:* Respondetur primo negando majorem, nam lapis dicitur à lædendo, & tamen non significat id quod lædit pedem, aliter lignum pedem non læderet. Secundo; transeat major, distinguo Min. Moralitas dicitur à more proprie, concedo; impropriè, nego: nam mor aut sumitur impropriè pro assuefactione, & spectat ad ordinem naturæ, competitque actibus liberis: aut sumitur proprie, & est id quod bonos, aut malos homines reddit, & competit actibus moralibus.

108. Quarto, sola libertas est causa, ut impu-

tentur actus laudi, vel vituperio, ergo idem est atque moralitas; siquidem moralitas est ratio cur actus sint imputabiles. Antecedens probatur ex D. Thom. D. Thom. 1.2. q. 21. art. 2. dicente, actus imputari, quia sunt in hominis dominio: atqui dominium est libertas: soli enim actus liberi sunt in dominio hominis, ergo &c. Respondetur negando antecedens, ad probationem explico D. Thomam. simulque distinguo majorem, actus imputatur, quia sunt in dominio morali, concedo: quia sunt in dominio naturali, nego: duplex enim dominium reperitur in homine, ut bene ex communi doctrina explicat citatus Cornejo §. *pro solutione*: unum naturale, alterum morale: ex primo convenit homini pro libito suas exercere actiones præcidendo à regula morum: ex secundo habet exercere, vel non exercere pro libito suas actiones, attentis regulis morum, dictantibus quid faciendum sit aut non; ex ratione dominii naturalis imputatur homini actio, ut propria ejus perfectio naturalis: ratione dominii moralis, imputatur homini actio, ut laudabilis vel vituperabilis, ac proinde actiones, quæ imputantur laudi vel vituperio, sunt in dominio morali, & non tantum in naturali.

109. Quinto, quo major est libertas, eo major est moralitas; ergo ex eo quod libertas sit ratio formalis moralitatis. Antecedens probatur, quia libertas addit voluntarium: voluntarium addit moralitatem, quo enim actus magis est voluntarius, magis bonus aut malus est, ex circunstantia. Respondetur: transeat antecedens, nego consequentiam: fundamenta enim relationum non sunt ipsæ relationes formaliter, & tamen relationes suscipiunt magis & minus ex majori unitate, vel divisione: similiter quamquam libertas non sit ratio formalis moralitatis, quia tamen est fundamentum illius, ut infra dicam, ex majori, vel minori libertate moraliter suscipiet magis, vel minus.

SECTIO NONA.

Utrum moralitas necessario supponat libertatem?

110. HÆc quæstio coincidit cum illa, utrum possit dari aliquis actus moralis, qui non sit liber, sed necessarius? Respondetur negativè: Ita Doctores dati superiori sectione pro nostra resolutione, & pro contraria, quibus addendi sunt Azorp. 1. lib. 4. cap. 5. q. 4. Lessius de just. & jur. cap. 29. n. 10. Herrera. disp. 28. q. 1. §. *prima concl.* Rainald dist. 4. q. 1. toto art. 6. Sanches 1. decal. cap. 1. n. 7. & 8. cap. 16. n. 21. Franciscus Felix tract. 1. tertiæ tentativæ cap. 1. difficult. 7. Granado Concl. 1. tract. 9. disp. 1. Patres Carmel. dub. 1. §. 1. estque expressa sententia D. Thomæ in 3. dist. 23. q. 1. art. 4. quæstiuncula 2. D. Thom. 1.2. q. 1. art. 1. & q. 18. art. 5. & 9. & 3. contra gentes cap. 9. & passim alibi. Eadem est sententia Scoti locis citatis præcipuè in 2. dist. 4. q. unica.

111. Probatur primo, quia omnis actus moralis est humanus, atqui nullus est actus humanus, Scot. qui non sit liber; ergo nullus dabitur actus moralis qui non sit liber. Min. in qua est difficultas, est communis sententia, quam expressit D. Thomas 1.2. q. 1. art. 5. in corpore, & art. 3. in fine corporis; & q. 6. art. 2. ad 2. ubi commentatores Valent disp. D. Thom 1. q. 1. punct. 3. §. *porro secundo*. Vasq. q. 1. art. 3. in commentario §. *communis igitur*. Suar tract. 1. disp. 2. sect. 2. numero 7. Curiel. q. 1. dub. 1. §. 2. Zumel q. 7. art. 6. *ad primum* concl. 1. Montes. q. 18. art. 1. disp. 22. concl. 2. Salas tract. 1. disp. 4. sect. 1. numero 6. §. *tertia tandem*. Rainald tom. 1. dist. 4. q. 1. art. 1. numero 4. uterque Ægid. Coninck. de act. supernat. dub. 1. n. 5. concl. 1. Lusit. tom. 1. de Beat. lib. 2. q. 2. §. 3. *Eadem sententia* est Scoti in 2. dist. 4. q. unica numero 5. vers. *de secundo*.

112. Secundo, actiones simpliciter necessariæ, & naturales, non sunt capaces differentiarum, per quas dividitur esse morale, nec proprietatum: ergo neque ipsius esse moralis. Scotus. Antecedens probatur, quia differentiæ sunt bonitas, & malitia; proprietates, imputabilitas ad laudem, vel vituperium: ad præmium, vel pœnam; atqui nullus homo censeri potest bonus aut malus; dignus laude aut vituperio, præmio aut pœna, propter actiones quæ non sunt in ejus potestate; ergo nulla actio necessaria est moralis. Min. probatur, quia ex opposito amentes & pueri essent mali, digni pœna & vituperio propter actiones necessarias, quas eliciunt, quod inauditum est in Theologia, de quo argumento videri possunt Curiel. q. 8. art. 1. dub. 5. §. 9. Aravio ibi. dub. 1. n. 5.

Oppositam sententiam docet Caetanus 1.2. q. 34. art. 3. Ferrarien. 3. contra gentes cap. 16. ad 3. Capreol. in 2. dist. 4. q. unica, probabilem dicit ut Arauzo o. 9. quam prius docuit Angestus cap. 6. moral. tract. 1. ubi acriter 24. argumentis id probare intendit, sed adeo futilia sunt, ut responsione non egeant.

113. Primo, quia actus charitatis in patria necessarius est: tamen est moralis; ergo &c. Min. probatur, quia actus charitatis in patria & in via eandem habent bonitatem, honestatem & conformitatem; ergo si in via propter hæc erat moralis, etiam in patria. Respondetur primo, negando majorem cum Scoto in 1. dist. 1. q. 4. n. 14. vers. *contra*, vers. *item*, & n. 15. vers. *quantum ad tertium*, & in 4. dist. 49. Scot. q. 6. n. 9. quem sequuntur communiter discipuli, inter quos præcipue videantur Faventinus in 1. dist. 1. disp. 3. cap. 3. Sousa diff. 39. §. 3. Rada p. 4. controv. 12. art. 6. in eamque maximè inclinant Ægid Lusit. in manuscriptis de Beat. q. 4. art. 4. disp. 2. sect. 4. §. *deinde dicemus* Salas tract. 2. disp. 7. sect. 1. n. 6. & tom. 2. tract. 5. disp. 4. sect. 3. n. 29. & mihi videtur expressa sententia D. Thomæ 1.2. q. 10. art. 1. in corpore, ubi ait: *Voluntas à nullo objecto ex necessitate movetur*, quem licet Vasques ibi o. 23. §. *hæc tamen*, ex Capreol. & Conrad. explicet de voluntate in via, tamen D. Thom. D. Thom. q. 22. de veritate art. 6. hanc expositionem non patitur: loquens enim ibi de libertate exercitij, ait: *Inest voluntati libertas in quolibet statu naturæ, respectu cujuslibet objecti*, & est ibi sermo de statu patriæ; posita autem hac opinione, non video cur ille actus non sit moralis, cum laude dignus sit, & bonus: quod autem non sequatur præmium, est ratione status, non actus; unde Carmel. 1. 2. tract. 11. disp. 1. dub. 1. §. 3. n. 15. asserunt talem amorem absolutè non carere bonitate morali, sicut absolutè non caret libertate.

114. Respondetur secundo cum communi sententia, negando min. ad probationem, neganda est major; nam actus ille in patria habet bonitatem, honestatem & conformitatem in genere naturæ; in via in genere morali: cum enim actus ille in patria non sit subjectus regulæ, nec ab illa mensuratus defectu indifferentiæ & libertatis; inde est quod non sit moralis.

Instabis: Amor in patria opponitur odio Dei, ut opponebatur in via: sed in via opponebatur moraliter; ergo etiam in patria. Major probatur, quia oppositio inter amorem, & odium, non provenit

ex libertate sed ex essentia cujuscunque, sed in patria amor habet eandem essentiam, & solum illi deficit libertas; ergo eodem modo opponitur ac in via. Major probatur, quia amor ille & odium conveniunt in libertate; ergo opponuntur tantum ratione propriæ essentiæ. Respondetur negando majorem ad probationem distinguo majorem, oppositio naturalis, concedo; moralis, nego; ille enim amor opponitur oaturaliter odio Dei, quatenus hoc contrarium est divinis attributis, amor vero conformis, non autem opponitur moraliter, quia cum moralitas requirat libertatem, ad hoc ut actus commensuretur regulæ morali, habeat que suas differentias; ablata libertate, quæ fundamentum est, aufertur etiam moralitas.

115. Objiciunt secundo argumentum satis difficile: Actiones Christi Domini fuerunt omnes morales, & tamen omnes erant necessariæ: ergo libertas non requiritur ad moralitatem: Major constat, quia omnes actiones Christi Domini, fuerunt meritoriæ; ergo etiam morales: minor autem probatur, quia Christus Dominus erat impeccabilis ex vi unionis hypostaticæ; Ergo in illius potestate non erat non elicere actus à Patre præceptos; Ergo illi actus erant necessarii. Antecedens probatur, quia si Christus posset non elicere actus à Patre præceptos, posset peccare, siquidem transgrederetur præceptum sibi à Patre impositum, atqui Christus erat impeccabilis, ergo non poterat non elicere actus à Patre præceptos.

116. Hoc argumentum gravem postulat difficultatem, conciliandi libertatem Christi D. cum ejus impeccabilitate, quæ alterius loci est, ideo breviter respondeo negando min. ad probationem distinguo majorem, erat impeccabilis potentia naturali physica, nego; morali, concedo: physice enim Christus Dominus poterat transgredi præceptũ, & transgrederetur, si Deus de potentia absoluta illi non tribueret certissima auxilia, quibus præsciebat nunquam fore peccaturum, quæ quidem auxilia illi debebantur propter unionem hypostaticam: ex quo debito optime etiam quis asserere poterit Christum Dominum etiam physicè fuisse impeccabilem, nam etiamsi Christus Dominus esset peccabilis ex vi naturæ, quia erat ejus natura creata, quæ ex vi sui, defectibilis, & peccabilis est, erat impeccabilis ex aliquo debito, nimirum, quia physice illi homini specialis deberetur Dei protectio, ne peccaret; ac proinde hæc impeccabilitas physica, non opponitur peccabilitati physicæ ex vi naturæ, sed alteri, quæ consistit in eo quod nulli alii voluntati debeatur talis providentia, ut infallibiliter semper operetur bene.

117. Ex quo optime stare potest libertas Christi Domini, cum ejus impeccabilitate; nam Christus Dominus erat impeccabilis physicè, vel moraliter ex assistentia, & protectione speciali Dei, per quam reddebatur impeccabilis, hæc autem assistentia non tollit libertatem, ut apparet in confirmatis in gratia, qui impeccabiles sunt ex manutenentia, & protectione Dei, & tamen libere operantur: quanquam verum sit, dari differentiam maximam inter impeccabilitatem Christi Domini, & confirmatorum in gratia: nam confirmati in gratia possunt peccare physice, & ex vi naturæ, & ex debito: Christus vero Dominus solum ex vi naturæ, nam ex debito unionis hypostaticæ, illi debebatur illa assistentia, & manutenentia Dei, quæ tamen debita non erat confirmatis in gratia; sed de hoc in materia de incarnatione.

118. Tertio objicies: Divinæ excitationes prævenientes nostram libertatem, sunt actus morales, & tamen non sunt actus liberi: ergo moralitas non requirit libertatem. Major probatur primo, quia illæ excitationes maximè consonæ sunt rationi. Secundo quia sunt effectus Dei, ut causa est moralis. Tertio quia sunt auxilia moralia, non minus quam consilia ab alio exhibita. Quod vero non sint actus liberi, patet quia antecedunt omnem deliberationem. Respondetur negando majorem: ad primam probationem, concedo illas excitationes, & honestas esse, & rationi conformes, honestate tamen naturali, non morali, eo modo, quo supra honestatem amoris in patria exposuimus; ad secundam, nego antecedens, sunt enim effectus Dei, ut agens est liberum, non enim per actus necessarios consulit, prohibet, aut præcipit moraliter, & ut causa moralis; dato tamen quod sint effectus Dei, ut causa moralis est, non sequitur illas excitationes esse formaliter morales, sed terminativè, & objective, ut possunt esse quilibet effectus causæ moralis, non enim sunt actus Dei; sed effectus divinæ actionis liberæ, & humanæ necessariæ. Ad tertiam, nego antecedens, non enim sunt auxilia moralia moraliter excitantes, sed physice necessario voluntatem excitantes.

119. Ut tamen non relinquamus argumenta Angesti sine responsione, omnibus 14. per summa capita respondeo: asserebat enim Christum Dominum, beatos viatores confirmatos in gratia, & damnatos moraliter operari, non liberè; sed quis negabit Christum Dominum liberè operari, aut confirmatos in gratia? non equidem catholicus: Scotus vero damnatis, & beatis, non sine magna probabilitate libertatem attribuit, sed negatur communiter, communiter etiam eisdem neganda est operatio moralis. Addebat deinde Angestus asinam Balaam fuisse loquutam, bovem & asinum in præsepi, Christo adorationem tribuisse: in quibus, (ut ait) meruerunt, & consequenter moraliter operati sunt sine libertate. Sed qui meritum brutis attribuit, non mirum quod irrationabiliter eisdem moralitatem attribuat. Tandem concludit infantes sine libertate suscipere baptismum, innocentes sine libertate martyrio fuisse affectos; omnesque (ut ait) meruisse, & per consequens moraliter operatos esse. Sed non distinguit Angestus meritum ex opere operantis, & ex opere operato, nam ad illud, cum sit morale, requiritur libertas operantis; non ad hoc; quod totum procedit ex valore operis facti: pueri vero suscipientes baptisma, aut martyrium, non meruerunt ex opere operantis, sed ex opere operato, ideo illorum meritum cum non esset morale, non requirebat libertatem.

SECTIO DECIMA.

Qua, & quomodo requiratur libertas ad moralitatem.

120. Duplex difficultas tangitur in præsenti quæstione: prima est, quæ libertas requiratur ad moralitatem actuum humanorum? Secunda, quomodo requiratur? Pro prima, suppono primo libertatem vel esse actualem vel fundamentalem, vel in causa. Actualis est illa, qua quis cum pleno dominio, & plena advertentia elicit actus; fundamentalis est illa, qua quis absolutè potuit elicere liberum actum, sed non elicuit, ut si ex ignorantia invincibili, quis committeret homicidium, vel incestum, illi actus committerentur inculpabiliter, sunt tamen mali: libertas in causa, est illa qua quis elicuit actus necessario, prævidens tamen cum libere voluit eorum causam, eos futu-

rot esse, liberi enim fuerunt, quia libere volita fuit eorum causa.

121. Suppono secundo, libertatem, vel esse contrarietatis, sive quoad specificationem, vel contradictionis, sive quoad exercitium: contrarietatis libertas versatur circa duos actus positivos, & contrarios, ut inter amorem & odium; contradictionis inter privationem, & ejus formam, ut inter amorem, & amoris privationem, non quod circa utrumque versetur idem actus, hoc enim à plerisque Theologis impossibile reputatur, sed quod versetur ita circa amorem, ut versari possit circa odium, aut circa amoris, aut odii privationem, per quæ explicata manet illa libera potentiæ definitio; *Est quæ potest agere, vel non agere, aut agere oppositum*: de qua multa dicam tom. 3. in 1. 2. explicans principium naturale actuum humanorum.

122. Quibus præsuppositis non est dubium sufficere libertatem actualem; an sufficit libertas in causa? dicendum est disput. 4. à n. 545. disputando an actus dormientium, vel amentium sint formaliter mali, an tantum effectivè?

123. De libertate autem in potentia facilis & pacifica erat resolutio nisi Lorca disp. 23. sect. 2. quæstionem faceret dubiam, asserens hanc libertatem esse sufficientem ad hoc, ut actus dicatur moralis. contraria tamen sententia vera est, eam approbant communiter Theologi; inter quos videantur Bellarmin. tom. 3. lib. 2. de amissione gratiæ cap. 18. Vasquez 1. 2. disp. 55. à num. 14. Navar. præludio 6. à n. 20. & ratio clara est, quia homini non imputatur quod potuit, sed quod fecit, non enim potentia damnatur, sed actus; aliter, qui potuit homicidium committere damnaretur, ex eo tantum quod potuit.

124. Confirmatur, & magis explicatur, quia actus necessarii, & necessario à voluntate eliciti, licet ex se possint esse capaces moralitatis; quia nisi fuissent impedimenta, libere elicerentur, tamen ut sic necessario eliciti, morales non sunt; ergo signum est, quod illa capacitas, sive libertas in potentia, non sit sufficiens ad moralitatem. Antecedens patet; quia ex opposito sequeretur, quod si quis ex ignorantia invincibili hominem occideret, aut simile quid committeret, illi imputaretur ad culpam; hoc autem est contra communem Theologorum sententiam. Sequela inde constat, quia una ex proprietatibus actus moralis est, quod nullus sit dignus culpa, vituperio, & pœna: atqui admissis actibus moralibus indifferentibus, de quibus disp. 5. idest actus sic eliciti, cum essent ex objecto mali, non forent indifferentes. Objicis Lorca 1. quia homicidium, verbi gratia, factum ab homine cum ignorantia invincibili, est malum, & tamen solum est liberum in potentia; ergo hæc libertas sufficit ad moralitatem. Majorem probat, quia si non foret malum morale, liceret nobis de illo complacere sine culpa: atqui hoc licitum non est, ergo ex eo quòd malum, morale est.

125. Respondetur negando Majorem est enim tantum malum objectivum, non formale: homicidium enim absolute, malum est naturale, ut tamen morale foret, necessaria esset libertas actualis, defectu cujus non imputatur ad culpam homicidæ. Ratio autem, cur de illo non licet gaudere sine culpa, est quia malum est objectivè, eo modo, quo nulli licet gaudere de homicidio à tauro commisso, & tamen illud homicidium non est quid morale, non enim à bruto actiones morales eliciuntur, sed quia malum objectum est, ideo peccat qui in illo sibi complacet.

126. Secundo, si non haberet ille actus liber in potentia moralitatem formalem, non magis peccaret, qui duos amentes extra matrimonium conjungeret, quam si duo conjungeret animalia: atqui peccat qui amentes conjungit, & non qui pecora; ergo ex eo quod illa conjunctio est moralis, & non ista; atqui ratio tota cur moralis est, est quia conjunctio inter amentes est libera in potentia, non vero conjunctio inter pecora; ergo illa libertas in potentia, solum sufficit ad moralitatem.

Respondetur; concedo Major; nego Minor. quamvis enim, nec amentes nec pecora peccent dum conjunguntur, peccant tamen qui illorum conjunctionem procurant, eo quod procurant conjunctionem intrinsecè malam, si intrinsece mala fuerit pecorum conjunctio, nam si est communis, tunc non est mala, nec procuratio illius mala erit, ac proinde propter malitiam objectivam, non moralem conjunctionis inter amentes, procuratio erit peccatum.

127. De libertate contrarietatis constat sufficere ad moralitatem; nec de hac dubium esse potest. De libertate quoad exercitium idem fecundum est judicium, cum non minus sit potentia libera in uno, quam in altero genere, ac proinde si eget regula, ut dirigatur in actibus liberis libertate contrarietatis, eadem egebit, ut dirigatur in actibus liberis libertate contradictionis.

128. Dices: Ergo ut uterque actus contrarius est moralis, ita etiam non solum actus, sed etiam ejus omissio moralis erit: hoc autem est falsum, ergo & illud ex quo sequitur. Major constat, quia non apparet major ratio de uno quam de alio: minor probatur quia si omissio est moralis, est etiam capax honestatis: atqui nulla omissio est honesta, ut communiter tenent Theologi, ergo nec moralis. Respondetur; concedo Majorem, nego Minorem: ad probationem nego Majorem; ut enim omissio pura potest esse mala, ita & honesta, ut disp. 3. à numero 699. videndum est.

129. Secunda difficultas est, quomodo requiratur libertas ad moralitatem: an ut fundamentum, an ut conditio? Respondetur in actibus elicitis à voluntate requiri libertatem ut fundamentum; in actibus vero imperatis requiri ut conditionem. Primam partem probant Vasquez q. 12. disp. 12. 9. numero 23. Zumel 12. q. 21. art. 6. disp. 2. notab. 3. ante primam concl. Cornejo tract. 6. dub. 4. in secunda conclus. Probatur quia actus in esse naturæ, ut liber, est subjectum moralitatis; ergo etiam est fundamentum. Probatur consequentia, quia subjectum, cui aliquid necessario innititur, est fundamentum illius.

130. Dices actum liberum non esse subjectum moralitatis, sed conditionem tantum: sed contra, quia negari non potest actum liberum esse subjectum moralitatis, cùm sit idem materialiter cum esse morali: & solum distinctum secundum diversas rationes formales, impossibile autem est, quod conditio sit idem materialiter cum illo cujus est conditio; nam vel est antecedens, vel subsequens, & neutra identificari potest cum re, cujus est conditio. Confirmatur, quia pura conditio non habet rationem subjecti, quò, qua de causa approximatio aquæ, ut calefiat, est pura conditio respectu calefactionis, quia calefactio

non inhæret approximationi, sed aquæ: moralitas vero inhæret ipsi actui libero: & per consequens actus liber est subjectum, non vero conditio.

131. Secunda pars, scilicet quod moralitas sit tantum conditio respectu actuum imperatorum, est contra Cornejo, & alios. Probatur tamen, quia moralitas actuum imperatorum, non inhæret actui libero; ergo actus liber non est illius fundamentum, sed conditio. Probatur antecedens, quia actus imperati sunt actus potentiarum aliarum à voluntate; ergo subjectantur in ipsis potentiis, à quibus eliciuntur, & non in voluntate; unus enim & idem actus in duabus potentiis realiter distinctis subjectari non potest, non enim intellectio subjectari valet in voluntate, nec volitio in intellectu. Tum sic, Actus liber subjectatur in voluntate, actus imperatus subjectatur in intellectu, verbi gratia; ergo moralitas illius actus imperati, subjectari nequit in libertate actus liberi. Loquor solum de actibus imperatis simpliciter, non vero de actibus imperatis simul & elicitis, ut sunt idemmet actus voluntatis, qui ab ea imperantur.

132. Ex quibus infero, moralitatem in actibus elicitis constitui ex libertate, ut ex fundamento, sive materiali, & ex ordine ad objectum (in quo ponenda est ratio moralitatis formalis) ut ex forma: ac proinde rationem constitutivam moralitatis componi ex duplici respectu, uno ad principium liberum, altero ad objectum regulatum per rectam rationem, quæ quidem sententia

Scotus. est Scoti quodlib. 18. art. 2. ubi ita: *Imputabile* (id est morale) *igitur duos respectus importat, unum ad operantem, vel dominium agentis, & alium ad aliquid correspondens actui, vel agenti secundum justitiam*: (id est secundum rectam rationem moderantem inclinationem voluntatis juxta expositionem supra datam sect. 3.) Sequuntur Zumel 1. p. q. 14. art. 13. in appendice conclusionis. 3. Ægid. Coninch. de actibus supernat. disp. 2. dub. 2. n. 20.

133. Probatur quia unus sine altero respectu non constituit esse morale, nec per considerationem etiam, esse morale potest esse sine utroque respectu; ergo, signum est constitui ex utroque respectu. Antecedens probatur, quia non minus ille actus importat respectum ad principium indifferens, ut enim deficiente objecto regulato, actus esse non potest moralis, ita etiam deficiente indifferentia voluntatis; sed quia indifferentia illa, sive libertas est prior, & communis tam actibus in esse naturæ, quam in esse morali, quæ determinatur per respectum ad objectum regulatum, ideo ille respectus ad principium est veluti genus determinabile, & materiale; respectus vero ad objectum regulatum, est forma determinans, & ratio formalis perficiens: Cum ergo non solum differentia specifica, verbi gratia, rationalis, sed etiam genus, verbi gratia, animal constituat compositum metaphysicum, sequitur quod si respectus ad principium indifferens est veluti genus, & materia; & respectus ad objectum regulatum, est velut differentia specifica, & forma, quod ex utroque constituitur esse morale.

SECTIO UNDECIMA.

Utrum ratio formalis moralitatis formalis sit regulabilitas immediata cum natura rationali vel cum lege vel cum ratione.

134. Actus ut sit moralis regulari debet per aliquam regulam: quare dupliciter potest sumi ejus regulatio: primo potentialiter, diciturque regulabilitas; secundo actualiter: modo est quæstio de regulabilitate; in qua respondetur primo, moralitatis formam non consistere in regulabilitate: ita Curiel 1. 2. q. 18. art. 1. dub. 2. §. 9. & probatur quia regulabilitas ex sua ratione formali dicit potentiam ut actus reguletur: atqui pertinet ad ordinem naturæ, ergo non potest esse ratio formalis moralitatis, Minor probatur, quia regulabilitas ex vi sua, & ex sua natura, est illa potentia, ergo pertinet ad ordinem naturæ. Probatur consequentia, quia ut se habet potentia in ente naturali ad suscipiendam formam artificialem, ita se habet ad suscipiendam formam moralem: atqui illa potentia ad suscipiendam formam artificialem, non est artificialis, ergo similiter in præsenti.

Respondetur secundo: Regulabilitas immediata cum natura rationali, ratione, aut lege, non est ratio formalis moralitatis. Probatur primo, quia actus non habet pro termino immediato naturam rationalem, rationem, aut legem, sed objectum; ergo non est ratio formalis moralitatis, illa immediata regulabilitas. Antecedens patet, quia ratio non regulat actum voluntatis, nisi dictando quale sit objectum, conveniensne naturæ rationali, an disconveniens? Idem est de lege: ergo prius actus terminatur ab objecto, quam ab aliquo alio, & per consequens cum mediante objecto reguletur, planum est illum actum non habere pro termino immediato naturam rationalem, aut legem, quin potius, ideo actus conformatur, vel difformatur naturæ rationali, aut legi, quia conformatur, vel difformatur objecto.

135. Probatur secundo discurrendo per illa principia de quibus est sermo: primo namque regula non est natura rationalis, quia secundum se sumpta, non magis est moralitatis, quam entitatis physicæ, ad utramque enim æque directe ac proxime concurrit.

136. Confirmatur, quia si fuisset illa regulabilitas cum natura rationali, jam sub illa ratione formali moralitatis, non comprehenderentur actus supernaturales morales: at proinde assignanda foret alia ratio pro actibus moralibus. Antecedens patet, quia actus supernaturales sunt supra naturam rationalem, cum ad illos ex se non sit propensa natura; ergo non sunt immediate regulabiles cum natura rationali.

137. Secundo, si consisteret illa ratio formalis in regulabilitate cum lege, jam actus supernaturales, qui versantur circa consilia, non forent morales. Probatur, quia isti actus non conformantur immediate cum lege, siquidem illi non sunt subjecti, sed cum consilio: *omne autem quod specificatur adæquatur cum suo specificativo*: Confirmatur, quia idem numero actus, ut furtum verbi gratia, respicit leges specie diversas, ut divinam, naturalem, & positivam, ab omnibus enim est prohibitum: atqui specificatum non habet majorem uni-

tatem, quam specificativum ergo.

138. Tertio si regulabilitas cum ratione, foret specificativum, jam nullum daretur judicium erroneum, quod argumentum, & omnia hic tacta expendentur magis disp. 5. à numero 18. ad 49. & opposita sententia magis explicabitur.

139. Dices primo: Illa est ratio formalis moralitatis, qua variata, variatur moralitas: atqui non variatur moralitas nisi ex variatione legis; ergo in immediata habitudine ad legem consistit ratio formalis moralitatis. Minor probatur, quia licet multiplicentur objecta, non multiplicatur moralitas, si non varietur lex; similiter quamvis non varietur objectum, nec multiplicetur, variatur & multiplicatur moralitas, multiplicata, vel variata lege, hæc omnia manifesta sunt exemplis: & primo si varii homines occidant, vel furentur, in omnibus occisio, & furtum, est ejusdem speciei moralis, quia licet objecta sint multa, & diversæ speciei, tamen lex prohibens furtum, aut occisionem, eadem est in omnibus. Secundo patet, quia siquis furetur vas sacrum, aut violet virginem Deo sacram, in quolibet casu, duplex committit peccatum specie diversum, non propter objectum, quod est unum, sed propter legem, quæ est diversa. Tertio quia idem omnino objectum, modo habet unam speciem moralitatis, modo alteram, pro legis ratione, ut si prohiberetur ambulatio in claustro, actus circa illam foret peccatum, & si eadem juberetur, esset bonus; ergo dicendum omnino est ex habitudine immediata ad legem constitui tamquam ex forma, esse morale.

Respondetur negando Minor. variatur enim primario ex variatione objectorum, ut expresse docet D. Thom. 1.2. q. 18. art. 5. in corpore,
D.Thom. loquens de peccato. Sequuntur Thomistæ eo loco, Curiel, Lorca, Vasques ibi: Corn. tom. 1. tract. 7. disp. prima dub. 1. Azor. lib. 4. cap. 2. q. 4. Suar. 1.2. tract. 3. disp. 7. sect. 7. numero 8. Rainaud tom. 1. dist. 4. & alii communiter, & ratio est clara, quia idem furtum prohibetur lege æterna, naturali, & positiva & tantum habet unam speciem moralitatis; idem dicendum, de occisione, quare ex objectis formaliter desumitur distinctio actuum moralium.

140. Pro quo notandum est objecta considerari posse, vel materialiter, vel formaliter: materialiter considerantur in ratione entis sine nova obligatione, vel etiam in ratione moris sine diversa ratione ad dictamen rationis, in quo sensu licet sint multa materialiter, sunt tantum unum formaliter: verbi gratia, plures occisiones etiam specie diversæ sunt formaliter, & in genere moris ejusdem speciei, quia licet prohibeantur variis legibus, tamen cum omnes prohibeant occisionem sub eodem motivo, & sub eadem formali ratione virtutis, non inducunt diversum modum ad dictamen rationis, de quo videri possunt Vasques disp. 98. cap. 2. à numero 4. Granado 12. controvers. 6. tract. 2. disp. 1. sect. 2. à numero 15. Similiter unum, & idem objectum materiale potest esse multiplex formaliter propter diversum modum, quo respicit dictamen rationis, & propter diversam rationem formalem, quam dicit ad virtutem: furtum enim rei sacræ est unum materialiter, & duplex formaliter, quia in eo violatur religionis, & justitiæ virtus: idem dicendum est, de violatione virginis, in qua offenduntur religionis, & virginitatis virtutes.

141. Ex quo patet responsio ad tres confirmationes argumenti: Ad primam negando objecta esse formaliter diversa, sunt enim ejusdem speciei in esse morali, & tantum materialiter diversa: Ad secundam nego illud duplex peccatum non esse propter objectum, licet enim sit materialiter idem, est tamen formaliter diversum: Ad tertiam negando consequentiam, quia licet in objectis indifferentibus lex variet eorum moralitatem, est tantum efficienter, non formaliter, constituit enim objectum in esse moris efficienter, de quo disp. 5. sect. 2 subsect. 5. n. 59. Sed postquam objecta constituta sunt in suo esse morali per legem, actus non denominantur morales per habitudinem immediatam ad legem, sed ad objectum: cum actus non tendant in legem immediatè; sed medio objecto, à quo specificantur.

142. Dices secundo: Malitia consistit in immediata habitudine ad legem; ergo etiam moralitas. Consequentia patet, quia in rebus non compositis, ab eodem sumitur genus & species. Antecedens probo, quia malitia, est difformitas actus: atqui actus malus non est difformis objecto, sed legi; ergo in habitudine ad legem consistit. Minor. probo, quia actus est conformis suo objecto; Respondetur negando antecedens; ad confirmationem, concessis majori, & minori, nego consequentiam: ad probationem distinguo antecedens, actus est conformis suo objecto prohibito, concedo; præcepto, nego; & eo ipso, quod actus est conformis objecto prohibito, est difformis legi, ac proinde à lege difformatur, quia conformatur objecto quod lex illa prohibet, semperque actus prius tendit in objectum, quam in legem; & in illo priori, in quo tendit, jam est moralis.

SECTIO DUODECIMA.

Utrum ratio formalis moralitatis sit absoluta an respectiva?

143. Dico primo: Ratio formalis moralitatis non est ipsa entitas absoluta actus. Ita Doctores communiter inter quos videri potest P. Suar. 1. 2. tract. 3. disp. 1. sect. 2. n. 2. Exprimitur à D. Thoma 1. 2. q. 1. art. 3. ad D. Thom.
3. q. 1. de malo art. 5. ad 2. & art. 6. ad 5. ubi ita: *esse morale, quod comparatur ad naturam actus, sicut quale ad substantiam.* Probatur, quia vel sermo est de re denominata morali, vel de ipsa forma denominante: si primum, certissimum est esse quid absolutum, cum id quod denominatur, sit ipsamet entitas actus physici; si secundum, impossibile est, quod sit ipsa entitas actus, & hoc ostenditur, quia tota ista entitas stare potest sine ratione moralitatis; ergo non est ipsa forma denominans, *impossibile enim est, quod posita causa formali in subjecto capaci, non sequatur ejus effectus formalis*, siquidem effectus formalis nihil aliud est quam ipsa causa posita in subjecto. Antecedens probatur in occisione facta ab ebrio, quæ in genere naturæ ejusdem speciei est cum occisione facta ab homine mentis compote, & consequenter actus, qui versantur circa illam, sunt ejusdem speciei, & unus est moralis, alter physicus.

144. Insuper idemmet actus numero, potest transire de libero in necessarium vel contra, idemque est de actu morali, juxta doctrinam illorum Authorum, qui libertatem constituunt

in denominatione extrinseca: idem actus potest habere duas moralitates species, & similia, quæ passim occurrunt, ex quibus probatur moralitatis formam, diversam esse ab ipsa entitate actus.

145. Dices: Entitas actus, & ad principium, & ad objectum dicit essentialem habitudinem: atqui ex vi hujus habitudinis est moralis; ergo moralitas in illa entitate constituitur. Respondetur negando consequentiam, imo ex præmissis, colligitur contrarium, & ut bene infertur, conclusio debet esse; ergo in illa habitudine ad objectum constituenda est moralitas. Sed instabis, præmissas intelligi de habitudine potentiali, quæ est eademmet entitas physica. Hac posita intellectione, distinguenda est Minor: atqui ex vi hujus habitudinis est moralis fundamentaliter, concedo; formaliter, nego; illa enim habitudo, ut etiam entitas, non est forma moralitatis, sed fundamentum illius.

146 Dices primo, Moralitas objectiva est aliquid per se volibile; ergo etiam Moralitas formalis est per se volitio; tum sic, Id quod est per se volitio, est ipse actus; ergo est ipsa substantia actus. Confirmatur, objectum morale est volitum; atqui denominatio voliti non provenit ab alia forma, quam à volitione, ergo ista volitio est ipsa moralitas formalis.

147. Circa hoc argumentum spatiantur satis Carmelitani t.2. tract. 11. disp. 1. §. 7. & §. 4. à n. 44. supponuntque duobus modis sumi posse objectum in quantum est morale, sive secundum subjectionem ad regulas morum in qua ipsa moralitas consistit; primo, ut est quædam ratio per se bona, & appetibilis ut quod, ac in recto: secundo formalissime, in quantum est terminus moralitatis formalis existentis in actu, quomodo præcise solum dicit, quod sit mensura passiva bonitatis, & appetibilitatis proveniens à lege, & in hoc sensu, sicut non sumitur, ut est per se bona ut quod, sed ut est determinatio præfixa objecto, ita non est volibilis ut quod, nec recipit denominationem voliti ut quod, sed ut quo, & in obliquo, in quantum est mensuratio sub qua, & sine qua objectum appeti non potest.

148. Ex quibus ad argumentum respondent num. 48. distinguendo antecedens: moralitas objecti va ut quid per se volibile, si sumatur ut est per se bona, & in esse rei, concedo, si sumatur in esse moris, & moralitatis objectivæ, nego: ut etiam negandum est, illum respectum, quem ad objectivam Moralitatem dicit actus, esse substantialiter volitionem: eodemque modo respondent ad confirmationem, negando scilicet Moralitatem repertam in objecto desumere aliquam denominationem voliti à prædicta Moralitate formali, sed sicut Moralitas objectiva ut talis, non spectat ad lineam appetibilitatis, sed mensuræ passivæ determinantis, & subjicientis legi, illud quod volendum est, ita Moralitas formalis ex ea in actum derivata, non pertinet ad lineam volitionis, neque ejus munus est, munus volendi, sed munus mensurandi, sive subjiciendi actum liberum regulis morum, quæ sunt mensura activa.

149. Et si instes, etiam illam subjectionem formalem, sive Moralitatem objectivam, ut talem, esse aliquid volitum, ex eo quod voluntarie eam homo appetat & attingat, ac proinde etiam specificare aliquid de munere volendi, à quo habeat denominationem voliti: respondent n. 49. hoc esse verum, si sumatur prædicta Moralitas in esse rei, & ut est per se bona, quomodo pertinet ad lineam appetibilitatis, nam si sumatur in esse moris, non est volita ut quod, & in recto, sed ad plurimum ut quo, & in obliquo, quatenus est mensuratio, sub qua objectum est volitum, specificativum vero, non est obliquum, sed rectum.

150. Verum licet hæc solutio subtilis sit, & videatur solvere difficultatem, tamen doctrina, & ejus applicatio non videtur vera, & primo probatur, quia objectum, ut morale, est per se volitum, & pertinet etiam ad lineam volitionis; ergo tota machina doctrinæ ruit. Antecedens probatur, quia actus ille voluntatis, ut moralis, est volitio, aut nolitio, siquidem nullum alium elicere potest voluntas actum, nisi volitionem, aut nolitionem: in his enim duobus actibus positivis clauditur ejus activitas; (excipio omissiones) ergo non potest actus voluntatis, tendere in objectum, quod non sit volitum aut nolitum, & non pertineat ad unum ex illis actibus.

151. Nec obstat, si dicas, objectum esse volitum, aut nolitum in obliquo, & ut quo, non vero in recto, & ut quod: contra enim est primo, quia actus moralis ut moralis, specificatur ab objecto morali ut morali, atqui specificativum ut fatentur & bene, citati Carmelit. numero 49. debet esse in recto, & non in obliquo à potentia ad actum, ergo in recto est volitum.

152. Secundo, quia jam nulla diversitas esset inter Moralitatem formalem desumptam ex objecto, ac desumptam ex circumstantiis: namque Moralitas ex objecto desumpta, est primaria, & essentialis actui; ex circumstantiis secundaria, & accidentalis, ex eo quod cum circumstantiæ sint modi accidentales, sive conditiones modificantes objectum morale, sunt volitæ in obliquo, & secundario, non enim potest esse volitum objectum morale, nisi affectum illis; objectum autem morale est volitum in recto, & primario, ut de bonitate asserunt Carmelit. cap. 3. dub. 1. §. 1. numero 1. ac proinde argumentum quod prædicti Carmelitani formant erga objectum in esse rei volitum ut quod, & in recto, ac mensuratam passivam, quam dicunt Moralitatem, fere de objecto morali, & ejus circumstantiis.

153. Tertio, quia non minus actus moralis specificatur ab objecto morali, quam actus bonus ab objecto honesto: atqui actus bonus moralis est volitio objecti moralis boni primario, & ut quod voliti, ergo etiam actus moralis erit volitio objecti moralis, ut quod voliti. Minor inde constat, quod actus ille bonus est in specie bonitatis essentialiter constitutus, ergo ab objecto bono specificatur, sed non potest specificari ab illo, nisi in illud primario, & in recto tendat; ergo &c.

154. Tandem, quia Moralitas formalis est tendentia actus in objectum morale: tendentia autem illa, est eademmet volitio, ut m et dicam infra n. 171. eademmet tendentia totalis tendit in illud objectum totale; prius ad objectum in esse rei, posterius in esse moris, quamvis cum diversa formalitate; & ut objectum in esse rei, est volitum in recto; ita, & in esse moris; amor enim honestatis, volitio honestatis est, & ille

ille amot cum sit moraliter bonus, specificatur ab honestate morali, quod esse non potest, quin sit volita in secto.

155. Doctrinam antem de mensura, & mensurato admitto, ut admitin infra n. 179. non ita quod mensura sit actus ad objectum vel è contra; hæc enim est quid superveniens actui, & objectis formaliter moralibus, sed mensura actus cum objecto, quod nihil aliud est, quam tendentia actus ad objectum, quæ non requiritur, quod sit volita reflexe, sed quod volitum sit objectum regulatum per rationem juxta diceoda.

156. Ad argumentum igitur, quod nobis istam obtulit digressionem, respondeo facile, concedendo moralitatem esse per se volibilem, objectumque morale accipere denominationem voliti, simulque volitionem ad illud per se, & primario tendere: neqn tamen inde inferri, moralitatem formalem esse quid absolutum, sive entitatem ipsam actus absolutam, namque volitio eximi non potest à respectu; volitio enim alicujus est volitio; & per consequens respectiva, respectiva quidem objecti moralis, qui est respectus in quo collocamus moralitatem formalem.

157. Quod si mens Carmelit. non est hæc, sed constituere moralitatem formalem in respectu diverso à tendentia; jam sententia illorum falsa erit, à D. Thoma, & ab ejus discipulis aliena, ut videre est infra numero 168. nec cum eorumdem patrum Doctrina consistere potest; siquidem illi appellant citatis locis, moralitatem modum superadditum actui transcendentaliter, & secundum dici respectivum: quod nihil aliud esse potest, quam ipse actus respiciens, & tendens in objectum, ut ipsi dicunt disp. 3. dub. 2. §. 1. numero 1. & ut respectus materiæ primæ ad formas, eo quod est transcendentalis, non est quid superadditum materiæ, sed materia ipsa respiciens, ita in præsenti moralitas formalis, quæ est respectus transcendens, non est quid realiter superadditum entitati actus, sed est ipsa entitas actus tendens in objectum morale.

158. Dico secundo: Forma moralitatis non est aliquis modus absolutus superadditus entitati actus; Ita communiter Doctores contra Cajetan. Videndi sunt Suar. tract. 3. disp. 2. sect. 2. n. 3. Cornejo tract. 6. dub. 3. disp. 1. Herrera in 2. dist. 40. dist. 28. q. 3. concl. 2. Zumel 1. 2. q. 21. art. 6. disp. 1. Curiel q. 18. art. 1. dub. 1. à §. 8. Carmelitan. tract. 11. in 1. 2. disp. 1. dub. 3. §. 2. n. 42. dicentes esse communem Thomistarum opinionem.

159. Probatur primo: In actu non potest intelligi modus aliquis, nisi per intensionem in subjecto, per habitudinem ad suum principium vel per extensionem ad objectum: atqui omnibus his modis stare potest actus sine moralitate; ergo in illis non consistit moralitas. Minor probatur, nam si voluntas, magno, vel parvo conatu necessario feratur ad unum, & ad plura objecta, datur ibi intensio in subjecto, habitudo ad principium, extensio ad objecta; & tamen non datur moralitas cum actus sit necessarius; ergo &c. Secundo, seclusis regulis artis, non datur artificiale; ergo etiam seclusis regulis morum, non dabitur morale; ergo semper moralitas dicit ordinem ad extrinsecum, sive illud sit objectum, sive lex, sive naturæ rationis. Tertio, quia moralitas consistit in ordine ad objectum, ut infra probandum est, sed ordo est respectivus; ergo moralitas non consistit in absoluto modo.

160. Caetanus 1. 2. q. 49. art. 3. §. *præterea*, docet formam moralitatis esse modum absolutum, non quidem in actibus imperatis, sed in elicitis. Primo quia virtus, & vitium sunt contraria; ergo neutrum est respectivum. Patet consequentia juxta Philosophum cap. de relatione, *relationi nihil est contrarium*. Antecedens probatur, quia inter habitus virtutis & vitii datur contrarietas; ergo etiam inter actus. Respondetur negando consequentiam; Aristoteles vero loquutus est de relatione prædicamentali, non vero de transcendentali, qualis est ordo in quo constituitur moralitas. Aristot.

161. Secundo, habitus est principium moralitatis: atqui non potest esse principium alicujus relativi; ergo moralitas non est relativa. Major supponitur, minor probatur, quia ad relationem non datur per se motus, sed producitur ratione fundamenti: atqui habitus non potest esse principium fundamenti, id est substantiæ actus; ergo neque illius relativi, quod consequitur. Multi respondent multa, quibus omissis breviter respondeo distinguendo min. Habitus non potest esse principium alicujus relativi, per se, & immediate; concedo; mediate, & ratione alterius, nego. Deinde nego consequentiam: ad alteram probationem minoris, distinguo minorem: Habitus non potest esse principium fundamenti per se solus; concedo; adjunctus voluntati, nego: Cum ergo voluntas operetur simul cum habitu, tam voluntas, quam habitus producunt actum, & ratione actus ordinem illum relativum, qui consequitur ad actum, & est idem cum illo. Præcipuè, quia quando dicitur ad relationem non dari per se motum, intelligitur de prædicamentali, non de transcendentali.

162. Tertio, esse vitale est modus intrinsecus, & absolutus: atqui esse morale, est vitale; ergo modus absolutus. Respondetur distinguendo Min. esse morale, est vitale, fundamentaliter, concedo: formaliter nego: nam esse vitale præter substantiam actus, nihil aliud est, quam dependentia physica à principio vitæ conjuncto, quæ ratio tota reperitur in actibus necessariis elicitis à voluntate, qua de causa esse non potest ratio formalis moralitatis, aliter in quocumque actu reperiretur, constitueret eum moralem.

SECTIO DECIMA TERTIA.

Utrum illud respectivum sit ordo actus ad voluntatem an ad objectum?

163. CONstat primo moralitatis formam non esse quid absolutum, sed respectivum, ut probavi superiori sect. quæ est germana, & celebris sententia Scoti, præcipuè in 1. dist. 17. q. 3. numero 3. ubi eum sequuntur Barguis Lichet, Viger; Tartaret. Paulus scriptor in 2. dist. 40. q. 1. numero 3. & in quodl. 18. 55. *de secundo*, & locis citatis supra sect. numero secundo, terminum istius respectivi, nec esse naturam rationalem, nec legem, nec rationem immediatè, ut constat ex sect. 11. Restat ergo respectus ad voluntatem, & ad objectum, & quæritur quisnam sit ille respectus, in quo constituitur ratio formalis moralitatis.

164. Dico primo: Ordo ille, quem actus dicit ad voluntatem, ut ad principium, non est forma constitutiva moralitatis. Ita communis doctrina, de qua Curiel q. 18. art. 1. dub. 1. §. 9. vers. *ultimo*, Carmelit citati numero 37. Pro-

batur primo, quia actiones juxta Philosophum 1. de anima cap. 4. specificantur per objectum; ergo ab objecto, tamquam forma, recipiunt suæ essentiæ gradus; sed esse morale est gradus actionis, ergo non à principio, sed ab objecto ut à forma desumendum est. Secundo, quia actio ut actio est, est tendentia in objectum; atqui tendentia, ut tendentia, non respicit principium efficiens, ut formam, ergo voluntas, quæ est principium efficiens, non potest esse forma, à qua actio constituatur moralis. Tertio, quia vel voluntas desumitur ut principium indifferent, vel ut principium morale: atqui actus neutro ex his modis constituitur moralis, per respectum ad voluntatem, ergo iste respectus non est forma moralitatis. Minor probatur, quia respectus ad voluntatem, ut principium indifferens, est communis ad actus in genere naturæ, & in genere moris, ut supra probatum est: Respectus vero per ordinem ad voluntatem, ut principium morale, non potest esse forma constitutiva moralitatis, quia voluntas dicitur principium morale, per ordinem ad actum quem causat, sicut medicina dicitur sana per ordinem ad sanitatem quam causat; ergo actus non potest dici moralis ex ordine ad voluntatem.

165. Quidam tamen recentiores docent formam moralitatis esse ordinem quendam ad voluntatem, ut principium est morale, id est ut subordinatur regulis rationis, quibus favet Ricardus in 2. dist. 41. art. 2. q. 4. videturque de mente Doctorum, qui asserunt moralitatis formam constitui in libertate, libertatemque esse denominationem extrinsecam desumptam à voluntate libere operante, subordinata tamen regulis rationis. Expressè hanc sententiam docent Zumel 1.2. quæst. 71. art. 6. disp. 1. conclus. 1. quamvis absque fundamento eo loco asserat, ordinem actus ad principium, & ad objectum esse eumdem omnino formaliter.

166. Probari potest, quia actio vitalis ex ordine ad principium habet quod sit vitalis, & quæcumque actio habet communem actionis rationem per ordinem ad principium, à quo procedit; ergo similiter actio ut Moralis, habet rationem Moralitatis per ordinem ad principium Morale. Respondetur negando consequentiam: diversa ratio est, quia modus emanationis, & vitalitatis, cæterorumque graduum communium genericus est, & communis omnibus actibus, & per illum suum esse accipiunt genericum, quod totum provenit à principio; Moralitas vero est gradus specialis, constituens actum in propria specie, species autem, sive specificatio, non desumitur à principio, sed ab objecto, à quo actus specificatur, ac proinde cum voluntas concurrat in genere causæ efficientis, & objectum in genere causæ formalis, efficienter causabit voluntas Moralitatem, objectum vero formaliter.

167. Secundo: Actio secundum suum genus, specificatur à principio activo, ergo etiam actus Moralis; non enim potest singulare specificari secundum diversa principia, quibus specificatur universale, sub quo continetur. Antecedens patet, quia actio specificatur per id, per quod definitur: sed definitur per principium, ergo per principium specificatur. Minor ostenditur ex definitione actionis, quæ definitur *egressus ab agente cum motu*. Respondetur negando antecedens: ad probationem distinguo Minorem, descriptive nego: essentialiter, concedo: definitio autem essentialis est, *actio & influxus in effectum*, quæ resolutio procedit æque de actionibus immanentibus, ac transeuntibus, ut bene docet Suar. in Metaph. disp. 48. sect. 5. numero 14. quidquid asserant Carmelit. n. 63.

168. Dico secundo: Forma Moralitatis consistit in habitudine, & ordine ad objectum in esse Morali, est communis sententia D. Thom. q. 2. de malo art. 6. in corpore, & ad 2. 1.2. q. 18. art. 2. q. 19. art. 1. 2. & 3. q. 71. art. 1. Videtur sententia Scoti in 2. dist. 79. 1. numero 12. vers. *de primo*, quatenus docet primam bonitatem Moralem esse *transire super objectum conveniens actui*, quæ non potest esse Moralis, quia (ut ait) *jam habet in isto genere scilicet, objectum conveniens actui*. Idem docet de malitia numero 12. vers. *huic*. Eamdem doctrinam habet quod lib. 18. art. 1. vers. *ulterius*, qua de causa hanc sententiam, ut Angelici & subtilis Doctoris tuetur Herrera disp. 28, q. 4. §. *conclusio*, eamdem docet Curiel 1.2. q. 18. art. 1. dub. 1. §. 9. Araujo ibi dub. 1. numero 12. Cornejo tract. 6. dub. 3. in ultima conclusione. Petrus à sancto Joseph. 2. p. lib. 2. de peccatis cap. 1. Carmelit. 1.2. tract. 11. disp. 1. dub. 3. §. 2. numero 44. & dub. 4. §. 1. n. 55.

D. Thom.

Scotus.

169. Et quamquam hujus conclusionis probatio satis manifesta sit ex præcedentibus, tamen adhuc probatur primo: Actus specificantur per objecta, ergo ab objectis desumenda est eorum ratio moralis. Patet consequentia, quia per rationem moralem constituuntur objecta in diversa specie ab illa, quam habent in esse naturæ, ergo per ordinem ad objecta. Secundo quia actus comparatur ad objectum, ut motus ad terminum, sed motus consistit in tendentia ad terminum; ergo actus in tendentia ad objectum; ergo actus constituetur moralis in illo ordine sive tendentia ad objectum morale; Major patet, quia sicut motus est tendentia, ita etiam actus tendentia est ad suum objectum, quæ est probatio D. Thomæ 1.2. quæst. 1. art. 3. & 1.2. quæst. 77. à 3.

D. Thom.

170. Objicies primo: Prius est Moralitas in actu quam in objecto; ergo Moralitas actus ab objecto non desumitur, immo Moralitas objecti ab actu desumetur. Respondetur negando antecedens, quia actus semper est posterior, objectum vero semper est prius prioritate aliqua, saltem rationis, quam sit ipse actus: cum enim actus specificentur ab objectis, prius saltem à ratione debet esse specificativum, quam specificatum, siquidem specificativum habet rationem causæ, specificatum rationem effectus, causa autem semper est prior aliqua prioritate quam effectus; effectusque formalis à causa formali accipit rationem suæ speciei.

171. Ex quibus colliges primo, objectum considerari in esse naturæ, sive materialiter, & in esse moris, sive formaliter; & utroque modo actus specificatur ab objecto; actus in esse naturæ, ab objecto in esse naturæ: & in esse moris ab objecto Morali. Exemplum sit homicidium, nam in esse naturæ, & physicè potest fieri à tauro, ebrio, vel amente; in esse moris solum potest fieri ab homine in sua libertate constituto, subjecto regulæ morum: actus ergo, ut specificatur ab homicidio tamquam ab objecto physico, & in esse naturæ, est naturalis; ut specificatur

ab homicidio, ut ab objecto prohibito, & morali, est actus moralis imputabilis ad culpam.

172. Secundo, actum moralem non posse esse talem, nisi sit physicus; genus enim moralitatis supponit genus naturæ ut fundamentum cui innititur; unde idem actus voluntaris constituitur ex duplici specie; naturæ scilicet, sive physica, & morali; ac proinde totus ille actus specificatur ab uno eodemque objecto, & cum in objecto reperiatur esse physicum materiale, & esse morale, formale actus, ut specificatur ab objecto materiali, constituetur in specie naturæ, & physica; ut specificatur ab objecto in esse moris formali, constituitur in specie morali: quare ille actus totus & adæquatè constituitur per ordinem adæquatum ad objectum: inadæquatè vero constituitur in specie physica, per unum ordinem inadæquatum ad objectum materiale; & in esse morali per alterum ordinem inadæquatum ad objectum formale.

173. Tertio, objectum formale, sive in esse moris, diversis modis esse attingibile, secundum diversas rationes formales sumptas à diversis respectibus, quos dicit ad dictamen rationis, & secundum omnes rationes formales potest specificare actum, ita ut actus ab unaquaque accipiat specialem speciem in esse morali; quæ quidem species inadæquatæ erunt in illo actu, qui materialiter est idem, formaliter secundum diversas species est multiplex. Exemplum sit furtum vasis sacri, cum enim habeat duplicem rationem formalem, diversam moralitatis, nimirum furti & sacrilegii, rependit duplicem speciem in actum, qui specificatur ab una, & altera ratione objecti: & quamvis ille actus sit unus adæquate, tamen est multiplex inadæquate & formaliter, secundum multiplicem rationem formalem inventam in objecto, continetque in se multas species: nec mirum est, quod species moralitatis sit veluti accidens respectu speciei in esse naturæ; & secunda species moralitatis, sit etiam accidens respectu primæ speciei moralis; & sic de aliis, quia etiam qualitas est genus summum, & tamen est accidens respectu substantiæ.

SECTIO DECIMA QUARTA.

Utrum ordo ad objectum, qui est forma moralitatis, sit realis an rationis?

174. RESpondetur, illum ordinem esse realem; est communis sententia quam sequuntur Doctores relati superiori sect. §. *dico secundo*, Hyeronymus à Rua controver. 1. Scolastica p. 1. concl. 1. Rainaud dist. 14. q. 1. art. 1. n. 7. Petrus à Sancto Ioseph: cit. Carmelit. dub. 3. §. 1. n. 37. Probatur primo à priori, quia ille ordo est ordo transcendentalis ad objectum; atqui ordo transcendentalis actuum non est fictio nostri intellectus, sed iidemmet actus respicientes objectum; ergo realis est, non rationis. Minor probatur, quia ordo transcendentalis ab entitate non distinguitur, ordo enim materiæ ad formas, est eademmet materia respiciens formas, & sic de aliis. Confirmatur quia sine aliqua operatione intellectus, actus voluntatis sunt boni, vel mali moraliter, & per illos homines talea dicuntur.

175. Secundo, quem non movebit, audire bona omnia, & omnia mala opera esse entia rationis? & quod magis est, divinam justitiam totam occupari in puniendis, vel præmiandis entibus rationis, dum peccata punit, & merita præmiatur: simulque fundamentum meriti, vel demeriti, in quo tota religionis Christianæ œconomia innititur, esse ens rationis, ea de causa, quod moralitas, quæ fundamentum est meriti vel demeriti, sit ens rationis? Argumentum autem, quo utuntur Carmelitani cit. n. 38. quod idem est fieri ens rationis, atque cognosci, reprobatur communiter, ut diximus in Cursu philosophico tract. de ente rationis.

176. Opposita sententia, asserens moralitatem esse ens rationis, quoad sonum verborum, tuetur Vasques 1. 2. disp. 95. cap. 10. & pro ea citat Canum; Lorca 1. 2. q. 17. art. primo disp. 26. quoad moralitatem ex circumstantiis, & ex objecto bono; & malo propter legem. Primo quia mensurabilitas est relatio rationis. Majorem tradit Philosophus 5. Met. cap. 10. minorem probat, quia actum esse moralem, nihil aliud est quam actum mensurari ratione. Aristot. Respondetur primo cum Ochamo, & Gregorio, quos relatos sequuntur Rainaud cit. n. 8. Cornejo tract. 6. disp. 1. dub. 1. negando majorem, nam regulabilitas in actu, proprie non est relatio rationis, sed ipsa res regulabilis, & mensurabilitas, cum enim sit passio intrinseca quantitatis, non potest esse relatio rationis. Philosophus loquitur de mensuratione actuali.

177. Respondetur secundo negando min. & probationem, actus enim ut sit moralis requirit præter regulabilitatem, tendentiam in objectum, & ut objecto ex vi suæ tendentiæ conformetur: non enim moralitas constituitur in mutua regulabilitate, aut regulatione actuali actus ad objectum, vel objecti ad actum, sed in regulabilitate, & in regulatione actus cum objecto, quam habet ex se, & ex sua natura, quod quidem diversum est; nam regulatio objecti ad actum, vel è contra, supponit objectum & actum; illisque superadditur: regulatio vero actus cum objecto, non est quid superadditum actui, vel objecto, sed est ipsamet tendentia actus in objectum.

178. Instabis: Ita se habet commensuratio actus medio objecto, cum recta ratione, ut mensuratio respectu panni: atqui ista mensura non ponit in panno aliquid reale, sed rationis; ergo nec illa in actu ponet aliquid reale. Minor probatur, quia quod pannus subdatur mensuræ, nihil aliud est, quam vel denominatio extrinseca, sive relatio rationis mensurati, vel immensurati ad pannum.

179. Respondetur negando majorem, nam mensura diverso modo comparatur ad pannum, atque regula rationis ad actum, & objectum: nam voluntas non est principium morale, nec etiam actus est moralis, nisi per ordinem ad objectum: regula rationis habet se ex parte objecti formalis, illud constituens in esse talis objecti moralis, & ideo secundum diversum modum tendendi in objectum regulatum jam per rationem, diversificantur actus; unde ratio cur mensuratio panni est ens rationis, & non mensuratio actus cum objecto, ea est, quia mensura supponit pannum, & postea applicatur ut mensuret, prius enim constituitur pannus in suo esse, quam mensuretur; mensuratio autem, non est mensuræ cum panno, sed mensuræ ad pannum: voluntas vero & actus, ut quid morale, non supponunt, sed involvunt regulam rationis, voluntas enim non prius producit actum, & postea applicatur regula, sed prius regula mensurat objectum, illudque regulat, & proposito objecto regulato, regulat voluntatem, ex qua regulatione voluntas constituitur principium morale, & ut tale producit actum moralem constitutum in tali esse, non per commen-

ſurationem aliquam inter actum & rationem, ſed per veram, & realem tendentiam in objectum ſic regulatum, eo quod regula non regulat immediate actum, ſed medio objecto, ex cujus parte ponitur.

180. Urgebis: Ut varietur actus ſecundum circunſtantias non requiritur quod voluntas velit objectum ſecundum bonitatem naturalem; ergo illa regula rationis, non ponitur ex parte objecti formalis. Probatur conſequentia, quia eſſe regulatum cum recta ratione, eſt circunſtantia objecti in eſſe naturæ. Antecedens probatur, quia circunſtantiæ non poſſunt eſſe volitæ, aliter eſſent objectum. Reſpondetur primo negando antecedens, namque omnes circunſtantiæ debent eſſe volitæ, cum debeant eſſe voluntariæ, ex eo quod addant bonitatem vel malitiam actui, ut omnes fatentur Theologi, nullo excepto: ſunt autem volitæ non ut objecta primaria, & principaliter, ſed ſecundariò, & remote, & cum ſint objecta
Scotus. ſecundaria (non loquor de circunſtantiis mutantibus ſpeciem) non ſpecificant actum, ut bene notavit Scotus in prologo q. 4. n. 7. ex qua ratione omnes viſiones beatificæ ſunt ejuſdem ſpeciei, quamvis quædam plures, quædam pauciores exprimant creaturas, quia ſunt objecta ſecundaria ex doctrina Scoti in 1. diſt. 1. q. 2. n. 6. verſ. *actus*, quam cum cõmuni Doctorum doctrina tradit Suar. 1. p. lib. 2. de attributis negativis cap. 19. n. 4.

181. Reſpondetur ſecundo negando conſequentiam, ad probationem concedo antecedens, ſed ex hoc infertur, regulam rationis non poni ex parte objecti formalis; quamvis enim eſſe regulatum, ſit accidens, & circunſtantia reſpectu objecti in eſſe naturæ, non tamen eſt circunſtantia reſpectu ejuſdem objecti in eſſe morali: eſt enim vera forma illud conſtituens in tali eſſe; & ratio clara eſt, quia circunſtantia non conſtituit objectum in prima ſpecie, ſed ſupponit illud aliunde
D. Thom. conſtitutum, ex qua ratione D. Thom. q. 18. art. 5. ad 4. ubi Caet. art. 9. Curiel art. 10. dub. 2. Vaſq. diſp. 53. cap. 2. Suar. tract. 3. in 2.2. diſp. 5. ſect. 2. numero 13. & 21. Cornejo tract. 6. diſp. 4. dub. 2. numero 12. docent circunſtantiam, quæ tribuit primam ſpeciem actui, non eſſe veram circunſtantiam, ſed tranſire in objectum primarium; cum ergo regula rationis tribuat primam ſpeciem moralem objecto, non poterit eſſe circunſtantia reſpectu illius in eſſe morali, ſed ponitur ex parte illius, conſtituens objectum in tali eſſe morali.

182. Objicies ſecundo, Regula rationis pendet ex multis extrinſecis, ut ex lege, conſilio, loco, tempore, & aliis: atqui hæc nihil reale ponunt in regula rationis; ergo nec moralitas in actu: Reſpondetur negando conſequentiam, quia licet illa extrinſeca nihil ponant reale in regula rationis, vel in objecto, tamen cum ſe habeant ex parte objecti formalis, ut ſupra dictum eſt de regula rationis, ex illis variatur objectum, & variato objecto, ſive varietur per quid reale, ſive per quid rationis, non ſolum variatur tendentia actus, ſed illa tendentia, quæ eſt moralitas, eſt realis ex ea certiſſima Doctrina; quod licet actus tendat in aliquid rationis, ſemper tendit tendentia vera, & reali; cum tendentia ab entitate, actus non diſtinguatur. Exemplum eſt manifeſtum in actibus intellectus, qui ſive attingant impoſſibilia, ſive entia rationis, ſive negationes, ſemper ſunt reales.

183. Tertio, ex eo quod voluntas ſit principium morale, nil reale ponitur in illa, ſed tantum reſpectus quidam rationis; ergo etiam ex eo quod actus ſit moralis, tantum ei addetur reſpectus rationis. Antecedens probatur, quia voluntatem eſſe principium morale in actu primo, nil aliud eſt quam ab intellectu dictari voluntati objectum regulatum. Reſpondetur negando antecedens: cum enim voluntas ſit agens liberum, neceſſario eſt regulabilis in ſe, per modum actus primi; in actu, per modum actus ſecundi: nam agens liberum ex ſua intrinſeca ratione operatur per regulam rationis, & per reſpectum ſubjicibilitatis ad illam, conſtituitur principium morale, qui reſpectus ipſi voluntati intrinſecè inhæret. Nota tamen voluntatem non eſſe principium morale, nec in actu primo, nec in actu ſecundo, per reſpectum immediatum ad regulam rationis, ſed immediatum ad objectum regulatum per illam; Unde voluntas eſt principium morale in actu primo, ubi primum objectum eſt morale: in actu ſecundo, quando objectum proponitur per intellectum, & ipſa actualiter operatur: actus vero voluntatis elicitus, conſtituitur moralis in actu primo, quando continetur virtualiter in voluntate, ut principio morali: in actu ſecundo, quando actu elicitur per tendentiam illam ad objectum.

184. Quarto arguit Vaſques, Actus moralis dependet à libertate; ergo ille reſpectus eſt relatio rationis. Probatur conſequentia, quia ideo ſignificatio vocum eſt relatio rationis, quia ex libera impoſitione hominum dependet; ergo à fortiori moralitas, quæ dependet ex ipſa libertate. Reſpondetur negando conſequentiam, falſum enim eſt omnia, quæ à libertate dependent, eſſe entia rationis, ut bene notavit Rainaud cit. n. 16. nam eſſe Doctorem, Regem, Miniſtrum, & ſimilia, ad minus denominationes ſunt extrinſecæ: & hoc quia ponuntur ex parte objecti, nam actus qui dependet à libertate, poſitivus eſt & realis, ſimulque ordo illius ad objectum morale, etiamſi moralitas in illo eſſet ens rationis, & denominatio extrinſeca.

185. Quarto, moralitas eſt denominatio extrinſeca; ergo eſt ens rationis. Probatur conſequentia, quia denominationes extrinſecæ nihil aliud ſunt, quam entia rationis, ut docent Vaſq. variis in locis, præcipuè 1. p. diſp. 15. n. 31. diſp. 115. n. 2. & 1. 2. diſp. 95. cap. 10. Petrus Hurtado diſp. 9. Met. ſect. 1. §. 19. Smiſing. tom. 1. de Deo tract. 3. diſp. 2. q. 6. n. 183. Faventin. in primam Scoti diſt. 35. diſp. 5. q. unica cap. 5. numero 26. §. ad 3. Reſpondetur primo negando antecedens de quo infra. Secundo negando conſequentiam: ad probationem nego antecedens, ut docent Sanches in Logica lib. 2. q. 2. concl. 7. Serna. in Logica diſp. 1. ſect. 4. de ente rationis q. 5. art. 3. Complutenſes in Logica diſp. 2. de ente rationis q. 2. numero 10. ubi adducunt pro hac ſententia D. Thom. in 3. p. q. 35. art. 5. Suar. in Met. diſp. 54. ſect. 2. numero 10. & alii, quos adduxi pro D. Thom.
hac ſententia, ut veriori, in curſu Philoſophico tract. de ente rationis.

SECTIO DECIMA QUINTA.

Utrum ille ordo, qui eſt forma moralitatis, ſit denominatio extrinſeca?

186. SUpponendum eſt primo, duplicem eſſe denominationem, unam intrinſecam, extrinſecam alteram: intrinſeca deſumitur à forma exiſtente in ſe denominata, diciturque informatio, vel

unlo formæ unitæ, seu inhærenti subjecto: extrinseca desumitur à forma existente in diverso subjecto à re denominata: per intrinsecam tribuitur rei deoominatæ aliquod esse novum, & intrinsecum, non tamen per extrinsecam: verbi gratia, albedo intrinsecè denominat parietem album, quia existit in eodem pariete; visio vero extrinsece denominat eumdem parietem visum, quia visio existit in oculo, non in pariete, & intrinsecè denominat oculum videntem, quia in illo existit; ex quo fit, quod actus potentiarum denominent intrinsece potentias, à quibus eliciuntur, extrinsecè vero terminos, quos respiciunt. Secundo tria distinguenda esse in præsenti, formam scilicet denominantem, rem denominatam, & ipsam danominationem, quæstio ergo est an ille ordo, sive Moralitas sit denominatio intrinseca, an extrinseca?

187. Respoodetur esse denominationem intrinsecam, non extrinsecam: ita in terminis, Curiel 1.2. q. 18. dub. 1. §. 10. in ultima concl. Ægid de Coninch. de actibus disp. 1. dub. 2. n. 20, Zumel 1. p. q. 14. art. 13. io appendice tertiæ conclusionis, & 1.2. q. 71. art. 6. disp. 1. concl. 3. Cornejo tract. 6. disp. 1. dub. 1. concl. 2. Rainaud dist. 4. q. 1. art. 1. n. 7. & hanc esse sententiam Scoti, & discipulorum fatetur Herrera cit. disp. 28. q. 3. §. *prima conclus.* Carmelit. citat. disp. 1. dub. 3. §. 1. n. 39.

188. Probatur primo, quia ordo ille actus ad objectum, est ordo traoscendentalis, sive secundum dici, estque ipsa essentia rei, quæ respicit illud: sed non gratis, ut loquuntur Conimbricenses ad prædicamentum relationis q. 1. art. 2. §. id est, respicit terminum, oon purè, sed ut effectum, vel causam, vel objectum; ergo iste ordo, licet denominet extrinsece objectum, quod respicit intrinsece, tamen debet denominare actum ipsum, siquidem in ipso actu existit, imo est ipsemet actus. Tum sic, ille ordo est forma Moralitatis, per quam actus denominatur moralis; ergo necessario denominabit actum ipsum intrinsece: tria enim hic reperiuntur, res denominata, id est, actus; forma denominans, id est, ordo, sive Moralitas; & denominatio, id est, esse morale: cum igitur actus denominetur moralis ab ordine illo, qui in eodem actu existit, & est idem cum illo, oecessario denominandus est intrinsecè.

189. Dices ordinem, in quo consistit forma Moralitatis, esse relationem realem de prædicamento relationis; ergo bene potest esse extrinseca ipsi actui, quam denominat. Respondetur negando antecedens, cum Zumel 1.2. q. 11. art. 6. Conrad. 1. 2. q. 1. 9. art. 1. Cornejo tom. 2. tract. 7. disp. 4. dub. 8. Curiel. 1.2. q. 11. art. 6. dub. 1. Petro à sancto Joseph. p. 2. Theologiæ lib. 2. de peccatis cap. 1. Conimbricens. in Ethic. disp. 5. q. 1. art. 1. Rica controvers. 2. Scolastica p. 1. conclus. 5. Rainaud cit. art. 1. n. 13. latè Carmelit. cit. §. 2. n. 42. & ratio est clara, quia actus ut muralis, non respicis objectum, ut purum terminum, nec etiam potentiam.

190. Probatur secundo conclusio: Ordo ille in quo moralitas consistit, est ratio cur voluntas feratur tali modo in objectum, & cur actus tali modo tendat: sed ratio tendentiæ, & mutatiooii liberæ, intrinseca est entitati actus; ergo & moralitas. Major probatur, quia voluntas per suum actum tendit in objectum morala: atqui non tendit per illum actum præcise, qua libera est, cum plus requiratur ad operandum moraliter, quam libere: ergo &c. Minor probatur quia ex hoc capite libertas non est denominatio extrinseca, ut sequenti sectione ostendam.

191. Tertio, quia actus eliciti formaliter sunt morales, non vero actus imperati, juxta omnium sententiam, etiam contrariorum: atqui ex eo quod imperati non sunt formaliter morales, dicuntur per denominationem extrinsecam desumptam ab actu imperante; ergo actus eliciti formaliter dicuntur morales per denominationem intrinsecam, id est, per ordinem ipsum existentem in ipso actu.

192. Quarto, quia moralitas effective procedit ab agente morali, ut & sit voluntaria, eique imputetur: atqui denominatio extrinseca procedit ab eo agente, quod formam produceret, vel regulam, à qua desumeretur denominatio; ergo &c.

193. Moralitatem esse denominationem extrinsecam, docent Sayro in clavi regia lib. 1. cap. 4. n. 1. §. *porro*. Salas tract. 2. disp. 1. sect. 7. Vasques 1.2. disp. 95. cap. 10. & Doctores, qui asserunt libertatem esse denominationem extriosecam. Argumenta, quibus utuntur, sunt eadem, quibus probant libertatem esse denominationem extrinsecam: etiam & amplius probatur primo, quia ratio formalis Moralitatis potest adesse, vel abesse sine aliqua mutatione intrinseca actus, solum per mutatiooem extrinsecam; ergo Moralitas consistit in denominatione extrinseca. Antecedens patet, quia idem actus numero, potest transire de necessario in liberum, vel moralem, & è contra. Respondetur negando antecedens, cum enim actus varietur variato objecto; ex quacumque circumstantia varietur objectum, & per consequens tendentia in illud, & cum actus moralis requirat objectum formaliter diversum, quam actus in esse naturæ, impossibile est, quod unus, & idem actus possit tendere in objectum formaliter diversum. Ex quo patet respoosio ad probatiooem, de qua amplius sect. sequenti.

194. Secundo, Moralitas formalis in multis dependet ex libera voluntate alterius; sed conditio pendens ex voluntate alterius, non potest esse nisi denominatio extrinseca. Major probatur, quia ut actus sit moralis, sæpè requiritur, quod objectum sit præceptum: atqui lex probibens, vel præcipiens dependet ex voluntate legislatoris; ergo jam Moralitas formalis dependet ex voluntate alterius: Respondetur distinguendo Majorem, Moralitas pendet ex libera voluntate alterius immediate, nego; mediatè, concedo; Deinde distinguo Minorem, sed conditio pendens ex libera voluntate alterius, non potest esse nisi denominatio extrinseca, si dependeat immediate, transeat Minor: si mediate, nego Minor. deinde nego consequentiam. Verum est, quod actus, ut sit moralis dependet ex voluntate alterius, non tamen immediate, sed mediate, id est, medio objecto, leges enim, & aliæ rationes, quæ dependent ex voluntate alterius, ponuntur ex parte objecti, illudque variant, illoque variato actus fit Moralis per tendentiam iotrinsecam ad illud; unde objectum ex vi alienæ voluntatis mutatur immediatè, actus vero mediatè, & de hoc argumento multa diximus supra sect. 14. à numero 179.

SECTIO DECIMA SEXTA.

Utrum, si Moralitas constituatur in libertate, sit denominatio extrinseca?

195. SUppono primo, libertatem vel esse in actu primo, vel in actu secundo: libertas in actu primo, est potentialis, sive voluntas cum virtute, quæ positis omnibus requisitis, potest agere, vel non agere, vel agere oppositum: in quo libertas contradictionis, & contrarietatis exprimitur: contradictionis per actum ac ejus privationem, contrarietatis per duos actus contrarios. Secundo omnem potentiam, quæ est in actu primo, reduci posse ad actum secundum, & hoc per causalitatem terminatam ad effectum: unde voluntas duobus modis reducitur de actu primo ad secundum: primò per actionem, qua producitur aliquis terminus; verbi gratia, amor, vel odium; secundo per suspensionem actus; quando scilicet omittit, quin aliquid operetur; propter quem duplicem actum secundum, licet potentia voluntatis sit una, tamen censetur duplex, operandi scilicet & non operandi, quia una sine alia non constituit voluntatem liberam. Tertio quæstionem esse de libertate actuali, utrum scilicet actus dicatur liber per denominationem extrinsecam.

195. Respondetur negative. Videtur sententia
Scotus. Scoti quodlibet. 16. §. *de secundo dico*, & quodlibet. 17. in fine, ubi docet rationem liberi consistere in respectu ad potentiam, in quo eum tuetur Herrera in 2. disp. 11. q. 1. conclus. 3. nec alibi Scotus oppositum docet, unde perperam pro contraria sententia citatur. Eamdem sententiam defendunt Zumel 1. 1. q. 12. art. 2. disp. 7. Petrus Hurtado disp. 15. de anima sect. 6. Granado 12. controvers. 3 tract. 9. disp. 1. n. 8. & 22. controvers. 3. disp. 4. n. 14. Ægid. Lusit. in manuscriptis de voluntario q. 6. disp. 1. sect. 9. §. 5. Cornejo tom. 1. tract. 6. disp. 1. dub. 4. numero 12. à §. *sed contra*: cursus Carmelit. Theologicus, tom. 2. in 1. partem tract. 7. disp. 7. dub. 5. §. 5. numero 102. & 1. 2. tract. 10. disp. 2. dub. 4. §. 1. Montesonus tom. 1. disp. 12. q. 7. n. 96. Vasques varius est, nam locis infra citandis docet esse denominationem extrinsecam, & disp. 21. in 1. 2. cap. 4. numero 24. & disp. 28. cap. 2. n. 7. §. *caterum* asserit libertatem esse differentiam determinantem rationem voluntarii: Curiel 1. 2. q. 18. art. 1. dub. 2. §. 7. ad 4. fatetur adhuc sibi non constare, quid sit libertas actualis: Suar. 1. 2. tract. 3. disp. 1. sect. 2. §. *secunda opinio* asserit nostram sententiam esse probabilem: absolutè probat Harasius 1. p. q. 12. art. 4. controvers. unica, in solutione ad argumenta Vasquii, Alvares disp. 52. Havanete tom. x. controvers. 21. §. 1. Franciscus Felix tract. de actibus cap. 1. difficult. 7. Lorca 1. 2. q. 6. art. 2. disp. 1.

197. Probatur primo argumento Ægidii Lusitan. Nulla datur denominatio extrinseca à forma, quæ per verum, & realem influxum attingit rem quam denominat: atqui voluntas per talem influxum, etiam qua libera est, attingit actum liberum; ergo actus non dicitur liber per denominationem extrinsecam: consequentia optima est: Minorem fatentur Contrarii: Major constat ex ratione denominationis extrinsecæ, quæ debet provenire à forma existente in alio subjecto diverso ab illo quod denominat, ut paries denominatur visus extrinsece à visione existente in oculo; unde cum actus liber denominetur liber ab illo influxu voluntatis, & influxus recipiatur in ipso actu, numquam potest denominari liber per denominationem extrinsecam.

198. Secundo argumentor pro hac sententia: Non intelligitur quomodo denominatio fiat à forma extrinseca, si ipsa forma non est significatum formale nominis, nec est veluti actus extrinsece informans rem denominatam: atqui voluntas, nec est significatum formale actus liberi, nec velut actus extrinsece informat ipsum actum liberum; ergo actus noo denominatur liber per denominationem desumptam à voluntate. Consequentia colligit; Major autem inductione constat, nam paries dicitur visus; & esse visum in pariete, est denominatio extrinseca desumpta à visione, quæ est idem formale significatum nominis; insuper illa visio, est veluti actus informans parietem extrinsece. Minor probatur, quia esse liberum non habet pro formali nominis significaro, voluntatem, nec voluntas est veluti actus extrinsece informans actum, siquidem est verum, & reale principium, influens in ipsum actum.

199. Tertio probari potest tribus argumentis, quibus utuntur Carmelitani citati ad locum 1. 2. tract. 1. quia sicut potentia libera in actu primo, dicit specialem modum intrinsecum perfectionis, quo carent potentiæ non liberæ, ita actus dicuntur habere specialem modum libertatis, & perfectionis actualis. Secundum est, quia actus liber dicit intrinsecum respectum ad principium, unde procedit secundum quod est principium liberum, atque per hunc respectum constituitur in esse liberi. Tertium est, quia illa denominatio debet procedere à forma in aliquo subjecto formaliter; & materialiter existente; ergo vel in principio, vel in actu: legite eos ibi optime probantes hæc argumenta.

200. Esse denominationem extrinsecam desumptam à voluntate operante cum indifferentia, docent Suar. 1. 2. tract. 2. disp. 1. sect. 3. n. 18. Ægid. de Coninch. de act. supernat. disp. 2. dub. 8. n. 130. Rainaud. dist. 1. q. 2. art. 3. à n. 133. Salas tom. 1. in 1. 1. tract. 2. disp. 1. sect. 6. n. 61. §. *sed ego* & tom. 1. tract. 7. disp. 2. sect. 6. n. 79. Ripalda de ente supernat. disp. 66. sect. 2. n. 8. disp. 70. sect. 6. à n. 42. Arriaga 1. 2. disp. 18. de voluntario sect. 3. subsect. 1. n. 33. & disp. 14. de Moralit. sect. 1. n. 1. Pater Telles in summa Philosophiæ lib. 9. disp. 57. sect. 1. n. 4. citans Becanum, Lesium, & Molinam 1. p. q. 23. art. 4. & disp. 1. concurdiæ membro 7. sed Molina nec ibi, nec alibi, talem profert sententiam: Addit Pater Telles, hanc esse communem sententiam Doctorum, qui constituerunt Moralitatem in simili denominatione extrinseca. Verum hoc est idem per idem, & minus etiam; nam Doctores, qui constituunt Moralitatem in denominatione extrinseca, negant id de Moralitate. Vasques eamdem sententiam tuetur disp. 34. cap. 3. n. 15. §. *dicet*, disp. 55. cap. 3. n. 13. §. *superior*, & n. 20. disp. 12. q. cap. 7. n. 23. §. *verum*, ubi licet asserat Moralitatem esse relationem rationis, non sibi contrarius est, nam constans opinio ejus est, denominationes extrinsecas esse relationes rationis; in hoc inconstans est, quod disp. 55. cap. 3. numero 13. asserit istam denominationem esse desumptam ex plena consideratione, & attentione rationis, quod tamen citatis locis negat.

201. Probans suam sententiam primo (estque ratio fundamentalis Suarii) præcisa quacumque ratione, & manente solum denominatione extrinseca, actus intelligitur liber, & præcisa denominatione extrinseca, posito quocumque alio, actus non intelligitur liber; ergo libertas est denominatio extrinseca. Probat antecedens, quia duplex facultas, saltem ratione distincta, consideranda est in voluntate, ut concipiatur libera, una ad eliciendum actum, altera ad eumdem actum: atqui per primam facultatem non intelligitur actus liber, sed voluntarius, & solum intelligitur liber ille actus, ut dicit ordinem ad facultatem quæ non operatur; ergo necessario fatendum est, actum dici liberum per denominationem extrinsecam desumptam à voluntate non influente. Probat consequentiam, quia facultas voluntatis quæ elicit actum, non sufficit ad hoc, ut actus dicatur liber, sed requiritur altera facultas non influens; ergo ad hoc ut actus dicatur liber, debet dicere ordinem ad facultatem non influentem, & per ordinem ad illam denominari liber; ergo per aliquid extrinsecum, siquidem cum facultas illa non influat, non potest producere aliquam formam in ipso actu intrinsecam, per quam denominetur liber.

202. Respondetur negando antecedens, ad probationem concedo Major. & ad Minor. Respondeo primò distinguendo Minor: atqui per primam facultatem præcisè, & reduplicativè non intelligitur actus liber, concedo: realiter, & materialiter, nego consequentiam: ad probationem, distinguo antecedens: illa facultas influens præcise, & reduplicativè non sufficit, ut actus dicatur liber, concedo; realiter, & materialiter nego: quia, quamquam per nostram considerationem distinguatur illa duplex facultas, tamen à parte rei una ab alia non distinguitur, nec voluntas quando operatur liberè, operatur cum præcisione illius facultatis, cum enim ad operandum liberè necessarium sit quod operetur sub indifferentia, inde in operatione involuit utramque facultatem, & cum una solum non operatur libere: sicut ex parte Intellectus, idem conceptus qui sufficit ad libertatem, est indifferens ad bonum & malum, & ex parte Dei eadem voluntas parata est concurrere, vel non concurrere: ab influxu ergo voluntatis, dicitur ille actus liber, non ut profluit à facultate aliqua separata, sed ut profluit à voluntate realiter operante, sub una, & altera facultate; ita Respondet Petrus Hurtado, §. 41.

203. Respondeo secundo ad eamdem Minor. negando Minorem; quia ut actus non denominatur liber per ordinem ad facultatem tantum influentem, ita non denominatur liber per ordinem ad facultatem tantum non influentem, sed denominatur ab utraque facultate simul, sive à voluntate operante cum indifferentia; siquidem per utramque constituitur voluntas libera ad operandum; & quamquam facultas non influens nil producat in actu formaliter, producit tamen materialiter, ut dicebat Hurtado: voluntas enim quando operatur liberè, non operatur sine illa facultate non influente, aliter non operaretur cum indifferentia: ac proinde actus denominatur liber, ut producitur per voluntatem secundum illam facultatem per quam influit, connotando alteram facultatem quæ non influit, unde formaliter dicit ordinem ad illam facultatem operantem, & connotative ad alteram facultatem non influentem, est, quia illam connotat. Respondetur tertio actum non denominari liberum ab habitudine ad potentiam liberam, sed ab illo modo quo procedit, de quo infra à numero 209.

204. Secundo, saltem in omissione pura libertas erit denominatio extrinseca; ergo non absolute rejicienda est. Antecedens probatur, quia in ea omissione nulla datur forma per quam intrinsece denominetur libera; Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens, in ea omissione nulla datur forma, physica, concedo; interpretativa, nego; ut enim non potest ista omissio esse libera sine actu interpretativo, ita in isto positivo constituenda est libertas omissionis.

205. Dices: Actus interpretativus est ipsamet omissio, atqui omissio non est positiva; ergo nulla forma positiva reperitur in omissione per quam dicatur libera. Respondetur distinguendo Minorem, atqui omissio non est positiva physice, concedo; interpretativè, nego. Pro quo notandum est, ad hoc ut voluntas omittat, requirere actum interpretativum, quia actus interpretativus est eademmet omissio, quatenus voluntas poterat elicere actum oppositum; qui cum esset in ejus potestate, censetur eum non voluisse elicere, ac proinde iste actus interpretativus, non est aliquid superadditum voluntati per modum actus tendentis in omissionem, vel ut in objectum, sed est eademmet omissio, quæ non addit aliquid physicum voluntati, sed Morale, quam Moralitatem non ponit judicium alterius personæ, siquidem voluntas non cognoscitur à prudenti judicio moraliter mutata, ac proinde ab eo non potest interpretari voluntatem noluisse operari, sed ponitur illa Moralitas ab eadem voluntate, quatenus enim omittit, & non operatur, censetur volitam esse illam omissionem per actum interpretativum virtualiter tantum, cum sit eademmet omissio, sicut ipsemet actus elicitus voluntatis est formaliter voluntarius, & se ipso volitus virtualiter, ita illa omissio, quæ est actus interpretativus est formaliter voluntaria, & virtualiter, sive se ipsa volita.

206. Tertio arguit Suar. Duo considerantur in actu libero: primum est qualitas, secundum actio: atqui in neutro horum consistit libertas; ergo consistet in denominatione extrinseca. Minor probatur, & primo, quod non consistat in qualitate, quia ratio liberi intrinsecè involvit dimanationem activam à potentia. Probatur, quia prius intelligi debet actio, quam receptio.

207. Secundo, quod non consistat in actione, probatur, quia idem numero actus potest transire de libero in necessarium, & de necessario ad liberum: atqui tunc non mutatur ratio, sed tantùm applicatio objecti; ergo illa actio erit libera per aliquid extrinsecum, siquidem mutata eadem actione, modo est libera, modo est necessaria. Major probatur exemplis; Primum: idem amor, quo Deus diligitur in via, potest continuari in patria, ut de sanctissima Virgine Matre aliqui asserunt Theologi. Secundum, idem numero actus indeliberatus, qui est necessarius, fit liber ex advertentia. Tertium, actus deambulandi idem numero durans per duo instantia, potest in primo oriri à potentia cum concursu indifferente, & secundo potest oriri à potentia determinata, si Deus habeat concursum determinatum ad unum tantum actum; ac proinde in

primo Instanti, ille actus erit liber, & in secundo necessarius. Minor probatur, quia amor Dei, in via est liber, & in patria est necessarius, solum quia objectum, quod in via videbatur obscurè, clare videtur in patria: similiter actus ille indeliberatus solum ex mutatione cognitionis, ex vi cujus potentia, quæ erat determinata, manet indifferens, quod sæpè reperit Suar. Deinde actus ille deambulandi de libero in necessarium mutatur solum ex mutatione concursus indifferentis in concursum determinatum.

208. Respondetur negando Minorem: Libertas enim actualis, & in illa qualitate, & in illa ratione consistit; pro quo noto triplicem dari libertatem in actu; primam, in fieri: secundam, in conservari; tertiam in facto esse: actus enim non solum fit liberè, sed etiam conservatur liberè, & conservatus inclinat voluntatem liberè: Primum fit per actionem, sive vitalitatem, secundum per passionem cum actu identificatam: Tertium per ipsam entitatem actus: quæ omnia breviter ostendo.

209. Et primo, quod libertas in fieri, & conservari sit ipsa actio, ut identificata cum actu, sive dependentia actus à voluntate liberè operante; Probatur primo, quia libertas non est denominatio extrinseca, ut supra probatum est; ergo intrinseca à forma intrinsece actum afficiente, hæc autem est dependentia actus à voluntate; ergo in illa constituetur libertas. Probatur Minor; quia quælibet causa relinquit in effectu suam causalitatem, quæ est dependentia quædam passiva, à qua effectus intrinsecè denominatur hujus, vel illius rationis: atqui voluntas, ut libera, est vera causa influens in effectum; ergo relinquit causalitatem, sive dependentiam, passivam in actu, à quo actus denominabitur liber.

210. Consequentia probatur, quia sicut actus dicitur voluntarius per similem dependentiam cum relatione transcendentali ad voluntatem, ut elicientem, juxta ea quæ iste disputavi disp. 1. à n. 74. agens de voluntario, ita actus denominabitur liber per similem dependentiam cum relatione transcendentali ad voluntatem indifferentem. Secundo, quia si non foret ista dependentia, ratio formalis actualis libertatis in fieri, & in conservari, tam formaliter, & intrinsece essent liberi actus imperati, etiam aliarum potentiarum, ac actus eliciti à voluntate; quod est contra communem modum sentiendi. Antecedens patet, quia omnes denominarentur liberi per denominationem extrinsecam; Tertio, quia ideo voluntas dicitur libera in actu primo, quia operatur indifferenter; ergo similiter actus denominabitur liber, quia producitur indifferenter, hoc autem per dependentiam passivam; ergo ista dependentia passiva, ut actio est, erit libertas in fieri & ut passio, erit libertas in conservari.

211. Secundo, quod libertas in facto esse, sit ipsa entitas actus, probatur, quia quod convenit actui, ut est ratio formalis tendendi in objectum, convenit ei ratione propriæ entitatis: atqui ratio formalis tendendi in actu libero, est libera; ergo etiam ipsa entitas libera est. Major patet ex eo quia *nil magis essentiale est actui, quam ratio tendendi*, siquidem actus est ipsa tendentia in objectum. Minor probatur, quia per illam entitatem actus, inclinatur voluntas ad attingendum objectum: atqui non inclinatur necessario, sed liberè, ideo voluntas pro libito ab actu cessare potest: ergo ratio tendendi in actum libera est.

212. Unde diminuta est doctrina, quam tradunt Carmelitani citati tract. 10. §. 3. docentes libertatem actualem esse modum illum dependentiæ, distinctum ex natura rei ab entitate actus, vel enim loquuntur de adæquata libertate actuali, vel de libertate tantum in fieri, & conservari: si de secunda, vera est eorum sententia; si de prima, modo non probatur, siquidem illa essentia, & entitatis actus etiam, est libera.

213. Si quæras quid sit illa libertas actualis; respondeo, in fieri est modus, sive actio, qua ille actus exit à principio, ut possit non exire; in conservari, est idemmet modus, seu actio identificata cum illo actu; & jam dicitur passio, per quam ille actus contingenter connectitur cum illo principio, & contingenter conservatur, ita ut suspendi possit; in facto esse, est entitas actus contingenter connexus cum principio, & libere tendens in objectum.

214. His ita probatis, optime negata est illa Minor, qua numero 206. contrarii intendebant probare libertatis actualis rationem, nec in actione, nec in entitate actus consistere: & ad primam probationem, quæ versatur circa entitatem actus, respondeo, concedo ant. & ejus probationem; tantum enim probat actionem esse priorem ipsa entitate actus, sed non probat illam entitatem non esse liberam: utraque enim libera est, & actio, & entitas, actio in fieri, entitas in facto esse.

215. Instat Suar. quando voluntas determinatur ad unum objectum, tantum elicit appetitionem illius, & per illam se determinat ad objectum: atqui illa appetitio nil aliud est, quàm actus, ut voluntarius, supponens indifferentiam voluntatis; ergo ille actus in sua entitate non est liber. Respondetur negando Minorem, nam talis actus est voluntarius & liber; ut voluntarius, procedit à principio activo: ut liber procedit ab eodem principio cum indifferentia: quare non supponit, sed involvit in sui productione indifferentiam voluntatis.

Major instantia est, si quis arguat; si Deus actum libere productum à voluntate Petri collocet in voluntate Pauli, voluntas Pauli per illum actum necessario volet; ergo ille actus non est essentialiter liber. Consequentia patet, quia quod est essentiale actui, est immutabile, illique necessitate logica conveniens; ergo si ille actus in voluntate Petri productus erat liber, liber etiam erit, si ponatur in voluntate Pauli. Antecedens autem probatur primo quia volitio consistit in qualitate, sive in actu (ut probabilius existimo) est que causa formalis volendi; ergo posita involuntate, voluntas necessario amabit. Secundò quia ex opposito, jam voluntas illa quin se ipsamet determinet, amabit liberè; & per consequens, quin aliquid operetur efficienter, peccare poterit. Tertio, quia voluntas per illum actum ita vellet, ut à volitione cessare non posset.

216. Respondetur (admissa suppositione, quæ vera est) negando antecedens; ad probationem primam, negando consequentiam, quia, licet volitio sit causa formalis in isto casu, impeditur ejus effectus formalis secundarius: duplex enim in volitione datur effectus, unus volendi, alter volendi libere: per illam voluntas vellet, quia volitio est causa formalis, applicato subjecto capaci, sed non vellet libere defectu conditionum,

quæ

quæ requiruntur ad illum effectum præstandum, nimirum dependentiam à voluntate indifferenter operante vitalitatem, ac voluntarium, quorum neutrum ibi reperitur. Nec obstat, quod volitio libera, sit causa formalis volendi liberè, effectumque formalem non posse impediri; non, inquam, obstat, quia quando effectus formalis dependet ab aliquo extrinseco, impediri potest defectu extrinseci requisiti.

217. Secunda probatio ejusdem Minoris allatæ numero 207. qua probabatur, libertatem actualem non consistere in actione, involvit illam difficultatem, utrum idem numero actus possit transire de necessario in liberum, vel è contra. In qua Doctores, qui statuunt libertatem consistere in denominatione extrinseca, affirmativam partem sequuntur: expressius Vasquius disp. 55. cap 3. numero 1. Suar. citatus, & magis tom. 1. de gratia prolegomeno. primo cap. 5. à numero 21. usque ad numerum 25. Molina in concordia disp. 31. & 1. p. q. 14. art 13. disp. 18. memb. 2. & q. 19. art 6. disp. 1. & hoc quidem admittit, sive moralitas sit quid reale intrinsecum, sive rationis: ut etiam Carmelitani citati disp. 2. dub. 4. §. 3. numero 80.

218. Contraria tamen sententia semper mihi placuit, eam probavi disput. 1. à numero 126. iterque ostendi neutiquam actum liberum posse transire in necessarium, aut è contra, iterumque eam approbo cum Herice 1. p. disp. 6. cap. 3. numero 30.

219. Et probatur primo, quia mutato principio secundùm rationem causandi, & mutato objecto formali, mutatur etiam actus: atqui quando voluntas operatur necessariò, habet diversam rationem causandi & diversum objectum formale, quàm habeat quando operatur libere; ergo quando operatur necessario, est per diversum actum ab eo quo operatur libere. Minor probatur primo quoad rationem causandi, quia voluntas ex advertentia rationis, & ex obscura visione Dei manet indifferens, posita advertentia, & clara Dei visione, manet determinata: sed operari indifferenter, & determinate, est mutatio in ratione causandi, nam diversa ratio causandi est determinata, atque indifferens.

220. Probatur secundo de objecto, quia *actus voluntatis specificantur per objectum*, non ut est à parte rei, sed ut per intellectum apprehenditur: atqui per advertentiam apparent in objecto rationes mediorum, vel finis, quas inadvertentia non attingit: & per visionem claram Dei majores perfectiones & plures attingit intellectus in Deo, quàm attingebat in via per cognitionem obscuram: ergo ex variatione cognitionis, variatur objectum: diversó enim modo, & cum diversis rationibus apprehenditur, secundum diversitatem cognitionis. Ex quo sic argumentor. Ex diversa cognitione mutatur modus operandi potentiæ, & mutatur objectum; ergo mutabitur actus: Probatur consequentia, quia actus vel specificatur per principium, vel per objectum formale: atqui quando producitur necessariò, vel libere, mutatur principium, & mutatur objectum; ergo &c. Secundo probatur, quia idemmet numero actus non potest fieri à duobus principiis omnino contradictoriis, non enim calidum à frigore, nec à calore frigidum provenire potest: similiter nec idem actus potest subire rationes contradictorias: atqui principium indifferens, & determinatum contradictoriè, vel saltem contrariè opponuntur: actus etiam necessarius ita fit hìc, & nunc, ut voluntas non possit eum non elicere: liber verò ita fit à voluntate, ut voluntas pro libito ab eo cessare possit: ergo nullo modo idem numero actus potest transire de libero in necessarium, aut de necessario in liberum.

221. Tertio, quando Deus concurrit cum voluntate libere, diverso concursu est, atque quando concurrit cum ea necessario; ergo similiter voluntas diverso concursu concurret libere, atque concurret necessario. Antecedens fatetur Suar. citato loco 1. 2. numero 22. & cit. loco de gratia à numero 20. Consequentia probatur, quia concursus causæ primæ non distinguitur à concursu causæ secundæ, sed utraque causa per unum, & eumdem concursum agit, ut bene docent Suar. disp. 22 Met. sect. 3. numero 2. Petrus Hurtado disp. 10. Physicorum sect. 3. numero 26. Conimb. secundo Physicorum cap. 7. q. 12. art. 5. Ægid. Lusitanus tom. 1. de beatitudine lib 3. q. 52. art. 2. numero 3. Mascharenas de auxiliis disp. 2. p. 1. Becan primo tom. sum. tract. 1. cap. 19. numero 10. & alii; ergo variato concursu causæ primæ, variabitur concursus causæ secundæ: atqui quando Deus operatur necessario, est per diversum concursum, quo operatur libere; ergo etiam quando voluntas operabitur necessariò, erit per diversum concursum, quo operatur liberè. Tum sic, mutatur concursus voluntatis, quando transit de libera in necessariam; ergo etiam mutabitur actus. Probatur consequentia, quia per diversum numero concursum naturaliter fieri non potest idem numero actus, præcipue si concursus fuerit omnino contrarius illi concursui, per quem actus productus erat.

222. Dices primo: advertentia, & cognitio intellectus est extrinseca voluntati; ergo non possunt mutare modum operandi voluntatis. Probatur consequentia, quia modus operandi voluntatis est illi intrinsecus; ergo per extrinsecum mutari non potest. Respondetur, distinguo consequens; ergo non possunt mutare modum operandi voluntatis, primariò, & directè, concedo: secundario, & indirectè, nego: idest, illa advertentia mutans rationem formalem objecti, faciens apparere in illo rationes, quæ ex inadvertentia non apparebant, mutat objectum; mutato objecto, diverso modo proponitur ab intellectu, & ex diversa propositione objecti, & variatione illius, mutatur modus operandi voluntatis.

223. Instabis; ergo similiter approximatio ligni mutabit rationem formalem ignis. Respondetur negando antecedens, quia licet cognitio sit approximatio objecti, est tamen diverso modo, quo approximatio ligni; ista enim approximatio, quocumque modo approximet lignum, non illud mutat, nec ignis per lignum specificatur: at cognitio mutat objectum, diversoque modo apprehensum, proponit voluntati, actusque voluntatis per illud specificantur.

224. Dices secundo: Deus per eumdemmet concursum, quo libere operatur cum potentia libera, potest eandem potentiam necessitare; ergo etiam potest idem numero actus de libero transire in necessarium. Probatur consequentia,

quia ubi datur idem concursus, dandus est idem actus, siquidem concursus ab actu, ut à termino, specificatur. Respondetur negando antecedens cum Suario citatò loco de gratia, qui benè ibi existimat sine mutatione actus, vel dependentiæ, non posse fieri à Deo hanc motionem potentiæ liberæ in non liberam: eoquod cum Deus possit necessitare voluntatem sine mutatione intellectus, vel alterius potentiæ, necessariò requiritur mutatio actus & dependentiæ.

225. Dices tertiò: si calor ab igne producatur, & à solo Deo conservetur, adhuc perseverabit prima dependentia ab igne, & solùm addetur conservandi modus: ergo similiter si à voluntate producatur actus, qui liberè & à solo Deo conservetur, necessariò manebit illemet actus, qui erat liber cum prima dependentia conservatus necessariò. Respondetur negando consequentiam: diversa ratio est, quia actiones naturales quæ non sunt vitales, specificantur à terminis sine aliqua dependentia essentiali à suis principiis; Actiones verò vitales essentialiter dependent à principio, & ab objecto specificantur, numquam mutato concursu, & ratione causandi possunt manere eædem: Licet enim in casu proposito maneat idem objectum (suppono in illo nullam fieri variationem) cum tamen principium determinetur, & maneat diversum, mutatur prima dependentia, & advenit contraria, cum qua stare non potest idem numero actus.

226. Dices quartò: idem actus sub eadem specie potest modò fieri necessariò, modò liberè; ergo etiam in individuo. Patet consequentia, quia *quæ conveniunt actui secundum speciem, conveniunt à fortiori actui in individuo*: Antecedens patet, quia actus amoris in via, & in patria sunt ejusdem speciei: hoc argumentum ponunt Carmelitani citati numero 84. Respondeo, nego Anteced. esse enim principium necessarium & indifferens sunt saltem contraria, quæ eidem actui in specie convenire non possunt, & bene hoc ostendunt argumenta facta à numero 119. ac proinde actus necessarius, & liber, non solùm numero, sed etiam differunt specie, de quo vide dicta circa specificationem actuum charitatis in via, & in patria, disp. 1. à numero 126. ad numero 139.

227. Ex qua resolutione jam patet, quid respondendum sit ad illam probationem Minoris, negatur enim Major. Ad primam probationem illius, nego amorem patriæ (dato quod sit necessarius, quod mihi non probatur) eumdem esse numero actum cum amore Dei in via. Similiter ad secundam, nego actus indeliberatos necessarios, esse eosdem numero, cum actibus liberis factis cum advertentia. Ad tertiam negò illum actum in ipsis duobus instantibus esse eumdem numero: quæ quidem omnia manifesta sunt ex dictis.

228. Verùm, ut verum fatear, argumentum non urget, nec asseramus eumdem numero actum non posse transire de libero in necessarium, aut de necessario in liberum: Nam (ut ex abundantia hoc etiam dicamus) bene stat quòd deperdatur illud positivum, in quo constituitur libertas, manente eodem numero actu; pro quo notandum est, actum liberum habere rationem voluntarii, quæ ex se communis est actui libero, & necessario: determinatur enim voluntarium per illas duas rationes necessitatis & libertatis, tanquam per duos modos dependentiæ à voluntate, qui sunt veluti differentiæ determinativæ voluntarii in actu: addit enim libertas (idem de necessitate intelligendum est) voluntario, dependentiam quamdam modificativam illius: unde voluntas ut principium eliciens, elicit actum voluntatium, sed quia hunc elicere non potest, nisi aut indifferenter, aut determinatè, ideo quando operatur indifferenter, determinatur ratio voluntarii eliciti à principio activo per libertatem elicitam ab eodem principio indifferenti: & quando eadem voluntas operatur necessario, determinatur eadem ratio voluntarii per necessitatem elicitam ab eadem voluntate, ut determinata.

229. Qua posita doctrina, non erit difficile intelligere quomodo cum libertas sit positiva & intrinseca actui, possit idem actus de libero transire in necessarium: namque potest destrui dependentia liberi, manente dependentia voluntarii cum altera dependentia necessarii: cum juxta hunc modum dicendi, nec libertas, nec necessitas sint essentiales actui, sed modi quidam dependentiæ, per quos determinatur voluntarium, qui possunt variari invariato voluntario: nec in philosophia novum est, eumdem numero effectum conservari posse variatis dependentiis passivis causarum, à quibos successivè conservatur, & tunc in potentia dabitur mutatio moralis. Hæc pro uberiore solutione argumenti diximus, quod sequitur Montesin. disp. 21. quæst. 7. numero 97. sequuntur Carmelitani tract. 10. in 1.2. disp. 1. dub. 4. §. 3. numero 8. Imò ex eò quòd actus liber possit transire in necessarium, probant libertatem actualem non esse ipsam entitatem actus, sed modum dependentiæ à principio libero, ab eadem entitate à parte rei distinctum.

Ex quibus sic disputatis sequitur, etiamsi forma moralitatis foret ipsa libertas actualis, numquam posse consistere in denominatione extrinseca, eum libertas non sit denominatio extrinseca, sed in fieri ipsam actionem, in conservari dependentiam passivam, in facto esse ipsam entitatem actus.

SECTIO DECIMA SEPTIMA.

Utrum ex eo quod libertas esset denominatio extrinseca, sequeretur moralitatem esse denominationem extrinsecam?

230. Quamquam probatum maneat moralitatem non esse denominationem extrinsecam, etiam si libertas foret ratio constitutiva moralitatis, ex eo fundamento, quia libertas non est quid extrinsecum actui, sed intrinsecum; Restat tamen quidam scrupulus, utrum dato, quòd libertas sit denominatio extrinseca, etiam moralitas futura sit denominatio extrinseca? Respondetur negative cum Curiel quæst. 18. art. 1. dub. 1. §. 10. vers. *sed hec*, Ægid de Coninch. de actibus disp. 1. dub. 1. numero 20. Granad. 1. 2. controv. 2. tract. 9. disp. 1. numero 8.

231. Probatur, quia libertas ideo, juxta contrarior, est denominatio extrinseca, quia desumitur ab indifferentia principii, quod dum operatur re-

quirit illam facultatem non operantem, ut operetur libere: & cum facultas non operans, nihil intrinsecum inferat in actionem, vel actum, idcirco actus, & actio dicuntur libera per denominationem intrinsecam ad illam; at vero ratio moralitatis præter indifferentiam principii, & libertatem, quam ut fundamentum logice prærequisitum requirit, amplius postulat ordinem, & tendentiam ad objectum morale, in quo constituitur moralitas, tendentia verò ad objectum, intrinseca est actui.

232. Dices primo: Ex eo moralitas est denominatio intrinseca, quia est ratio, qua potentia fertur in objectum, simulque mutatur per illam ratqui libertas ita se habet; ergo si libertas est denominatio extrinseca, etiam Moralitas erit denominatio extrinseca. Respondetur negando Min. nam in illa opinione libertas non attenditur, ut ratio tendendi in objectum, nec ut ratio cui mutetur voluntas: sed tantum attenditur penes principium indifferent, à quo denominatur actus liber, & per consequens in hac opinione voluntas ex sua indifferentia & natura, determinatur ad unam partem & non ex vi actionis: at verò ut voluntas tanquam principium morale determinetur in tale objectum Morale, est ex vi actionis moralis postulantis in objecto rationem moralem ob ectivam.

233. Dices secundo: Si libertas est extrinseca actui, etiam moralitas debet esse extrinseca. Probatur ant. quia libertas est fundamentum moralitatis: atqui forma intrinseca actui nequit dependere à fundamento extrinseco eidem actui; ergo &c. Respondetur negando ant. ad probationem nego min. nam relatio prædicamentalis requirit essentialiter actionem tamquam fundamentum proximum, & tamen actio ista extrinseca est relationi, similiter extrinseca est illa actio agenti, cui relatio est intrinseca: similiter ergo moralitas erit intrinseca actui, cui libertas poterit esse extrinseca.

234. Unde colliges in omni opinione de libertate, moralitatem esse formam intrinsecam actui, imò & essentialem, cum enim sit idemmet ordo ad objectum, nil magis essentiale est acti, quam ordo, & tendentia ad objectum. Sed quia multi asserant moralitatem esse modum quemdam determinativum voluntarii, & liberi, juxta explicationem datam sect. superiori numero 228.

235. Quæres utrum eo modo specificaretur Moralitas (si esset modus actus) ab objecto ac specificatur actus? Cui respondeo affirmative, quia modus specificatur eodem modo, quo specificatur res, cujus est modus. Dices: Actus specificatur per objectum in esse naturæ, moralitas per objectum in esse moris; ergo diverso modo. Respondetur negando ant. nam actus moralis non specificatur ab objecto in esse naturæ reduplicative, qua moralis est, sed specificatur ab objecto in esse moris: & quamquam modi illi non specificentur per se, specificantur tamen ratione actus, siquidem sunt ipsæmet specificationes formales, per quas actus redditur in tali, vel tali genere.

TERTIA PARS QUÆSTIONIS.

De rebus, in quibus reperitur moralitas.

Ut omni ex parte absoluta maneat moralitatis disputatio, superest explicandum in quibusnam rebus moralitas reperiatur? quæ difficultas à paucis ex professo tractatur. Cum jam in prima parte quæstionis visum sit dari moralitatem in objecto, & 2. p. dari moralitatem in actu, modo videndum est, an moralitas in aliis rebus reperiatur, & potest esse quæstio, vel de causis, vel de effectibus, & de omnibus in sequentibus tractandum est.

SECTIO DECIMA OCTAVA.

Quid, & quotuplex sit causa moralis?

236. Duplex difficultas involvitur in titulo quæstionis. Prima, quid sit causa moralis. Secunda quotuplex sit? Quantum ad primam respondeo: *Causa moralis est illa, quæ ex pleno dominio suæ libertatis operatur subjecta dictamini rationis practico.* Hæc definitio desumitur ex iis quæ diximus circa rationem formalem constitutivam, tam moralitatis objectivæ, quam moralitatis formalis.

237. Per primam particulam (*quæ operatur ex pleno dominio suæ libertatis*) excluduntur omnes causæ necessariæ, quæ quamquam eliciant actus conformes rationi, non operantur moraliter defectu libertatis requisitæ tanquam fundamentum ad moralitatem, ex dictis à numero 110. Per hoc tamen non inficiamur, causas necessarias, verbi gratia, intellectum, & alias potentias exteriores posse operari moraliter, sed hæc operatio non est moralis ex vi potentiarum, quæ necessario operantur, sed ex imperio voluntatis, cui potentiæ illæ obediunt, & ad cujus nutum operantur, & per extrinsecam denominationem ad voluntatem imperantem, possunt operari moraliter.

238. Per secundam particulam (*quæ operatur subjecta dictamini rationis practico*) rejiciuntur primo variæ opiniones, quæ supra asserunt voluntatem constitui principium morale per subordinationem immediatam ad naturam rationalem, vel ad legem. Secundo rejicitur opinio asserentium voluntatem constitui principium morale per subjectionem immediatam ad rectam rationem, quia licet hic dicatur causam moralem esse, quæ operatur subjecta dictamini practico rationis, intelligitur juxta superius dicta à numero 177. mediate, idest, mediante objecto: cum recta ratio non moveat voluntatem, nisi proponendo objectum.

239. Tertio, rejicitur opinio asserentium voluntatem constitui principium morale per solam libertatem, quod supra improbatum est à numero 90. Nec est audiendus Rainaud dist. 4. q. 1. art. 6. numero 101. quatenus duplicem distinguit libertatem, moralem unam, physicam alteram; & hanc appellat indifferentiam voluntatis, sine advertentia turpitudinis vel honestatis, quam asserit non esse sufficientem ad constituendam voluntatem principium morale: illam verò, nimirum moralem, asserit esse, qua operatur voluntas subjecta regulæ rationis, sufficientemque ad constituendam voluntatem principium morale: quam quidem doctrinam desumpsit ex Vásq. Sanchez, & Azor. Verum Rainaud. unum cum alio confundit, nam licet verum sit, quod voluntas constituatur causa moralis per illam subjectionem, tamen falso distinguitur libertas physica à morali. Cum enim de ratione libertatis solum sit agere, vel non agere, vel agere oppositum, illa subjectio ad regulam, non est libertas, sed quid distinctum à libertate, facitque, ut libertas illa,

quam dicit physicam, sit moralis, ac proinde una, & eadem libertas datur in voluntate, quæ sine illa subjectione non denominatur moralis, nec voluntas causa moralis, sed in genere causæ moralis constituitur per illam subjectionem ad dictamen rationis practicum.

240. Quare voluntas, ut causa libera, distinguitur à se, ut causa morali, quia ut libera respicit intellectum & objectum, ut principia indifferentia ad actum; nam propositio, sive practica, sive speculativa objecti, quæ requiritur, ut ponatur objectum in esse cognito, non dictat voluntati quid sequendum, aut fugiendum sit, qua posita cognitione voluntas constituitur in actu primo libera, & ex se determinatur ad operandum: at verò ut causa moralis, respicit intellectum, & objectum, ut principia determinata, siquidem recta ratio proponit objectum secundùm rationem honestatis, vel turpitudinis fugiendæ vel sequendæ, ex quo voluntas, ut principium morale, est veluti determinata ad amplectendum, vel repudiandum objectum, secundùm rationem propositam, quam sequi debet si velit bene operari.

241. Utrum verò voluntas possit operari liberè, quin operetur moraliter; Respondetur affirmativè, ex dictis numero 93. Deus enim permittens peccata, movens Cœlos, operatur liberè, quin moraliter: & ratio est, quia intellectus potest proponere objectum per dictamen speculativum, vel per practicum, non attenta ratione turpi, vel honesta, ex qua propositione, operatio voluntatis libera erit, & non moralis. Non potest tamen operari moraliter, quin liberè, cum moralitas necessitate logica libertatem includat.

242. Quantum ad secundam difficultatem, in qua quæritur quotuplex sit causa moralis? Respondetur esse physicam, & moralem, & pure moralem. Purè moralis tres requirit conditiones. Prima ut non influat physice, aliter non distingueretur ab alia causa, quæ est physica moralis, ut notant Henriques lib. ult. de fine hominis cap. 15. n. 6. Suar. t. 2. tract. 3. disp. 1. sect. 3. n. 8. & de hac intelligendus Ægid. Lusitanus lib. 1. de beatitudine q. 6. art. 6. §. 3. n. 2. dum asserit causam moralem non habere influxum physicum. Secunda, ut applicet causam physicam, ut enim possit dici causa, debet concurrere ad effectum, & cum non concurrat influendo, saltem debet concurrere applicando. Tertia est, ut applicet causam physicam ex intentione effectus, cum enim causa per se pure moralis, non ordinetur ex sua natura ad effectum, ut sit illius causa per se, debet saltem intendere ipsum effectum, applicando causam illius. Ex quibus aptari potest hæc definitio causæ purè moralis: *Causa pure moralis est, quæ subjecta dictamini rationis practico, non influit physice in effectum sed applicat causam physicam ex intentione effectus.*

Aristot. 243. Ista causa pure moralis, est vera causa per se, ita enim docet Aristot. 2. Physicor. cap. 3. text. 19. & 5. Met. cap. 2. tex. 2. dum inter causas efficientes per se, in primo loco constituit consulentem, quæ est causa pure moralis; Philosophum præter alios sequitur Ægid. cit. §. 4. numero 29. nec Suar. disp. 17. Met. sect. 2. n. 6. nec Fonseca 5. Met cap. 2. q. 5. sect. 1. oppositum docent, dum asserunt causam moralem esse causam per accidens, loquuntur enim respectu effectus physici, non verò effectus moralis. Et probatur exemplo eius, qui applicat ignem segeti, ubi ignis est causa physica combustionis; applicatio, conditio in genere physico ad hoc ut ignis comburat; At verò in genere morali, ignis non est causa illius combustionis, sed in illo genere, applicans est causa, quia applicat ignem, cum teneretur illum non applicare, ideo ei attribuitur combustio, ac si ab eo physice oriretur.

244. Dices: Illa combustio poterat existere sine tali causa; ergo applicans non est causa per se illius. Ant. patet, quia à quocumque alio poterat applicari ignis. Respondetur negando Conseq. quia hæc est una ex differentiis inter causam essentialem, & per se, quod effectus dependens à causa essentialiter, sine illa existere non potest, ideo actus vitales non possunt produci, nisi à suis potentiis, quia dependent ab illis essentialiter: effectus verò causæ per se, tantum postulat per se produci: quòd verò sit ab hac, vel ab illa, non pertinet ad rationem causandi per se, ideo determinare effectus quoad individuum, pertinet ad causam primam, non ad causam secundam: quare universi Philosophi concedunt, quod hic numero effectus per se productus ab hac causa numero, posset ab alia produci.

245. Instabis: Ex hoc sequitur, quòd idem numero effectus produci potest naturaliter à duabus causis totalibus, hoc autem est absurdum; ergo &c. Major probatur, quia ignis est causa totalis combustionis, similiter applicans; ergo utraque, applicans & applicata, producit illam combustionem. Minor autem patet, quia adhuc dubitatur utrum idem numero effectus divinitus produci possit à duplici causa totali? in qua quæst. utraque Schola Angelici & Subtilis Doctoris negativam partem tuentur, & meritò; cum eam docuerit Angelicus 1. p. q. 52. art. 3. in corpore, & D. Thom.
Subtilis in 2. dist. 2. q. 2. numero 19. q. 3. numero Scotus.
4. In 2. dist. 3. q. 4. numero 3. in 3. dist. 1. q. 2. numero 5. & in 4. dist. 6. q. 1. numero 2. Respondetur distinguendo sequelam, sequitur naturaliter eundem numero effectum produci à duabus causis totalibus, ejusdem generis, nego: diversi, concedo: quamquam enim probabilius sit, nec divinitus posse eundem numero effectum produci à duabus causis totalibus ejusdem generis, tamen negari non potest posse produci à duabus causis totalibus diversi ordinis, ut à materiali, & efficiente, à proxima, & remota; unde, cum causa applicans sit pure moralis, & applicata sit physica, quamvis una & altera sit totalis in suo genere, cum tamen sint diversi generis, utraque simul potest producere eumdem numero effectum.

Causa mixta ex physica & morali, & quælibet potentia libera subjecta dictamini practico rationis; influens in effectum per verum concursum physicum, requirit, præter subjectionem ad regulam rationis, & plenum libertatis dominium, influxum in actum, non ex parte qua moralis est, sed ex parte, qua physica est.

246. Si quæras quibus modis detur causa moralis? Respondeo, multis. Primò per imperium; dominus enim imperans servo, ut aliquem hominem occidat, est causa pure moralis illius occisionis, ac illi attribuitur, ac si ab eo fuisset physice facta. Secundo per consilium, aut suasionem, ut siquis suadeat alicui furtum, est causa pure moralis illius furti. Tertio per petitionem, ut siquis petat ab amico, ut rem alienam furetur, causa est illius furti. Quarto per debitum, cui ex justitia tenetur satisfacere, ut si duo ineant contractum, ex quo sequatur utrumque teneri, uterque causa pure moralis est illius debiti contractus. Quinto

per minas, vel blanditias, ut siquis, vel minis vel blanditiis alicui mortem minitetur, aut divitias promittat, ut efficiat aliquod damnum, vel etiam bonum: illius effectus sequuti est causa pure moralis, & similiter de aliis.

247. Unde imperium, consilium, petitio, promissio, minæ, blanditiæ, & similes sunt instrumenta moralia, quibus imperans, consulens, petens, promittens, & aliæ causæ pure morales utuntur, tamquam causæ principales in genere moris, respectu effectus ab alio faciendi; quare in his instrumentis duplicem agnosco moralitatem, unam formalem, quatenus sunt actus voluntatis, qui voluntatem denominant bene, vel male operantem: alteram causalem, quatenus habent vim, & virtutem ad movendam alienam voluntatem.

SECTIO DECIMA NONA.

Utrum Deus sit causa moralis.

248. RESpondetur affirmative. Ita Cornejo tract. 6. dub. 3. §. *respondetur* Curiel q. 18. art. 1. dub. 2. §. 5. vers. 4. Vasquez de contractibus tract. 1. disp. 1. dub. 6. §. 1. numero 6. quatenus in Deo plures moralitates admittit. Primo, quia Deus concurrit consulendo, præcipiendo, & exhortando ad opera bona moralia; ergo Deus est causa moralis. Probo conseq. quia voluntas constituitur causa pure moralis per consilium, imperium, & exhortationem, ideo qui bona consuluut aut præcipiunt, operantur moraliter, cum multum merentur per illa consilia, & imperia.

249. Secundo, quia tot opera bona moralia, quæ cum auxilio Dei fiunt, Deo non attribuerentur; hoc est absurdum; ergo &c. Major probatur, quia effectus moralis soli causæ morali attribuendus est: atqui illa opera sunt effectus morales; ergo Deo non attribuerentur, siquidem ex opposito Deus non est causa moralis. Dices attribui Deo, ut causæ physicæ ex ea parte, qua sunt effectus physici. Sed contra, quia jam dignitas, & valor illorum operum, meritumque, quæ pluris æstimantur, Deo non attribuerentur, siquidem illa sunt tantum quid morale, ac proinde hominibus solummodo attribueretur valor, dignitas, & meritum inventum in operibus bonis; cum tamen dicat August. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. loquens de bono opere voluntatis, *suum voluit esse, & nostrum, suum vocande, nostrum sequendo*, de quo late in Jansenio convicto lib. 5.

Augustin.

250. Tertio, quia jam eodem modo Deus concurreret ad opera mala, atque ad opera bona. Probatur ant. quia Deus in genere physico, non minus concurrit ad opus malum, quàm ad bonum; ergo si non concurrit moraliter ad opera bona, eodem modo ad illa concurret, atque ad opera mala, siquidem in genere physico concurrit ad bonum, & ad malum, & solum poterat esse diversitas in concursu morali, quo Deus non concurrit ad malum; si ergo etiam non concurrit moraliter ad bonum, jam eodem modo concurrit ad bonum & ad malum, & sicut malitia Deo non attribuitur, nec bonitas etiam attribueretur.

251. Quarto, quia si Deus non est causa moralis; opera, quæ Deus exercet non essent dignalaude, nec Deus laudandus in operibus suis, cum omnia opera quæ moralitate destituuntur, nullum habeant valorem, nec dignitatem, nec propter illa aliquis est dignus laude. Insuperque in Deo nullæ darentur virtutes morales; quod tamen communis Theologorum schola in Deo admittit. Quod verò in Deo non darentur, inde patet, quia virtutes morales solùm propter operationes morales collocati debent in potentia ad operandum moraliter: cùm igitur Deus non sit causa moralis juxta contrarios; frustra ponerentur in Deo virtutes morales. Quinto, nam Deus juxta sententiam multorum Theologorum, potest relaxare votum, remittere peccatum, quin producat aliquid physicum; ergo tunc saltem operabitur moraliter, nam Deus ibi aliquid operatur, non physice, siquidem nec ex parte Dei, nec ex parte hominis, ut suppono, datur aliquid physicum: ergo moraliter.

252. Tandem arguo argumento Curielis citati, quia ex opposito Deus non esset causa virtutis, nec actuum supernaturalium; hoc autem est falsum: ergo &c. Major constat, quia moralitas virtutis, vel actuum supernaturalium, non potest procedere, nisi à causa morali. Minor autem probatur, quia vires voluntatis, absque auxilio gratiæ non sufficiunt ad sperandum, verbi gratia, sicut oportet, ex doctrina Conciliorum & SS. PP. atqui per illud, *sicut oportet*, intelliguntur omnes conditiones, quæ requiruntur ex parte actus boni moralis; ergo cum una, & præcipua conditio sit bonitas moralis, ea enim deficiente, jam actus non est sicut oportet, sequitur quòd ad eam requiratur auxilium gratiæ, & per consequens, quod Deus ad eam concurrat concursu morali. Videte Curielem. Confirmo hoc argumentum ex eo quod illa moralitas in actibus supernaturalibus, est supernaturalis: non enim, ille actus est partim naturalis, nec partim supernaturalis, sed totus est moralis, & totus supernaturalis, quæ est communis sententia Theologorum in materia de visione beata, & de charitate; ergo Deus est causa, non solùm universalis, sed etiam particularis illius moralitatis; ergo est causa moralis illius, nam effectus moralis à sola causa morali procedit.

253. Hanc sententiam adeo diffuse probavi, quia aliqui Theologi Moderni, ut formarent suas sententias circa moralitatem, ausi sunt Deo denegare rationem causandi moralem: Ii sunt Canus lib. 2. de locis cap. 4. Sot. primo de natura & gratia cap. 18. Vasquez 1.2. disp. 12. q. cap. 7. Curiel sui immemor. q. 79. art. 1. dub. unico §. 7. vers. *quare aliter*, & vers. *ad primum*: qui duplex genus causæ moralis distinguunt, unum influentia, alterum causæ moralis consulentis, præcipientis, ac imperantis, & primum genus negant convenire Deo, & affirmant convenire secundum: utrumque verò Deo attribuendum esse, satis probatum est.

254. Primò arguit Vasques numero 24. quia Deus non est causa nostræ libertatis actualis, ut supponunt Canus, & Sot. citatus, Altissiodorensis, & Taperus, à Vasquio citati; ergo nec moralitatis. Patet consequentia primo, quia moralitas est idem atque libertas. Secundo, quia Deus non est causa moralitatis, nisi quoad actus extrinsecos. Ant. probat, quia libertas est denominatio extrinseca: atqui ista denominatio solum est à libero arbitrio creato. Respondetur negando ant. ad probationem negando Major. ex late dictis sect. 8. dato tamen quod libertas esset denominatio extrinseca, fateor tunc à sola voluntate procedere, Deumque non illius futurum causam

moralem, deque disp. 4. n. 13.

Secundo arguit Curiel, quia ut causa sit moraliter influens, requiritur subjectio ad legem, non verò ut sit causa moraliter consulens, aut imperans; ergo Deus non erit causa moraliter influens. Probatur consequentia, quia Deus non potest esse subjectus alicui legi; ergo si ad rationem causæ moraliter influentis, requiritur subjectio ad legem, Deo convenire non potest. Respondetur primo negando primam partem antecedentis, nimirum, quod ad rationem causæ moraliter influentis, requiratur subjectio ad legem, satis enim supra sect. 3. numero 37. probatum est, solum requiri subjectionem, sive subordinationem ad dictamen rationis practicum. Secundo nego eamdem partem antecedentis, non ex eo quod lex non sit regula moralitatis, hoc enim citato loco probabile esse diximus, sed quia, licet requiratur lex tamquam regula, non tamen requiritur obligatio & subjectio legis, ut ibi n. 35. dictum est.

SECTIO VIGESIMA.

Utrum habitus sint causa morales?

EXplicata moralitate, tam objectiva quàm formali actus, ne aliquid ad moralitatem spectans intactum relinquatur, breviter attingamus moralitatem habituum, quamquam solum, ut aliqua detur notitia, pertinet enim ad materiam de vitiis, & virtutibus.

SUBSECTIO PRIMA.

Utrum habitus sint causa morales?

D. Thom. Scot.

255. REspondetur affirmative, est sententia communis Angelici & Subtilis Doctoris: Angelici, 1.2. q. 71. art. 3. & alibi: Subtilis in 1. dist. 17. q. 3. numero 4. Sequuntur unanimiter discipuli. Curiel. q. 18. art. 1. dub. 1. §. 11. vers. *ad* 3. Salas tom. 2. tract. 7. disp. 3. sect. 3. numero 17. Valentia tom. 2. disp. 2. q. 13. punc. 3. Lorca disp. 27. sect. 2. §. 1. Suar. tom. 2. Met. disp. 44. sect. 13. numero 11. Carmelitani 1. 1.ª tract. 12. de virtutibus disp. 1. dub. 3. à principio §. 4. à n. 47.

D. Thom. Scot.

256. Probatur primo quia habitus sunt causæ actus, quoad substantiam; ergo etiam quoad modum. Ant. est commune Theologorum. D. Thom. citati & q. 49. art. 2. q. 11. art. 2. ad 3. Scoti in 1. dist. 17. q. 2. à numero 8. q. 3. n. 27. vers. *oportet*, & dist. 3. q. 7. numero 2. & in 3. dist. 37. & in 4. dist. 49. q. 2. *ad ultimum*. Vasq. 1. 2. disp. 83. cap. 1. Conimb. 6. Ethicor. disp. 7. q. 3. & præ omnibus lentiori calamo Suar. disp. 44. Met. sect. 6. Conseq. autem est certa apud Curiel 1.2. q. 18. art. 1. dub. 1. §. 12. & patet, primo. Ille habitus in eodem genere influit in actum, quo voluntas; sed voluntas non tantum producit actum quoad substantiam, sed etiam quoad modum, scilicet, in genere moris; ergo etiam habitus. Secundo, quia ut voluntas subjecta rationi operatur, ita etiam habitus, qui rationi subjicitur ratione voluntatis. Tertio, quia tota virtus habitus & voluntatis, est ad producendum substantiam actus; ergo etiam ad producendum modum, sive respectum moralitatis: ad eamdem enim potentiam ad quam spectat producere entitatem actus, spectat producere modos terminativos ipsius, sive etiam respectus, sine quibus actus existere non potest.

257. Probatur secundo conclusio, quia ideo habitus dicitur bonus, vel malus, quia voluntatem inclinat, & cum ea producit actum bonum vel malum, ut enim actus per objectum, ita etiam habitus distinguuntur per actus ex D. Thom. 1.2. q. 71. art. 3. in corpore; ergo ad hoc ut habitus sit bonus vel malus causare debet actum bonum vel malum: non enim aliam bonitatem vel malitiam habet, quam causalem. D. Thom.

258. Dices primo: Non est causa physica, & moralis simul, nec pure moralis; ergo nullo modo est causa moralis. Probatur ant. quia ad causam moralem requiritur libertas actualis, & ordo, & subjectio ad rationem: atqui habitus, nec potentia, nec actu liber est, nec subjectus rationi; ergo non est causa moralis. Respondetur negando ant. est enim causa physica, & moralis simul, ad probationem distinguo Minorem: habitus non est liber, nec subjectus rationi, per se, concedo: per subordinationem ad causam liberam, nego: licet enim in se, nec sint liberi, nec subjecti, cum tamen concurrant cum voluntate ad actum moralem, subordinantur libere ipsi voluntati & rationi, totusque effectus moralis correspondet, & voluntati, & habitui, ut licet intellectus non sit supernaturalis, nec lumen gloriæ vitale, tamen visio beatifica, quæ ab utroque producitur, cum tota sit vitalis, & tota supernaturalis, tota etiam unicuique causæ attribuitur, similiter cum ille actus totus sit liber, & moralis, totus attribuitur voluntati, totusque attribuetur habitui, qui licet non sit in se liber, liber est ratione voluntatis, cui subordinatur, *habitibus enim utimur* juxta Philosophum *cum volumus*.

SUBSECTIO SECUNDA.

Quomodo moralitas sit in habitibus?

259. REspondetur moralitatem habituum in eo sitam esse, quòd habitus respiciunt rectam rationem, ut regulam, qua conjungantur dictamini rationis; quare in respectu, & conjunctione cum recta ratione constituenda est moralitas habituum. Ita Scot. in 1. dist. 17. q. 3. à n. 3. usque ad 5. ibi discipuli; Licherus, Vigerius, Bargius, & alii: Herrera disp. 18. q. 3. §. 4. & §. ultimo. Probatur primo quod sit respectus ad rectam rationem quia moralitas in communi consistit in isto respectu; ergo moralitas particularis habitus; quidquid enim est de ratione essentiali generis, reperitur in particulari; ut tota essentia animalis in homine.

260. Probatur secundo necessariam esse conjunctionem habitus cum recta ratione, quia si habitui deficeret conjunctio ad dictamen rationis, non poterat esse moralis, cum enim requiratur adhoc ut sit moralis, recta ratio, aliquo modo debet habitus cum illa conjungi.

261. Unde notabis differentiam inter moralitatem voluntatis, habitus, & actus: nam voluntas intrinsece est moralis, eo quod ex sua natura est libera, & qua libera, regulabilis, dicens ordinem intrinsecum ad rectam rationem: habitus verò ex se, & ex sua virtute, non est regulabilis per rationem, cum ex se necessarius sit, necessarium autem regulabile non est per rationem; ut bene docet Scotus in 2. dist. 6. q. 2. numero 8. vers. *ad videndum* n. 9. vers. *licet*. Cum ergo habitus extrinsece sit liber, etiam extrinsecum ordinem decet ad rationem, & per consequens illius moralitas extrinseca, erit actus in-

trinsece est moralis, tum quia ex se, antequam eliciatur, est liber, elicitus, medio objecto regulato respicit rationem pet ipsummet respectum, quo fertur in objectum, qui respectus essentialis est ipsi actui: unde non approbat doctrinam Carmelitanorum asserentium habitus per suam substantiam esse morales: ita docent 1. 2. tract. 11. disp. 1. dub. 35. quo modo enim entitas omnino necessaria erit moralis? respondent esse causaliter, non formaliter, ita numero 41. sed contra est, quia morale necessario, supponit libertatem; ergo causa moralis, vel est libera, vel libertatem supponit, nulla enim causa necessaria, moralis esse potest, ut late dixi sect. 8. & 9.

262. Dices esse formaliter morales, ut dicunt, numero 51. vers. 2. hoc autem minus verum est, quia habitur non reddit homines formaliter morales, sed causaliter, sicuti homines non dicuntur boni, vel mali per habitus, sed per actus, eo quod virtus habituum, est causalis: formalis verò actuum; quare tantum erunt habitus causæ morales propter conjunctionem cum dictamine rationis.

SUBSECTIO TERTIA.

Utrum juxta doctrinam Scoti moralitas in habitibus sit respectus extrinsecus adveniens?

263. QUæstio est pro schola Scoti, illam moveo propter diversum modum sentiendi inter discipulos Scoti: & respondeo in illa schola moralitatem respectu habituum esse respectum intrinsecus advenientem: respectu actuum esse respectum extrinsecus advenientem.

264. Primam partem tuentur Bargius in primo dist. 17. q. 2. fol. 216. litt. *M.* Vigerius ibi q. 3. fol. 143. vers. *quantum* prope finem citans Burlifer, Herrera dist. 18. q. 3. §. 3. Probatur quia relatio extrinsecus adveniens est, quæ necessario non consequitur extrema, etiam si utraque sint posita in actu simul: relatio verò intrinsecus adveniens, est quæ necessario consequitur utraque extrema in actu posita; sed posito habitu, & recta ratione, quæ sunt extrema, illa relatio, in qua sita est moralitas, non sequitur necessario; ergo moralitas in habitu est relatio extrinsecus adveniens. Majorem tradit Scot. in 3. dist. 1. q. 1. n. 4. & in 1. dist. 15. q. 1. n. 9. Minor probatur, quia si maneat rectum dictamen in Petro, & ponatur in Paulo insano habitus, qui erat in Petro non resultabit, nec consequetur respectus moralitatis, illa extrema; ergo non consequitur necessario extrema posita in actu, siquidem utrumque in illo casu est positum in actu.

Scotus.

265. Dices: in illo casu, rectum dictamen esse in uno subjecto, & habitum in altero; ideo non consequi illum respectum, nec resultare; ad rationem autem respectus intrinsecus advenientis sequiri solummodo, quod consequatur extrema posita in eodem subjecto, sed contra: quia requiritur, ut ex extremis positis in rerum natura, sive sint simul in eodem subjecto, sive in diversis, statim resultet ille respectus ex Scoto in 3. dist. 1. q. 1. n. 14. ubi affert exemplum de duobus albis, quibus positis quocumque modo resultet respectus intrinsecus adveniens est:

Scotus.

266. Probatur secundo: respectus intrinsecus adveniens non oritur sine novitate alicujus absoluti in aliquo extremo, ex Scoto in 3. dist. 1. q. 1. numero 15. & in 4. dist. 6. numero 3. atqui moralitas resultat in habitu sine aliqua novitate absoluta, vel habitus, vel regulæ; ergo &c. Minor probatur quia si stante habitu, & recta ratione, Deus deneget concursum voluntati, illamque necessitet, ille habitus amittet moralitatem, manebitque in ordine naturæ, quin aliquid, vel ex parte habitus, vel ex parte rationis amittatur.

267. Secundam partem defendunt Herrera disp. 18. q. 3. §. 4. & Vigerius citatus; & probatur, quia bonitas moralis in actu est respectus intrinsecus adveniens; ergo etiam moralitas. Conseq. colligit. quia non minus intrinseca est actui moralis moralitas, quàm bonitas. Antecedens expressit Scotus in 1. dist. 17. q. 3. numero 5. vers. *quantum*, & quamvis voluntas ex libertate possit elicere actum propter aliud, quam propter dictamen actualiter dictans, non tamen actus potest esse moralis, nisi conformiter, vel difformiter dictamini rationis actualiter: & positis actu, & dictamine, impossibile est quod non resultet moralitas. Nec verum est, quod ait cit. Vigerius, non requiri ad respectum intrinsecus advenientem, quod extrema simul existant; Tum quia hoc repugnat Scoto in 4. dist. 6. q. 10. numero 3. esset enim actus ille absolutus, si stare posset circumscripto omni termino. Tum quia ille respectus est ejusdem rationis cum relatione similitudinis inter album & album; quæ sine utroque extremo esse non potest, ex Scoto in 3. dist. 1. q. 1.

SECTIO VIGESIMA PRIMA.

De effectibus moralibus.

268. EFfectus dicitur moralis non solum ex modo emanationis à causa libera, & subjicibili rectæ rationi, sed etiam quia elicitur à voluntate per ordinem ad objectum subjicibile rectæ rationi: quapropter effectus moralis non solum est liber, sed etiam subjectus rectæ rationi.

269. Effectuum moralium duplex est genus: unum effectuum qui simul sunt physici, alterum effectuum, qui solùm sunt pure morales. Ad primum genus spectant omnia entia physica, quæ procedunt à causa physica; à morali tamen causa vel imperantur, vel fiunt: ut occisio hominis in se, est physica, & ab occidente physice procedit, comparata tamen cum voluntate imperante, vel suadente est effectus moralis: similiter, præmium in entitate, potest esse aliquid physicum procedens à voluntate præmiante physice, respectu tamen meriti, est effectus moralis, cum meritum non influat in præmium physice, sed tantum moveat præmiantem; idem de pœna sentiendum est, & de similibus. Undein his effectibus duo considerantur, entitas physica, & ratio moralis: hæc est denominatio extrinsecs desumpta ex modo operandi potentiæ, sive consulentis, sive præmiantis, sive ordinantis unam rem ad aliam, sive excitantis causam physicam &c.

270. Secundum genus effectuum, qui sunt pure morales, nullam in se habent entitatem physicam, licet enim supponant entitatem aliquam physicam in se, nec sunt nec includunt aliquid physicum: ut obligatio orta ex voto, promissione, aut contractu: dominium in matrimonio ortum ex consensu conjugum: valor rerum, qui oritur ex lege taxante: meritum, demeritum, peccatum habituale, infinitus valor, opera Christi

Domini, laudabilitas operis, & similia, quæ tantum sunt quid pure morale. Dices: non sunt entia physica; ergo rationis, vel fictitia. Respondetur negando conseq. sunt enim eotia moralia, sive denominationes extrinsece provenienres à formis realibus, idest, ab actibus moralibus, quæ licet physice non sint præsentes, tamen moraliter secundùm communem hominum æstimationem præsentes esse censentur.

271. Ex quibus colliges primo, ens morale incipere à voluntate libera, & per eamdem vel superioris desinere: ut obligatio orta ex promissione destruitur per remissionem promissionis factam à voluntate illios, cui facta est: obligatio orta ex voto destruitur per dispensationem, vel irritationem ejusdem voti factam à voluntate superioris dispensantis, vel irritantis. Vide Suar. s.2. tract. 5. disp. 2. sect. 1. numero 6. Colliges secundo, hæc entia moralia habere esse per ordinem ad prudeotem hominum æstimationem, & per ordinem ad eamdem desinere, quia facta qualibet mutatione in moralitate, variatur prudentum homioum judicium. Tertio eamdem rem posse esse causam, & effectum simul respectu diversorum, virtus enim, quæ est io chirographo, vel scriptura, est effectus voluotatis, à qua oritur, causa verò solutionis.

272. Utrum verò ratio moralis communis objecto; actibus, causis, & effectibus moralibus sit univoca? Respondetur negative cum Soar. citato numero 9. Salas tract. 7. sect. 3. in fine, Valentia disp. 2. q. 15. puncto 1. §. *neque vero*: & facile probatur, tum ex magna varietate moralitatis repertæ io rebus moralibus; tum quia prius dicitur de objecto, & per ordinem ad illud dicitur de actibus, & per ordinem ad actus dicitur de causis, & effectibus; tum denique, quia ratio moralitatis imbibitur io ultima differentia, nulla enim dabitur in rebus moralibus, quæ non sit moralis, ac proinde oon potest abstrahi ab illis aliqua ratio communis.



DISPUTATIO

DISPVTATIO TERTIA

DE

BONITATE ACTVVM HVMANORVM.

IN creatura deficientis actibus, Creatoris scintillam, bonitatem, scilicet requiro quasi difficilis inventu, difficilior est explicatu, mille enim ambagibus implicatur, & cum omnibus lucem afferre, sit impossibile, potioribus tantum occurro, dividens quæstionem in tres partes. Prima erit de bonitate objectiva, Secunda de bonitate formali actuum elicitorum à voluntate, Tertia de bonitate actuum imperatorum: quibus explicatis forsitan difficultates, quæ explicandæ supererunt, facilem ex disputatis explicationem habebunt.

PRIMA PARS DISPUTATIONIS.

De bonitate objectiva.

BONITATIS objectivæ, velut radicis, & fontis, à qua formalis emanat, ante bonitatem formalem, tractationem præmitto, ut purificato principio, quidquid ex eo ortum duxerit, nullis fæcibus inquinetur.

SECTIO PRIMA.

Utrum detur Bonitas objectiva.

1. QUatuor difficultates in præsenti explicandæ: Prima utrum detur in objectis aliqua bonitas. Respondetur affirmativè, ita D. Thom. q. 2. de malo art. 3. & 1.2. q 8. art. 1. ubi communiter Thomistæ: sentio hanc esse opinionem Scoti in 2. dist. 7. q. 2. n. 12. vers. *Primo* dist. 40. q. unica n. 3. ubi dicit objectum debere esse conveniens agenti; & actui, per illudque determinati agens & actum ad genus morale: & quodlib. 18. art. 1. vers. *ulterius*, & aliis locis, in quibus docet actum esse bonum, vel malum quatenus cadit supra objectum conveniens, vel disconveniens: Herrera disp. 28. de peccatis q. 4. §. *Secundo est notandum*. Suar. tract. 3.1.2. disp. 2. sect. 1. n. 13. Granad. tom. 1. n. 12. controv. 1. tract. 10. disp. 1. & tract. 14. disp. 2. n. 4. Salas tom. 2. n. 11. tract. 3. disp. 2. sect. 2. 3. & 4. Montesinos disp. 22. n. 66. Azor p. 1. lib. 2. cap. 1. Cornejo tract. 6. disp. 3. dubio 2. præcipuè à §. *objicies quarto*, & tract. 7. disp. 4. dubio 8. n. 22. Aravio. q. 18. art. 2. n. 22. §. *ad confirmationem* & art. 5. n. 39. §. *dico secundo*. Arriaga 1. 2. disp. 16. sect. 1. n. 3. Franciscus de Lugo in decursu prævio ad Theologiam moralem. p. 2. 18. q. 2. n. 6 Ripaldà de ente supernaturali lib. 3. disp. 62. tota sect. 1. & cæteri Doctores. — D. Thom. — Scot.

2. Probatur primo, ratione Suarij: Objectum voluntatis est bonum ratione boni, ergo bonitas movens voluntatem non provenit ab ipsa voluntate, sed supponitur in objecto; aliter voluntas non supponeret, nec requireret objecti bonitatem, sed faceret; ergo similiter actus bonus supponit in objecto bonitatem, voluntas enim bonitatem requirit in objecto propter actus. Tum sic: In objecto datur bonitas, quæ movet voluntatem: sed ad actum moraliter bonum, non sufficit bonitas utilis, vel delectabilis, ergo dabitur in objecto bonitas honesta. Major supponitur, Consequentia patet ex communi divisione boni, quod Philosophi partiti sunt in utile, delectabile, & honestum, de quo D. Thom. 1. p. q. art. 6. & 1. 2. q. 24 5. art. 3. Minor probatur, quia utile, & delectabile ex se indifferentia sunt ad bonitatem & malitiam, & tantum ex adjunctis judicatur eorum bonitas, vel malitia. Confirmatur, quia actus bonus in communi, sive quilibet actus voluntaria, præsupponit in objecto bonitatem, sicut judicium præsupponit veritatem in objecto; ergo etiam actus honestus præsupponet honestatem in objecto. — D. Thom.

3. Probatur 2. ratione Curielis, desumpta ex proportione inter actum & objectum: Actus specificatur ab objecto, & ab eo tamquam à radice accipit suam bonitatem; ergo si objectum nullam habuerit bonitatem honestam, nec refundet bonitatem suam in actum, nec actus honestus ab objecto specificabitur: Antecedens patet ex illo Augustini Epistola 52. Mores nostri non ex eo quod quis novit, sed ex eo quod quis diligit, dijudicari solent. — S. August.

4. Probatur tertio ratione Aravio: Objecta vel sunt mala, vel bona, intrinsecè vel extrinsecè: Si intrinsecè, ideo prohibentur, vel præcipiuntur, quia de se habent honestatem, aut turpitudinem: Deus enim ideo est dignus amari, quia in se bonus est; Blasphemia ideo est digna odio, quia in se turpis est: ergo hæc objecta de se sunt bona, vel mala: Si extrinsece; objecta sunt omnia, quæ ex se nec habent honestatem, nec turpitudinem, posita tamen lege, illam habent; ergo bonitas reperitur in objectis.

5. Objicies primo: Licet actus sit malus moralis, non tamen objectum est malum; ergo similiter, licet actus sit bonus moraliter, non ex eo objectum erit bonum. Antecedens patet ex August. tom. 3. lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 12. dicente, *malum non esse in rebus, sed in usu peccantium*. Respondetur negando Antecedens, de quo disp 4. à n. 1. Divus autem Augustinus loquitur de rebus bonis & honestis in se, quibus abutuntur peccatores, utentes mediis honestis in suos fines malos. — S. August.

6. Secundo: Ex eo datur honestas in objecto, quia etiam datur in actu, atqui non est necessarium ut conditiones, quæ sunt in actu, prius reperiantur in objecto; ergo licet actus sit bonus per ordinem ad objectum, non ideo objectum erit bonum, & per consequens non erit necessaria bonitas objectiva. Minor probatur primo, quia actus intellectus est verus, & tamē veritas non est prius in rebus, quam in actu intellectus, juxta Philosophum dicentem, veritatem prius esse in intellectu, quam in rebus; ergo similiter actus voluntatis poterit esse bonus, quin bonitas reperiatur in objectis. Secundo, in tā- — Aristot.

tum objectum postulat in se habere conditionem, quæ futura est in actu, in quantum est causa ipsius actus; atqui objectum non est causa actus; ergo propter illam rationem non est ponenda bonitas honesta in illo: præcipuè, quia dato quod sit causa actus, non est unica, & totalis causa illius; ergo ab alia causa concurrente cum objecto, proveniet honestas reperta in actu.

7. Respondetur primò Majorem esse falsam, quamvis enim nullus daretur actus voluntatis bonus, adhuc in objectis daretur honestas, cum honestas illorum (loquor de intrinsecè bonis) independens sit à voluntate: sed quia honestas objecti, secundùm rationem moralitatis, est per ordinem ad rectam rationem, & actus voluntatis, ideo respondeo secundò: transeat Major de Bonitate Morali; distinguo Minorem, non est necessarium, vt conditiones, quæ sunt in actu, prius reperiantur in objecto, eodem modo, & eiusdem rationis, concedo; diuerso modo, nego: Licet enim objectum non habeat bonitatem formalem, quæ datur in actu, habet tamen bonitatem objectivam, quæ constituit objectum amabile, & conueniens alteri, ac proinde honestas convenit formaliter, actibus; objectiuè, objecto: Per quæ responsum est duabus probationibus, nam veritas objectiva prius est in rebus, quam in actibus intellectus; Philosophus autem loquitur de veritate formali, quæ prius est in actibus, quam in rebus: & quamquam objectum non sit causa unica & totalis actus, nec etiam efficiens, ut constat ex disp. 2. sect. 6. est tamen causa formalis, quæ tribuit speciem actui iuxta ibidem dicta.

8. Secunda difficultas est, vtrùm hæc honestas dicenda sit simpliciter moralis. Respondetur negatiuè ex dictis disp. 2. sect. 5. n. 65. ubi idem diximus de moralitate objecti, & in terminis hoc sentit D. Thom. q. 2. de malo art. 3. Araujo qu. 18. n. 22. §. *dico secundo*. Montesinos suprà citatus n. 67. & probatur, quia bonitas specialiter moralis, est ea per quam homines, tamquam per formam sibi inhærentem dicuntur boni, vel mali formaliter: atqui bonitas objectiua est hominibus extrinseca, illisq; non inhæret formaliter, nec per eam homines dicuntur boni, vel mali; ergo non est simpliciter bonitas moralis, sed tantùm objectiva & primordialis.

9. Tertia difficultas, utrùm ista bonitas dicenda sit bonitas formalis. Respondetur esse formalem respectu objecti, non tamen respectu voluntatis ex dictis disp. 2. sect. 5. n. 65. ubi hãc resolutionem pro moralitate objecti explicavimus: & patet, quia cum bonitas desumatur ex convenientia cum altero, dupliciter conveniens esse potest homini, aut per modum formæ, aut per modum objecti, id est, vel tanquam objectum amabile, vel tanquam forma constituens hominem bonum; objectum non est forma intrinseca afficiens ipsum hominem, sed hoc munus pertinet ad actus voluntatis, qui tanquam formæ constituunt homines formaliter bonos, quare respectu illorum non est dicenda bonitas formalis, sed objectiua.

10. Quarta difficultas, utrùm bonitas objectiua sit intrinseca rebus? Respondetur esse intrinsecam rebus, siue objectis intrinsecè bonis, non tamen extrinsecè bonis, in duplici namque genere sunt objecta bona. In primo collocantur intrinsecè, quæ ita bona sunt, vel positivè, ut Deus, actus supernaturales, & quæcumque ex sua natura conformia sunt divinis attributis; vel negativè, ut non mentiri, non furari, &c. quæ reducuntur ad objecta positivè bona; in his objectis bonitatem intrinsecè esse, extra dubium est, cum ex se, & de sua intrinseca natura convenientiam, & non disconvenientiam habeant cum recta ratione, vel natura rationali. In secundo genere sunt objecta ideo bona, quia præcepta, hæc enim tantum habent bonitatem extrinsecam, eadem enim deambulatio, modo est bona, quia præcepta, & post sine aliqua mutatione sui intrinseca, si prohibeatur erit mala.

11. Confirmatur ex dictis circa moralitatem disp. 2. n. 63. quamquam Pater Suar. 1. 2. tract. 3. disp. 2. sect. 1. n. 11. asserat diversam rationem de moralitate, ac bonitate: illam asserit esse extrinsecam, quia semper supponit actum liberum, hanc intrinsecam, quia antecedit actũ. In hoc tamen non est audiẽdus, ut eo loco dixi, quia licet moralitas sit per ordinem ad actum, non est tantum ad actũ in actu secundo, sed etiam in actu primo, quia objectum intrinsecè bonum, vel malum ex se, & ex sua natura ante omnem actum voluntatis postulat regulari per rationem, & in actu primo regulabilis est, & moralis.

SECTIO SECUNDA.

Quid sit bonitas objectiva.

12. CIrca rationem formalem bonitatis objectivæ in terminis pauci loquuntur, & ex citandis, solum ex professo Suar. & Arriaga præsentem tractant quæstionẽ, in qua ferè omnes loquuntur de bonitate objectiva, ac de bonitate formali, excepto quod bonitatem formalem desumant per ordinem ad objectum, cum tamen diversa sit utriusque ratio ut ex sequentibus constabit.

SUBSECTIO PRIMA.

Proponuntur variæ sententiæ.

13. NOn una est sententia circa bonitatis objectivæ rationem formalem, variæ enim sũt. Illarũ prima sententia docet bonitatem objectivam consistere in conformitate cum lege æterna Dei: ita Conrad. 1. 2. qu. 19. art. 1. ad 3. Cornejo tract. 6. disp 3. dub. 1 §. *objicies* 4. & tract. 7. disp. 4. dub. 8. n. 21. communiter Thomistæ ad qu. 71. art. 6. ubi Caët. Medina, Curiel. Zumel, Martines, quos referunt Carmelit. disp. 1. cit. dub. 551. n. 65. Aluares disp. 130. & videtur D. Thom. qu. 71. art. 6. qu. 2. de malo, art. 4. D. Thom.

14. Secunda sentẽtia docet bonitatem objectivam esse conformitatem cum recta ratione. Ita Azor. 1. p. lib. 2. cap. 1. Philiut. tract. 21. n. 87. in quam Inclinat Angestus in moralibus, Medin. q. 18. Araujo ibi art. 5. n. 39. §. *dico 2*. Curiel. ibi art. 1. dubio 2. In eadem videtur stare Rainaud. dist. 4. q. 2. agens de moralitate objectiva. Eadem videtur sententia aliquorũ dicentium, ideo objectum esse bonum, quia intellectus divinus iudicat esse amãdum, quam sententiã tacitis authoribus refert Arriaga infra citandus. Est etiam in hac sententia Franciscus de Lugo in cit. discursu prævio p. 2. cap. 8. qu. 1. n. 3. dicens, esse conformitatem cum natura rationali ut fundamentali, & remotè cum recta ratione proximè: Carmel. cit. cum cit. Authoribus pro prima sententia; quatenus docent legem Dei æternam esse regulam remotã, proximam verò dictamen rationis.

15. Tertia sententia asserit bonitatem objectivam esse conformitatem cum natura rationali, qua rationalis est. Ita Suar. tract. 3. disp. 2. sect. 1. disp. 10. Mat. sect. 2. n. 11. Vasques disp. 58. cap. 2. n. 9. & disp. 90. cap. 3. n. 6. & disp. 95. cap. 10. num. 46. Granado controv. 1. tract. 10. disp. 2. num. 5. Montesinos disput. 21. §. 3. num. 68. Arriaga 1. 2. disput. 16. sect. 1. num. 3. & ex professo disput. 29. sect. 9. num. 36. Ægid. de Coninch. disp. 1. de

actibus dub. 2. n. 54. asserens bonitatem objectivam esse aptitudinem, ut actus circa eam versetur, pront convenit naturæ rationali Ripald. disp. 21. sect. 1. n. 4. Layman. lib. 1. tract. 2. cap. 7. n. 2. Salas disp. 1. sect. 2.

56. Ego verò nulli harum opinionum acquiesco, & antequam propriam aperiam sententiam, suppono primo bonitatem transcendentalem non coincidere cum bonitate objectiva morali, diversa siquidem est ratio utriusque: quod manifestè apparet in actu moraliter malo, tam interiori, quam exteriori, in quo reperitur bonitas transcendentalia sine bonitate objectiva morali: Nam actus malus interior bonus est in se bonitate transcendentali, malus autem moraliter: actus etiam malus exterior ut objectum est voluntatis, habet bonitatem transcendentalem, & malitiam objectivam.

57. Snppono secundo bonitatem objectivam relative accipiendam esse, quia cum sit objectiva, alicujus potentiæ est objectum, objectum autem potentiæ dicit ordinem ad illam, & per consequens relative accipienda est: præcipuè quia bonitas est convenientia, quæ desumi debet per ordinem ad aliud. Tertio quæstionem vel esse de bonitate naturali objectiva, vel de morali bonitate objectiva, maxima enim diversitas reperitur inter utramque, quibus suppositis refello suprapositas opiniones.

SUBSECTIO SECUNDA.

Ostenditur contra primam sententiam bonitatem objectivam non esse conformitatem cum lege.

18. PRima opinio, quæ ita habet; Bonitas sive honestas objectiva, consistit in conformitate cum aliqua lege, est falsa, quod satis probatum est disp. 2. sect. 10. numero 154. ubi diximus, nullam legem esse regulam moralitatis: insuper tamen probo primo, quia multa dantur objecta, quæ si per possibile vel impossibile nulla daretur lex, forent honestissima; ut Deus, divina attributa, virtutes, & similia, nam ante omnem legem, saltem prioritate rationis, intelligitur Deus, honestissimum objectum; siquidem prius per rationem intelligitur essentia Dei, quam intelligere, vel velle divinum: atqui ante actus divini intellectus, vel divinæ voluntatis, non potest concipi aliqua lex; ergo prius, quam consideretur aliqua lex, intelligitur Deus, ut objectum honestissimum, ac proinde bonitas objectiva in Deo reperta, non potest esse conformitas cum lege, etiam æterna Dei, siquidem ante illam datur talis honestas. Idem argumentum fieri potest de divinis attributis, quæ in quacumque consideratione saltem prioritate rationis antecedunt actus divini intellectus, vel voluntatis, in quibus constituitur lex æterna; namque prius debent considerari attributa Dei, ut complent ejus perfectionem intrinsecam, quàm actus, qui versantur circa creaturas, quales sunt illi, in quibus lex æterna collocatur.

19. Probatur secundo: Lex præcise non versatur circa objecta, sed circa actus: ergo lex non dat bonitatem objecto, sed supponit. Antecedens patet, quia lex non prohibet immediate objecta, nec ea immediate præcipit, sed actus: ergo non potest refundere bonitatem in objectum, sed supponere; ideo enim lex præcipit amorem Dei, quia Deus in se honestus est, & sic de aliis rebus intrinsece bonis; ergo supponit bonitatem in objectis intrinsece bonis. Tertio, quia objecta consilij honestissima sunt, ut Virginitas, & tamen circa

D. Thom

talia objecta non datur lex aliqua; ut in confesso est apud omnes; ergo jam conformitas cum lege, non est ratio formalis bonitatis objectivæ.

20. Dices primo: Malitia objecti est difformitas cum lege; ergo bonitas objectiva erit conformitas cum illa. Antecedens est divi Thom. 1. 2. q. 17. art. 6. ad quartum. Curiel. ibi, dubio 2. §. 1. Lorca disp. 10. de peccatis §. *sed quamvis*. Cornejo tract. 7. dub. 2. & alij. Respondetur negando antecedens; nam multa sunt mala objectiva, ita de sua intrinseca ratione difformia divinis attributis, ut ante omnem considerationem legis, habeant illam deformitatem, ex qua provenit difformitas cum lege, cum natura rationali; & ratione. Doctores verò, qui asserunt malum consistere in difformitate cum lege, loquuntur de malitia formali actuum, quam constat esse contra legem, ut dicam disput. 4. à numero 176. vel etiam poterunt intelligi de malitia objectiva morali, non verò naturali, illa enim legem requirit, non ista.

21. Dices secundo: Dantur objecta in sua specie indifferentia ad bonum vel malum morale: verbi gratia, ire in agrum, vel deambulare: atqui horum bonitas objectiva, nihil aliud potest esse, quam conformitas cum lege; ergo saltem in his bonitas objectiva consistet in illa conformitate. Min. probatur, quia licet illa objecta in esse naturæ, determinatam habeant bonitatem: illa transcedentalia est, non objectiua, atqui posita lege, talia objecta sunt bona objectivè, & remota lege sunt indifferentia; ergo bonitas illa ex lege desumitur. Respondetur negando Minorem, ad probationem distinguo minorem; atqui posita lege illa objecta manent bona objectivè; & remota, indifferentia, quasi efficienter, concedo: formaliter nego.

22. Pro quo notandum est ex Soar. sect. 5. n. 6. duobus modis se habere legem circa bonitatem objectorum indifferentium; primo quasi efficienter, secundo formaliter: primo modo, lex constituit objectum in medio aliquo virtutis, ad quam materia legis spectat, & tunc bonitas illa est effectus legis, siquidem per ordinem ad prudentem hominum æstimationem resultat ex lege valor quidam, vel bonitas, quæ non consistit in conformitate cum lege, sed cum illo medio virtutis, quæ vel divinis attributis, vel naturæ rationali, vel rationi, est conformis: verbi gratia, lex taxat pretium rei, & illi tribuit moralem valorem, ortum ex lege, qui consistit in æqualitate, quæ est medium justitiæ, ita ut propter illam, objectum sit honestum, & hoc, quia justitia illa conformis est divinis attributis. Secundo modo oritur bonitas ex lege, quasi formaliter, quatenus hoc ipsum, quod est subdi legi, & illi conformari, bonum est, quod quidem speciale est in bonitate obedientiæ; & hoc quia conforme est divinæ perfectioni, in quo sensu verum est bonitatem objectivam desumi quasi formaliter ex lege, quamquam etiam in eodem sensu refundenda sit hæc bonitas in conformitatem cum divinis attributis.

SUBSECTIO TERTIA.

Ostenditur contra secundam sententiam, bonitatem objectivam non consistere in conformitate cum recta ratione.

23. SEcunda sententia, quæ ita habet: Bonitas objectiva consistit in conformitate cum recta ratione, est falsa. Probatur primo, quia ex

opposito sequeretur nullum dari judicium erroneum, cui conformari homines tenerentur; hoc autem est contra sanam Theologiam; ergo & illud ex quo sequitur. Sequela probatur, quia eo ipso, quod aliquis judicaret per conscientiam erroneam invincibilem, objectum esse honestum, eo ipso objectum esset verissimè honestum; ergo conscientia numquam foret erronea. Antecedens probo, quia juxta contrarios bonitas objectiva consistit in conformitate cum judicio recto: atqui in hoc casu, ratio dictat objectum esse honestum; ergo objectum verè erit honestum, siquidem conformatur rectæ rationi, ac proinde nunquam dabitur judicium erroneum, cum judicium faciat objectum bonum & honestum.

24. Probatur, secundo quia Deus judicat hoc objectum esse bonum, & illud malum: atqui hoc non judicat faciens objecta bona, vel mala; ergo ex eo quod in uno objecto reperiat bonitatem, malitiam verò in altero non enim alia ratio assignari potest. Confirmatur, quia comedere carnes sexta feria non ideo est malum, quia ratio judicat esse malum, sed quia prohibitum est; si enim comestio non fuisset prohibita & mala, non judicaret intellectus esse malam, vel si judicaret, judicium foret falsum.

25. Tertio probatur à simili, quia ex eo judicium est verum, quia res vera est in se; ergo similiter prius res debet esse bona in se, ut intellectus judicet talem esse, qua ratione intellectus judicat amorem Dei esse bonum, blasphemiam verò malam, quia à parte rei amor Dei est bonus, blasphemia vero mala. Tandem, quia hæc opinio coincidere videtur cum errore Epicuri apud Senecam Epistola 97. & Carpocratis apud Tertullianum lib. de anima cap. 35. asserebat enim nihil esse in rerum natura honestum, vel turpe, sed talia ex opinione esse judicanda, unde monebat judicandum semper esse ab hominibus objectum turpissimum, tamquam honestum, quia ex illo judicio, objectum manebat honestum, & operatio circa illud honesta futura erat: quem errorem, impietatem omnium gravissimam appellat Iustinus Martyr in Apologia ad Antonium ante medium, cujus equidem erroris, si non omnimodam æqualitatem, similitudinem præfert opposita opinio: namque, si bonitas est conformitas cum recta ratione, eo ipso, quod ratio judicaret objectum etiam turpissimum esse honestum, procul dubio honestum foret à parte rei, cum ex judicio dependeret tota ratio bonitatis in objecto.

Seneca. Tertul.

Iustinus. Martyr.

26. Dices: Ille bene operatur, qui exequitur opus, quod prudenter judicat esse honestum, licet à parte rei tale non sit: ergo bonitas objectiva sumitur ex judicio; Respondetur negando consequentiam, quia cum illa recta operatione stat, quod objectum à parte rei sit malum, imo contra illos sic retorqueo argumentum: Siquis prudenter existimat adulterium esse honestum propter tuendam vitam; & ita committat adulterium, operans juxta illam conscientiam erroneam, non peccabit; quæro tamen, an illud sit bonum objective, & à parte rei? nemo tale fatebitur, cum semper in se sit malum illud adulterium, & solùm ex apprehensione judicatur bonum; quare in illo casu datur duplex judicium, speculativum unum, quo quis putat adulterium esse bonum, ex quo oritur judicium practicum, dictans esse bonum adulterium ob servandam vitam: utrumque judicium falsum est; practicum rectum dicitur, non quia rectum sit in se, sed ex ignorantia invincibili, quæ excusat illud adulterium à peccato, non tamen efficere potest, quod adulterium à parte rei sit bonum.

SUBSECTIO QUARTA.

Ostenditur contra tertiam, Bonitatem non consistere in conformitate cum natura rationali.

27. Tertia sententia, quæ asserit, Bonitas objectiva consistit in conformitate cum natura rationali, falsa est. Probatur primo, quia multa dantur objecta supernaturalia, (verbi gratia, virtutes supernaturales) ad quæ natura rationalis, nec propensa, nec inclinata est; ergo saltem respectu horum objectorum, bonitas non sumetur ex convenientia cum natura rationali. Consequentia probatur, quia ea quæ excedunt naturam, non dicunt ordinem nec convenientiam ad illam, quin potius superant naturæ capacitatem.

28. Dices: Quamvis hoc verum sit de natura rationali in statu puræ naturæ, non tamen de eadem natura, ut de facto est elevata ad finem supernaturalem, cum jam natura sit in statu gratiæ, ad illamque dicunt ordinem & convenientiam objecta supernaturalia. Sed contra, quia jam ista ratio bonitatis objectivæ esset limitata, & solum conveniret objectis supernaturalibus, supposito statu gratiæ, & non in alio statu, nimirum puræ naturæ, in quo nullam dicerent convenientiam cum natura rationali, quod quidem falsissimum est, cum talia objecta, etiamsi nulla daretur creatura rationalis, honestissima essent.

29. Probatur secundo, quia bonum non ideo est bonum, quia conveniens naturæ rationali, licet si detur natura rationalis, illi debeat esse conveniens; ergo bonitas non consistit in conformitate cum natura rationali. Antecedens probatur, quia si nulla daretur creatura rationalis, nec possibilis foret, adhuc veritas esset bona, mendacium malum. Imo in simplicis intelligentiæ scientia, considerata veritas, ante cognitionem creaturæ rationalis, convenientiam, & bonitatem habet objectivam, non quidem cum natura rationali, quæ in illo priori non intelligitur; ergo cum alio aliquo. Insuper Deus, & divinæ perfectiones dignæ sunt amore, & bonæ, & tamen à Creatura rationali non dependent, ut sint bonæ, cum ante illam bonæ sint. Alia argumenta adducunt citati Carmelitani, quæ ibi videri possunt.

30. Dices cum Suar. numero 11. bonitatem objectivam sumi debere per ordinem ad rem, cui objicitur amanda, quæ res naturæ rationalis est, atqui, ut bonitas sit objectiva, sufficit quod Deo objiciatur amanda, & non esse illius, ut dignum odio prosequatur: quod totum fit à Deo antecedenter ad naturam rationalem: quare in conformitate cum illa consistere non poterit bonitas objectiva

SUBSECTIO QUINTA.

Expenditur propria sententia circa rationem formalem Bonitatis objectivæ.

Superest ut proprium proferamus judicium circa rationem formalem bonitatis objectivæ, quod quidem unica solutione præstari non potest.

31. Ideo dico primo: Bonitas objectiva naturalis, sive fundamentaliter moralis, consistit in conformitate, seu convenientia proprii esse cum divinis attributis. Probatur primo, quia talis bonitas est perfectio creaturæ; ergo participata à divina,

omne enim bonum descendit à Patre luminum, desursumque communicatur creaturæ; ergo consistit in conformitate cum perfectione divina quam participat: eo modo, quo ex eo error invincibilis, & mendacium indeliberate prolatum, in genere naturæ mala sunt, quia contraria sunt divinæ scientiæ, & veritati; ergo similiter scientia & veritas bona erunt, quia conformia sunt divinæ scientiæ, & veritati.

32. Secundo, quia nulla alia ratio assignari potest, cur naturæ rationali conveniat veritas, non mendacium: si enim veritas naturam decet rationalem, non verò mendacium, ex eo erit, quia veritas est bona, mendacium malum: atqui ex se mendacium non est malum, cum entitative sit bonum, ergo ex eo erit malum, quia contrariatur divinis attributis, veritas vero conformatur. Et confirmatur, quia ideo res est vera, quia conformis est suæ Ideæ existenti in mente divina; ergo etiam ex eo objectum erit bonum, quia conforme est perfectioni quam participat existenti in Deo.

33. Dices primo cum Arriaga disp. 19. sect. 2. numero 12. Ex hac opinione non apparet ratio cur in Deo Misericordia sit virtus, non vero crudelitas. Respondeo negando antecedens: ratio est, quia misericordia est conformis divinæ pietati, non vero crudelitas. Secundo si per impossibile Deus non esset, adhuc essent opera bona: atqui non esset illa bonitas per conformitatem cum divinis attributis, siquidem ex suppositione non esset Deus; ergo. Respondetur suppositionem esse impossibilem & chimericam: ea admissa, nulla darentur opera bona, cum fons, à quo emanare deberent, non existeret. Tertio non ostenditur cur talem habeant naturam illa objecta. Respondetur negando antecedens, cum enim omne bonum sit participatio divinæ bonitatis, ubicumque repertum fuerit aliquod objectum conforme divinis perfectionibus, bonum censendum erit.

34. Ex quo sequitur per hoc non inficiari bonitatem circa virtutes naturales convenientem esse naturæ rationali, qua rationalis est, quidquid enim in ordine naturali conforme est divinis attributis, etiam conforme erit naturæ rationali, qua rationalis, imo ex eo conforme est naturæ rationali, quia conforme est divinis attributis; objecta verò bona, quia præcepta per legem habent bonitatem objectivam ex lege per quam constituuntur in medio virtutis, & tunc primariò non sunt bona, quia conformantur legi, sed ex conformitate ad divina attributa, quibus virtus conformatur; Lex ergo est causa constituens objectum indifferens in specie virtutis, constitutum autem manet conforme primariò attributis divinis, secundariò naturæ rationali.

35. Dico secundo: Ista bonitas naturalis positivè fit, & manet moralis per conformitatem immediatam cum recta ratione: lex autem est conditio, cur objectum conformetur divinis attributis, & naturæ rationali. Duplicem partem habet hæc conclusio.

36. Prima, nimirum, quod bonitas naturalis positive fiat, & maneat moralis per conformitatem immediatam cum recta ratione, probatur, quia ut aliquod objectum sit morale, debet dicere ordinem ad voluntatem subjicibilem, sive ad actus liberos illius; ergo prima regula, cui conformari debet objectum, & à qua habet suum esse bonum objectivum morale, est recta ratio. Antecedens probatur, quia ut objectum sit morale, debet causare actus morales voluntatis, & dicere ordinem ad potentiam causativam talium actuum; ideo enim error invincibilis respectu intellectus, non est moralis, quia non datur voluntas libera; idem dicendum de occisione, & aliis actibus factis à brutis, vel amentibus, & similibus. Consequentia autem ex eo probatur, quia ut objectum sit bonum objectivum morale, debet prius regulari per intellectum, nihil enim volitum, quin præcognitum. Ex quo communiter Doctores docent actus voluntatis non specificari ab objecto, ut est à parte rei, sed propositio per intellectum; ergo illud objectum non erit bonum objective morale nisi proponatur per intellectum.

37. Tum sic: Recta ratio est causa, ut objectum sit bonum: ergo etiam ut sit morale. Probatur Antecedens, quia stante ratione de bonitate objecti, objectum erit bonum: quamquam à parte rei oppositum detur circa illud objectum, siquidem voluntas, ut bene operetur, debet conformari objecto, non ut est à parte rei, sed ut proponitur per intellectum; ergo recta ratio est causa cur objectum sit bonum, vel malum morale. Antecedens patet in dictamine erroneo judicante esse honestum quod à parte rei turpe est, cui voluntas adeo tenetur conformari, ut si conformaretur objecto ut est à parte rei, & non apprehenso, peccaret juxta certissimam doctrinam Doctorum in materia de conscientia: atqui objectum non est bonum, nisi quia recta ratio dictat esse bonum; ergo &c. Minor probatur quia objectum putatum honestum à parte rei, ex suppositione, turpe est, disconveniensque divinis attributis, & tantum conveniens est, quia sic per judicium erroneum concipitur ut honestum; ergo objectum non est bonum morale, nisi quia recta ratio dictat esse bonum, & per consequens honestas moralis tantum à ratione habetur.

38. Dices: Ideo recta ratio dictat objectum esse bonum, quia objectum tale est à parte rei. Probatur, quia si non ita esset, non conformaretur objecto; ergo non esset recta ratio, sed erronea. Respondetur distinguendo antecedens: ideo recta ratio dictat objectum esse bonum, quia tale est à parte rei in esse naturali, concedo; formaliter, & moraliter, nego; namque quamvis recta ratio debeat conformari objecto, ut est à parte rei speculativè, & practice, non tamen conformatur cum illo ut est à parte rei moraliter, siquidem morale est, ut movet voluntatem, illam verò non movet, nisi ut apprehensum, & regulatum per rectam rationem. Sed quia nostra probatio est assumpta à dictamine erroneo, ideo distinguo antecedens: ut est à parte rei, falsò, concedo; verè, nego; jam enim foret dictamen verum, & non erroneum, ac proinde tota bonitas istius objecti est moralis, quia tota est à ratione. Ad probationem concedo Antecedens, distinguo consequens; ergo non esset recta ratio speculativè, & physice concedo; practice tantum, nego, certitudo enim tantum practica requiritur ad operationem honestam, aliter conscientia probabilis non esset sufficiens regula actionum humanarum: quare conscientia illa erronea recta ratio est, non certitudine physica & speculativa, sed certitudine morali & practica, ex eo quod non conformatur objecto à parte rei, ut late tradendum est tom. 2. in 1. 2. disp. 6.

39. Secunda pars conclusionis, quod scilicet, lex sit conditio per quam tamquam per causam efficientem moralem constituatur objectum bonum

in esse morali, probatur, quia lex, vel consilium (loquimur enim de lege late ut comprehendit etiam consilium) non datur nisi per ordinem ad actus liberos voluntaris; ergo eo ipso, quod objectum est præceptum, dicit ordinem ad voluntatem, ut ad principium morale, cum per legem maneat voluntas subjecta: atqui si objectum non diceret talem ordinem, non foret morale; ergo lex facit, ut objectum sit morale in actu primo, quatenus scilicet, regulandum est per rectam rationem: sive est conditio, sine qua objectum non esset morale. Minor probatur quia si objectum non diceret illum ordinem, neutiquam foret morale.

40. Ex quibus colliges, bonitatem objectivam moralem, qua moralis est, immediatè desumi à conformitate cum recta ratione, remotè à conformitate cum lege, vel consilio; lex namque, vel consilium, etiam constituit objectum morale quasi efficienter, & in actu primo, quatenus illud constituit in medio virtutis, subjiciens voluntatem ut conformiter operetur ad rectam rationem: sed quia lex prohibet id, quod non decet naturam rationalem, & præcipit id quod illam decet: idcirco imponitur per ordinem ad naturam rationalem, tamquam à fundamento, cur illa lex detur; & quia ideo bonitas decet, & malitia dedecet naturam rationalem, quia bonitas conformatur, malitia difformatur divinis attributis, & ideo bonitas conformatur, malitia vero difformatur, quia objectum est talis perfectionis, hac de causa bonitas naturalis objecti reducitur ad illius perfectionem.

41. Unde perfectio objecti, ordo ad divina attributa, & ordo ad naturam rationalem, adhuc pertinent ad bonitatem objectivam naturalem: & cum propter utrumque ordinem; & perfectionem objecti imponatur lex, per legem constituitur bonitas objectiva moralis, quasi efficienter, illa enim posita, objectum dicit ordinem in actu primo ad voluntatem subjectam rationi: sed quia objectum non potest causare bonitatem formalem actuum, nisi proponatur à recta ratione, ideo causa formalis proxima, à qua desumitur moralitas objectiva, est recta ratio, dictans objectum esse bonum.

42. Ex quo tota hæc bonitas objectiva, vel etiam malitia, revocatur ad perfectionem, vel imperfectionem naturæ absolutæ, ex eo enim, quod naturalis est, conformitatem, vel difformi-
Scot. tatem habet, & hæc videtur sententia Scoti q. 4. Prologi numero 14. vers. *ex hoc.* ubi asserit rectitudinem praxis, vel aliquid virtualiter includens ipsam rectitudinem, esse illam conformitatem, quam actus habet ab objecto, & numero 1. vers. *quando*, asserit hanc rectitudinem virtualiter includi in objecto, ita ibi: *Rectitudo hujus praxis, amare Deum, recta est, & necessaria, & includitur virtualiter in ratione Dei.* Unde omnis rectitudo continetur virtute in objecto: quod quidem expressius habet n. 31. vers. *ad quem*; ac proinde ex
Scot. mente Scoti, rectitudo actus virtute continetur in objecto, & ad objecti perfectionem revocatur omnis bonitas.

43. Si quæras quid addat entitati rei, sive bonitati absolutæ, ista bonitas respectiva; Respondeo ex simili doctrina Patris Suarii sect. 2. numero 16. nihil addere absolutum, sed connotare in esse naturali proxime perfectionem divinam, & remotè in natura rationali perfectionem participatam à divina perfectione, ex qua habet inclinationem ad conjunctionem cum illo objecto, per quod perficitur, & hac de causa naturam rationalem maximè decet.

44. In esse morali, illa bonitas connotat in bonis intrinsece necessario legem, sine qua non intelligebatur moralis, cum ante legem nullum dicant ordinem ad actus liberos per ordinem ad quos moralia censentur causaliter: in illis vero rebus, quæ ex se abstrahunt à conformitate vel difformitate cum divinis attributis; bonitas vel malitia sumitur à lege, non quia lex formaliter faciat rem bonam, vel malam moraliter, sed quia per legem res constituitur in medio virtutis, in quo conformitatem vel difformitatem dicit: attamen nondum illa bonitas est perfecta, & objectivè moralis, sed moralis constituitur per rectam rationem, ideo connotat completè rectam rationem, à qua moralitatem accipit, & bonitatem moralem. Quapropter licet objectum propositum per intellectum sit à parte rei, legi, naturæ rationali, & divinis attributis contrarium, si tamen per rationem judicetur conforme, erit bonum objective morale, ex eo quod sola recta ratio sit causa formalis illius bonitatis objectivæ moralis.

45. Quod verò ita sit, probatur exemplo, nam quando res est uni bona, & non alteri; verbi gratia, calor bonus est igni, & non aquæ; datur convenientia cum forma rei, cui est bona, non verò rei, cui non est bona, ut calor habet convenientiam cum forma ignis, non cum forma aquæ, & sicut ignis est propensus ad calorem, ita illa res est propensa ad rem quæ sibi bona est: in hoc autem nihil aliud significatur, quam perfectio rei bonæ, & connotatio ad formam rei, cui bona est, verbi gratia, perfectio caloris, & connotatio illius ad formam ignis: ergo si castitas est bona homini, & non lapidi, ex eo est, quia castitas talis naturæ est; & hoc propter conformitatem ad divinam puritatem, & connotat perfectionem, & capacitatem naturæ rationalis, quæ perfectio in lapide non datur: ut vero sit moralis, connotat legem, ut conditionem, sive causam, per quam moralis fit incompletè & remotè; nam ut sit proximè & completè moralis, requirit rectam rationem tamquam formam, à qua castitas habet quod sit honesta & moralis.

46. Sitne ista connotatio moralis denominatio vel extrinseca, vel intrinseca? Respondeo primo in rebus intrinsece bonis, esse intrinsecam quoad virtutem causativam moralem: primo quia objecta intrinsece bona de sua natura habent causalitatem illam, siquidem quantum est ex se, postulant causare actus bonos voluntatis. Secundo quia objecta intrinsecè bona necessario legi astringuntur, semper enim præcipienda sunt, vel consulenda; & si aliqua lex, vel consilium imponatur, necessario debet esse, ut illa objecta amplectantur. Tertio quia ex bonitate objectiva naturali, necessario sequitur bonitas moralis fundamentalis, necessarioque, quantum est ex se, postulat regulam determinatam rationis, per quam perfecte, & completivè tamquam per formam constituatur objective moralis.

47. Respondeo secundo, in rebus extrinsece bonis, sive indifferentibus, quæ solum bonitatem habent, vel malitiam ex lege, datur bonitas objectiva naturalis extrinsece per connotationem ad legem vel rationem; nam sive amoveatur sive ponatur illa connotatio, nihil de novo accrescit, aut minuitur in objecto, quod totum stare potest secundùm suam entitatem,

& bonitatem transcendentalem sine tali connotatione.

48. Ex dictis colliges duplicem esse bonitatem objectivam, sive respectivam; unam in genere naturæ, alteram in genere moris: in genere naturæ dicis primariò respectum ad divina attributa, secundariò ad naturam rationalem: hæc bonitas in genere naturæ est fundamentum bonitatis objectivæ moralis, quæ dicit respectum ad rectam rationem.

49. Et quamvis objectum in esse naturæ absolute sit unum; in genere tamen moris multiplex esse potest, quia in genere naturæ objectum ex se habet bonitatem, vel malitiam, in genere autem moris illam habet per ordinem ad actus voluntatis, & per consequens secundùm diversas rationes formales, & secundùm diversitatem actuum, idem objectum in esse naturæ est tantum unum; & multiplex in genere moris. Exemplum sit Deus, qui est bonum objectum respectu amoris, malum respectu odii: & idam objectum multas species moralitatis causare potest in eodem actu juxta dicta disp. 2. numero 171. à numero 172. & hæc videtur sententia Scoti quodlibeto 18. art. 1. in fine, ubi multiplicitatem bonitatis vel malitiæ ex diversitate dictaminis rationis infert, nam cum tota bonitas moralis objecti dependeat ex dictamine rationis, variato dictamine, variatur bonitas moralis objecti, & cum dictamen dictet diversas rationes inventas in objecto, vel in eo apprehensas, inde est, quod objectum in genere moris multiplicem bonitatem habere possit secundùm multiplicitatem dictaminis: & in hoc consentit cum Scoto Curiel. q. 18. art. 2. dub. 2. §. 4. ad 3. & hæc videtur mens Ægidii de Coninch. de actibus disp. 1. dubio 2. numero 34. quatenus asserit malitiam vel bonitatem objectivam consistere in aptitudine, vel ineptitudine per ordinem ad rectam rationem.

Scotus.

SECTIO TERTIA.

In quibus rebus bonitas objectiva reperiatur.

50. PRæsuppono primo quæstionem esse posse de actibus internæ voluntatis, & de externis aliarum potentiarum: nt enim actus externi sunt objecta voluntatis, voluntas enim occidere vult, videre, largiri eleemosinam, ministrare pauperibus, & similia, ita etiam per reflexionem potest voluntas directè velle suos actus, qui ut suot voliti, objecti suot illius actus reflexi per quem imperantur, vel amantur. Secundo etiam excitari quæstionem de materia externa, circa quam tam actus interiores, quam exteriores versantur & de omnibus est quæstio utrum in illis reperiatur bonitas objectiva? His positis,

51. Dico primo: Actus internus voluntatis, ut objectum est alterius actus, habet bonitatem objectivam. Ita expressit Suar. sect. 3. numero 1. & probatur quia duobus modis actus voluntatis potest esse objectum: primo quatenus per actum realiter ab eo distinctum volitus est à voluntate: secundo indirectè, & virtualiter, quatenus ipsemet actus voluntatis est volitio sui ipsius: atqui utroque modo actus internus est objectum voluntatis bonum; ergo utroque modo in illo actu reperitur bonitas objectiva.

52. Prima pars Minor. nimirum quòd actus internus ut est objectum directè volitum à voluntate, sit bonus, probatur: Amor Dei actus internus est voluntatis, & tamen habet bonitatem objectivam respectu volitionis, cujus est objectum: ergo &c. Probatur Minor, quia velle amorem Dei, honestissimum est; ergo si per unum actum voluntas reflectatur supra actum amoris, & per illum velit amorem, proculdubio actus ille qui fertur in amorem, erit bonus & honestissimus; ergo etiam amor ille, ut objectum est illius actus, habebit bonitatem objectivam, siquidem bonitas illius actus reflexi specificatur ab amore, tamquam ab objecto, quod amplius probandum est hac disput. sect. 11. subsect. 9.

53. Secunda pars, nimirum, quod actus indirectè volitus habeat bonitatem objectivam, ut est objectum sui ipsius, supponis illam quæstionem, utrum actus voluntatis sint per se ipsos virtualiter voliti, quam affirmative resolvi disput. 2. à numero 97. ad numerum 104. & per consequens cum actus sit objectum, sequitur eum esse bonum objectivè. Probatur quia amor Dei, verbi gratia, est actus honestissimus; ergo ut volitus est, etiam est honestissimus, non enim apparet causa, per quam ejus bonitas destructa fuerit; atqui ut volitus, est objectum; ergo ut objectum habebit bonestatem objectivam.

54. Dico secundo: Actus exteriores, ut objecta suor actus interioris, habent bonitatem. Ita Scot. quodlib. 18. art. 3. vers. *ad 3.* Vasques disp. 51. cap. 5. numero 21. §. *at respondebis* n. 22. §. *quare* disp. 73. cap. 20. n. 5. & n. 49. Curiel. q. 18. art. 1. dub. 2. §. 4. vers. *sed hæc.* Inouit Ripald. disp. 62 sect. 2. numero 4. Probatur, quia actus exteriores sunt voliti in genere moris, tribuuntque bonitatem actibus interioribus; ergo in se habent illam bonitatem. Consequentia patat, quia actus interiores specificantur ab illis actibus exterioribus, & per ordinem ad illos boni sunt; ergo actus exteriores illis tribuunt bonitatem. Consequentia probatur, quia ideo velle dare eleemosinam bonum est, quia illam dare bonum est. Scotus.

55. Dices: Vel hæc bonitas objectiva fundatur in entibus physicis, vel in entibus moralibus: atqui neutrum est dicendum; ergo non datur materia circa quam, quæ sit objectum bonum actus exterioris. Minor probatur de entibus physicis, primo quia negationes, & privationes habent bonitatem moralem objectivam, ut docent Suar. disp. 2. sect. 2. numero 19. Aravio q. 18. dub. 2. n. 34. vers. *ad primam probationem*, quia licet privationes & negationes sint bonæ in entitate, imò malæ, cum bonitas transcendens sit passio entis, quæ in negationibus reperiri non potest, tamen possunt esse bonæ morales, quæ bonitas fundatur in aliqua proprietate morali, ut in esse prohibito, consonat rationi non facere quod prohibetur, & tunc privatio objectiva rei prohibitæ est bona et dissonat rationi non facere quod præcipitur, & tunc privatio rei præceptæ est mala, unde hæc bonitas, vel malitia privativa sumitur ex honestate, vel malitia formæ negatæ positivæ, quæ præcipitur, vel prohibetur.

56. Secundo probatur eadem Minor de entibus physicis: Bonitas vel malitia etiam fundatur in entibus moralibus, ut docent Suar. cit. n. 15. Ægid. da Coninch. de actibus supernaturalibus disp. 2. dub. 2. n. 15. Nam esse rem propriam, vel alienam, esse præceptam vel prohibitam in rebus indifferentibus, est quid morale

non physicum, quæ moralitas multum valet ad humanos usus, quatenus manet in hominum æstimatione, juxta quam variatur judicium ad rectam rationem, nec requiritur ad objectum voluntatis major realitas, cum enim tale objectum intentionaliter media cognitione moveat voluntatem, quælibet variat æstimationem hominum, & judicium ad rectam rationem.

57. Tertio probatur eadem Minor de entibus moralibus, quia in rebus intrinsece bonis vel malis, datur vera, & realis bonitas physica, nam Deus ratione suæ infinitæ bonitatis est per se physice & realiter maximum bonum: sublevare miseriam pauperis, est bonitas physica & realis, cum illa miseria pauperis realiter sublevetur, & sic de aliis; de quo Suar. numero. 14.

Respondeo negando Minorem, utrumque enim est dicendum, videlicet dari bonitatem moralem non solum in rebus physicis & moralibus, sed etiam in privationibus, & negationibus ut bene probatum est: ac proinde aliquando datur bonitas in entitate physica, aliquando in morali, aliquando verò in negationibus.

SECUNDA PARS DISPUTATIONIS.

De Bonitate formali actuum interiorum.

58. EXplicata bonitate objectiva, à qua veluti à fonte dimanat bonitas formalis, idest actuum, per quos tamquam per formas, homo redditur formaliter bonus, ipsam bonitatem formalem investigare necessarium est, cujus radix est ipsa voluntas, à qua actus isti dimanant. Unde divus Antoninus lib. 7. numero 41. ait: *Intro respice, intus est fons boni semper scaturiens, si quid semper fodias.* [S. Antonin.]

SECTIO QUARTA.

De existenti actionis bonæ formalis.

ANtequam rationem formalem bonitatis formalis aggrediamur, videndum est utrum existat talis actio, quod in præsenti disserendum est.

SUBSECTIO PRIMA.

Utrum detur actio humana bona?

59. ANtequam bonitatis formalis essentiam speculemur, prius videndum est, an detur actio cujus ratio formalis investigatur: & de illius existentia duplex est dubium in titulo quæstionis propositum. Primum est, utrum detur actio humana bona? quæ quidem quæstio tota emendicata ex materia de gratia, ideo breviter expedienda est. Pro qua suppono primo quæstionem esse de actione in statu naturæ lapsæ, nam de actione in statu justitiæ originalis & innocentiæ, etiam apud ipsos fidei catholicæ osores, constat futuram esse actionem bonam moralem.

60. Secundo non esse quæstionem, an sine gratia actus bonus elici possit? nam in materia de gratia communiter solvunt Theologi non esse necessariam gratiam ad quodlibet opus bonum morale, precisè, & per se loquendo, hoc est abstrahendo ab aliquibus actibus perfectissimis, à tota collectione eorum, à continuatione, & similibus, de quibus in illa materia non leviter disceptatur: speciales enim sunt controversiæ nostro instituto extraneæ, sufficiat ad aliquod opus bonum non esse necessariam gratiam, ut bene docent Sot. lib. 1. de natura & gratia 120. Molina in concordia q. 14. art. 13. disp. 5. Valentia disp. 8. q. 1. puncto 3. Suar. tom. 1. de Deo lib. 2. de prædestinat. cap. 9. & tom. 1. de gratia lib. 1. à cap. 3. & communiter Theologi quos refert, & sequitur Raynaud. dist. 4. q. 2. art. 3. n. 177. Curiel 1. 2. q. 109.

61. Et ratio est, quia in opere bono non reperitur aliquid, quod naturæ vires excedat; ergo sine gratia fieri potest. Antecedens patet, quia ad opus bonum requiritur, quòd fiat secundùm dictamen rectæ rationis: atqui ad hoc satis est objectum honestum, judicium rectum, & voluntas libera, cum generali Dei concursu quæ omnia inter limites & vires naturæ continentur; ergo in actione bona non reperitur aliquid, quod naturæ vires excedat. Confirmatur, quia ad aliquod opus bonum naturali lege tenentur homines: atqui præceptum non potest esse connaturale, si opus præceptum naturæ vires excedat; ergo &c. quæ contrarii afferunt ex Scriptura sacra, Conciliis & sanctis Patribus, intelligenda sunt de bono opere Christiano, spectante ad æternæ gloriæ consequutionem, ut bene explicant Augustinus lib. 4. in Julianum cap. 3. Fulgent. lib. de incarnatione cap. 2. vel intelligenda sunt de gratia providente, quæ pertinet ad ordinem naturæ, non de evehente, providens enim semper requiritur, ut bene notavit Raynaud. cit. n. 79. [S. August. S. Fulgent.]

62. Tertio suppono quæstionem esse de statu naturæ lapsæ, infirmæ, & corruptæ post peccatum originale, & hoc sive homo sit in gratia, sive in peccato mortali, utrum scilicet omnis actio hominis sit mala? quibus suppositis; Dico primo: Non omnis actus factus à fideli, vel infideli, malus est, & peccatum, ac culpa: sed plures sunt boni. Conclusio de fide, in qua conveniunt omnes sancti Patres, & Theologi contra Lutherum, & alios hæreticos nostri temporis.

63. Probatur primo ex Scriptura sacra, in libris enim Job sæpe dicitur: In his non peccavit Job. de quo videatur Greg. Mag. secundo Moral. cap. 15. Mathei 5. ait Christus Dominus. *Ut videant opera vestra bona.* Paulus ad Corinth. 7. docet, *Qui uxorem ducit non peccat, qui autem servat Virginitatem melius facit.* Petrus in secunda canonica cap. 5. clamat *Hoc autem facientes, non peccabitis;* & sæpe alibi in Scriptura laudantur viri sancti, & ad bona opera incitantur homines. Secundo probatur ex Conciliis, in quibus diffinita est hæc veritas; videantur Trid. sess. 6. can. 7. 15. & 25. Constantiense sess. 15. Arausican. cap. 21. 12. & 23. Milevitan. cap. 3. ubi docetur per auxilium gratiæ posse fieri opera bona. [Math. c. 5. Paul 1. ad Corinth. 7. Petrus in 2. Can. 1. Tridentin. Constant. Arausic. Milevitan.]

64. Tertio probatur ex sanctis Patribus pro quibus videndi sunt Vega lib. 11. in Trid. cap. 24. Bellarm. lib. 4. de justificatione cap. 1. & 3. Valentia 1. 2. disp. 8. q. 1. puncto 5. Castro adversus hæreses tit. de operibus, hæresi prima. Probatur quarto ratione, quia post primi parentis lapsum homo non adeo destitutus mansit, ut non possit uti ratione discernente inter bonum & malum, qua uti potest, quia non semper dantur impedimenta, & si aliquando dantur, per auxilium gratiæ tolluntur.

65. Dico secundo: De fide est, non solum ab homine in gratia existente, sed etiam in peccato, fieri posse aliquem actum bonum. Hæc conclusio sæpius approbata à Conciliis, præcipue Trid. sess. 6. cap. 7. Constantiensi sess. 15. non est cur probetur, [Trident.]

betur: pro illa videantur Suarius 1. de gratia cap. 4. Castro titul. de peccato, Hæres 4. Augustin. tom. 3. lib. de spiritu & litiera cap. 27. & 28. ubi inter alia sic habet, *Nusquam adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velutj lineamenta extrinseca remanserint, unde merito dici possit in ipsa impietate vita sua, facere aliqua legis, vel sapere*

S. August.

66. Ex quibus error evellitur Calvini 2. Institutionum cap. 3. Lutheri articul. 46. pertinaciter asserentium omnem actionem hominis etiam iusti, esse peccatum, quamquàm fidelibus propter eorum fidem non imputetur ad culpam. Primum huius delirij fundamentum erat, quia omnia præcepta sunt nobis impossibilia, præcipuè illa duo, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: & illud: *Non concupisces*: atqui hæc duo præcepta versantur circa omnia opera bona; ergo cum violentur in omnibus, omnis actio erit mala. Minorem probant quia in nullo Deum rectè diligimus ut debemus, semper enim diligimus Deum cum remissione & indulgentis: & in omni opere bono concupiscimus id quod tenemur non concupiscere iuxta illud ad Galatas, *Caro concupiscit adversus spiritum*; & iuxta illud: *Sentio aliam legem in membris meis*, &c. Ergo cum non diligatur Deus, ut convenit, & in omni opere bono concupiscentia resistat, quæcumque facimus, peccata sunt contra illa duo præcepta.

Calvin. Luther. Ad Galat.

67. Respondeo negando Maiorem, damnata enim est in Trident, sess. 6. cap. 1. & Canone 18. in Arausicano secundo cap. 25. in Africano cap. 23. videndique sunt August. lib. de natura, & gratia cap. 43. Hieronymus Epistola ad Thesiphontem; Iugum enim Dei, ejusque præcepta levia, & suavia esse, testatur Dominus apud Math. 11. & Ioannem 21. Deinde Minor est falsa: nam omnia opera bona non cadunt sub illis præceptis, tum quia dantur alia præcepta ab his omnino distincta, tum quia amor Dei versatur tantum in materia charitatis; & concupiscentia in materia carnis. Tandem consequentia est falsissima, quia amor Dei perfectissimè in hac vita elici potest quoad substantiam, quod tantum est in præcepto, quòd verò tanta fiat intensione per accidens est: illud præceptum, *Non concupisces*, non prohibet motus pravos appetitus naturaliter ab eo profluentes, sed tantum prohibet ne post concupiscentias eamus, ut Scriptura testatur.

Trident. Arausic. Afric. S. Hieron. Math. 11. Ioan. 21.

68. Secundum huius erroris fundamentum ex variis locis Scripturæ sacræ desumitur. Job. 9. *Quod non iustificetur in conspectu tuo omnis vivens*, ubi Greg. *Quidquid videmur habere iustitia, si ab interno arbitrio, iudicetur, vitium potius apparebit, quàm meritum*, Similia habet Bernard. sermone 10. de omnibus Sanctis. sanct. August. sermone 49. de tempore. Deinde probant ex Psalmo 13. *Non est qui faciat bonum*. Respondetur Scripturam sacram in his, & aliis loquutionibus loqui per exaggerationem, quia adeo pravì sunt homines, ut licet aliquod bonum faciant, tamen respectu peccatorum pro nihilo reputetur eo modo, quo tanta est multitudo hominum malorum, ut quamvis aliqui boni sint, tamen præ multitudine omnes iudicentur mali: de quo August. lib. de unitate Ecclesiæ cap. 2. Hieron. Epistola 140. Vel tandem intelligitur Scriptura sacra per comparationem ad Deum iuxta illud, *nemo bonus nisi Deus*.

Iob. 9. Greg. Mag. S. Bernard. S. August. Psal. 13. S. August. S. Hieron.

SUBSECTIO SECUNDA.

Utrum hac actio sit formaliter bona.

69. MOvetur dubium propter singularem opinionem Caëtani qui 1.2. quæst. 10. art. 2. ad 3. docet in actu interiori bonitatem esse causaliter, in exteriori formaliter, quod explicat exemplo sanitatis, & medicinæ, quæ in animali est formaliter, & in medicina causaliter, quia à medicina causatur sanitas in animali: similiter una est bonitas in actu interiori, & exteriori, sed in exteriori formaliter, in interiori causaliter, quia à bonitate actus interioris causatur in exteriori.

70. Verum opinio Caët. singularis est, eam præ reliquis impugnat Suar. 1.2. tract. 3. disp. 3. sect. 2. n. 2. pro quo notandum est, tribus modis considerari posse actum humanum. Primo, ut versatur circa objectum, quod non est actus humanus, sed materia circa quam, ut amor Dei. Secundò, ut versatur circa objectum, quod quidem est actus humanus, sed non causatur necessario ab actu interiori, ut simplex complacentia dandi eleemosynam. Tertiò, versatur circa objectum, quod quidem actus humanus est, & necessario conjungitur cum actuali causalitate, ita ut & hic actus externus fiat ex vi illius actus interioris: quibus positis

71. Sit conclusio: Nullo ex his modis actus interior definit esse formaliter bonus, ac proinde opinio Caëtani veritatem non habet. Probatur 1. de primo modo, quo actus interior versatur circa objectum. Amor Dei bonus est: atqui non bonitate objecti; ergo propria; ergo formaliter. Minor probatur, quia bonitas Dei, qui est objectum, est infinita, & increata, bonitas autem amoris Dei, est finita & creata. Probatur 2. de secundo modo, quo actus interior versatur circa objectum, Actus interior non causat illum actum exteriorem; ergo jam actus interior non dicetur bonus causaliter; ergo formaliter. Antecedens supponitur, consequentia patet, quia solum dicitur actus interior (juxta oppositam sententiam) bonus causaliter, quia causat bonitatem actus exterioris: Ultima etiam consequentia probatur, quia ille actus interior est bonus, non causaliter, ergo formaliter.

71. Tertio probatur de tertio modo, quo actus versatur circa objectum: primo, quia in actu interiori duplex datur habitudo ad actum exteriorem, una ut ad objectum, altera ut ad effectum: atqui per primam, actus interior est bonus formaliter; ergo per secundam non tollitur formalis bonitas, quam habet. Minor patet, quia *actus specificantur per ordinem ad objectum*, & per ordinem ad illud habent formaliter suum esse; ergo & bonitatem, de quo amplius sect. . subsect. 7. à n. 109. Consequentia autem probatur, quia ex eo actus ille bonus est, quia causat actus interioris bonitatem, imò ideo causat illam bonitatē, quia bonus est (prius est enim esse, quàm causare) sed actus interior habet suum esse per ordinem ad objectum, & ut sic prius est, quàm causet actū exteriorem; ergo in illo priori bonus est, & quia bonus causat, & per consequens actus exterior causatus, non potest tollere bonitatem formalem actus interioris, non enim causæ dum operantur, privant se virtute causandi, quin potius illam virtutem perficiunt, qua de causa tantum abest, quod actus interior amittat bonitatem formalem, quam habet, dum causat bonitatem actus exterioris, quod per illam causalitatem perficiatur bonitas formalis actus interioris.

SECTIO QVINTA.

De essentia actionis bonæ formalis.

DAri actiones formales formaliter bonas explicuimus in superiori sect. modo investigare est necessarium, rationem formalem constitutivam formæ constituentem formaliter honestatem formalem actionis, quod in sequenti præstabo.

SUBSECTIO PRIMA.

Proponuntur varia sententia circa rationem formalem Bonitatis formalis.

73. VAriæ sunt sententiæ in hoc puncto. Prima asserit esse Bonitatis formalis rationem, modum quemdam absolutum, superadditum entitati actus liberi, distinctum ab omni respectu ad regulam rationis, sive illa sit lex, sive natura rationalis, sive recta ratio, sive objectum, quam quidem Suar. tract. 3. disput. 3. sect. 3. num. 11. Curiel. quæst. 18. art. 1. dubio 1. §. 4. attribuunt Caëtano qu. 71. art. 6. quæst. 72. art. 2. Verum Caëtan. hoc non asserit eo loco, imò oppositum, loquens de malitia citato loco art. 6. *vers. in eodem articulo*, & vers. *de ro igitur*, & citato art. 1. vers. *ad evidentiam*. Eandem sententiam attribuit Cornejo tract. 6. disput. 2. dub. 3. §. *oppositam* eidem Caët. quæst. 45. art. 3. in fine. Verum Caët. eo loco non solum de hac re non loquitur, sed nec articulum commentatur.

74. Secunda sententia asserit, rationem formalem bonitatis formalis consistere in denominatione extrinseca desumpta à regula rationis. Ita Vasques 12. disput. 73. cap. 4. numer. 15. ubi asserit hoc esse à se probatum disput. 45. cap. 2. disput. 95. cap. 9. & idem docet eadem disput. 95. cap 10. numer. 47. vers. *mihi.* cum tamen apud Vasquium prima part. disput. 155. cap. 2. & alibi, denominatio extrinseca sit relatio rationis, infra pro illa sententia adducetur. Consentit ex parte Salas tract. 7. disput. 2. sect. 5. à numero 38. docens bonitatem formalem duo includere in sua essentia, unum, respectum transcedentalem ad objectum, alterum denominationem extrinsecam, & consequenter denominationem extrinsecam esse de ratione formali bonitatis. Eamdem sententiam attribuit Montesinus disput. 22. quæst. 7. numer. 8. Durando in 2. distinct. 38. quæst. 1. attamen Durandus oppositum asserit eo loco, ut videre est num. 8. in quo nostram defendit sensentiam: eandem sententiam Araujo q. 18. art. 1. dub. 2. n. 16. vers. *secunda* attribuit Scoto, sed nec hoc somniavit Scotus, ut inferius dicam.

75. Tertia sententia, docet rationem formalem bonitatis formalis esse respectivam. Est communis sententia Doctorum; attamen inter illius Authores intestinum est bellum circa essentiam hujus respectivi, quidam enim (& sit quarta sententia) asserunt hunc respectivum esse relationem rationis, Ita Molina prima part. quæst. 5. disput. unica vers. *alio modo*, & in concordia disput. 32. vers. tertio, ubi asserit bonum, & malum esse rationis ens: Vasques citatus, præcipuè disput. 95. cap. 10. n. 46. vers. *iam verò.*

76. Quidam verò asserunt rationem formalem bonitatis esse relationem realem, & prædicamentalam (& est quinta sententia) inter actum ut subjectum, & rectam rationem, ut terminum: Ita plerique ex schola Scoti putantes hanc esse sententiam Scoti. Herrera disput. 28. quæst. 2. in tertia conclusione: Vigerius in 2. dist. 27. qu. 3. laterali vers. *quantum ad istud*, Lichetus ibi quæst. 2. vers. *quantum ad istud.* Bargius ibi qu. 3. Orbelis ibi vers. *his præmissis.* Tattaretus quod libeto 18. vers. *de primo* iuxta finem. Sequuntur eandem sententiam Angestus, Almaynus, Conrad. sic credendum Cornejo tract. 6. q. 2. dub. 2. vers. *contra.*

77. Alij denique (estque ultima sententia) docent bonitatis formalis rationem consistere in relatione transcendentali actus. Ita D. Thom. D. Thom. quem sequuntur ferè omnes Thomistæ, Caët. 1. 2. q. 71. art. 6. vers. *in eodem* art. & vers. *de ro igitur*, & qu. 71. art. 1. vers. *ad evidentiam*, & alibi: Ribald. 1. p. quæst. 43. art. 2. vers. 4. *observandum.* Curiel. citatus dub. 2. §. 3. in ultima conclusione Conrad. quæst. 18. art. 1. ubi Araujo numer. 27. Zumel quæst. 71. art. 6. disput. 1. conclusione 3. Montesin. disput. 22. quæst. 6. §. 4. num. 75. & qu. 7. num. 82. Cornejo tract. 6. dub. 2. in 3. conclusione. Suar. disp. 10. Met. sect. 2. à n. 11. & 22. tract. 3. disp 3. sect. 5. 4. & 6. Salas tract. 7. disp. 2. sect. 3. & 4. Becanus p. 2. summæ tract. 2. cap. 4. q. 1. n. 2. Layman lib. 1. tract. 2. cap. 7. n. 2. Azor. 1. p. lib. cap. 1. Filiucius tract. 21. n. 87. Arriaga 1. 2. disp. 14. à sect. 2. Granad. 22. tract. 9. controvers. 2. disput. 2. à num. 7. Pesantius 1. 2. quæst. 19. Tuensur Herice 1. p. disp. 27. cap. 3. n. 30. Sairo in clavi regia lib. 1. cap. 1. num. 3. vers. *ex his* & n. 9. Ægidius de Coninch de actibus disp. 3. dub. 1. n. 27. Albertinus in primo principio dub. 3. num. 1. vers. *sed &c.* Corolario 18. ex primo principio Philosophico n. 5. vers. *sed hic*, & n. 74. & 81. Petrus à S. Ioseph in idæa Theologiæ moralis lib. 2. de peccatis cap. 1. resolut. 2. estque communem inter Thomistas, docent Carmelitani 2. 2. tract. 11. disp. 2. dub. 3. §. unico num. 19.

SUBSECTIO SECUNDA.

Ostenditur contra primam sententiam, rationem formalem bonitatis formalis non consistere in aliquo absoluto.

78. VT tamen veritatem quæ in prædictis sententiis reperitur: explicemus, sequentes statuendæ sunt conclusiones. Prima sit: Bonitas formalis non consistit in illo modo absolutè, quem ponebat prima sententia. Hæc conclusio probata supra disp. 2. à n. 141. dum ostendimus moralitatem non consistere in prædicto modo, & sit prima probatio. Moralitas formalis non consistit in aliquo modo absoluto; ergo nec bonitas. Secundo: Bonitas formalis convenit actui, ut actus est; sed de essentia actus est tendentia ad objectum, & de essentia actus boni, est ordo ad objectum conforme rationi; ergo Bonitas formalis non potest esse modus aliquis absolutus ab omni extrinseco independens. Tertio, quia de ratione bonitatis est, quòd sit alteri conveniens; ergo semper secum defert conformitatem cum eo, cui est conveniens.

79. Dices primo: Bonitas formalis non est relatio realis prædicamentalis, nec etiam rationis, ut sequentibus conclusionibus est probandum; ergo est quid absolutum. Resp. negando consequentiam, est enim relatio transcendens. Instabis: Ille actus simpliciter est absolutus; ergo non est relatio transcendens. Antecedens probatur, quia omne relativum habet correlativum: atqui actus nullum habet correlativum; ergo non est relatum transcendens, sed quid simpliciter absolutum. Respond. negando Antecedens, pro quo

notandum est, absolntum dupliciter dici posse: primò simplicirer, ita quod in se nullam dicat rationem ad extrinsecum, ut Deus, Angelus, homo: secundò, secundùm quid, idest, taliter est absolutum, ut egeat aliquo extrinseco, ut potentia, habitus, actus, qui specificantur ab extrinseco, ut à termino, non quidem puro, & gratis, sed ut effectu, aut ut objecto, de quo disp. 2. n. 188. Actus ergo absolutus est, sed secundùm quid, dicens ordioem essentialem ad objectum, ut ad quid essenoale, quo eget ad sui existentiam.

80. Dices secundò: In actu bono datur relatio, vel ad objectum conforme, vel ad cnoformitatis regulam: atqui quælibet relatio, sive simpliciter, sive secundùm quid, præsupponere debet aliqnod absolutum, ut fundamentum sui; ergo io illo absoluto, bonitas formalis consistit. Major constat. Minor probatur, quia una relatio in alia non fundatur, aliter daretur processus infinitus, ut docent communiter Doctores in Met. 2. quia commune est omni relationi præsupponere fundamentum absolutum. Consequentia verò patet primò, quia actus est conveniens rationi, ratiune absoluti: ergo ratione absoluti bonus erit; secundò, ratione absoluti, actus est in se bonus & honestus secundùm rectam rationem; ergo bonus bonitate absoluta: tertiò, quia illa bonitas absoluta est fundamentum bonitatis relativæ moralis, ergo illa bonitas absoluta moralis est. Probo consequentiam, quia solum fundamentum morale fundare potest rationem moralem.

81. Resp. duplicem relationem considerari posse in actu bono, unam transcendentalam, alteram purè relativam, (quam, sive sit rationis, sive realia, liceat modo appellare prædicamentalem:) ista debet præsupponere absolutum, ut fundamentum: illa est ipsamet substantia actus. Qoare in forma respondeo ad argumentum, concedo majorem, distinguo minorem: atqui quælibet præsupponere debet aliquid absolutum, si fuerit prædicamentalis, concedo: si fuerit transcendentalis, nego; deinde concedo consequentiam, quia si est relatio prædicamentalis, supponit actum perfectum, & bonum in genere moris; quia actus ille jam est per habitudinem ad objectum, formaliter bonus.

82. Ad Minoris probationes, in qnantum faciunt contra responsionem. Respondeo ad primam; Primò posse negari antecedens, & quidem probabiliter cum Scoto in 4. dist. 6. q. 10. dist 11. q. 1. n. 8. vers. *Respondeo*. Smising. tomo 2. de Deo disp. 2. qu. 3. num. 84. Sema in Logica disp. 3. q. 3. art. 3. dubio 9. 11. & aliis. Secundò oegando consequentiam, nam relatio transcendens non est pura relatio, sed aliquid absolutum, ideoque potest esse fundamentum relationis puræ subsequutæ inter actum, & objectum, vel inter actum & relationem. Ad secundam distinguo antecedens, commune est omni relationi prædicameotali præsupponere fundamentum absolutum, concedo; transcendentali, nego, nam relatio transcendentalis est eademmet substantia actus ab ipso actu omnino indistincta.

Scotus.

83. Dices tertiò: Licet bonitas delectabilis importet relationem ad appetitum, & bonitas utilis importet relationem ad finem, neutra tamen in relatione, sed in absolnto consistit; ergo similiter bonitas honesta. Resp. negando antecedens, si sermo sit de relatione transceodentali, nam esse bonum delectabile, nihil aliud est, quam objectum ita esse conveniens appetitui, nt appetitus ex rebus perceptis delectetur: ntile nihil aliud est, quam medium esse proportionatum fini, ac proinde tam bonitas delectabilis quam utilis, consistit in relatione transcendentali, quæ quidem quid absolutum est, non simplicirer, sed secundùm quid. Quod si sermo sit de relationa prædicamentali, quæ fortasse consequitur, tunc concedendum est antecedens, sed illud absolutum in quo consistit, est ipsummet respectiuum transcendena. Ita citatus Curiel §. 8. Cætera argumenta soluta sunt disp. 2. à num. 146. cum similem quæstionem de moralitate ex posuimus.

SUBSECTIO TERTIA.

Ostenditur contra secundam sententiam, rationem formalem bonitatis formalis non esse denominationem extrinsecam.

84. Secunda conclusio, Bonitas formalis non consistit in denominatione extrinseca, ut secunda sententia asserebat: conformis est hæc doctrina alij. Sed quia argumenta, quæ probant moralitatem non consistere in denominatione extrinseca, non convincunt de bonitate, ideo aliter probanda est conclusio, argumentis nimitum quibus utitur Montesin. disp. 22. qu. 7. n. 85. & priùs usus fuit Curiel. citat. §. 5. à quibus ea accepi, Corneio citat. dub. 9. q. io secunda conclusione.

85. Primò, quia bonitas formalis est tendentia ad objectum conforme rationi: atqui tendentia actus ad objectum, non est denominatio extrinseca: ergo ratio formalis bonitatis non consistit in denominatione extrinseca. Majorem suppono ex infra dicendis: Min. probo primò, quia tendentia actus ad objectum in esse naturæ, non est denominatio extrinseca; ergo nec tendentia actus ad objectum in esse moris, eadem enim utrobique ratio est. Antecedens patet, quia tendentia actus ab ipsomet actu non distinguitur, cum sit idemmet actus tendens. Secundò, quia veritas formalis propositionis mentalis, non est denominatio extrinseca, eo quod est ordo actus ad objectum; ergo similiter bonitas formalis actus, non erit denominatio extrinseca, quia est teodentia, & ordo actus ad objectum.

86. Probatur secundo, quia ex opposito, sequeretur Deum non esse causam physicam bonitatis moralis; eodemque modo Deum esse causam bonitatis, atque est causa malitiæ: hoc antem est absurdum; ergo & illud ex quo sequitur: Sequela probatur, quia licet Deus sit causa physica actus, ad quem sequitur malitia formalis, non tamen est causa malitiæ; ergo similiter, licet Deus sit causa actus materialis, ad quem sequitur bonitas moralis, non tamen erit causa bonitatis. Consequentia probatur, quia ideo Deus non est causa malitiæ formalis, quia suo influxu ad malitiam non concurrit, nec malitia capax est ut à Deo fiat: atqui si bonitas formalis est denominatio extrinseca, Deus suo influxu physico bonitatem formalem non attingit, nec bonitas capax est ut à Deo fiat; ergo sequeretur ex opposito Deum non esse causam bonitatis, & eodem modo concurrere ad bonitatem, atque concurrit ad malitiam.

87. Minor in qua est vis argumenti, probatur, quia denominatio extrinseca non causatur nisi ab eo, à quo causatur res secundùm illam rationem, secundùm quam ad illam sequitur denomioatio extrinseca: atqui Deus non est causa physica actus humani secundùm eam rationem, secundùm quam ad ipsum consequitur hæc denominatio extrinseca, in qua iuxta contrarios consistit bonitas moralis; ergo nec erit causa ipsius denominatio-

nis, sive bonitatis. Maior constat exemplis, quia color extrinsece denominatur visus, cujus denominationis solus oculus est causa, eo quod denominatio illa consequitur ad visionem, præcisè secundùm eam rationem, qua elicitur à principio vidente, ut videns est, & quia Deus non est causa illius visionis, ut principium videns, quamquàm Deus sit causa illius actus, non tamen est causa illius denominationis, quia non causat actum secundùm eam rationem, secundùm quam ad eam cõsequitur denominatio illa, & sic de aliis denominationibus desumptis ab actibus potentiæ cognoscitivæ. Minor probatur, quia hæc denominatio, actus *bonus est*, consequitur ad actum humanum, ut liber est, & subjectus regulæ morum, quod quidem totum habet, ut est à libero arbitrio præcisè, & iuxta Vasqulum relatum, Deus non est causa libertatis secundùm eam denominationem libertatis, & iuxta contrarios Deus eodem modo concurrit ad actum liberum, & necessarium.

88. Confirmatur, quia denominatio extrinseca non habet propriam causam efficientem, siquidem postquam res, quæ denominatur extrinsecè, posita est in rerum natura, & posita etiam est forma denominans, subsequitur denominatio extrinseca, circa quam non potest intelligi novus effectus, nec concursus novus, & per consequens ad illam non datur propria causa efficiens, quæ suo influxu specialiter producat illam denominationem; ergo si bonitas formalis est denominatio extrinseca, Deus concursu suo, quo concurrit in genere causæ efficientis, non attinget bonitatem, nec illius erit causa.

89. Dices Deum diverso modo concurrere ad actum bonum atque ad actum malum: nam ad actum bonum concurrit consulendo, præcipiendo, & illustrando: ad malum nullo ex his modis concurrit: ac proinde benè potest esse causa bonitatis non malitiæ. Sed contra, quia ille modus concurrendi, solum est moralis, ex quo tantum sequitur Deum esse causam moralem bonitatis, non verò physicam. Dices verum esse Deum non esse causam physicam bonitatis formalis, hoc tamen nullũ esse inconveniens dummodo sit causa moralis bonitatis. Sed contra hoc argui supra disput. 2. à num. 188. & amplius patet, quia negari non potest Deum concursu physico, & speciali attingere actus supernaturales, aliter causa naturalis, id est, voluntas esset causa totalis & completa actuum supernaturalium, quod tamen nullus sanæ mentis Theologus affirmabit.

90. Tertio probatur conclusio ex argumento desumpto ex actibus supernaturalibus, quia actus supernaturalis, ut bonus & moralis est, supernaturalis est: atqui supernaturalitas non est denominatio extrinseca: ergo nec bonitas supernaturalis. Min. probatur, quia supernaturalitas illa nõ sequitur ad actum secundùm eam præcisè rationem, qua actus procedit à libero arbitrio. Tum quia iuxta Vasquij constantem doctrinam actus dilectionis Dei, est forma, qua formaliter justificamur, & non sanctificamur per illam nisi qua supernaturalis est: sed per denominationem extrinsecam nullus sanctificatus intrinsecè, & formaliter; ergo supernaturalitas esse non potest denominatio extrinseca.

SUBSECTIO QUARTA.

Ostenditur rationem formalem Bonitatis formalis, non consistere in relatione rationis.

91. Ex qua conclusione sic probata, satis probatur contra quartam sententiam, rationem formalem bonitatis formalis non esse relationem rationis, quæ quidem sententia probata est supra disput. 2. à numero 174. & ibi etiam soluta sunt argumenta, quæ obstare possent huic resolutioni. Ampliusque probatur quia Deus non efficit relationes rationis, ut docent Vasques 1. p. dispur 115. disput. 118. cap. 4. numer. 7. Suar. tomo de Deo tract. 1. lib. 1. c. 13. n. 6. tract. 3. lib. 4. cap. 4. num. 17. Molina 1. p. qu. 28. art. 2. disput. 3. vers. *consumpto*, Herice 1. p. tract. 1. disput. 8. cap. 1. n. 2. estque communis Philosophorum, quos refero in cursu philosophico tract. de ente rationis: ergo similiter non esset Deus causa bonitatis formalis.

Et confirmatur, quia ex opposito Deus non cognosceret bonitatem formalem actuum humanorum, hoc autem est absurdum; ergo & illud ex quo sequitur. Maiorem concedere tenetur Vasquius cit; siquidem negat Deum cognoscere entia rationis, eo quòd si illa cognosceret, etiam illa fabricaset. Minor autem constat, quia jam Deus præmiaret bonitatem actuum, quam non cognoscit, cæcoque modo præmia conferret, merita discerneret, & bonitatem actuum iudicaret.

92. Objicies: Tam bonitas quam malitia pendet à voluntate, & ab institutione aliena; ergo jam vel erant denominationes extrinsecæ, vel relationes rationis. Consequentia patet, quia nec voluntas, nec institutio aliena possunt intrinsecè mutare actum. Antecedens autem probatur in bonitate, vel malitia actuum indifferentium ex objecto. Venditio enim frumenti, deambulatio in claustro, & similia, ex sola voluntate legislatoris dependent. Deinde malitia actus iure naturæ prohibiti, ut adulterium, ex voluntate conjugum ad matrimonium requisita dependet.

93. Resp. distinguendo antecedens: tam bonitas, quam malitia dependet à voluntate aliena, immediatè, nego; mediatè, concedo: Ut autem aliquid dependens à voluntate aliena sit ens rationis, vel denominatio extrinseca, debet dependere immediatè, non verò mediatè à voluntate aliena: ideo enim significatio vocis, dignitas magisterij, doctoratus, & similia, sunt denominationes extrinsecæ, vel entia rationis (de quo non disputo) quia proximè & immediatè dependent à voluntate, & institutione alterius: at verò bonitas, vel malitia non dependent immediatè, sed mediatè; medio scilicet objecto; prius enim objectum fit bonum, sive ratione legis, sive consensus, deinde actus terminatur ad objectum, & jam habitudo illa actus ad objectum, est realis, dependens mediatè à voluntate alterius, id est, ideo dependet à voluntate alterius, quia terminatur ad objectum dependens immediatè à voluntate aliena. Exemplum sit vox, *Petrus*, quæ ut significat naturam Petri, est relatio rationis, sive denominatio extrinseca, quia immediatè dependet ab institutione hominum, posità autem institutione conceptus Petri, naturaliter Petrum significat, quia dependentia, quam habet conceptus ab institutione hominum, est mediata, & remota mediante scilicet voce, *Petrus*, quæ immediatè ab institutione illa dependet.

94. Instabis: Eodem modo mutatur actus, sive ex lege, sive ex voluntate alterius, sive ex

alio capite, atque mutatur objectum: sed in objectis mutatio illa, vel est denominatio extrinseca, vel relatio rationis; ergo etiam in actibus. Respondetur negando Majorem, nam objectum ex vi solius voluntatis alienæ, & cum immediata dependentia ab illa mutatur: actus vero mutatur mediate, posita nimirum mutatione in objecto, quo mediante à voluntate dependet. Ex qua solutione soluta manent quæcumque argumenta, quæ pro contraria sententia fieri possunt, & videri possunt quæ diximus citata disp. 2. numero 176.

SUBSECTIO QUINTA.

Ostenditur rationem formalem Bonitatis formalis, non esse relationem realem.

95. Dico 3. Bonitas non consistit in relatione aliqua reali prædicamentali superaddita actui ut fundamento. Probatur primo, quia relatio illa conformitatis inter actum, & rectam rationem superflua est. Probatur quia actus solum in obliquo respicit rectam rationem, & in recto objectum; ergo una tantum sufficit relatio nimirum inter actum, & objectum. Dices: Omnis actus respicit suam mensuram in recto: sed recta ratio est mensura actus boni; ergo actus bonus in recto respicit rectam rationem. Respondetur distinguendo Minor. Recta ratio est mensura actus boni immediata, & in recto; nego Minor. in obliquo & mediata, concedo: nam mensura recta & immediata actus boni, est ipsum objectum, eo quod sit causa extrinseca specificativa ipsius actus, recta verò ratio est mensura immediata objecti, illud dictans, vel iudicans, respectu cujus dicitur mensura actus.

96. Secundo, data illa relatione, non potest in ea consistere ratio formalis bonitatis. Probatur quia fundamentum illius relationis est actus bonus, terminus recta ratio; ergo prius actus est bonus, quàm adveniat talis relatio; ergo in illa non consistit bonitas formalis, aliter daretur denominatum sine forma denominante. Ant. probatur, quia relatio supponit extrema in suo esse constituta: atqui extrema hujus relationis sunt actus, & recta ratio; ergo illa relatio jam supponit actum in bonitate formali constitutum; cum ante illam relationem specificetur ab objecto bono, & regulato per rectam rationem.

SUBSECTIO SEXTA.

Defenditur rationem formalem Bonitatis formalis esse respectum transcendentalem.

97. Dico quarto: Bonitas formalis consistit in ordine transcendentali ad objectum consonum suæ regulæ, ita sexta & communis sententia, quæ quamvis satis probata maneat ex dictis disp. 2. à numero 188. amplius probatur, quia actus moraliter bonus dicit ordinem ad objectum conforme suæ regulæ, saltem prius ratione, quàm ad aliquid aliud: sed ut dicit talem ordinem præcise, est moraliter & formaliter bonus; ergo in illo ordine consistit. Consequentia patet, quia effectus formalis non est prior sua causa formali. Major probatur, quia ex eo actus est conformis suæ regulæ, quia tendit in tale objectum, & illa tendentia est causa conformitatis inter actum, & regulam; sed causa est prior effectu; ergo prius actus dicit ordinem ad objectum, quàm ad aliquid aliud. Major principalis argumenti probatur, quia ille actus, verbi gratia, amor Dei, in illo prior accipit à suo objecto aliquam speciem; sed hæc non est mali; ergo boni.

98. Dices actum sumere speciem ab objecto in genere naturæ, non moris: sed contra, quia actus sumit speciem ab objecto: hoc autem est bonum, & morale; ergo & species. Minor probatur primo, quia objectum est consonum rationi; ergo bonum & morale. Secundo, quia objectum illud est causa conformitatis moralis in actu; sed effectus moralis postulat causam moralem; ergo objectum illud, ut tribuit speciem actui, est morale. Tertio quia principium, ut causat actum, & tendit ab objectum, est morale, id est voluntas subjecta regulæ rationis; ergo actus quem causat, moralis est.

99. Secundo probatur conclusio: Moralitas consistit in ordine ad objectum, ut abstrahit à conformi, vel difformi; ergo bonitas consistit in ordine ad objectum conforme regulæ rationis. Cõfirmatur, quia in illo constituenda est ratio formalis alicujus, quod est illi magis essentiale, & distinctivum: atqui nil est magis essentiale actui bono, quàm tendentia ad objectum, per quam distinguitur ab omni alio actu; ergo in illa constituenda est ratio formalis bonitatis. Major patet, quia per eamdem differentiam, per quam constituitur, per eamdem distinguitur ab omni alio. *Idem enim est esse constitutivum, atque distinctivum*, homo enim per eamdem differentiam rationalem constituitur in esse hominis, & distinguitur ab omni alio animali, & per consequens hæc differentia est maxime essentialis homini, non quod sit magis de essentia hominis, quàm animal, sed quia est magis specialis. Minor autem probatur, quia tendentia ad objectum, est adeo essentialis actui, ut sine illa esse non possit, nec intelligi potest actus in ratione actus sine illa tendentia, & per hanc distinguitur ab omni alio, quod non est actus; & cum actus specificetur ab objecto, per tendentiam ad illud constituitur in esse specifico. Consequentia etiam manifesta est, quia si tendentia actus in objectum est ratio constitutiva, & distinctiva actus, tendentia in objectum bonum conforme rectæ rationi, erit differentia constitutiva actus boni.

100. Dices: Moralitas sumitur ab objecto, ab objecto sumitur bonitas, ab eodem sumitur malitia, imo & esse naturale: ergo tendentia in objectum non potest esse ratio formalis specificativa actus boni. Antecedens patet ex supra dictis de moralitate, & ex infra dicendis de malitia. Consequentia probatur quia quod est specificativum unius, est simul distinctivum: atqui moralitas, esse naturæ, malitia, & bonitas actus, conveniunt in ratione tendentiæ ad objectum; ergo tantum abest, quod tendentia ad objectum, sit ratio specificativa, & distinctiva bonitatis, quod potius est ratio, in qua convenit cum aliis.

101. Respondetur distinguendo consequens; ergo tendentia in objectum sic in communi, & absolutè, non potest esse ratio, formalis bonitatis, concedo: tendentia in objectum conforme, nego. Ad probationem distinguo Minor. conveniunt in ratione tendentiæ absolutè, & in communi, concedo: determinatè, nego; quamquam enim omnes actus voluntatis conveniant in ratione illa communi tendentiæ, siquidem omnes actus sunt tendentiæ, specificantur tamen per rationem tendentiæ determinatæ, per quam unusquisque actus specificatur, & in suo esse constituitur.

102. Pro quo notabis ex doctrina Cutiel. citat. §. 5. vers. *ad primam*, Cornejo disp. 2. dub. 1. in fine, in quolibet actu dari ordinem transcendentalem ad objectum, per quem constituitur in suo esse, & illum ordinem in se continere plures gradus essentiæ, quos appello ordines inadæquatos; nam in esse naturæ actus dicit ordinem ad objectum, qui est essentialis actui, & præsupponitur alteri ordini morali, prius prioritate naturæ, inadæquatus enim est ille ordo actui, & prius consideratur in esse actui, qnam gradus moralitatis: iste autem gradus motalitatis est alius ordo ad objectum inadæquatus, præsuppositus ordini inadæquato morali booo subalterno, in quo consistit bonitas in communi: qui ordo prius consideratur, quam alius ordo inadæquatus, in quo consistit bonitas specifica infima, & iste etiam ordo prior est alio ordine inadæquato, in quo consistit bonitas essentialis numerica, & omnes isti ordines desumuntur ab objecto, non quidem materialiter, sed formaliter secundùm diversos respectus, quos dicit ad rationem juxta ea, quæ late docui disp. 2. à numero 171. & dicam numero 269. etenim cum omnes isti otdines sint inadæquati, sunt veluti gradus essentiæ, subordinati, constituentes unum otdinem, & essentiam adæquatè.

103. Ac proinde genus natoræ sumitur ab objecto in esse naturæ, genus moris sumitur ab objecto per ordinem ad rectam sationem, abstrahendo à conformitate, vel difformitate; bonitas subalterna sumitur ab objecto conformi rectæ sationi, abstrahendo à certa materia: bonitas specifica sumitur per ordinem ad objectum conforme rectæ rationi in materia certa: verbi gratia Justitia; bonitas numetica sumitus pes ordinem ad tale objectum numericum, & omnes isti otdines, cum sint adæquati gradus illius actua constituont rationem adæquatam actus; quod exemplo relationis explicari potest. Paternitas enim dum refertur ad filium eadem omni adæquata, continet varios gradus essentiæ inadæquatos, nimirum gradum relationis in communi subalternum, disquiparantia infimum Paternitatis, numericum talis paternitatis. Ex quibus omnibus clarè constat genus naturæ, moris, & bonitatis non confundi in eodem actu, sed esse subordinatum unumqnodque alii, ut gradus relationis non confunduntut in eadem relatione, & similitet alii gradus essentiæ reperti in quocumque individuo, non confunduntur io illo, sed illud componunt.

SUBSECTIO SEPTIMA.

Exponitur terminus relationis transcendentalis, in qua constituta est ratio formalis bonitatis.

109. Licet relatio transcendens non habeat terminum putum, habet tamen suum terminum, qui est objectum in actibos, vel effectus in causis, & quamvis constet terminum hujus relationis transceodentalis, in quo bonitas formalis consistit, esse objectum, non tamen constat cui regulæ debeat conformari objectum, quatenua terminus est illius relationis, & de hoc excitatur præsens quæstio.

110. Pro qua notandum est, ut actus consideratur secundùm diversas tendentias inadæquatas ad objectum, ita etiam objectum considerari secundùm divetsas rationes formales ad rectam rationem, ut jam ex parte tactum est disp. 2. à numero 171. & infra dicendum est numeto 269. & ratio est quia cum actus accipiat speciem ab objecto, & sit eademmet tendentia ad illud, tot erunt inadæquatæ tationes ex patte objecti, quot tendentiæ ad illud. Cum ergo actus ille constituatut primo in esse naturæ, secuodo in esse motis, tertio in esse boni, vel mali subalterne, quarto in esse moris specificè in specie infima, quinto in esse moris numericè, sexto in genere accidentali circumstantiarum: etiam objectum tot modis erit attingibile ab actu, primo in esse naturæ, secundo in esse motis ut absolutè segulatur; tertio ut conforme; quarto ut conforme; in tali materia, quinto ut conforme in hac numero materia, & huic numero principio, sexto ut vestitum est citcumstaotiis.

111. Exemplum sit castitas, quæ habet suum esse physicum, & ejusdem speciei cum ea, quæ servatur ab amente, specificatque actum in esse naturæ. Secundò segulari potest à recta ratione abstrahendo à conformitate, vel difformitate cum illa, specificatque actum moralem communem. Tertio conformari potest cum recta ratione, specificatque actum bonum genericè, sive subalterne (de quo hîc est sermo). Quarto eadem castitas conformari potest cum recta ratione io tali materia; verbi gratia, conjugali, specificatque actum bonum in specie infima. Quinto cooformari potest cum recta ratione per ordinem ad hanc numero materiam, & ad hoc numero principium, specificatque bonum numericum essentialiter. Taodem conformari potest in tali, vel tali circumstantia, & addit bonitatem accidentalem actui. Quibus notatis,

112. Est modo quæstio cui debeat conformari objectum, ut actua ad illud terminatus sit bonus: Doctores enim fere omnes, qui nobiscum sentiunt bonitatem formalem consistere in relatione transcendentali actus ad objectum, differenter loquuotur, quidam enim asserunt objectum debere conformari cum recta ratione; quidam vero, cum natura rationali: sed si eorum dicta expendantur, non dissentiunt intet se: nam qui affirmant esse conformitatem cum natura rationali, intelligendi sunt (imo ipsi se exponunt) de regula remota, nam proxima, est recta ratio; remota, natura rationalis: eo modo, quo Vasques, licet toties asseveret bonitatem formalem esse relationem convenieotiæ, quam actus habet com oatura ratiooali; dicit tamen esse remotè, ut cum fundamento & radice; ita disp. 95. cap. 3. numero 6. vers. *ex dictis*. Eamdem sententiam docet Franciscus de Lugo in decursu prævio ad Theologiam motalem p. 2. cap. 8. q. 1. n. 3. & merito, quia actus non tendit in objectum nisi ut apprehensum; ergo prius intellectus regulat objectum, quàm natura rationalis.

113. Ex quo deducitur primo bonitatem formalem nil aliud esse quàm relationem transcendentalem ad objectum conveniens, & conforme rectæ rationi; hæc enim est proxima regula actuum moralium bonorum, ideo namque actus est honestus, quia intellectus dictat objectum esse honestum; sive honestum sit à parte rei, sive non, ut appatet in dictamine erroneo invincibili de quo supra n. 25.

114. Dices: Ideo intellectus dictat objectum esse honestum; quia objectum in se conveniens est naturæ rationali. Respondetur negando antecedens, imo multoties dictat ratio esse honestum

objectum, quod à parte rei disconveniens est naturæ rationali, ut in dictamine erroneo apparet, & actus voluntatis qui versatur circa tale objectum, est honestus & meritorius, ut dicendum est tom. 2. disputatione 6. cum Corduba lib. 2. quæstione 23. p. 2. propositionis, Suar. t. 2. disp. 12. tract. sect. 4. numero 8. Vasques disp. 58. cap. 1. disp. 60. cap. 3. Sanches primo decalogi cap. 11. numero ultimo; Granad. controv. 2. tract. 12. disp. 7. sect. 1. n. 5. & aliis.

115. Instabis: Quocumque modo intellectus dictet illud objectum esse honestum, semper dictabit esse conveniens naturæ rationali, etiamsi in re, & à parte rei sit illi disconveniens. Respondetur negando ant. non enim necessaria est talis reflexio super objectum, ut conveniens naturæ rationali, ad hoc, ut operatio honesta sit, aliter quicumque sine illa reflexione operarentur, non operarentur bene, sed malè, & per consequens ferme omnes actiones Christianorum forent peccata, quia ferme omnes sine tali reflexione operantur.

116. Deducitur secundo, huic regulæ, scilicet rectæ rationi regulam proximiorem in linea morali, esse convenientiam cum lege, vel consilio, quæ quidem ponitur ex parte objecti, quod semper apprehenditur sub lege vel consilio: quando enim intellectus quærit causam honestatis objecti in linea morali, est lex, vel consilium, per quæ prius objectum constituitur in esse morali quasi efficienter juxta dicta disput. 2. sect. 11. numero 148. & disput. 3. numero 39. & postea formaliter constituitur morale per rectam rationem.

117. Deducitur tertio, regulam, cui primò conformatur objectum, post has regulas, esse naturam rationalem, ideo enim intellectus judicat objectum præceptum esse honestum, quia conveniens est naturæ rationali: & cum ideo judicet conveniens esse naturæ rationali, quia divinis attributis conveniens est, ideo divina attributa regulant illud objectum, post naturam rationalem, & quia ideo est conveniens illud objectum divinis attributis, quia in se talem habet perfectionem, ideo radix bonitatis in esse naturæ est ipsa perfectio absoluta objecti, de quo satis supra numero 41.

SUBSECTIO OCTAVA.

Quid senserint Angelicus, & Subtilis Doctor circa rationem formalem bonitatis formalis.

TAntum pondus authoritatis attribuunt opinionibus illa duo Ecclesiæ luminaria, ut sine alterius ope, quod quilibet senserit, maxima cum probabilitate sustineri non possit, & cum varia sit Doctorum mens circa id, quod uterque sensit de essentia bonitatis formalis, ideo speciali quæstione dignissimum visum fuit utriusque judicium explicare.

118. Et prima fronte videtur uterque Doctor sentire bonitatem formalem consistere in aggregatione & concursu eorum omnium, quæ secundùm rectam rationem requiruntur ad alicujus actus perfectionem, cum carentia eorum, quæ possunt illum actum inficere: sive quod idem est, in integritate actus, idest, in aggregatione causæ, objecti, finis, & circumstantiarum: sicut enim pulchritudo, & decor quidam rei naturalis, completur per hæc omnia, ita etiam bonitas moralis, quæ pulchritudo, & decor quidam est actus in esse naturæ, complebitur in sua perfectione per integritatem eorum omnium, quæ conveniunt actui.

119. Hæc videtur sententia Angelici Doctoris 12. q. 18. art. 1. 2. & 4. in corpore, ubi post numerata requisita ad hoc, ut actus sit moraliter bonus, causam scilicet, objectum, finem, & circumstantias art. 4. *ad tertium* ait: *Non tamen est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant, quilibet singularis defectus causat malum*, asseritque bonitatem conflari ex illis omnibus, & esse plenitudinem essendi, quæ nil aliud est, quam concursus omnium quæ ad eam requiruntur. Eamdem doctrinam habes in 2. dist. 36. art. 5. in corpore. D.Thom.

120. Subtilis vero Doctor expressius docet bonitatem formalem consistere in illa collectione causæ, objecti, finis, & circumstantiarum: ita in 1. dist. 17. q. 1. numero 3. vers. *quantum* n. 12. vers. *Respondeo*; & in 2. dist. 40. numero 3. vers. *de secundo*. *Dico quod bonitas actus moralis est in aggregatione omnium convenientium actui*, idest ut ipse se explicat, causæ, objecti, finis, & circumstantiarum, & quodlibeto 18. art. 1. per totum: quo sensu eum sequuntur discipuli, Bargius in 1. dist. 26. citatus à Curiel. q. 18. art. 2. dubio 2. §. 2. Lichetus in 1. dist. 17. q. 2. fol. 213. vers. *quantum*, & vers. *ad secundum*; & dist. 40. vers. *Respondet Doctor*: Viger. in 1. dist. 17. fol. 141. columna 4. vers. *quantum*, Faventin. in 4. disp. 1. cap. 1. Herrera disp. 28. q. 4. §. 2. q. 5. §. *quinta*. Hanc etiam sententiam sequitur Gabriel in 2. dist. 7. & in 3. dist. 26. q. 1. art. 1. notabili 3, teste Curiele citato. Scotus.

121. Ut veritas hujus sententiæ, & Doctorum mens aperiatur, notandum est quinque modis intelligi posse hanc sententiam. Primò ut bonitas formalis formaliter nihil aliud sit, quam eorum collectio, ita ut formalis bonitas formaliter sit illa omnia: in quo sensu defenditur à Valentia disp. 2. q. 13. puncto primo. Secundo ut bonitas formalis causaliter consistat in illa collectione, id est quod ab illis omnibus aggregatis formalis bonitas causetur, in quo sensu eam defendunt Curiel. cit. §. 2. in 1. conclusione, Cornejo disp. 2. dub. 1. Tertio ut solum sit habitudo causæ, objecti, finis & circumstantiarum ad actum. Quarto ut bonitas formalis sit habitudo actus ad illam collectionem, sive ad illa omnia requisita. Quinto ut præter hanc habitudinem intrinsecam actui, bonitas formalis requirat aliam extrinsecam ex parte horum convenientiam terminatam ad actum, quæ est sententia Salas tom 2. in 1. 2. tract. 3. disp. 2. sect. 5. n. 41.

122. Videamus igitur in quo sensu vera sit, aut falsa prædicta sententia. Dico primo: Non potest bonitas formalis formaliter consistere in illa aggregatione, sive in illis omnibus aggregatis, qui erat primus sensus, ita communis Doctorum sententia. Probatur primo, quia bonitas formalis realiter distinguitur ab illa collectione, ergo non est eadem formaliter cum illa. Antecedens patet primo, quia bonitas est differentia constitutiva actus moralis in specie determinata; ergo est conceptus simplex, atqui illa collectio est unum per accidens per aggregationem; ergo bonitas ab illa collectione realiter distinguitur. Secundo, quia actus in esse naturæ, & illius bonitas transcendens realiter distinguitur ab objecto; ergo etiam actus in esse moris, & illius bonitas moralis.

123. Probatur secundo conclusio quia ex eo bonitas formalis consistet in illis omnibus, quia omnia illa ad bonitatem formalem requiruntur: atqui hoc non est sufficiens; ergo &c. Minor. probatur, quia ad actum verum requiritur objectum, & tamen veritas formalis non consistit in objecto; ergo similiter licet illa omnia requirantur ad bonitatem formalem, in illis nullatenus consistet. Tertio, quia ex opposito sequeretur primo non dari propriè speciem in actibus bonis, siquidem species est unum per se, illa vero collectio, unum per accidens. Secundo bonitatem formalem esse denominationem extrinsecam.

124. Objicies primo: Bonitas in genere naturæ, & in genere artis, consistit in concursu omnium, quæ ad ejus perfectionem requiruntur; ergo similiter bonitas moralis. Ant. probatur, quia tunc aliquid in genere naturæ, & artis bonum dicitur, quando omnem habet perfectionem & nihil illi in illo genere deest: atqui hoc est concursus omnium, quæ sequiruntur ad perfectionem; ergo &c. Respondetur distinguendo Ant. Bonitas in genere naturæ & artis, consistit in concursu omnium, quæ ad ejus perfectionem requiruntur, intrinsece, concedo: extrinsece nego. Ad probationem similiter distinguenda est Minor.

125. Pro quo notandum est res quasdam esse omnino absolutas, ut homo, Angelus, quasdam respectivas secundùm quid, ut potentia, habitus, & actus: simpliciter absolutæ consistunt in commensuratione ad intrinsecam: & ideo possunt sæpè consistere in integritate eorum, quæ requiruntur ad ipsorum plenitudinem: respectivæ, consistunt in commensuratione ad extrinsecum, sine quibus earum essentia non existit, & ideo plura requiruntur extrinseca; in quibus non consistunt, ut potentiæ requirunt objecta, & in objectis non consistunt. Ex quo notato, bona est responsio; ens enim in genere naturæ, vel artis, cum sit simpliciter absolutum, consistit in concursu rei intrinsecæ, quæ necessaria omnino est ad complementum perfectionis, & licet sit secundum quid respectivum, tunc non consistit in eo concursu ad extrinsecum, quia illa quæ requiruntur, non constituunt rem, sed solum sunt connotata quædam necessatiò requisita ad terminum, & fundamentum.

126. Objicies secundo: Posito concursu, ponitur bonitas formalis, & ablato concursu aufertur eadem bonitas; ergo bonitas in eo concursu consistet. Ant. probatur, quia sicut cum defectu eorum, quæ requiruntur, stare nequit bonitas, ita posito pleno concursu debet stare eadem bonitas; Respondetur negando consequentiam, quia quando aliquid requiritur ut extrinsecum, etiam si eo remoto, removeatur, & posito ponatur ratio formalis alicujus rei, non tamen inde sequitur, in eo collocandam esse talem rationem formalem: instantiæ manifestæ sunt, relatio tali necessitate requirit terminum, ut ad ejus remotionem, vel positionem ponatur, & auferatur relatio, nemo tamen dicet relationem in termino consistere: scientia etiam ita requirit objecta, ut illis positis, vel ablatis, ponatur, & auferatur scientia, & tamen scientia in objectis non consistit.

127. Dico secundo: Bonitas formalis causaliter non consistit in collectione eorum omnium, quæ ad ejus perfectionem requiruntur. Primo, quia quando voluntas ordinat objectum indifferens ad finem, non datur bonitas objecti ex dicendis hac quæst. sect. 6. subsect. 5. à numero 205. & tamen actus erit bonus: & si actus careat fine extrinseco, erit simpliciter bonus ex dicendis infra sectione 8. numero 472. si actus, ut foret bonus egeret omnibus circumstantiis, simul deficiente qualibet, actus esset malus, quod tamen falsum est, namque, cum sint accidentia actus, separatis omnibus, per intellectum, actus erit bonus; ergo cum illa non requirantur ad bonitatem actus, non concurrunt omnia necessario ad causandam bonitatem illam, & per consequens non consistet bonitas formalis causaliter in tota illa collectione: consistet tamen causaliter in collectione illorum, quæ actui conferant bonitatem; hoc tamen non est ad rem, cum declaretur bonitatis origo, & principium, non tamen essentia, & constitutivum, aliter omnis causa constitutivum esset effectus, per quod excluditur secundus sensus.

128. Dico tertio: Bonitas formalis non consistit in habitudine istorum omnium ad actum, ut dicebat tertius consensus; Probatur primo, quia ista habitudo est extrinseca actui; ergo non potest constituere actum formaliter & intrinsece bonum, forma enim extrinseca non potest esse rei intrinsecum constitutivum: siquidem hoc est idem cum re quam constituit. Ant. patet, quia sicut habitudo actus ad objectum est extrinseca ipsi objecto, ita habitudo objecti ad actum est extrinseca ipsi actui, cum non detur major ratio de una, quam de altera.

129. Dico quarto: Bonitas formalis non consistit in habitudine actus ad objectum; causam, finem, & circumstantias, & horum ad actum, ut dicebat quintus sensus. Probatur quia iste secundus respectus est extrinsecus actui, ergo non potest constituere intrinsece & formaliter actum bonum ut inferebam n. superiori. Secundo, quia iste secundus respectus est posterior primo, sive tendentia ad illa omnia: atqui in illo priori actus est formaliter bonus ut probavi supra sect. 5. subsect. 6. à n. 97.

130. Ex quibus constat solum quartum sensum esse verum, nimirum, bonitatem formalem consistere in habitudine ad illa omnia, qui ita intelligendus est, quod ubicumque concurrerint illa omnia ad actum bonum, actus bonus constituatur per tendentiam ad illa, ac proinde solùm intelligitur de bonitate formali adæquata, nam, inadæquatè actus formaliter erit bonus, etiamsi solum dicat habitudinem ad unum illorum quæ requiruntur.

131. Superest modo exponere Angelicum, & subtilem Doctorem, & quidem sanctum Doctorem explicant communiter Theologi de habitudine actus ad illa omnia, ut ipse sanctus Doctor D. Thom.
se explicat q. 19. art. 1. & 2. quasi idem sit plenitudo essendi, ac proportio actus ad omnia, quæ necessario requiruntur, sive commensuratio actus ad illa omnia: quod evidenter colligitur ex q. 18. art. 4. cit. *ad secundum*; ubi cum objiceretur non posse bonitatem desumi à fine, eo quod finis esset causa extrinseca, respondet & unico verbo, sive mysterio omnia resoluit, dicens, *quamvis finis sit causa extrinseca, tamen debita proportio ad finem, & relatio in ipsum inhæret actioni*, ac proinde concedit Angelicus Doctor omnia illa necessaria esse ad actum adæquatè bonum, & in concursu eorum consistere bonitatem, idest in concursu commensurationis, & proportionis intrinsecæ actui ad illa omnia. Videantur pro sensu D. Thom.

Curiel.

Cariel. §. 6. vers. *ad ultimum*. Cornejo disp. 2. dub. 2. vers. *sed objicies*, Carmelitani tract. 11. in 1.2. cap 1. dub. 3. à n. 10.

152. De mente Scoti variè loquuntur Doctores, & quidem sinistrè à plærisque Thomistarum explicatur: ex Scotistis, Lichetus, Vigerius Barg. Herrera citati & Cōēr Discipuli ita interpretantur Scotum, ut posuerit rationem formalem bonitatis in relatione actus ad illa omnia, & omnium ad actum, secundùm rectam rationem, ita ut illa convenientia sit relatio inter actum, ut fundamentum, & illa omnia ut terminus. Addit verò Herrer. istam relationem diversam esse ab illo respectu transcendentali actus ad objectum.

153. Ex aliis, quidam Conimbricensis Academiæ Doctor in materia de actibus humanis disput. 11. sect. 2 §. *mihi verò*, asserit Scotum constituisse rationem formalem bonitatis in respectu actus ad illa omnia, & hunc respectum non esse diversum, sed omnino eumdem cum respectu transcendentali actus ad rectam rationem, quod
Scotus. probat ex Scoto in primo distinct. 17. quæst. 3. num. 3. ubi postquam docuit bonitatem consistere in respectu actus ad illa omnia, ut dictantur à recta ratione; addit: *Ita quod pro omnibus possumus dicere, quod convenientia actus ad rectam rationem, est, qua posita actus est bonus.* Ex quo verborum contextu, ait prædictus Doctor, patet Scotum posuisse convenientiam actus cum recta ratione, non tanquam diversam relationem ab ea, quam dixerat ad objectum, & circumstantias, sed tanquàm majorem eius declarationem, & modum loquendi breviorem. Nec obstat (inquit) quod Scotus eo loco appellet relationem convenientiæ accidentalem, respectus verò ad objectum, sit essentialis, quia Scotus appellat accidens, quod est extra rationem per se alicujus, vt loquitur in secundo distinct. 37. q. 2. n. 9. circa finem.

154. Verum prima expositio Scotistarum vera est, quatenus asserit Scotum constituisse bonitatem formalem in illa relatione convenientiæ, si intelligatur de ratione secundaria, & veluti formalissima, non de primaria, & formali, quæ est ipse respectus transcendentalis, ex quo non benè Herrer. negat respectum hunc non esse rationem formalem constitutivam bonitatis formalis. Secunda expositio illius recentioris partim vera, partim falsa est: vera dum docet Scotum constituisse rationem formalem bonitatis in illo respectu transcendentali actus ad objectum; falsa dum istum respectum cum illa relatione convenientiæ admissa ab Scoto, & Scotistis, confundit, existimans non esse diversam.

155. Quod ut probem, mentemque Scoti satis difficilem aperiam, existimo Scotum circa bonitatem formalem octo pronunciata statuisse: Primum, bonitatem formalem consistere in conformitate cum recta ratione: Secundo hanc conformitatem primariò, & immediatè non esse ad rectam rationem, sed ad objectum, causam, finem, & circunstantias, quatenus omnia regulata sunt per rectam rationem, & consequenter esse respectum transcendentalem: Tertium, huic respectui transcendentali superaddi conformitatem immediatam cum recta ratione, quæ est relatio quædam superaddita actui ut fundamento: Quartum, utramque conformitatem inesse formaliter actui & per consequens actum esse intrinsece, & formaliter bonum: Quintum, relationem illam superadditam actui ad rectam rationem immediatè esse accidentalem, & omnino ab illo respectu transcendentali diversam: Sextum, illam relationem objecti, causæ, finis, & efficientis etiam requiri ab Scoto non ut necessariam, sed ut connexam necessario: Septimum, respectum transcendentalem, & superadditum actui, esse adæquatum ad omnia, & integrari ex pluribus convenientiis, sive respectibus actus ad objectum, finem, causam, circunstantias: Octavum, respectum adæquatum ad illa omnia requiri pro actu perfectissimo, quod si aliquis respectus inadæquatus, verbi gratia circunstantia, deficiat, actus erit adhuc bonus, & perfectus. Hæc (certè omnibus libratis) mihi videtur genuina, & verissima mens Scoti.

156. Singula probo ex Scoto, & primùm, Scotus.
quod bonitas formalis sit conformitas cum recta ratione, tritum est in doctrina Scoti: ita enim habet quæst. 4. prologi numer. 5. vers. tertio: in primo distinct. 17. quæst. 3. numer. 3. ibi; *pro omnibus dicere possumus, quòd convenientia actus ad rectam rationem est, qua posita actus est bonus, qua non posita, quibuscumque aliis conveniat, non est bonus*, numer. 4. numer. 14. & in secundo dist. 40. vers. *de secund.* & toto quodlibeto 18.

157. Secundum, quòd hæc conformitas non Scotus.
sit immediatè cum recta ratione, sed cum objecto per rationem regulato; colligo ex Scoto primo, quia dictamen debet præcedere actum, ex 1. dist. 17. quæst. 3. num. 12. vers. *Respondeo*: atqui dictamen immediatè non dictat actum esse convenientem; sed dictat illa omnia convenire actui, ex eodem loco, ubi ita: *& hoc præcipuè, ut illæ conditiones dictantur à recta ratione convenire actui.* Clarius in 2. dist. 7. quæst. 1. n. 2. & in 2. dist. 40. n. 1. vers. *sic igitur*, & quodlib. 18. art. 3. & sæpe alibi; ergo actus non conformatur immediatè cum recta ratione, sed cum objecto regulato. Patet consequentia, quia ex eo actus conformatur dictamini, quia transit supra objectum, circunstantias, finem, & causam, jam dictata per rationem esse ipsi actui convenientia; ergo actus non conformatur immediatè dictamini, sed mediatè ratione illorum omnium, quæ regulata sunt esse actui convenientia.

138. Secundo, quia *si secundùm dictamen rectum actus appetat, rectus est actus moraliter*: est
Scotus. propositio Scoti in 1. distinct. 7. quæst. 3. numer. 14. vers. *patet*: atqui appetitus non appetit rectam rationem immediatè, sed objectum dictatum per rectam rationem; ergo in illo priori, quo tendit ad objectum regulatum secundùm rectam rationem, erit bonus. Minor patet 1. ex 2. dist. 7. quæst. 1. n. 11. ubi distinguens tres illas bonitates, ex genere, virtuosam, & meritoriam, asserit primam esse, quando volitio transit supra objectum conveniens tali actui secundùm dictamen rectæ rationis, ita vers. *de primo*; & vers. *secunda* asserit, quod bonitas virtuosa tunc datur, quando volitio elicitur cum omnibus circunstantiis dictatis à recta ratione, ex quibus clare constat rectum dictamen dictare illa omnia, & voluntatem tendere in illa dictata secundum rectam rationem, & per consequens actum bonum 1. terminari ad illa omnia, ad rationem mediatè nimirum, quia illa omnia sunt dictata.

139. Jam vero illa consequentia est legitima, quia tunc appetitus, id est, voluntas appetit objectum secundùm rectam rationem, quia scilicet appetit objectum regulatum: & insuper in illo priori

actus, ut transit supra objectum, est bonus, ex 2. dist. 7. q. 1. n. 11. vers. *de primo*, & n. 12. vers. *qualibet*, & patet quia cum actus in illo priori specificetur ab objecto regulato per rationem, ab eo accipiet aliquam speciem non mali; ergo boni; ergo in illo respectu quo actus tendit immediatè ad objectum & ad alia, & non in convenientia immediata cum recta ratione consistet primariò bonitas formalis. Unde illa Scotistarum expositio, quatenus negant in illo respectu transcendentali consistere bonitatem formalem falsa est.

140. Tertium, quod huic respectui supperaddatur conformitas illa immediata cum recta ratione: probatur ex quodlib. 18. art. 1. vers. *hac descriptio; sic bonitas entis secundaria, quæ accidentalis est, sive superveniens entitati*; quo loco clare asserit conformitatem illam superadditam esse & accidentalem. Confirmatur, quia ista relatio, quam Scotus ponit actus ad rectam rationem immediatè, ut ad suam regulam, est relatio extrinsecus adveniens ex 2. dist. 17. q. 3. n. 3. quod ibi bene notatum Lichet. vers. *quantum* fol. 215. column. 2. Viget. & Commentatores ibi: atqui relatio extrinsecus adveniens, non est respectus transcendentalis, ut constans est opinio Scoti; imò accidentalis pertinens ad prædicamentum relationis, de quo videndi Lichet. quodlib. 18. fol. 48. Ioannes Canonicus 3. Physicorum quæst. 2. articul. 1. ex quibus constat non solum istam relationem esse superadditam entitati, sed etiam in rigore accidentalem, & omninò à respectu transcendentali diversam: & per consequens etiam quintum pronunciatum verum est, falsoque ille recentior ex mente Scoti hoc negavit.

141. Quartum, quod scilicet, tam respectus transcendentalis, quam illa relatio sive convenientia superaddita, sit formaliter in ipso actu; probat
Scotus. expressè Scot quodlib. 18. art. 2. vers. *& hoc*, asserens actum esse bonum formaliter bonitate morali: expressius art. 3. vers. *ad aliud*, ubi sic: *oportet, quod rectitudo, qua formaliter dicitur rectus, præcisè insit, dum actus inest, imo fortè non inest immediatè voluntati, sed ipsi actui*: hoc idem colligitur aperte
Scotus. ex doctrins Scoti, qui sæpe asserit malitiam esse privationem rectitudinis, quæ debebat inesse actui, videatur in 1. dist. 17. quæst. 3. num. 12. vers. *Respondeo*, in 2. dist. 37. quæst. 1. num. vers. 2. num. 9. & sæpissimè: & illa priuatio rectitudinis inest formaliter actui ex eodem loco secundi; ergo etiam bonitas.

141. Quintum, quod illa relatio omnium ad rectam rationem etiam requiratur, patet ex quodlibet. 18. art. 1. vers. *hac descriptio*, ibi: *vel integra convenientia eius alteri, cui debet convenire, vel alterius sibi*: sed hoc intelligendum per necessariam consequentiam, quasi ex eo, quòd actus dicat ordinem ad illa omnia, etiam illa omnia dicere respectum ad actum: non tamen, quod iste secundus respectus ita sit necessarius, quòd sine illo non daretur bonitas, sed quia necessariò sequitur ex primo, addit enim Scotus, *& ista duæ convenientiæ communiter sunt connexa*, id est, connectuntur necessario.

143. Sextum, quod scilicet ille respectus ut adæquatus sit ad omnia illa, & quòd per respectus inadæquatos actus terminetur ad singula; expressit Scot. l. 4. docens unius actus multas circunstantias non esse multas bonitates, sed integrare unam bonitatem; & vers. *similiter* ita habet, *in eodem actu possunt concurrere multa, tot quidem, quot sunt dictamina de oppositis, quæ deberent inesse*; cum ergo sit diversum dictamen circa objectum, circa finem, & circa circunstantias, actus adæquatè & completè respiciet omnia, & per respectus inadæquatos singula; & ideo Scot. vers. *Respondeo* asserit bonitatem esse unam relationem, vel multas.

141. Septimum, quod illa omnia requirantur ad actum perfecte bonum, & deficiente ali- Scotus.
quo, si non apponatur in debita circunstantia, adhuc maneat bonus; probatur primo ex Scoto in 2. dist. 7. quæst. num. 24. vers. *quantum*, & n. 25. vers. *potest*, quo in loco asserit si deficiat aliqua circunstantia contraria, illum actum esse bonum bonitate morali diminuta, licet non sit bonus bonitate morali completa, ita citato num. 24. *aliquando potest habere volitionem non malam malitia contraria bonitati morali, licet non habeat bonam bonitate morali completa ex omnibus circunstantiis*, & num. 25. cit. ita habet, *potest ergo dici, quod hoc argumentum probat verum, scilicet quod habent aliquem bonum actum diminutè bonitate morali, quia aliquem non malum malitia contraria*, legatur totus iste versiculus: quare licet Scotus sæpè actum carentem aliqua circunstantia appellat malum privativè, tamen istud malum idem est quod bonum diminutivè, estque doctrina sancti Augustini lib. de natura boni cap. 13. & 24. ubi docet apud doctos, immerito minus bonum, malum appellari, de quo bene Zumel tom. 2. variarum discursu 4. sect. 5. conclusione 2. vers. *recentes*.

145. Ex quibus constat eam esse mentem Scoti: actus constituitur formaliter bonus per bonitatem quæ formaliter inest ipsi actui, & hæc bonitas primario & formaliter consistit in respectu transcendentali, cui supervenit relatio quædam convenientiæ inter actum, & rectam rationem, quæ quidem etiam est bonitas formalis, sed secundariò, & consecutivè, ut etiam relatio objecti ad actum, & ad rectam rationem, utraque autem relatio in rigore est accidentalis, distincta ab illo respectu transcendentali actus, qui adæquatè terminatur ad objectum, causam, finem, & circumstantias, & inadæquatè ad unum quodlibet illorum: respectus autem adæquatus requiritur solummodò ad perfectam & completam rationem bonitatis, ideo deficiente aliquo respectu ad aliquam circunstantiam, actus erit quidem bonus, sed non completè, & adæquatè. Hæc mihi videtur in difficili puncto, facilis & legitima mens Scoti, quam etiam verissimam existimo.

SUBSECTIO NONA.

Utrum ad essentiam Bonitatis formalis requiratur relatio in ultimum finem.

146. Suppono actum moralem moraliter bonum duobus modis posse referri in Deum, 1. interpretativè, seu ex intentione operis: 2. ex intentione operantis: primo modo refertur quodlibet opus ex sua natura, eo enim ipso, quòd honestum sit, refertur in Deum, non tantum ut Author naturæ est, velut effectus in finem, sed etiam ut Author est moralis, eo modo, quo qui opus malum morale committit, licet in eo ex ignorantia affectata putet se obsequium præstare Deo, à Deo avertitur, ut à fine ultimo, & constituit finem ultimum in creatura, non quidem formaliter (jam enim foret hæreticus) sed interpretativè: secundo modo referuntur omnia opera bona, quando operans ea facit actu propter Deum.

147. Suppono 2. opera bona posse referri in Deum ex intentione operantis, etiam duobus modis: primo virtualiter, secundo formaliter, relatio formaliter, sive intentio formalis est quando actualiter operans per actum explicitum refert sua opera in Deum. Virtualis

intentio variè à variis explicatur, in quo præ aliis fusius spatiatur Lichetus in 2. q. 41. vers. a. fol. 239. colum. 2. Illa explicatio tamen modo sufficiet, ut si quis, verbi gratia, diligens Deum, ex dilectione Dei diligat proximum, & hæc dilectio proximi continuetur per horam, ante cujus horæ medietatem cesset actualis Dei dilectio, dilectio illa proximi continuata virtualiter refertur in Deum; qui quidem modus explicandi optimus est, & applicari potest omnibus operibus, quæ oriuntur ex intentione præterita referendi omnia in Deum, licet enim, quando actualiter fiunt, non referantur actualiter, quia non adest actualis intentio, referuntur tamen virtualiter in virtute intentionis præteritæ, non abolitæ per actum contrarium. His positis

148. Constat omnia opera bona moralia, referri in Deum ex intentione operis, sive interpretative: Hoc enim docent omnes Doctores, & satis probatur ex similitudine actus mali: unde omnis virtus refertur in Deum ex se, & ex sua natura, non solum ut in finem cujus, sed etiam ut in finem cui; siquidem omnis virtus ex se ordinatur ut medium ad consequendum finem ultimum, homo enim operibus bonis beatitudinem meretur, proindeque qui virtutem ut causam vult, etiam beatitudinem vult ut effectum medium. Namque aliquâ ratione, causa finis est, & virtus ut medium beatitudinis ordinabitur in Deum possidendum, ut in finem *cujus*, & cum omnis virtus placeat Deo, qui vult benè operari, vult placere Deo, & actum ac virtutem in Deum, ut in finem quem diligit refert, & cum utraque ista habitudo inseparabilis sit à virtute, & ab operibus bonis, nullum dabitur opus bonum quod in Deum non referatur interpretative.

149. Quæstio igitur est, an ut actus censeatur moraliter honestus, requiratur intentio formalis ac virtualis, ex qua referatur in Deum ut in finem ultimum? Dico primo: Non requiritur intentio formalis ad hoc ut actus dicatur bonus: Ita D. Thom. 1.2. quæst. 19. art. 10. ad prim. 3. cont. gent. cap. 138. 2.2. quæst. 83. art. 13. in 2. dist. 36. quæst. 1. à 6. & part. 2. de malo art. 5. & alibi passim. Capreol. Hispalensis, quos referunt, & sequuntur Carmelitani disput. 5. dub. 5. §. 1. numer. 27. & 30. Sotus lib. 1. de natura & gratia cap. 20. lib. 3. cap. 4. Medina quæst. 18. art. 9. quæst. 1. conclus. prima. Ibi Pensantius art. 4. disput. 1. conclusione 1. Valentia disput. 1. qu. 13. puncto 6. *ad primum argumentum*. Azor 1. part. lib. 2. cap. 21. quæst. 1. Suar. disput. 5. sect. 1. numer. 11. Vasques disput. 191. cap. 2. vers. *rationes* cap. 4. vers. *respondeo*. Salas tract. 7. disput. 2. sect. 13. à numero 126. Lorca de beatitudine disput. 9. Rainaud. dist. 4. quæst. 1. art. 2. numero 169. Montesinus disput. 22. quæst. 4. numero 61. Granad. tract. 10. disput. 6. sect. numero 12. cum Durando, Majore, Caët. & Argent. Martines 1.2. quæst. 18. art. 4. dub. 1. conclus. 4.

D. Thom.

150. Eadem est sententia D. Bonavent. in 2. dist. 41. art. 1. quæst. 3. numero 24. in fine dicens, *Nec Deus requirit ab homine in tali statu distractionis, & miseria, quòd omnia, quæ facit, referat ad se, requirit tamen quando est locus, & tempus, & tunc, si homo non referat, omittendo peccat.* Quare malè à Suar. citato numer. 9. Div. Bonavent. allegatur pro contraria sententia.

D. Bonavent.

151. In eadem sententia est subtilis Doctor numero 1. dist. 41. à numero 4. ubi ait; *ad hoc ut actus sit indifferens in ratione meriti sufficere quod referatur in Deum, nec actualiter, nec virtualiter*: hic autem actus est bonus moraliter, & honestus, ut ipse fatetur numero 2. vers. 2. asserens meritum esse in relatione in finem ultimum, quæ si non detur, non dari etiam meritum, quamquam actus sine illa relatione sit bonus moraliter, quod iterum repetit quodlibet. 17. articul. 1. vers. *contra hoc videtur*, ideo hanc sententiam juxta mentem Scoti sequuntur discipuli. Licbet. in 2. distinct. 41. à vers. *de secundo*. Sossa tum. 1. difficult. 21. §. 3. numero 18.

Subtilis Doctor.

152. Unde immeritò Suar. citat. oppositam sententiam tribuit Scoto, nec Suario patrocinantur duo loca Scoti, quæ affert. Primus est in secundo dist. 41. secundus est in 3. distinct. 37. quæst. 1. Nam primus locus pro nobis est, ut constat: secundus autem non est contra prædictam doctrinam, nihil enim habetur ibi, quod illi possit obstare, nisi id quod Scotus habet numero 7. *Quia sine omni velle finis ultimi, non potest aliquis habere simpliciter bonum velle circa ea quæ sunt ad finem, & ita nunquam tenetur ad bonum velle simpliciter.* Ex quibus verbis colligit Pater Suar. Scotum esse pro opposita sententia: verùm non benè Scoti mentem speculatus est: namque ibi Scotus loquitur de tertio præcepto primæ tabulæ, nimirum de sanctificando Sabato, ubi quærit, sitne illud præceptum de lege naturæ strictæ quantum ad cultum exhibendum Deo: Respondet, hoc esse dubium, & arguens esse de lege Naturæ, ait; *Quia ex opposito sequeretur quod possit Deus dispensare absolutè, quod homo toto tempore vitæ suæ non haberet bonum motum circa Deum, quòd non videtur probabile, quia sine*, & continuat verba supra citata; ac proinde mens Scoti in illis, non est quòd sine relatione ad ultimum finem actus non sit bonus: sed quod necessario homo debeat pro aliquo tempore habere aliquem actum immediatè erga Deum, & coincidit cum ea quæstione, utrum teneamur ad amandum Deum super omnia in aliquo vitæ tempore?

Scotus.

153. Probatur primo à priori: Ut actus sit moraliter honestus, sufficit, quod versetur circa objectum honestum; (& si velis, propter aliquem finem honestum;) ergo relatio illa actualis in ulteriorem finem, est impertinens ad rationem formalem honestatis. Ant. patet, quia qui tribuit bono animo eleemosinam pauperi, iejunat, servat castitatem, eo ipso benè operatur. Probo hoc antecedens, quia supra humanas vires est, expostulare semper relationem istam in finem ultimum, quot enim opera bona damnarentur? quot rustici & illitterati sua perderent opera bona? Insuper jam infidelis, qui veri Dei notitiam non assequutus, quæcumque faceret, pec- 154.
cata forent, quod tamen damnatum in Trident. sess. 6. de iustificatione Canone septimo: jam puer ubi primùm venerit ad usum rationis tenebitur primum opus suum actualiter in Deum referre, quod præterquam à nullo fiat, nullus ex defectu illius relationis scrupulum habuit de suo opere bono.

Trident.

155. Probatur secundo argumentum Scoti citato loco quodliberi, ubi ita: *Ille igitur* (loquitur de actu bono, qui indifferens est respectu meriti) *non est meritorius, nec tamen est peccatum, quia nullo præcepto astringitur quis actualiter omnem actum suum referre in Deum, vel virtualiter modo prædicto.* In citato loco secundi ait, *non enim tenetur homo tentione necessitatis, contra quam*

Scot.

sit peccatum mortale, nec tentione minori, contra quam veniale, referre semper actum suum in Deum actualiter, vel virtualiter.

156. Ex quo sic argumentor: Nullum datur præceptum, quo obligetur homo referre sua opera actualiter in Deum; ergo actus sine tali relatione factus, bonus erit. Ant. probatur quia non datur præceptum divinum, hoc enim solum colligi potest ex illo loco Pauli primæ ad Corinth. 10. *Sive*
1. ad Cor. 10. *aliud facitis, in gloriam Dei facite*, nam hic locus interpretatur à sanctis PP. de consilio, non de præcepto: vel ita interpretandus est, nil faciatis, quod ad Deum non ordinetur, interpretativè, ratione scilicet operis, non operantis: taliter enim operandum est, ut omnia opera cedant in Dei gloriam: Unde D. August. tom. 8. concione secunda
S. August. in Psalmum 34. ait, *Suggere remedium unde tota die laudes Deum, si velis, quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum.* Deinde non datur præceptum naturale, tum quia stando in iure naturæ, satis erit ad honestatem actus, operari secundùm rectam rationem, saltem propter alios fines honestos; tum ignorari potest invincibiliter hoc præceptum: Denique non datur præceptum humanum, tum quia non apparet, tum quia tale præceptum versari non potest immediatè circa actus purè internos.

157. Dico secundo: Non etiam requiritur relatio virtualis in finem ultimum, quod inter alios bene expressit Scotus, & probatur iisdem argumentis, quibus ostensum est non requiri relationem formalem: eodem enim modo convincunt de una, quam de altera: utrum verò requiratur relatio virtualis infra disserendum est.

158. Dico tertio: Non requiritur relatio habitualis. Ita Doctores cit. n. 49. probatur, quia ista habitualis relatio, vel est, quod actus proveniat ab habitu gratiæ & charitatis; vel ab aliquo habitu bono. Primum damnatum est in Trident. citato Canone 7. & reprobant latè contra Sectarios Vega
Trident. lib. 6. in Trid. cap. 9. & lib. 1. à cap. 24. Bellarmin. lib. 4. de iustifi. cap. 15. Valenoa 2. 2. disp. 1. quæst 10. puncto 2. Suar. 1. de gratia cap. 4. & disp. 17. de fide sect. 3. Becan. opusculo 6. cap. 1. ex illo enim sequitur nullum posse à peccatoribus fieri actum moraliter honestum. Secundum à fortiori non est dicendum, quia licet dentur habitus aliqui boni, non ex eo actus elicitus erit bonus, si versetur circa objectum malum: & si homo nullum haberet habitum bonum, si eliceret actum circa objectum honestum, secundùm regulas rationis, erit bonus, aliter primum opus bonum elicitum à puero perveniente ad usum rationis, non erit bonum defectu habitus boni. Alia argumenta prosequuntur cit. Carmelitani. num. 27.

159. Dices ex eo quòd homo faciet honestum opus, ordinare suum actum impliciter in Deum. Sed contra: quia hæc ordinatio non est operántis, sed ipsius operis, & interpretativè reperta in quolibet opere bono; ex quo infert Montesinos, n. 35. superfluam esse aliam relationem operantis, siquidem jam implicitè, & interpretativè opus relatum est in Deum. Inferes, Ergo iam quilibet actus habebit duplicem honestatem, unam ex objecto, alteram ex illa relatione interpretativa operis. Resp. negando illationem, quia illa relatio necessariò includitur in ipso opere, ut circunstantia generalis inclusa in omni opere bono; ideo nulla specialis bonitas. Ex illa confertur actui eo modo, quo siquis iejunaret, ut temperatè viveret, ex illo fine non refunderetur specialis bonitas in actum ab ea, quam refundit objectum, quia temperatè degere, non est aliquid diversum à ieiunio, cum in hoc illud includatur.

160. Oppositam sententiam docuit Gregorius in 2. dist. 26. q. 1. & dist. 28. q. art. 3. ad 12. docens actum, qui vel actualiter, vel habitualiter non ordinatur in finem, non esse bonum: idest, requiritur, ut actus sit bonus, quod procedat ab habitu acquisito ex actibus circa ultimum finem, à quo putat cæteros in Deum referri: qui modus impertinens est, cum nec primus habitus detur ad plurimum, nec in alios influat, tantúmque habeat successionem temporis. Eandem sententiam tenet Almain. tract. 1. Moralium cap. 2. docens ad honestatem actionis necessariò requiri, quòd referatur in Deum.

161. Probatur primo, ex sanctis PP. Augustin. S. August.
lib. 1. de vera religione c. 29. qui postquam aliqua præmisit de naturalium rerum studio, ait: *In horum consideratione non vana, & peritura curiositas exercenda est, sed gradus ad immortalia, & permanentia faciendus.* Bernard. sermone 36. in Cantica S. Bernard.
Sunt qui scire volunt, hoc tantùm fine ut sciant, & turpis curiositas est. Resp. hos & similes sanctos PP. non damnare scientiam, imò probare, illam enim tantùm damnant, quæ malo fine exercetur, non tamen, quæ relatione in Deum caret. Bene se explicat Augustin. in opposita authoritate, ait enim scientiam esse acquirendam propter immortalia, idest, propter salutem animæ, quæ immortalis est. Benard. clarior est, legatur ibi, eleganter siquidem explicat non esse adipiscendas scientias, nisi ut propriæ saluti, & aliorum consulatur.

162. Opponas locum August. 19. de Ciuitate
Dei, cap. 25. *Virtutes, quas sibi mens habere videtur, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsa vitia sunt potius, quàm virtutes.* Resp. relicta resp. S. August.
Vasquij disp. 192. c. 2. germanam mentem August. colligi apertè ex argumento quod ibi tractat, cum enim Stoïci in virtute fœlicitatem, & finem ultimum constituissent, eos insectatur Doctorum Aquila, dicens eas virtutes, quæ interpretativè ad Deum non referebantur, cum constituerentur fines ultimi, non esse virtutes, sed à virtutum genere degeneravisse in vitia.

163. Secundo, ex opposito sequeretur, quod virtus, verbi gratia, actus Misericordiæ consisteret in creatura; ergo foret fruitio creaturæ, & non usus; ergo peccatum: *perversum est enim utendis frui, & fruendis uti.* Pater consequentia, quia fruitio est actus, quo quis vult aliquid propter se; usus verò est actus, quo quis vult aliquid propter aliud: atqui tunc illud objectum est volitum propter se; ergo fruitio, &c. Ant. probatur, quia ille actus, ut supponitur, non ordinatur in Deum, ut in ultimum finem; ergo consistit in creatura.

164. Respondetur distinguendo antecedent. Ille actus consisteret in creatura, formaliter & explicite, concedo: interpretative, nego: semper enim virtus ex sua natura refertur in Deum. Deinde nego consequentiam, ad probationem distinguo ant. ille actus non refertur in Deum positivè, ut propter ultimum finem, concedo: negativè, idest non relatum ad finem ulteriorem, nego: quæ est sententia Magistri in primo dist. 1. & omnium Magist.
Scholasticorum ibi: nam virtus, vel amatur propter se tamquam propter ultimum finem, ita ut in ea constituatur ultimus finis, & tunc erit fruitio & peccatum; vel propter se negativè, idest, quia non opponitur formaliter alius finis, & tunc est actus moraliter bonus: nam illud, *propter se*, si non privet fine extrinseco, sed tantum ponat intrinsecum finem virtutis, non est fruitio sed usus, fruitio enim est de fine propter se volito, ut ultimo.

SUBSECTIO DECIMA.

Utrum ad honestatem actus, requiratur quod objectum ut honestum formaliter & directè cognoscatur.

165. CONstat ad hoc ut objectum refundat suam bonitatem in actum, debere esse præcognitum secundùm suam honestatem, cum enim nil volitum, quod non præcognitum, si honestas non cognoscitur, non potest esse volita, si volita non fuerit, non poterit esse voluntaria, voluntarium siquidem omne ast volitum, si autem voluntaria non fuerit, nil refert ad honestatem actus, qui ut tribuatur laudi, debet esse voluntarius, simulque noo erit actus honestus moraliter, cum bonestas, quam tribueret objectum defectu voluntarii desineret esse mosalis: & quoad honestatem talis actus censeretus, ac si ab amonte fuisset elicitus; requiritur ergo cognitio honestatis, quæ reperitur in objecto ad hoc, ut objectum tribuat honestatem moralem actui, & hæc est mens communis Doctorum, de qua nullus dubitat, & amplius patebit ex dicendis.

166. Difficultas igitur est, an ad hoc ut actus sit formalites honestus, prætes cognitionem illam honestatis, quæ datur quando cognoscitus objectum honestum, requiratur amplius, quod intellectus reflexe tandat in illud objectum judicans illud esse honestum, ita ut actus ille intellectus judicet de honestate objecti formaliter, in illamque formaliter tendat per actum diversum ab illo quo cognoscitus objectum honestum.

167. Respondetur negativè: ita communiter Doctores, præcipue Azot. 1. p. lib. 2. cap. 5. q. 4. Suar, disp. 4. sect. 1. n. 11. Salas tract. 70. disp. 2. n. 8. 59. & 101. Raynaud. dist. 4. q. 2. art. 3. numero 132. vers. *nomam*. Probatus, quia sæpissimè homines operantus actus bonos, quin cogitent de conformitate objecti cum recta ratione, aut reflectant supra illam formalitatem honestatis; ergo sufficit quòd honestas objiciatur implicitè, cum scilicet objectum honestum proponitur per intellectum. Antecedens per experientiam constat; præcipuè, quia formalitas illa honestatis, etiam doctissimis non est adeo facilis, cùm circa illius essentiam variæ versentur opiniones.

168. Probatur secundo, quia reflexio illa supra honestatem objecti non est regula, cui debes conformari actus, ut sit honestus; ergo superflua est talis reflexio ad honestatem actus. Ant. patet, quia judicium prudentiale de objecto honesto, est illa regula, cui debet conformari actus, aliter rustici, qui cum illa reflexione non operantur, sed ad maximum cum isto judicio, numquam bene operarentur, ergo sufficit, quòd voluntas conformetur in suo actu, illi judicio, ad hoc ut actus sit formalites honestus.

169. Tertio, quia si illa reflexio supra honestatem objecti requiritur ad honestatem actus, jam ad eam necessaria asset certificatio, & non probabilitas de tali objecto; ergo non sufficeret judicium probabile: quod tamen falsum est, cum conscientia probabilis sufficiens regula sit actionum humanarum, ut bene Saoches primo decalogi cap. 9. à n. 2. Nider 3. p. consolatorii conscientiæ cap. 1. Becan. 1. p. summ. tract. 1. cap. 4. q. 7. Salas tract. 8. disp. unica sect. 3. n. 20. Vasques disp. 58. cap. 1. in fine, & cap. 2. Malderus 1. 2. q. 19. disp. 83. vers. *quamvis autem*, Comitol. lib. 2. q. 18. n. 6. Suar. tract. 3. disp. 11. sect. 4. n. 8. in 11.

SUBSECTIO UNDECIMA.

Utrum ad honestatem actus requiratur quod honestas intendatur propter se.

170. DUbium est, an ad hoc ut actus sit formaliter honestus, necessarium sit quod voluntas velit objectum formaliter & directe propter ipsam honestatem? in quo triplex est sententia. Prima absolutè negat: ita Azor. 1. p. lib. 2. cap. 3. q. 4. Pesantius 1. 2. q. 18. art. 4. disp. 2. conclusione 3. & 6. Medin. ibi art. 9. circa medium & q. 19. art. 3. vers. *ultimo*, Lorca disp. 47. de actibus sect 2. Perez lectione prima examinis dubio 1. p. 3. cap. 20. & 21. asserens n. 72. hanc esse communem sententiam Theologorum. Rainaud. dist. 4. q. 2. art. 2. numero 171. & art. 3. n. 184. novissimè Caspensis tom. 1. cursus theologici tract. de bonitate & malitia disp. 1. sect. 6.

171. Secunda sententia absolutè affirmat. Ita Suar. tom. 2. de religione lib. 1. cap. 7. & 1. 2. tract. 3. disp. 4. sect. 1. numero 7. disp. 6. sect. 1. n. 1. & 6. Refert pro hac sententia Ocham. Gab. Almain. Granad. 1. 2. controvers. 2. tract. 10. disp. 6. sect. 3. n. 18. Cornejo tract. 6. disp. 5. dub. 1. n. 6. vers. *sed respondetur*. Montesinus disp. 22. q. 2. numero 64. Aravio 11. q. 58. art. 6. dub. 1. n. 17. vers. *secunda*. Herrera disp. 28. q. 8. *ad tertium* Martinez 11. q. 18. art. 11. dub. 6. vers. *prima conclusio*, Salas tract. 4. disp. 1. sect. 3. n. 37. tract. 7. disp. 2. num. 8. Becanus 2. p. summ. tract. 1. cap. 4. q. 4. & tandem Vasques disp. 51. ubi acriter tuetur actiones humanas non habere bonitatem nisi ex fine operantis. Idem asserit disp. 73. cap. 7.

172. Tertia sententia est media inter utramque, affirmat enim actus extrinsece bonos egere ad sui honestatem formalem, quòd honestas objecti propter se intendatur à voluntate: negat verò hoc necessarium esse ad actus intrinsecè bonos. Ita Ægid. de Coninch. de actibus supernaturalibus disp. 3. dub. 4. n. 58. & 59. Pro decisione hujus quæstionis suppono expositionem horum terminorum, esse volitum *propter se*, *per se*, *& per accidens*: esse volitum *propter se* est ubi finitur intentio voluntatis, si non sit finis intermedius, ut enim infra attingam, potest aliquid esse volitum propter se, & ad alium finem ordinari. Esse volitum *per se*, est objectum, in quod primò, & formaliter voluntas fertur, ut in suum objectum formale terminativum. Esse volitum *per accidens* est objectum, in quod voluntas fertur ratione alterius, cui accidentaliter est conjunctum Exemplum voliti *propter se*, est, si quis velit eleemosynam propter se ipsam: objecti voliti *per se*, si quis velit eamdem eleemosynam propter Deum, voluntas enim formaliter, & per se tendit in eleemosynam: objecti voliti per *accidens*, si voluntas velit eamdem eleemosynam circumstantionatam; circumstantiæ enim non sunt volitæ per se, sed per accidens, ratione eleemosynæ: quibus positis

173. Mea sententia est: Ad bonitatem formalem actus, non requiritur quod formaliter honestas sit intenta propter se, sed sufficit, quòd per se, & formaliter intendatur: in quo mihi videtur pactum iniri cum Doctoribus pro illis sententiis allegatis: Doctores enim primæ sententiæ,

nostræ primam partem tuentur. Doctores vero secundæ sententiæ, nostram secundam partem defendunt, quod si isti amplius requirant, nimirum, quòd honestas sit propter se formaliter intenta (ut aliqui videntur insinuare) illis non assentio in terminis, ita à nullo exponitur sententia.

174. Prima ergo pars Doctorum primæ sententiæ, videtur & Doctorum asserentium electiones habere bonitatem propriam à mediis, distinctam à bonitate finis extrinseci de quo disp. 2. sect. 8. n. 478. Supposita hac sententia sic pro hac parte argumentor: Electio specificatur, propriamque sumit bonitatem à mediis, quæ ordinantur ad finem; ergo licet honestas objecti non sit volita propter se ipsam directè & formaliter, actus terminatus ad objectum repræsentatum, ut honestum, erit moraliter bonus: Antecedens suppono ex dicendis citato loco; consequentiam probo, quia electio versatur circa bonitatem medii; ergo honestas medii non intenditur propter se formaliter, & directè: probo consequentiam, quia medium non est volitum propter se, sed propter finem. In hoc enim finis à medio distinguitur, quod medium est ratione finis volitum, finis verò ratione sui: præsertim quia de ratione medii est, quod sit utile, utile autem non amatur propter se, sed propter illud cui utile est.

175. Secundo probatur conclusio: Si quis velit expressè, & directè servare hostibus fidem, veritatem proferre, quin directè, & formaliter velit ea objecta propter ipsorum honestatem; quæro, an actus qui versantur circa talia objecta sint moraliter boni? & non est dubium esse bonos, cum enim liberi sint & voluntarii, nec ex objecto sint indifferentes, in aliqua specie moralitatis constituuntur; ergo vel bonitatis vel malitiæ; non malitiæ, cum enim bonum sit servare fidem hostibus, nulloque malo fine vitientur, non est cur in specie malitiæ collocentur; ergo necessario fatendum est collocari in specie bonitatis, & per consequens non esse necessarium ad honestatem, quod honestas objecti propter se formaliter & directè intendatur.

176. Tertio, ut actus sit formaliter malus, non requiritur quod malitia formaliter & directè intendatur; ergo nec ut sit formaliter bonus, requiretur quòd bonitas per se & formaliter intendatur. Antecedens suppono cum contrariis; consequentia videtur certa à paritate rationis, & quia non plus potest malum objectum influere in suum actum, quàm objectum bonum. Secundo, quia non magis avertit malum à bono, quàm convertit objectum bonum quoad rationem specialem bonitatis & malitiæ. Tertio denique quia juxta contrarios peccatum est privatio rectitudinis: sed privatio tantum privat à subjecto, quantum rectitudo illi daret: ergo si ad illam privationem, non requiritur intentio formalis, nec etiam ad rectitudinem: *contrariorum enim, sive oppositorum eadem est ratio.*

177. Dices diversam esse rationem, quia juxta illud principium Dionysii, *bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*, minus requiritur ad malum, quàm ad bonum; sed contra, quia perperam adducitur prædictum proloquium ad præsens institutum, cum etiam apud contrarios ita intelligatur, quòd, ut actus sit bonus, nullam debeat habere indebitam circumstantiam; ad hoc autem, ut actus sit malus, sufficiat, quod habeat quamlibet circumstantiam indebitam honestati, quamquàm versetur circa objectum ex se bonum.

Anselm.

178. Contrariam sententiam docent Doctores n. 171. citati. Pro secunda sententia fundantur primo authoritate Anselmi Dial. de libero arbitrio cap. 30. post medium, ubi definit justitiam esse rectitudinem servatam propter se, & docet libertatem datam fuisse hominibus, ut observarent justitiam propter se: Deinde Augustini, Bernard, Ambrosii, aliorum sanctorum Patrum asserentium opus ex intentione pensari. Unde est illud celebre dictum, *intentio operi tuo nomen imponit.* Respondetur Anselmum loqui de justitia habituali, ut bene notavit Scotus quodlibeto 18. art. 1. articuli tertii principalis vers. *quando igitur*, & per consequens non est ad rem, loquimur enim de justitia actuali; vel si intelligatur Anselmus de justitia actuali; intelligendus est cum reliquis sanctis PP. eo modo, quo in solutione sequentis argumenti explicandus est Philosophus.

Scot.

Aristot.

179. Secundo arguunt ex expressa authoritate Philosophi secundo Ethicorum cap. 4. ubi proponens discrimina inter opera artificiosa & moralia sic habet: *Quæ ab artibus fiunt, id in se ipsis habent, quòd bene effecta sint, satis quidem illud est, ut quoquo modo efficiantur: quæ vero secundum virtutes fiunt, non, si aliquo modo ipsa se se habeant continuò, justè & temperatè aguntur; sed si etiam qui agit, aliquo modo affectus agat. Primum quidem si sciens, deinde si eligens, atque eligens propter ipsa 3. si stabili, atque immutabili affectu prædiius agat.* Ex quibus verbis tres conditiones requirit Philosophus, ut operatio bona censeatur. Prima est *scientia honestatis*; secunda *electio propter ipsam virtutem*: tertia *firmitas in operando*; ergo expresse Philosophus asserit in secunda conditione, ut actus sit honestus debere esse propter ipsam honestatem objecti, & eamdem conditionem approbat lib. 3. cap. 7. loquens de fortitudine, & lib. 4. cap. 1. loquens de liberalitate.

180. Respondet Perez citat. cap. 21. numero 74. duobus modis posse intelligi Philosophum, primo de perfectissimo gradu virtutis, & ideo tertiam apposuit conditionem, quæ ad omnem actum virtutis necessaria non est, & hic modus dicendi etiam placuit Raynaud. cit. q. 2. art. 5. numero 171. Secundo intelligendum esse principaliter propter ipsam; ac si diceret Philosophus, qui temperatè vivit propter honestatem, magis & principaliter honestus est, quam ille, qui non amat honestatem propter ipsam.

181. Utraque tamen solutio fallit: prima, quia Philosophus clarissime loquitur de virtute absolutè, & non de perfectissimo gradu illius, apposuit enim differentias inter opera moralia & artificiosa: Insuper, quia juxta mentem Philosophi etiam requiritur tertia conditio, ita tamen intellecta, ut qui agere vult honeste, non agat pro occasione, & pro temporis opportunitate, sed ex bono animo, & ex cognitione virtutis: veluti non aget honestè, qui in publico & non in occulto vixerit temperatè, hoc enim non est rectè, sed simulate agere, ideoque stabili, immutabilique animo aget, qui honestatem operabitur. Secunda etiam solutio fallit, tum quia limitata est, tum quia ex ea sequitur media ut media non communicare propriam bonitatem actibus.

182. Quare respondeo illam secundam conditionem, quam Aristot. requirit, ita intelligendam esse: *virtus est propter ipsam*, idest, virtus non

est propter finem extrinsecum indebitum, requirit tantum Aristot. quod actus non inficietur ex admixtione alicujus finis vitiosi: ita inte-

Eustatius. pretatur Eustatius 6. Ethicor cap. 12. sequitur Raynaud. cit. numero 162. videturque de mente Bolsonii 2. Ethic. cap. 4. dum verba Philosophi explicans adducit exemplum de spurio, qui in difficili annonæ inopia liberaliter civibus suis frumenta erogavit: in quo quidem opere fecit, quod quidam justus, & liberalis fecisset, non tamen honestè, quia hoc non fecit, ut cives juvaret, sed ut captata benevolentia totius Reipublicæ clavum invaderet; quæ quidem doctrina

S. Aug. conformis D. August. lib. 4. in Julianum cap. 7. Ambrosio 3. officiorum cap. 5. & aliis sanctis

S. Ambros. PP. asserentibus actiones ex malitia intentionis vitiari, ideo enim docent requiri bonam intentionem finis, non quòd ad honestè agendum intentio requiratur, sed ne ex mala intentione actus bonus vitietur.

183. Tertio, sequitur tot produci habitus per unicum actum, quot bonitates prævidentur in objecto, & refunduntur in actum, hoc autem admitti non debet: ergo nec illud ex quo sequitur. Sequela probatur, quia habitus virtutum per eorum actus producuntur; ergo si in uno actu sunt tot virtutes, quot bonitates prævidentur in objecto, per illum actum producentur tot habitus virtutum, quot bonitates prævidentur in objecto. Respondetur hoc argumentum æqualiter valere in actibus malis, in quos (juxta omnium sententiam) quæcumque malitia prævisa refunditur. Ideo respondeo negando sequelam; ad probationem concedo antecedens, nego consequentiam, producitur enim per illum actum unus tantùm habitus similis actui, à quo productus fuit, ac proinde cum actus ille sit realiter unus, & formaliter multiplex juxta virtutes, quæ prævisæ fuerunt in objecto, similiter etiam habitus productus erit formaliter multiplex, & realiter unus, verbi gratia, siquis eliceret actum misericordiæ, quin intenderet eam propter se, & in hoc objecto reluceret etiam ratio religionis, nimirum si prævideretur pauper sacerdos, ille actus utramque haberet in se virtutem, misericordiæ scilicet & religionis, & per consequens habitus genitus ab hoc actu, utramque haberet in se virtutem, & ad actum similem concurreret.

184. Quarto, si omnes bonitates prævisæ in objecto, & volitæ, per se refunduntur in actu, jam si quis existens in peccato mortali eliceret actum amoris concupiscentiæ erga Deum, justificaretur; hoc autem dici non potest; ergo &c. Probatur major, quia Deus utroque amore est diligibilis, amore scilicet concupiscentiæ, & benevolentiæ; igitur si prævideatur Deum esse diligibilem super omnia amore benevolentiæ, actus amoris concupiscentiæ, habebit bonitatem utriusque amoris; benevolentiæ ex objecto materiali, & concupiscentiæ ex motivo: atqui amor benevolentiæ est dispositio proxima ad justificationem: ergo jam existens in peccato mortali, per illum actum concupiscentiæ justificaretur. Respondetur negando Majorem, ad probationem negando Minorem, quia ille actus solus erit amor concupiscentiæ, eo quòd Deus ut super omnia diligibilis, quomodo est objectum benevolentiæ, non attingitur per se, & formaliter, sed tantum per accidens, & materialiter. Quod si Deus attingeretur ut diligibilis super omnia per se, & formaliter, procul dubio objectum illud refunderet rationem amoris benevolentiæ in illum actum, sed implicat quòd ab existente in peccato mortali ita percipiatur objectum, & ametur ut communiter tradunt Theologi.

185. Respondent aliqui secundo & satis probabiliter, negando majorem, ad probationem distinguunt minorem, sed amor benevolentiæ simpliciter elicitus ab habitu charitatis, est dispositio proxima ad justificationem, transeat minor, secundùm quid participans rationem benevolentiæ ex objecto materiali, negatur: non enim homo disponitur proximè ad justificationem per quemcumque actum amoris benevolentiæ, sed per actum, qui simpliciter dicitur amor Dei super omnia, qualis est amor elicitus ex motivo formali, & ex habitu charitatis: si enim non operetur homo ex charitate, non disponitur ad justificationem, operari autem ex habitu charitatis, significat non solum operari cum honestate pertinente aliquo modo etiam imperfectè ad charitatem, sed charitatem esse principium illius operationis, vel operationem fieri ex motivo charitatis super omnia.

186. Quæ solutio ut clarior fiat, supponendum est, eodem modo philosophandum esse de virtutibus atque de vitiis: actus ergo malus pertinet ad habitum vitii duobus modis: primo ut ab habitu vitii productus: secundo si actus malitiam habeat illius vitii, ab eo tamen non producatur, etiamsi in illo homine existat habitus vitiosus: primo modo se habet homo, si eliciat aliquem actum propter aliquod motivum, quod est bonum sensibile, cui tamen conjuncta est malitia: ut siquis ex amore furti furetur, actus furti pertinet ad habitum injustitiæ, quia elicitur ex amore, & affectu injustitiæ: secundo modo est, siquis ob mœchandum furetur, istud furtum non provenit ex affectu furti, ac proinde licet habeat malitiam furti ejusdem speciei cum malitia habitus injustitiæ, non tamen ab hoc habitu producitur, sed ab habitu intemperantiæ; quare licet hic actus pertineat ad vitium, intemperantiæ, quia ab intemperantiæ habitu producitur, etiam pertinet ad vitium injustitiæ, eo quod ex objecto malitiam habet injustitiæ; non dicitur tamen absolutè ille actus, actus vitii injustitiæ, quia hæc denominatio propriè, & in rigore denotat actum, qui pertinet ad habitum vitii tamquam effectus, vel causa ipsius habitus; & ratio est, quia habitus vitiosus desumit speciem ab objecto formali, idest ab illo bono sensibili, quod est motivum, cui per se est annexa specialis malitia, & ideo talis habitus nequit esse principium eorum actuum, qui non habent idem objectum formale cum habitu; & idcirco isti actus in rigore pertinent ad vitia, quorum habent malitiam propriam.

187. Eodem etiam modo dicendum est de virtutum actibus, nam actus, quo volo largiri eleemosynam pauperi, dupliciter spectare potest ad virtutem misericordiæ; primo ut productus ab habitu misericordiæ, in quo casu ille actus dicitur proprius misericordiæ, eo quòd fiat gratia honestatis misericordiæ, & propter ipsam: secundo si producatur ab habitu charitatis, si nimirum detur eleemosyna propter Deum formaliter, & directè, in hoc enim casu dicitur ille actus simpliciter charitatis, quia ab habitu charitatis elicitur, & secundùm quid misericordiæ, quia habet bonitatem ejusdem speciei cum habitu misericordiæ: ex quo etiam colligitur actus, qui ab objecto sumunt bonitatem, vel malitiam, mi-

nus participare eas rationes, quàm illi, qui ex objecto sive motivo formali volito propter se, bonitatem sumunt, vel malitiam, quia hoc motivum est magis voluntarium juxta illud, *propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Bonitas autem vel malitia, quæ fit propter motivum formale, est propter illud.

188. Sexto, ut actus constituatur in aliqua specie virtutis, necessarium est, quòd producatur intuitu honestatis propriæ talis virtutis; ergo etiam ad hoc, ut actus sit moraliter bonus, requiritur, quòd fiat propter ipsam honestatem objecti. Ant. probatur, quia virtutes sunt habitus voluntatis: atqui habitus specificantur per objecta formalia, sivé speciales honestates; ergo etiam ut actus sit in specie virtutis, debet elici intuitu honestatis formaliter intentæ. Minor probatur, quia si habitus non fierent propter speciales honestates, jam homo malè uteretur virtutibus, quod est contra D. August. tom. 7. lib. 4. contra Julianum. S. Aug.

189. Respondetur concedendo ant. negando consequentiam, quia non omnis actus moraliter bonus, est actus virtutis per se, & formaliter: sed quidam actus, est actus virtutis perfectè, & directè: quidam verò reductivè; ille enim, qui elicitur ab habitu virtutis, vel intuitu honestatis, per se & formaliter constituitur perfectè in specie virtutis; qui verò ab eo non fit, nec intuitu honestatis, reductivè pertinet ad illam virtutem ex doctrina data in solutione superioris argumenti. Cur verò actus non requirat objectum formale, propter quod, habitus verò illud requirant? est quia habitus determinant potentiam ad actus virtutis specialis, non verò actus. Quod si volueris aliter respondere huic argumento, & quidem bene respondebis, distinguendo antecedens: Ut actus constituatur in aliqua specie virtutis, necessarium est, quod producatur intuitu honestatis per se & formaliter, concedo; propter se nego: ad probationem negando Minorem; ut enim ad honestatem actus sufficit, quod honestas per se intendatur, ita etiam ad honestatem habitus. Ad probationem verum est, quod virtutibus homo male uti potest, si loquamur de actibus, si eas assumere voluerit voluntas ut instrumenta vitiorum. Ex quo etiam probata relinquitur secunda pars nostræ conclusionis, nimirum quòd sufficiat ad honestatem actus esse per se, & formaliter volitam.

190. Tertia vero pars, quod non sufficiat honestatem esse volitam materialiter, est communis Doctorum, tam 1. quàm 2. sententiæ, præcipue verò probatur à Suar. disp. 4 sect. 1. numero 8. Primò quia actus non specificatur ab objecto materiali, sed formali, siquidem circa idem objectum materiale, diversi actus versantur. Secundo quia objectum formale est bonum, ut est tale; ergo objectum actus moraliter boni & honesti, debet esse bonum ut honestum. Ant. patet, quia objectum voluntatis est bonum ratione boni. Consequentia patet quia objectum ut bonum in communi, commune est actibus bonis, & malis; ergo ut specificet actum honestum, debet esse bonum honestum.

191. Dices: Ut actus sit malus non requiritur quòd voluntas per se & formaliter tendat in malitiam, sed sufficit quod voluntas velit malitiam ratione alicujus boni, cui malitia inest; ergo similiter ut actus sit bonus, non requiritur quod voluntas velit bonitatem ratione alicujus, cui inest bonitas. Respondetur negando consequentiam, quia cum objectum voluntatis sit bonitas, non potest velle malitiam ratione malitiæ, quod jam est principium Philosophicum expressum à D. Dionysio cap. 4. de divinis nominibus: ubi ita, *nemo proposito sibi malo facit quod facit,* & à D. August. lib. 2. confessionum cap. 5. & 13. de civitate cap. 5. approbant communiter Theologi cum D. Thoma 12. q. 8. art. 1. Scot. in 2. dist. 23. q. 1. n. 4. & in 4. dist. 49. q. 10. n. 7. ac proinde semper voluntas ut velit malitiam, debet velle aliquod bonum, cui annexa sit & hic habet locum proloquium Dionysii, *malum ex quocumque defectu.* S. Dion. Areop. S. Aug. D Thom. Scotus.

SECTIO SEXTA.

De Bonitate ex objecto.

PRima radix, & origo bonitatis actuum humanorum, est objectum: non qualecumque, nec latè, sic enim omne volitum esset objectum, & per consequens circumstantiæ cum sint volitæ subirent rationem objecti: sed strictè ut terminat, & specificat actum voluntatis. Verbi gratia, in amore Dei, Deus est objectum amoris. Accipitur etiam in præsenti objectum, non in esse rei, seu naturæ, sed in esse moris, ut convenientiam dicit cum recta ratione eo modo, quo explicatum est disput. 2. sect. 1. & 2. à n. 3. & disp. 3. sect. 3. subsect. 3.

SUBSECTIO PRIMA.

Utrum aliqua bonitas desumatur ex objecto.

192. CErta est resolutio affirmativa, eam tradunt Angelicus & subtilis Doctor, cum discipulis, nec aliquis Doctor est, qui oppositum sentiat: ideo eam unico fundamento probo: Actus voluntatis est intrinsecus ordo ad objectum; ergo quando objectum fuerit honestum, honestus erit actus, & quando inhonestum fuerit objectum, malus erit actus. Consequentia vera est, quia sicut malum est velle id quod turpe est, ita bonum erit velle, quod honestum est. Confirmatur ex Osea cap. 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*, ubi Propheta ex malitia objecti dilecti colligit personæ malitiam, quæ tantùm esse potest malitia actus; ergo etiam ex honestate objecti dilecti colligenda est honestas actus, ut bene ad illa verba dixit Rupert. Abb. *unusquisque est, quale est illud quod diligit*: nec dissimilis illa vulgaris sententia S. August. tract. 2. in Joan. in fine, *si terram diligis, terra es: si Deum diligis, quid dicam? Deus eris*: & Epistola 52. post medium: *Mores nostri* (idest actus voluntatis) *ex eo quod quisque diligit dijudicari solent, quia non faciunt bonos vel malos mores nisi boni vel mali amores.* D. Thom. Scotus. Oseæ cap. 9. Rupert. S. August.

193. Sunt tamen aliqua argumenta contra hanc verissimam resolutionem. Primum est, Objectum est extrinsecum actui, & non nisi per intellectum propositum movet voluntatem; ergo honestas, sive malitia, quam in se habet, non confert ad honestatem, vel malitiam actus. Consequentia probatur, quia bonitas actus, est actui intrinseca; ergo ab extrinseco provenire non potest. Respondetur negando consequentiam, ad probationem negando consequentiam: bene enim potest esse objectum extrinsecum actui, & ordo ad objectum intrinsecus ipsi actui, & cum iste ordo sit ad objectum honestum, honestas actus ab honestate objecti desumetur, nam specificatio actus

actus est ab objecto, ut à forma extrinseca, & ab ipsa tendentia ut à forma intrinseca.

194. Secundum: Objectum, si in se fuerit turpe, & invincibiliter proponatur per intellectum ut honestum, erit honestum; actus, qui circa illud versatur, erit in se honestus: & si objectum fuerit in se honestum, & ut turpe proponatur, actus erit turpis; ergo ab honestate, vel malitia objecti, non desumitur bonitas, vel malitia actus. Respond. distinguendo consequens; ergo ab honestate vel malitia objecti in se, & à parte rei, non desumitur bonitas vel malitia actus, concedo: ab honestate vel malitia objecti proposita per intellectum, nego: honestas enim sumitur ab objecto moraliter honesto, honestas autem objectiva moralis debet esse proposita per intellectum ex dictis supra à num. 24. siquidem actus voluntatis non specificantur ab objecto secundùm se, sed per intellectum propositis.

195. Tertium: Idem objectum potest esse objectum boni vel mali actus; ergo à modo tendendi in objectum, & non ab ipso objecto sumitur honestas, vel malitia actus. Probatur, quia Deus est objectum amoris & odij: pecunia objectum est liberalitatis & avaritiæ. Respond. distinguendo ant. idem objectum potest esse objectum in esse naturæ, vel materialiter boni, & mali actus, concedo: in esse morali & formaliter, nego: deinde nego consequent. quia una & eadem res materialiter, & in esse naturæ, potest esse multiplex formaliter in esse moris, ut diximus, disput. 2. numero 171. & supra à numero 270. quamvis idem objectum non possit esse objectum bonum & malum respectu ejusdem actus, respectu diversorum non est inconveniens ut eadem res materialis sub diversa ratione formali sit objectum visus, intellectus, & voluntatis.

Quartum: Potest actus esse bonus, & objectum malum; & potest actus esse malus, & objectum bonum; ergo jam bonitas actus non sumitur à bonitate objecti, nec malitia actus à malitia objecti. Antecedens probatur primo, quia dilectio peccatoris est actus bonus, peccator autem objectum malum; odium peccati est actus bonus, peccatum autem intrinsecè est malum. Secundo, quia odium Dei est actus malus, objectum (nimirum Deus) est omnino bonum sine aliqua admixtione malitiæ. Tertio, quia amor objecti in se boni ex intentione mali finis, est malus; & tamen intentio non ponitur ex parte objecti; ergo jam actus malus versatur circa objectum bonum. Quarto, quia si Deus probiberet sui amorem, & actum spei, siquis Deum amaret, aut eliceret actum spei circa beatitudinem, actus illi amoris Dei, & spei essent mali, & tamen nec Deus, nec beatitudo possunt esse objecta mala; ergo jam actus mali versantur circa objecta bona.

Hoc argumento Arriaga tom. 3. in 1.2. tract. de actibus humanis disput. 14. sect. 4. numer. 17. affirmat amorem bonum requirere objectum bonum, & amorem malum, objectum malum; odium bonum requirere objectum malum, & odium malum, objectum bonum; & per consequens non esse necessarium, quòd bonitas actus desumatur ab honestate objecti, nec malitia actus à malitia objecti, cum quo coincidit opinio Salas tract. 3. in 1.2. disput. 2. sect. 2. ad quartum: Montesin. disput. 21. sect. 3. numer. 7. asserentium ad actus voluntatis per modum fugæ, id est, nolitionis, quale est odium, requiri malitiam in objecto pro actu bono, & bonitatem pro malo, nam fuga mali bona est, ut fuga boni mala: ad actus verò prosecutionis, sive volitionis, qualis est amor, requiri bonitatem in objecto, pro actu bono, & malitiam pro malo, quæ quidem responsio probabilis est.

196. Sed mihi ex duplici ratione non probatur. Prima desumitur ex Suar. tract. 3. in 1.2. disput. 2. sect. 5. numer. 13. qui nullum admittit actum odij, qui sit pura fuga, ut disput. 4. à numero sexto dicendum est, quia in hac solutione non servatur proportio inter mensuram & mensuratum, non enim est mensura bonitatis, malitia; nec malitia bonitatis. Tandem, quia *tale est specificatum, quale specificativum*; ergo si specificativum est malum, quomodo specificatum erit bonum? ac proinde propter illa argumenta non est recedendum ab illa communi doctrina tradita, quòd bonitas actus desumatur ab objecto bono, & malitia actus ab objecto malo.

197. Quare respondendum sentio negando anteced. ad primam probationem, peccatorem esse objectum malum reduplicativè, quatenus peccator est, attamen ut objectivè proponitur amandus secundùm legem charitatis, est objectum bonum: similiter peccatum, licet in se sit malum, tamen ut proponitur fugiendum, bonum est.

198. Ad secundam respondet Suar. citat. nec Deum, nec virtutes esse objecta odij, sed ipsum non esse Dei, & non esse virtutum: ac proinde objectum odij, cum non sit Deus, sed non esse Dei, quod est objectum malum: Verùm licet hæc solutio optima sit, non tamen applicari potest omnibus actibus malis, nam vita proximi bona est, occisio mala; veracitas Dei optima, dubium de ea pessimum; quare circa objecta bona versari possunt actus mali, sed illa objecta, ut sunt objecta formalia specificativa actus mali, sunt mala, & non bona, cum enim objectum morale non specificet actum secundùm eam rationem, quam habet à parte rei, sed secundùm quam proponitur per intellectum, in uno, eodemque objecto physice optimo, qualis est Deus, reperiri potest convenientia & disconvenientia moralis, in ordine ad actus voluntatis, ac proinde potest objectum esse conveniens, id est bonum, respectu unius actus, & disconveniens, id est malum, respectu alterius; & inde est, quod Deus ut proponitur disconveniens respectu odij, est objectum malum; ut conveniens respectu amoris, est objectum bonum.

199. Ad tertiam, respond. concedendo Majorem, negando Min. & consequentiam: tùm quia objectum illud est malum, cum non sumatur secundum se, sed ut refertur ad finem: tum quia cum illud objectum sit medium, intentio ponitur ex parte illius; quod probandum est inferius sect. 8. à num. 557.

Ad quartam respondeo: Transeat major, de qua infra sect. 13. quia cum ille amor Dei esset prohibitus, jam foret objectum malum, non enim bonum esse potest, quod prohibitum est, ut eo loco dicemus.

200. Quintum: Licet objectum intellectus sit optimum, potest circa illud versari cognitio mala, & licet objectum sit pessimum, circa illud potest versari cognitio optima; ergo simi-

liter philosophandum videtur in actibus voluntatis. Anteced. patet quia Deus cognoscit peccata, cognitio autem Dei non potest esse melior, nec aliquod objectum potest esse pejus quam peccatum: similiter rusticus minimam habet cognitionem Dei, & tamen objectum est Deus, quod est optimum, & cognitio mala (suppono enim talem esse.) Resp. negando consequent. quia intellectus objectum attingitur ut verum; quod si verè & plenè cognoscatur, conformatur actus objecto, estque cognitio optima, licet objectum malum sit: si autem non plenè intelligatur, nec verè, actus difformatur objecto, estque cognitio mala, licet bonum sit objectum: at verò objectum voluntatis est bonum, & ideo si voluntas velit bonum, quod non sit honestum, peccabit: Insuperque intellectus sistit in cognitione, quæ licet sit objecti pessimi, potest servire ad optimum finem: actus verò voluntatis immediatè ordinatur ad operationem, cujus executio mala est, ita Granado disp. 2. num. 8. tract. 10.

201. Sextum: Sequitur actum interiorem desumere bonitatem ab objecto, hoc autem est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Sequela patet quia actus exterior est objectum actus interioris. Minor. probatur, quia actus exterior ab interioti accipit bonitatem, vel malitiam; ergo interior ab exteriori eam non accipit. Probatur hæc consequēt. quia in utroque actu datur eadem bonitas, vel malitia; ergo dabitur circulus. Probatur hæc consequentia, quia ideo actus exterior est bonus, quia ab interiori accipit bonitatem, & ideo interior est bonus, quia ab exteriori accipit bonitatem.

202. Respondetur primo concedendo sequelā, & negādo Minor. Ad probationem negādo antecedēs, namque actus exterior ab interiori non accipit bonitatem vel malitiam, cum in utroque actu non detur una eademque bonitas aut malitia, sed diversa, ut dicam infra sectione 12. subsect. 6. accipit ergo actus exterior ab interiori rationem imputabilitatis, sive rationem cur ea bonitas vel malitia, quæ in actu reperitur, imputetur ad culpam vel ad meritum, ut eo loco latius dicam. Sed quia communiter asseritur unam & eamdem bonitatem esse in utroque actu, ideo

203. Respondetur secundo negando Minor. Ad probationem distinguo ant. actus exterior ab interiori accipit bonitatem formalem, concedo; objectivam, nego: deinde distinguo consequens; ergo actus interior ab exteriori non accipit bonitatem formalem, concedo: objectivam, nego: nam actus exterior ut objectum est, confert bonitatem objectivam actui interiori; ut autem est veluti effectus actus interioris, ab eo accipit bonitatem formalem, non quidem intrinsecam, sed extrinsecam per denominationem desumptam ab actu interiori; quare licet bonitas formalis in utroque actu, sit eadem, non tamen objectiva, hanc enim non habet actus interior, nisi respectu alterius actus voluntatis. Ex quo patet non dari circulum formalem, ad hunc enim requiritur quod eadem forma utrobique conferatur, eodem modō, & in eodem genere causæ: quod totum hîc deficit, nam actus exterior tribuit actui interiori bonitatem formalem in genere causæ formalis extrinsecæ, interior verò tribuit actui exteriori bonitatem formalem, per solam denominationem extrinsecam.

204. Dices: Si actus exterior conferret bonitatem, ut objectum confert, prius debebat in se bonitatem habere, quam ipsemet actus interior: atqui ab actu interiori actus exterior accipit bonitatem; ergo illam non confert actui interiori. Major probatur, quia nulla causa confert id, quod non habet. Respondetur distinguendo Major. actum exteriorem in se habere bonitatem objectivè, concedo: formaliter, & imputabilitet, nego: nam actus exterior, ut confert bonitatem formalem actui interiori, est causa æquivoca extrinseca, causa autem æquivoca non confert eamdem virtutem effectui, quam in se habet, sed diversam, & ita actus exterior confert actui interiori bonitatem formalem, & in se habet objectivam, est què prior illa bonitate formali, quæ tribuitur actui interiori.

205. Septimum: Objectum indifferens non tribuit bonitatem actui; ergo ab omni objecto non sumitur bonitas formalis actus. Respond. concedendo totum: non enim asserimus ab omni objecto desumi bonitatem formalem, sed omnem bonitatem formalē desumi ab objecto morali et honesto: objectum autem indifferens, nec morale, nec honestum est, ex infra dicendis disp. 5. sect. 1. subsect. 1.

206. Instabis: Si quis propter meditationem velit ire in agrum, actus ille bonus est: sed bonitas illius actus non desumitur ab objecto, sed à fine operantis: ergo jam falsum est, quod omnis bonus actus desumatur ab objecto. Respondetur negando conseq. quia in eo casu, finis operantis non tantum habet rationem finis, sed etiam objecti: ac proinde bonitas illa desumitur à fine, ut sortitur rationem objecti.

207. Urgebis. In præsenti sumitur objectum, ut distinguitur à fine operantis: atqui finis, propter quem itur in agrum, est finis operantis: ergo non potest esse objectum, ut hîc sumitur. Respondetur distinguendo Major. si detur objectum, quod specificet actum, concedo: si non detur, nego: certum enim est, finem operantis objectum esse actuum voluntatis: dicitur verò distingui ab objecto, quia juxta communem omnium sententiam, finis operantis est circumstantia, & cum non possit esse circumstantia, nisi prius actus constituatur in specie boni, vel mali ex objecto, sequitur quod quando finis tribuit primam speciem actui, & primam bonitatem essentialem, non est circumstantia, sed verum objectum, cum nihil aliud detur, per quod ille actus specificetur: undè cum objectum indifferens, nec sit morale, nec honestum, nec positive constitutum in aliqua specie ex dicendis citato loco, non potest tribuere primam & essentialem bonitatem actui; quare cum tribuatur à fine operantis, desinet ille finis esse circumstantia, & transibit in rationem objecti primarii.

208. Inferes: Ergo jam electio illa itineris non specificatur ab itinere, hoc autem est falsum; ergo &c. Major est certa, quia actus ab objecto specificatur. Minor. probatur, quia electio specificatur à medio, & non à fine, sed medium est iter; ergo. Respondetur negando Major. Pro quo noto duplicem rationem inveniri in illa electione: unam in esse naturæ, alteram in esse moris: in esse naturæ electio specificatur ab illo objecto, idest itinere: in esse moris, & ut honesta, specificatur ab eodem itinere, ut medio relato ad finem: & cum illud medium nullam habeat honestatem, nisi relate ad finem, sicut à fine totam accipit honestatem, ita electio à fine etiam totā honestatem accipit, ac proinde tota specificatio electionis honestæ à fine est.

209. Dices: Licet objectum sit extrinsecum, tamen tendentia electionis ad illud est intrinseca electioni; ergo etiam, licet bonitas sit extrinseca medio, tendentia tamen electionis honestæ ad illud, erit intrinseca. Resp. concedendo totū. Quod si

inferas; Ergo electio specificatur à medio, quoad honestatem; Resp. distinguendo illationem, secundùm suam honestatem propriam, nego: secundùm honestatem relatam, quæ tota à fine est, concedo: Unde in electione & intentione unica tantùm dabitur bonitas essentialis, quia unicum tantum datur specificativum, nimirum honestas finis; nam honestas medij non est alia quam illa honestas finis: quæ quidem solutio solum procedit de actibus ex genere indifferentibus, qui nullam bonitatem, vel malitiam moralem recipiunt à proprio subjecto; non verò de actibus, qui versantur circa objecta bona, vel mala, ut infra section. 8. subsect. 5. dicendum est.

210. Et quamvis aliqui dentur actus circa objecta ex se bona, quæ tamen præcisa ratione & bonitate finis non conferunt bonitatem moralem; tamen non est dicendum, quod actus ab illis objectis, posito fine non recipiant specialem bonitatem, diversam ab ea quæ provenit à bonitate finis: Verbi gratia fortitudo talis conditionis est ut amara secundum se, nullam afferat bonitatem: ex doctrina D. Thom. 2. 2. quæst. 124. art. 3. similiter Virginitas ex eodem D. Thom. 2. 2. q. 152. art. 3. ad 5. nam actus, qui versatur circa for-
D. Thom. titudinem vel virginitatem, non sunt boni moraliter, si versentur circa ea objecta secundùm se, necesse est enim quòd ulterius referantur ad altiorem finem.

211. Et ratio est, quia tunc finis non est ratio cur actus fortitudinis vel virginitatis sit bonus moraliter, hoc enim munus subit finis operantis tantùm respectu objectorum, quæ nullam habent bonitatem: sed est conditio, & connotatum, ex eo quòd licet objectum absque illo fine non esset moraliter honestum, absolutè tamen bonum est, dummodo connotet bonum finem: quare actus ille erit bonus, quia conducit ad talem finem, non ut ratio formalis, sed ut connotatum, ideo quamvis tolerantia mortis non sit bona absolutè, requiratque ordinationem ad finem altiorem, tamen ex suppositione quod ordinatur, per se est bona, habetque specialem convenientiam ad rationem, difficultatemque specialem ex propria materia, quam habet finis, indeque non potest non esse diversa eius bonitas à bonitate finis, nec enim appetitur tantùm propter finem, nec tantùm ut medium, sed ut talis est posito fine, fine quo licet non possit appeti, potest tamen illo posito appeti, cujus solutionis doctrinam eleganter tradunt Carmelitani, tom. 12. disp. 3. dub. 1. à num. 25.

Per quæ solvuntur argumenta, quæ congerit Araujo q. 18. art. 2. n. 20. asserens in hoc casu finem operantis non esse objectum, pluraque tribuere actui bonitatem accidentalem, & quando Doctores asserunt bonitatem desumi ab objecto, intelligendum esse de bonitate essentiali, & nititur soluto argumento, eius vero doctrina impugnanda est infra q.

SUBSECTIO SECUNDA.

Utrum Bonitas desumpta ab objecto sit prima.

212. RESp. affirmativè. Est conclusio ferè omnium Theologorum, quorum citationi, ut superfluæ supersedeo. Probatur, quia actus ab eo sumit suam primam bonitatem essentialem, à quo desumit bonitatem genericam & specificam: sed utramque accipit ab objecto; ergo etiam primam bonitatem ab illo accipit. Consequent. optima est; Probabitur Minor subsect. sequenti: Major ostenditur primò, quia præter genericam & specificam rationem, non apparet aliud, quòd sit essentiale actui. 2. quia *nil convenit priùs actui, quàm eius essentia*; ergo si essentialis bonitas, tàm generica quam specifica ab objecto desumitur, etiam desumitur prima.

213. Hanc resolutionem adeo veram videntur opugnare Angelicus, & Subtilis Doctor, quatenus asserunt rationem bonitatis in actu desumi ex principio, à quo elicitur. Ita D. Thom. in 2. dist. 36. q. 5. art. 5. ubi docet primam bonitatem actus D. Thom.
desumi ex convenientia cum sua causa: Scot. in 2. dist. 40. qu. unica n. 3. vers. *de secundo*, ait, *Prima ratio bonitatis eius, est ex convenientia actus ad* Scotus.
efficiens, à quo actus dicitur moralis, quia liberè elicitur. Horum Doctorum dicta adeo videntur clara, ut contra nostram conclusionem videantur stare, ideo eorum mens serio speculanda est.

214. Resp. 1. Araujo q. 18. art. 2. dub. 1. n. 18. per totum, utrumque Doctorem loqui de bonitate morali: pro qua interpretatione supponit actionem dicere respectum ad principium, & tendentiam ad objectum, & actionem (ut actio est) sumere bonitatem primam à principio: & ut tendentia est, ab objecto, & hoc modo ei videtur componere diversa horum Doctorum dicta: qui quidem modus dicendi similis est illi, quem de moralitate impugnavi disp. 2. à n. 163.

215. Sed hæc expositio præterquam quòd sit contra communem Expositorum interpretationem, vera non est: primò quia moralitas non sumitur per ordinem ad principium, sed per ordinem ad objectum; ergo similiter prima bonitas moralis non intelligitur sine ordine ad objectum.

216. Dices cum Araujo: Illa actio, ut consona rationi, quatenus est regula morum, non est bona naturalis; ergo est moralis & bona. Respondeo, Trāseat totum, sed non sequitur; ergo actus à principio habet suam primam bonitatem moralem: actio namque non intelligitur constituta in sua ratione formali sine tendentia ad objectum, nec principium intelligitur subjectum in actu primo sine actu, siquidem principium subjicitur propter actum, & per actum specificatur iuxta Aristotelem 2. de anima cap. 4. Ergo ex eo principium illud Aristot.
est subjectum rationi, quia est elicitivum actus, qui quidem actus intelligi non potest in sua essentia constitutus sine objecto. Confirmatur, quia ex eo, voluntas subjicitur rationi, estque principium morale, quia intellectus demonstrat & dictat de objecto, quod sit conforme vel difforme rationi: atqui dictamen illud intellectus versatur circa objectum morale; ergo ex conformitate cum objecto, & non ex convenientia cum principio desumenda est prima bonitas moralis actus.

217. Secundo, quia bonitas honesta non potest esse communis actioni bonæ & malæ: sed ratio illa actionis, ut est à principio, communis est actioni bonæ, & malæ; ergo non potest esse honesta. Major est certa, nam ratio, per quam unus actus ab alio distinguitur, non potest convenire alteri actui, quem distinguit; siquidem ratio illa, est radix differentiæ, non convenientiæ: atqui bonitas honesta est ratio per quam actio bona à mala distinguitur; ergo non potest esse communis & conveniens actioni malæ. Minorem tradit S. Doctor cit. loco 2. & Scot. cit. etiam loco 2. & quodlibeto 18. art. 2. vers. de 2. & vers. *ex his*. Insuperque probatur, quia illa ratio actionis, ut est à principio, vel est ratio libertatis, vel vitalitatis: atqui libertas, & vitalitas, com-

munis est actioni bonæ & malæ; ergo non potest esse honesta.

218. Dices: Quamvis illa ratio sit communis, ut est à principio absolutè, non tamen ut est à principio morali, subjecto videlicet regulæ morum. Sed contra, quia actio antecedenter ad objectum, nec genericam, nec specificam rationem actionis habet, cum omnis ratio formalis actionis consistat in formali tendentia ad objectum; ergo non potest habere convenientiam moralem cum suo principio, antequam intelligatur tendens ad objectum, cum nulla convenientia intelligi possit in actu, quæ sit prior sua essentia.

219. Dices, Præcisa ratione tendentiæ, illa actio est bona, & conveniens suo principio morali. Sed contra, quia supponitur falsum, præscindi posse rationem tendentiæ ab actu, aut intelligi posse actum sine illa tendentia: quamvis enim causa efficiens tribuat esse actioni, non tamen prius, & præsuppositum ad causalitatem causæ formalis objectivæ, à qua ad minus illa actio specificatur in genere moris.

220. Dices, Etiam si non desumatur prima ratio bonitatis à principio solum, à principio tamen, & ab objecto desumetur. Probatur, quia ut actio dicit ordinem ad objectum, ita dicit ordinem ad principium. Resp. distinguendo ant. Prima ratio bonitatis desumetur etiam à principio in genere causæ efficientis, concedo: formalis, nego. Ad probationem nego ant. Non enim actio dicit æqualiter ordinem ad principium & ad objectum; nam ordo ad objectum est id, in quo formaliter actio consistit; ordo verò ad principium, dicitur de connotato: vel est ad principium, ut ad conditionem communem & necessariam omnibus quæ sunt in rerum natura, eo enim ipso quod sunt, ab alio sunt: aliter actio mala foret honesta, quia dicit eundem ordinem ad principium. Nec obstat, quod ordo actionis malæ sit ad principium, ut disconveniens rationi, nam hæc disconvenientia principij non oritur à principio, sed tota est, quia actio disconvenit objecto, quod est primum specificativum actionis.

221. Respondet 2. Conrad. 1. 2. q. 18. art. 2. D. Thom: intelligendum esse de bonitate naturali, Scotum verò de morali: attamen ista expositio, licet optima sit circa mentem D. Thomæ, tamen non bono animo, nec amica scrutatione versatur circa mentem Scoti, quod mirandum est, cum verba utriusque Doctoris sint eadem. Respondet 3. Montesin. disp. 23. q. 2 §. 1. n. 4. utrumque Doctorem intelligendum esse de ratione quadam communi generica, & morali, communi quidem actioni bonæ & malæ. Sed hæc expositio falsissima est, quia supponit moralitatem actus desumi per ordinem ad principium quod

222. Ideo uterque Doctor exponendus est de bonitate naturali, & transcendentali: ita Vasques disp. 50. cap. 1. n. 1. vers. *caterum*. Cutiel. q. 18. art. 1. dub. 2. §. 5. ad 2. Cornejo tract. 6. disp. 3. dub. 2. vers. *pro contrariá*, Araujo, & Montesinus, qui etiam hanc adhibent expositionem; Carmelitani citati disp. 3. dub. 1. §. 2. num. 5. ita etiam explicat Scotum Gabriel in secundo distinct. 40. quæst. 1. articul. 1. notabili 1. Herrera disput. 28. Cajet. de hoc non agit, nec asserit in hoc discordare Scotum à Divo Thom. ut minus considerate dixit Vasques num. 1. ut videre est quæst. 18. art. 2.

223. Quam quidem expositionem circa Angelicum Doctorem probo ex eodem quæst. 2. de malo artic. 4. in corp. ubi sic, *nam si consideremus actum in quantum est actus, bonitas eius est, ut sit quadam emanatio secundùm virtutem agentis.* Quo loco certè loquitur de bonitate naturali, tum quia loquitur de actu secundùm rationem actus, id est, in esse naturæ: tum quia in fine articuli ad 11. distinguens triplicem gradum bonitatis in actibus moralibus, primum gradum constituit per comparationem ad objectum: quæ doctrina cohæret cum alia, quam tradit idem sanctus Doctor 1. 2. quæst. 18. art. 2. in corp. *Primum autem, quod ad plenitudinem essendi pertinere videtur, est id quod dat rei speciem: sicut autem res naturalis habet speciem ex sua forma, ita & actio habet speciem ex objecto; Ita & prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti.*

224. Circa mentem Scoti eandem expositionem colligo, ex eodem Scoto, primo quia eo loco citato secundi dist. 40. asserit illam bonitatem esse communem actui bono & malo, ex quo legitime infertur talem bonitatem non esse honestam. Secundo quia in 2. dist. 7. quæst. 1. numer. 15. vers. *de primo* asserit ultra bonitatem naturalem volitionis, quæ illi convenit, in quantum est ens positivum, dari triplicem bonitatem moralem, quarum prima desumitur ab objecto, *& hac* (ait) *est prima bonitas moralis*, & infra docet, ideo illam bonitatem esse in genere moris, & non naturæ, quia solum ex objecto constituitur actus in esse moris. Tertio probatur ex doctrina, quam habet in primo dist. 17. quæst. 3. numero 4. præsertim vers. *quantum*, ubi affirmat potentiam non esse causam bonitatis moralis; ex eo quod hæc bonitas consequitur ex extremis positis, & ex doctrina quodlibeti 18. art. 1. vers. *ulterius*, ubi docet primam determinationem actus moralis provenire ab objecto. *Ista determinatio obiecti, est prima determinatio, qua pertinet ad genus moris.* Scotus.

225. Unde quando Scot. dist. illa 40. asserit primam bonitatem moralem esse ex convenientia cum potentia, non est intelligendus de bonitate honesta, sed de communi morali, & transcendentali, ut explicant Lichet. ibi & Herrera citatus: non quod à potentia sit moralitas, tamquam à causa formali specifica, sed velut à causa morali efficienter, requiritur enim necessario libertas, sine qua actus non esset moralis, & ideo hanc bonitatem naturalem vocat Scotus primam; quia prior est honesta & moralis: moralitas enim includit ordinem ad principium, & ad objectum: ad principium, ut quid materiale; ad objectum, ut quid formale, ac proinde ordo ille ad principium, ut quid materiale, prior est prioritate naturæ, sive originis, ut etiam materia est prior forma. Videantur quæ diximus disp. 2. sect. 13. à n. 163.

226. Adhuc tamen objicies, etiam primam bonitatem naturalem, sive in esse naturæ, desumi ab objecto. Probatur, quia actus in esse naturæ specificantur per objecta. Resp. negando ant. ad probationem, concedo antecedens, nego consequentiam, quia aliud est loqui de specificatione actus, aliud de libertate actus: specificatio ab objecto desumitur, libertas à potentia indifferenter operáte, non quod libertas sit denominatio extrinseca, sed quia dependentia illa activa, vel passiva, ideo est libera, quia potentia libere operatur; & sic bonitas libertatis à potentia ut à causa efficiente desumitur: de qua quidem prædicti Doctores loquuntur, cum loquuntur de prima bonitate actus moralis, quæ debet esse

libertas, cum sit fundamentum, & materiale moralitatis: quod si loquantur de ipso actu, tunc explicant primam bonitatem per principium efficiens, non excludentes principium formale, idest, objectum: ut bene notavit Curiel. citatus §. 4.

22.. Dices, Esse liberum, dicit bonitatem moralem distinctam omnino à bonitate, quæ salvari potest sine libertate; ergo si bonitas libertatis desumitur à potentia, etiam bonitas moralis ab eadem desumetur. Respondet Suar. disp. 5. sect. 3. n. 20. libertatem potentiæ in actu primo esse naturalem, & libertatem actus, seu potentiæ in actu secundo, esse denominationem extrinsecam, quæ dici potest bonitas moralis, non quidem honesta, sed communis actibus bonis & malis, quæ adjuncta honestati, ei tribuit quemdam valorem, qui dici potest dignitas moralis, non orta ex honestate solùm, nec solùm ex libertate, sed ex utraque simul, idest, ex libera honestate. Sed hæc doctrina fallit in eo quod asserit libertatem esse denominationem extrinsecam, ideo respondetur negando ant. libertas enim non est forma moralitatis, quamvis illius sit necessarium fundamentum, ex quo adjuncto bonitati, nascitur illa dignitas.

228. Hæc solutio procedit juxta illos, qui illam bonitatem primam naturalem appellant liberam, non si procedat juxta eos, qui prædictam bonitatem physicam appellant, nam in hoc casu, verum est, quod utraque bonitas ab objecto desumitur, attamen cum illa bonitas transcendentalia non attendat determinatum objectum, sicut moralis, sufficit ad concipiendam bonitatem naturalem provenientem à potentia, ut eam intelligamus bonam, præciso ordine ad objectum, sicut eam intelligimus esse entitatem; non tamen hoc procedit à bonitate morali, cum hæc postulet determinatum objectum.

SUBSECTIO TERTIA.

Utrum Bonitas ab objecto desumpta, sit specifica

229. QUæstio est utrum illa bonitas, quæ sumitur ab objecto sit, species infima & ultima in gradu essentiali? Respondetur affirmative, cum communi Doctorum sententia, inter quos videri possunt Vasques disp. 50. cap. 1. & 2. Suar. disp. 4. sect. 1. à n. 3. Montesinus disp. 23. q. 1. §. 2. & 3. Curiel. q. 18. art. 2. dub. 2. §. 6. Granado tract. 10. disp. 2. controvers. 2. Perez lect. 1. examinis dub. 1. p. 3. cap. 3. n. 27. Cornejo tract. 6. disp. 3. dub. 3. Aravio q. 18. art. 2. n. 17. Raynaud. dist. 4. q. 1. art. 4. n. 63. Aluares disp. 69. Salas, Lorca, Puteanus, Cajet. Medin. quos referunt, & sequuntur Carmelit. disp. 3. dub. 2. §. 1. n. 19.

230. Primo prob. quia species bonitatis, nec à principio, nec à circumstantiis desumitur; ergo ab objecto. Patet cõsequent. quia nihil aliud apparet, à quo desumi possit illa species. Antecedens verò probatur: Primo de principio, Voluntas de se est indifferens ad hunc vel illum actum, in hac vel illa specie eliciendum; ergo ab ea non desumitur species bonitatis. Ant. constat, quia voluntas pro libitu, sicut elicit actum bonum, ita valet elicere malum: Consequentia etiam probatur, quia *specificativum alicuius speciei debet esse determinatum. & distinctivum illius ab omni alio*; ergo non potest esse indifferens ad opposita.

231. Probatur secundo de circumstantiis; quia vel sermo est de circumstantiis augentibus bonitatem essentialem, vel de circumstantiis addentibus actui novam speciem bonitatis: si primæ, sunt accidentales, & supponunt actum essentialiter constitutum in specie bonitatis, quæ tota sine aliqua diminutione essentiali, manere potest sine illis: si secundæ, idest, addentes actui novam speciem bonitatis, vel tribuunt primam, vel supponunt primam speciem bonitatis essentialem ab objecto desumptam: si tribuant primam speciem, transeunt in rationem objecti: si addunt novam, jam supponunt speciem essentialem bonitatis ab objecto desumptam.

232. Probatur secundo conclusio, quia actus virtutis ab objecto specificatur; Primo quia quilibet actus ita specificatur: Secundo quia demonstrari hoc potest inductione, actus enim justitiæ ideo ponitur in specie talis virtutis, quia habet pro objecto jus alteri servandum, & per hoc distinguitur ab actu temperantiæ, & sic de aliis: Tertio quia si actus non acciperet bonitatem specificam, & essentialem ab objecto, jam actus ex objecto bonus, & ex fine malus, esset essentialiter malus & per eum nullo modo adimpleretur præceptum, hoc autem est falsum; ergo &c. Major probatur, quia ille actus ex fine haberet speciem suam malitiæ, & per consequens esset essentialiter malus: per actum autem essentialiter malum non potest adimpleri præceptum, siquidem iste actus non potest cadere sub lege. Minor probatur, quia siquia propter inanem gloriam jejunaverit, aut sacrum audierit, implet præcepta jejunii & auditionis sacri: & tamen ille actus esset essentialiter malus, de quo infra disp. 2. numero 165.

233. Tertio, quælibet essentia desumit suam specificam differentiam à sua forma; ergo ab objecto illam desumet actus moralis. Ant. patet, quia differentia est forma ultima essentiæ: consequentia ostenditur, quia objectum est forma actus. Probatur: Essentia respectiva, ut est actus, duplicem habet formam, unam intrinsecam, quæ immediate, & per se tribuit esse; alteram extrinsecam, quæ ita est terminus, & mansura intrinseca, ut quidquid in hac fuerit, ab ea totum desumatur, ista autem forma extrinseca, est ipsum objectum.

234. Sed contra hanc doctrinam sunt non levia argumenta. Et primo opponitur authoritas Angelici, & Subtilis Doctoris, nam sanctus Doctor in 2. dist. 36. q. 5. art. 5. *ad tertium* & 1. 2. q. 18. art. 2. in corpore appellat bonitatem ex objecto genericam: Scot. eamdem bonitatem appellat genericam, & determinabilem per circumstantias. Ita in 1. dist. 7. q. 1. n. 11. vers. *de primo* & dist. 40. q. unica n. 3. vers. *secunda*: expressius quodlibet. 18. art. 1. vers. *ulterius*; ergo ex mente utriusque Doctoris bonitas desumpta ab objecto, non est specifica, sed generica.

D. Thom.

Scot.

235. Plerique Thomistarum, dum exponunt D. Thom. asserunt Scot. dissentire à D. Thom. nam D. Thom. intelligitur de bonitate generica, sumpto genere pro specie, respectu circumstantiarum: Scot. vero intelligitur de bonitate generica, sumpto genere proprie, & rigorose, quod tamquam genus per bonitates ulteriores ex circumstantiis desumptas, ut per differentias determinatur. Ita Cajet. 1. 2. q. 18. art. 2. ubi Medin. Cornejo citat. vers. *opposita*, Aravio cit. n. 17. vers. *dico 6*.

D. Thom.

Scot.

236. Verum hallucinantur hi Thomistæ in expositione Scoti, melius alii & communiter Do-

ctores, æqualiter utrumque Doctorem interpretantur, & merito cum utriusque Doctoris verba sint synonima: nimirum quod nomine generis uterque Doctor intelligit speciem, ut determinabilis est ad alias bonitates accidentales, quæ ex circumstantiis desumuntur: sicut enim species respectu accidentium assimilatur generi in eo, quod est veluti materia, & potentia respectu illorum, ita bonitas specifica respectu bonitatum accidentalium, se habet tamquam genus, cum sit quid potentiale respectu illarum: ita exponunt utrumque Doctorem ex Thomistis Contad. 1. 2. q. 18. art. 2. Montesin. disp. 13. §. 2. n. 9. Curiel. citat. §. 6. *ad* 3. Carmelitan. cit. §. 2. n. 22. Vasques disp. 50. n. 2. Suar. disp. 4. sect. 1. n. 2. qui pro eodem modo dicendi refert Henricum, & Gabrielem.

237. Secundo, bonitas quæ sumitur ex objecto, determinabilis est ad alias species bonitatis per circumstantias; ergo non est ultima, & infima species, sed generica. Consequentia patet, quia in genere naturæ, species non est ulterius determinabilis per alias species. Antecedens
D.Thom. probatur à D. Thom. in 2. dist. 36. q. 1. art. 5. *ad* 5. & 2.2. q. 154. ubi inter species luxuriæ numerat adulterium, quod sumitur ex circumstantiis injustitiæ, non ex objecto malitiæ; deinde ratione; quia si eleemosyna fiat propter satisfactionem peccatorum, contrahitur ad speciem pœnitentiæ, si pro Dei cultu fiat, contrahitur ad speciem religionis. Respondetur distinguendo antecedens; bonitas quæ sumitur ex objecto, determinabilis est ad alias species bonitatis in genere essentiali, nego: accidentali, concedo: non enim repugnat, quod species determinetur ad species accidentalis, ut in genere physico, homo, verbi gratia, determinatur ad species albi, vel nigri, calidi, vel frigidi, quamvis repugnet, quod determinetur ad aliquam speciem essentialem animalis: ita etiam actus accipit speciem bonitatis specialem ab objectu: accidentalem à circumstantiis, ut infra patebit, sect. 7. subsect. 2. à numero 522. & hoc modo explicandus est Angelicus Doctor, ut explicat se ipsum ipse sanctus Doctor cit. q. 154. *ad* 2.

238. Tertio (estque difficillimum argumentum) iste actus, *volo honeste vivere*, vel, *esse studiosus*, vel *servare bonitatem*, habet bonitatem primam essentialem & specificam: atqui illam non habet ab objecto; ergo non desumitur ab objecto omnis bonitas formalis actus. Major patet. Primo, quia ille actus convenit rationi: Secundo quia est individuum ab aliis distinctum; ergo debet esse sub aliqua specie. Probatur hæc consequentia, tum quia si non esset sub specie, esset immediatè sub genere, quod est contra rationem individui: tum quia si esset immediatè sub genere, jam distingueretur ab aliis individuis sub eo contentis, juxta Philosoph. 7. Met. Minor proba-
Aristot. tur, quia actus specificantur per objectum: atqui objectum illius actus est indeterminatum, & commune omnibus generibus bonorum objectorum; ergo ex eo desumi nequit aliqua bonitas specifica. Idem argumentum fieri potest de hoc actu, *volo inhoneste vivere per totam vitam*, *volo peccare*, & similibus.

239. Hoc argumentum maxime torquet Doctorum ingenium, quod ex variis eorum responsionibus colligitur. Primo enim respondent Valentia 1. 2. disp. 2. q. 14. puncto 4. Sanchez tom. 1. Decalogi cap. 6. n. 20. negando Majorem, asserunt enim illum actum non esse in aliqua specie determinata virtutis, sed esse actum generalem nulli addictum speciei, & communem esse omnibus speciebus bonitatis vel malitiæ, ex ratione tradita, quia objectum illius actus, cum sit commune, non potest esse specificativum alicujus virtutis specialis.

240. Sed hæc solutio falsa est, & manifestè ejus falsitas probatur primo, quia ille actus est qualitas quædam existens in rerum natura, nimirum in voluntate, & ab aliis actibus distincta; ergo debet constitui sub aliqua specie determinata virtutis. Antecedens est certum. Consequentia patet, quia quidquid existit in rerum natura debet esse determinatum & singulare, constans ex genere & differentia specifica, communia enim non existunt per se, & à singularibus separata, sed per accidens ratione singularium. Secundo, quia jam daretur individuum sine specie, contentum sub aliquo genere, quod in Philosophia est inauditum, individuum enim est compositum metaphysicum constans ex genere & differentia specifica, non verò ex genere & differentia individuante. Tertio, quia jam iste actus distingueretur ab aliis ratione illius per quod cum illis convenit, & ratio differentiæ esset ratio convenientiæ. Ant. patet, quia ille actus non habet aliam essentiam, quam genericam; ergo per genus distingueretur ab aliis actibus: atqui per genus convenit cum illis: ergo per id, in quo convenit, distingueretur.

241. Secundo respondet Salas tract. 7. disp. 2. sect. 7. talem actum esse unum in genere rei, sed multiplicem in genere moris, ex ea ratione, quod objectum illius cum sit omnibus virtutibus commune, virtute & implicite terminatur ad omnium virtutum objecta, ac proinde constituitur in specie determinata generis physici, sed non generis moralis, in quo continetur sub tot virtutum speciebus, quot generare potest illud objectum.

242. Hæc tamen solutio falsa est: primo, quia ille actus non terminatur ad objecta, ut plures sunt, sed ut conveniunt in ratione communi honestatis: ergo non potest accipere ab eis omnes virtutum species, sed unicam speciem honestatis, siquidem *unitas specificativi, unitatem infert specificati*. Secundo, quia sequitur quod ille actus, sive virtutis, sive vitii, non solùm æquivaleat in merito & præmio actibus omnium virtutum particularibus, & in demerito, ac pœna actibus omnium vitiorum, sed etiam quod ille actus bonus sit melior quam Martyrium aut amor Dei: & actus ille malus sit pejor, quam idololatria, & hæresis: hoc autem nec audiendum est, nam elicienti illum actum malum, non est imponenda tanta pœnitentia, ac illis, qui Christum crucifixerunt, nec poniendus est tamquam hæreticus, ut nec eliciens actum illum bonum, exornandus est tamquam Martyr. Sequela autem probatur, quia illi actus continent virtualiter bonitates & malitias omnium actuum bonorum & malorum.

243. Tertio respondet Vasques disp. 50. cap. 2. & 11. illum actum esse in specie infima bonitatis, sed ejus objectum non esse unum specie, sed generice, & analogicè, & hanc unitatem analogicam sufficere ad tribuendam unitatem specificam, infimam, ut Methaphysica est una in specie infima, & illius objectum (nimirùm ens) est unum unitate analogica: similiter etiam sensus communis est unus in specie infima, & illius objectum est quid genericum abstrahens ab ob-

jectis omnium sensuum externorum.

244. Sed hæc solutio deficit. Primo, *ab eo actus desumit unitatem, à quo essentiam:* sed ab objecto accipit essentiam; ergo & unitatem. Tum sic: Objectum est unum unitate analogica; ergo non potest actus esse unus in specie infima, siquidem unitas actus à bonitate objecti petenda est. Secundo, quia exempla, quibus utitur Vasques, illius infringunt solutionem, nam quamvis objectum Metaphysicæ, sit analogum, & quid genericum materialiter, tamen formaliter, & in genere scibilis, est unum unitate infima, siquidem illa scibilitas est ratio quædam particularis, sub qua attingitur à Metaphysica, & non ab aliis scientiis: similiter objectum sensus communis materialiter sunt omnia objecta sensuum externorum, formaliter tamen, est quædam ratio specialis, sub qua sensibile attingitur à sensu communi, & non ab aliquo sensu externo, ac proinde istæ rationes particulares, constituunt objecta Metaphysicæ, & sensus communis una, unitate specifica, & specificativa unitatis Metaphysicæ & sensus communis; ergo eodem modo ille actus honestus specificabitur ab objecto, sub aliqua ratione speciali, quæ illud constituat unum unitate specifica.

245. Omitto alias solutiones, de quibus Zumel q. 71. art. 6. disp. 6. Aravio q. 18. art. 2. dub. 1. n. 24. Curiel ibi §. 5. Montesinos disp. 23. q. 1. §. 2. & respondeo ad argumentum, concedendo Majorem (idest quod iste actus, *volo honestà vivere*, sit honestus in specie infima & ultima virtutis) nego Minorem; idest quod hanc bonitatem non habeat ab objecto. Ad probationem concedo Major. distinguo Minor. Objectum illius est indeterminatum, & commune, in genere rei, concedo; in genere moris, nego: licet enim illud objectum in genere rei, non distinguatur ab objectis virtutum, tamen in genere moris, ut in ratione objecti boni moraliter objective distinguitur ab objectis illarum: nam honestas communis non est honestas particularis, nec est aliqua ratio motiva particularis virtutis, sed est specialis quædam ratio distincta à ratione speciali virtutis, quæ specificat illum actum, & constituit illum in speciali specie virtutis: diversa enim ratio motiva, est honestas secundùm se, ac in communi, quàm sit honestas particularis justitiæ, verbi gratia: sic respondent Suar. disp. 4. sect. 1. n. 14. Cornej. tract. 6. disp. 3. dub. 2. n. 7. Raynaud. dist. 4. cit. n. 63. Curiel §. 6. Lorca q. 18. art. 5. in comment. §. *adversus.* Carmelitani §. 2. n. 25.

246. Instabis: Illa ratio objecti est communis & generica; ergo non potest terminari ab actu particulari, nec illi conferre specificam bonitatem. Respondetur distinguendo antecedent, illa ratio objecti est communis & generica, in esse rei, concedo: in genere moris, & in ratione objecti, nego: ut objectum enim præcisè, & propterea proponitur honestas diligenda, quæ in re est communis: & licet ut sic communis sit, tamen ad tribuendam specificationem actui, modus specialis est, imo commune est actibus voluntatis & intellectus, quòd cum sint singulares, & determinatæ speciei, attingant rationes universales, & communes sub modo speciali: animal enim genus est, & tamen ut est objectum alicujus conceptus formalis, in specie infima ratione objecti, ut etiam ens respectu Metaphysicæ, mobile respectu Physicæ, & sic de aliis.

247. Urgebis: Ab objecto desumitur non solùm specifica, sed etiam generica ratio bonitatis atqui ratio generica non potest desumi nisi ab illa ratione generica, & honestatis in communi; ergo ab eadem ratione formali desumi nequit ratio specifica honestatis. Consequentia optima est, quia una eademque ratio formalis objecti, nequit esse specificativum generis, & speciei: nam specificativum generis, est ratio objecti convenientis cum aliis objectis; specificativum speciei, est ratio objecti disconvenientis ab aliis objectis.

248. Major, in qua est difficultas, admissa est sæpius, præcipuè disp. 1. sect. 2. & supra à n. 212. defenditurque à Suar. sect. 1. n. 9. Cornejo dub. 3. n. 7. Montesinos §. 3. n. 20. Aravio n. 13. & probatur primo, quia totus actus virtutis secundùm totam suam bonitatem essentialiter dicit habitudinem ad objectum; ergo sub quovis conceptu generico vel specifico ille actus concipiatur, habebit proportionalem habitudinem ad objectum, per quam constituatur. Secundo, quia in actibus datur ratio generica, & specifica; ergo etiam in objectis. Aut. probatur exemplo justitiæ, nam commutativa, & distributiva, conveniunt proxime in ratione justitiæ, & remote in ratione virtutis moralis; in qua etiam cum aliis virtutibus moralibus conveniunt: & differunt secundùm proprias rationes, ac differentias. Consequentia etiam probatur, quia objectum Justitiæ, verbi gratia, jus alteri servandum, convenit cum objectis aliarum virtutum moralium remotè, & proximè cum objecto utriusque justitiæ, secundùm rationem justitiæ, differt autem propter specialem rationem.

249. Respondetur concedendo Major. (quæ re vera concedenda est) deinde distinguo Minor. atqui ratio generica desumi non potest, nisi ab illa ratione communi honestatis secundùm eamdem omnino rationem honestatis, nego minorem; secundùm diversam, concedo. Cum enim detur diversa ratio in eadem ratione honestatis in communi, diversum etiam dabitur specificativum.

250. Si autem quætas, quænam sit illa diversa ratio honestatis in objecto repertæ, à qua sumitur genus, & species bonitatis; Respondeo honestatem dupliciter sumi posse; primo, ut est honestas absolute, non reduplicando supra aliquam rationem communem, aut specialem: secundo reduplicativè, quatenus est honestas secundum se, & in communi. Ab honestate primo modo sumitur ratio generica, in qua illa honestas specifica convenit cum omnibus speciebus virtutum: ab honestate secundo modo, sumitur ratio specifica bonitatis, quæ in illo actu reperitur: siquidem peculiariter tendit ille actus ad honestatem secundum se & in communi, cum ut sic reduplicative distincta sit specifice & essentialiter ab aliis virtutibus particularibus, quæ determinantur ad sua objecta, propter aliquam rationem particularem, quæ essentialiter distinguitur ab illa ratione communi, qua communi.

251. Dices: Illa ratio communis, à qua sumitur ratio generica virtutis, quæ reperitur in isto actu, est eadem cum illa ratione communi, à qua sumitur ratio generica virtutis in actibus aliarum virtutum specialium: & ratio generica honestatis illarum sumitur à ratione honestatis ut communi, in qua conveniunt aliæ virtutes; ergo etiam ratio generica virtutis in isto actu, sumetur ab honestate, non absolute, sed ut communi, & secun-

dum se, & per consequans illa ratio honestatis secundum se specificabit actum bonum genericum non specificum. Resp. distinguendo Minor. ut communi specificative, concedo; reduplicative, nego: Idem sumitur à ratione communi, non tamen ab illa ratione qua communis est, & hoc necessarium erat ad tribuendam bonitatem specificam, nimirum quòd illa ratio communis formaliter intenderetur, & propter se, qua de causa licet ratio communis honestatis, ut inclusa & determinata per differentias, tribuat tantum rationem virtutis genericæ, tamen præcise, & formaliter intenta, tribuit determinatam speciem virtutis.

252. Sed adhuc superest gravissimus scrupulus, ad quamnam virtutem pertineat iste actus; sive utrum huic actui correspondeat aliquis specialis habitus. Varias omitto responsiones, tantæ enim sunt, ut confundantur inter se. Respondeo breviter per illum actum nullum habitum acquiri, nec procedere ab aliquo habitu, sive infuso sive acquisito: ita Curiel q. 18. art. 2. dub. 2. §. 6. vers. *& si quæras* Vasques disp. 50. cap. 2. n. 12. vers. *placet.* Cornejo disp. 5. dub. 2. vers. *sed contra hanc*, n. 8. & n. 24. vers. *his suppositis.* Aravio q. 18. art. 2. dub. 1. n. 29. vers. *his ergo.* Azor. p. 1. lib. 1. cap. 5. quæst. 5. Carmelitani citat. numero 26.

253. Et ratio est, quia habitus ponuntur in potentiis ad hoc ut facilius operentur, superentque difficultates, quæ in operando obstare possunt earum operationibus; ergo non requiritur habitus ad id, ad quod potentia ex se facilis est, & in cujus operatione nulla datur difficultas, quæ illi obstare possit. Est enim hæc doctrina
D. Thom. D. Thom. de veritate q. 16. art. 1. ad 7. & 1. 2. q. 56. art. 6. Tum sic: Voluntas de se est facilis ad volendam honestatem in communi; ergo non eget habitu ad illam volitionem eliciendam. Probatur ant. quia voluntas de se est inclinata ad bonum in communi, cum enim bonum in communi, sit voluntatis objectum, in illud voluntas velut necessario fertur. Consequentia patet, quia ex eo non datur habitus in voluntate ad diligendum Deum, finem naturalem, quia voluntas naturaliter inclinatur ad illud objectum.

254. Dices primo: Ad servandam justitiam in communi, vel aliquam virtutem naturalem specialem, voluntas eget aliquo habitu; ergo etiam eget habitu ad hunc actum. Respondetur negando consequentiam, & ratio diversitatis est primo, quia justitia est bonum ad alterum, & non honestas in communi, ad virtutem autem quæ est ad alterum requiritur habitus, non verò ad virtu-
D.Thom. tem, quæ est própria, ex doctrina D. Thom. 1. 2. q. 56. art. 6. Secundo, quia virtutes in speciali habent ex sua ratione particulari specialem difficultatem, ad quam vincendam indiget voluntas habitu; in bonitate autem in communi, nulla reperitur difficultas, ad quam superandam requiratur habitus. Scio à Carmelitania cit. loco n. 27. etiam ad has virtutes nullum requiri habitum.

255. Instabis: Ille actus bonitatis in communi continet omnes rationes speciales virtutis; ergo propter has speciales rationes, voluntas eget habitu; ergo eodem habitu egebit propter easdem rationes contentas in illo actu. Respondetur distinguendo Major. Ille actus in communi continet omnes rationes speciales virtutum, in quibus conveniunt, concedo; in quibus differunt, nego. Difficultas autem in operationa virtutum, est propter speciales rationes differentiæ, & non convenientiæ: quapropter licèt ille actus contineat honestatem naturalem, supernaturalem, propriam, & alienam, cum tamen non intendatur sub illis rationibus particularibus, sed abstractè, secundùm rationem communem honestatis, ad quam voluntas determinata est, non egebit voluntas habitu ad illum actum eliciendum.

256. Dices secundo: Intellectus circa prima principia, eget habitu acquisito; ergo etiam voluntas circa bonum honestum in communi. Respondetur, Transeat antecedens; ratio diversa est, quia intellectus non eget habitu circa prima principia ad illis assentiendum, sed ad apprehensionem, & connexionem extremorum propositionis, quæ est principium: & ideo ille habitus facilitat intellectum ad apprehensionem, & non ad assensum principii, nam principium postquam est apprehensum, est per se notum: at vero voluntas non apprehendit objectum, idest, bonum in communi amandum; hæc enim apprehensio fit ab intellectu, à quo proponitur objectum voluntati, in quod voluntas fertur ex naturali inclinatione sine aliquo habitu.

257. Dices tertio: Etiamsi non detur difficultas circa bonum in communi amandum ex parte voluntatis, datur tamen ex parte appetitus sensitivi; ergo saltem in appetitu sensitivo dabitur habitus. Respondetur negando consequent. nam in appetitu dantur alii habitus ad refrænandas passiones, quæ in appetitu contra rationem insurgunt, per quas voluntas poterat retardari ad eliciendum illum actum; tales tamen habitus, qui dantur in appetitu, sunt habitus fortitudinis & temperantiæ, fortitudo enim passiones concupiscibilis, temperantia irascibilis refrænat: refrænatis autem his passionibus in appetitu, aufertur voluntati impedimentum, & ex se inclinat ad illum actum.

258. Inferes: Ergo saltem ei, qui caret his habitibus moralibus, necessarius erit habitus. Probatur illatio, quia amotis his habitibus, voluntas ex repugnantia appetitus retardabitur ab eliciendo actu; ergo ut vincatur hæc retardatio voluntas egebit habitu. Respondetur negando illationem, quia ad vincenda contraria naturalia, quæ appetitui insunt, & contra rationem pugnant, sufficit eademmet voluntas, siquidem per eamdem formam inclinatur potentia ad prosequendum suum objectum, & ad resistendum contrariis naturalibus, requiret ergo voluntas ad vincenda illa contraria dispositione, non habitu juxta doctrinam Philosophi quarto Ethicor. cap. Aristot.
ultimo; & 7. Ethicor. cap. 8. ubi asserit continentiam ad resistendum passionibus appetitus circa delectabilia, non esse habitum. Dixi ad resistendum contrariis naturalibus, quia ad resistendum contrariis acquisitis, vehementes sunt passiones irascibilis & concupiscibilis appetitus, & ideo ad illas vincendas necessariò dandus est aliquis habitus.

259. Ex qua resolutione sequitur primo non bene assertum esse à Salas tract. 7. disp. 2. sect. 7. istum actum esse elicitum ab habitibus omnium virtutum, primò quia habitus inclinat in actum sibi similem: atqui ille actus non est actus omnium virtutum; ergo non est similis habitibus omnium virtutum, & per consequens non producitur ab habitibus omnium virtutum. Secundo quia sequeretur, quòd solus ille, qui præditus esset habitibus omnium virtutum, posset elicere illum actum:

actum : hoc autem est falsum, cum quilibet homo illum elicere possit; ergo. Sequela patet, quia habitus concurrunt ad actus in genere causæ efficientis: atqui causa efficiens non potest concurrere ad effectum, nisi sit existens; ergo ut illi habitus producerent illum actum, necessariò omnes deberent existere simul in voluntate, à qua eliceretur actus.

260. Secundo: Sequitur non esse certam sententiam Suarij disput. 4. sect. 1. numer. 13. asserentis illum actum eliciendum esse ab aliquo habitu acquisito: à quo si quæras, ad quam virtutem pertineret ille habitus; respondet, pertinere ad habitum innominatæ virtutis. Sed contra est, quia videtur affectare ignorantiam nominis virtutis, ne convincatur falsitas illius habitus, insuperque multiplicandæ sunt plures species virtutum circa alia objecta, secundum maiorem, vel minorem rationem suæ communitatis: verbi gratia fingetur unus habitus virtutis circa hunc actum, *volo vivere semper benè*, & alium circa hunc actum, *volo honestè vivere*, & alium circa hunc, *volo observare leges*, & similes: quod quamvis fateatur Suarius, est inauditum contra omnes Theologos & Philosophos.

261. Tertio: Sequitur falsam esse opinionem Medinæ quæst. 18. articul. 2. asserentis istum actum eliciendum esse ab habitu iustitiæ legalis: quia vel Medina loquitur de iustitia legali, ut est quædam virtus generalis, comprehendens omnes virtutes, vel ut est quædam virtus generalis, quæ versatur circa bonum commune: si prima, coincidit cum sententia Salas: si secunda, jam illa iustitia spacialis versatur circa diversum objectum, atqui versatur ille actus circa honestatem in communi, siquidem iste actus elici potest circa honestatem in communi, quin attendatur bonum commune, quod est objectum illius iustitiæ legalis.

262. Quarto: Sequitur non rectè sensisse Granadū, tract. 10. disp. 2. n. 6. asserentem istum actum elici à syndaresi, quia synderesis est habitus primorum principiorum practicorum, qui solummodo in intellectu collocatur, non vero in voluntate, ut communiter tradunt Theologi in materia de conscientia, de quo nos tom. 2. disp. 6. Iste vero actus cum eliciatur à voluntate, si habitu egeret, proculdubio foret voluntatis habitus.

263. Quinto: Contra Martinez & aliquos Thomistas quos sequuntur citati Carmelitani n. 29. non oriri prædictum actum ab habitu charitatis; patet, quia actus non est charitatis; ergo ab illo habitu non procedit, cum habitus generet actum sibi similem. Dicendum ergo est procedere à voluntate sub auxilio speciali, ut etiam probabiliter admittunt prædicti Doctores.

SUBSECTIO QUARTA.

Quomodo actus bonus specificetur ab obiecto.

264. QUamquam hæc quæstio philosophica appareat, hoc tamen loco à Theologis tractatur ut necessaria ad pleniorem bonitatis formalis ex objecto intelligentiam. Pro illius decisione notandum est 1. objectum duobus modis sumi posse: 1. in esse naturæ, 2. in esse moris, & boni honesti. Objectum in esse naturæ sumitur secundum suam entitatem absque ordine ad rectam rationem dictantem de illius turpitudine, vel honestate: objectum in esse moris & boni honesti, est objectum morale cum ordine ad rationem iuxta explicationem toties repetitam præcipuè disput. 2. sect. 3. & 4 disp. 3. sect. 2. subsect. 5.

265. Secundo: notandum est, duplex esse objectum, unum materiale, alterum formale: materiale est res, quæ appetitur, & dicitur objectum quod, vel ratio formalis, quæ est indifferens ad varias species virtutis: objectum formale etiam duplex est, unum dicitur sub quo, estque ratio formalis, sub qua objectū determinatur ad specificationem actus: alterum propter quod, estque finis operantis propter quem appetitur. Ratio formalis sub qua, aut est extrinseca posita ex parte potentiæ, aut intrinseca posita ex parte objecti: Verbi gratia pecunia ut subest regulis rationis est objectum materiale in genere moris, potest enim versari circa liberalitatem, religionem, & misericordiam: honestas vero misericordiæ reperta in illa pecunia, est objectum formale sub quo intrinsecum, quia ponitur ex parte ipsius objecti; appetibilitas verò illius honestatis, est objectum formale sub quo extrinsecum, quia ponitur ex parte potentiæ appetentis: si autem eleemosyna fiat propter pœnitentiam, pœnitentia est objectum formale propter quod; unde objectum formale sub quo, habet se ut objectum materiale respectu objecti formalis propter quod, siquidem per hoc illud determinatur ad aliam speciem virtutis; & quæstio in præsenti procedit de objecto sub quo intrinseco, & non extrinseco, nec de objecto propter quod, de hoc enim sect. 6. agendum est.

266. Tertio: quatuor modis posse comparari actum cum objecto: 1. si objectum materialiter & formaliter sit unum, ut si quis velit iustum ut iustum 2. si objectum, & materialiter, & formaliter sit multiplex, ut si quis velit iustum ut iustum, misericordiæ opus ut misericordiæ: 3. si objectum materialiter sit unum, formaliter multiplex, verbi gratia si quis ex pluribus motivis velit objectum: 4. si objectum materialiter sit multiplex, & formaliter unum; verbi gratia, si quis circa varia genera ciborum velit se temperatè habere. His notatis,

267. Separanda sunt certa ab incertis. Actus comparatus 1. modo cum objecto, est unus in specie infima, quia quando specificativum, & materialiter & formaliter est unum, unum debet esse specificatum, non enim apparet ex quo diversa bonitas in specie proveniat, ut benè notarunt Suar. sect. 3. n. 1. Salas tract. 7. disp. 1. sect. 9. n. 79. ex quo actus comparatus cum objecto 2. modo, non potest esse unus, sed multiplicari debet iuxta multiplicationem objectorum, cum enim objectum tam materialiter, quàm formaliter sit multiplex, & sit specificativum, non potest specificare eumdem numero actum. De aliis duobus modis sunt variæ difficultates, quæ necessariò postulant specialem discussionem.

DIFFICULTAS PRIMA.

Utrum actus desumat bonitatem ab obiecto in esse moris?

268. REsp. affirmativè, actus enim bonitatem suam moralem accipit ab objecto in esse moris, & nullo modo ab objecto in esse naturæ. Est communis sententia D. Thomæ q. 19. art. 1. *ad* 3. D. Thom.
& qu. 18. art. 5. in corp. & *ad* 3. ubi communiter Thomistæ Araujo art. 2. n. 10. Malderus ibi disp. 73. vers. *hac*. Curiel. dub. 2. §. 4. Suar. disp. 4. sect. 1. n. 7. Montesin. disp. 23. q. 1. §. 1. n. 3. Hieronym. de la Rua tom. 2. controv. 6. Scholastica p. 2. dub. 2. vers. *dico* 8. Corneio tract. 6. disput. 3. dub. 1. *objcies* 4. Granad. tract. 10. disp. 1. & 2.

269. Probatur 1. quia objectum in esse naturæ æquè specificat actum bonum, atque malum; indifferenter enim uni vel alteri potest tribuare

ſpeciem ; ergo bonitas honeſta non ſumetur ab objecto in eſſe naturæ. Antecedens probatur exemplis, nam eadem omnino pecunia tribuit ſpeciem malitiæ actui, quo quis intendit eam retinere invito domino, & ſpeciem bonitatis actui, quo quis eam intendit reſtituere: ſimulque eadem pecunia poteſt eſſe cupiditatis, & rapinæ, liberalitatis, & miſericordiæ objectum. Idem omnino proximus, objectum eſt odij & amoris. Secundo quia ſi actus moralis bonus, vel malus ſpecificaretur ab objecto in eſſe naturæ ; jam diverſitas ſpecifica objecti induceret diverſitatem ſpecificam actuum, & unitas ſpecifica induceret unitatem ſpecificam, hoc autem eſt falſum ; ergo & illud, ex quo ſequitur. Min. probatur quia diverſæ ſpecies cibi, ſunt objecta ejuſdem virtutis, verbi gratia temperantiæ, vel obedientiæ, & ſi quis uno actu velit temperatè edere carnes, & altero temperatè edere piſces, iſti duo actus ſunt ejuſdem ſpeciei moralis, pertinentes ad eamdem virtutem moralem, nimirum temperantiam : & tamen objecta ſunt diverſæ omnino ſpeciei ; eodemque modo ſiquis ex obedientia non comedat carnes, ſimulque eas non velit comedere ex temperantia, iſti actus erunt diverſæ ſpeciei moralis ſpectantes ad diverſam ſpeciem virtutis, & ſic de aliis, quæ quidem omnia ſupra probata manent diſp. 2. num. 168.

170. Ex quo ſequitur 1. actum honeſtum non ſolum non deſumere bonitatem ab objecto in eſſe naturæ, ſed nec etiam ab objecto materiali in eſſe moris: de quo ſupra ſect. 3. à n. 100. & videtur ſententia Suarij citati n. 8. & ratio eſt, quia illud objectum in eſſe moris, materiale indifferenſque eſt ad tribuendam actui ſpeciem bonitatis, vel malitiæ ; ergo nō poteſt eſſe ſpecificativum actus boni. Ant. patet, quia iſtud objectum abſtrahit à conformitate, vel difformitate ; ergo ſi conformetur cum honeſta ratione, & actus in illud tendat ut conforme, actus erit bonus: ſi difformetur, & actus in illud objectum tendat ut difforme, actus erit malus. Exemplo res fit manifeſta: Cibi prohibiti tempore quadrageſimæ, ſunt objecta moralia, & ut regulabiles ſunt per rationem, abſtrahunt à conformitate, vel difformitate cum lege, & recta ratione ; ſi ergo voluntas illos cibos appetat, actus erit malus, quia recta ratio dictat eos eſſe prohibitos; ſi verò voluntas illos cibos reſpuat, illa nolitio erit actus bonus, quia intellectus dictat honeſtum eſſe eos cibos non appetere. Ac proinde principium certum in hac materia eſt, *ſpecificativum indifferens non tribuit ſpeciem determinatam.*

271. Sequitur 2. actum honeſtum ſpecificari ab objecto formali, id eſt, ab honeſtate objecti. Hæc doctrina communis eſt, ſed diverſo modo probatur ab Authoribus, præcipuè à Suar. n. 4. & 7. eam tamen ſingulari ratione probo. Ratio formalis ſpecificativa actus boni in eſſe naturæ, eſt bonum in communi, & res materialis, quæ dicitur bona, eſt objectum materiale : ratio formalis ſpecificativa actus moralis eſt ſubjectio illa ad rationem, abſtrahens à conformitate, vel difformitate; objectum verò materiale, eſt bonum illud, quod eſt objectum formale ſpecificativum actus in eſſe naturæ ; ergo ratio formalis ſpecificativa actus honeſti, eſt bonitas objectiva honeſta, ut conformis rectæ rationi : objectum materiale eſt illa ratio boni abſtrahens à conformitate, vel difformitate, quæ eſt objectum formale ſpecificativum reſpectu actus in eſſe moris. Probatur conſequent. quia illa duplex ratio formalis ſpecificativa actus in eſſe naturæ, & moris, eſt indifferens ad actum bonum & malum, ad actum honeſtum & utilem ; ergo ſola honeſtas objectiva eſt ratio ſpecificativa actus honeſti : unde ratio formalis actus in eſſe naturæ, eſt materialis reſpectu actus in eſſe moris: ratio formalis ſpecificativa actus in eſſe moris, eſt materialis reſpectu actus in eſſe boni honeſti ; hujus verò ratio formalis ſpecificativa, eſt bonitas objectiva, quæ eſt materialis reſpectu actus boni in ſpecie infima, cujus ratio formalis eſt bonitas objectiva in ſpecie infima. Quod quidem clarè conſtat ex dictis diſp. 2. à n. 169.

272. Sequitur 3. ad honeſtatem actus non ſufficere conſiderationem cujuſlibet rationis materialis, ſed neceſſariam omnino eſſe conſiderationem rationis formalis, à qua deſumitur ſpecificatio actus honeſti, nimirùm honeſtatis ut benè notavit Suar. n. 12. Cum enim ex objecto formali ſpecificetur actus honeſtus, ſi non conſideretur ratio formalis ſpecificativa, ſed tantum materialis, non determinabitur voluntas ad actum honeſtum cum deficiat determinativum: & illa ratio materialis indifferens ſit ad bonum & malum.

DIFFICULTAS SECUNDA.

Vtrum ab uno objecto materiali ſub pluribus formalibus deſumatur una Bonitatis ſpecies?

273. CAſus eſt, ſiquis conſideret in objecto, verbi gratia in Deo, reverentiam debitam divinitati, & bonitatem, an poſſit per ſe formaliter velle reverentiam & bonitatem unico actu, an ſint neceſſarij plures actus. Pro ſolutione notandum eſt, illa motiva, ſive objecta formalia poſſe conſiderari duobus modis. Primo per modum plurium, & ut plura integra in ſua ſpecie ; ita ut ſpecies bonitatis in actu, ſint eſſentialiter diſtinctæ, & completæ. Secundo, ſi conſiderentur illa motiva per modum unius, veluti partes componentes unam rationem totalem à qua actus ſumat unam ſpeciem bonitatis omnino diſtinctam ab illis, quas præciſe à ſingulis deſumere valuiſſet. His notatis,

274. Dico primo: Voluntas non unico actu, ſed pluribus actibus ſpecie diverſis tendit in objectum materiale ſub pluribus rationibus formalibus, quando hæ rationes appetuntur ut plures & integræ. Ita Suar. diſput. 4. ſect. 3. num. 5. Vaſques 1. 2. quæſt. 18. art. 7. in Comment. numer. 47. verſ. 1. & diſput. 51. cap. 3. num. 19. verſ. *hinc.* Ægid. Luſitanus tom. 1. de Beat. lib. 2. q. 5. art. 5. n. 12. ad 3. Salas tract. 7. diſp. 2. ſect. 9. n. 8. Granad. tract. 8. diſput. 4. n. 3. eſt expreſſa ſententis D. D. Thom.
Thom. 1. 2. q. 1. art. 3. *ad* 3.

275. Primo probatur, quia in una entitate indiviſibili, non poſſunt eſſe duæ differentiæ ultimæ æquè primariæ, & eſſentiales : atqui ſi voluntas unico actu tenderet in plura motiva, ut plura, darentur in ipſo actu plures differentiæ ultimæ, primariæ, & eſſentiales ; ergo, &c. Major patet, quia jam una eademque res haberet duas eſſentias ultimas, æque primarias, & eſſentiales, quod eſt inauditum in Philoſophia, & merito, quia *unius rei una eſt eſſentia*, cum res ab eſſentia ſit indiſtincta.

276. Dices: Eadem entitas poteſt habere duplicem ſpeciem, nam in eodem homine datur ſpecies animati, & materiati: in eodem actu datur ſpecies naturæ, & ſpecies moris; & in uno actu honeſto, datur ſpecies bonitatis ex objecto, & ſpecies bonitatis ex fine: dantur etiam plures ſpecies in uno actu ex objecto, & circumſtantiis,

ut ex infra dicendis constabit. Sed contra, quia licet in una eademque re, esse possint plures species inadæquatæ, & subordinatæ inter se, non tamen adæquatæ, æquæ, & immediatæ; ut in eodem homine non potest esse simul species rationalis & irrationalis, nec in equo species hinnibilis & rugibilis: esse verò animatum & materiatum, sunt species subordinatæ & inadæquatæ, æquivalentes vulgati rationali: species naturæ subordinatur speciei moris: species vero bonitatis ex objecto est primaria, & essentialis: ex circumstantiis, & ex fine, est posterior, & accidentalis.

277. Secundo, si præscinderetur per rationem una ratio ex illis duabus essentialibus, adhuc actus esset perfecte bonus, & in sua specie bonitatis constitutus; ergo una ex illis speciebus non esset essentialis. Consequent. probatur: *Eadem numero essentia manere non potest præcisa à differētia essentiali.* Ant. patet, quia ut illæ rationes specificativæ, sunt separabiles, & unaquæque adæquatè, & essentialiter non dicit respectum ad aliam, ita tendentiæ ad illas rationes formales erunt separabiles, nullumque respectum essentialem habebunt inter se; ergo saltem per intellectum una species poterit ab alia separari.

278. Dices illam tendentiam esse adæquatam ad illa omnia motiva, & adæquatè constari ex omnibus tendentiis, ac proinde non posse unam ab alia separari, etiam per intellectum. Sed contra, quia unaquæque tendentia est adæquata, & neutra connexionem inter se habet; ergo saltem per intellectum una ab alia præscindi potest. Consequent. patet, *Quia quando unum non est de conceptu alterius, nec cum alio connectitur essentialiter, ab eo saltem per intellectum præscindi potest.* Antecedens ostenditur, quia vel illa tendentia constatur ex pluribus partialibus, vel est unica tantum. Si primum, cum nulla cum alia sit connexa essentialiter, proculdubio præscindi poterit ab ea per intellectum: si secundum, præter quod inintelligibile sit; quæro, à quo objecto primario specificetur ille actus, & à quo essentiam suam desumat? non ab uno objecto, cum ad omnia essentialiter tendat: non ab omnibus, cum unum sufficiat ad specificandum illum actum.

279. Recurres ad eminentiam talis actus, qui eminenter continebit bonitates illorum objectorum: sed contra, quia si specificativa sunt plura per modum plurium, & unumquodque distincte & specialiter confert suam bonitatem; ergo iam non illam conferet eminenter, sed formaliter. Probatur, quia si unumquodque illorum objectorum per se solum & formaliter potest communicare formalem bonitatem actui, cur non communicabit illam eamdem bonitatem, & eodem modo, quando conjungitur cum alio objecto? præsertim, quia illa conjunctio unius cum altero neutri addit, vel diminuit aliquam virtutem, siquidem, ut supponitur, unumquodque illorum objectorum ita concurrit, ac si solum per se concurreret, cum quodlibet concurrat sine dependentia ab alio.

280. Tertio probatur, quia bonitas actus, est ordo ad objectum, & essentialis actui; ergo quotiescumque objecta formalia fuerint adæquatè & integrè plura, etiam ordines adæquatè & essensentialiter plures erunt. Tum sic: Plures erunt ordines adæquate & essentialiter; ergo etiam actus morales adæquatè & essentialiter plures erunt: tendentia quippe non distinguitur ab actu. Dices, esse unum ordinem ad plura. Sed contra, quia unumquodque illorum objectorum est specificativum adæquatum in eodem genere moris; ergo etiam unusquisque ordo est adæquatus ad unum objectum, & non ordinatur ad plura.

281. Tandem, quia dato quod illorum duorum motivorum fuisset naturale unum, supernaturale alterum, iam ille actus ab utroque motivo specificatus, foret simul naturalis & supernaturalis, quod quidem in eadem entitate indivisibili non est admittendum cum aliqua probabilitate. Alia argumenta in confirmationem hujus conclusionis adducit M. Suar. supra cit. quæ tamen non videntur efficacia, imo nec probabilia, ut infra in sect. de bonitate ex fine dicendum est.

282. Objicies primo cum aliquibus recentioribus: Deus potest velle unico actu illa motiva, & plura; ergo etiam eadem poterit velle quælibet voluntas creata per unicum actum. Antecedens patet, quia Deus omnia objecta creata unico, & simplicissimo actu suæ voluntatis attingit: Consequent. probatur, quia eædem rationes utrobique videntur efficaces, vel inefficaces, cum utrobique sint motiva formalia specificativa. Resp. negando consequent. Diversa ratio est, quia objecta creata, sunt objecta secundaria actus divinæ voluntatis, nec illum specificare possunt, ut communiter docent Theologi ad primam partem in materia de scientia Dei, & in materia de voluntate Dei: at respectu voluntatis creatæ illa motiva sunt primaria objecta, & specificativa actuum.

283. Secundo: Saltem Angelus poterit velle illud objectum materiale sub pluribus rationibus formalibus, ut pluribus. Probatur anteced. quia ea *quæ in inferioribus sunt dispersa, in superioribus uniri solent:* atqui homo, qui est inferior Angelo, dispersis, sive diversis actibus attingit illa plura motiva formalia; ergo Angelus, qui est superior homine, attinget illa plura motiva per unicum tantum actum. Resp. negando anteced. ad probationem, nego consequentiam, quia illa quæ homo per duplicatos actus attingit, potest Angelus attingere per unicum tantum actum, amat enim Angelus unico actu plura objecta simul, quæ non nisi pluribus actibus amat homo; & hic etiam habet locum illud proverbium: cum tamen implicet quod duo objecta formalia adæquata, non subordinata inter se specificent eumdem actum, inde est, quod non potest Angelus unum objectum materiale sub pluribus rationibus formalibus, ut pluribus attingere.

284. Tertio: Voluntas potest intendere plures fines, saltem particulares, qui negativè sint ultimi, ut plures, & per modum plurium; ergo etiam poterit tendere in unum objectum materiale sub pluribus rationibus formalibus per modum plurium. Antec. admittitur communiter, Suar. tract. 1. in t. 1. disp. 5. sect. 2. num. 3. Fonseca 5. Met. cap. 2. quæst. 15. sect. 4. Conimb. 3. de anima cap. 8. quæst. 6. art. 2. Vasques 1. 2. quæst. 12. art. 3. in Comment. num. 15. Dubius 2. Physicorum tract. 7. quæst. 2. Ægid. Lusitanus cit. num. 9. cum aliis quos ibi refert: & probatur, quia potest quis eamdem medicinam velle propter sanitatem, & propter dulcedinem. Consequentia videtur evidens, quia ut se habent media erga electionem, ita & fines erga intentionem; ergo si possunt intendi plures fines, etiam poterunt amari plura media. Tum sic: Plures fines intenduntur sub suis rationibus formalibus, & media simul sub pro-

priis rationibus formalibus eliguntur: atqui illi fines sunt adæquati, & unusquisque sufficiens ad intentionem, idemque dicendum de mediis erga electionem; ergo ut voluntas unico actu plures fines intendit, & unico actu plura eligit media, ita unico actu poterit velle unum objectum materiale sub pluribus rationibus formalibus.

285. Resp. distinguendo ant. Voluntas potest intendere plures fines per modum plurium, unico actu, nego anteced. pluribus, & distinctis actibus, concedo antecedens: & in hoc sensu defenditur à citatis Authoribus. Videndus est Corneio tract. 5. disput. 2. dub. 3. vers. *quæres*: nam ad duos fines non datur unica intentio, nam illi fines respectu intentionis sunt objecta formalia specificativa, quamvis respecto electionis sint fines extrinseci, per quos electio non specificatur.

286. Dices: Una volitio medij potest fieri ex duplici fine per modum plurium; ergo etiam una electio ex duplici ratione formali, & una intentio ex duplici fine. Resp. negando consequentiam, quia quando quis eligit eleemosynam propter subleuandam miseriam pauperis, & propter satisfactionem peccatorum, datur una electio & duplex intentio, quia electio non specificatur à fine extrinsecu, sed à proprio objecto, à quo accipit bonitatem essentialem, & à fine bonitatem accidentalem ex dicendis; infra à numero 535. usque ad numer. 548. una autem species essentialis potest suscipere plures species accidentales ex dictis & passim dicendis; ac proinde una electio non potest fieri ex duplici medio totali, quia media sunt specificativa electionis, potest tamen fieri propter duplicem finem, at intentio fieri non potest propter duplicem finem.

287. Instabis: Electio non distinguitur ab intentione; ergo si unica est electio medij propter duplicem finem, etiam duplex erit intentio. Resp. negando antecedens, nam licet intentio formalis finis, sit virtualis electio mediorum, & electio formalis medij, sit virtualis volitio finis, tamen formaliter, quatenus intentio circa finem, & electio formaliter est circa media, sunt actus realiter distincti, & essentialiter diversi, propter specificativa essentialiter diversa, quæ est doctrina Cajet. 1. 2. quæst. 8. art. 3. quam explicat Valentia ibi disp. 2. quæst. 3. punct. 3. sed de hoc latiùs agunt Theologi ad prædictum locum Divi Thom.

288. Urgebis: Si illa electio est propter duplicem finem, jam dabitur duplex causa totalis ejusdem generis & ordinis, non subordinata respectu ejusdem numero effectus, hoc autem non est admittendum; ergo, &c. Major patet, quia unusquisque finis (ut supponitur) est totalis, & adæquatus. Minor probatur, quia non admittitur concursus duplicis causæ totalis efficientis in eodem genere & ordine, respectu ejusdem numero effectus; ergo nec etiam admittendus erit concursus duplicis causæ finalis totalis.

289. Respondent primo Fonseca cit. & Ægid. Lusitanus num. 14. negando Minor. nullum enim inveniunt inconveniens in eo, quòd duplex finis totalis concurrat ad eumdem numero effectum: hanc tamen solutionem benè impugnat M. Suar. cit. à numero 8. Ideo respondet idem Suar. negando Major. quia licet concurrat duplex finis totalis, non tamen concurrit unusquisque cum tota sua virtute quam habet, ut quando concurrit duplex causa totalis efficiens naturaliter, non concurrit unaquæque ex illis secundùm totam suam virtutem. Hæc tamen solutio non placet Ægid. Lusitan. numer. 15. vers. *deinde*.

290. Ideo respondet tertio idem Ægid. vers. *incepta*, non ineptè, in hoc casu illos fines, & intentiones non concurrere ad electionem per influxum aliquem, sed per sympathiam quamdam inter voluntatem, & potentias inferiores, ex qua movetur anima, & movet voluntatem ad movendas potentias: & hanc solutionem etiam approbat Suar. numer. 9. Quæ quidem vera est respectu actus exterioris eleemosynæ verbi gratia, iuxta doctrinam traditam disput. 2. sect. 6. à numer. 71. at in præsenti non potest accommodari, quia voluntas non movetur ad electionem ex aliqua sympathia, quæ versetur inter ipsam & potentias inferiores, cum electio sit ipsius voluntatis actus elicitus ab ipsa per verum & realem influxum, ad quem movetur propter illum duplicem finem apprehensum, tamquam propter duplicem causam totalem.

291. Quare respondeo negando Major. ex ea ratione, quod causa finalis non est vera causa, sed conditio tantum requisita ad hoc, ut agens intellectuale operetur, quod ex instituto probandum est in cursu Philosophico p. 2. tùm quia inintelligibile est rem impossibilem, & non existentem (qualis sæpissime est finis) esse veram causam physicam: tùm quia Deus ad intra operatur perfectissimè propter finem, & non propter causam finalem, aliter vera & realis causalitas daretur in voluntate divina.

292. Quarto: Intellectus potest cognoscere plura objecta per modum plurium unico tantum actu; ergo etiam voluntas eadem poterit amare unico tantum actu. Resp. negando anteced. intellectus enim illa objecta attingit pluribus, & diversis actibus, & in hoc sensu videntur loqui Doctores, qui affirmant intellectum plura attingere per modum plurium. Salas tract. 6. disput. 1. sect. 4. numer. 6. Vasquez prim. part. disput. 219. & 1. 2. quæst. 12. articul. 3. in Comment. numer. 16. Ægid. Lusitan. cit. numer. 18. & in hoc sensu loquitur Licher. in primo dist. 45. quæst. 1. fol. 240. column. 1. vers. *sed*, qui addit illas plures cognitiones circa plura objecta imperfectiores esse, quàm si essent circa unum objectum, ex illo; *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*.

293. Dico secundo: Si objecta illa formalia considerentur per modum unius, voluntas versatur regulariter circa illa pluribus actibus, & non uno. Ita præ aliis expressit Suar. cit. num. 12. & probatur à simili, quia licet intellectus intelligat plura per modum unius, non tamen regulariter illa intelligit unica, sed pluribus cognitionibus; licet enim appareant plures rationes objectivæ per modum unius, ut tamen intellectus consideret quamlibet rationem, necessaria est sæpius attentio, & collatio cum multis rebus, quas regulariter non attingit unica cognitione, sed per velocissimam actuum successionem; quæ videatur instantanea; ergo similiter licet contingat, quod voluntas moveatur ex pluribus rationibus consideratis, non tamen movetur regulariter, nisi per diversos actus ita indivisibiliter currentes, ut tantum appareat unicus actus.

294. Dico tertio: Interdum potest voluntas per unicum actum attingere idem objectum materiale

sub pluribus rationibus formalibus per modum unius. Ita Suar. n. 13. Vasques disp. 51. cap. 3. n. 19. Salas tract. 6. disp. 1. sect. 4. n. 17. vers. *sed satis*. Innuit Cornejo tract. 5. disp. 2. dub. 3. sequuntur Med. & Conrad. quos refert, & sequitur Ægid. Lusitanus n. 4. loquens de electione unius medii ob plures fines.

295. Primò probatur, quia intellectus potest considerare varias rationes formales in objecto materiali, ex quibus conficiat unam communem, veluti ex illis compositam; ergo voluntas in illud objectum sic propositum, sub illa ratione communi sic composita, poterit tendere unico actu. Ant. patet, quia nulla in hoc apparet repugnantia, imò illud experientia manifestat, sæpe enim intellectus considerat in aliquo homine, quod sit doctus, nobilis, pacificus, & dives, & ex illis omnibus rationibus unam conficit communem, quæ tota unitur in commendationem illius hominis; dignitatem scilicet quamdam, & excellentiam, illumque hominem proponit intellectus voluntati, ut maxime diligibilem, & amicitiâ dignum; ergo voluntas unico actu poterit illum diligere. Tum quia, voluntas ferventius tunc diligit; tum quia illo actu non amatur ille homo propter unum, vel aliud motivum, sed propter totam illam rationem, & hoc modo videtur sæpissimè amatum fuisse Christum Dominum, & Beatissimam Virginem Matrem.

296. Secundò: *Quæ inferiores virtutes divisim operantur, superior virtus unitè*; ergo licet virtutes particulares habeant sua specificativa formalia, poterit dari virtus superior, quæ illa omnia objecta per modum unius complectatur; cujus actus per quodlibet illorum objectorum inadæquatè; & per omnia illa objecta adæquatè specificetur: & per consequens iste actus erit diversæ speciei ab illis, qui versarentur circa quodlibet objectum ex illis objectis: nam actus non differt specie ex diverso motivo inadæquato, sed adæquato, ut bene notavit Salas cit. & *quæ sunt plura in uno genere, possunt esse unum in alio*, ut bene docuit Suar. cit. n. 23. Imò, *quæ sunt plura secundum rem, prout sunt unum secundum rationem, possunt terminare motum intentionis*, ex doctrina D. Thom. 1.2. q. 12. art. 3. *ad secundum* quem bene explicat cit. Ægid. numero 3. D.Thom.

297. Tertio, quia in sensu quo explicatur ista conclusio, cessant omnes rationes factæ pro prima conclusione, quia hic illæ rationes formales non specificant actum, ut plures, per modum plurium, nec secundum suas rationes speciales, sed specificant per modum unius, ut integrant unam rationem communem, quæ moveat voluntatem.

298. Hæc quidem resolutio vera est ex principiis propositis, sed videndum est, an illa suppositio sit vera, nimirum, quod illæ rationes formales per modum unius appetantur: & quidem varii modi referuntur, quibus illæ rationes formales appeti possunt per modum unius, in quibus non licet immorari, sufficiat proponere modum probabiliorem in hoc puncto.

299. Ille est. Plures rationes formales inter se diversæ, possunt appeti à voluntate per modum unius, si non referantur inter se; sed per ordinem ad tertium: verbi gratia, amat quis eleemosynam, pœnitentiam, & orationes propter satisfactionem peccatorum: illæ rationes formales plures sunt, & inter se omnino diversæ, conveniunt tamen in una ratione communi, convenientia scilicet ad finem ut ad tertium, propter quem amantur, ac proinde voluntas non tendit in illas rationes formales, sed in rationem communem ex illis compositam: nam postquam intellectus considerauit rationes illas singulas singulis actibus, ex illis confecit rationem quandam, idest, convenientiam ad satisfactionem pro peccatis, & hanc per confusam cognitionem proposuit amandam voluntati; & voluntas illam convenientiam per unicum actum amplectitur, propter satisfactionem peccatorum.

300. Ita explicat D. Thom. 1.2. q. 11. art. 3. *ad* 2. sequuntur Ægid. Lusit. n. 3. Vasques ad locum D. Thom. n. 13. Suar. cit. sect. 3. n. 13. Cornel. vers. *pro quo*, & videtur explicatio communior in hoc puncto: quod exemplo explicari potest: si quis, verbi gratia, intendat calorem & frigus sub una ratione sanitatis, calor & frigus non comparantur inter se, sed cum una sanitate, respectu cujus sunt causæ, & propter quam unico intentionis actu intenduntur. D. Thom.

301. Et ad hunc modum referuntur fere omnes modi probabiles, nam aliqui sunt improbabilea, qualis est primus modus Cornejo asserentis, sufficere quod conveniant in medio, ad hoc ut unico actu per modum unius amentur: hic enim modus falsus est, quia ut bene notavit Vasques cit. n. 15. jam sufficeret ad hoc, ut illæ rationes amarentur per modum unius, quod convenirent in una ratione materiali, & jam voluntas ferri posset per unicum actum in objectum materiale sub pluribus rationibus formalibus, ut pluribus.

302. Secundo: Non est probabilis modus ille, quem ponit Suar. secundo loco, scilicet quod idem illæ rationes formales amantur per modum unius, quia omnes uniuntur inter se, & voluntas tendit in unionem illarum per unicum actum; videtur enim fictitia ista unio & chymerica, cum sit unio tam differentium & diversarum rerum: hoc certè modo jam in unum medium uniri possent ratio fidei & scientiæ, opinionis & scientiæ naturalis & supernaturalis, quod quidem, & meritò ipse P. Suar. disp. 3. de fide sect. 9. n. 13. negat. Eædem rationes, quibus ostendit non posse duo media de fide & scientificum in unum tertium concurrere, convincunt eadem non posse uniri in unum medium, nec dari posse aliquam unionem inter tot diversas rationes. Videantur quæ ibi affert Suarius; ex his enim satis efficaciter convincitur intentum.

303. Dices: Nulla videtur differentia inter hunc modum Suarii, & nostrum. Respondetur negando ant. quia in nostro modo explicandi manent illæ rationes formales veluti materiales, nec appetuntur secundùm suas speciales rationes, nec secundum eas proponuntur ab intellectu, sed proponitur tantum per confusam cognitionem illa convenientia propter tertium: in modo verò Suarii ona ratio formalis secundùm suam specialem rationem unitur alteri, etiam secundùm suam specialem rationem, quod sine fictione fieri no potest.

304. Unica tantum superest objectio: Iste actus quo eligitur illa convenientia, vel est ejusdem speciei cum actibus, quibus attinguntur diversæ illæ virtutes sigillatim, vel diversæ: non secundum, quia rationes formales moventes, eædem: non primum, quia actus pœnitentiæ, verbi gratia, non est misericordiæ. Respondetur esse diversæ speciei: nam objectum formale illius actus, non sunt illæ speciales rationes, sed est ratio illa convenientiæ, quæ ut sic motivum

priis rationibus formalibus eliguntur: atqui illi fines sunt adæquati, & unusquisque sufficiens ad intentionem, idemque dicendum de mediis erga electionem; ergo ut voluntas unico actu plures fines intendit, & unico actu plura eligit media, ita unico actu poterit velle unum objectum materiale sub pluribus rationibus formalibus.

285. Resp. distinguendo ant. Voluntas potest intendere plures fines per modum plurium, unico actu, nego anteced. pluribus, & distinctis actibus, concedo antecedens: & in hoc sensu defenditur à citatis Authoribus. Videndus est Corneio tract. 5. disput. 2. dub. 3. vers. *quares*: nam ad duos fines non datur unica intentio, nam illi fines respectu intentionis sunt objecta formalia specificativa, quamvis respectu electionis sint fines extrinseci, per quos electio non specificatur.

286. Dices: Una volitio medij potest fieri ex duplici fine per modum plurium; ergo etiam una electio ex duplici ratione formali, & una intentio ex duplici fine. Resp. negando consequentiam, quia quando quis eligit eleemosynam propter subleuandam miseriam pauperis, & propter satisfactionem peccatorum, datur una electio & duplex intentio, quia electio non specificatur à fine extrinseco, sed à proprio objecto, à quo accipit bonitatem essentialem, & à fine bonitatem accidentalem ex dicendis; infra à numero 535. usque ad numer. 548. una autem species essentialis potest suscipere plures species accidentales ex dictis & passim dicendis; ac proinde una electio non potest fieri ex duplici medio totali, quia media sunt specificativa electionis, potest tamen fieri propter duplicem finem, at intentio fieri non potest propter duplicem finem.

287. Instabis: Electio non distinguitur ab intentione; ergo si unica est electio medij propter duplicem finem, etiam duplex erit intentio. Resp. negando antecedens, nam licet intentio formalis finis, sit virtualis electio mediorum, & electio formalis medij, sit virtualis volitio finis, tamen formaliter, quatenus intentio circa finem, & electio formaliter est circa media, sunt actus realiter distincti, & essentialiter diversi, propter specificativa essentialiter diversa, quæ est doctrina Cajet. 1. 2. quæst. 8. art. 3. quam explicat Valentia ibi disp. 2. quæst. 3. punct. 3. sed de hoc latiùs agunt Theologi ad prædictum locum Divi Thom.

288. Urgebis: Si illa electio est propter duplicem finem, jam dabitur duplex causa totalis ejusdem generis & ordinis, non subordinata respectu ejusdem numero effectus, hoc autem non est admittendum; ergo, &c. Major patet, quia unusquisque finis (ut supponitur) est totalis, & adæquatus. Minor probatur, quia non admittitur concursus duplicis causæ totalis efficientis in eodem genere & ordine, respectu ejusdem numero effectus; ergo nec etiam admittendus erit concursus duplicis causæ finalis totalis.

289. Respondent primo Fonseca cit. & Ægid. Lusitanus num. 14. negando Minor. nullum enim inveniunt inconveniens in eo, quòd duplex finis totalis concurrat ad eumdem numero effectum: hanc tamen solutionem benè impugnat M. Suar. cit. à numero 8. Ideo respondet idem Suar. negando Major. quia licet concurrat duplex finis totalis, non tamen concurrit unusquisque cum tota sua virtute quam habet, ut quando concurrit duplex causa totalis efficiens naturaliter, non concurrit unaquæque ex illis secundùm totam suam virtutem. Hæc tamen solutio non placet Ægid. Lusitan. numer. 15. vers. *deinde*.

290. Ideo respondet tertio idem Ægid. vers. *incepte*, non inepte, in hoc casu illos fines, & intentiones non concurrere ad electionem per influxum aliquem, sed per sympathiam quamdam inter voluntatem, & potentias inferiores, ex qua movetur anima, & movet voluntatem ad movendas potentias: & hanc solutionem etiam approbat Suar. numer. 9. Quæ quidem vera est respectu actus exterioris eleemosynæ verbi gratia, iuxta doctrinam traditam disput. 5. sect. 6. à numer. 71. at in præsenti non potest accommodari, quia voluntas non movetur ad electionem ex aliqua sympathia, quæ versetur inter ipsam & potentias inferiores, cum electio sit ipsius voluntatis actus elicitus ab ipsa per verum & realem influxum, ad quem movetur propter illum duplicem finem apprehensum, tamquam propter duplicem causam totalem.

291. Quare respondeò negando Major. ex ea ratione, quod causa finalis non est vera causa, sed conditio tantum requisita ad hoc, ut agens intellectuale operetur, quod ex instituto probandum est in cursu Philosophico p. 2. tùm quia inintelligibile est rem impossibilem, & non existentem (qualis sæpissime est finis) esse veram causam physicam: tùm quia Deus ad intra operatur perfectissimè propter finem, & non propter causam finalem, aliter vera & realis causalitas daretur in voluntate divina.

292. Quarto: Intellectus potest cognoscere plura objecta per modum plurium unico tantum actu; ergo etiam voluntas eadem poterit amare unico tantum actu. Resp. negando anteced. intellectus enim illa objecta attingit pluribus, & diversis actibus, & in hoc sensu videntur loqui Doctores, qui affirmant intellectum plura attingere per modum plurium. Salas tract. 6. disput. 1. sect. 4. numer. 6. Vasques prim. part. disput. 219. & 1. 2. quæst. 12. articul. 3. in Comment. numer. 16. Ægid. Lusitan. cit. numer. 11. & in hoc sensu loquitur Lichet. in primo dist. 45. quæst. 1. fol. 240. column. 1. vers. *sed*, qui addit illas plures cognitiones circa plura objecta imperfectiores esse, quàm si essent circa unum objectum, ex illo; *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*.

293. Dico secundo: Si objecta illa formalia considerentur per modum unius, voluntas versatur regulariter circa illa pluribus actibus, & non uno. Ita præ aliis expressit Suar. cit. num. 12. & probatur à simili; quia licet intellectus intelligat plura per modum unius, non tamen regulariter illa intelligit unica, sed pluribus cognitionibus; licet enim appareant plures rationes objectivæ per modum unius, ut tamen intellectus consideret quamlibet rationem, necessaria est sæpius attentio, & collatio cum multis rebus, quas regulariter non attingit unica cognitione, sed per velocissimam actuum successionem; quæ videatur instantanea; ergo similiter licet contingat, quod voluntas moveatur ex pluribus rationibus consideratis, non tamen movetur regulariter, nisi per diversos actus ita indivisibiliter currentes, ut tantum appareat unicus actus.

294. Dico tertio: Interdum potest voluntas per unicum actum attingere idem objectum materiale

ſub pluribus rationibus formalibus per modum unius. Ita Suar. n. 13. Vaſques diſp. 51. cap. 3. n. 19. Salas tract. 6. diſp. 1. ſect. 4. n. 17. verſ. *ſed ſatis*. Innuit Cornejo tract. 5. diſp. 2. dub. 3. ſequuntur Med. & Conrad. quos refert, & ſequitur Ægid. Luſitanus n. 4. loquens de electione unius medii ob plures fines.

295. Primò probatur, quia intellectus poteſt conſiderare varias rationes formales in objecto materiali, ex quibus conficiat unam communem, veluti ex illis compoſitam; ergo voluntas in illud objectum ſic propoſitum, ſub illa ratione communi ſic compoſita, poterit tendere unico actu. Ant. patet, quia nulla in hoc apparet repugnantia, imò illud experientia manifeſtat, ſæpe enim intellectus conſiderat in aliquo homine, quod ſit doctus, nobilis, pacificus, & dives, & ex illis omnibus rationibus unam conficit communem, quæ tota unitur in commendationem illius hominis; dignitatem ſcilicet quamdam, & excellentiam, illumque hominem proponit intellectus voluntati, ut maxime diligibilem, & amicitiâ dignum; ergo voluntas unico actu poterit illum diligere. Tum quia, voluntas ferventius tunc diligit; tum quia illo actu non amatur ille homo propter unum, vel aliud motivum, ſed propter totam illam rationem, & hoc modo videtur ſæpiſſimè amatum fuiſſe Christum Dominum, & Beatiſſimam Virginem Matrem.

296. Secundo: *Quæ inferiores virtutes diviſim operantur, ſuperior virtus unitè*; ergo licet virtutes particulares habeant ſua ſpecificativa formalia, poterit dari virtus ſuperior, quæ illa omnia objecta per modum unius complectatur; cujus actus per quodlibet illorum objectorum inadæquatè, & per omnia illa objecta adæquatè ſpecificetur: & per conſequens iſte actus erit diverſæ ſpeciei ab illis, qui verſarentur circa quodlibet objectum ex illis objectis: nam actus non differt ſpecie ex diverſo motivo inadæquato, ſed adæquato, ut bene notavit Salas cit. & *quæ ſunt plura in uno genere, poſſunt eſſe unum in alio*, ut bene docuit Suar. cit. n. 13. Imò, *quæ ſunt plura ſecundùm rem, prout ſunt unum ſecundùm rationem, poſſunt terminare motum intentionis*, ex doctrina D. Thom. 1.2. q. 12. art. 3. *ad ſecundum* quem bene explicat cit. Ægid. numero 3. D. Thom.

297. Tertio, quia in ſenſu quo explicatur iſta concluſio, ceſſant omnes rationes factæ pro prima concluſione, quia hîc illæ rationes formales non ſpecificant actum, ut plures, per modum plurium, nec ſecundùm ſuas rationes ſpeciales, ſed ſpecificant per modum unius, ut integrant unam rationem communem, quæ moveat voluntatem.

298. Hæc quidem reſolutio vera eſt ex principiis propoſitis, ſed videndum eſt, an illa ſuppoſitio ſit vera, nimirum, quod illæ rationes formales per modum unius appetantur: & quidem varii modi referuntur, quibus illæ rationes formales appeti poſſunt per modum unius, in quibus non licet immorari, ſufficiat proponere modum probabiliorem in hoc puncto.

299. Ille eſt. Plures rationes formales inter ſe diverſæ, poſſunt appeti à voluntate per modum unius, ſi non referantur inter ſe; ſed per ordinem ad tertium: verbi gratia, amat quis eleemoſynam, pœnitentiam, & orationes propter ſatisfactionem peccatorum: illæ rationes formales plures ſunt, & inter ſe omnino diverſæ, conveniunt tamen in una ratione communi, convenientia ſcilicet ad finem ut ad tertium, propter quem amantur, ac proinde voluntas non tendit in illas rationes formales, ſed in rationem communem ex illis compoſitam: nam poſtquam intellectus conſideravit rationes illas ſingulas ſingulis actibus, ex illis confecit rationem quandam, id eſt, convenientiam ad ſatisfactionem pro peccatis, & hanc per confuſam cognitionem propoſuit amandam voluntati; & voluntas illam convenientiam per unicum actum amplectitur, propter ſatisfactionem peccatorum.

300. Ita explicat D. Thom. 1.2. q. 12. art. 3. ad 2. ſequuntur Ægid. Luſit. n. 3. Vaſques ad locum D. Thom. n. 15. Suar. cit. ſect. 3. n. 13. Cornej. verſ. *pro quo*, & videtur explicatio communior in hoc puncto: quod exemplo explicari poteſt: ſi quis, verbi gratia, intendat calorem & frigus ſub una ratione ſanitatis, calor & frigus non comparantur inter ſe, ſed cum una ſanitate, reſpectu cujus ſunt cauſæ, & propter quam unico intentionis actu intenduntur. D. Thom.

301. Et ad hunc modum referuntur ferè omnes modi probabiles, nam aliqui ſunt improbabiles, qualis eſt primus modus Cornejo aſſerentis ſufficere quod conveniant in medio, ad hoc ut unico actu per modum unius amentur: hic enim modus falſus eſt, quia ut bene notavit Vaſques cit. n. 15. jam ſufficeret ad hoc, ut illæ rationes amarentur per modum unius, quod convenirent in una ratione materiali, & jam voluntas ferri poſſet per unicum actum in objectum materiale ſub pluribus rationibus formalibus, ut pluribus.

302. Secundo: Non eſt probabilis modus ille, quem ponit Suar. ſecundo loco, ſcilicet quod ideo illæ rationes formales amantur per modum unius, quia omnes uniuntur inter ſe, & voluntas tendit in unionem illarum per unicum actum; videtur enim fictitia iſta unio & chymerica, cum ſit unio tam differentium & diverſarum rerum: hoc certè modo jam in unum medium uniri poſſent ratio fidei & ſcientiæ, opinionis & ſcientiæ naturalis & ſupernaturalis, quod quidem, & meritò ipſe P. Suar. diſp. 3. de fide ſect. 9. n. 13. negat. Eædem rationes, quibus oſtendit non poſſe duo media de fide & ſcientificum in unum tertium concurrere, convincunt eadem non poſſe uniri in unum medium, nec dari poſſe aliquam unionem inter tot diverſas rationes. Videantur quæ ibi affert Suarius; ex his enim ſatis efficaciter convincitur intentum.

303. Dices: Nulla videtur differentia inter hunc modum Suarii, & noſtrum. Reſpondetur negando ant. quia in noſtro modo explicandi manent illæ rationes formales veluti materiales, nec appetuntur ſecundùm ſuas ſpeciales rationes, nec ſecundum eas proponuntur ab intellectu, ſed proponitur tantum per confuſam cognitionem illa convenientia propter tertium: in modo verò Suarii una ratio formalis ſecundùm ſuam ſpecialem rationem unitur alteri, etiam ſecundùm ſuam ſpecialem rationem, quod ſine fictione fieri non poteſt.

304. Unica tantum ſupereſt objectio: Iſte actus quo eligitur illa convenientia, vel eſt ejuſdem ſpeciei cum actibus, quibus attinguntur diverſæ illæ virtutes ſigillatim, vel diverſæ: non ſecundum, quia rationes formales moventes, eædem: non primum, quia actus pœnitentiæ, verbi gratia, non eſt miſericordiæ. Reſpondetur eſſe diverſæ ſpeciei: nam objectum formale illius actus, non ſunt illæ ſpeciales rationes, ſed eſt ratio illa convenientiæ, quæ ut ſic motivum

diversum formale est, atque illæ rationes speciales.

305. Dices: Saltem ille actus erit naturalis simul & supernaturalis. Probatur, quia ex illis rationibus una poterit esse naturalis, & altera supernaturalis; ergo si conjunctim concurrant ad actum, actus erit simul naturalis & supernaturalis. Respondetur negando ant. quia supernaturalitas actus non desumitur ex objecto, sed ex motivo principali, si quis enim crederet rem supernaturalem ex motivo naturali, ille actus credendi naturalis foret, & siquis crederet rem naturalem ex motivo supernaturali, actus ille credendi supernaturalis foret, quia non ratio objectiva, sed modus, & motivum, quo movetur potentia, refundit supernaturalitatem in actum: similiter hic actus supernaturalis erit, si illa convenientia, ametur à principio supernaturaliter elevato propter motivum supernaturale: & hæc est doctrina Suarii cit. loco de fide numero 54.

306. Si quæras ad quam virtutem spectat iste actus; Respondetur in illo actu duplicem dari bonitatem, unam ex objecto, idest, ex illa convenientia, alteram ex fine: bonitas ex fine pertinet ad habitum virtutis illius finis, propter quem amatur illa convenientia: bonitas ex objecto continet bonitatem diversæ rationis, quæ tamen reduci potest ad bonitates illarum virtutum, quæ in illa ratione communi conveniunt. Nec requiritur quod iste actus producat aliquem novum habitum, siquidem elicitur ex eodem habitu finis, propter quem fit, qui magis in productione hujus actus intenditur; & habitus aliarum virtutum sufficiunt ad facilitatem operis, quod executioni mandandum est. Reliquis supersedeo, quia aliena sunt hujus instituti.

DIFFICULTAS TERTIA.

Utrum plura objecta materialia sub uno formali motivo, per unicum actum amari possint.

307. Respondetur affirmativè. Ita Suar. disp. 4. sect. 4. à n. 2. Salas tract. 7. disp. 2. sect. 9. n. 87. vers. *Probatur*. Ratio est, quia unico tantum actu potest quis se velle gerere temperate in prandio ex diversis ciborum generibus constante: atqui objecta illa materialia sunt plura, & propter unam rationem formalem temperantiæ diliguntur per unicum actum: ergo, &c. Confirmatur, quia omnia illa objecta materialia sub illa ratione formali accipiuntur inadæquate per modum unius: atqui actus non specificatur per objecta inadæquata, sed per adæquata; ergo actus qui versatur circa illa objecta, unus erit.

308. Unde corruit opinio Nominalium, quia ex quacumque variatione objecti materialis desumebant specificationem, & distinctionem actuum: & omnes actus non synonimos, affirmabant esse specie diversos: quæ quidem opinio ex eo convincitur, quia jam omnes actus charitatis, vel cujuslibet virtutis forent diversæ speciei. Sumetur ergo ex objecto materiali differentia materialis actuum, idest in esse naturæ.

309. Dubium tamen est, utrum necessarium sit quod voluntas feratur in illa objecta materialia unico actu. Respondetur primo, si unumquodque objectum materiale voluntas sigillatim attingat sub illa ratione formali, ut objectum adæquatum, ita ut unum ad aliud non dicat ordinem, nec omnia dicant ordinem ad illam rationem formalem, tunc necessario dari diversos actus, diversos specie in esse naturæ, & diversos numero in esse moris. Utrumque probo, quia ratio formalis motiva in esse moris, est eadem bonitas moralis in specie, in esse naturæ diversæ, nam in esse naturæ entitas materialis est objectum materiale, & bonitas illius est formale; ergo specificat diversos specie actus ex diversitate specifica entitatis: bonitas verò objectiva moralis est una in omnibus illis objectis; ergo specificat diversos numero actus.

310. Resp. secundo: Si voluntas attingat illa omnia objecta simul, tunc unico tantum actu illa potest attingere. Probatur, quia illa omnia objecta tantum inadæquate sunt plura, quæ sub eadem ratione formali per unicum actum attinguuntur, ut benè notavit Salas numer. 88. vers. *licet*, quia ubi unum datur specificativum formale numero, unum etiam dabitur specificatum formale numero. Ex quo Salas infert: si quis vellet elargiri multis pauperibus simul eleemosynam, illam volitionem esse unam in genere naturæ, & moris, quia illi pauperes sunt unum quid cum objecto adæquato, quod si sigillatim in unumquemque pauperem tenderet voluntas, tunc actus essent plures iuxta pluralitatem pauperum.

DIFFICULTAS QUARTA.

Utrum actus tendens in plura objecta materialia sub una ratione formali, sit ejusdem speciei cum actibus, qui tendunt in unum objectum materiale.

311. Respondetur, in genere moris, ejusdem speciei; in genere naturæ, esse diversæ speciei. Utramque partem tuetur Salas numer. 91. Primam Suarius numer. 2. Prima pars probatur, quia eadem bonitas temperantiæ in specie est, si medium ejus virtutis observetur, sive objecta materialia sint carnes, sive pisces. Confirmatur, quia illa bonitas moris desumitur ex ratione formali, nimirùm ex bonitate formali objectiva: atqui hæc est una in specie, nimirùm eadem ratio formalis; ergo omnes actus, qui specificantur ab illa ratione formali, in genere moris, erùt ejusdem speciei, sive objecta materialia sint plura sive unum. Secundam verò partem sic ostendo, quia esse naturæ sumitur ab objecto materiali, sub illa ratione boni in esse naturæ: atqui hæc est specie diversa in actu, qui versatur circa objecta materialia diversæ speciei, atque in actu, qui versatur circa unum objectum; ergo, &c.

312. Utrum vero ad hoc, quod ille actus sit ejusdem speciei, requiratur quòd ratio motiva non solùm sit eadem formalis, sed etiam eadem formaliter; Resp. affirmativè cum Suar. in 4. quia si illa ratio variatur in se, vel in modo, bonitas actus erit diversæ speciei, & per actum diversæ speciei attingetur. Patet, quia qualiber sufficit ad causandam diversam rationem causandi in voluntate, & in respectu actuum ad objectum, induit diversam rationem formalem; ergo requiritur ad hoc ut actus sit ejusdem speciei, quod ratio formalis sit eadem formaliter sine aliqua sui variatione. Ant. probatur exemplis, nam adoratio latriæ absoluta, differt specie ab adoratione latriæ respectiva, iuxta probabilem sententiam, quia quamvis utraque fundetur in eadem ratione formali objecti, nimirùm in eadem excellentia, fit tamen aliqua variatio in illa, quia adoratio absoluta respicit excellentiam in se ut intrinsece afficien-

tem personam, quæ adoratur; respectiva verò respicit eamdem excellentiam, solum per quamdam habitudinem extrinsecam. Similiter objectum bonum absolutè propositum excitat amorem, & propositum ut absens excitat desiderium.

DIFFICULTAS QUINTA.

Explicatur unitas & diversitas actuum ex objecto.

313. DUobus modis de ista unitate, vel diversitate loquendum est. Primo, de specifica; Secundo, de numerica. Circa specificam Dico 1. Ad diversitatem specificam actuum sufficit diversum objectum formale, ad unitatem non sufficit idem objectum formale. Primam partem probo, quia de essentia actus est ordo ad objectum formale; ergo quoties objectum formale fuerit specie diversum, ordo erit specie diversus; ergo etiam actus, siquidem ordo ille est de essentia actus.

Secunda pars ostenditur primo, quia si circa hanc propositionem, *terra rotunda est*: eliciantur duæ conclusiones, una ex principiis mathematicis, altera ex principiis philosophicis, conclusiones erunt specie diversæ, licet objectum illarum sit [illegible], propter diversa motiva, ex quibus eliciuntur; ergo similiter, siquis diligat sanitatem, verbi gratia, ex determinato amore serviendi Deo, ille actus circa sanitatem erit specie diversus ab eo, quo quis diligit eamdem sanitatem ex determinato desiderio studendi, & tamen sanitas est idem objectum illorum actuum. Secundo quia siquis ex motivo supernaturali Deum diligat, dilectio illa specie, imò genere diversa est ab ea dilectione, qua idemmet Deus diligetur ex motivo naturali, & sic de aliis actibus elicitis circa idem objectum formale, sed ex diversis motivis, naturali scilicet & supernaturali.

Tertio quia non vulgaris opinio est, quòd actus eliciti à potentiis specie diversis, ut ab Angelo & homine, sint specie diversi, quamquam versentur circa idem formale objectum. Quarto tandem, quia actus liber, & necessarius de quo satis disp. 1. à n. 26. & disp. 2. sectione 56. sunt diversæ speciei, & tamen illorum objectum potest esse idem formale; ergo unitas formalis objecti, non sufficit ad unitatem specificam actus. Minor probatur, quia si voluntas libere versetur circa aliquod objectum, & Deus deneget concursum ad unam partem, manente eodem objecto, voluntas necessario illud diligit, & tamen fit per duplicem actum, ad minus specie diversum. Denique scientia, & opinio versari possunt circa idem objectum formale, dummodo media sint diversa.

Quare licet ad diversitatem specificam actus, sufficiat diversitas objecti formalis, ad unitatem tamen actus non sufficit unitas objecti formalis; sed amplius requiritur unitas in modo tendendi in objectum, ex quo potissimum specificatur actus, ut asseruit Durand. q. 4. prologi numero 4. & ex eo Granad. 1. 2. tract. 8. disp. 4.

314. Circa diversitatem & unitatem numericam actus; dico secundo: Distinctio numerica actus desumitur ex objecto materiali, ita ut quotiescumque variatur objectum materiale, varietur etiam actus, quamquam unus & alter actus tendat in objectum materiale sub eodem objecto formali. Ita Suar. n. 7. Salas n. 91. Probatur, quia in voluntate creata non potest intelligi volitio aliqua de novo, vel nolitio, nisi facta aliqua mutatione in actu ejus: atqui si fit aliqua mutatio in objecto materiali, voluntas aliquid de novo vult, aut non vult; ergo erit per diversum numero actum; ergo saltem ab objecto materiali dependet numerica distinctio actuum voluntatis. Confirmatur, quia voluntas tendit in objectum, per indivisibilem tendentiam; ergo facta quacumque mutatione, in objecto, fiet mutatio in tendentia, & consequenter diversa erit tendentia, atque actus.

315. Sed quia duplex datur individuatio objecti, una essentialis, altera accidentalis: essentialis fit ex determinato objecto, & agente: accidentalis ex qualitate per differentiam individuantem: accidentaliter verò per certas circumstantias in illis carminibus in logica positis, inclusas; *forma, figura, locus*, *&c.* ideo quando datur diversitas objecti materialis, inducit in actu diversitatem essentialem, quia cum individuatio essentialis dependeat ab hoc determinato objecto, mutato objecto, mutatur individuatio essentialis. Hac de causa si actus eleemosynæ versetur circa quatuor pauperes, diversus erit numero ab eo, qui versatur circa tres vel unum: idemque dicendum est, si mutetur principium efficiens, nam actus elicitus à voluntate Petri erit diversus numero ab eo, quem eliciet voluntas Pauli, quamquam objectum materiale & formale sit idem, eo quod ad unitatem numericam actus requiratur unitas agentis, & objecti simul, & variato quolibet, varietur etiam actus.

Diversitas autem accidentalis individui desumitur ex diversitate circumstantiarum, quæ se habent velut accidentia actus, ideo manente eodem actu essentialiter, potest variari accidentaliter, ut si magis vel minus intendatur, duret per unam horam vel dimidiam, ut etiam hæc numero visio elici potest in hoc, vel illo tempore, continuari per horam, vel dimidium horæ. Unam tantum excipio quantitatem objecti, per quam actus individuatur essentialiter, quia cum individuatio essentialis dependeat ab hoc numero objecto, hoc numero objectum debet esse in tanta quantitate. Unde non bene Salas numero 95. & Rua controv. 6. dub. 1. p. 3. vers. *dico secundo*, asserunt mutata quantitate objecti, non mutari eumdem numero actum.

SECTIO SEPTIMA.

De bonitate formali actus ex circumstantiis.

EXplicata essentiali bonitate actus, quæ desumitur ab objecto, superest explicanda bonitas, quæ ex circumstantiis desumitur, quæ cum variæ sint, variasque involvant difficultates, circa modum, quo tribuunt bonitatem actui, quæ sine earum speciali cognitione explicari non possunt, idcirco paululum in eis immorabimur, nec pigebit, cum bonitas actuum maximè ab eis dependeat.

SUBSECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit circumstantia.

316. CIrca primam tituli partem circumstantia definitur, *est id, quod est extra substantiam actus, actum aliquo modo attingens*: pro cujus explicatione notabis, circumstantias actus humani explicari per circumstantias rerum naturalium: ut enim essentiam naturalem consequuntur quædam proprietates, accidentiaque, ita

etiam actum humanum consequuntur quædam proprietates, quæ circumstantiæ dicuntur, per metaphoram desumptam ab iis, quæ in loco sunt.

Cum ergo duo requirantur, ut aliquid circumstet rem, quæ est in loco, primum ut sit extrinsecum ipsi rei; secundum, ut rem aliquo modo attingat: verbi gratia, aër dicitur circumstare corpus, quod est in loco, primò quia est corpori extrinsecum; secundo, quia corpus ambit, & attingit: similiter duo etiam requiruntur, ut aliquid sit circumstantia actus: primum ut sit extrinseca actui, & hoc est esse extra substantiam actus: secundum ut substantiam actus attingat, quatenus ad actum pertinet.

317. Circa secundam tituli partem, numerus circumstantiarum in septennario clauditur juxta considerationem Theologorum, nam à Jurisperitis, Rhetoribus, & aliis, majori in numero recensentur: septem autem circumstantiæ in hoc versiculo continentur: *quis, quid, ubi, quibus auxilius, cur, quomodo, quando.* Quiquidem numerus probatur à S. Damasceno secundo lib. fidei cap. 24. Niceno lib. 5. de homine cap. 5. D. Thom. q. 2. de malo art. 6. 1.2. q. 7. art. 3. ubi Thomistæ omnes, Lorca disp. 6. sect. 2. Vasques disp. 3. à cap. 1. Salas tract. 4. disp. unica sect. 2. n. 8. Valentia disp. 2. q. 2. puncto 2. Azor. tom. 1. lib. 1. cap. 18. q. 3. Suar. de pœnitentia disp. 22. sect. 4. n. 1. & tract. 2. in 1.2. disp. 5. sect. 2. n. 1. Granad controvers. 2. tract. 10. disp. 3 à n. 2. Pesantius 1.2. q. 18. art. 4. disp. 3. Cornejo tract. 6. disp. 4 à principio n. 1. Becan. tract. 1. cap. 4. Raynaud. dist. 4. q. 3. art. 3. n. 318. Malder. disp. 78. Patres Carmelitani 1,2. tract. 12 disp. 4. § 1. n. 3.

Damascenus. Nisen. D.Thom.

318. Circumstantia, *quis*, significat personam operantem, non quidem secundùm substantiam personæ, nec secundum ipsius virtutem operativam, sed penes accidentia qualitatis, ut, verbi gratia, si sit persona sæcularis, aut Deo sacra, ita Azor. q. 3. Vasques cap. 1. n. 8. Valentia puncto 2. Salas n. 7. Suar. in 1.2. cit. loco n. 3. Cornejo tract. 6. disp. ultima dubio 1. n. 2. Granad. n. 3. Ratio est, quia respectus ad agens secundùm substantiam, & virtutem ipsius agentis, est intrinsecus actioni: atqui circumstantia debet esse extrinseca; ergo non potest esse per ordinem ad agens secundum ipsius substantiam, & virtutem; ergo erit per ordinem ad agens secundùm aliquod accidens, videlicet qualitatis. Utrum verò ista circumstantia significet etiam personam patientem: negant communiter Theologi; affirmat Azor, cujus opinio non mihi displicet, ex eo quod eadem ratio detur de persona agente atque de patiente.

319. Circumstantia, *quid*, est materia circa quam versatur actio, non tamen significat substantiam actionis, nec ipsum objectum, seu materiam, quia actio est sibi intrinseca, & ab objecto specificatur circumstantia, nec est intrinseca actioni, nec actionem specificat: ergo vel accidens materiæ, circa quam versatur actio, vel effectum ab actione productum, verbi gratia, in furto, actio furandi, & res aliena, quæ furatur, non est circumstantia, *quid*, sed quantitas, vel qualitas materiæ, ut si sit magna, vel sacra, & damnum illatum, vel commodum: quare per illam circumstantiam intelligitur quantitas, vel qualitas materiæ, ac effectus ab actione productus. Unde male Cornejo citatus per illam tantum intelligit accidentia effectus.

320. Circumstantia, *ubi*, significat accidentia loci, verbi gratia, sacri, publici, aut similis. Circumstantia, *quibus auxiliis*, significat media, vel instrumenta, quibus exequitur opus, ut si homicidium factum fuit arundine, vel gladio, si usus quis est aliquo homine, tamquam concausa sui operis. Circumstantia, *cur*, significat finem extrinsecum, sive operantis, ut siquis det eleemosynam propter inanem gloriam, vel propter Dei gloriam.

321. Circumstantia, *quomodo*, significat modum actionis. Verbi gratia, si actio fiat vehementer, aut lente, cum majori, vel minori libertate, cum dolo, vel bona fide, cum majori vel minori advertentia, cum tentatione, aut sine illa, ex habitu, aut subitò. Circumstantia, *quando* significat tempus, verbi gratia; si actus fiat die festo, vel feriali, cum majori vel minori duratione. Major in 4. dist. 17. q. 4. addit octavam circumstantiam, idest, *quoties*, Cornejo citatus eam reducit ad circumstantiam temporis, vel loci. Herrera disp. 3. de peccatis q. 10. vers. *pro explicatione*, ait per *quoties* significari numerum peccatorum. Verum cum per terminum, *quoties*, significetur multiplicatio actus, non est accidens respectu illius, nec est cur inter circumstantias numeretur: quamquam Angel. Doctor q. [illegible] malo art. 6. eam reducat ad circumstan[illegible] *quando*. D. Thom.

SUBSECTIO SECUNDA.

Utrum circumstantia sint accidentia respectu actus humani.

D.Thom.

SUpponitur circumstantias esse accidentia, quod docuit D. Thom. 12. q. 7. art. 1. ubi communiter Theologi, & ratio est clara, quia de ratione circumstantiæ est, ut sit extra substantiam actus, actumque aliquo modo attingat; sed, quod est extra substantiam, est accidens; ergo circumstantiæ accidentia sunt.

Quod quæritur est, utrum sint accidentia actus humani: in quo variæ sunt sententiæ. Prima docet esse accidentia respectu actus humani in genere naturæ, non verò in genere moris: ita Durand. in 4. dist. 16. q. 3. Nav. in cap. *considerret* de pœnitentia dist. 5. Secunda sententia docet nullo modo circumstantias esse accidentia respectu actus in genere naturæ, nam actus in genere naturæ nullas habet circumstantias. Ita Granad. controvers. tract. 10. disp. 3. n. 6. & 8.

Tertia sententia affirmat circumstantias esse accidentia respectu actus exterioris, non verò interioris, idest, quod actus aliarum potentiarum à voluntate habent circumstantias, non actus voluntatis. Ita Ocham. in 3. q. 20. n. 4. & quodlibeto 3. q. 15. Gabriel in 3. dist. 23. q. 1. art. 1. Durand. in 2. dist. 38. q. 1. Martinus de Magistris q. 2. de luxuria Conrad. 1.2. q. 19. art. 2. Cajet. 1.2. q. 18. art. 4. & de circumstantia modi, idest, *quomodo*; idem docent Valentia 1.2. q. 14. disp. 2. puncto 2. Becan. tract. 2. cap. 4. q. 4. numero 4.

Quarta sententia docet circumstantias esse accidentia respectu actu secundùm speciem, non verò in individuo: Ita Valentia 12. disp. 2. q. 7. puncto primo vers. *sed ut rectè*, & 3. p. disp. 7. q. 1. puncto 11. vers. *in primis*. Ultima sententia asserit circumstantias esse accidentia respectu actus humani, tam in genere naturæ, quam in genere moris, interioris, & exterioris, sive sumatur secundùm speciem, sive in individuo. Ita communiter

muniter Doctores, per sequentes conclusiones citandi.

321. Prima conclusio: Actus in genere naturæ suas habet circumstantias, quæ sunt illius accidentia: ita Doctores primæ sententiæ, quibus assentiuntur communiter Theologi Thomistæ, cum D. Tho. (D. Thom) 1.2.q.7. art.1. & q.2. de malo art. 6. ad 5. Summistæ, verbo *circumstantiæ*. Suar. 1.2. tract. 2. disp. 5. sect. 1. n.7. & 10. Salas tract. 4. disp. 1. sect. 12. n. 1. & alii referendi conclusione secunda. Probatur, quia occisio hominis, verbi gratia, in esse naturæ considerata quocumque modo fiat, quibusve circumstantiis afficiatur, semper manet occisio, & quibuscumque separatis, non desinit esse occisio; ergo circumstantiæ accidentia sunt illius. Patet consequent. quia accidens est illud, quod adesse, vel abesse potest sine subjecti corruptione: atqui sive ponantur, sive auferantur illæ circumstantiæ, occisio, vel occisionis volitio, semper persistit sine sui corruptione; ergo circumstantiæ accidentia sunt illius. Argumenta, quibus Granad. impugnat hanc conclusionem, solvenda sunt per conclusiones sequentes.

323. Secunda conclusio: Actus in genere moris habet omnes istas circumstantias ut accidentia: ita Doctores 2. & 3. sententiæ quibus assentiuntur Suar. n. 8. Araujo q. 18. art. 4. dubio unico n. 39. & 47. Granad. n. 8. Vasques disp. 17. c. 1. n. 7. vers. *deinde*. Ægid. de Coninch. de actibus supernaturalibus disp. 3. dub. 14. n. 121. Corneio. disp. 4. dub. 1. n. 12. Curiel. 1. 2. q. 18. dub. unico §. 4. in 1. conclusione Rainaud. dist. 4. q. 1. art. 7. n. 126. Herrera disp. 28. q. 7. vers. *hic*. Sayr. in clavi regia lib. 1. cap. 4. n. 7. vers. *post*. Ex antiquis Ricard. Gabriel. Ocham. Buridan. Almainus, Sot. apud Suar. supra n. 8.

(cap. *occidit* 27. q. 8. cap. *consideres* de pœnit. dist. 5.) Probatur primo, quia ita habetur cap. *occidit* 27. q. 8. & cap. *consideres* de pœnitentia dist. 5. approbatur ab August. lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 15. & 16. Probatur 2. quia bonitas, vel malitia actus moralis ex his conditionibus dependet, & tamen multoties solum augetur, vel minuitur bonitas, vel malitia per circumstantias, manente eadem substantia actus; ergo sunt hæ circumstantiæ accidentia illius. Maj. probabitur infra. Consequentia patet, quia magis vel minus, quando non variant substantiam actus, sunt illius accidentia. Min. probatur, quia si quis velit furari, objectum specificans illum actum est res aliena, quod verò persona, quæ furatur, Deo sacra sit, & res aliena in magna, aut parva quantitate, quod fiat mediante dolo, in die festo, aut cum intentione, non mutant speciem actus, sed tantùm augent, aut minuunt malitiam, siquidem ordo ad rationem non ita ex his circumstantiis variatur, ut varietur conformitas, vel difformitas ad illam, siquidem non datur novum præceptum de illis circumstantiis, & ideo circumstantiæ solùm augebunt, vel minuent malitiam, aut bonitatem actus.

324. Tertia conclusio: Circumstantiæ sunt accidentia respectu actus interioris: ita Doctores 2. & 3. sententiæ. Suar. n. 11. Ægid. de Coninch. n. 185. Vasq. n. 7. Granad. n. 7. Corneio dubio 5. vers. *occasione*, Rainaud. n. 122. & n. 126. Araujo n. 59. (D. Thom.) asserens esse sententiam D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 2. in corp. & q. 2. de malo art. 5. in corp. Montesin. disp. 23. q. 2. Martinez q. 17. art. 9. dub. 1. & 2. Patres Carmelitani tract. 11. disp. 4. dub. 1. §. 2. quam sequuntur communiter Thomistæ.

Probatur conclusio, quia actus exterior tàm in ratione actus, quàm in ratione objecti, afficitur his circumstantiis accidentaliter; ergo etiam actus interior. Ant. etiam ab adversariis defenditur, & constat, nam largitio eleemosinæ, sive fiat in loco sacro, sive non, à persona humili, vel nobili, mediante servo vel immediatè, in magna vel parva quantitate, intensiùs vel remissiùs, die festo vel feriali, eadem est secundùm suam speciem quoad bonitatem moralem essentialem, ex meliori namque circumstantia solùm augetur bonitas, & illius valor; ergo actus interior in quacumque consideratione, circumstantias habet, quæ illius sunt accidentia, cum detractis his circumstantiis, non perit eius essentia, additis non variatur, imò eadem semper persistit.

Consequentia autem, quòd actus interior easdem habeat circumstantias accidentales, probatur primo, quia iuxta multorum opinionem, actus externus non aliam habet moralitatem, quàm illam quæ ei tribuitur ab actu interno. Secundo quia quãdo voluntas vult actum externum, vult etiam circumstantias, quibus ille circumdatur; ergo actus internus, per quem volitus est externus, habet omnes circumstantias, quas externus actus habet. Tertio quia argumentum factum pro actu exteriori æqualiter urget pro interiori, namque eadem bonitate essentiali actus interioris manente, per illas circumstantias solùm minuitur, vel augetur.

325. Objicies primo contra omnes conclusiones: Objectum non est circumstantia respectu actus interioris: atqui circumstantiæ sunt objecta respectu actus interioris; ergo non sunt circumstantiæ illius. Min. probatur, quia circumstantiæ non possunt afficere actum internum, nisi voluntariæ sint; atqui non possunt esse voluntariæ, nisi subeant rationem objecti; ergo, &c. Major est certa, quia cum circumstantiæ augeant, vel minuant malitiam moralem actus interioris, debent esse voluntariæ, involuntarium enim non pertinet ad bonitatẽ, vel malitiam moralem actus. Minorem probo, quia, ut aliquid sit voluntarium debet esse volitum: atqui quod est volitum est objectum voluntatis; ergo circumstantiæ erunt objecta actus voluntatis.

326. Resp. distinguendo Min. Circumstantiæ sunt objecta actuum voluntatis, primaria, & principaliter volita, nego; secundaria, & volita tamquam conditiones, concedo: quando verò dicitur objectum non esse circumstantiam, intelligitur de objecto primario, quod est specificativum actus, non verò de objecto secundario, quod non est actui essentiale, ut bene notavit Scot. in 1. dist. 1. qu. 2. n. 6. vers. *actus*, & eius additio q. 4. prologi n. 7. (Scotus.) quomodo intelligendus est D. Thom. quando asserit bonitatem solum dependere ab objecto, loquitur enim de bonitate essentiali, & objecto primario, ut bene Carmelitan. tract. 11. disp. 4. dub. 5. n. 11. de quo supra à numero 219. De modo quo circumstantiæ volitæ sunt, infra disserendum est hac sectione subsect. 10. (D. Thom.)

327. Instabis: Quocumque modo circumstantiæ sint objecta, specificant actum moralem; ergo non sunt accidentia illius. Patet consequent. quia specificativum est actui essentiale. Pro antecedentis probatione suppono ex dicendis infra hac sect. subsect. 5. per omnes circumstantias variari speciem actus, ex quo sic probatur ant. quidquid variat speciem actus, est illius specificativum: atqui circumstantiæ variant speciem actus; ergo sunt specificativa illius. Maj. probatur, quia specificativum est quod tribuit speciem specificato: atqui ideo circumstantiæ dicuntur variare speciem actus, quia actui tribuunt speciem; ergo sunt specificativa actus. Resp. negando ant. ad probationem concedo multoties per has circumstantias variari speciem actus, nego tamen hoc semper contingere, cum sæpè sæ-

piùs ex illis non varietur species actus, sed tantùm augeatur, vel minuatur: quando igitur circumstantiæ variant speciem actus non sunt circumstantiæ, sed objecta specificativa, quando verò augent, vel minuunt, non sunt objecta, sed circumstantiæ accidentales.

328. Objicies secundo: Istæ circumstantiæ, nec augêt, nec minuunt bonitatem vel malitiam actus; ergo impertinenter se habent ad actum moralem, nec benè appellantur actus moralis circumstantiæ, & accidentia. Conseq. patet, quia accidentia naturalia non sunt accidentia subjecti, quod nullo modo afficiunt. Resp. negando ant. de quo subsectione sequenti.

329. Objicies tertio: Accidentia semper debent subjectari in aliquo subjecto: atqui actus humanus non potest esse subjectum accidentium; ergo circumstantiæ non sunt illius accidentia: Major patet, quia ideo accidentia dicuntur talia respectu substantiæ, quia hæc est eorum susceptiva: insuper cum suum esse sit inesse alicui subjecto, ex sua essentia subjectum postulant. Min. verò ostenditur, quia actus humanus est accidens: atqui accidens non est aliorum accidentium subjectum; ergo. Minor, patet, quia illud est propriè subjectum accidentium, quod per ea perficitur: atqui unum accidens per alium non perficitur; ergo. Probatur hæc Minor, quia unumquodque accidens, est tantùm forma, in se que continet omnem suam perfectionem à natura institutam ut perficiat substantiam.

330. Resp. Nego Minorem, ad probationem negari poterat Minor, quantitas enim suscipit accidentia, eorumque est immediatum subjectum, ut docui in nostris libris Physicorum; sed ne in re facili immoremur, distinguo Minorem: Accidens non est aliorum accidentium subjectum naturale, transeat; morale, nego: nam ut se habet substantia erga accidentia naturalia, ita actus humanus erga moralia, quamvis enim actus humanus in ordine naturali, non perficiatur, sitque tota sua perfectio, perficitur tamen in ordine morali.

331. Ultima conclusio: Istæ circumstantiæ sunt accidentia respectu actus tam interni, quam externi in individuo. Ita communiter doctores supra citati, expressius, & particularius, Araujo numer. 41. Cornejo dub. 1. numer. 11. Curiel, in 1. conclusione. Probatur, quia si ab hoc numero actu singulari, saltem per intellectum, removeantur circumstantiæ, manebit idem numero actus; ergo circumstantiæ accidentia sunt illius. Probatur anteced. nam siquis nobilis furetur septem scuta in loco publico, medio aliquo instrumento, tantum propter furti utilitatem, & die festo per spatium horæ, fiat hoc furtum continuè, idemmet erit actus numero, quàm fieret sine his circumstantiis, ut discurrenti per omnes manifestum erit.

332. Confirmatur, quia individuatio essentialis hujus numero actus tantum dependet ab hoc numero agente, & ab hoc numero objecto; ergo quicquid amplius additur, non variat individuum essentialiter, sed tantum accidentaliter, & consequenter circumstantiæ quæ adveniunt, accidentia sunt illius, una si excipiatur quantitas, quæ integrat hoc numero objectum, ut dixi sect. 6. difficultate 5. n. 3. 5.

333. Objicies primo: Circumstantiæ non sunt accidentia actus in individuo. Probatur antecedens: Per illas circumstantias individuatur singularis substantia actus; ergo non possunt esse accidentia illius in individuo. Resp. negando ant. Ad probationem nego anteced. Nam actus individuatur substantialiter per ordinem ad determinatum principium, & objectum, quidquid verò amplius additur, accidens est.

334. Secundo: Circumstantiæ, quæ non adduntnovam speciem actui, sunt partes substantiæ actus, quoad individuum: sed partes substantiales alicujus subjecti, non sunt illius accidentia; ergo, &c. Major probatur, quia intentio & continuatio sunt de substantia actus, & quantitas ex parte objecti est pars substantialis objecti. Resp. distinguendo Majorem, sunt partes substantiæ actus indeterminatè, concedo: determinatè, nego. Deinde nego Minorem, nam quilibet actus in individuo postulat ad complementum suæ substantiæ intensionem, vel remissionem indeterminatè, non tamen determinatè hanc vel illam: similiter prima duratio postulatur vage, & indeterminatè, ideoque hæc determinatio est extra substantiam actus, non enim requiritur, quòd sit prima, aliàs si non maneret sub ratione primæ, jam actus non esset idem numero: quare accidentia sunt quinti prædicabilis, siquidem contingenter accidunt actui, omnis enim actus potest esse absque sui corruptione sine hac, vel illa circumstantia, licet semper debeat habere aliquam circumstantiam.

SUBSECTIO TERTIA.

Utrum ut actus sit simpliciter bonus, postulet aliquam circumstantiam?

335. Notandum est in triplici genere esse circumstantias, vel enim sunt necessariæ, vel debitæ, vel indebitæ: necessariæ non sunt propriæ circumstantiæ, ut benè notavit Suar. disp. 5. numer. 3. Sal. disput. 2. sect. 10. numer. 44. tunc enim induunt rationem objecti; verbi gratia si objectum fuerit indifferens, & ex circumstantia reddatur honestus: indebitæ, & malæ sunt, per quas vitiatur actus, ut siquis largiatur eleemosynam propter inanem gloriam. Debitæ sunt illæ, per quas augetur bonitas actus, & sunt vel debitæ ex præcepto, vel ex consilio.

336. Dico primo: Ut actus sit simpliciter bonus, necessario postulat cæteriam circumstantiæ indebitæ, & malæ. Ita Scot. in 2. dist. 7. q. 1. n. 12. & toto quodlibeto 18. præcipuè art. 1. ubi latè Lichet. & ad locum secundi, ubi etiam Bargius, & Vigerius. Thomistæ ferè omnes ad 1. 2. qu. 18. art. 3. Suar. disp. 5. n. 3. Sal. disp. 2. sect. 10. n. 95. Maldar. disp. 74. §. 3. Probatur ex Dionysio 4. de divinis nominibus, *bonum est ex integra causa, malum ex particulari defectu*, quod quidem pronunciatum intelligitur communiter, quod actus bonus nullam debeat habere circumstantiam malam, per quam inficietur, & patet ex eo, quia ex opposito jam idemmet actus esset simul bonus, & malus: meritorius & demeritorius, nam ex objecto esset bonus, & meritorius, ex circumstantiis esset malus, & demeritorius: quod quidem falsum esse infra sect. 9. subsect. 2. dicendum est. Unde actus non est bonus ex negatione circumstantiæ, sed quia bonitas connotat carentiam cujuscumque malitiæ, & defectus juxta proloquium Dionysij. Scotus. Areopag.

337. Dico secundo: Si actus careat circunstantia debita ex præcepto, est simpliciter malus. Probatur, quia actus elicitus contra præceptum malus est, atqui si desit circumstantia, quam ex præcepto tenemur apponere, actus fit contra præceptum; ergo

actus sit contra præceptum; ergo actus illa circunstantia carens malus erit. Ex quo, si daretur præceptum de apponendis bonis circunstantiis, & de ordinando actu in finem, si non apponerentur bonæ circunstantiæ, nec actus ordinaretur in finem, actus esset malus.

338. Dico tertio, ut actus sit simpliciter bonus, non requirit circunstantias, per quas bonitas eius accidentaliter augetur. Est communis sententia, de qua videantur Suar. n. 4. Sal. n. 94. Rainaud. quæst. 1. art. 7. n. 125. Malder. disput. 74. vers. 1. Probatur, quia si actus potuisset tendere in objectum honestum, quin aliquibus vestiretur circunstantiis, proculdubio foret bonus. Probatur, quia ille actus ex objecto acciperet suam speciem essentialem, hæc non est mala, sed bona, siquidem objectum specificativum bonum est; ergo si actus non vitietur ex aliqua circumstantia indebita, quamvis desint aliæ circumstantiæ augentes eius bonitatem, actus erit bonus.

339. Sed quæret, utrum conclusio ista procedat de actu secundùm speciem, an secundùm individuum? Respondetur; de utroque. Nam actus secundum speciem non dependet ab his circumstantiis determinatè, mutata siquidem quacumque, actus secundum suam speciem æqualiter manet bonus: similiter actus in individuo, licet ex variatione circumstantiarum varietur, tamen substantialiter manet idem actus: mutatur ergo bonitatis augmentum ex ablatione circumstantiarum, non tamen bonitas essentialis, quæ ab objecto dependet.

SUBSECTIO QUARTA.

Utrum omnes circumstantiæ augeant bonitatem actus.

340. SUppono ea, quæ non conferunt ad actum in esse naturæ, vel in esse moris, esse impertinentia, nulloque modo dici circumstantias illius, licet cum actione, vel loco, vel tempore conjungantur. Verbi gratia, ut quòd aliquis largiatur eleemosynam, si sol luceat: si autem conferant ad Physicam, & non ad moralem actionem, dicuntur circumstantiæ actionis in esse physico, non morali, ut siquis gladio, vel hasta hominem occidat, ut ex communi sententia docet Ægid. de Coninch. de actibus supernaturalibus disp. 3. dub. 14. n. 159. Hoc posito

341. Resp. omnes circumstantias tribuere bonitatem actui. Ita communiter Doctores. Probatur à priori. *Per causas, per quas res producitur, accipit augmentum*: atqui bonitas producitur ex circumstantiis; ergo etiam per easdem augetur. 2. Quia ut se habent accidentia in naturalibus, ita se habent in moralibus: atqui accidentia naturalia, quæ non conferunt aliquam perfectionem, vel imperfectionem subjecto naturali, non dicuntur accidentia respectu illius; ergo similiter accidentia moralia, quæ non tribuunt perfectionem, id est, bonitatem, vel imperfectionem, id est, malitiam, non sunt accidentia, & circumstantiæ respectu actus moralis.

342. Tertio, quia diversi modi essendi in actu voluntatis, ut intentio, duratio, & similia, sunt veræ circumstantiæ augentes bonitatem actus. Probatur, quia hic actus, *volo colere Deum*, bonus est, majori conatu melior, per diuturnum tempus optimus: similiter largitio eleemosynæ bona est, in magna quantitate melior, occultè optima. 4. Quia ex circumstantiis Physicis augetur bonitas, & malitia physica, mala enim diuturna magis timentur, bona vero desiderantur. 5. Quia ex circumstantiis augetur ratio meriti vel demeriti, pœnæ vel præmij; ergo etiam bonitas, vel malitia. Patet consequentia, quia *non potest augeri proprietas, quin augeatur essentia*: atqui meritum & demeritum, pœna vel præmium, sunt proprietates bonitatis & meriti; ergo si illæ augentur, etiam hæ. Ant. patet, quia plus punitur, qui diu perseverat in peccato, & plus præmiatur qui diuturnius in bonitate persistit.

343. Tandem probatur ex discursu, quem per omnes circumstantias conficit Araujo numer. 42. Nam circumstantia, *quis*, aggravavit peccatum Iudæ eo quod esset unus ex supremo Apostolorum senatu. Innuit hoc Matthæus cap. 26. *Tunc abiit unus de duodecim*, ubi Chrysostom. homilia 8. divus Leo homilia de passione Domini, notant à qualitate Iudæ aggravatam esse eius malitiam. Eadem circumstantiâ aucta est bonitas Samaritani eo quòd alienigena esset Lucæ 10. vers. 33. *Samaritanus autem quidam*; & eadem qualitas illius alienigenæ, qui solus reddidit gratiam apud Lucam cap. 17. vers. vers. 18. *Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena*, illius auxit bonitatem, de quo late Chrysostom. homilia 77. in Matthæum.

Math. 26. Chrysost. S. Leo Pap. Luc. 10. vers. 33. Lucæ 17. vers. 8. Chrysostom.

344. Circumstantia, *quid*, multum aggravat malitiam & bonitatem, ideo iuvare Sanctos, vel peregrinos auget bonitatem, ob primum enim laudatur Philemon à Paulo, & ob secundum pij laudantur à Ioanne in sua secunda Canonica: Ideo etiam contumelia in Sanctos maior est, quam in alios homines, de quo Greg. 15. Moralium cap. 19. & Chrysostom. homilia 47. in Genesim, ac proinde si circumstantia, *quid*, denotat qualitatem personæ, ut communiter volunt Doctores, auget bonitatem & malitiam actus, vel ut verius puto, hæc qualitas personæ pertinet ad circumstantiam, *quis*, & eodem modo auget bonitatem, vel malitiam. Per quantitatem materiæ, verbi gratia, si detur eleemosyna in magna quantitate, vel maximum damnum inferatur, non dubium est augeri bonitatem, vel malitiam actus.

S. Gregor. Magn. Chrysostom.

345. Circumstantia, *ubi*, etiam addit bonitatem. Laudatur Iob, quod fuerit *iustus in terra Hus*, Iob cap. 1. vers. 1. *Vir fuit in terra Hus*, bonus inter malos, verus Dei cultor inter gentiles: maximis extollitur laudibus fortitudo Bananiæ, qui secundo Regum cap. 23. *interfecit leonem in cisterna*, de quo Chrysostom. homilia 51. ad populum: à Paulo secunda ad Thessalonicenses 2. vers. 4. notatur maximum scelus Antichristi ex eo quòd se coli sinet in templo, *qui adversatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat*.

Iob. cap. 1. n. 1. 2. Regum cap 23. 2. ad Colos. cap. 2.

346. Circumstantia, *quibus auxiliis*, etiam addit bonitatem: hac de causa laudatur fortitudo Bananiæ secundo Regum cap. 23. quia virga interfecit Ægyptium, & fortitudo David primo Regum cap. 12. qui non aliis armis, quàm saxo Gigantem interemit. Eadem circumstantia aggravat malitiam, ex ea enim notatur malitia Iudæorum ab Isaïa cap. 22. qui auxiliis humanis, non divinis civitatem ab hostibus obsessam defendere tentabant.

2. Regum cap. 23. 1 Regum cap. 12. Isaias 22.

347. Circumstantia, *cur*, extra quæstionem, auget bonitatem, vel malitiam; ut siquis det eleemosynam ob amorem Dei; illa eleemosyna plurimum ex motivo augetur: siquis furetur, ut committat adulterium, maius committit pecca-

tum; quam si futetur ut splendidius vivat; & quamquam circumstantia, *cur*, tribuat novam speciem actui, etiam auget bonitatem primæ speciei desumptæ ab objecto de quo infra.

348. Circumstantia, *quomodo*, addit malitiam actui, vel bonitatem: Abrahami enim bonitas crevit ex modo, qoo hospitibus occurrit. Genesis 18. verf. 2. *Cucurrit in occursum eorum ab ostio tabernaculi*, & à Christo Domino apud Luc. cap. 7. laudibus elata est conversio Magdalenæ, quæ intensissimè dilexit, *quoniam dilexit multum*: impiorumque malitia reprehenditur ex promptitudine ad malum, in illo Psalm. 13. verf. 3. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*.

Genef. 18. n. 2.
Luc. 7.
Psalm. 13. num. 3.

349. Tandem circumstantia, *quando*, multum auget malitiam actus; inde Herodis scelus, qui sanctissimum Baptistam decollavit, majus notatur ex die, qui erat natalis sui, ut benè Chrysostom. homilia 27. in Mathæum; Iudæorum malitia, quæ magna fuit, maior notatur ex tempore, scilicet Paschatis, in quo Christum Dominum crucifixerunt, ut eleganter sanctus Leo serm. 7. de passione explicans illud Ioan. 13. verf. 1. *Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius*, & ex eadem hora commendat Evangelista Christi charitatem, quæ instante mortis hora adtalia in ultima cœnâ peragenda compellit Christum Dominum; Bonitas etiam augetur ex illa circumstantia, inde prudentes virgines, quia in tempore opportuno sumpserant oleum secum: inde sanctus latro laudabilior, quia in tempore, quo alij blasphemabant, ipse à laudibus Dei non cessavit. Alias probationes afferunt Patres Carmelitani, quæ videri possunt tract. 11. disp. 4. dub. 2. §. 3.

S.Leo 350.
350.
Ioannis 13.

Solvuntur argumenta in contrarium.

351. PLures Doctores afferuntur pro contraria sententia, quatenus asserunt omnem bonitatem actus desumi ab objecto, verùm isti Doctores loquuntur de bonitate prima, & substantiali actus: cum tamen sententia, quæ asserit per circumstantias non augeri bonitatem vel malitiam actus, validis, & multis fulciatur argumentis, in speciali, contra quatuor circumstantias, id est, contra circumstantias, *quis*, *quid*, *quando*, *& quomodo*.

352. Primum argumentum contra circumstantiam, *quis*. Si opus ex eodem objecto, & circumstantiis, sit melius propter dignitatem personæ, sequeretur, quo gratia est major, eo majorem esse bonitatem; & inde si gratia foret infinita, etiam bonitatem futuram infinitam, & per consequens purum hominem posse infinitè mereri, hoc autem est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Sequela probatur, quia dignitas personæ auget bonitatem actus; ergo quò magis digna fuerit persona, eò magis actus erit bonus: atqui persona est infinitè digna, ut supponitur; ergo actus erit infinitè bonus, atqui per actum infinitè bonum meretur homo infinitè; ergo, &c.

353. Respondetur distinguendo sequelam: sequeretur, quò gratia est major eò majorem esse bonitatem, Geometricè, concedo; Arithmeticè, nego: pro quo expono quid sit excessus Geometricus, & Arithmeticus: Arithmeticus excessus est, quo quis in mensura certa cum alio cōmensuratur, ut si quātitas bipalmaris excederet Arithmeticè palmarem, deberet esse secundùm dimidiam sui partem: excessus Geometricus sumitur secundum habitudinem inter diversos terminos: ad quod sufficit, quod non in mensura certa, sed absolutè actus ex nobiliori objecto, verbi gratia, sit perfectior omnibus actibus ex ignobiliori objecto; crevit enim excessus Geometricus per partes proportionales, non æquales; quibus terminis utuntur Theologi in materia de charitate, & de visione beata, quando arguitur actum visionis, vel charitatis debere esse infinitum, quia objectum infinitum, formantque hoc argumentum: Eò actus est perfectior, quò objectum est perfectius, sed objectum visionis, vel charitatis est infinitum; ergo etiam actus: cui respondent distinguendo Majorem, Geometricè, concedo; Arithmeticè nego. Similiter etiam adhibenda est hæc solutio præsenti argumento, quo enim persona dignior fuerit, melior erit actus Geometricè, tamen, & proportionaliter, non tamen Arithmeticè, commensurando æqualiter, & determinatè dignitatem personæ cum bonitate actus.

354. Deinde in prædicto argumento supponitur probandum, possibilem esse gratiam infinitam, hanc enim meliores Theologi negant in materia de Incarnatione, admissa tamen gratia infinita, & admisso dignitatem personæ commensurari cum bonitate actus, adhuc non sequitur actum illum esse infinitè bonum: quia quamvis ut admittimus, dignitas personæ commensuretur bonitati actus, hoc erit, si non detur impedimentum, quod in præsenti magnum est, quia illa gratia infinita, sive concurrat ad bonitatem actus per modum objecti vel principij, limitatur à potentiis à quibus eliciendus est actus; qua de causa ipsa essentia divina, quæ infinita est, concurrit ad sui visionem finito modo, quia potentia est finita & limitata, limitatque concursum ipsius essentiæ divinæ, quæ subordinatur in illo concursu virtutis limitatæ potentiæ: eodem etiam modo, quamvis illa persona sit infinitè digna ex gratia infinita, non auget bonitatem actus infinitè, quia limitatur à potentia finita, cui persona illa subordinatur: non enim iustus ille operatur juxta mensuram gratiæ, sed iuxta nutum voluntatis, ex quo multoties fit, quòd homo cum minori gratia eliciat actum meliorem; qoam alter homo in majori gratia existens.

355. Dices: Gratia vnionis in Christo Domino operatur secundum totam suam latitudinem infinitè; ergo etiam illa gratia infinita operabitur secundùm totam suam latitudinem. Ant. est commune Theologorum: consequent. probatur, quia ideo gratia unionis operatur secundum totam suam latitudinem, quia operatur per modum principii, & ideo operatur actum infinitè bonum, quia gratia unionis est infinita; atqui illa gratia creata etiam operatur per modum principii; ergo cum sit infinita, operabitur actum infinitè bonum.

356. Resp. negando conseq. ad probationem negando Maior: alia enim ratio est, nimirùm quia illa gratia vnionis est gratia essentialis, quæ influit secundum totam suam virtutem significativam adæquatè, & hoc modo non potest influere gratia accidentalis, qualis est illa gratia infinita. Ratio verò, cur gratia accidentalis non possit influere secundùm suam virtutem adæquatè, est quia implicat voluntatem concurrere sine concursu personæ, concursus autem ille, aut modificatur à potentia, aut subordinatur libertati voluntatis; inde est, quod concursus ille semper est finitus, & sæpissimè voluntas minori conatu agit, quam gratia postulat, imò multoties homo existens in

gratia operatur sine gratiæ concursu, ut si justus committat peccatum veniale : ac proinde numquam actus elicitus ab illo homine, qui habet gratiam infinitam, erit infinitè bonus, quia numquam gratia illa potest concurrere secundum totam suam latitudinem.

357. Secundum argumentum contra eamdem circumstantiam, *quis*: Si malitia actus augeretur ex persona, sequeretur actum elicitum à majori peccatore, esse pejorem quam elicitum à minori peccatore: atqui hoc est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Minor probatur, quia ex opposito sequeretur actum elicitum à viro sancto, Rege, vel Sacerdote, verbi gratia, non esse pejorem, quam elicitum à peccatore plebeio, vel sæculari, hoc autem negant Theologi; unde dixit S. Isidor. sanctus Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 19. *tanto major cognoscitur peccatum esse, quanto major, qui peccat, habetur.* Respondetur negando sequelam, quia ex eo sanctitas personæ auget bonitatem actus, quia sanctus bene operans refert suam dignitatem in Deum, & ideo cum aliquid dignius subjiciatur Deo, actus evadit magis meritorius: at verò peccator non refert vilitatem in Deum, imo refert objectum peccati in se ipsum, quod quidem extrinsecum est, ideo quod sequebatur ex eo quod dignitas personæ augeat bonitatem vel malitiam, erat, quod homo sanctior peccans majus committeret peccatum, de quo videndus est Fagundes in quinque præcepta, præcept. 1. lib. 4. cap. 5. quod non intelligendum est de peccatis ex subreptione, & ex illis, quæ veniunt sine deliberatione, cum enim sancti viri magis solliciti sint in reprimendis peccatis, quæ ita eveniunt, minus voluntaria censentur. Similiter etiam non intelligitur solutio, quòd major peccator non augeat malitiam per accidens, sed quantum est ex se, nam per accidens ratione ingratitudinis aggravari potest peccatum, ut benè notavit Araujo q. 18. art, 3. dubio unico; numero 49. vers. *ad illud verò*, & Cornejo disput. 4. dub. 3. numero 20. vers. *& si obiicies.*

358. Tertium argumentum contra eamdem circumstantiam, *quis*, quia actus à Rege, & à rustico exercitus non habet majorem bonitatem factus à Rege, quam si fiat à rustico: ergo dignitas personæ, sive circumstantia, *quis*, non semper communicat bonitatem actui. Antecedens patet, quia si uterque debeat pecunias, & uterque debitori suo solvat, solutio facta à Rege non est majoris bonitatis, quam solutio facta à rustico.

359. Respondetur negando ant. dummodo circumstantia, *quis*, sumatur ut circumstantia moralis, non verò ut accidens physicum: ad hoc autem, ut sumatur tamquam circumstantia moralis, requiritur, vel quod detur specialis repugnantia inter actum & personam, vel quod persona reflectatur supra suam dignitatem; propter primum, actus incontinentiæ si fiat à Religioso habet specialem malitiam sacrilegii, quàm si fieret à laico: peccatum ex contemptu, & malitia, in hominibus doctis, & timoratis gravius est, quia eis minus licet operari: sacramenta administrata à laicis est gravissimum peccatum, quia hoc munus cum sit proprium sacerdotum, laicis repugnat. Propter secundum gravius peccatum superbiæ est, si vilis homo se alteri præferat, quam si hoc faciat nobilis: & actus humilitatis à Rege factus majoris bonitatis est, quàm si à plebeio fiat; de quo argumento plura.

360. Quartum argumentum contra circumstantiam, *quid*: Si quantitas major, vel minor objecti auget bonitatem actus, sequitur actum quo quis vult tribuere eleemosynam infinitis pauperibus, esse infinitum in bonitate: atqui hoc est falsum; ergo, &c. Sequela probatur, quia volitio dandi eleemosynam duobus pauperibus uno major est, quàm volitio dandi eleemosynam uni pauperi, & volitio dandi eleemosynam quatuor pauperibus, duplò major est, quàm volitio dandi eleemosynam duobus pauperibus, & sic de aliis facto argumento de excessu ad excessum; ergo similiter volitio dandi eleemosynam infinitis pauperibus, infinitè melior erit.

361. Respondetur omissis multis, in quibus spatiatur Cornejo disp. 4. dub. 1. negando sequelam, ad probationem negando ant. quia volitio dandi eleemosynam duobus pauperibus non excedit volitionem dandi eleemosynam uni pauperi Arithmeticè in mensura certa, & determinata, sed geometricè per partes proportionales, ideoque volitio dandi eleemosynam duobus pauperibus, non tamen uni, melior erit: & volitio dandi eleemosynam infinitis pauperibus melior erit, quam volitio dandi eleemosynam finitis pauperibus, non quidem infinitè, sed proportionaliter.

362. Hoc tamen intelligendum est dummodo illi pauperes infiniti, sint possibiles: & pecunia donanda sit sub dominio volentis dare eleemosynam, utrumque est necessarium: qua de causa Theologi asserunt satisfactionem Christi Domini, etiam ex parte rei oblatæ fuisse infiniti valoris, quia pretium oblatum, idest, sanguis Christi erat infiniti valoris, & sub dominio Christi: & insuper asserunt actiones, quibus sacerdos offert corpus Christi Domini in sacrificio Missæ, & Beata Virgo Mater Christum Dominum in templo præsentavit, non esse infiniti valoris, quia licet munus esset infinitum, non tamen erat sub dominio sacerdotis, nec Beatissimæ Virginis Matris: simpliciter etiam ad hoc ut illa volitio dandi eleemosynam infinitis pauperibus, excederet aliam volitionem dandi eleemosynam finitis pauperibus, necessarium erat, quòd infinitudo pauperum esset possibilis, & pecunia sub dominio volentis.

363. Sed si, nec pecunia est sub dominio, nec pauperes infiniti sunt possibiles, tunc major poterit esse bonitas in volitione dandi eleemosynam duobus pauperibus, quàm infinitis: nam licet numquam tota bonitas, vel malitia objecti refundatur in actum, tamen proportionaliter ab objecto meliori, ut quatuor, major refunditur bonitas in actu, quàm ab objecto meliori, ut duo: at verò ab objecto impossibili, nec secundum hanc proportionem malitia, vel bonitas refunditur in actum, quia ad impossibile movetur voluntas inefficaciter, eo modo, quo si peccator ex odio Dei haberet affectum destruendi Deum, cum iste affectus sit impossibilis, non contrahit tantam malitiam, quantam si foret possibilis, de quo videatur Vasques 1. 2. disput. 76. numero 14.

364. Dices: Ab objecto, & circumstantiis desumitur bonitas; ergo à majori perfectione objecti, & circumstantiarum major bonitas desumetur: atqui infinitudo pauperum est perfectius objectum: ergo &c. Respondetur distinguendo consequens, si cætera sint paria, concedo; si non sint paria, nego; hoc est si objectum melius sit

possibile, ab eo sumetur major bonitas, non tamen si fuerit impossibile; nam impossibile non est melius possibili: deinde si volitio dandi eleemosynam sit æquè inefficax circa duos pauperes, ac circa infinitos, proculdubio volitio dandi eleemosynam infinitis pauperibus perfectior erit saltem propter circumstantiam materiæ, etiam si impossibilis sit: at si volitio dandi eleemosynam pauperibus finitis sit efficax & intensior, tunc erit perfectior volitione dandi infinitis pauperibus, eò quòd istæ circumstantiæ præponderent impossibili circumstantiæ materiæ.

365. Urgebis: Volitio dandi eleemosynam infinitis pauperibus, æquivalet infinitis volitionibus; ergo quocumque modo sumatur ista volitio, erit perfectior. Respondetur negando antecedens, quia non æquivalet infinitis volitionibus in esse physico, quomodo enim in una entitate individuali continebuntur infinitæ perfectiones individuales? non etiam æquivalet quoad effectum, eò quòd inefficax sit; non denique in valore, quia non est efficax: ac proinde plus merebitur, qui decem vicibus pauperem sublevaret, quàm qui per decem vices illam volitionem haberet.

366. Quintum contra circumstantiam, *ubi*. Circumstantia loci licet semper actum comitetur, non tamen ei semper addit bonitatem vel malitiam. Probatur antecedens, quia actus eleemosynæ vel charitatis factus in Ecclesia, non habet majorem bonitatem, quam factus in alio loco; ergo ex loco non accipit actus bonitatem.

367. Respondetur distinguendo antecedens, si sumatur ut circumstantia moralis, nego; ut quid physicum concedo: & sic distinguendæ sunt propositiones similes in aliis circumstantiis. Ut autem sciatur, quando circumstantia, *ubi*, sive loci est vera circumstantia moralis, unum vel alterum considerandum est, (sicut numero præcedenti de circumstantia, *quis*, diximus) vel quod inter locum & actum detur aliqua repugnantia, aut major convenientia cum ratione, ut si sacrificium celebretur extra Ecclesiam, homicidium fiat in loco sacro, aut in eodem aliquis actus exterior incontinentiæ committatur, tunc enim major malitia exurgit ex actu malo, sancta enim sanctè tractanda sunt, vel si locus difficiliorem actum reddat, propter quam difficultatem actus exercitus bonitatem habeat majorem, ut de Banania 2. Regum cap. 23. vers. 20. *& ipse descendit, & percussit leonem in media cisterna in diebus nivis*; tandem cum ea acta, sequitur effectus, ut in loco publico ex actu bono, sequitur ædificatio, ex malo scandalum.

2. Regum 23. n. 20.

368. Ex quo notabis differentiam inter circumstantias, *quis*, *ubi*, & alias, ac inter circumstantias, *quomodo*, & *quando*, illæ enim sine illa speciali ratione; vel explicationibus superioribus numeris datis, non ingrediuntur numerum circumstantiarum moralium, per quos bonitas, vel malitia actus augetur: at intensio & duratio semper sunt circumstantiæ morales: namque intensio est magis sui actus, & si est bonus, posita intensione est magis bonus juxta illud: *ut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*: si enim amor Dei absolute est bonus, amor Dei intensus, est magis bonus: duratio etiam est quædam repetitio virtualis actus, per quam necessariò augeri debet actus: præter quòd tam intensio, quàm duratio augent difficultatem operis, cum difficilius sit intensius, quam remissius, majori quam minori tempore, operari autem cum majori, aut minori difficultate multum conducit ad bonitatem operis.

369. Sextum argumentum, contra circumstantiam, *quomodo*: Intensio non auget bonitatem actus; ergo circumstantia, *quomodo*, illam non auget. Probatur ant. Intensio non est voluntaria. Probatur, non est volita; ergo nec voluntaria. Probatur hoc antecedens, quia si esset volita, foret etiam præcognita: atqui intensio non potest esse præcognita. Probatur Minor, quia nemo operatur ex cognitione intensionis; ergo intensio non est præcognita. Respondetur negando ant. deinde ad probationem nego primum, & secundum antecedens; ad probationem nego Minorem, ad illius probationem distinguo ant. nemo operatur ex cognitione intensionis quoad magnitudinem, & latitudinem absolute, nego: quoad determinatum gradum, concedo; quamvis enim nesciat homo certum gradum intensionis sui actus, bene tamen scit se moveri ad operandum magis, vel minus intense: ac proinde movetur ex cognitione parvæ, vel magnæ intensionis, quamvis non moveatur ex cognitione certæ & determinatæ intensionis; & hoc modo intensio est præcognita.

370. Instabis: Multoties intensio provenire potest ex causis, quæ nobis non sunt voluntariæ; ergo saltem ista intensio non erit voluntaria. Antecedens probatur, quia illa intensio provenire potest ex gratia, vel habitibus infusis: atqui gratia, & habitus infusi nobis non sunt voluntarii; ergo, &c. Respondetur in eo casu, negando ant. ad probationem distinguo Minorem, gratia, & habitus infusi nobis non sunt voluntarii quoad suam entitatem, concedo: quoad usum, & applicationem, nego: gratia enim, & habitus infusi, etiamque propensio naturalis nobis voluntaria sunt quoad usum, siquidem non concurrunt ad actum, nisi applicentur à voluntate libere concurrente, & per consequens voluntaria sunt.

371. Urgebis: Si intensio augeret bonitatem, sequeretur quòd semper bonitas actus intensioris esset major, quàm bonitas orta ex multiplicatione actuum minoris intensionis, idest, bonitas intensa, ut octo, semper esset major, quàm bonitas orta ex mille actibus intensis ut sex: hoc autem est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Sequela probatur primo, quia multiplicatio actuum non auget actus bonitatem; ergo si unus actus minus intensus non adæquatur bonitati actus intensioris, nec etiam omnes actus minus intensi illius bonitatem adæquabunt. Secundo quia omnes calores multiplicati ut sex, non adæquant calorem ut octo; ergo nec omnes bonitates ut sex, adæquabunt bonitatem ut octo. Minor autem probatur, quia siquis millies diligat Deum ut sex, plus merebitur, quàm ille, qui semel amat Deum ut octo. Respondetur distinguendo sequelam, semper bonitas intensior esset perfectior, quam bonitas orta ex mille actibus in entitate physica, concedo sequelam; in morali æstimatione nego. Verbi gratia, argentum quamquàm physice non sit adeo nobile, ut est equus, tamen per multiplicationem potest adæquare, imò superare moralem æstimationem & valorem equi: similiter etiam quamvis actus intensior in entitate physica sit perfectior omnibus illis actibus, tamen cum in eorum multiplicatione augeatur meritum, causalitas moralis, & bonitas adæquate possunt illi actus multiplicati, imò & superare,

moralem æstimationem actus intensioris, & hæc est doctrina Suarii in 1.2. tract. 2. disp. 5. sect. 5. n. 64. quam etiam tradunt citati Carmelitani disp. 4. dub. 1. n. 38.

372. Septimum argumentum contra circumstantiam, *quando*, supponit in primo instanti, in quo producitur actus moralis, dari in illo actu totam moralitatem specificam, & essentialem: ex quo sic arguitur: Si duratio temporis auget bonitatem, sequitur actum virtutis durantem per unam horam, esse infinitæ bonitatis: hoc est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Sequela probatur, quia in primo instanti, in quo actus incipit, correspondet ei aliquis determinatus gradus bonitatis: ergo si continuetur per horam correspondebunt ei infiniti gradus bonitatis. Consequentia probatur, quia actus continuatus per horam coëxistit infinitis instantibus: atqui quolibet instanti, actus augetur per aliquem gradum bonitatis; ergo augebitur per infinitos. Major est certa: Minor est ipsa conclusio, & patet, quia duratio est circumstantia augens bonitatem; ergo si in primo instanti producitur novus gradus bonitatis, augebitur in secundo instanti, & sic in aliis instantibus. Consequentia autem probatur, quia instantia sunt infinita; ergo si in quolibet augetur bonitas, augebitur per infinitos gradus.

Vide Arriaga tom. 1. in 1. 2. disp. 42. sect. 1.

373. De hoc argumento agunt Theologi 2. 2. q. 24. cum disputatur de merito charitatis, & circa illius solutionem varias solutiones afferunt, & rejiciunt Doctores, inter quos videri possunt Angest. tract. 7. moralium cap. 8. Bannes 2. 2. q. 24. art. 6. dubio 2. Suar. 1. 2. tract. 3. disp. 5. sect. 3. à n. 28. & tom. 2. de gratia cap. 21. & opusculis opuscul. de reviviscentia meritorum disp. 2. sect. 3. à n. 38. Vasques 12. disp. 54. cap. 5. & 1. p. disp. 129. cap. 10. Salas 1. 2. tract. 13. disp. 5. sect. 7. n. 69. Curiel. 1. 2. q. 18. art. 3. dubio unico §. 5. Araujo ibi art. 3. dub. unico à numero 49. Carmelitani, n. 39. Cornejo tract. 6. disp. 4. dub. 1. à n. 6. Raynaud. dist. 4. q. 1. art. 5. n. 89. & relictis variis solutionibus, amplector solutionem P. Suarii, quæ mihi videtur in hoc puncto probabilior.

374. Pro que supponit primo in quolibet actu voluntatis distinguenda esse duo; Primum est, esse, & entitas ipsius actus. Secundum est, perseverantia, duratio, & continuatio ipsius. Secundo entitatem, & substantiam actus totam incipere simul in primo instanti initiativo per primum sui esse, & hæc tota durat in reliquis instantibus sequentibus, quæ solùm se habent ut continuantia, & determinantia illam entitatem productam. Tertio in illis sequentibus instantibus non correspondere actui aliquem determinatum gradum bonitatis, sed solùm correspondere indivisibilia copulativa partium bonitatis: ad eum modum, quo indivisibilibus continuativis motus calefactionis, non respondent aliqui gradus caloris, sed caloris indivisibilia.

375. Quarto supponit sicut indivisibilis continuativa partium bonitatis correspondent instantibus, sic infinitæ partes proportionales bonitatis correspondere infinitis partibus temporis: unde sicut non datur pars certa temporis, nisi in ultimo instanti determinativo; ita non datur pars certa augmenti bonitatis in illis partibus temporis, nisi in ultimo instanti determinativo. Quinto, has partes bonitatis, quæ nec certæ sunt, nec æquales, sed minores qualibet parte assignabili, non facere infinitam bonitatem; ut motus continuus non est infinitus, quamquam per singulas partes magis, ac magis crescat, quia illa duratio motus, est successiva. Hujus doctrinæ accommodum exemplum est, si Deus solem & aërem simul crearet in certa distantia, & immediatè post primum instans creationis fierent magis propinqua; in primo instanti intelligitur aërem à sole illuminari, & produci determinatum lumen, verbi gratia, ut duo; & immediatè post illud instans intelligitur lumen illud successivè intendi per horam (suppono per horam durasse mutuam appropinquationem) tunc nec intensio fuit infinita, neque producti sunt aliqui luminis gradus, neque tanta intensio luminis respondet aëri in illis sequentibus instantibus, quanta in primo instanti fuit producta, quia in primo instanti integra essentia producta fuit. Quibus positis,

376. Respondeo ad argumentum negando sequelam, ad probationem negando consequentiam, ad illius probationem nego Minorem: Ad hujus Minoris probationem, distinguo antecedens. Duratio est circumstantia augens bonitatem per determinatos gradus, nego antecedens: per indivisibilia continuativa, & partes proportionales, concedo antecedens: namque in primo instanti initiativo producitur tota bonitas essentialis actus, in instantibus sequentibus non producuntur nisi partes proportionales & incertæ bonitatis, correspondentes similibus partibus temporis: augmentum regulatur secundum determinatas partes, non secundum proportionales, & confusas, inde est, quod calefactio in unius horæ spatio non producit calorem infinitum.

377. Inferes: Ergo æquale præmium correspondebit operanti in primo instanti temporis, atque continuanti actum per horam. Probatur illatio, quia determinatum præmium correspondet determinatæ bonitati: atqui ex continuatione nulla datur determinata bonitas in actu; ergo, &c. Respondetur negando illationem: nam in illo actu datur duplex valor, unus ex bonitate substantiali, alter ex bonitate accidentali durationis: & quantum ad bonitatem substantialem, illi actui non correspondet ex majori duratione diversum, vel majus præmium, sed idem omnino præmium, quod corresponderet actui in primo instanti productionis, si illud instans foret idemmet instans desitionis, correspondet illi actui, etiam si continuetur per multum tempus: ac proinde ex vi bonitatis essentialis semper præmium est idem.

378. Attamen quoad bonitatem accidentalem, quæ datur in actu ex duratione, cum crescat per modum successionis, non habet determinatum valorem, nisi in ultimo instanti, in quo determinatur, & finitur tempus durationis: tunc enim augetur substantialis bonitas, quoad valorem accidentalem, majusque præmium illi actui correspondet propter diuturnum exercitium libertatis, & voluntarii, qui quidem valor accidentalis sæpissime non adæquat valorem substantialem, quem actus ex sua specie, & ex sua individuatione habet. Unde quando Aristot. primo Aristot.
Ethicor. cap. 3. dixit, album diuturnius, non esse magis album, quam minus diuturnum; similiter, nec bonum; intelligitur de bonitate substantiali, non de accidentali, ut bene explicat D. Thom. ibi lect. 7. & 1. 2. quæst. 42. art. D.Thom.
6. ad 3.

379. Instabis: Si fiant tres actus interrupti per

illud spatium temporis, in quo continuatur unus actus, erunt majoris bonitatis, quàm ille unus (si cætera sint paria) meliusque erit discontinuare, quàm continuare actum, hoc autem est falsum, ergo & illud ex quo sequitur. Major probatur, quia instantia initiativa actuum interruptorum sunt continuativa actus continuati; ergo si instantibus initiativis correspondet certus gradus bonitatis, qui non respondet instantibus continuativis, proculdubio major erit bonitas in actibus interruptis, quàm in actu continuato.

380. Minor probatur primo, quia qui continuat actum per horam, operatur in omnibus instantibus; ergo etiam operatur in instantibus, in quibus alter, qui interrumpit actus, non operatur; ergo magis operatur, qui continuat actum, & per consequens in illo actu continuato plus erit bonitatis, quàm in illis actibus interruptis. Secundo, quia difficilius est continuare unum actum, quàm plures discontinuatos efficere. Tertio, quia melior est unitas, quàm multitudo. Quarto, quia melius est Deum semper, quàm cum aliqua interruptione, amare. Quinto, quia indivisibilis distinctio actuum, videtur accidentalis, & per accidens ad bonos mores.

381. Hæc instantia difficilis est; & Patres Carmelitani, Vasques, Curiel. Cornejo Arauio, Raynaud; & alii negant majorem, asseruntque majorem bonitatem esse in illo actu continuato, quam in actibus interruptis: verùm concedenda est illa Major cum Suar. & Salas, nam si duratio auget bonitatem actus; etiam multitudo actuum auget bonitatem; cum ergo duratio sola non augeat bonitatem actus infinitè, non est, cur negetur majorem bonitatem accrescere ex multiplicatione actuum.

382. Quare neganda est Minor. & ad primam illius probationem respondeo primo negando primam consequentiam: possunt enim semper continuari illi actus, si immediate quis transeat de uno ad alterum sine aliquo otio. Secundo negando secundam consequentiam, nam in illa discontinuatione actuum datur interruptio, & productio novi actus: interruptio minuit bonitatem: sed productio præponderat illi interruptioni, siquidem in illo primo instanti, in quo producitur novus actus, datur certus gradus bonitatis essentialis, voluntasque majori dominio, & libertate operatur in productione nova, nam postquam voluntas est determinata ad actum, continuatio illius actus, licet non sit necessaria, attamen cum voluntas ad illam inclinet quantum est ex se, minus dominium; & libertatem habet, quàm in productione novi actus, ubi novum datur exercitium libertatis, ex quo patet solutio ad cæteras instantias..

383. Octavum argumentum contra eamdem circumstantiam, *quando*, nil intrinsecum addit actui, sed tantum coëxistentiam ad majus tempus: atqui hæc est denominatio extrinseca; ergo non potest augere bonitatem, quæ intrinseca est actui. Major probatur, quia intellectus & voluntatis actus sunt indivisibiles; ergo quilibet totus simul, & indivisibiliter durat; ergo per majorem durationem nihil illis additur intrinsecum. Minor probatur exemplo mutuæ coëxistentiæ duarum rerum permanentium inter se. Hoc argumentum videtur Bannes 2.2. quæst. 24. art. 6. dub. 2.

384. Respondetur ex doctrina Suarii citato opusculo disp. 1. sect. 3. n. 37. Curial. q. 18. art. 3. dublo unico §. 5. vers. *& inde*. Cornejo disp. 4. dub. 1. vers. *hoc argumento*, negando Major: cum enim actus pendeat à potentia in fieri, & conservari, potentia recipit in primo instanti initiativo actum productum, & in eodem, & in alio instanti temporis determinato conservat: ac proinde sicut prima productio non est actui extrinseca, nec potentiæ, ita nec conservatio, quæ ab illa productione non distinguitur. Ad probationem distinguo antecedens: Actus intellectus, & voluntatis sunt indivisibiles, & quilibet totus simul, & indivisibiliter durat per se, concedo ant. per accidens, nego: namque pro hoc instanti naturæ actus intellectus & voluntatis subjacent tempori nostro, ab illoque mensurantur propter dependentiam à phantasmatibus.

385. Nonum argumentum contra eamdem circumstantiam, *quando*: Actus nostræ voluntatis post primum instans suæ productionis necessario debet durare per aliquod tempus, vel determinatum, ut docet Gregorius in 1. dist. 5. q. unica art. 2. ad 4. vel indeterminatum, ut asserit Vasques 1.2. disp. 54. cap. 3. n. 16. sed actus necessarius non auget bonitatem; ergo &c. Major probatur, quia licet actus indivisibilis ad sui productionem non postulet tempus, ideo Christus Dominus potuit mereri, & de facto meruit in primo instanti, tamen ille actus postulat tempus, ut conservetur; ergo ratione conservationis cogitur voluntas ab illo non desistere in primo instanti. & per consequens necessario durabit per aliquod tempus. Probatur, quia *idem nequit simul esse, & non esse*: atqui si in primo instanti produceretur, & in eodem posset desinere, simul esset, & non esset; ergo voluntas cogitur conservare illum actum post primum instans.

386. Respondetur negando Majorem, quia si per tempus determinatum ille actus necessario durat, jam quilibet viator esset per illud tempus extra statum salutis, siquidem per illud tempus (suppono talem actum esse peccaminosum) non potest desistere ab illo peccato, ac proinde sine remedio est pro illo tempore. Quare sententiam asserentem per determinatum tempus, actum durare necessario, appellat temerariam Medin 1.2. q. 10. art. 4. erroneam Sotus in 4. dist. 17. q. 2. art. 4. Suar. citato loco 1.1. n. 5. & per illud argumentum, quod peccator esset extra statum salutis, confutatur etiam modus dicendi Vasquii.

387. Ad probationem, nego antecedens, siquidem necessario fatendum est dari aliqua, quæ per solum instans durent, ut apparet in indivisibilibus motus & temporis (si cum communi sententia admittantur) in creatione, & aliis, quibus successio quæcumque repugnat: ad probationem distinguo Majorem. *Idem nequit simul esse, & non esse*, si explicetur tantum per duo, veluti instantia affirmativa, nego: si explicetur tantùm per unum instans, concedo: cum ergo actus ille incipiat per primum sui esse, & desinat per ultimum sui esse; esse, & non esse illius actus, explicatur per duo instantia affirmativa, verbi gratia, productio per hoc instans nunc est actus, & immediatè antea non: & desitio per hoc instans, nunc est, & immediate post non: nam ita esse dicendum constat, quia potest Deus annihilare creaturam in eodem instanti, in quo illam creavit.

388 Ultimum argumentum fit ex circumstantiis diminuentibus, earum enim ea natura est, ut cum

cum sint veræ circumstantiæ, oon augeant booitatem vel malitiam; quod in hunc modum probatur primo, quia remissio, minima dnratio, parvitasque materiæ sunt circumstantiæ diminuentes; atqui ex eo tale nomeo sortiuntur, quod minnunt, & non augeot booitatem, vel malitiam actus; ergo non est de ratione circumstantiæ moralis, quod augeat. Secundo, ille qui furatur, ut parentibus succurrat, minus peccat, quam si absolutè peccatum furti committeret; ergo illa circumstantia, *cur*, non auget, imò diminuit malitiam, & similiter de simili bonitate. Coosequentia probatur, quia ex fine illo bono, non confertur bonitas actui ex objecto malo, ex dicendis infra à num. 390. non auget etiam malitiam; ergo solum diminuit: & idem argumeotum fit de omni actu ex objecto malo, cui apponitur finis bonus. Tertio, quia metus, ignorantia, & inconsideratio, ac passio, circumstantiæ sunt morales, & tamen vel diminuunt, vel omnino tollunt gravitatem peccati ex communi Theologorum sententia, qui asserunt passionem, vel ignorantiam transferre multoties peccatum de mortali in veniale. Ergo.

389. Respondetur negando antecedens, ad primam probationem, negando Minor, quia ooo dicuntur diminuentes ex eo quod oullam tribuant bonitatem vel malitiam, sed quia ooo tribuunt magnum, sed minimum bonitatis, vel malitiæ augmentum, inde est, quod diminueotes dicuntur, remissio enim intensio quidem est, sed parva, ut etiam duratio minima, duratio absolutè est.

390. Circa parvitatem materiæ optimè dicunt Carmelitani tract. 11. disput. 14. dub. 1. oum. 17. illam esse circumstantiam, addereque bonitatem vel malitiam quando salva specie additur actui, non est enim circumstantia si dimiouitur ita quantitas furti, ut non sufficiat ad speciem furti, oec etiam si in sola illa quantitate salvatur ejus species; io primo enim casu, noo supponit illa quantitas materiam furti, in secundo illa quantitas est materia essentialis: nec verum est, quod ex materiæ parvitate peccatum de mortali transeat in veniale, cum eoim sint mortale & veniale essentialiter diversa, tam in esse physico, quàm in esse moris, nullatenus unum potest in aliud transire, ex ea ratione, quòd *una species in aliam non transit*, de quo disp. 4. à n. 755.

391. Ad secundum & tertium, respondetur, oec finem bonum respectu actus mali, nec metum, passionem, ac ignorantiam esse circumstantias propriè per se, & immediatè afficientes actum, sed tantum reductitiè, ut quid physicum, quatenus scilicet diminuunt voluntarium, de qua doctrina bene Carmelitani citati.

SUBSECTIO QUINTA.

Vtrum omnes circumstantiæ addant actui novam speciem bonitatis, vel malitiæ?

392. SUppono dari circumstantias, quæ mu-
Trident. taot speciem actus, ita traditur io Trident. sess. 14. de confessione cap. 5. & canone 7. quo loco definitur circumstantias mutantes speciem actus, necessariò esse confitendas: hæ verò circumstantiæ in duplici sunt differentia, quædam enim superaddunt actui novam speciem, quædam verò tribuunt actui primam speciem bonitatis, vel malitiæ. His positis,

393. Est quæstio utrum omoes speciem addant actui jam coostituto in aliqua specie moralitatis, aliam speciem bonitatis, vel malitiæ? Respond. affirmativè, ita Azor lib. 2. cap. 4. quæst. 1. Sal. disput. 3. sect. 4. numer. 89. Malder. 1. 2. articul. 11. disput. 79. vers. *pro majori*. Suar. disput. 2. sect. 3. nomer. 20. in fine. Cornejo tract. 6. disput. ultima dub. 1. numer. 2. vers. *quares*.

394. Et probatur discurrendo per omnes circumstantias, & primo circumstantia, *quis*, novam addit speciem malitiæ, nam si quis sit voto adstrictus, vel conjugatus, & cum tertia persoona rem illicitam habeat, elicit actum, non solum in specie luxuriæ, fornicatioois scilicet, sed etiam in specie sacrilegii, vel adulterii, sacrilegium additur speciei fornicationis ex persona, quæ voto adstricta est, vel etiam adulterii ex persooa conjugata; quare si ille actus fieret à persona soluta, vel voto, vel matrimonio, tantum esset in specie foroicationis simplicis.

395. Secundo, circumstaotia, *quid*, addit actui malo novam speciem malitiæ; verbi gratia, si quis furetur vas sacrum, non solum committit peccatum contra iustitiam in materia furti, sed etiam sacrilegii contra Religionem, nam sacrilegium committitur, vel auferendo sacrum de sacro, vel noo sacrum de sacro, vel sacrum de noo sacro, iuxta dispositionem textus in cap. *quisquis inventus* 17. quæst. 4. probatque eum multis Bonacina tom. 2. dispot. 3. quæst. 6. puncto unico numer. 23. similiter etiam si quis committat aliquod peccatum, ex quo prævideat secuturam esse ruinam spiritualem proximi, ille actus, præter malitiam quam habet ex objecto, habet novam speciem malitiæ, scandali verbi gratia: si quis etiam parentem occidat, addit malitiæ homicidii novam speciem parricidii: eodémque modo si quis accedat ad virginem Deo consecratam, addit speciei fornicationis duas species malitiæ, stupri scilicet & sacrilegii.

Tertio probatur de circumstantia, *ubi*, nam si quis committat peccatum io publico, præter speciem malitiæ, quam actus ex objecto haber, additur nova species malitiæ, id est, scandali: & si ille actus sit contra honorem vel famam, addit etiam speciem injustitiæ, quæ non adderetur, si foret io loco secreto. Si autem peccatum fiat in loco sacro, præter speciem malitiæ ex objecto, habet speciem novam sacrilegii, ut si quis furetur, vel fornicetur in loco sacro.

396. Si autem quæras, utrum omne peccatum factum in loco sacro, sit sacrilegium, si oon detur prohibitio Ecclesiæ? Respondetur negativè, cum Valentia tom. 3. disput. 3. qu. 15. puncto 1. vers. *præterea*, Vasquio 1. 2. quæst. 72. articul. 6. disput. 98. cap. 2. numer. 4. & cap. 3. oumer. 6. Sanches lib. 9. de matrimonio disput. 15. numer. 5. ubi multos pro hac opinione refert. Fagundes in quinque præcepta Ecclesiæ, præcepto secundo lib. 4. numer. 31. Homo bonus, Coninch, & Henriques, quos refert & sequitur Diana prima parte tract. 7. resolutione 25. Et ratio est, quia circumstantia loci non inducit specialem malitiam, seclusa prohibitione Ecclesiastica, aliter omnes actus mali foreot sacrilegia, quod tamen falsum est; namque delectationes malæ, gaudium rei obscœnæ, non sunt sacrilegia. Unde opinio Suarii tomo de Religione lib. 3. cap. 7. numer. 11. Salas tract. 13. disp. 6. sect. 21. num. 50. Hortisque Pisigianes, Azor, & aliorum apud Dianam non recipitur communiter.

397. Quarto circumstantia, *quibus auxiliis*, etiam novam addit speciem malitiæ actui, si quis enim inducat ad peccandum, intendens directè vel indirectè tertiæ personæ damnum spirituale,

præter speciem scandali activi, habet aliam speciem peccati, nimirum illius, quod à tertia persona fit, nam qui est causa peccati, simul est reus illius peccati, ut ex Vasques, Sanches, Azor, & aliis, docet Bonacin. tom. 2. disp. 2. quæst. 4. puncto 2. num. 8. quidquid contradicat Salas citatus sect. 5. n. 5. & de modo, quo hæc circumstantia addit novam speciem actui plura dicam disp. 4. à num. 746.

398. Quinto de circumstantia, *cur*, clarum est, per eam sæpè addi novam speciem actui, ut sect. sequenti videndum est, & patet, quia siquis eligat furtum propter adulterium, electio illa præter speciem furti, habet speciem adulterii ex fine, & sic de aliis exemplis, quæ passim occurrunt.

399. Sexto de circumstantia, *quomodo*, quamquam sæpissimè non mutet speciem actus, tamen per eam aliquando additur nova species malitiæ actui, ut apparet in eo; qui rem alienam furatur scienter, & resistente domino, nam ex illa resistentia datur in illo actu alia species malitiæ, diversa ab specie furti, siquidem furtum tantum est usurpatio rei alienæ invito domino, & inscio.

400. Tandem circumstantia, *quando*, etiam addit novam, & distinctam speciem actui, nam si quis teneatur ex voto, & ex præcepto iejunare sexta feria, si non iejunet illo die, præter speciem malitiæ, quæ incurritur ex fractione præcepti, incurritur nova species ex fractione voti, duplex enim species malitiæ incurritur in illa transgressione iejunii, una ex præcepto, altera ex voto, nam si frangerentur duo præcepta, unum tantum fieret peccatum, de quo videatur Dian. p. 8. tract. 9. resolut. 16. Non enim circumstantia *quando* tantùm significat durationem temporis, sed etiam ipsum tempus. Idem etiam apparet, si Deus pro hac hora prohibeat actum virtutis de quo in hac q. num. 670.

401. Dices: Usque modo tantum probatum est per has circumstantias solum addi novam speciem malitiæ, nulla enim mentio fit de additione novæ speciei bonitatis; ergo videtur non addi ex his circumstantiis aliquam speciem bonitatis actui bono. Respondetur negando consequentiam, ut bene Cornejo tract. 6. disp. ultima in ultima conclusione: cum enim requiratur ad bonitatem formalem actus, quod bonitas objectiva sit per se, & formaliter intenta, ut dixi supra à numer. 165. ad numer. 169. bene potest illa circumstantia tribuere speciem actui bono, ut siquis det eleemosynam pauperi sacerdoti, ille actus non solum est misericordiæ ex objecto, sed etiam Religionis ex circumstantia; siquis prævideat bonum consecuturum ex sua actione, etiam ille actus habet speciem bonitatis, quæ prævisa est, & sic de aliis circumstantiis: ratio autem cur non apposuimus exempla bonitatis, est quia exempla malitiæ facilia sunt, & clarius probant conclusionem.

Proponitur Regula cognoscendi circumstantias, quæ mutant speciem actus.

CUm circumstantiæ sæpe aggravent malitiam, vel augeant bonitatem: & sæpe varient speciem actus, addentes illi novam, non est leve dubium aperire quando solùm circumstantiæ augeant bonitatem vel malitiam & quando varient speciem actus: circa quod multi Doctores plura dixerunt, quibus omnibus omissis,

401. Ea regula videtur optima, *Tunc circumstantia addit novam speciem actus, quando talis est, quod per se considerata & præcise sumpta, habet specialem conformitatem, vel repugnantiam cum recta ratione.* Hanc regulam tradit D. Thomas 1. 2. quæst. 18. articul. 1. in fine corporis, & articul. 11. in corpore quæst. 2. de malo articul. Probatur ab Scoto quodlibet. 18. articul. 1. vers. *similiter*: amplectuntur Suar. disput. 2. sect. 3. numer. 20. Vasques disput. 34. cap. 1. numer. 2. Salas disput. 2. sect. 11. numer. 110. Malder. disput. 78. vers. *Regula*. Rua controv. 6. Scholastica dub. 1. prima part. 5. vers. *dico* 1. Cornejo cit. §. *secunda conclusio*. Montesinus disput. 26. qu. 3. num. 29. Granad. contr. 2. disp. 5. sect. 1. Rainaud. dist. 4. q. 1. art. 7. n. 127. vers. *tandem*.

D.Thom.

Scotus.

402.

403. Probatur, quia bonitatis vel malitiæ formalis actus sumitur ex conformitate vel difformitate cum recta ratione; ergo essentialis diversitas & specifica bonitatis vel malitiæ sumitur ex speciali & essentialiter diversa ratione conformitatis vel difformitatis cum recta ratione: *quando enim specificativum est essentialiter diversum, necessariò specificatum debet esse essentialiter diversum*; ergo quando circumstantia dicit rationem specialem, & essentialiter diversam ad rectam rationem, ab ea, quam dicit objectum, diverso modo, & specificè specificabit actum, ac proinde diversam speciem tribuet actui ab ea, quam actus habet ex objecto.

404. Intelligenda tamen est prædicta regula, quando dicitur quòd *per se considerata & præcisè sumpta* debet intelligi de separatione secundum rationem, id est, quòd possit illa circumstantia per intellectum considerata ex se præcisè, secundum propriam rationem formalem tribuere specialem bonitatem vel malitiam: non enim necesse est, quod circumstantia à parte rei separetur ab specie, quam supponit in actu, ut bene notavit Suar. cit. numer. 20. quod patet exemplo adulterii, namque adulterium est nova species malitiæ, superaddita fornicationi; & tamen adulterium non potest à parte rei separari à fornicatione: sed quia adulterium consideratum per rationem, & præcisum à quolibet alio, specialem habet repugnantiam cum ratione ab ea, quam habet fornicatio, ideo novam addit speciem malitiæ.

405. Per quæ solvuntur aliquæ objectiones, quæ contra fieri possunt; quas quidem facilius solves (licet in idem recidat) si cum Salas numer. 111. vers. *respondeo*, dicamus illas species superadditas actui, sive possint, sive non possint in re separari ab specie, quam habet actus ab objecto, hoc non interesse: intelligitur enim, si per possibile, vel impossibile actus ex objecto non fuisset bonus, vel malus, talem futurum esse ex circumstantia illa: Verbi gratia, si fornicatio simplex non foret peccatum, adulterium peccatum foret contra iustitiam: etsi furtùm non esset malum, furtum in loco sacro, vel sacræ rei sacrilegium esset, & sic de aliis.

406. Unde quando D. Thom. citato art. 11. dixit illam circumstantiam, quæ præsupponit actum constitutum in esse moris, augere, & non tribuere novam speciem actui, intelligendus est, si illa circumstantia per se considerata non satis sit ad constituendum actum bonum vel malum. Verbi gratia si auferre rem invito domino, non sit malum, auferre magnum vel parvum, malum non erit; si elicero actum circa hoc objectum, non sit bonũ, illum elicere cũ majori vel minori intensione, non erit bonum, & sic de aliis, quæ augent, & non tribuunt no- D. Thom.

vam speciem, tribuerent verò, si non obstante prima specie ex objecto, illæ circumstantiæ possent reddere actum bonum, vel malum.

SUBSECTIO SEXTA.

Utrum circumstantiæ, quæ novam addunt speciem actui, maneant in ratione circumstantiæ.

407. NOn loquimur de circumstantia respectu actus in esse naturæ, nam respectu hujus se habet moralitas ut accidens, sed de circumstantia respectu actus moralis constituti in aliqua specie bonitatis, vel malitiæ, & comparatur circumstantia in præsenti, vel cum specie, quam ex objecto supponit in actu, vel cum specie, quam superaddit ipsi actui in sua specie constituto.

408. Et quidem certum, illas circumstantias non esse veras circumstantias respectu specierum, quas superaddunt, cum respectu illarum subeant rationem objecti primarij specificativi, ut bene docent Vasques disput. 33. cap. 1. numer. 3. Montesin. disput. 26. quæst. 5. numer. 5. à vers. 2. Cornejo tract. 6. disput. ultima dub. 1. vers. *dico* 2. Rua controvers. 6. Scholastica dub. 1. p. 3. vers. *ex quibus* : & probatur quia in illo actu datur duplex species moralis, & utraque est circumstantia respectu actus in esse naturæ, licet species ex objecto, sive prima, sit immediata: atqui actus ille adæquatè, & reduplicativè est essentialiter in duplici specie morali; ergo actus ille debet specificari ab objecto, & circũstantiis, ut ab objectis primariis, inter se tamen subordinatè. Probatur consequentia, quia specificantur per objecta primaria: atqui illæ circumstantiæ dant novam speciem actui; ergo actus per illas specificatur; ergo tamquam per objecta primaria.

409. Exemplum hujus doctrinæ sit circumstantia, *ubi*, locus enim sacer cum sit circumstantia furti, vel fornicationis, verbi gratia, non tamen est circumstãtia sacrilegii, nam species sacrilegii à loco sacro tanquam ab objecto primario specificatur, ac proinde actui: ille est essentialiter furtum & sacrilegium, vel est essentialiter fornicatio, & sacrilegium, quia totus ille actus adæquate specificatur à re in loco sacro, ita ut non solum res, sive materia circa quam fit, sit objectum specificativum illius actus, sed etiam locus sacer ponatur ex parte objecti formalis, tamquam objectum formale; ac proinde materia circa quam & circumstantia illa, constituunt adæquatum objectum specificativum actus illius.

410. Est ergo dubium utrum illæ circumstantiæ maneant in ratione circumstantiarum respectu speciei præsuppositæ in actu iam in sua specie constituto. Resp. affirmativè. Ita D. Thom. quæst. 2. de malo art. 4. *ad* 5. & art. 6. *ad* 7. & 1. 2. quæst. 18. art. 10. *ad* 1. Sequuntur Suar. 1. 2. tract. 2. disput. 5. sect. 2. numer. 13. Vasques dis-
D.Thom. put. 33. cap. 1. Curiel ad locum Divi Thom. dub. 2. Granad. contr. 2. tract. 10. disput. 5. sect. 2. numer. 9. Ægid. de Coninch. de actibus disput. 3. dub. 14. numer. 161. & numer. 188. Araujo t. 2. quæst. 18. art. 4. numer. 48. vers. *ad confirmationem*. Cornejo tract. 6. disp. 4. dub. 2. numer. 12. Herrera disp. 28. de peccatis, quæst. 7. vers. *his tamen*. Malder. disp. 78. vers. 2. *quæritur*. Rua cit. vers. *dico* 3. Montesin. disp. 26. quæst. 1. num. 4. vers. 2. & quæst. 5. num. 22.

411. Probatur primo; *Quidquid advenit enti in suo esse constituto, accidens est respectu illius*: atqui illa species nova, quam superaddit circumstantia, superadditur actui jam in sua specie constituto; ergo respectu illius est vera circumstantia accidentalis. Minor probatur exemplo homicidii in loco sacro, quod habet duplicem speciem malitiæ, unam homicidii ex objecto, alteram sacrilegii ex circumstantia loci sacri: atqui prima species homicidii, est vera species jam constituta in suo esse, totaque poterat esse præcisa sine illa alia specie sacrilegii, si nimirùm homicidium non fieret in loco sacro; ergo jam species sacrilegii, quæ provenit ex circumstantia loci, advenit homicidio jam in suo esse constituto.

412. Secundo probatur, nam in rebus naturalibus contingit sæpè eamdem rem esse in una specie substantiali constitutam; & in pluribus speciebus accidentalibus, ut *homo albus*, ubi albedo est accidens respectu hominis, quamquam sit species essentialis reduplicative respectu hominis, qua albi; ergo similiter in rebus moralibus datur actus constitutus in una specie substantiali, & in pluribus accidentalibus, quæ essentiales sint respectu ipsiusmet actus adæquatè & reduplicativè sumpti: verbi gratia, idem homicidium in loco sacro, actus homicidii est constitutus in specie homicidii, quæ prima est, & substantialis ex objecto, independens omnino à circumstantia sacrilegii, quæ accidens est respectu illius homicidij adæquatè & reduplicativè sumpti, quatenus scilicet sacrilegium est, nam apud omnes certissimum est, *quod id quod uni speciei est accidentale, potest esse alteri essentiale*, ut albedo, quæ accidentalis est parieti, essentialis est albo, vel etiam parieti, qua albo: similiter species proveniens à circumstantia, essentialis est respectu actus, quatenus habet speciem ipsam ex circumstantia, & accidentalis speciei provenienti ex objecto, & inde circumstantia, quæ subit rationem objecti primarii respectu speciei, quam supperaddit, est vera circumstantia accidentalis respectu speciei, cui superadditur illa species ex circumstantia.

413. Objicies primo: Si illæ circumstantiæ forent accidentia respectu speciei, cui aliam superaddunt, non variarent propriam essentiam actus: atqui variant essentiam ipsius; ergo non sunt accidentia illius. Respondetur distinguendo Majorem: si essent accidentia physica, concedo: si moralia, nego: accidens enim physicum numquam potest variare essentiam subjecti, cujus est accidens, maximè accidens morale propter dependentiam quam habet à ratione, siquidem secundum diversas considerationes potest esse essentiale, prout addit speciem actui, & accidentale prout talem addit speciem, sine qua actus constitutus in sua specie ex objecto esse posset.

414. Dices: Si illa circumstantia, est species, non potest esse accidens alterius speciei: Resp. negando antecedens; nam, qualitas & substantia diversæ species sunt, & tamen qualitas accidens est respectu substantiæ. Instabis: Ideo qualitas est accidens respectu substantiæ, quia qualitas est in diverso ordine substantiæ: atqui duæ species moralitatis sunt in eodem ordine; ergo una non potest esse accidens alterius. Major probatur in lacte, verbi gratia, ubi datur dulcedo & albedo, & tamen ex eo albedo non est accidens dulcedinis, nec dulcedo albedinis, sed lactis, quia albedo & dulcedo sunt in eodem ordine, id est, sunt accidentia naturalia. Resp. negando Majorem, ad probationem negando minorem, multum enim diversa ratio est; nimirùm,

quia albedo & dulcedo nullum habent ordinem inter se, non enim albedo recipitur in lacte mediante dulcedine, vel contra, sed utraque æquè primò, & immediatè: quod si aliquem ordinem servarent inter se, ita quod prius lac reciperet unam, quàm alteram, jam illa, quæ posterius reciperetur, accidens foret respectu illius, quæ primò recepta foret; ut qualitates, accidentia sunt respectu superficiei, quia recipiuntur in substantia mediante superficie. Cum ergo species superaddita actui ex circumstantia, recipiatur in actu mediante specie desumpta ex objecto, circumstantia erit respectu speciei ex objecto.

415. Objicies secundo: Accidens non diversificat simpliciter speciem cui accidit, sed circumstantia mutans speciem actus diversificat simpliciter actum & speciem, cui accidit; ergo non est illius accidens. Major patet, nam albedo verbi gratia; quæ est accidens hominis, non reponit hominem in aliqua specie simpliciter. Minor probatur, quia circumstantia sacrilegii verbi gratia reponit furtum in specie sacrilegii simpliciter. Resp. distinguendo Majorem, accidens naturale non diversificat speciem cui accidit, simpliciter, concedo: accidens morale, nego. Ratio diversa est, quia in rebus naturalibus accidentia sunt diversi generis & ordinis, non tamen in moralibus, cum in his omnes species accidentia sint moralia, omnesque desumantur ex objecto.

416. Adbuc tamen investigare oportet, quænam debeat esse primaria species, & substantialis, cui alia superaddita, sit accidentalis: hoc dubium inter alios melius explicat Vasques 1. 2. quæst. 18. articul. 7. numer. 53. vers. 3. & disput. 55. cap. 1. numer. 5. Montesin. disput. 16. quæstio. 1. numer. 10. vers. *dico* 2. & à signo ita cognosci potest: quando una species talis naturæ est, ut absolutè esse possit sine altera, & hæc non possit esse sine illa, species quæ sola per se esse potest, est primaria & substantialis, alia verò, quæ sine prima esse non potest accidentalis est: verbi gratia in occisione sacerdotis, datur duplex species malitiæ, una homicidij, sacrilegii altera: species homicidii est primaria, & substantialis, quia sine sacrilegio secundùm totam suam essentiam esse poterat, sacrilegii verò species accidentalis est, quæ sine illo homicidio esse non potest, & sic de aliis spaciebus mutantibus speciem actus.

417. Utrom verò dari possint duæ species bonitatis, vel malitiæ, quin una sit alterius circumstantia accidentalis? Resp. affirmativè cum Montesino cit. numer. 8. vers. *sed utrum*, ubi non bene asserit nostram resolutionem amplexari à Vasquio, nam Vasques disput. 53. cap. 1. numer. 8. vers. *Notandum*; loquens de adoratione, in qua adoratur Christus Dominus ex duplici motivo per modum unius, asserit neutram illius adorationis accidentalem esse, sed utramque æquè primariam actui, & unam esse alterius circumstantiam, quod circa malitiam expressius docet numer. 6. Nostram sententiam docet D. Thom. 1. 2. quæst. 7. art. 1. *ad* 3. Araujo quæst. 18. art. 4. numer. 36. & 48. D.Thom.

418. Probatur autem exemplis naturalibus, nam albedo & dulcedo respectu lactis sunt duæ species, accidentiaque respectu illius; & tamen albedo non accidens est respectu dulcedinis, nec dulcedo respectu albedinis: actio, & passio in eodem motu, accidentia sunt motus, & tamen actio non est accidens passionis, nec passio actionis; remissio & intensio diversorum accidentium in eodem actu, accidentia sunt illius actus, & tamen intensio non est accidens remissionis, nec remissio intensionis. Deinde exemplis moralibus: si 419.
quis eligat medium propter duos fines non subordinatos, electio illa medii duplicem habet speciem, vel malitiæ, vel bonitatis ex fine; utraque accidens est respectu electionis, & tamen una alterius non est circumstantia; cum neutra sit prior. Siquis utatur vasis sacris Ecclesiæ in profanos usus, ille usus est furtum & sacrilegium, & tamen nec furtum est accidens sacrilegii, cum furtum absolutè esse possit sine sacrilegio: nec sacrilegium est accidens respectu furti, siquidem illud sacrilegium dari possit sine furto, nimirùm, si vas sacrum sit proprium illius, qui eo profanè utitur de quo exemplo bene Vasques cit. numer. 5. vers. *cæterum*: quamquam numer. 6. non bene asserat unam speciem alterius esse circumstantiam.

SUBSECTIO SEPTIMA.

Utrum species ex circumstantia augeat bonitatem, vel malitiam speciei substantialis ex objecto.

420. Constat per circumstantias variantes, speciem actus addere novam speciem ipsi actui per quam actus ille extensivè redditur bonus, vel malus, id est, reponitur in duplici specie, bonitatis, vel malitiæ; dubium modo est utrum non solum multiplicetur bonitas, vel malitia in actu, sed etiam prima species ex objecto reddatur per secundam speciem advenientem magis bona vel mala? Resp. affirmativè. Ita Zumel 1. 2. q. 72. art. 9. disp. 1. q. 73. art. 1. disp. 1. in appendice, Suar. disp. 2. sect. 3. numer. 11. Sal. tract. 7. disput. 1. sect. 6. numer. 99 Malder. disp. 78. vers. 5. Cornejo tract. 6. disp. ultima dub. 1. num. 6. in 1. conclusione, D. Thom.
estque sententia D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 1. *ad* 2. art. 5. *ad* 3. art. 7. *ad* 2. quem bene explicat Cajet. iisdem locis.

421. Probatur primo, quia hujusmodi species reddunt objectum concupitum difficilius; ergo augetur voluntarium circa primam speciem. Patet consequentia, quia sicut circumstantia impellens diminuit voluntarium reddens peccatum levius, D. Thom.
ut verbi gratia fornicatio cum pulchra, ex D. Thom. 1. 2. q. 73. art. 5. ita circumstantia retrahens, & aggrauans peccatum auget voluntarium, locus enim sacer, verbi gratia, retractivum est peccati, detinet enim hominem à peccando, gauderet enim materiam circa quam versatur peccatum, non esse in illo loco, & confirmatur, quia retractivum auget liberum, cum minus determinata sit voluntas ex circumstantia retrahente.

422. Secundo si quis aliquem vexet in Ecclesia sine sanguinis effusione, illa vexatio est gravior ex circumstantia loci, cum tamen non sit sacrilega: ergo si illemet hominem in Ecclesia occideret, non solum occisio erit sacrilegium, sed etiam gravior ex circumstantia loci, cum non possit dari major ratio de vexatione, quam de occisione. Tertio, quia si circumstantia redderet actum magis voluntarium, illum augeret in bonitate, vel malitia; ergo similiter si circumstantia mutans speciem augeat voluntarium, augebit bonitatem, vel malitiam primæ speciei. Quarto, quia illæ circumstantiæ sunt vera accidentia respectu primæ speciei; ergo debent tribuere illi aliquam perfectionem vel imperfectionem.

423. Objicies primo: Circumstantia, *cur*, id est, finis, quando novam addit speciem, non auget bonitatem vel malitiam primæ speciei præsuppositæ; ergo nec aliæ circumstantiæ addentes speciem actui, augebunt bonitatem vel malitiam primæ speciei: Respondetur: transeat antecedens, nego consequentiam. Diversa ratio est, quia cum finis habeat rationem motivi impellentis, incitat & facilitat voluntatem ad actionem, aliæ verò circumstantiæ, cum se habeant ex parte objecti, objectum reddunt difficilius respectu appetentis; ideo finis minuit voluntatium respectu primæ speciei; reliquæ circumstantiæ illud augent.

424. Secundo, si circumstantiæ addentes novam speciem, etiam augent primam, sequitur nullum esse discrimen inter circumstantias aggravantes, & mutantes speciem illius actus. Respondetur negando sequelam, namque circumstantiæ aggravantes sunt pura accidentia respectu actus, nullum ei attribuentes esse essentiale, at circumstantiæ mutantes speciem, non sunt pura accidentia actus, sed habent duplex esse, essentiale, & accidentale, essentiale respectu speciei, quam addunt; accidentale respectu speciei, cui aliam speciem addunt: unde cum sint accidentia bujus speciei præsuppositæ in actu, necessario illius bonitatem vel malitiam debent augere.

425. Tertio, si una conclusio manifestetur duobus mediis specie differentibus, unum medium non reddit aliud evidentius, sed utrumque simul facit conclusionem evidentiorem extrinsece; ergo similiter in præsenti. Respondetur: transeat antecedens, nego consequentiam. Diversa ratio est, quia illa duo media non comparantur inter se, sed cum conclusione: circumstantiæ verò comparantur cum prima specie, tamquam illius accidentia, & non possunt esse accidentia illius, si illi non conferant aliquam perfectionem, vel imperfectionem. Insuperque illa media sumuntur physicè, non moraliter, circumstantiæ verò moraliter, in moralibus autem concomitantia majorem dignitatem, & æstimationem addit, ut si in uno virtus, & scientia reperiatur, quæ se mutuo nobilitant.

426. Quarto, eadem numero circumstantia non potest causare duas numero malitias; ergo eadem numero circumstantia non potest tribuere unam numero speciem actui, & per aliam numero bonitatem vel malitiam augere primam speciem præsuppositam, verbi gratia, circumstantia conjugii causat in adulterio speciem injustitiæ, & non potest causare aliam malitiam aggravantem fornicationem. Respondetur distinguendo antecedens, eadem numero circumstantia non potest causare duas numero malitias, primarias, & essentiales, concedo: unam primam & essentialem, aliam secundario, & accidentalem; nego: circumstantiæ illæ non causant duas numero malitias primarias & essentiales, sed causant unam primariò, & essentialem, novam scilicet speciem, quam addunt actui, alteram secundariò, & accidentalem, augmentum scilicet malitiæ respectu primæ speciei præsuppositæ, verbi gratia, illa circumstantia conjugii causat primariò injustitiam, secundariò, & accidentaliter auget fornicationem.

427. Instabis: Non potest illa circumstantia causare primam speciem, ergo nec etiam illam potest augere. Probatur consequentia, quia *nulla causa potest intendere formam, quam non potest producere.* Respondetur negando consequentiam. Ad probationem distinguo ant. nulla causa potest intendere formam, quam non potest producere in genere physico, & essentialiter, concedo; in genere formali, & moris nego: minus enim requiritur in moralibus, ad intensionem, quam in physicis, nam in genere physico requiritur verus influxus causæ: in genere autem morali solum requiritur quod objectum reddatur difficilius, & potentia cum majori libertate & voluntario operetur.

SUBSECTIO OCTAVA.

Utrum aliqua circumstantia tribuat primam speciem actui?

428. Respondetur affirmativè: est communis sententia, & præcipue procedit de circumstantia, *cur*, & patet manifestè, nam si quis velit objectum indifferens propter aliquem finem malum vel bonum, verbi gratia, ire in agrum propter Deum, aut propter furtum, ille actus erit bonus vel malus: atqui non habet bonitatem vel malitiam ex objecto, sed tantum ex fine; ergo illa species bonitatis, vel malitiæ, quæ prima, & essentialis est, in illo actu provenit à circumstantia, & non ab objecto. Minorem probo, quia objectum nec est morale, nec honestum, aut malum, cum sit indifferens; ergo nullam potest tribuere bonitatem, vel malitiam.

429. Difficilior difficultas est, utrum illa circumstantia tribuens primam speciem, maneat in ratione circumstantiæ respectu actus in genere moris. Respondetur negative. Ita D. Thomas q. 18. art. 5. *ad* 4. Cajet. ibi art. 9. Vasques disp. 53, cap. 2. Suar. tract. 2. disp. 5. sect. 2. n. 13. & 21. Curiel. q. 18. art. 10. dub. 2. Cornejo tract. 6. disp. 4. dub. 2. n. 12. Rua controv. 6. Scholastica dubio 1. p. 3. vers. *dico* 4. Montesin. disp. 16. q. 2. n. 14. ubi hanc sententiam communem appellat. D.Thom.

430. Probatur, quia id quod tribuit primam bonitatem vel malitiam actui, ei tribuit primam speciem bonitatis vel malitiæ; ergo non supponit actum aliunde constitutum in genere moris; ergo in eo genere non est circumstantia, sed amittit rationem circumstantiæ, & subit rationem objecti primarii specificativi. Probatur consequentia, quia circumstantia est verum accidens: atqui accidens non constituit subjectum in sua specie, sed supponit objectum constitutum; ergo si illa circumstantia constituit actum in sua specie, & illum non supponit constitutum, non est vera circumstantia respectu illius, sed objectum specificativum.

431. Dices: Actus constitutus est in genere naturæ; ergo respectu illius illa circumstantia erit accidens. Sed contra, quia non loquimur in præsenti de actu in genere naturæ, sed in genere moris, nam ille actus in genere naturæ est prior, quàm in genere moris, & prius habet esse naturæ, quàm moris, & ut esse naturæ, supponitur artificiali; ita etiam præsupponitur morali. Unde esse morale est velut accidens respectu esse naturalis, cum actus secundùm suum esse naturale, possit esse absque illo esse morali, si nimirum objectum esset prohibitum; & per consequens, illa species bonitatis, vel malitiæ erit accidens, & vera circumstantia respectu actus in esse naturæ: non tamen respectu actus in esse moris, eo quod primum esse morale illius actus constituatur per

illam circumstantiam tanquam per objectum primarium specificativum.

432. Oppositam sententiam docuit Granad. 12. controv. 2. tract. 10. disp. 5. sect. 2. n. 12. ex Conrado 12. q. 18. art. 3. fundamentum est, qnia siquis velit deambulare propter Deum, iste actus erit bonus ex fine extrinseco, & ista bonitas illius actus erit prima: atqui ista bonitas ex fine additur speciei puræ morali, quam actus habet ex objecto indifferente deambulationis; ergo cum supponat actum constitutum in specie morali, erit vera illius circumstantia. Minor probatur, quia illud objectum, ut est libere volitum, non attenta etiam intentione finis, est morale; ergo per illud constituitur actus in specie moralis.

433. Respondetur primo negando Minor. quia ut dicam disp. 5. à numero 50. sive sectione prima, objectum indifferens non est morale, nec actus per illud specificatus, moralis est, sed naturalis. Secundo nego eamdem Minor. ad probationem distinguo ant. objectum est morale secundùm speciem, transeat: in individuo nego, deinde distinguo consequens; ergo etiam actus erit moralis secundùm speciem, concedo; in individuo, nego: namque ut contrarii fatentur, quamquam ille actus sit moralis, cum tamen sit indifferens, posita illa prima bonitate ex fine, redditur ille actus bonus, & destruitur indifferentia ejus, cum implicet, quod simul sit indifferens, & bonus, siquidem actus indifferens est ille, qui nec bonus, nec malus est: & idem est, si actus ex objecto bonus redditur malus ex fine; perit enim bonitas illa adveniente malitia, quæ actum illum constituit in specie malitiæ, de quo sect. sequenti subsect. 11. à numero 632.

434. Dices: Ille actus, ante illam speciem provenientem ex circumstantia, erat indifferens vel bonus; ergo species, quæ illi superadditur, accidens est, & circumstantia. Respondetur distinguendo consequens; si maneat actus cum illa indifferentia, vel bonitate, concedo, si adveniente illa prima specie destruatur, nego: Cum ergo posita illa specie ex circumstantia, bonitas vel indifferentia antecedens pereat, jam bonitas vel malitia, quæ ex circumstantia advenit illi actui, non accidit speciebus illis indifferentiæ vel bonitatis, quæ in actu antea erant, sed accidit actui in esse naturæ, ut si aliquod accidens non compareretur cum aliqua substantia, sed talem haberent oppositionem inter se, ut adveniente accidente destrueretur substantia, accidens illud non diceretur accidens respectu talis substantiæ.

SUBSECTIO NONA.

Quomodo circumstantia debeant esse cognita ad hoc, ut tribuant bonitatem, vel malitiam actus?

435. PRæsuppono ex circumstantiis aliquas esse ex parte actus, aliquas ex parte objecti: ex parte actus sunt circumstantiæ, *quomodo, & quando*: ex parte objecti, sunt circumstantiæ, *quid, ubi, quibus auxiliis, & cur*: de circumstantia *quis* solum est dubium, utrum spectet ad objectum, an ad actum? & communis resolutio est, poni ex parte objecti; ex ea ratione, quia quæ ponuntur ex parte actus pertinent ad intrinsecam entitatem ipsius actus, ut intensio, remissio, & duratio: atqui qualitas personæ non pertinet ad intrinsecam entitatem actus; ergo non ponitur ea parte actus, sed ex parte objecti. Hoc posito,

436. Dico primo: Ut circumstantiæ tribuant bonitatem, vel malitiam, debent esse cognitæ: ratio est quia, nihil potest tribuere aliquam bonitatem, vel malitiam actui, nisi sit voluntarium: atqui *nihil potest esse voluntarium, nisi sit volitum, & nihil volitum est, quod non sit præcognitum*; ergo ut illæ circumstantiæ tribuant bonitatem vel malitiam, debent esse cognitæ: de quo argumento supra à n. 65.

437. Dico secundo: Ut circumstantiæ tribuant bonitatem, vel malitiam, debent esse cognitæ secundùm rationes bonitatis vel malitiæ: ita colligitur ex ratione supraposita, nam illa ratio quæ tribuitur actui, debet esse cognita ut sit voluntaria: atqui tribuitus bonitas, vel malitia; ergo ratio bonitatis, vel malitiæ debet esse præcognita, aliter non erit voluntaria.

438. Dico tertio: Ut circumstantia bona tribuat speciem bonitatis, debet esse per se, & formaliter cognita ejus honestas; at, ut circumstantia mala tribuat malitiam, sufficit scrupulus, vel dubium aliquod de malitia in objecto. Primam partem expressit Suar. disp. 5. sect. 3. n. 3. Salas disp. 2. sect. 11. n. 101. Ratio est illa, quam attulimus supra, sect. 5. subsectione undecima. 439. Secunda autem pars probatur, quia ubi datur scrupulus, vel dubium malitiæ in objecto, si quis velit tale objectum, ponitur in periculo volendi malitiam, & ita ad illud est affectus, ut illud amplecteretur, etiamsi expresse prævideret illius malitiam. Cur autem sufficiat scrupulus, vel dubium de malitia objecti ad actum malum, & non sufficiat scrupulus vel dubium de bonitate objecti ad actum bonum, est quia *malum ex quocumque defectu, bonum non nisi ex integra causa.*

440. Dubium tamen est, quænam cognitio sit necessaria ad hoc, ut objectum, sive circumstantia ex parte objecti posita refundat bonitatem, vel malitiam in actum: pro cujus resolutione notandum est cognitionem, vel esse interpretativam & virtualem, vel actualem: cognitio interpretativa & virtualis est, quæ actu non existit, sed poterat, & debebat existere, quia ille homo potuit, & debuit advertere se teneri ad cognoscendam, vel bonitatem, vel malitiam objecti; ideo poterat existere, & debebat existere illa cognitio.

441. Actualis est, qua quis actu cognoscit bonitatem, vel malitiam objecti: quæ cognitio actualis, modo est formalis & directa, cum quis expresse cognoscit objectum esse bonum, vel malum: vel est implicita, & indirecta, cum quis cognoscit objectum bonum, cui annexa est malitia; vel est dubia, & scrupulosa, cum quis licet malitiam non agnoscat, dubitat tamen, & habet scrupulum, an ibi detur malitia? vel cognoscit ibi esse malitiam, sed non qualitatem malitiæ: & si cognoscit qualitatem, non tamen an sit mortalis, vel venialis; omnes enim istæ cognitiones sunt actuales: quibus notatis

442. Est quæstio quæ cognitio requiratur ad bonitatem, vel malitiam? Respondeo huic quæstioni satisfactum majori ex parte esse disp. 1. n. 258. & juxta ibi dicta, dicendum est, necessariam esse cognitionem actualem vel bonitatis, vel malitiæ, quæ reperitur in circumstantiis: at non sufficere cognitionem virtualem & interpretativam: primo, quia ita docent Doctores isti, qui

disp. 1. n. 258. asseruerunt ad voluntarium in alio requiri cognitionem actualem: ex qua doctrina consequitur nostra conclusio, cum enim ad hoc ut circumstantia tribuat boniratem, vel malitiam, quæ laudi, vel culpæ imputerur, debeat esse voluntaria, cum ad voluntarium requiratur cognitio actualis, etiam ad hoc ut circumstantia conferat bonitatem, vel malitiam.

443. Secundo, eamdem conclusionem approbant Doctores illi, qui disp. 1. n. 747. docuerunt ad ignotanriem vincibilem requiri cognitionem actualem, & non sufficere virtualem: nam ideo requiritur actualis cognitio, quia illa ignorantia est voluntaria & peccaminosa, & ad voluntarium & peccatum non sufficit cognitio virtualis; cum ergo illa malitia, quam confert circumstantia sit voluntaria & paccatum, ergo non sufficit cognitio virtualis, sed requiritur actualis.

444. Tertio, quia ut illa circumstantia conferat bonitatem vel malitiam, requiritur quod da illa homo cogitet: atqui illa cogitatio non potest esse nisi sit actualis: ergo, &c. Major est certa, quia illa quæ hominibus in mentem non veniunt, illis non possunt imputari, cum in eorum manu non sit velle id quod non cogitatur. Minor ostenditur, quia si satis foret posse & cogitare, multa nobis imputarentur, quæ nullo modo essent volita, nec voluntaria, nam volitio actualis sequitur cognitionem actualem: Vide cætera, quæ prædictum argumentum confirmant disp. 1. n. 776.

445. Oppositum placuit aliquibus, quos illa disp. 1. n. 258. & n. 747. retuli; asserentibus, ad voluntarium in alio, & ad ignorantiam vincibilem, satis esse illam cognitionem virtualem, & non requiri actualem. Argumenta, in quibus suam opinionam fundabant, soluta sunt eadem disputatione à n. 248.

446. Advertendum tamen est, quod licet ad malitiam, quam circumstantia confert, requiratur quælibat actualis cognitio, sive directa, sive indirecta; sive explicita, sive implicita; sive dubia, sive scrupulosa; sive in genere, sive in specie: tamen ad bonitatem, quæ à circumstantia confertur, satis est quæcumqua cognitio, cum necessaria sit cognitio actualis expressa per se, & formaliter, ut dixi numero 438.

SUBSECTIO DECIMA.

Quomodo circumstantia debeant esse volita ut tribuant aliquam, bonitatem vel malitiam.

447. SUppono rem posse esse volitam vel directè, vel indirectè: directè est res volita, quando voluntas per actum positivum tendit in objectum, siva immediatè, sive mediatè, & virtute, quatenus continetur in causa. Indirectè dicitur res volita, quando datur omissio, omittando animactum indirecte, vult voluntas actum oppositum actui omisso.

448. Dico primo: Ad bonitatem actus requiritur, quòd honestas sit volita per se, & non propter se: ita dictum est de bonitate ea objecto supra sect. 5. subsect. 10. & 11. & præter Doctores ibi citatos ita sentiunt Cornejo tract. 6. disp. ultima n. 18. vers. *ultima*. Rua controv. 6. Scholastica dub. 1. p. 5. vers. *ad bonitatem*: & amplius probatur ajus ratione, quia bonitas accidantalis actus, est tendentia libera in honestatem ex circumstantiis; ergo si prævisa bonitate circumstantiarum, voluntas tendit in objectum illis circumstantiis affectum, & hæ sint conformes rectæ rationi, non apparet quid amplius requiratur. Utrum verò ad bonitatem provenientem ex circumstantiis sufficiat volitio indirecta; Quiquid aliqui asserant, mihi videtur sufficere dummodo sit prævisa, quia in eo casu illa bonitas circumstantiarum, est volita, & voluntaria; quod verò non sit propter se volita, nec directè, parum refert, ut sæpe diximus, præcipue, quia volitio interpretativa sufficit ut omissio sit honesta, ut dicemus infra à n. 699.

449. Dico secundo: Ad hoc ut circumstantiæ tribuant malitiam actui, sufficit quæcumque volitio sive per accidens, siva implicita, & confusa, siva directa mediate vel immediate, sive etiam indirecta, quæ omnia, ut recte probentur, ex dictis, & ex dicendis disp. 4. non enim imputatur malum quod non ast volitum, insuper patet, quia omissio pura (suppono quòd detur) ast peccaminosa; ergo sufficit volitio indirecta: deinde, qui occidit hominem, ex qua occisione sequitur magnum nocumentum, non solùm est reus homicidii, sed etiam nocumenti sequuti; ergo sufficit volitio directa tam mediata, quam immediata. Insuper Intensio, remissio, & duratio, quando tribuunt malitiam actui, non sunt formaliter volitæ, sed tantum virtualiter ratione actus, ex cujus parte ponuntur; ergo sufficit volitio virtualis.

450. Sed contra hujus & præcedentis subsectionis doctrinam, asserentem ad hoc, ut circumstantiæ tribuant bonitatem vel malitiam, necessario raquiri, quod bonitas vel malitia circumstantiarum sit cognita, & volita, ast validum argumentum; Ut circumstantiæ conferant valorem & meritum, non requiritur, quod sint cognitæ, & volitæ; ergo nec requiritur ad hoc, ut conferant bonitatem, vel malitiam. Consaquentia colligitur à paritate rationis. Ant. probatur primo, quia actus amoris elicitus ab homine grato, est meritorius, non tamen elicitua à paccatore, & taman dignitas personæ, nec est cognita, nec voluntaria; ergo non requiritur cognitio, aut volitio circumstantiæ *quis*, ad hoc ut conferat bonitatem. Minor probatur primo, quia nemo scit, an sit in gratia. Secundo, quia quamquam non cognoscatur dignitas illa personæ, semper actus est meriturius. Tertio, quia admissa opinione D. Thom. quod actus contritionis sit ultima dispositio ad grariam de congruo, & quod in instanti, in quo infunditur gratia, maneat illemet actus meritorius de condigno gloriæ, gratiæ infusio, nec intenta, nec voluntaria fuit.

451. Secundo probatur idem antecedens principalis argumenti, quia actus Christi Domini habebant infinitum valorem moralem: atqui iste valor infinitus non proveniebat à cognitiona, aut voluntario, sed à persona, quæ actus illos informabat; ergo, &c. Probatur Minor, quia si dignitas illa Christi Domini contulisset valorem illum per modum objecti cogniti, & voliti, non contulisset valorem infinitum. Probatur hoc antecedens, quia actus ex habitudine ad objectum non est infinitus simplicitat, ut apparet in amora Dei, & visione beata. Confirmatur, quia si per possibile, vel impossibila Christus Dominua ignoraret suam dignitatem, adhuc opera Christi essent infiniti valoris. Probatur, quia adhuc essent opera Dei.

452. M. Suar. tract. 3. in 1. 2. disp. 5. sect.

5. tria asserit circa hoc argumentum. Primum est circumstantiam *quis* non posse augere bonitatem actus, nisi sit volita directè per modum objecti, ex eo fundamento, quod existimat non sufficere voluntarium indirectum, vel virtuale ad honestatem formalem actus, ita numero 6. Secundum est, bene posse operantem se ipsum respicere ut objectum suæ voluntatis, & applicare se ad opus; ita eodem numero. Tertium est, etiamsi illa dignitas personæ non conferat bonitatem, nisi sit cognita, & volita directè per modum objecti, posse tamen augere valorem, & meritum, etiamsi nec voluntaria, nec cognita sit. Idem docet tom. 1. in 3. p. disp. 4. sect. 4. & lib. 12. de gratia cap. 22. n. 2. Estque sententia Valent. 12. disp. 8. q. 6. puncto 3. in fine, Albertini primu principio, Corollario 18. n. 50. Raynaud. dist. 4. q. 1. art. 7. n. 183. Salas tract. 7. disp. 2. sect. 12. n. 114. & n. 115.

453. Ex quibus prædicti Authores ita respondent argumento, concedo antecedens, nego consequentiam. Majorem rationem assignat Suar. loco 12. n. 8. quia per bonitatem redditur homo bonus, esse verò bonum intrinsecè dependet ex cognitione & voluntate, quia voluntariè efficimur boni vel mali: at verò per valorem, & meritum non constituitur homo bonus, & ideo non pendet à voluntate, nisi in quantum voluntas est fundamentum bonitatis, à qua ille valor resultat: quam resolutionem explicat exemplo habitus, qui posito actu libero, sine scientia, & sine voluntate resultat, eo quod non consequitur ad voluntatem, sed ad qualitatem operis, similiter etiam valor, vel meritum resultat sine scientia, & voluntate, quia consequitur, non ad voluntatem, sed ad qualitatem operis.

Verum in hac doctrina sunt mihi dubia. Primum est, non posse augeri bonitatem ex circumstantia, nisi hæc sit directè volita per modum objecti, hoc enim communiter negatur, & apparet in circumstantiis *quomodo*, & *quando*, nam intensio, & remissio, ac duratio cum sint modi actus moralis, sunt voliti & cogniti, ut est ipse actus, qui quidem non est cognitus & volitus formaliter, sed virtualiter.

454. Secundum est, posse augeri valorem, & meritum actus non aucta bonitate: hoc enim minus probabile judico, primo quia non datur major ratio cur meritum, & bonitas augeatur, nam ratio assignata à Suar. æquè militat in bonitate, ac merito, quia sicut voluntariè efficimus, ita etiam voluntariè meremur. Secundo, quia si ille actus est dignior apud Deum, etiam est melior; ergo valor non excedit operis bonitatem. Aut. probatur, quia homo ille ratione illius actus, est magis dilectus; ergo etiam actus est melior, nam quo actus est melior, eò majori amore dignus est. Antecedens patet, quia propter illum actum, Deus vult majus præmium illi homini; ergo plus eum diligit. Tertio quia meritum sequitur ex bonitate; ergo majus meritum ex majori bonitate. Probatur consequentia, quia meritum est proprietas bonitatis; ergo si crescit essentia, crescet & meritum; ut similiter si crescit proprietas, etiam essentia crescit.

455. Dices: Valor ex circumstantia potest esse major bonitate ex objecto, & valor jejunii in Christo Domino est major, quam bonitas jejunii desumpta ex objecto temperantiæ; ergo absolute poterit valor esse major sua essentia. Respondetur negando consequentiam, quia licet ille valor sit major ipsa bonitate essentiali, non tamen est major ipsa bonitate accidentali, quæ desumitur ex circumstantia personæ: & per consequens licet excedat bonitatem essentialem, quæ desumitur ex objecto, non tamen excedit omnem bonitatem, cum non excedat illam bonitatem, quæ desumitur ex objecto, & circumstantia.

456. Quare ad argumentum respondetur cum Angesto tract. 4. moralium cap. 8. Vasquio in 3. p. tom. 1. disp. 6. n. 12. & 13. Cornejo tract. 6. disp. 4. dubio 3. n. 27. Araujo q. 18. art. 3. n. 45. §. *dico 5.* negando antecedens, quia sicut nihil potest conferre valorem actui, nisi eidem conferat bonitatem, ut bonitas non confertur, nisi voluntarie, ita nec etiam valor potest conferri, nisi sit voluntarius. Quapropter impossibile est, quod licet qui operatur, ignoret statum suum, non velit applicare se ad operandum moraliter, nec reflectatur supra statum suæ personæ, nec illum velit ordinare in Deum, & afficere totum actum quibuscumque circumstantiis: ex quo bonitas ex illa circumstantia proveniet, cum ad bonitatem non requiratur directa cognitio, vel volitio. Unde si rusticus, & Rex debitum solvans alicui mercenario, quin suum statum subjiciant Deo, illa solutio æqualis valoris erit in utroque, si verò solutio consideretur per ordinem ad Deum ut meritoria & unusquisque subjiciat proprium statum Deo, tunc solutio facta à Rege, majorem valorem sortietur, quam solutio facta à rustico, eo quod Rex plus subjicit Deo, quam rusticus.

457. Ad primam probationem antecedentis, nego Minorem. Ad primam illius probationem, quod scilicet nemo cognoscat quod sit in gratia, distinguo antecedens, expresse, & directè concedo; saltem Interpretativè, & confusè, nego; cum enim totus ille status operantis referatur in Deum, sitque volitus, vel per modum principii applicari ad actum, vel per modum objecti secundarii tribuentis bonitatem accidentalem, hîc datur indirecta volitio, & cognitio confusa, dum nimirum applicatur totus status, qui est status gratiæ, qui dum applicatur, etiam confuse cognoscitur. Ad secundam probationem ejusdem minoris negando illum actum esse meritorium, merito proveniente ex bonitate accidentali, quam communicaret dignitas illa personæ, quia aliqualiter cognosceretur; ad plurimum enim ille actus habebit meritum causatum ex bonitate essentiali desumpta ex objecto. Ad tertiam confirmationem ejusdem Minoris respondetur, admissa illa doctrina, gratiæ infusionem voluntariam fuisse, & intentam, non quidem per modum objecti directe, sed per modum objecti indirecte, in generali scilicet, & confuse, quatenus scilicet operans applicavit totum suum statum, qualis ille foret.

458. Ad secundam probationem antecedentis, respondetur distinguendo Minorem: atqui iste valor infinitus non proveniebat à cognitione, & voluntario tantum; concedo; Minorem etiam nego: licet enim cognitio, & voluntarium dignitatis Christi non sufficeret, ut valor esset infinitus, tamen cognitio, & voluntarium dignitatis, quam per modum principii Christus applicabat, Deoque totam subjiciebat, atque per modum objecti secundarii totam illam suam veritatem volebat subjicere Deo, tribuebat infinitum valorem actionibus Christi: & hæc applicatio non est tantum habitudo actua ad objectum, sed principii ad effectum, volebat enim Christus applicare suam dignitatem, non solùm ut objectum volitionis, sed etiam ut principium actionis.

Ad

459. Ad confirmationem respondetur negando antecedens; data enim hypothesi actiones Christi Domini non essent meritoriæ infinitè, & quamvis essent opera Dei, erant opera bona infinite infinitate naturali, & bonitate etiam naturali, ac fundamentali, quatenus conformia erant divinis attributis.

460. Dico tertio: Ut circumstantiæ generales attribuant novam speciem bonitatis vel malitiæ, requiritur quod expresse, & directe sint volitæ Ita Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 2. sect. 13. n. 16. Vasques 1. 2. disp. 101. Azor 1. p. lib. cap. 4. Cornejo disp. ultima dub. ultimo n. 10. estque expressa doctrina
D. Thom. D. Thom. variis in locis, quos refert Salas disput. 3. sect. 4. num. 80. quem ibi sequitur per totam sectionem.

461. Et ante probationem suppono circumstantiam generalem, esse illam, quæ communis est omnibus, vel pluribus actibus: Duplex tamen genus est circumstantiarum generalium, quædam enim sunt transcendentes, inclusæ in omni actu malo vel bono, ut in actu malo inobedientia, superbia, odium Dei, imprudentia spiritualis, & mors animæ; & è converso in actu bono, obedientia, amor Dei, humilitas & similia, quæ repetuntur in omni actu adimpletivo præcepti, & consilij; quædam verò circumstantiæ generales dicuntur, non quòd imbibantur in omni actu, vel pertineant ad illius differentiã specificam, sed quia adveniunt pluribus actibus in sua specie constitutis, ut sacrilegium furto, homicidium fornicationi: Conclusio ergo non procedit de his circumstantiis, quæ particulares sunt, & accidentales, sed de illis generalibus, quæ in omni actu imbibuntur. Hoc posito

462. Probatur conclusio 1. quia eodem præcepto, quo quis tenetur non furari, tenetur etiam obedire Deo, non averti à Deo, sequi regulas prudentiæ, non habere odio proximum, aut se ipsum, & è contrario idem est iudicium in actu bono; ergo præter malitiam furti, non conferunt illæ circumstantiæ generales actui novam speciem malitiæ, nisi directè, & per se volitæ. Consequentia probatur, quia actus specificè distinguuntur saltem mediate ex diversitate præceptorum, & formaliter ex objectis formalibus, id est, ut subjectis legi, de quo infra disp. 4. numer. 683. Cum ergo tam furtum, quàm illæ circumstantiæ, eadem lege prohibeantur, eademque ratione dirigantur, una erit malitia actus, nullamque novam attribuent circumstantiæ illæ.

463. Secundo, quia ut circumstantia sit accidens, constituatque actum in nova specie bonitatis vel malitiæ, debet supponere primam speciem essentialem ex objecto, ex dictis supra à num. 401. usque ad numer. 420. atqui hæ circumstantiæ non supponunt primò speciem essentialem ex objecto, quin potius pertinent ad essentialem constitutionem primæ speciei; ergo non possunt conferre novam speciem malitiæ, nisi sint directe volitæ. Minor probatur, quia omnis actus malus essentialiter est inobedientia, inimicitia, imprudentia, &c. similiter actus bonus est obedientia, amicitia, &c.

464. Confirmatur, quia præcepta obedientiæ, gratitudinis, amoris, & similia, ut distinguuntur à furto, verbi gratia, habent speciale objectum; ergo violantur per actus formaliter diversos; quapropter actus specialis obedientiæ requirit, ut servetur præceptum ex motivo obedientiæ: actus gratitudinis requirit, ut beneficium recognoscatur, inde est, quod quis potest offendere benefactorem, quin ipsi sit ingratus: similiter, si quis sit causa, cur aliquis in peccatum labatur, non ideo erit homicida spiritualis, nisi eo animo procedat, ut velit quod proximus labatur.

465. Solum in scandalo est dubium, an si tantum materialiter sit volitum inducat novam speciem malitiæ? Respondent quidam affirmative, quidquid tamen de hoc sit, patum refert, quia scandalum non est circumstantia generalis, tum quia supponit malitiam actus in sua specie constitutam, tum quia non est commune omnibus, ut pluribus actibus.

466. Dices: Circumstantiæ particulares conferunt novam speciem malitiæ actui, quin sint expresse & directè volitæ; ergo similiter circumstantiæ generales. Respondetur negando consequentiam, quia illæ circumstantiæ particulares, non requirunt speciale propositum: maximè generales, & hoc ex natura ipsarum circumstantiarum.

SECTIO OCTAVA.

De bonitate formali ex fine.

QUamquam finis operantis una sit circumstantia, adeo tamen præcipua est, & tot difficultatibus implicatur, ut specialem locum præ cæteris requirat, dignusque sit, ut de eo speciali loco egerit D. Thom. q. 18. art. 4. Juxta commu- D. Thom.
nem Expositorum sensum, finis iste non est intrinsecus, proximus, & operis, qui cum objecto recurrit, de quo satis supra sectione 5. sed est finis extrinsecus, remotus, & operantis, quem scilicet sibi proponit ipse operans, & intendit, estque circumstantia veluti generalis, quæ communis esse potest pluribus actibus pro libito operantis, & sic loquimur de illo ut circumstantia respectu electionis, non verò ut objectum est respectu intentionis.

SUBSECTIO PRIMA.

Utrum actus habeat bonitatem ex fine.

467. NOtandum est primo quæstionem non procedere de fine intrinseco; certum enim est omnem bonitatem primariam ab hoc fine, qui cum objecto coincidit provenire, juxta dicta sect. 5 subsect. 1. sed de fine extrinseco & operantis. Secũdo, non esse quæstionem utrum in omni actu bono requiratur explicita, & actualis relatio in ultimum finem, sive hæc formalis sit, sive virtualis, de hoc enim latè egimus supra sect. 4. subsect. 5. sufficit enim interpretativa, ut ibidem diximus. Tertio, non esse quæstionem an ad bonitatem actus voluntarie requiratur bonitas finis extrinseci, satis enim manifestum est si actus sit volitus propter propriam bonitatem objecti, esse bonum, dummodo per se, & formaliter bonitas objecti, sit volita, ut diximus citata sect. subsect. 5. 6. & 7.

468. Est ergo sensus quæstionis; Utrum si aliquis actus voluntatis fiat propter finem extrinsecum, à fine desumat bonitatem? Respondetur affirmativè. Hæc conclusio communis est inter Theologos, & apud omnes certa, imò inter eos esse conclusionem de fide fatetur Aranjo art. 4. dub. 1. n. 8. colligiturque evidenter subsectione 7. & 8. quæ docet actum ex objecto bonum, futurum esse malum si fiat propter finem intrinsece malum. Ideo breviter probatur conclusio.

Primò, quia si quis eliceret actum humilitatis propter votum, ille actus humilitatis magis meritorius esset, quàm si non eliceretur ex voto, ex do-

ctrina D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 6. ergo ille actus
D. Thom. humilitatis ex illo fine majorem accepit bonitatem, quàm habuisset, si eliceretur sine illo. Consequentia patet, nam ille actus est magis meritorius; ergo etiam melior: nam majus meritum majorem supponit bonitatem. Secundò: Opera, quæ fiunt propter pœnitentiam impositam à Confessore, vere satisfactoria sunt, ex eo quòd ordinantur in compensationem peccatorum: atqui illa opera ex se sine hoc ordine non sunt satisfactoria; ergo illam bonitatem habent ex fine.

469. Tandem omissis aliis rationibus probatur, quia charitas dicitur forma virtutum ex eo, quia virtutes perficit, & veluti informat; atqui illas non perficit nisi quatenus fiunt propter finem charitatis; ergo illa perfectio major, quæ convenit virtutibus ex charitate, desumitur ex ordine ad ipsam charitatem tamquam finem extrinsecum: & inde evidenter sequitur omnem actum elicitum propter aliquem finem, ab eo desumere bonitatem: non enim major ratio dabitur de charitate, quam de aliquo alio fine.

SUBSECTIO SECUNDA.

Utrum omnis actus habeat bonitatem ex fine?

470. Quod finis operantis influat in actum, qui propter illum elicitur, dictum est superiori subsectione, an verò omnis actus necessario debeat ordinari in finem operantis, ita ut nullus reperiatur, qui nullam habeat bonitatem ex fine extrinseco; inquiritur in præsenti.

Pro quo suppono, vel quæstionem esse de capacitate, vel necessitate actus: nam loquendo de capacitate, est quæstio, utrum omnis actus possit habere bonitatem ex fine? loquendo vero de necessitate, est quæstio, an necessario omnis actus à fine extrinseco recipiat bonitatem? & juxta utrumque sensum quæstio expedienda est: pro quo

471. Dico primo: Omnis actus est capax ut possit habere bonitatem ex fine. Ista conclusio communiter recipitur; & non difficile probatur, quia ut superius dixi à numero 364. omnia actus unius virtutis ab alio actu alterius virtutis imperati potest, & sine discrimine unus actus cujuslibet virtutis ordinari potest in alteram virtutem, quæcumque illa sit: atqui ex illo imperio, & ordine actus, qui imperatur, & ordinatur, recipit bonitatem à virtute imperante, ut eodem loco subsect. 5. disserendum est; ergo omnis actus potest recipere bonitatem ex fine. Argumenta, quibus oppositum probatur, nimirum de charitate, quæ ab alia virtute videtur non posse imperari, ibidem solvenda sunt.

472. Dico secundo: Non est necesse quod omnis actus recipiat bonitatem ex fine operantis. Hæc conclusio etiam est communis. Traditur à
D. Thom. D. Thom. 1. 2. q. 18. art. 4. & 7. & in 4. dist. 16. q. 5. art. 1. quem sequuntur fere omnes Theologi Fundamentum est, quia appositio finis extrinseci dependet ex libertate operantis, qui pro arbitrio suo illum potest apponere, vel non apponere; ergo si illum non apponat, ille actus non habebit bonitatem ex fine; sed tantum ex objecto, si quis nimirum velit eleemosynam, vel charitatem sistendo in illis objectis, quin proponatur alius finis.

473. Contrarium docuit Martinez hîc quæst. 18, articul. 4. dub. 2, asserit enim omnem actum (excepta volitione ultimi finis) qui à fine non potest habere bonitatem, ut ait, de facto necessario ordinari ad ultimum finem, nullumque esse actum bonum, qui ad ultimum non referatur: sed hujus Doctoris sententiam satis refutavimus sect. 4. subsect. 5. ubi videnda sunt eius, & aliorum argumenta.

SUBSECTIO TERTIA.

Utrum actus internus habeat bonitatem à solo fine.

474. Gravissima est hæc quæstio, pro cujus explicatione suppono primo eleemosynam versari duobus modis circa media: primo enim versatur circa media, quæ amota ratione medii, & utilitate relata ad finem secundùm se nullam habent bonitatem nec utilitatem, quæ propter se amari possint; secundo versatur circa media, quæ secundùm se amari possunt, & intendi possunt tamquam fines propter se. Quæstio igitur non procedit de electionibus primo modo, etenim cum illarum objecta sint omnis bonitatis moralis expertia, non possunt illis communicare aliquam bonitatem, sed omnem recipient à fine extrinseco, ut in simili casu diximus de bonitate desumpta ex objecto indifferente supra sect. 5. subsect. 1.

475. Secundò omnem actum propter finem, vel esse electionem, vel intentionem; electio habet pro objecto medium, quod ordinatur ad finem, intentio verò habet pro objecto ipsummet finem: Unde finis qui est extrinsecus respectu electionis, est intrinsecus respectu intentionis.

476. Tertio, duplex dari genus electionum: quædam enim versantur circa objecta ut sunt media volita propter finem, non verò propter ipsorum propriam honestatem; eliguntur enim illa media, quia utilia sunt ad finem; & has electiones appello puras, quia non feruntur in propria objecta propter ipsa, sed propter finem; quædam verò electiones versantur circa objecta, non tantum quia utilia sunt media ad finem, sed etiam propter ipsorum bonitatem, & has electiones appello non puras, quia licet eliciantur à voluntate propter finem, & ut sic subeant munus electionum, adhuc tamen tendunt in propria objecta propter ipsa, & subeunt munus intentionum.

477. Exemplo res fiet clara. Intendit quis satisfacere Deo pro peccatis, satisfactio peccatorum est finis intentus intrinsecus, respectu intentionis, quæ ab eo ut ab objecto formali specificatur; extrinsecus, respectu electionis: & hæc intentio elicitur ex virtute pœnitentiæ: ex hac intentione hujus finis movetur voluntas ad eligendum medium assequutioni illius finis necessarium, eligitque eleemosynam, quæ actus externus est, & objectum actus interioris, nimirum electionis: unde semper debent versari tres actus in hac materia: primus, intentio, elicitus à virtute pœnitentiæ, & volitio sive electio eleemosynæ elicita à virtute misericordiæ, & imperata à virtute pœnitentiæ: denique largitio eleemosynæ, quæ objectum est electionis, ex qua sequitur, eliciturque à potentia executiva. Duobus ergo modis illa volitio, quæ electio est, potest versari circa eleemosynam. Primò, ita ut voluntas per se & formaliter velit eam eleemosynam, quam judicat honestam & medium accommodatum propter pœnitentiam, non tamen expresse, & for-

maliter velit illam eleemosynam propter intrinsecam bonitatem & bonestatem ipsius eleemosynæ, & boc modò appello eam electionem puram, eò quòd versatuc circa eleemosynam tantummodo, ut est medium utile ad finem. Secundo, ita ut volnntas per se & formaliter velit eleemosynam propter ipsam honestatem eleemosynæ, & insuper sic volitam intendat propter pœnitentiam: & boc modo appello eam electionem non puram, quia non tantum versatur circa eleemosynam ut est medium utile ad finem, sed etiam intendit ipsam eleemosynam ut finem: da utraque igitur electione est quæstio, & circa utramque expedienda est difficultas.

DIFFICULTAS PRIMA.

Expenditur diffifultas de electione pura.

478. QUæritur utrum electio pura à solo fine habeat bonitatem, vel utrum electio pura præter eam bonitatem quam cecipit à fine, nullam aliam habeat bonitarem ex objecto? Respondetur negative: ita Doctores, qui hac disputatione sect. 4. subsect. 7. asseruerunt non cequiri ad bonitatem formalem actus, quod objectum sit volitum expresse & directè propter ptopriam honestatem; sed sufficere, quod per se, & formalitec actus tendat in honestatem objecti: sive ut loquitur Scotus quodlibet. 17. in fine, *quod elicitur conformiter rationi*: quam etiam doctrinam videntur probare plurea Doctores, qui asserunt actum ex bono objecto & bono fine habere duplicem speciem bonitatis, unam ex fine, alteram ex objecto, de quo in hac sect. subsect. 4. In nostro sensu hanc sententiam tuentur Cupensis in suo cursu Theologico tom. 1. tract. de bonitate, & malitia, disp. 2. sect. 3. n. 15. Perez lect. 1. examinis p. 3. à cap. 20. n. 72.

Scotus.

479. Probatur primo à priori nostra sententia. Studium ut medium est utile voluntari ad finem, est per se, & formale objectum voluntatis pec bonitatem intrinsecam in ipso medio inhærentem; ergo specificat aliquem actum (ex objecto enim actus specificatur) atqui medinm non specificat intentionem (hujus enim specificativum est finis) ergo specificat electionem, quæ versatur circa media.

480. Antecedens in quo est difficultas exprimitur expresse ab Angelico Doctore 1. p. quæst. 83. articul. 3. ubi sic: *proprium objectum electionis est illud quod est ad finem*, quod repetit 2. 2. quæstio. 22. de veritate articul. 15. prim. part. quæst. 19. articul. 4. & aliis in locis, & ideo communitec defenditur à Thomistis. Aluares disput. 43. Montesin. dispur. 1. 2. quæst. 2. à numer. 34. Lorca disput. 5. membro 3. Cornejo tract. 6. disput. 5. dub. 1. Carmelitani 1. 2. tract. 8. disput. 2. dub. 4. §. 2. numer. 74. quamquam dubio 3. numer. 8. appellet *media* objecta materialia, ut etiam dubio 3. §. 3. numer. 53. quod quidem videtur inconstantec dictum; cum enim fateantur citato dub. 4. numer. 74. & tom. 1. in part. 1. tract. 5. disp. 2. n. 62. in mediis dari multiplicem rationem formalem objectivam, specificativam & distinctivam diversorum actuum voluntatis, ut sunt electio, usua, &c. sine fundamento asseverant on esse objecta formalia.

D. Thom

481. Eandem sententiam tuetur subtilis Doctor in primo dist. 1. qu. 1. numer. 5. vers. *tertium* & quæst. 3. numer. 2. vers. *quantum*, & distinct. 41. quæst. unica numer. 14. vers. *ad 2.* quem sequuntur communiter discipuli, præcipue Rubion. in 1. dist. 3. q. 3. Rada contiov. 2. art. 2. Sosa diff. 15. §. 2. & 3. ex aliis Vasques disp. 1. cap. 2. Granad. controv. 1. disp. 3. n. 3. & disp. 6. sect. 3. n. 25. Salas tract. 1. disp. 7. sect 2. præcipue n. 21. & alii quamplures.

Scotus.

482. Probatur autem antecedens quoad singulas partes. Et primò, *quod medium sit objectum per se*, pater, quia in eo distinguitur objectum per se ab objecto pec accidens, quod voluntas in objectum per se fertur expresse & directè, non vero in objectum per accidens; in hoc enim potentia non tendit directè, sed in aliquid quod ei accidentaliter est conjunctum; Verbi gratia si potentia tactua tangat substantiam, substantia est objectum per accidens tactus, quia tactus per se primò factur in quantitatem, cui per accidens substantia est conjuncta: atqui volnntas primo expresse & directè per electionem vult media; ergo media sunt objecta per se electionis. Minor probatur, quia quantumvis electio sit propter gloriam, negari tamen non potest, quod per se, & primario tendat in gratiam, quæ est medinm ad gloriam.

483. Confirmatur primò. Sicut in voluntate sunt tres actus circa finem, scilicet, intentio, fruitio, & simplex volitio, ita etiam circa media sunt alii tres actus, nimirum electio, consensus, & usus; ergo media sunt objecta per se volibilia. Antecedens traditur communiter à Philosophis, & Theologis, consequentia optima est, quia diversitas actuum non desumitur ex objecto per accidens, sed ex objecto per se: atqui electio est actus distinctus ab intentione, ut suppono; ergo ut intentioni repondet objectum per se, ita etiam electinni respondebit objectum per se, & cum objectum intentionis sit finis, electionis verò medium, ut finis est objectum pec se intentionis, ita medium erit objectum per se electionis. Minorem probo, quia ideo in sensibus non dantuc diversi actus circa substantiam & qualitatem, quin substantia est objectum per accidens, ex quo nulla potest dari diversitas in actibus.

484. Confirmatur secundò, quia ut se habent media ad finem, ita conclusionea ad principia, sed conclusiones sunt per se objecta intellectus; ergo etiam media erunt per se objecta voluntatis; non enim quoad hoc requiri potest diversa ratio inter actus intellectus, & voluntatis.

485. Dices cum Medina, & Conrado 1. 2. q. 1. art. 1. medium esse objectum per accidens non pec se, primò ex Philosopho 2. Physicorum cap. 3. ubi docet finem esse objectum voluntatis, & 2. Ethicorum cap. 7. ubi docet finem esse objectum; eademque est sententia D. Th. 1. 2. q. 1. art. 1. ubi docet finem esse objectum voluntatis, atqui potentia non potest ferri extra suum objectum; ergo cum finis sit objectum voluntatis, non potest medium sortiri rationem objecti respectu illius. Respondetur Philosophum & Angelicum Doctorem loqui de objecto principali, non vero de objecto totali & adæquato voluntatis, ut constat ex locis citatis n. 480. ubi docent media esse objecta electionis, quæ doctrina stare non potest, si finis fuerit objectum totale & ita se explicat Angelicus Doctor q. 22. de veritate art. 13. ad 9. dicens: *Dicendum quod quamvis voluntas sit principaliter de fine, ex eo quod ea quæ sunt ad finem non desiderantur nisi propter finem, nihilominus tamen voluntas est eorum etiam quæ sunt ad finem.*

Aristot. D.Thom.

486. Secundo, quia ideo substantia est objectum per accidens sensus, quia sensibilis est ratione quantitatis, vel qualitatis: ergo similiter media erunt

objecta per accidens voluntatis, quia amabilia suot ratione finis. Respondetur negando consequentiam, quia sensus non tendit in substantiam, sed in quantitatem val qualitatem, & ratione quantitatis, vel qualitatis tendit iu substātiam; electio verò tendit primò & per se in medium, ut in objactum, licet in illud tendat propter finem, nam illa particula, *propter*, denotat causalitatem finalem, non formalem, & per consequens solum indicat in mediis non asse bonitatem absolutam, sed relatam ad finem.

487. Instabis: Bonitas volita medii tantum convenit medio, ut medium est: sed medium oon est medium, nisi quatenus ordinatur ad finem: ergo omnis bonitas relata medii provenit ex ordine ad fioem; ergo bonitas per accidens, & non per se, convenit medio. Respondetur negando ultimam consequentiam; & ratio est, quia licet illa bonitas conveniat medio ex ordine ad finam, tamen ei convenit ratione sui, hoc enim proprium est omnium entium relatorum traoscendentalium, omnia enim habent bonitatem per se & propriam, licet illam habeant per ordinem ad finem, vel aliud.

488. Urgebis: Relativa quatenus talia, non dicunt aliquam bonitatem, ut communiter traduot Doctores in materia de Trinitate: atqui medium est relativum respectu finis: ergo nullam habebit bonitatem. Respondetur distinguendo Majorem: relativa prædicamentalia, transeat Major, dubitatur enim inter Auctores an prædictæ relationes prædicamentales aliquam dicant perfectionem; probabiliter enim hoc negari poterat ex effectu: transcendentalia, nego majorem: media autem sunt relativa transcendentalia, quæ absolutè sunt aliquid absolutum, & non pure relativum, ut patet in materia prima, & actibus potentiarum.

489. Secundo probatur principale antecedens, quod scilicet sit objectum formale: quia media habent bonitatem propriam, & intrinsecam; ergo si per se, & immediatè terminant actum voluntatis, proculdubio erunt objecta formalia: Consequentia est certa, quia ex ea ratione Pater Suar. negat media esse objecta formalia voluntatis, quia non habent propriam, & intrinsecam bonitatem. Antecedens verò probatur, quia utilitas est aliquid formaliter inhærens mediis; ergo etiam bonitas: utilitas enim ista, bonitas est ex communi divisione boni in bonum honestum, utile, & delectabile, quam probat Philosophus 8. Ethicorum cap. 2. & cum eo omnes Theologi, expressitque Angelicus Doctor 1. 2. q. 8. art. 2. 1. p. q. 83. art. 2. ubi ita: *Proprium obiectum electionis est illud, quod est ad finem, hoc autem in quantum huiusmodi habet rationem boni, quod dicitur utile*: eadem habet quæst. 1. de malo articul. 1. & 1. contra gentes cap. 40. 2. 2. quæst. 33. articul. 6. ad 3. & in 2. distinct. 21. q. 1. art. 3. & alibi. Antecedens patet, quia ista utilitas nihil aliud est, quam intrinseci medii proportio ad coosequendum finem, id est, entitatis ipsius perfectio relata ad finem: atqui illa proportio, & ipsa entitas sunt intrinseca medio; ergo medium habet bonitatem propriam intrinsecam.

Aristot. D. Thom.

490. Confirmatur primò: Illud est objectum formale, quod actus directè, & formaliter, & ut quod attingit: atqui electio non attingit directè finem; sed medium: ergo medium objectum formale quod, electionis est: Minor constat tum quia intentio versatur immediatè & primariò circa finem, & electio circa medium: hoc enim est utriusque actus differentia, tum quia actus denominat objectum, quod primario & formaliter attingit: atqui non denominat finem, sed medium, non enim finis dicitur electus, sed intentus, medium autem dicitur electum, & non intentum, quia esse intentum est denominatio proveniens ab intentione, quod convenit fini; esse verò electum est denomioatio proveniens ab electione, quod convenit medio, tamquam objecto formali, in quod tendit formaliter & directè ipsa electio.

491. Confirmatur secundo, quia media vel sunt utilia ad finem, ut ejus causæ efficientes in executione, veluti sanitas, quæ est finis medicamentorum in intentione, & effectus eorum in executione; vel sunt media simul, & effectus in genere causæ efficientis ipsius finis; veluti creaturæ, media sunt ad ostendendam divinam omnipotentiam, cujus sunt effectus in genere causæ efficientis: atqui ratione propriæ entitatis, dicuntur hæc media utilia; ergo hæc media, ut utilia, habent propriam bonitatem. Minor probatur, quia media, quæ simul sunt causæ efficientes, habent vim intrinsecam causativam finis in executione, ut medicamenta respectu sanitatis; creaturæ etiam per suam entitatem utilia media sunt, quo enim creatura est perfectior & melior, eo utilius medium est ad ostendendam divinam bonitatem, & omnipotentiam.

492. Confirmatur tertio, quia si media non haberent bonitatem propriam intriosecam, ut media sunt, sequeretur quod omnia media essent æqualiter bona, & utilia ad finem consequendum: hoc autem est absurdum, actus enim charitatis, vel martyrii, utilius medium est ad consequendam beatitudinem, quam quilibet actus alterius virtutis inferioris. Sequela verò probatur, quia si media solum habent bonitatem ex fine, & nullam in se, omnia media erunt æqualia, si quidem finis, idem est, & bonitas finis, eadem.

Dices primo cum Suar. in Metaphysica disput. 10. sect. 2. numer. 22. & disput. 23. sect. 6. ubi asserit media, qua media, esse tantum objecta voluntatis materialia; formalia verò, esse fines. Primo quia sublato fine aufertur utilitas mediorum; ergo tota bonitas mediorum, est bonitas finis. Antecedens probat, quia sublato morbo, nulla est utilitas in medicamento. Respondetur distinguendo antecedens: tollitur utilitas actualis, concedo; utilitas potentialis, siva virtualis, nego: namque in actu primo remanet utilitas ad alium finem similem. Deinde, dato antecedente, non sequitur consequentia, sed sequitur hoc; ergo bonitas mediorum est relata ad finem, quod commune est omnibus relatis, ut sublato termino tollitur relatio; non sequitur; ergo relatio nullam habet entitatem, sed sequitur; ergo relatio est per ordinem ad terminum.

493. Secundò, Media non movent nec alliciunt voluntatem; ergo non sunt objecta formalia illius. Antecedens probatur, quia movere voluntatem est propria causalitas finis: Respondetur negando antecedens: quamvis enim non alliciant voluntatem propter se, alliciunt tamen propter finem. Ad probationem distinguo antecedens: movere voluntatem primariò, principaliter, ac simpliciter propter se, est causalitas finis; concedo ant. secundariò & propter aliud, nego antecedens, quæ est solutio D. Thom. q. 21. de veritata art. 1. & quæst. 1. da malo art. 2. D.Thom.

494. Tertio, Actiones humanæ immadiatè sunt propter finem; atqui electio est actio humana; ergo est propter finem. Respondetur, concedo totum, sunt enim propter finem, & circa ea quæ sunt ad finem: immediatè tamen

& primariò circa ea, quæ sunt ad finem, quæ sunt media.

495. Quarto, Imago est medium adorandi Prototypum; sed in imagine nulla est formalis bonitas, & intrinseca, quæ terminet adorationem, sed tantum est bonitas extrinseca ipsius Prototypi; ergo similiter in mediis tantum erit bonitas extrinseca finis. Major probatur, quia Imago non adoratur quia imago est, aut quia in se habeat aliquam sanctitatem, sed quia repræsentat Sanctum. Respondetur 1. cum Vasquio, Sosa & aliis, negando Majorem, quia imago non adoratur, sed adoratur Prototypus; cum enim adoratio sit servitus, & submissio quæ ad exemplar tendit immediatè, tota est ad exemplar in imagine repræsentatum, non enim bonitas picturæ, aut lapideæ statuæ, sed Sancti repræsentati movet ad adorandum. Respondetur secundo cum Montesino & aliis, negando Minorem, quia adoratio non solum terminatur ad Prototypum, sed etiam ad imaginem cum illo conjunctam, ideo etiam imago excellentiam quamdam habet, quæ licet non moveat primariò & principaliter & æqualiter, tamen movet ut repræsentat sanctum.

496. Alia argumenta desiderantur, sed cum hoc punctum pertineat ad quæstionem primam primæ secundæ, ad eum locum reservanda est eorum solutio, ex dictis etiam possunt aliqualiter expediri. Hoc fundamento jacto, & quod non requiratur ad bonitatem formalem, quòd honestas propter se sit appetibilis, non video cur electio puta non sit intrinsece bona & honesta, siquidem medium est illius objectum per se, & formale specificativum, à quo necessariò desumere debeat aliquam bonitatem.

497. Sed quia multi admittunt medium esse specificativum electionis in genere naturæ, & non in genere moris, ut omnis removeatur scrupulus, secundò probanda est sententia in genere moris: quia *actuum & habituum idem est specificativum*, ut enim actus, ita & habitus per objecta specificantur: atqui virtutes, quæ imperantur propter charitatem in genere moris, habent bonitatem distinctam specie à charitate; ergo etiam actus. Minor probatur, quia si quem propter Deum pœniteat de peccatis, iste dolor est actus elicitus à virtute pœnitentiæ, siquis etiam speret propter summam Dei dilectionem, erit actus spei, & sic de aliis, aliter jam omnes virtutes, si imperantur à charitate, essent ejusdem speciei infimæ, quod neutiquam admittendum est.

498. Tertio; Latria & dulia distinguuntur inter se specie, & tamen qui exhibet honorem Sanctis propter Deum, exhibet honorem per adorationem duliæ, & non latriæ; ergo similiter, si quem pœniteat de peccatis propter Deum, erit per actum distinctum à charitate. Minor probatur, quia ille honor exhibitus Sanctis, specificatur à sanctitate Sancti, & non à sanctitate Dei, propter quam adoratur; ergo electio specificabitur à medio, licet medium sit propter charitatem.

499. Quarto; Charitas est forma virtutum; ergo quando virtus elicitur propter charitatem, habet propriam bonitatem desumptam ab objecto, & non tantum bonitatem desumptam à fine, sive à charitate. Antecedens est commune axioma Theologorum. Consequentia probatur primò, quia *forma supernaturalis non destruit, sed perficit* subjectum, ut etiam communiter traditur à Theologia. Secundò, quia si electio non est actus virtutis diversæ speciei à charitate, non potest informari, & perfici ab ipsa, siquidem *idem non perficit seipsum*.

500. Quinto, quia sequeretur non esse melius, nec actum magis meritorium eligere opera perfectionis virtutis ad finem charitatis verbi gratia, vel pœnitentiæ, quam eligere opera indifferentia, vel imperfectioris virtutis, hoc autem absurdum est, & contra communem Ecclesiæ praxim, ac sanctorum Patrum, & Theologorum sensum; ergo & illud ex quo sequitur. Sequela probatur, quia iuxta contrarios in illis electionibus nulla alia datur bonitas, quam finis, & per consequens cum finis sit idem circa diversas electiones, æqualis bonitas erit in omnibus illis; cum enim ex objectis propriis virtutum, non communicatur alia bonitas electionibus, sed tantum à fine, qui est idem, eadem, & æqualis bonitas erit in omnibus, & non erit magis meritorium eligere unum medium, quàm aliud.

501. Respondent Suar. sect. 2. num. 54. sect. 5. num. 17. Vasquez disput. 51. cap. 2. num. 15. §. *sed objicias*, verum esse cæteris paribus, magis meritorium esse & melius, eligere opus melioris virtutis, sed hoc non oriri ex eo quod electio habeat aliquam peculiarem bonitatem ex objecto, sed ex eo quod cum medium illud sit magis idoneum ad finem charitatis, facit intentionem meliorem.

502. Sed contra arguunt Montesin. & Cornejo: Vel illud medium habet aliquam peculiarem bonitatem, vel non: si primum, habetur intentum: si secundum, ut asseritur; ergo non habent majorem idoneitatem. Probatur ista illatio, quia illa major præstantia vel idoneitas, quam actus perfectionis virtutis habet supra inferiorem, vel proveniret ab objecto, vel à fine; si secundum, cum finis sit idem, jam æqualis foret idoneitas in actu superioris virtutis, ac inferioris, imo & in actu indifferenti: si primum, ergo ab objecto proprio, id est, à medio, electio propriam recipiet bonitatem, siquidem ab illo in esse moris specificatur, & ab illo provenit illa major præstantia.

503. Confirmatur, quia ideo medium est aptius, quia actus circa illud est præstantioris bonitatis; ergo vel naturalis, vel moralis; non naturalis, quia bonitas naturalis instrumenti non auget bonitatem moralem actionis; quid enim interest occidere hominem ense aureo aut ferreo, furari pecunias alienas calculis argenteis, aut aureis? Tum quia bonitas naturalis cum non sit meritoria, nec moralis, non est instrumentū, nec medium aptum, aut utile ad finem moralem charitatis. Si secūdum, ut dicendum est; ergo iam actus ille, sive electio est bona moraliter inter genus propriæ virtutis: aliter cum Danielis 4. Tobiæ 4. & Ecclesiastes 3. Daniel. 4.
iubemur redimere eleemosynis peccata nostra, Tobiæ 4.
homo non redimeret peccata sua per eleemosy- Ecclesiastes 3.
nam, sed per pœnitentiam, siquidem ille actus, si totam bonitatem haberet ex fine, & non ex objecto, foret actus pœnitentiæ, & non eleemosynæ.

504. Dices bonitatem illam medij esse quidem moralem, non tamen diversæ speciei ab ea, quæ ex fine communicatur electioni, eo quod finis communicat majorem bonitatem medio, quia ex intentione finis, aptius eligitur medium; verbi gratia, quia martyrium cedit magis in gloriam Dei quam ieiunium, ideo electio martyrii habet majorem bonitatem ex fine, quam electio iejunii. Sed contra, quia finis, ut supponitur, semper est idem; ergo non potest majorem bonitatem com-

monicare uni, quàm alteri medio juxta illud commune proloquium, *idem manens idem, semper facit idem.*

505. Ultimo probatur nostra sententia ab absurdis, quæ ex opposita sequuntur. Sequitur enim primò justum nunquam posse habere actum vivæ fidei. Probatur sequela, quia actus fidei vivæ ordinatur in Deum ut in finem, qui objectum etiam charitatis est; ergo si ille actus ex fine solum desumit bonitatem, non erit actus fidei vivæ, sed charitatis.

506. Sequitur secundo, in justificatione peccatorum non dari tres actus, fidei, spei, & pœnitentiæ, sed tantum unum, & hunc solum charitatis; hoc autem est contra Trident. sess. 6. cap. 6. & can. 3. sequela autem patet, quia omnes illi tres actus eliciuntur ex imperio charitatis; ergo cum juxta oppositam sententiam, omnes illi actus nullam habeant aliam bonitatem, præter bonitatem finis, à quo imperantur, evidenter sequitur non esse actus diversarum virtutum, sed tantùm unius charitatis. Trident.

507. Sequitur tertio, numquam virtutem pœnitentiæ habere proprium actum: hoc autem quid absurdius? Sequela ostenditur, quia ut pœnitentia sit virtus & meritoria non debet esse informis, sed formata, conjuncta scilicet cum charitate, elicitaque ex ejus imperio; ergo semper illa electio pœnitentiæ erit actus charitatis, cum nullam aliam habeat bonitatem præter bonitatem finis. Ex quo etiam sequitur propter eamdem rationem, dona Spiritus sancti non habere proprium actum, omnesque virtutes, præter charitatem, esse otiosas in justis, cum omnia habeant necessariam connexionem cum charitate.

508. Sequitur quarto, charitatem non esse formam virtutum, sed accidens violentum tollens de medio omnes earum operationes, illasque impediens à consequutione finis. Sequela probatur, quia ideo charitas dicitur forma virtutum, quia perficit virtutes; atqui eas perficere non potest, nisi perficiendo earum actus; ergo si nulli actus eliciuntur ab his virtutibus, sed tantum eliciuntur à charitate, charitas non perficiet virtutes, sed tamquam quid violentum eas destruet, illisque melius esset, propter proprium finem, quam propter charitatem operari.

509. Sequitur quinto, & efficacius, actum fidei informis, & formatæ, esse diversæ speciei essentialis: hoc autem est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Sequela probatur, quia actus fidei informis & formatæ, habent diversa specificativa formalia, nam actus fidei informis non à fine, sed à suo proprio objecto formali specificatur, actus verò fidei formatæ juxta contrarios, non ab objecto formali, sed à fine specificatur. Minor autem probatur, quia jam in peccatoribus & justis fides esset diversa in specie, & non eadem contra illud Pauli: *una fides, unum baptisma.*

510. Sequitur ultimo, in Christo Domino nullam aliam fuisse virtutem, præter unicam virtutem charitatis, nullasque acquisivisse virtutes propriis actibus, quod tamen abhorret à communi sensu fidelium. Sequela probatur, quia Christus Dominus nullum actum exercuit virtutis, quem ex perfectissima charitate non ordinaret in Deum, ut in finem ultimum; cum ergo omnes illi actus nullam habeant bonitatem virtutum particularium, sed tantum charitatis, propter quam eliciebantur, evidens est quod nulla alia virtus fuit in Christo præter unam virtutem charitatis, & quod illi actus nullam virtutem produxerunt, siquidem non erant actus virtutum particularium, sed charitatis.

511. Multa alia absurda afferuntur contra oppositam sententiam ab Araujo, Cornejo, Montesin. & aliis quibus omnibus supersedeo, hæc enim satis ostendunt sententiam, quæ docet electiones non desumere bonitatem à propriis objectis, sed tantum à fine, à quo imperantur, non esse probabilem.

Solvuntur argumenta contraria.

512. Contrariam sententiam tenaciter sequuntur Doctores qui supra numero 571. docuerunt ad honestatem actus requiri, quod honestas objecti esset propter se, formaliter & expressè volita, & in specie: præ aliis eam sequuntur Vasques disp. 51. cap. 3. & disp. 73. cap. 7. Suar. disp. 6. sect. 3. n. 3. videtur etiam sententia D. Thom. Hurtado in suo præcursore Theologico disp. 3. de intensione charitatis controv. 2. memb. 3. quatenus asserit sine charitate virtutes non esse veras, & charitatem dici formam virtutum, quia sine charitate omnes sunt mortuæ.

513. Probant primo authoritate Philosophi, qui asserit virtutem non esse talem, nisi sit volita propter ipsam; cum ergo medium sit volitum propter aliud, simulque electio, non habebit electio bonitatem ex medio, sed ex fine. Hoc argumentum proposuimus supra numero 180. & solvimus, solutioque ibi data, optima est. Addi etiam potest solutio Almaini in 3. dist. 23. q. 1. art. 1. nimirum quod particula (*propter ipsam*) referat scientiam, & electionem, non verò honestatem, idest, non sufficit quod virtus sit ex electione, & scientia sed (*propter ipsam*) idest prudentiam, optimè enim fieri potest quod stante recto dictamine donetur propter aliam causam. Et hoc est fundamentum unicum, quod Vasques affert in patrocinium suæ sententiæ. Aristot.

514. Secundo arguit Suar. Finis est objectum formale actus interioris, medium autem est objectum materiale: atqui ex dictis sectione sexta, subsectione quarta à numero 270. honestas non sumitur ab objecto materiali, sed à formali: ergo electio non aliquam bonitatem ex medio, sed omnem ex fine desumit. Majorem supponit, & probatur, quia finis est forma determinans medium; ergo medium est objectum materiale, & finis formale. Respondetur negando Majorem, ut constat ex dictis in hac subsect. in prima probatione; tam enim finis, quam medium sunt objecta formalia actuum voluntatis, finis intentionis, medium electionis: nam finis non est objectum formale specificans electionem, sed intentionem, aliter intentio & electio forent idem numero actus. Ad probationem distinguo antecedens: est forma accidentalis, mediata, & extrinseca, concedo: essentialis immediata, nego: primatio enim & immediate determinat intentionem, mediatè verò electionem & medium.

515. Tertio arguit idem Suar. Illa electio elicitur à virtute, quæ respicit finem; ergo pertinet ad virtutem finis, & per consequens non habet bonitatem ex proprio objecto, actus enim debet pertinere ad habitum à quo elicitur. Antecedens patet, quia illa electio fit intuitu finis; ergo elicitur ab habitu circa finem. Hoc argumen-

tum difficile est, & solutum manet supra à n. 183. usque ad numerum 89. & conformiter ad id, quod ibidem diximus, respondeo negando antecedens, quia ille actus electionis elicitur à propria virtute, & generat habitum ejusdem virtutis.

516. Quod autem hoc verum sit, probatur primò ex eo quod volitio tolerandi mortem propter Deum non elicitur nisi à virtute fortitudinis, ad quam solam pertinet formare hominem in bono contra mortis pericula, quæ offeruntur in bello communi, aut particulari, aut simili casu: aliter si sufficeret habitus charitatis, jam in omnibus, qui Deum diligerent inveniretur iste animus moriendi pro Christo, & tolerandi mortem, cum tamen non ita sit.

517. Secundò, quia si actus martyrii, verbi gratia, à charitate eliceretur, jam impropriè à
Ad Hebr. 11. Doctore gentium ad Hebræos 11. dicerentur martyres *fortes in bello*, vel enim hoc esset speciale martyribus, vel commune omnibus diligentibus Deum: si commune, jam illa laus non esset propria Martyrum, sed æqualiter omnes dicerentur fortes, cum tamen non omnes possint dici *fortes in bello*, id est, Martyrio, sed tantum martyres, de quibus loquitur Paulus: ac proinde illis attribuitur fortitudo, ut quid speciale, cum tamen hoc foret impropriè dictum, nam juxta contrarios, actus martyrii non est actus fortitudinis, sed charitatis.

518. Tertiò, quia ut fatetur Suar. sect. 5. numero 10. virtus elicit actum similem; ergo actus fortitudinis vel pœnitentiæ non potest elici à charitate; sed vel à virtute pœnitentiæ, vel à virtute fortitudinis, his enim virtutibus, non charitati, similes sunt illi actus.

519. Quartò, ad exercendum actum martyrii non sufficit habitus charitatis; ergo cum non possit elici ab habitu fortitudinis & charitatis: elicietur à fortitudine, & imperabitur à charitate. Antecedens probatur, quia in actu sustinendi mortem propter quemcumque finem, reperitur specialis difficultas, quæ non reperitur in amore Dei, vel alia virtute; atqui hæc difficultas vinci nequit à charitate; ergo necessario ponendus est habitus fortitudinis, à qua vincatur. Minor probatur quia quando reperitur specialis difficultas ex parte actus, necessariò ex parte principii ponenda est nova virtus, siquidem hæc circa difficile versatur. Minor autem probatur, si sola charitas sufficeret ad vincendam illam difficultatem, jam frustra multiplicarentur virtutes, & in homine habente charitatem solus unicus habitus charitatis reperiretur, ac proinde cum quælibet virtus habeat speciale objectum, & rationem formalem, etiam habebit specialem difficultatem, quæ ab illa sola vinci possit.

520. Ex quibus dictis constat actum virtutis non elici à virtute circa finem, sed à virtute, quæ versatur circa objectum immediatum; imperatur igitur electio ab intentione finis, & elicitur à virtute propria, & consequenter duplicem habebit bonitatem, unam ex actu imperii, alteram ex habitu à quo elicitur; solùmque ille actus dicetur actus charitatis, verbi gratia, accidentaliter, ut infra disserendum est: quæ est
D.Thom. expressa doctrina D. Thom. 22. quæst. 124. art. 2.

521. Instabis: Idem habitus sufficit ad finem & media; ergo habitus qui versatur circa finem, versabitur circa media; ergo electio elicietur non ab habitu propriæ virtutis, sed ab habitu qui versatur circa finem. Respondetur distinguendo antecedens: idem habitus sufficit ad media, & finem, si in mediis non detur specialis difficultas, concedo; si detur specialis difficultas, nego: inde enim oritur quod multoties quis intendit finem, & tamen ab intento fine desistit propter difficultatem mediorum, quæ difficultas cum pertineat ad aliam virtutem diversam à virtute finis intenti, vinci nequit ab habitu virtutis ejusdem finis.

522. Inferes: Ergo tot habitus producentur, quot prævidentur honestates, & tot honestates refundentur in actum, quot sunt prævisæ. Respondetur de hoc argumento satis actum esse in superioribus sect. 5. subs. 11. à n. 183. concedo enim illationem, si illæ honestates fuerint prævisæ per se formaliter, directè & expressè: in quo non apparet major repugnantia, quam reperitur in actibus malis, in quibus tot malitiæ reperiuntur juxta contrarios, quot fuerunt prævisæ, & volitæ.

523. Urgebis: Si ex eo quod objectum bonum per se est volitum, electio circa illud elicitur à virtute propria illius objecti, & non à virtute finis, etiam si quis propter vanam gloriam jejunet, electio jejunii elicietur à virtute temperantiæ, & non à vitio inanis gloriæ: atqui hoc est falsum; cum enim illud jejunium sit malum, non elici potest à virtute, sed à vitio; ergo absolutè dicendum est, quod electio elicitur ab habitu finis, non ab habitu proprii objecti. Major patet, quia jejunium per se, & formaliter est volitum. Respondent quidam ut Araujo citatus in fine dubii, illud jejunium esse actum virtutis materialiter & ex objecto. Sed melius respondendum est negando Majorem, quia illud jejunium non est bonum; imo omnino malum eo quod non suscipitur secundùm regulas prudentiæ, nec conformiter rectæ rationi, & ideo cum non sit actus virtutis, à virtute elici non potest.

524. Quarto arguer: Quando quis vult martyrium propter Deum, non vult honestatem martyrii, sed honestatem charitatis; ergo illa electio martyrii tantummodo habebit bonitatem charitatis. Antecedens probatur, quia, ut objectum refundat bonitatem in actum, debet esse honestum: atqui martyrium ut est medium circa finem, sive ut est objectum electionis, non est honestum, sed utile; ergo electio non habet bonitatem nisi ex fine charitatis. Respondetur negando antecedens, ad probationem nego Minorem, illud enim objectum electionis, nimirum Martyrium quamquam sit utile, etiam est honestum, voluntasque eligit honestatem utilem.

525. Instabis: Utile ut utile amari nequit propter se: atqui martyrium amatur (in forma argumenti) ut utile; ergo non potest refundere bonitatem in actum. Respondetur, transeat Major, negatur consequentia, non enim colligit, sed colligit hæc; ergo non amatur propter se, & tunc conceditur totum argumentum, nam ad refundendam bonitatem in actum non requiritur, quod honestas objecti ametur propter se, sed sufficit quod ametur per se.

526. Quinto argues argumento Vasquii disp. 51. cap. 2. n. 9. Omne medium volitum per electionem, est volitum sub honestate finis; ergo solus finis tribuit honestatem illi electioni. Antecedens probatur, quia vel media habent aliquam bonitatem propriam, vel non; si secun-

dum, à solo fine eam habebit: si primum, non accipit illam bonitatem à medio. Respondetur distinguendo antecedens: omne medium volitum per electionem, est volitum sub ratione honestatis finis, tantum, nego; etiam, concedo: est enim volitum sub ratione proprii objecti propter finem: inde si media nullam habeant bonitatem, accipiet electio primam, & essentialem à fine, ut diximus sect. 6. subsect. 5. in octavo argumento: si verò media habent propriam honestatem, electio accipiet bonitatem à mediis, & à fine.

527. Sexto argues: Præmium essentiale gloriæ respondet bonitati electionum; atqui illud præmium solum debetur actibus charitatis; ergo bonitas illarum electionum, solum est bonitas charitatis. Minorem probat latissime Thomas Hurtado citatus, ostendens esse doctrinam Angelici Doctoris, & omnium sanctorum Patrum. Respondetur primo negando Majorem, quod satis probabiliter defendit citatus Thomas Hurtado disp. 3. citata, de intensione charitatis per actus remissos, nam præmium essentiale solum debetur illis electionibus in quantum imperantur à charitate, & sunt actus charitatis accidentaliter: nam bonitati essentiali ex objecto, quæ datur in illis electionibus correspondet præmium accidentale.

528. Respondetur secundo, & probabilius negando Minorem, quæ est opinio Vasquii 1. 2. disp. 121. Taneri 1. 2. disp. 6. q. 6. dub. 4. Lorca sect. 3. de gratia disp. 48. Suar. lib. 5. de gratia cap. 8. n. 9. Torres 1. 2. disp. 99. Valmansedani tenaciter 2. 2. disp. 144. Illud enim præmium essentiale correspondet omni virtuti, & honestati meritoriæ, & non tantum actibus charitatis, aliter cæteræ virtutes, una excepta charitate superfluæ essent in homine.

DIFFICULTAS SECUNDA.

Expeditur dubium de electione non pura.

529. Facilior est resolutio hujus difficultatis suppositis dictis in superiori. Respondeo enim electionem non putam accipere bonitatem ex proprio objecto: credo hanc esse communem sententiam, quam defendunt Doctores, qui supra numero 170. docent ad bonitatem formalem non esse necessarium, quod propter se intendatur, simulque qui oppositum affirmant in terminis, Suar. citatus n. 9. Montesin. disp. 23. q. 5. ubi §. 2. ostendit esse sententiam D. Thom. Araujo q. 18. art. 6. dub. unico n. 57. §. 2. optime Granad. tract. 10. dub. 6. sect. 3. n. 28. Cornejo disp. 5. dub. 5. n. 6. §. *sed respondetur*, Maldérus q. 18. art. 6. disp. 76. licet enim non explicet in quo sensu loquatur, in hunc sensum magis inclinat: Rua controvers. 6. 5. p. §. *accedamus*. Salas tract. 7. disp. 3. sect. 16. à n. 148. Curiel q. 18. art. 6. dub. §. 2. Carmelitani disp. 6. dub. 3. & alii fere omnes, uno excepto Vasquio.

530. Probatur, primo quia illa electio formaliter & directe est propter ipsam honestatem objecti; ergo erit honesta formaliter. Consequentia patet primo, quia ex eo, illa electio desineret esse honesta, quia per actum reflexum ordinatur in ulteriorem finem: atqui hæc ordinatio non tollit, quominus sit honesta; ergo, &c. Minor probatur, quia ille alius finis ultimi actus non tollit honestatem primi actus, ut enim supra dicebamus, si ille finis, in quem ordinatur electio, fuerit charitas, cum charitas sit forma virtutum, non destruet, imò perficiet honestatem electionis. Secundo, quia ille actus primus antequam ordinetur in ulteriorem finem, est constitutus in specie propria bonitatis; ergo per advenientem finem non amittit essentiam, imo manebit perfectior ex communicata bonitate à fine.

531. Probatur secundo conclusio, quia ille primus actus est elicitus ab una virtute, & ab alia imperatus: verbi gratia, si quis velit tribuere eleemosynam ut sublevet miseriam pauperis, postea verò velit eamdem propter Deum; illa volitio eleemosynæ elicitur à virtute misericordiæ, & imperatur à charitate; ergo participabit bonitatem, non solum à virtute imperante, sed etiam à virtute eliciente. Consequentia patet, quia virtus eliciens non potest elicere nisi actum sibi similem: atqui hæc similitudo consistit in participatione similis virtutis.

532. In contrarium est Vasques supra citatus disp. 51. cap. 5. & disp. 7. cap. 7. & alibi, ubi docet illum actum habere bonitatem ex fine solo, ex objecto verò nullam: fundamentumque, quibus suam firmat sententiam est ille locus Aristot. toties ab eo repetitus, totiesque à nobis solutus supra à numero 183. in præcedenti difficultate prima, in solutione primi argumenti. Pro ea tamen sententia objicio primò D. Augustinum lib. de bono conjugali cap. 19. & 23. ubi æquiparat in ratione meriti nuptias Patriarcharum, cœlibatui novæ legis: atqui hæc æqualitas solum provenire potest ex fine, & non ex mediis; ergo cum ratio meriti sequatur bonitatem, etiam bonitas erit æqualis, non quidem ex medio, sed ex fine. Respondetur cum Suar. n. 17. D. Augustinum non æquiparare nuptias Patriarcharum virginitati novæ legis in ratione meriti, cum eo libro sæpissime doceat virginitatem esse meliorem; solum ergo asserit D. Augustinus, illud Patriarcharum conjugium potuisse esse melius ex aliquo motivo, ut si fieret ex intentione obedientiæ, vel procreandi Christum Dominum qui erat finis intentus à Patriarchis in suis conjugiis. D. Aug.

533. Secundo: finis ultimatus est objectum formale respectu illius electionis; ergo ab illo solum electio desumet suam bonitatem. Probatur consequentia, quia honestas formalis non desumitur, nisi ab objecto formali. Respondetur distinguendo antecedens: finis ultimatus est objectum formale respectu electionis, mediatum & accidentale, concedo; immediatum & essentiale, nego: finis enim ille, est objectum immediatum intentionis, mediatum verò electionis; medium verò est objectum formale respectu electionis, materiale tamen respectu finis accessorii, quem præscripsit operans, eo modo, quo licet superficies sit forma parietis, respectu tamen coloris est instar materiæ.

534. Tertio: Utile non potest appeti propter se; ergo suppositio est falsa. Respondetur distinguendo antecedens, formaliter & reduplicative, concedo; materialiter & specificative, nego: idest, res, quæ utilis esse potest, potest appeti propter se, & postquam est appetita propter se, potest appeti ut utilis propter alium finem ulteriorem: verbi gratia, volo eleemosynam propter honestatem ipsius, postea per actum reflexum volo illam eleemosynam propter Deum: negari enim non possunt fines intermedii, quos admittunt communiter Philosophi & Theologi cum Philosopho

Aristot. D. Thom. losopho 2. Physicorum cap. 3. & 5. Metaphysicæ. cap. 2. cum Angelico Doctore ad locum Philosophi, & libro Physicorum sect. 2. & lib. 3. contra gentiles cap. 2. in 2. ratione, ubi ita: *Omnia intermedia inter agens, & ultimum finem, sunt fines respectu priorum, & principia activa respectu sequentium.*

SUBSECTIO QUARTA.

Quænam sit bonitas essentialis, quæ provenit ex objecto; an illa quæ provenit ex fine?

535. Constat ex subsect. 1. electionem desumere bonitarem ex fine, ex subsect. 2. constat etiam desumere bonitarem ex proprio objecto; quæritur modo quæ sit bonitas substantialis? Bonitas-ne, quæ provenit ex fine, an quæ ex objecto provenit? Varii sunt modi dicendi. Ego juxta nostra principia assero bonitatem ex objecto esse primariam & essentialem, ex fine accidentalem, & secundariam. Utramque partem probant quoad electionem puram Doctores, qui illam bonitatem admittunt: quoad electionem non puram Angestua cap. 14. moralium tract. 1. conclusione 3. Malderus citatus *ad septimum*. Medina 1. 2. quæst. 18. articul. 4. & 6. Cornejo disput. 5. dub. 3. à numer. 18. Araujo quæst. 18. articul. 6. dubio unico numer. 12. probans hanc esse sententiam Angelici Doctoris. Salas disput. 2. sect. 14. D. Thom numer. 132. Becanus 2. part. Sum. tract. 1. cap. 4. quæst. 3. numer. 15. Azoc tom. 1. lib. 2. cap. 2. quæst. 2. Suar. 1. 2. disp. 6. sect. 3. num. 11. & lib. 10. de gratia cap. 11. num. 15. & 18. Theophilus, Rainaud. in opere morali dist. 4. quæst. 2. articul. 2. n. 165. Montesin. disp. 24. quæst. 6. n. 91. & in hoc puncto Doctores, qui hanc resolutionem tradunt de electiune pura, etiam eamdem tradunt de electione non pura.

536. Probatur primo utraque pars (admissa enim propria bonitate in utraque electione; in utraque est eadem difficoltas) quia finis est una ex circumstantiis, objectum verò est specificativum actus; atqui bonitas essentialis tribuitur actui à proprio objecto specificativo, & non à circumstantia; ergo bonitas quæ desumitur ex fine est accidentalis, bonitas verò quæ desumitur ex objecto erit essentialis. Major est certa, simul etiam Minor, nam quod finis circumstantia sit electionis negari non potest, cum sit circumstantia, *cur*, & cum munus circumstantiæ nequeat exercere circa intentionem, cujus est objectum formale, illud exercebit circa electionem; cum nullus alius actus appareat; quod verò circumstantia, ut circumstantia est, tribuat bonitatem accidentalem actui cujus est circumstantia, communiter asseritur, & latè in hac disputatione sect. 6. ex quo, cum illa electio desumat bonitatem ex proprio objecto, & bonitas erit essentialis, utpotè desumpta ex proprio & formali specificativo, accidentalis verò illa, quam desumit ex fine, utpotè desumpta ex circumstantia *cur*.

537. Secundo, Bonitas essentialis invariabilis est, bonitas verò accidentalis variabilis, quæ adesse & abesse potest sine subjecti corruptione, sed bonitas quam electio sumit à medio, invariabilis est, variabilis illa, quam à fine desumit; ergo hæc accidentalis, illa essentialis erit. Minor probatur, quia electio illa habet pro proprio objecto specificativo medium: atqui *stante eodem specificativo semper debet stare invariatum idem specificatum*; ergo bonitas, quæ ab illo specificativo desumitur, dummodo hoc præsistat, invariabilis permanebit. Deinde hæc eadem electio, sive ordinetur ad hunc, vel ad alium finem pro libito operantis, semper conservat eamdem bonitatem ex objecto, amissa nunc bonitate hujus finis, & iterum amissa bonitate alterius; sive enim ordinetur in finem extrinsecum, sive non, sive in hunc, sive in illum, semper est eadem electio, imperatique potest ex variis finibus indifferenter, quin mutetur ejus essentia, sive enim quis elargiatur eleemosynam propter ipsam, sive ordinetur in finem charitatis vel religionis, semper illa electio retinet bonitatem misericordiæ.

538. Contraria sententia placuit Caetano hîc quæst. 18. art. 4. Vasquiu disp. 51. cap. 4. & aliis. Primò arguunt ex authoritate Philosophi 1. Ethicorum cap. 2. ubi ita: *Præterea si quidam lucrandi causa facit adulterium atque pecunias accipit, quidam erogat damnumque patitur ob cupiditatem, hic quidem intemperans potius quam pluris avidus; alter autem injustus, sed non intemperans esse videbitur.* Ex quo loco duo oriuntur. Primum, qui Aristot. adulterium committit propter lucrum, magis injustus est quam adulter: secundum, talem non dici adulterum sed injustum. Tum sic argumentor: Qui committit adulterium propter lucrum juxta Philosophum, magis injustus est, quàm intemperans, imò non intemperans dicitur; ergo malitia quæ ibi reperitur prima & essentialia, non ex medio, sed ex fine lucrandi desumitur. Consequentia probatur, quia actus denominatur potius à sua essentia, quam ab alia: atqui ille actus denominatur à fine injustus, non verò à medio; ergo ex fine accipitur essentialis species malitiæ.

539. Respondetur Aristotelem non comparare bonitatem, vel malitiam finis cum bonitate, vel malitia electionis, sed cum operante: non enim æquiparat actum actui, sed actum operanti, & tunc asserit operantem potius esse injustum, quàm intemperantem; ex eo quod bonitas, vel malitia consideratur per ordinem ad operantem: operans autem majori voluntario & affectu fertur in finem, quàm in medium, nam *propter quod unumquodque tale, & illud magis*, quare ex prædicto loco solum sequitur, intentionem esse præcipuum actum respectu operantis, non verò electionis bonitatem, vel malitiam desumptam ex objecto, non esse primariam, & essentialem respectu electionis.

540. Dices cum Montesino n. 93. Agens est concretum respectu operantis; ergo quod est præcipuum in ordine ad operantem, est etiam præcipuum in ordine ad operationem; atqui malitia vel bonitas finis est præcipua respectu operantis; ergo etiam præcipua respectu operationis, id est, electionis. Respondetur negando ultimam consequentiam, quia quamvis operans minus bonus vel malus denominetur respectu electionis, quam respectu intentionis, non tamen inde sequitur, quod bonitas intentionis sit præcipua, & essentialis respecto electionis. Exemplum sit: Qui assentitur conclusioni propter principia, magis assentitur principiis quam conclusioni, assensus tamen principiorum non est magis assensus respectu conclusionis, sed ideo dicitur magis assentiri principiis, quia intelligens habet clariorem assensum de principiis distinctum omnino ab assensu conclusionis: Unde sicut veritas principiorum quæ reperitur in eorum assensu, non est essentialis & prima respectu veritatis repertæ in assensu conclusionis: ita similiter licet operans denominetur potius à bonitate vel malitia inten-

tionis, non tamen ex hoc sequitur, quod hæc bonitas, vel malitia sit essentialis respectu bonitatis & malitiæ repertæ in electione.

541. Instabis: Philosophus non solum asserit operantem esse magis injustum, quam intemperantem, sed non videri intemperantem: ibi, *sed non intemperans esse videbitur*; ergo videtur quod Philosophus asserat omnem malitiam vel bonitatem repertam in operante provenire ex intentione finis, quòd cum intelligi nequeat de omni bonitate & malitia intelligendus est de bonitate & malitia essentiali: Respondetur negando consequentiam, nam illa particula (*non*) non est aversativa, sed veluti comparativa, ac si dixisset, minus est intemperans quam injustus, nam illa alia particula (*videbitur*) non expulsiva est omnis bonitatis, vel malitiæ, sed tantum diminutiva illius: aliter falsa esset sententia Philosophi, cum negari nequeat, quod ille talis peccet contra castitatem.

542. Secundo: Electio, ut electio fertur in medium, ut utile ad finem; ergo ut sic primariò & essentialiter respicit finem. Respondetur negando consequentiam, solum enim sequitur; ergo illa prima bonitas desumpta ex medio, est relata ad finem.

543. Instabis: Voluntas per actum electionis primariò fertur in finem: ergo primariò terminatur electio ad finem. Antecedens probatur, quia finis est primaria ratio volendi medium; ergo primariò voluntas per electionem fertur in finem. Respondetur negando antecedens: finis enim actu intentionis primò est volitus; & medium actu electionis priùs est volitum quàm finis; ut enim finis est objectum immediatum intentionis, ita & medium est objectum immediatum electionis.

Ad probationem nego consequentiam; quia solum sequitur; ergo voluntas non fertur in medium, nisi subordinetur fini, ex eo enim quod voluntas propter finem feratur in media; & finis sit ratio volendi media, sequitur quod voluntas movetur ad eligenda media propter finem, non verò, quod non feratur immediate in media: veluti quando intellectus assentitur conclusioni propter principia, assensus immediate ad conclusionem, non ad principia terminatur; aliter ille assensus conclusionis pertineret ad habitum principiorum, non verò ad habitum scientiæ; unde finis non est primum & immediatum motivum electionis, sed mediatum, id est, voluntas movetur immediate à fine ut prius volito per actum intentionis, cujus est objectum immediatum, non per actum electionis, imo ex intentione finis movetur ad media, ad quæ immediate per electionem terminatur.

Tertio: Virtutes & peccata sumunt speciem essentialem à fine, non à mediis; ergo etiam actus. Consequentia patet, quia habitus & actus eodem modo specificantur. Antecedens probatur exemplis. Primò, quia ex eo castitas distinguitur essentialiter à virginitate, quia servatur castitas ad vacandum rebus divinis, non virginitas. Secundo, adulterium & stuprum sunt actus contra justitiam, & tamen ponuntur in diversa specie luxuriæ, quia ordinantur ad delectationem veneream. Tertio; si quis percipiat fructus cum animo recipiendi sacros Ordines intra annum, exercet actum justitiæ: injustitiæ verò, si sine tali animo fructus percipiat, ideo eos tenetur restituere ex capite *commissa* de electione in 6. ergo illi duo actus justitiæ & injustitiæ distinguuntur specie ex fine, id est, ex animo suscipiendi sacros Ordines intra annum.

544. Respondetur negando antecedens. Ad primum exemplum respondetur ex doctrina Angelici Doctoris 2. 2. quæst. 152. articul. 3. in corpore, virginitatem comparari ad castitatem ut magnificentia ad liberalitatem, sicut enim magnificentia est circa magnos sumptus, liberalitas circa omnem pecuniarum usum, & ideo unaquæque est specialis virtus ex proprio objecto, ita virginitas est immunitas ab omni experimento venereæ delectationis; castitas verò immunitas à quacumque inordinatione venereæ delectationis, & hæc immunitas est specificativum formale, per quod una ab alia diversificatur: quòd verò una sit ad vacandum rebus divinis, & non alia, accidentale quid est proveniens ex fine extrinseco. D. Thom.

545. Ad secundum respondetur, distinguo majorem; adulterium & stuprum sunt actus contra justitiam in materia luxuriæ, concedo; in alia materia, nego: namque delectatio venerea non est finis operantis respectu adulterii, vel stupri, sed est ipsemet finis intrinsecus, sive ratio formalis attingendi objectum: contrectare enim uxorem alienam non est medium ordinatum ad delectationem, sed est materia circa quam delectatio versatur, & quando finis est ratio formalis attingendi objectum ordinatum ad illum, non dicitur finis extrinsecus operantis, sed intrinsecus ipsius operis: delectatio autem venerea non est finis, propter quem attrectatur uxor aliena, sed est ratio formalis, sub qua attrectatur; sub hac ratione distinguuntur specie, attrectatio venerea uxoris, & injuriosa per verbera, vel verba, aut similia, quo pacto solvi possunt multa exempla, quæ in contrarium adduci possunt.

546. Ad tertium concedo antecedens, nego consequentiam: pensatur enim illa ratio justitiæ, non ex sola intentione suscipiendi sacros Ordines intra annum, sed justa & vera æqualitate rei ad rem: habere enim illam intentionem constituit æqualitatem & debitum in objecto, ex quo actus est justitiæ: deficiente autem hac intentione perseverat in objecto inæqualitas rei ad rem, propter quam actus ab illo est actus injustitiæ.

547. Carmelitani tract. 11. disput. 6. dub. 4. §. 2. media via incedunt, asserunt enim illum actum electionis desumi posse duobus modis, primo absolutè & specificativè; secundo reduplicativè, quatenus imperati sunt: in primo sensu docent essentialem bonitatem electionis desumi ab objecto sive à medio, in secundo sensu desumi à fine: & ita nostræ doctrinæ assentiuntur circa primum sensum, ab ea tamen recedunt circa secundum: nos enim asserimus omnem bonitatem electionis, sive sumatur reduplicativè, sive absolutè, ab objecto desumi essentialem, à fine accidentalem, quod infra sect. 8. subsect. 9. disserendum est.

Unde colligis primò, non esse veram sententiam Valentiæ q. 18. puncto 4. asserentis electionem æque desumere suam bonitatem essentialem ab utroque, id est, à medio, & à fine. Non inquam vera est, primò, quia bonitas essentialis desumitur ab objecto specificativo, non verò à circumstantia. Secundò, quia virtus à qua elicitur ille actus, non desumit suam speciem ab utroque, ab objecto, & à fine, sed tantum ab ob-

jecto; ergo nec etiam actus desumet speciem essentialem ab objecto & à fine. Alia prosequitur Araujo numer. 21. contra hanc sententiam Valentiæ.

548. Colliges secundo, non esse veram sententiam Conradi quæst. 18. articul. 3. & 4. asserentis electionem specificati à medio in esse naturæ, à fine verò operantis in esse moris; nam contra est, quia virtutes non specificantur à fine operantis, sed à suis immediatis objectis: aliter omnes virtutes imperatæ à charitate, essent ejusdem speciei in esse moris, & per consequens, specialiter in Christo Domino, una tantum asset virtus, quod falsissimum est; ergo nec etiam actus specificantur à fine operantis, sed à mediis: actus enim, à quibus generantur tales virtutes, & quæ illos eliciunt, habent idem objectum formale.

SUBSECTIO QUINTA.

Utrum finis bonus augeat bonitatem electionis, & malus malitiam?

SUb hoc titulo latent plures difficultates, & quamquam omnes parvi sint momenti, omnes tamen ad plenissimam notitiam bonitatis electionis, & intentionis deserviunt: quare circa electionem ex objecto, & ex fine, dico primo: Ista electio in parte augetur ex bonitate, in parte minuitur, quando fit propter bonum finem.

549. Prima pars, quod scilicet augeatur, constat ex iis quæ hac disput. sect. 6. subsect. 4. diximus, cum enim finis sit una ex circumstantiis, nimirum circumstantia *cur*, & omnes circumstantiæ augeant bonitatem, necessario finis intentio augebit bonitatem: aliter à numero circumstantiarum ejicietur. Faciunt etiam pro hac parte quæ diximus hac sect. subsect. 1. 2. & 3. habet namque electio, quando imperatur à fine, duplicem bonitatem; ex objecto unam, ex fine alteram; verbi gratia, qui elargitur eleemosynam propter charitatem, electio eleemosynæ, & misericordiæ & charitatis habet bonitatem, indeque oritur, quod quo finis melior fuerit, majorem communicabit electioni bonitatem; non enim datur major ratio, cur bonitas finis communicetur, non verò major bonitas illius.

550. Secunda verò pars etiam videtur certa: eam bene probant Carmelitani disput. 5. dub. 4. §. 1. Minuitur enim bonitas electionis ex intensione boni finis, & magis minuitur ex intentione melioris finis, non quidem ratione objecti aut essentialis perfectionis, cum eodem modo se habeat bonitas electionis ex objecto desumpta, si fiat propter hunc, vel propter illum finem, sed ratione minoris voluntarii, namque minus voluntariè elicitur electio, si fiat propter aliquem finem, quàm si illi nullus apponitur finis.

551. Ratio; quia electio elicitur ex intentione finis, & eligitur propter finem: ergo illud quod voluntas magis intendit, & quod illi magis voluntarium est, est finis; ergo voluntas illi fini intenta remittit circa electionem voluntarium. Ex quo sequitur, si finis fuerit melior, magis minuendam esse electionis bonitatē, cum melior finis plus attendatur à voluntate; ratione enim hujus appretiationis voluntas plus rapitur in illum meliorem finem, quam in bonum finem: & per consequens, minus attendit electionem: multoriesque contingit tantam esse finis appretiationem, ut propter eam detur ignorantia invincibilis de malitia media, ut si eligatur furtum ad succurrendum parentibus: minuit ergo finis bonus electionis voluntarium, & ratione minoris voluntarii illius bonitatem moralem: est tamen adeo parvi momenti hæc diminutio, ut non possit comparari cum augmento bonitatis, quod provenit ex fine.

552. Circa finem malum, eadem resolutio adhibenda videtur; nimirum quod electio mali objecti propter malum finem, partim augeatur, partim minuatur; ex eodem fundamento propter quod idem asserimus circa bonum objectum propter bonum finem: augetur enim ex eo quod electio propter malitiam objecti sortitur etiam finis malitiam, minuitur ratione voluntarii, eò quod magis afficitur circa finem mali voluntas.

SUBSECTIO SEXTA.

Utrum electio pura ex objecto bono, vitietur ex intentione finis mali?

Est quæstio, an electio circa honestum objectum, possit esse bona, etiam quando finis intentio mala est? Non procedit quæstio de electione, quæ versatur circa objectum indifferens: certum enim est hanc electionem nullam aliam bonitatem, vel malitiam habere quàm bonitatem, aut malitiam finis, sed de electione circa objectum honestum; utrum scilicet bonitas, quam ex illo accipit, vitietur ex fine malo.

553. Respondetur: Electio pura circa objectum honestum, ordinata in finem turpem, non est honesta, sed turpis; id est, nullam habet bonitatem: verbi gratia, si quis propter vanam gloriam eligat actum eleemosynæ, illa electio non est honesta, sed turpis: ita sentiunt communiter Doctores, cum Angelico D. 1. 2. q. 18. art. 5. ad 4. q. 19. art. 1. ad 2. art. 7. ad 2. & ad 3. in 2. dist. 38. q. 1. art. 4. & q. 22. de veritate art. 14. ad 1. & cum subtili Doctore in 2. dist. 7. n. 18. vers. *malitia*, & quodlibeto 18. art. 1. per totum. (D. Thom. Scotus.) Sequuntur utrumque Doctorem discipuli, ex aliis Suar. disp. 8. sect. 2. n. 13. Montesinos disp. 24. q. 5. num. 27. Granad. controv. 2. tract. 10. disp. 6. sect. 1. quo loco refert pro hac sententia Bonaventuram, Gabriel. Durand. Argentinas, Caet. Mid. Conrad. & Valentia, & melius sect. 4. n. 32. & n. 42. Cornejo disp. 5. dub. 2. n. 8. cum Bannes, & aliis: Vasques disp. 68. cap. 1. in initio dicens esse extra controversiam. Salas tract. 7. disp. 3. sect. 11. n. 150. ubi plures refert Curiel. q 18. art. 6. Bellarius de actibus supernaturalibus disp. 3. dub. 11. n. 14. Rainaud. dist. 4. n. 322. §. *utilius*. Perez lect. 1. examin. p. 3. cap. 16. n. 62. Lorca disp. 41. (licet disp. 28. oppositum asseruerit) Malder. disp. 78. ç. *verò*. Rua tom. 2. controv. dub. 1. p. 3. §. *Respondeo quod*: Carmelitani citati n. 11. & disp. 6. dub. §. 1. & alii quam plures.

554. Probatur primo authoritate Scripturæ sacræ Matthæi 6. ubi Dominus ait, *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*: (Matthæi 6.) quem locum communiter SS. PP. interpretantur, quod non sufficiat ad actum bonum, quod habeat pro objecto bonum; sed necessarium esse, quod fiat ex intentione bona, aliter actus malus erit. Ita Hieronymus, ibi. August. serm. 58. de tempore, Chrysost. homil. 20. in Matthæum. S. Leo Papa in cathena aurea ad hunc locum. S. Bernardus lib. 1. de consideratione ad Eugenium, Salmeir. tom. 1. tract. 44. & alii Patres. (Hieron. S. August. Chrysostom. S Leo Pap. S. Bernard. Salmeir. Chrysolog.) Unde bene Chrysologus sermo-

ne 7. de inani gloria loquens, ait. *Subtile malum est, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis; hac crudeli arte* virtutis truncat mucrone *virtutem, de remediis creat morbos, de medicina conficit languorem*; & clarius ad nostrum intentum Augustinus tract. 3. in epistol. Ioann. ait.
S. August. *Ergo intentio diversa facta fecit, cum sit una res: ex diversis eam intentionibus si metiamur, unum amandum, alterum damnandum invenimus.*

Matthæi 7. v. 18. Author imp. 555. Confirmatur ex alio loco Matthæi cap. 7. *Non potest arbor mala, bonos fructus facere*, ubi Author imperfecti homilia 16. ita explicat locum, *quod ex proposito malo fit, etiam bonum malum est*. Verum etiam eumdem locum ita interpretatur
Greg. Magn. Gregorius in Dialogis lib. 1. cap. 30. *Cum perversa est intentio, quæ præcedit, parvum est omne opus, quod sequitur, quamvis esse rectum videatur.*

556. Probatur secundo ex Philosopho 2. Ethi-
Aristot. cor. ubi ita, *Peccare quidem multis modis contingit, at recte agere unicè, quapropter, & alterum facile, & alterum difficile est. facile quidem non attingere signum, difficile autem illud attingere.* Explicat An-
D. Thom. gelicus Doctor ibi lect. 7. *Rectitudo operationis uno solo modo contingit, peccatum autem in actione contingit infinitis modis, & inde est. quod peccare est facile, quia multipliciter hoc contingit, sed rectè agere est difficile, quia non contingit nisi uno modo.* Similia prosequitur, ex quibus constat Philosophum negare electionem factam propter malum finem, esse bonam.

557. Tertio probatur à priori, ratione D. Thom. qua utuntur Granad. Montesin. Cornejo, Bellanus, & alii: quando voluntas ex intentione turpi eligit bonum, istud objectum, non est bonum, sed turpe: ergo nec electio, quam illud objectum specificat, bona erit. Consequentia optima est: antecedens probatur, quia eleemosyna verbi gratia non terminat electionem secundum suam honestatem tantummodo, sed ut est medium ordinatum & utile ad finem intentum; atqui eleemosyna, ut est medium ad malum finem consequendum, non est conformis rationi, sed differens; ergo ut medium etiam objective non est honesta, sed turpis. Minor patet primo, quia bonitas moralis sumitur immediate per ordinem ad rectam rationem: atqui recta ratio non dictat eleemosynam esse faciendam propter malum finem, imò dictat oppositum; nimirum, quod fiat cum rectis circumstantiis; ergo illa eleemosyna, ut hîc & nunc eligitur tamquam medium ad malum finem, non est conformis, sed difformia rectæ rationi. Secundo, quia omnia recta ratio prohibet exerceri actum aliqua ex parte malum; atqui id non prohiberet si actus foret bonus; ergo objectum illius actus non potest esse conformis rectæ rationi.

558. Quarto, quia electio illa tum ex modo quo voluntas appetit, tum ex objecto quod appetit, mala est; ergo non potest esse bona. Antecedens probatur quoad primam partem, nimirum, quoad modum quo voluntas appetit, nam quando voluntas appetit rem bonam inordinate, ille actus quo appetit, malus est, sed eligere objectum bonú, ut medium ad malum finem, est inordinatus modus appetendi; ergo electio qua id appetitur, mala est. Major probatur, quia si quis appetat Dei similitudinem naturalem, appetit rem bonam, & optimam, attamen quia appetit inordinate, appetitus ille est peccaminosus, & hoc fuisse peccatum in Angelis docent quam plurimi, & gravissimi Doctores; ergo appetitio rei bonæ potest esse mala, quia inordinata. Idem argumentum fit de eo, qui appetit exercere sacramenta propter lucrum temporale, tamquam propter finem principalem.

559. Deinde idem antecedens probatur, quoad secundam partem, nimirum, quod electio hæc mala est ex objecto, quod eligitur; quia qui eligit medium ad finem, virtute & implicite vult finem; omnis enim relatio est circa medium, ut utile est fini, & consequenter est volitio ipsius finis, sicut intentio finis, est volitio virtualis mediorum: atqui ille finis, ut supponitur, est malus, & per electionem est volitus saltem virtualiter; ergo etiam electio illa erit mala: namque si quis velit rem habere cum uxore in loco sacro, & ille actus peccaminosus est, & sacrilegus, quia licet velle rem habere cum uxore, absolute bonum sit, tamen velle illam circumstantiam prohibitam in loco, malum est: quare cum objectum illius electionis non sit objectum bonum secundùm se, non potest communicare bonitatem electioni. Et hic habet locum proloquium illud Magni Areopagitæ, *Malum ex quocumque defectu, bonum non nisi ex integra causa.*

560. Aliis argumentis conclusionem istam probant prædicti Doctores, sed quæ minus probabilem doctrinam continent: nam Suar. numer. 3. ex eo negat electionem esse bonam, quia electio non specificatur à medio, sed à fine, quod est contra nostram doctrinam section. 7. tota subsect. 4. Cornejo verò, Montesin, & alij ex eo probant electionem illam esse malam, quia sequeretur esse simul bonam & malam, meritoriam, & immeritoriam: quod infra dirimendum est. Adhuc enim sub Iudice lis est, videri tamen possunt apud eos.

561. Contraria sententia probatur aliquibus argumentis: ex præmissis falsis aliquando intellectus determinatur ad conclusionem veram; ergo etiam voluntas ex intentione mala determinabitur aliquando ad electionem bonam. Respondetur negando consequentiam, quia veritas conclusionis solum consistit in conformitate cum suo objecto, non verò cum antecedens conformatur cum suo objecto, ut homo est lapis; ergo est substantia. Consequentia vera est, antecedens falsum: at vero electionis bonitas consistit in tendentia ordinata ad objectum & finem bonum, quæ cum mala intentione stare non potest.

562. Secundo, si quis audiat sacrum propter inanem gloriam in die festo, iste actus est bonus, & tamen proficiscitur ex mala intentione; ergo electio ex objecto bona, potest dari cum intentione mala. Major probatur primo, quia per illum actum adimpletur præceptum: atqui per actum malum non adimplentur præcepta; ergo ille actus est bonus. Secundo, quia actus adimpletivus præcepti non est contra præceptum: atqui actus malus est contra præceptum; ergo cum per illum actum adimpleatur præceptum, actus erit bonus. Tertio, quia talis actus est conformis legi & præcepto; atqui quod est conforme legi, est bonum; ergò ille actus bonus est. Quarto, quia præcepta sunt de operibus bonis, atqui per illum actum adimpletur præceptum; ergo per eum fit bonum opus. Quinto, quia si quis etiam propter vanam gloriam non adimpleat præceptum, verbi gratia non audiat sacrum in die festo, pejus facit, quam si illud adimpleret ex vana gloria; ergo qui adimplet præceptum propter vanam gloriam melius facit, & per consequens

actus erit bonus, & in concurrentia bujus casus consulendus.

563. Respondetur negando Majorem: ad primam probationem respondetur, distinguendo Minorem: per actum malum non adimplentur præcepta, quæ versantur circa substantiam & entitatem physicam, nego: quæ versantur circa modum & finem, concedo Minorem: namque leges vel versantur circa res quæ præcipiuntur, vel circa modum quo fieri debent, nimirum ordinate, honestè, cum bonis circumstantiis, vel non appositis malis, suntque diversa præcepta; non enim quando præcipitur fieri eleemosynam, vel succurri indigentibus, formaliter præcipitur modus quo id fieri debeat, sed tantùm quod illa res fiat, facta verò adimpletur illud præceptum, quia non est de modo, sed de re, modus verò ut præcipiatur postulat specialem legem, & absolutè præcipitur in omni opere bono per legem generalem, qua tenemur non solum facere honesta, sed etiam honestè. Unde per illum actum adimpletus præceptum de re, quod non postulat ex se quod actus sit bonus vel malus, hoc enim pertinet ad præceptum de modo.

564. Ad secundam probationem distinguo Minorem: actus adimpletivus præcepti non est contra præceptum de re & entitate, concedo: de modo, nego Majorem; & sic ille actus adimpletivus præcepti audiendi sacrum, hoc præceptum adimplet, sed frangit aliud præceptum de modo, ex quo tenetur non apponere malum finem bono operi; verbi gratia, si quis reddat uxori propriæ debitum in loco sacro, adimplet præceptum sed quia transgreditur præceptum Religionis, sacrilegus est ille actus. Ad tertiam respondetur distinguendo Majorem, talis actus est conformis legi, & præcepto de re & entitate, concedo; de modo, nego: deinde distinguo Minorem, quod est conforme legi tam de re quàm de modo est bonum, concedo: de re tantùm, nego: non enim ad bonitatem formalem sufficis quæcumque conformitas, sed requiritur conformitas cum recta ratione, quæ in illo actu reperiri non potest: namque recta ratio non solum dictat illud præceptum esse adimplendum, sed etiam aliud, idest, quod res præcepta, & quod ordinate fiat.

565. Ad quartam probationem respondetur distinguendo Majorem; præcepta sunt de operibus bonis secundum substantiam saltem, concedo; secundum bonitatem formalem, nego: quando enim præcepta versantur tantum circa res, versantur solummodo circa rerum substantias quæ præcipiuntur, non verò circa bonitatem moralem illarum; sufficit enim ad hoc ut adimpleatur præceptum, quod fiat opus circa materiam præcepti; quod bene fiat, ad aliud præceptum, nimirum de modo, spectat. Unde quando dicitur, quod lex præcipit ordinato modo, intelligitur ex parte legis, & legislatoris, non verò ex parte rei præceptæ; quamquam enim recta sit lex, & ordinato modo imposita, tamen cum non sit lex de modo, non præcipit quod res ordinate fiat; ostendit enim tantum executionem rei præceptæ, non verò rectum exequendi modum: hoc enim præcipitur per aliam legem generalem de non apponendo malo fine.

566. Ad ultimam probationem respondetur negando consequentiam, non enim sequitur, ergo melius facit, sed ergo minus male facit; neuter enim bene operatus, sed uterque male; & cum, ubi non est bonum, non possit dari melius, sequitur quod cum unus pejus operetur, alter non operetur melius, sed minus male, & propter minorem malitiam consulitur adimpletio illius præcepti.

567. Tertio arguitur, Si objectum electionis, & intentionis, nimirum medium & finis, honesta fuerint, electio etiam pura duplicem habebit bonitatem, essentialem ex objecto unam, accidentalem ex fine alteram: ergo quando electio est de objecto bono & fine malo, habebit bonitatem illam ex objecto bono. Consequentia probatur primo exemplo bonitatis naturalis: namque in naturalibus potest stare bonitas essentialis cum defectu accidentali; ut patet in aqua calida, & in homine, cui deest unus oculus; ergo similiter in moralibus manebit bonitas essentialis in electione desumpta ex objecto, cum defectu & malitia accidentali desumpta ex fine. Secundo quia, si apposito malo fine, destrueretur bonitas ex objecto, jam ista electio esset mala ex objecto & circumstantia, atqui hoc est falsum, ergo & illud ex quo sequitur. Probatur Min. quia actus ex objecto & circumstantia malus est ille qui versatur circa objectum malum, & circumstantiam malam, atqui ista electio versatur circa objectum bonum, & circumstantiam malam; ergo non est malus ex objecto, sed ex circumstantia. Tertio, illa malitia quæ accidit electioni ex fine, est malitia accidentalis; ergo non potest destruere bonitatem essentialem ex objecto. Ant. probatum est sect. 7. subsect. 4. consequentia probatur, quia accidens non destruit essentiam rei.

568. Respondetur negando consequentiam. quia in primo casu objectum est bonum objective, non in secundo; siquidem in primo electio & intentio habent objecta bona, & medium proportionatur fini bono, potestque subordinari & imperari à propria bonitate, idemque dicendum est, si objectum & finis mala fuerint: in secundo verò sensu illud objectum electionis, est difforme rationi, solumque dici potest bonum naturale, ideoque non potest tribuere bonitatem moralem electioni, hæc enim bonitas destruitur per advenientem finem malum.

569. Ad primam probationem respond. negando consequentiam. Primò, quia bonitas naturalis sumitur ab eo quod est à parte rei, bonitas verò moralis per ordinem ad rectam rationem; cum ergo à parte rei servetur forma substantialis aquæ cum aliquo calore, ideo servatur ejus essentialis bonitas cum accidentali defectu: at in rebus moralibus recta ratio dictat non esse amandum objectum, nisi cum carentia omnis malitiæ, ac proinde bonitas stare nequit cum aliquo defectu accidentali, nam bonum debet esse ex omni parte bonum. Secundo, quia bonitates naturales, partiales sunt, & in suo genere una ab alia non dependet; non enim essentia hominis dependet à bonitate essentiali accidentium, ideoque potest stare bonitas essentialis naturalis cum defectu naturali accidentali: at bonitates morales, licet sint partiales, postulant essentialiter defectum malitiæ, etiam cujuscumque circumstantiæ, quia per appositionem cujuscumque malæ circumstantiæ, tollitur omnimoda conformitas cum recta ratione, sine qua bonitas esse nequit.

570. Ad secundam respondetur, concedo Major. nego Min. ad probationem nego etiam Minor. actus enim ille malus est ex objecto male circumstantionato, sive ex circumstantia; cum enim illa circumstantia afficiat illud objectum materia-

le, transeatque in objectum formale specificativum illius actus, reddit illum malum actum ex objecto, non secundum se, sed ut est male circumstantionatum: quare malitia illius actus non est malitia vitii oppositi objecto, sed est malitia tantum finis, verbi gratia, qui dat eleemosynam propter inanem gloriam peccat, malitia tamen hujusmodi peccati non opponitur misericordiæ, sed humilitati.

571. Ad tertium negando ant. nam illa circumstantia finis, non est vera circumstantia, sed objectum formale, & objectum illius electionis tantum materialiter est objectum bonum, formaliter verò malum, nam cum illa circumstantia tribuat speciem malitiæ, amittit rationem circumstantiæ, transitque in objectum formale, à quo actus ille specificatur, ut diximus sect. 6. subsect. 5. & 8.

572. Quarto arguea, Siquis velit suscipere baptismum propter inanem gloriam, ista volitio erit bona ex objecto, & mala ex fine; ergo similiter theologisandum est de aliis electionibus, quæ habent objectum bonum, & finem malum. Antecedens probatur, quia ista volitio est sufficiens dispositio ad recipiendum baptismum, & ejus effectum: atqui dispositio ad gratiam, non potest esse peccatum, sed necessariò debet esse bona moraliter; ergo illa volitio, qua quis velit suscipere baptismum propter inanem gloriam, erit bona ex objecto, & mala ex fine. Idem argumentum fieri potest de eo qui accedit ad Sacramentum pœnitentiæ attritus propter bonum nomen, nam iste verè accipit virtutem Sacramenti, quam cum recipere non possit, nisi disponatur per actum bonum, necessariò sequitur illam attritionem esse bonam ex objecto, cum ex fine esse bona non possit. Respondetur duo involvi in susceptione baptismi: primum est impressio illa characteris: secundum est effectus illius Sacramenti, nimirum gratia sanctificans, & remissio peccatorum: ad valorem autem Sacramenti nulla requiritur dispositio fidei, aut sanctitatis, sed tantum necessarius est consensus, ut bene cum communi Doctorum docet Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 14. sect. 1. §. *dico* 2. & disp. 14. sect. 2. §. *primo ergo*: imò addit subtilis Doctor in 4. dist. 4. q. 5. n. 8. vers. *respon.*, quod actualiter peccans moraliter in alio, sive in illo actu potest implere præceptum affirmativum etiam in illo actu: recipiens nimirum impressionem characteris & inde est quod siquis ficte baptizatur, valide accipit baptismum: ad effectum verò Sacramenti requiritur dispositio voluntatis, quæ consistit in conversione ad Deum, cum detestatione peccatorum, ut bene cum communi sententia docet Suar. citatus disp. 28. sect. 1. & 2. sufficitque ad illum recipiendum attritio supernaturalis, efficax tamen & absoluta ex parte voluntatis.

Scotus.

573. Hoc posito, illa volitio facta propter inanem gloriam non impedit valorem Sacramenti, quia ad hunc non requiritur dispositio bona, cum conferri possit etiam peccanti actualiter, impedit tamen effectum Sacramenti, quia, cum ad hunc conferendum requiratur actus bonus moraliter, attritio saltem supernaturalis, cum illa volitio fit propter finem malum, non est bona, & pec consequens impeditiva est illius gratiæ sanctificantis, quæ conferri deberet in susceptione baptismi.

Quare non bene Cornejo tract. 6. disp. 1. dub. 2. n. 4. §. *sed omissis*, asserit illum hominem suscipere valorem, & etiam effectum baptismi: hoc enim falsum est, cum enim ad recipiendum effectum, nimirum gratiam sanctificantem, requiratur dispositio supernaturalis, & honesta, ut verè asserit Pater Suar. lib. 8. de gratia cap. 7. n. 7. cum dispositio illius hominis fit mala ex fine, nullo modo potest esse supernaturalis & honesta. Insuperque cum aliquis actua liber exigitur, ut dispositio ad gratiam, non requiritur ut dispositio physica, sed ut dispositio moralis, tamquam impetratoria gratiæ conferendæ. Cum ergo juxta Cornejo electio propter inanem gloriam fit mala moraliter, non potest esse dispositio ad effectum Sacramenti.

574. Ad id quod additur de attritione, certum est ad valorem pœnitentiæ requiri dispositionem aliquam, quæ est dolor de peccatis commissis conceptus ex motivo supernaturali, ut late probat Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 20. tota sect. 4. Cum ergo illa attritio fit propter motivum humanum, idest propter bonum nomen, & consequenter mala, non consequitur per illam valorem Sacramenti.

575. Quinto, Electio illa, verbi gratia, eleemosynæ, licet referatur in finem malum est elicita ab habitu pietatis; ergo est bona. Consequentia patet, quia virtus non operatur nisi circa suum objectum formale, & objectum formale virtutis necessario debet esse honestum. Antecedens probatur primo, quia qui habet habitum, facilior est ad dandam eleemosynam ex prava intentione; ergo illa facilitas provenit ex habitu pietatis. Secundo, quia per tales actus multiplicatos, augetur facilitas dandi eleemosynam ad omnes actus, ex quacumque intentione ortos; ergo si quis cum eadem facilitate elargiatur eleemosynam propter inanem gloriam, qua largiebatur eam propter bonum finem, proculdubio eleemosyna illa propter inanem gloriam elargita, elicitur ab eodem habitu, quo elicita est eleemosyna propter bonum finem.

576. Respondetur negando ant. Ad primam probationem negando consequentiam; nam illa facilitas, quæ datur in voluntate ad producendos actus ex pravo fine, non provenit per se ex habitu pietatis, verbi gratia, sed tantum per accidens, quatenus voluntas cum illo habitu aliciens actus multiplicatos, facilitata mansit: illi enim habitus abstulerunt impedimenta omnia circa materiam proprii objecti, ac proinde illa facilitas major quæ reperitur in voluntate in eliciendo actum eleemosynæ ex pravo fine, immediate provenit ab ipsa voluntate quæ disposita erat ex præjacente habitu, per quem ablata fuerunt impedimenta; eo modo, quo si quis habeat habitum misericordiæ acquisitum, facilior est ad eliciendos actus supernaturales misericordiæ provenientes ab habitu infuso, cum tamen ille habitus acquisitus non fit causa elicitiva illorum actuum, sed tantum removens prohibens impedimentum circa materiam proprii objecti.

577. Ad secundam probationem, nego antecedens; solum enim augetur, & generatur habitus inclinans ad similes actus elicitos propter inanem gloriam: & licet etiam potentia facilior existat ad producendos actus ex bona intentione, hoc tantum est dispositive, & inadæquatè, ut diximus, dum scilicet aufert impedimenta, non vero effective.

578. Dices, Siquis incipiat actum eleemosynæ ex bona intentione, illum verò continuet ex mala: illa continuatio elicietur ex eodem habitu,

cum quo potentia incepit elicere actum; ergo actus sive hac, sive illa fiat intentione, semper elicitur ab eodem habitu. Ant. probatur, quia potentia cum eadem facilitate continuat illum actum, cum qua incepit. Respondetur negando ant. Ad probationem distinguo antecedens: potentia cum eadem facilitate continuat, cum qua incepit, idest cum eodem habitu, nego; cum eadem facilitate, concedo; namque facilitas non semper provenit per se ab habitu, sed multoties à potentia immediate, quando disposita est per habitum antecedentem, & per remotionem impedimentorum; unde prædicta facilitas continuationis actus, de quo loquimur, immediate & per se tantum elicitur à potentia.

579. Sexto: Si quis propter inanem gloriam eligeret martyrium, illa electio esset honesta, actusque martyrii foret elicitus à virtute fortitudinis, & causativus gratiæ; ergo, similiter de aliis electionibus, quæ eliciuntur propter malum finem, dicendum est. Ant. patet, quia talis homo pateretur pro Christo, verusque foret Martyr. Respondetur, nego ant. ad probationem, nego antecedens; namque talis non patitur pro Christo vel pro fidei defensione, sed propter inanem gloriam, quæ vitiat totum illum actum, illumque reddit peccaminosum: Unde D. Hieronimus in cap. 1. ad Galat. ita ait *Martyrium ipsum, si ideo fiat ut admirationi & laudi habeatur à fratribus, frustra sanguis effusus est.* Imò peccat mortaliter, siquidem mortale peccatum est vitam propriam prodigere sine aliqua utilitate.

D. Hieron.

SUBSECTIO SEPTIMA.

Utrùm electio non pura, vitietur ex intentione finis mali?

SUppono electionem non puram, quæ est intentio, imperari posse, & dependere ab alia intentione, à qua accipiat bonitatem, ut dixi sect. 7. subsect. 2. diffic. 1. & infra disputandum est cum de actibus imperatis sermo fuerit: in præsenti quæritur, utrum si electio non pura, ex objecto bono ordinetur in malum finem, ex ista ordinatione amittat propriam bonitatem ex objecto, & admittat malitiam solum ex fine?

580. Sed ante resolutionem probandum est, illam electionem non puram imperari posse ab intentione mali finis: quod esse inter Authores commune placitum, affirmat Suar. 1. 2. disp. 8. sect. 1. n. 15. ipseque ibi probabile valde esse existimat; & hanc suppositionem admittunt quicumque actus supernaturales vitiari posse ex fine asseverant: de quo sect. 8. subsect. 13. in specie defendunt. Granad. tract. 9. disp. 3. n. 2. & 8. tract. 10. disp. 6. sect. 4. n. 42. Medin. 1. 2. q. 18. art. 4. Salas tract. 7. disp. 3. n. 469. non reprobat Raynaud dist. 4. q. 2. art. 2. n. 168. Cajet tom. 1. opusc. opusculo 31. respons. 14. Belan dub. 10. disput. 5. numero 12. late Ripalda tom. 1. de ente supernaturali disput. 50. per totam.

581. Probatur ex argumento faciendo sect. 8, subsect. 4. idem enim est dummodo ostendatur actum virtutis posse esse utilem ad malum finem, quod sic ostendo; nam credulitas rerum divinarum potest existimari bona ad comparandos honores, electio eleemosynæ ad inanem gloriam: non enim voluntas ordinat illam electionem in finem malum sub ratione mali, sed sub ratione boni commodi. Confirmatur, quia potest homo affectu efficaci velle actum misericordiæ ob inanem gloriam, intentio enim vanæ gloriæ, & actus misericordiæ non habent objecta incompossibilia, aut contradicentia, imò sæpissime conducit actus misericordiæ ad vanam gloriam; ergo potest iste actus misericordiæ procedere ex fine vanæ gloriæ.

581. Contra sentiunt Suar. de fide, disp. 6. sect. 7. à n. 10. lib. 1. de gratia cap. 3. n. 13. Vasques 1. 2. disp. 53. cap. 4. n. 14. Turrianus 1. 2. disp. 53. à §. deinde, & alii, qui sect. 15. subsect. 4. negant actum superioris virtutis imperari posse ab inferiori. Probat Suar. Actus imperatus debet proportionari imperanti; atqui actus malus non potest proportionari actui bono; ergo electio ex objecto bona, non potest imperari ab intentione mala. Respondetur negando Minorem, quia licet actus malus & bonus opponantur secundum rationem virtutis, & vitii; non tamen secundum rationem medii & finis: secundum enim hanc rationem proportionata sunt inter se, siquidem actus virtutis utilis est, & sæpissime utilior ad finem malum comparandum, quàm actus vitii.

58. Instabis: Ut electio illa fiat ex intentione vanæ gloriæ, non sufficit quod tantum conducat ad vanam gloriam, sed amplius requiritur, quod sit capax procedendi ex intentione illius: atqui electio ex objecto bona, non potest procedere ab intentione mala. Major probatur, quia licet affectus detestans vanam gloriam conducat ad gloriam obtinendam, quia tamen ab illa intentione non procedit, ex vi illius non fit, nec ab illa imperatur. Respondetur concedendo Major. negando Minor: est enim illa electio appetibilis propter vanam gloriam, & cum non contineat objectum incompossibile cum illius executione, ab illa procedit: detestatio verò illa habet objectum incompossibile cum consequutione vanæ gloriæ, ac proinde, si fuerit efficax, à vana gloria procedere non potest.

584. Hoc supposito circa quæstionem propositam dicendum est: Electio non pura circa objectum honestum, si imperetur ex intentione turpi mala est. Probatur, quia ut ista electio sit actus imperatus, debet eligi ex affectu imperantis, ita ut propter hunc existat, & iste affectus suæ existentiæ causa sit; atqui eligere intentionem circa objectum bonum ex intentione finis mali, malum est; ergo etiam ista electio mala erit. Tota probatio dependet ex sect. 8. subsect. 1. & 2. cum enim tunc illa electio non pura, sit amor virtualis mali finis, necessario in illam refundetur malitia istiusmodi finis. Confirmatur quia ex intentione mala non potest procedere effectus bonus: vitiata enim radice necessarium est quod fructus vitietur.

585. Oppositum docet Ripalda disp. 50. sect. 6. primò quia illa relatio, qua actus imperans refert imperatum, nil ponit intrinsecum in illo actu imperato; ergo non potest tribuere actui imperato bonitatem intrinsecam. Respondetur negando antecedens: pro quo notandum est, aliud esse actum imperari, aliud actum referri; imperium enim semper est antecedens, relatio autem semper est subsequens, vel concomitans actum imperatum: relatio namque supponit extrema existentia, & refert illud quod jam existit, imperium est causa per quam existit actus imperatus: licet ergo quando actus bonus ordinatur ad malum finem non amittat honestatem illam, tamen amittit quando imperatur, quia actus impe-

ratus est effectus intentioois male, ratione cujus existit, & per illum virtute voluntas vult etiam finem, quando verò actus imperatus refertur, per accidens se habet relatio, nihilque pooit intrinsecum in illo, ac proinde si pro suo arbitrio voluntas referat intentionem ad finem malum, illa relatio non tribuet maliriam aliquam intentioni relatæ.

SUBSECTIO OCTAVA.

Utrum electio bona ex intentione finis mali, sit pejor quam ipsa intentio solius finis mali?

586. QUæstio est facilis, & tractatur à Granad. tract. 3. disp. 6. ideoque breviter ab ea me expediam. Dico primo: Pejor est electio ex objecto bona propter malum finem, quam intentio solius finis mali. Probatur, quia tam in intentione quam in electione, finis est malus, insuperque electioni ex objecto bonæ additur deordinatio boni medii ad malum finem, in qua licet sit eadem malitia intentionis, illa deordinatio facit electionem pejorem.

587. Notat tamen & bene Granad. n. 57. interdum posse esse deordioationem boni medii potiorem in malitia, quam sit malitia ipsius finis, interdum verò posse esse minorem malitiam deordinationis: Major erit, siquis sumat sacram Eucharistiam ob vaoam gloriam, nam illa deordinatio propter magnum abusum tanti Sacramenti majorem malitiam habet, quam sit maliria vanæ gloriæ: minor verò, siquis eleemosynam det, ut contra castitatem peccetur, namque peccare contra castitatem majorem secum involvit malitiam, quam illa deordinatio.

588. Electio ex objecto bona, non est semper tam mala, quam intentio finis mali; quia semper finis est magis voluntarius, semperque electio eligit medium amatum indirecte, ut ordinatum ad finem.

589. Dixi (non semper).quia potest esse adeo magni ponderis bonum electum, ut deordinatio illius præponderet intentioni mali finis, verbi gratia, siquis eligat confessionem Sacramentalem, ut fœminas inducat ad libidinem. In hoc enim casu major est electionis maliria, quam malitia intentionis à solo fine desumpta.

SUBSECTIO NONA.

Utrum electio ex objecto malo honestetur ex intentione finis boni.

590. EST quæstio utrum siquis eligat mendacium verbi gratia, propter defensionem propriæ vitæ, publicam utilitatem, aut aliquid simile, ille finis bonus ita hooestet illam electionem ex objecto malo, ut electio evadat bona, excuseturque à culpâ? Respondetur negative. Est communis sententia, ita certa, ut oppositam, errorem appellet Becan. dub. 11. n. 123. defenditurque ab omnibus Scolasticis eum Magistro in 2. dist. 40. & ab aliis 1. 2. q. 19. art. 7. & 2. 2. q. 2.

591. Probatur primo ex Scriptura sacra, namque ad Roman 3. vers. 8. Apostolus damnat eos, Ad Rom. 3.
qui asserunt facienda esse mala, ut eveniant bona, ita enim habet: *Non sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere, faciamus mala, ut eveniant bona, quorum damnatio iusta est.* In quo aperte se, & cæteros Apostolos liberat Paulus à calumnia, quam illi quidam Pseudo Apostoli imponebant, quod scilicet intuitu boni finis eligi possent quæcumque media etiam mala, & hanc doctrinam tamquam blasphemam condemnat. Constat deinde ex Ecclesiastico cap. 42. vers. 24. ubi sic, *Qui* Ecclesiastic. 23.
offert sacrificium de substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui, & ex cap. 34. *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.* Quasi diceret, quamquàm illa immolatio sit sacrificium propter Deum factum, noo est tamen pura, sed maculata.

592. Probatur secundo ex jure canon. cap. *sacris*, de his quæ vi; ubi habetur pro nullo metu homini licitum esse peccare, quamvis enim loquatur de communicante cum excommunicato in crimine, vel in Sacris, tamen ratio, quæ affertur est, *cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere.* Et capite *super eo* de usuris, prohibetur usuras fieri pro redimendis captivis, *quia cum sacra scriptura prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis, &c.* Ac proinde prætextu cujuscumque boni, sive sit privatum, sive publicum, peccatum fieri non debet, etiam veniale, qood ex multis Juribus probat Gloss. dicto cap. *super eo*, verbo *dispensationem*.

593. Acriterque defenditur hæc veritas ab August. fere toto libro contra mendacium, præcipuè à cap. 7. ubi latissime probat non esse licitum mentiri propter quemcumque finem, ait enim eo in cap. *Ea quæ constat esse peccata nullo bono causa obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt*: & post multa, quæ in hanc materiam scribit, referunturque à Magistro in 2. dist. 40. cap. *sed*, concludit. *Quis hoc dicat, nisi, qui res humanas, mores, conatus, & leges subverteret* August.

594. Probatur tamen ratione. Malitia electionis illius libera est, & voluntarie volita; sed ad malitiam non requiritur, quod sit per se intenta, sed sufficit quod sive directe, sive indirecte, sit volita; ergo semper voluntas peccabit volendo illam malitiam. Confirmatur, quia si opposita doctrina foret vera, sequeretur, nullum esse adeo flagitiosissimum scelus, quod licitè amari non possit apposito bono fine, hoc autem quis non videt esse rationi contrarium, & communi hominum utilitati funestum, quæ ratio est D. August. August.
citati, ubi ita: *Quod impiissimum sacrilegium non dicatur posse fieri rectè, iuste, nec impunè tantum, verum etiam gloriosè, si semel concesserimus in omnibus malis operibus hominum, non quid fiat, sed quare fiat, esse quærendum?*

595. Oppositum censuerunt Authot imperfecti homil. 19. io Mathæum ubi ait, *Ex proposito bono, etiam quod videtur malum, bonum est, quia propositum bonum malum opus excusat* Cassianus collat. 17. approbans sententiam Abbatis Josephi, dicentis licitum esse mentiri propter aliquem bonom finem cap. 17. concludit: *Quando igitur grave aliquod imminet de veritatis confessione discrimen, tunc mendaciorum sunt recipienda perfugia.* Alii sunt, qui etiam hunc sequuntur errorem relati à Xisto senensi lib. 5. Bibliothecæ à numero 233.

596. Probant primo ex Scriptura sacra, ex illo Lucæ 11. vers. 34. *Si oculus tuus fuerit simplex* Lucæ 11.
totum corpus tuum lucidum erit, idest, juxta expositionem sanctorum P.P. præcipue Augustini 3. contra Julianum cap. 3. & lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 21. si oculus, idest intentio fuerit bona, etiam corpus, idest, electio, & opera, quæ ex illa iotentione bona sequuntur,

bona

Matth. 7. bona erunt, & ex illo Matthæi 7. vers. 18. *Non potest arbor bona malos fructus facere*; cum enim per arborem intelligatur intentio ab Augustino libro primo de gratia Christi cap. 18. & lib. 9. de vera & falsa pœnitentia cap. 2. sensus erit, arbor bona, id est, bona intentio non potest efficere fructus malos, id est, electionem malam, ac proinde quidquid ex illa intentione bona sequetur, bonum erit. Respondetur, unum & alterum locum intelligendum esse de intentione, vel formaliter bona, vel in electione participata; stante enim formaliter honesta intentione ex illa nequit mala electio oriri, ut dicemus subsect. 11. & participata intentio in electione est virtus intentionis manens in ratione ordinante media ad finem, quæ ordinatio non erit simplex, si media mala fuerint. Ita explicant Bonaventura in 2. dist. 38. quæst. 1. D. Thom. ibi & D. Thom. articul. 3. & si quis alias expositiones videre cupierit, adeat Vasques 1. 2. disp. 68. cap. 2. Suar. 1. 2. disp. 8. sect. 1. num. 23. Montesin. disp. 27. quæst. 6. num. 19.

597. Probatur secundo ex sanctis Patribus affirmantibus intentionem sive affectum, nomen Ambrosius. imponere operi, ita enim Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 30. *affectus tuus operi tuo nomen imponet*. Respondetur sanctos PP. & illud proloquium, intelligendum esse, quando opus electum est indifferens, vel quando opus electum est bonum, & finis malus, tunc enim finis malus vitiat totam electionem, & nomen operi imponit: loquebatur enim Div. Ambrosius de eo, qui eleemosynam jactantiæ causa porrigebat.

598. Tertiò, plures actus ex objecto mali, electi propter finem bonum, sunt boni, & excusantur à culpa. Probatur hoc antecedens. Primò, quia occidere semetipsum, & occidere alium est ex objecto malum; & tamen multi se, & alios occidentes propter finem bonum, excusantur à culpa: ergo jam finis bonus honestat electionem ex objecto malam. Min. probatur quia Samson se, & alios Iudicum 16. n. 30. occidens, ut constat ex cap. 16. Iudicum vers. 30. *Moriatur anima mea cum Philisthiim*, excusatur à peccato. Iudith etiam Holofernem occidit, quin aliquam maculam peccati incurreret: Beata etiam Apollonia in focum se projecit, multæque sanctæ Virgines, ne virginitatem amitterent, vel in aquas, vel in ignem se projecerunt, de quibus S. August. August. lib. 1. de Civitate Dei cap. 26.

599. Secundo probatur idem antecedens, quia mendacium de se est malum, & tamen quamplures mendacium elegerunt propter bonum finem, quin aliquod committerent crimen; ergo jam bonus finis excusat electionem malam à malitia. Minor probatur variis exemplis. Primo Genesis 12. vers. 13. ingrediens Abraham Genes. 12. Ægyptum, propter timorem mortis deprecatus est uxorem Saram, ut diceret se esse illius sororem, *Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis*, cum tamen non soror, sed uxor esset. Similiter Genesis 26. vers. 7. cum Isaac interrogaretur à qui- Genes. 26. busdam super uxore sua, respondit: *soror mea est*.

600. Secundò, Iacob propter primogenituram mentitus est patri suo Isaac, à quo cum quæreretur utrum esset filius suus Esaü? Genesis 27. vers. 19. *Dixitque Iacob: Ego sum primo-* Genes. 27. *genitus tuus Esaü, feci sicut præcepisti mihi*. Quæ verba videntur non posse excusari à mendacio, nec enim Iacob erat Esaü, nec Pater illi quidquam præceperat. Idemque Jacob videtur mentitus fuisse fratri suo Esaü quando Genesis 33. vers. 10. dixit: *sic enim vidi faciem tuam, quasi viderem vultum Dei*, cum tamen Esaü, nec moribus, nec facie pulcher esset. Genes. 33.

601. Tertiò, obstetrices operientes infantes Hebræorum mendacium protulerunt, & tamen Deus eorum mendacia remuneravit, juxta illud Exodi 1. vers. 21. *Bene ergo fecit Deus obstetricibus*. Exod. 1. tantum ergo abest quod illud mendacium fuerit peccatum, ut Deus illud remuneraverit tanquam opus meritorium.

602. Quartò, Iudith cum exiret ex Bethulia ad occidendum Holofernem, patriamque suam liberandam ab hostium incursione, cum in itinere caperetur mentita est dicens, quod aufugeret à Bethulia, eo quod certo sciebat illam fore destruendam ab hostibus suis; ita enim habet cap. 10. vers. 12. *Quoniam futurum agnovit, quod detur vobis in deprædationem*. & cap. 11. vers. 12. Iudith. cap. 10. *Ergo quoniam hæc faciunt, certum est quod in perditionem dabuntur*. Multa alia exempla circumferuntur, quæ ex solutione prædictorum solvenda sunt.

603. Respondetur negando anteced. & ad primam illius probationem, solum in duplici casu occisionem esse licitam: primo quando quis alium occidit authoritate publica jussus ab eo qui præest, vel qui potestatem habet, ex doctrina Angelici Doctoris 2. 2. quæst. 64. articul. 2. D. Thom. Secundo quando quis alium occidit, ut propriam vitam tueatur cum moderamine inculpatæ tutelæ, jure enim naturali cuique licitum est vim vi repellere. Namque in his casibus illa occisio non est ex objecto mala, cum enim varientur circumstantiæ operis, illæ circumstantiæ opus reddunt bonum.

604. In aliis verò casibus, semper homicidium illicitum est, neminique licet se ipsum occidere, quando verò illæ Virgines, & Samson, se ipsos occiderunt, hoc non fuit ex motione propriæ voluntatis, sed ex motione Spiritus sancti id suadentis, & ita excusat Samsonem D. Thom. cit. articul. 5. ad 4. dicens: *Dicendum quod sicut* D. Thom. *August. dicit in 1. de Civitate Dei, nec Samson aliter excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppresserit, nisi quòd latenter Spiritus sanctus hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat*. Et eamdem rationem assignat de quibusdam sanctis fœminis, quæ tempore persecutionis se ipsas occiderunt: quarum memoria in Ecclesia celebratur.

605. Ad secundam probationem antecedentis respondetur negando Min. & ad omnia exempla responderi potest unico verbo, verum esse, quòd illi omnes mentiti fuerunt, sed mendacium nullam habuisse malitiam, excusantur enim illa mendacia à malitia, non quidem ratione intentionis bonæ, sed ratione ignorantiæ invincibilis, quæ reddidit illam electionem involuntariam, malam quidem materialiter, non tamen formaliter; ac proinde non per se, ratione intentionis, sed per accidens, ratione ignorantiæ invincibilis excusantur à culpa illa mendacia, & hæc est doctrina communis de qua Suar. numer. 22. Vasques disput. 68. cap. 2. numer. 7. Belan. dub. 12. num. 145. Gransd. tract. 10. disput. 6. sect. 4. numer. 33. Montesin. numer. 107. Nam, quod mirabile non est, poterant existimare per ignorantiam omnino invincibilem, non esse peccatum propter bonum publicum, vel propter propriam vitam tuendam mentiri, Hoc enim existimaverunt Plato in 3. de Repu-

blica, ubi ita: *Veritas magnopere sectanda est; si enim Deo indecens, & inutile mendacium est, hominibus quandoque utile, ut utantur eo quasi condimento, atque medicamine: nulli dubium est, quin hujusmodi licentia danda sit, & ab imprudentibus removenda; ergo & principes urbium, si quibus & aliis hoc conceditur, oportet aliquando mentiri, vel contra hostes, vel pro patria, & civibus.*

Origen. Chrysostom. 606. Quod etiam tradiderunt Origenes lib. 6. Stromatum, & lib. 10. Chrysost. homilia 52. & 55. in Genesin, & alii erudissimi Doctores, si ergo isti existimarunt posse fieri mendacium propter bonum publicum, non mirum si illi Patres in illo priori ævo talem ignorantiam habuerunt de malitia mendacii, ut existimarint aliquando licitum esse.

607. Sed quia hæc solutio solum excusat illos Patres à malitia mendacii, non tamen à mendacio; adhibenda est alia solutio, in qua illos omnino liberemus à mendacio, nimirum in omnibus illis exemplis, negandum est dari aliquod mendacium, omnes enim vera locuti sunt, mysticè & figuraliter juxta sensum intentum ab Spiritu sancto ad nostram eruditionem, omnia enim in figura contingebant: hæc est solutio

D. Aug. D. Thom. Div. Augustin. quem relatum sequitur Angelicus Doctor. 2. 2. quæst. 110. articul. 3. ad 3. ubi sic: *si qua tamen in eorum dictis appareant, quæ mendacia videantur, intelligendum est ea figuraliter, & propheticè dicta esse: Unde Augustin. dixit in lib. contra mendacium: Credendum est illos homines, qui propheticis temporibus digni authoritate fuisse commemorantur, omnia quæ scripta sunt de illis prophetici gessisse, atque dixisse.*

608. Deinde præter has solutiones communes, quæ omnibus exemplis applicari debent, respondeo ad singula exempla in particulari, & primo ad primum de Abraham cum Div. Thom.

Genes 12. D. Thom. in cap. 12. Genes. ubi ita habet: *Dic ergo, obsecro quod soror mea sis; nota, quod in hoc nil falsum, imo verum fuit eam sororem dicere, erat enim vere soror ejus eo modo, quo & Loth infra dicitur esse frater eius, nam propinquos carne, fratres & sorores vocabant*: eodemque modo explicandus est modus dicendi Isaac.

S. August. D. Thom. 609. Ad secundum, respondeo, cum eodem Div. Thom. & Augustin. lib. 16. de Civitate Dei cap. 37. ait enim Angelicus Doctor in cap. 27. Genes. *Sed numquid hoc verbum fuit mendosum? Augustin. 16. de Civitate Dei, dixit: quod hic non fuit dolus simplicis, & filio non mentientis, sed profundum mysterium Veritatis. Sicut autem Christus non est mentitus, quando de Joanne dixit, ipse est Elias, quia ibi accipitur Elias non pro persona, sed pro conformi officio & virtute, sic & Iacob vere dixit se esse Esau, non secundum personam, sed vice, & dignitate primogenitura sibi divinitus tradita, & iam prius sacramentali promerita*: lateque hanc excusationem prosequitur Angelicus Doctor. Alius locus de laude Esaü, nullum continet mendacium, locutus est enim de eo, ut de homine, qui offensus opera bona, velut Deus ei faciebat.

610. Ad tertium, duplicem distinguo actum in illis obstetricibus: primus est timor Dei, quem habuerunt, ne interficerent infantes; secundus mendacium, quod dixerunt Pharaoni in illis verbis: *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt.* Deus vero non remuneravit illas pro mendacio, sed pro timore Dei, nec iste timor viriatus est ex mendacio, licet enim mendacium processerit ex illa intentione timoris materialiter, tamen illud mendacium fuit consequens, & electio consequens non turpat intentionem honestam, ex dicendis subsect. 12. & ita videtur explicare Augustin. lib. contra mendacium cap. 10. ubi: *Quod scriptum est, bene Deum fecisse Hebræis obstetricibus, non ideo factum est, quia mentita sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt: non est in eis remunerata fallacia, sed benevolentia mentis, non iniquitas mentientis.* Augustin.

611. Ad ultimum respondetur cum D. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. excusandam esse propter mysticum intellectum in ejus verbis inclusum, ita enim habet, *quamvis etiam dici posset, quod verba eius veritatem habent secundum aliquem mysticum intellectum.* D. Thom.

612. Scio à quibusdam tam verba Iudith, quam aliorum Patriarcharum excusari ex duplici capite: primo ex eo quod eorum verba erant ambigua, verbisque ambiguis licitum est uti: Secundo ex eo quod licitum est uti additiunculis, & dissimulatis appendicibus verborum mentaliter, idem verbis, quæ faciant sensum verum, verbi gratia si quis interrogetur utrum viderit Petrum, respondeat à se Petrum non esse visum, addens in mente, in tali, vel tali loco, per quam additiunculam redditur verus sensus verborum, quæ prolata sunt exterius, etiamsi Petrus visus fuerit, ex qua doctrina Celada in Iudith cap. 10. vers. 4. §. 5. numer. 42. excusat Iudith asserens Authores utriusque modi dicendi; de quibus æquivocationibus, probans esse licitas agit tract. de æquivocatione, Marulus Spalstensis lib. 4. & prius Lessius lib. 2. de justit. cap. 42. dub. 9.

613. Sed ut verum fatear, hæc doctrina de usu verborum ambiguorum, & de additiunculis illis additis in mente, & de similibus æquivocationibus, non est adeo mihi perspecta, nec certa, contra illam enim, ut contra doctrinam iniquam ex professo egerunt Genesius Sepulveda toto libro, cui titulus est *Theophilus*, Ioannes Barnesius Benedictinus tota dissertatione contra æquivocat. ac proinde in præsenti nec approbo, nec reprobo illam excusationem Iudith.

SUBSECTIO DECIMA.

Utrum etsi electio ex obiecto mala non honestetur ex fine bono, saltem ex illius intentione minuatur eius malitia.

614. Constat ex præcedenti subsectione, electionem ex objecto malam numquam honestari ex intentione finis boni. Inquiritur in præsenti, utrum saltem malitia præfatæ electionis minuatur ex intentione illius finis boni. Verbi gratia, si quis eligit furtum, ut succurrat propriis parentibus, utrum in hoc casu illa electio furti minorem habeat malitiam, quia ordinatur in illum finem bonum succurrendi parentibus, an habeat eamdem, vel majorem malitiam, quam haberet, si solum eligeretur, vel si eligeretur ob aliquem finem malum?

615. Respondetur, electionem ex objecto malam non habere duplicem malitiam, nimirum ex objecto, & ex intentione boni finis, quin potius ejus malitiam ex objecto minui, eo quod eligatur ex fine bono. Ita Azos tom. 1. lib. 12. cap. 5. §. 8. *quæritur*. Zumel. 1. 2. quæst. 73. articul. 6. ubi Vasques disp. 69. num. 2. 2. Curiel. §. 2. Suar. disp. 8. sect. 1. num. 26. Montesin. disp. 27. num. 127. Granad. tract. 10. disp. 6. sect. 5.

num. 44. ubi refert Medinam, & Cliphat. quæst. de libertate. Bellarm dub. 2. n. 48. Pesantius quæst. 19. art. 7. ubi Martinez dub. 2. Salas sect. 11. §. *conclusio*. Caetan. 2. 2. q. 184. art. 3. novissime Caspenlus disp. 3. sect. 4. n. 22. Carmelitani disp. 5. dub. 2. §. 2. n. 10.

616. Probatur prima pars, quod scilicet illa electio non habeat duplicem malitiam: primò, quia intentio succurrendi parentibus verbi gratia, secundum se præcisa non potest esse mala; ergo tantum erit mala prout ordinat illud medium; atqui in medio solùm est malitia furti: ergo non alia malitia potest inveniri in illa electione.

617. Secundò, si daretur duplex malitia in illa electione, qui furatus esset, ut succurreret parentibus, duo committeret peccata, duoque solveret præcepta, & utrumque teneretur confiteri, quod est falsissimum, cum tantùm frangatur præceptum de furto non faciendo, & hoc tantum furtum teneatur confiteri; ergo ex illa intentione nullam recepit illa electio malitiam, quæ condistincta sit ab illa malitia furti.

618. Secunda vero pars, quod scilicet malitia electionis sit minor, probatur ab Augustin. relato à Magistro distinct. 46. in 2. proponens enim Augustin. hanc quæstionem resolvit; *Pejor enim est qui concupiscendo quam miserando furatur*: & tom. 3. in Enchiridione cap. 18. similia habet, *non sic peccat ille, qui consulendo, quomodo ille qui nocendi voluntate mentitur*, viderique potest Angelicus Doctor s. 2.

619. Explicant tamen prædicti Doctores, non minui malitiam electionis ex parte objecti, sed ex parte voluntarii: nam objectum sum eadem deordinatione persistit, ac proinde ex parte illius nulla potest fieri diminutio in malitia, fit tamen ex minori voluntario, nam qui furatur ut succurrat parentibus, minus voluntarie furatur, sed peccatum in tantum est peccatum, in quantum voluntarium est; ergo cæteris paribus, quo magis vel minus actus est voluntarius, gravius vel levius peccatum erit. Major probatur, quia cæteris paribus minus voluntarium est id quod fit propter aliud, quàm id quod fit propter se; illud enim quod fit propter aliud, semper secum infert aliquid extrinsecum, ratione cujus redditur minus voluntarium; atqui electio illa mala fit propter finem bonum; ergo minus voluntarie.

610. Confirmatur, quia licet actus quo quis propter alendos parentes furatur, possit esse magis intensus, quam actus quo quis simpliciter furatur, non est tamen magis voluntarius: tum quia minus movetur voluntas à medio, quàm à fine, tum quia propter illum finem malitia medii minus consideratur: unde rustici multoties cogitant furtum esse bonum propter aliquem finem bonum admissum.

Quæ omnia confirmari possunt illo proloquio, *Qui furatur ob adulterium, magis est adulter, quam fur*: & illo, *qui furatur ad finem bonum, magis vult bonitatem, quam malitiam*: ex quibus rejicitur ratio Montesini citati numer. 132. qui ex eo probat illam electionem esse minus malam, quia minor ratio mali apparet in medio; simulque alia ratio ex ordine agentium naturalium, quam affert Granad. sect. 15. numer. 55. utraque enim est parum probabilia, de quo aliqua sect. 7. subsect. 8.

621. Oppositum docuit Lorca sect. 2. de actibus humanis disput. 42. memb. 3. §. *sit conclusio*. Primo ex Magno Augustino, cujus locus in cap. forte 14. quæstion. 5. ubi ait: *Qui furatur ut det eleemosynam, si totum tribuat pauperibus, quod abstulerat, addit potius peccatum quam minuit*, ubi sentit August. quod malitia furti augetur ex fine eleemosynæ. Respondetur primò, authoritatem illam non esse contra nos; non enim ait quod augeatur malitia furti, sed quod ille, qui furatur, addat peccatis suis aliud peccatum, nimirum furti, quod verum est.

622. Respondetur secundo, August. non comparare electionem propter bonum finem, cum electione mala simpliciter, vel propter malum finem, sed cum eo, qui elargiens eleemosynam ex furto redditur incapax ad restituendum, præcipue si non habeat unde restituat, multiplicat enim peccata primò furando, secundò donando: ac proinde in illo peccato duo sunt status; unus est accipere alienum invito domino; alter est non restituere alienum: in secundo gravius peccat, præsertim si distribuat, quin habeat unde restituat; ex hac enim impossibilitate restituendi in qua collocatur, gravius peccat: unde qui furatur ad retinandum furtum, minus peccat quam qui furatur ad distribuendum illud pauperibus, quæ minor malitia non provenit ex fine, sed ex eo quia non redditur impotens ad restituendum, imò hoc facit cum spe futuræ restitutionis: semper tamen illud furtum propter finem bonum est levius, quam si propter illum non fieret.

623. Secundo argues: Ex hac doctrina sequitur electionis culpam posse totaliter minui, hoc autem est contra id quod docuimus superiori subsectione: ergo, &c. Sequela probatur, quia finis bonus minuit culpam; ergo quò finis fuerit melior, magis minuet culpam; ergo tantum poterit crescere rectitudo finis, quod omnino minuat malitiam illius electionis.

624. Respondetur negando sequelam, ad probationem respondetur primo negando primam consequentiam, cum Vasquio Montesin. & aliis, quia cum malitia illa minuatur ratione voluntarii, non verò bonitatis finis, potest quis intensius, & magis voluntarie velle finem minus bonum, reddi potest electio minus voluntaria, quam si eligeretur ob finem meliorem, & hoc modo intelligenda sunt quæ diximus supra sect. 7. subsect. 8. Sed quia Granad. numer. 49. oppositum huic solutioni docet & quidem minus probabiliter, ut ex illa constat; Respondetur secundò negando secundam consequentiam, quia si non interveniat ignorantia invincibilis de malitia objecti, semper electio illius objecti voluntaria manet, manetque consideratio malitiæ objecti sub quibus volitio non potest reddi honesta: non enim decrescit malitia Arithmetice per certum gradum, sed Geometrice, & proportionaliter, de quo disp. 4. sect. 10. subsect. 7. quamvis oppositum afferat citatus Granad. n. 54.

625. Tertio, qui occidit hominem, ut ejus bona furetur, pejus peccat, quam qui occidit propter Dei odium, & tamen odium est finis pejor, quam sit furtum; ergo si major malitiæ finis non aggravat malitiam electionis, nec etiam bonitas finis electionis malitiam. Respondetur negando Majorem; si enim odium Dei sumatur, ut speciale peccatum contra charitatem proximi, necessario debet plus aggravare malitiam electionis, quàm furtum, quia tunc illa electio occisionis habet duplicem malitiam, & malitia addita, odii Dei major est, quam ma-

litia addita, furti.

626. Quarto, bono sui videtur injuriam erogare, qui per media mala illum consequi vult; ergo ex illa injuria major malitia accrescet electioni. Respondetur negando consequentiam, quia diminutio malitiæ hîc accipitur ex minori voluntario, quod semper datur in electione, quoties fit propter aliquem finem, injuria verò illa, cum non sit specialiter intenta, nullam tribuit malitiam.

SUBSECTIO UNDECIMA.

Utrum electio mala oriri possit ex intentione formaliter honesta.

627. SUppono primo quæstionem esse de intentione efficaci, nam inefficax non est ratio volendi media. Secundo intentionem, vel esse antecedentem, vel consequentem: antecedens est illa, ex cujus vi eliguntur media; consequens est, quæ supponit medium antecedenter volitum. Tertio, intentionem antecedentem posse esse causam necessariam electionis ex objecto malo, id est, ex qua necessariò sequatur electio, verbi gratia si unicum fuerit tantùm medium. Quarto, dupliciter posse intendi finem honestum. Primo, formaliter, id est, si voluntas intendat finem sub ratione bonitatis, & propter ipsam bonitatem: Secundo materialiter, si nimirum voluntas versetur circa finem honestum, sed sub aliqua ratione mala? His positis.

628. Dicendum est primò: Ex intentione formaliter honesta oriri non potest electio mala. Ita Vasques disput. 68. cap. 1. numer. 3. §. *ceterum*. Pesantius quæst. 19. articul. 7. disput. 1. conclus. 3. Becan. tract. 1. tom. 1. Summ. cap. 5. quæstio. 3. numer. 5. Peres lect. 1. Examinis. part. tert. cap. 18. Martinez quæst. 19. articul. 7. dub. 1. §. *conclus. ergo*. Belan. dub. 41. numer. 152. non tenuit Montesin. disput. 27. quæst. 6. numer. 114. ubi ait intentionem honestam discontinuari vel mutari, quando eligitur medium malum, & numer. 115. asserit finem tunc formaliter esse malum; quæ etiam est doctrina Suarii disput. °. sect. 1. num. 26. Videatur etiam Granad. tract. 10. disp. 6. sect. 4. n. 38. ubi ait, tunc intentionem bonam non esse causam per se electionis malæ.

629. Probatur primo authoritate Augustin. in Enchiridione cap. 15. & lib. 3. contra Iulianum cap. 5. ubi ita: *Licet ex homine oriri possit bona, vel mala voluntas, tamen ex mala voluntate non potest oriri bonum opus, nec ex bona malum*: & Div. Bernard. lib. de dispensatione, & præcepto cap. 17. quo loco duo ait requiri, ut intentio sit bona: unum est charitas in intentione, id est, propositum virtutis; alterum est veritas in electione, id est, ut ex illa intentione nihil contra rationem eligatur.

630. Probatur secundo: Intentio non movet voluntatem ad electionem medij, nisi quatenus est utilis ad finem; atqui electio mali medii non est utilis ad finem bonum; ergo ex intentione finis boni non potest eligi electio mala. Major patet, quia de essentia electionis est, ferri in medium utile consecutioni finis intenti. Minor verò probatur, quia malitia non est utilis ad acquirendum finem honestum, qua honestus est. Patet hoc, quia malitia est aversio honestatis, illique omnino opponitur: atqui aversio unius, non potest esse utilis, sed noxia rei, cujus est aversio; ergo malitia non potest esse utilis, imò noxia ad consecutionem finis honesti, qua honesti.

631. Confirmatur primo, quia ex opposito, possem eligere medicinam noxiam sanitati, ad sanitatem ipsam conservandam, compedes ut celerius currerem. Secundo, si intentio illa foret bona, maxime, quia esset volitio finis honesti; sed finis comparandus per media mala, non est honestus; ergo nec intentio illa potest esse honesta. Minor probatur, quia licet ille finis sit de re bona, tamen ut consequendus includit essentialem ordinem ad media, per quæ consequi debet, estque illorum volitio, quæ eodem præcepto prohibita est, atque media ipsa; ergo finis ille ut sic comparandus per illicita media non est honestus, sed turpis.

632. Probatur tertio: Illa intentio eo ipso, quod ex illa eligitur medium malum, est turpis; ergo nunquam mala electio oriri potest ex intentione formaliter honesta. Pro probatione antecedentis suppono tribus modis intendi executionem finis, qua honestus est: primo per media in communi & in confuso non descendendo ad media particularia: Secundo, descendendo ad media particularia, sed indeterminate, ita ut quis intendat acquirere honestum per quæcumque media, sive bona, sive mala sint. Tertio, si quis intendat consequi finem per medium determinate malum, etiamsi alia occurrant honesta; vel per unicum, ita ardenter, ut si non fuerit aliud nisi medium malum, illud eligat: hoc supposito

633. Intentio, qua quis intendit consequi finem primo modo, adhuc est formaliter honesta, electio namque illa circa media in communi, est de objecto honesto, nec habet unde vitietur, & illa non vitiata, vitiari non potest intentio.

634. Intentio ergo secundo, & tertio modo statim in principio mala est. Probatur, quia intentio non aliter causat electionem, nisi inclinans voluntatem ut eam eliciat, intentio autem inclinat voluntatem ad electionem eliciendam, quatenus est volitio implicita ejusdem electionis: atqui volitio electionis malæ non potest esse honesta; ergo neque intentio illa. Major probatur primò, quia intentio non inclinat voluntatem efficienter, sed seipsa. Secundo, quia inclinatio, quam voluntati infert intentio, continet absolutam repugnantiam cum nolitione electionis; atqui hoc oritur ex eo quod intentio est virtualis volitio electionis, nõ solum interpretativæ, sed etiam realis: ergo, &c. Tertio, quia qui vult causam, in qua necessariò, vel per se cõtinetur effectus virtute, etiam vult effectum: atqui finis est causa, ex qua necessariò sequitur electio mediorum; ergo qui vult finem prævidens solum per malum medium posse comparari virtute, etiam vult illud medium, & per consequens intentio finis erit virtualis volitio electionis.

635. Tandem probatur conclusio, quia illa intentio secundo modo accepta (demus quod non sit mala) adhuc ex vi illius non oritur electio. Probatur, quia nemo actualiter consequitur finem intentum, nisi per determinatum medium, & electionem determinatam; ergo si quis intendat finem per media indeterminate consequendum, quando postea eligit certum medium, per quod ille finis consequendus est, electio istius medii non oritur ex prima, sed ex nova intentione: non enim potest quis primò velle media in

confuso, & postea in particulari determinatè, per eamdem omnino intentionem, cum enim mutetur objectum, mutanda est etiam intentio; ac proinde illa prima intentio, ex qua quis consequi vult finem per media indeterminate (dato quod sit bona) non influit in electionem malam, ac proinde requiritur nova intentio, per quam quis eligat certum & determinatum medium necessarium ad finis consequutionem; quæ intentio, licet sit intentio finis boni, quia tamen est volitio virtualis medii mali non potest esse formaliter honesta.

636. Quare, quando oritur electio mala, non oritur ex aliqua intentione formaliter honesta; sed cum voluntas eligit medium malum, vel desistit ab intentione prima, quam habuerat; vel illam omnino mutat incipiens intendere finem honestum propter aliquam causam quæ honesta non sit, vel si voluntas non desistit, nec mutat primam intentionem, signum est illam intentionem à principio non fuisse honestam, ut bene Suar. n. 25. docet.

637. Oppositum, quod scilicet stante intentione formaliter honesta ex ea sequatur electio mala, videtur amplecti ab Angelico Doctore in 2. dist. 38. q. unica art. 5. & 1. 2. q. 9. art. 7. ad 3.
D.Thom. quamquam meo jure intelligi debet de intentione materialiter honesta. Sequuntur Valentia disp. 2. q. 14. punct. 7. Lorca sect. 2. de actibus disp. 41. memb. 1. Caspensis. 2. tract. de bonitate disp. 2. sect. 2. n. 18 eam etiam sequuntur, dummodo medium non sit unicum, nec ex ea sequatur necessario electio, sed sint plura media sive bona, sive mala. Gregor in 2. dist. 38. q. unica art. 2. Almaynus tract. 1. moralium cap. 11. & tract. 3. cap. 18. Conradus 1. 2. q. 19. art. 7. ad 2. ibi Medina, ubi addit illam intentionem, quatenus præcise est intentio, esse bonam, quatenus verò est volitio medii, esse malam.

638. Probant primo, quia ut *se habet principium in speculabilibus, ita finis in practicis*, sed ex principio vero deducitur conclusio falsa; ergo etiam ex intentione formaliter honesta poterit oriri electio mala. Respondetur negando Minorem: impossibile enim est, quod ex aliqua propositione inferatur conclusio, illi directè repugnans; cum enim conclusio contineri debeat in antecedente, non potest falsitas conclusionis contineri in veritate propositionis præmissæ, ut ex ea inferatur conclusio falsa.

639. Instabis: Etiamsi ex antecedente vero per se, non inferatur conclusio falsa per accidens, tamen ratione conjunctionis cum altera præmissa falsa, inferri potest; ergo similiter, licet per se, & ex vi intentionis formaliter honestæ, non possit eligi medium malum, poterit tamen eligi per accidens ex conjunctione cum altera intentione mala. Ant. probatur, quia ex una conclusione de fide, & altera falsa infertur conclusio falsa; ergo similiter.

640. Respondetur primo, cum Belan. n. 134. negando ant. quia nec per accidens inferri potest ex aliquo principio conclusio illi directè repugnans: ad probationem negatur antecedens, quia præmissa de fide in illo casu non concurrit ad assensum conclusionis falsæ, sed tantum concurrit præmissio falsa.

641. Respondetur secundo, cum Suar. tract. de fide disp. 6. sect. 5. n. 4. concedo antecedens, nego consequentiam: diversa ratio est, primò quia in illo casu, præmissa de fide, (sive scientiæ) non concurrit ad actum, ut est falsus, sive ad falsitatem, sed ad actum, qui falsus est, eo modo, quo Deus concurrit ad actum peccaminosum, non ut peccatum est, sed qui peccatum est: Intentio verò illa honesta, si concurreret, esset ad electionem formaliter malam: non enim potest fieri electio mala ex vi illius intentionis, nisi determinate, virtualiter sit volitum medium determinatum per intentionem: secundò, quia conclusio non postulat connexionem cum utraque præmissa separatim, sed cum utraque simul; non enim dependet à qualibet tantum, sed ab utraque: at verò electio debet connecti cum utraque intentione separatim: unde siquis velit audire sacrum in templo, & studere, non potest utraque simul movere ad electionem facti, ac proinde intentio honesta & mala non potest movere voluntatem, nam honesta movet ad electionem utilem honestati, mala verò ad electionem eversivam honestatis, ideoque ex utraque non debet procedere electio, sed ex una, quod quidem diversum est in præmissis, in qua una præmissa tantum concomitanter potest se habere ad productionem conclusionis.

641. Probant secundo, quia si voluntas intendat finem honestum, qua honestum, postea verò eligat medium malum, ista electio oritur ex intentione mala. Probatur hoc antecedens, quia voluntas ex occasione illius primæ intentionis honestæ mota est ad electionem malam. Respondetur negando antecedens, & ad probationem similiter negatur antecedens, quia illa intentio, ut sit honesta, debet esse circa media bona, vel in confuso; voluntas non inclinatur ad electionem malam per intentionem circa media in confuso: quod si ex apprehensione, & judicio, voluntas eligat medium malum, jam movetur ex alia intentione, quæ intendit consequi finem bonum per media mala, & hæc intentio jam non est honesta, sed turpis: quare tantum abest, quod intentio honesta sit occasio electionis malæ, quod illam electionem rejiciat, ut contrariam, & eversivam sui: unde quamvis finis semper sit honestus, hoc est materialiter tantum, & secundum se, non autem formaliter ut consequendus est per media.

643. Probant tertio: qui intendit solutionem debiti, quia honesta est, intendit ipsam solutionem, etiam secundum suam substantiam; atqui furtum potest esse utile medium ad illam solutionem consequendam; ergo ex illa intentione solutionis, eligi poterit furtum. Respondetur; transeat Major: distinguo Minor. furtum potest esse utile medium ad consequendam solutionem secundùm se propter aliquod commodum, concedo: propter honestatem, nego: quomodo enim potest esse medium ad finem consequendum, si medium est eversivum ipsius finis? Ac proinde, vel voluntas debet desistere à prima intentione, vel non potest eligere tale medium.

644. Dicendum est secundo: ex intentione finis materialiter honesti, eligi potest medium malum. Ita Doctores supra citati n. 637. expressit Montesin. n. 18. & probatur, quia experientia constat, quod sæpissime quis intendens salutem vitæ, eligit adulterium, vel mendacium: intendens satisfacere creditori, vel succurrere parentibus, eligit furtum; atqui illa intentio est de fine bono, & honesto, honestum enim est salvare vitam, satisfacere creditori, succurrere parentibus; ergo etiam intentio circa talem finem honesta est, non quidem formaliter, ut conse-

quendus est per talia media, sed materialiter tantum.

SUBSECTIO DUODECIMA.

Utrum intentio formaliter honesta vitietur ex electione turpi consequenti?

645. QUæstio procedit de intentione, quæ non causat electionem turpem, sed eam, postquam electum est aliquod medium bonum, postea sequitur electio turpis: Respondeo, intentio formaliter honesta non vitiatur ex electione turpi consequente. Probatur primo, quia illa intentio formaliter honesta, vitiaretur ex electione, vel quia hæc est ejus effectus, vel quia est ejus circumstantia: atqui ex dictis numero 618. electio turpis non est effectus intentionis formaliter honestæ: deinde cum ad illam intentionem non spectet, non est illius circumstantia juxta conditiones circumstantiarum, de quibus supra 511. ergo nullo modo electio ista consequens poterit vitiare intentionem formaliter honestam.

646. Secundò, quia dato & non concesso, quod illa electio per accidens sequatur ex illa intentione, adhuc hæc non vitiabitur ex illa: ut probabiliter existimat Suar. citatus t. 2. disp. 8. sect. 1. n. 25. ex eo, quia in illo casu non intentio, sed libertas est causa mala electionis; ergo libertati, & causæ deficienti tribuenda est malitia reperta in illa electione. Consequentia patet, nam sicut duæ præmissæ una falsa, altera de fide concurrunt ad conclusionem falsam: ita intentio & voluntas concurrunt ad electionem malam: atqui falsitas conclusionis non tribuitur præmissæ de fide, sed falsæ; eo quod conclusio falsa non procedit per se à præmissa de fide; ergo similiter malitia electionis voluntati, & non intentioni formaliter honestæ tribuenda est, eo quòd illa electio per se non procedit ab illa intentione.

647. Quare causa cur electio turpis non oritur ex intentione formaliter honesta, non est quia ex electione intentio illa vitiaretur: sed quia implicat medium malum eligi ad consequutionem finis intenti per electionem, ut late probavimus in hac disput. à numero 630.

SUBSECTIO DECIMA TERTIA.

Utrùm si electio fiat ex duplici fine; uno bono, & altero malo, electio sit simul bona, & mala: vel tantum bona, vel tantum mala?

648. HOc dubium præcipue tractant Vasques disp. 70. Montesin. q. 8. pro cujus resolutione suppono primo intentionem finis, vel esse comitantem vel consequentem, vel antecedentem: comitans non est causa electionis sed datur cum ipsa causa electionis, ut siquis ex misericordia largiatur eleemosynam, si simul glorietur ex vana gloria de opere alio vel de illa, illa voluntas gloriæ, est intentio comitans: consequens est, quæ consequitur ipsam electionem, ut siquis ex elargitione eleemosynæ capiat vanam gloriam: antecedens est causa electionis, ut quando ex intentione misericordiæ elligitur eleemosyna: ex quo voluntas consequens, vel comitans numquam vitiat electionem. Antecedens verò intentio, si est mala, semper illam vitiat: ista intentio antecedens adhuc duplex est, una motivi finis, altera finis impulsivi. Pro quo

649. Suppono secundo unum & idem medium posse esse volitum propter duos fines; motivum unum, impulsivum alterum, quorum unus bonus, alter malus sit, quæ est doctrina D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 3. ad 3. ubi sic: *Possibile est, quod unus actus secundum speciem naturæ ordinetur ad diversos fines voluntatis: sicut hoc ipsum, quod est occidere hominem, qui est idem secundum speciem naturæ, potest ordinari, sicut in finem ad conservationem justitiæ, & ad satisfaciendum iræ;* D. Thom. & utrque finis potest esse causa electionis: finis motivus est, qui ita est causa operis; ut sine illo nulla modo fieret opus: impulsivus verò est ille, sine quo simpliciter fieret opus, sed non tali modo, tempore, & vehementia, ac proinde non est causa operis, sed animum jam motum ab alio fine, impellit, ut peculiari modo fiat; de quo Vasques citat. cap. 3. n. 11.

650. Suppono tertio, finem motivum posse esse bonum, & impulsivum malum, vel impulsivum bonum, & motivum malum, ut si quis ex charitate velit succurrere indigenti, & impellatur ex vana gloria, vel ex vana gloria velit succurrere indigenti, & impellatur ex affectu misericordiæ. Quarto suppono hanc utramque intentionem finis motivi, & impulsivi esse independentem inter se, ita ut una ex altera, nec honestetur, nec vitietur: quibus suppositis,

651. Insurgit dubium, qualis nimirum sit electio illa facta propter utramque intentionem. Respondeo electionem illam esse malam. Ita Vasques citatus cap. 2. Montesinus n. 542. Carmelitani citati disp. 6. n. 1. §. 4. à numero 171. fuitque opinio Gregorii in 2. dist. 41. q. unica; debetque esse omnium Doctorum, qui negant eumdem actum posse esse bonum ex objecto, & malum ex fine, de quo infra sect. nona, subsect. 1.

652. Variis fundamentis probatur: ego tamen unico tantum utor, eoque efficaci, quod etiam tetigit Vasques citatus n. 6. electio circa bonum medium ex intentione mala, mala est: ex dictis subsect. 8. à n. 513. electio circa medium malum ex intentione bona materialiter, mala est: ex ibidem dictis; ergo similiter electio circa objectum bonum ex utraque intentione una bona, & altera mala, mala erit. Probatur consequentia, quia si intentio bona formaliter moveat electionem bonam, & postea ex intentione mala voluntas impellatur ad eamdem electionem, perit intentio bona, vel omnino mutatur in malam, ita ut succedat alia, ut dixi supra à n. 636. & solum ex intentione impulsiva mala illa electio procedit: & per consequens electio bona esse potest, faciuntque pro veritate hujus argumenti omnia argumenta citatis locis allata.

653. Dices primo: Illæ intentiones non sunt ordinatæ, sed tantum concomitanter se habent; ergo una ex alia non vitiatur. Respondetur, concedo totum; non enim illæ intentiones vitiantur ex eo quod conjunctæ sint, vel concomitanter se habeant; non enim una ab altera vitiatur, sed ex eo quod ex illis oritur electio mala, si enim non influeret in electionem, utraque intentio maneret cum sua bonitate, vel malitia.

654. Dico secundo, supponamus, quod electio boni prius oritur ex intentione finis boni, & postea impellente voluntatem intentione mala,

eadem electio vitietur ex malo fine, tunc illa electio erit simul bona & mala. Respondetur negando consequentiam, quia adveniente intentione mala destruitur bonitas, quæ erat ex intentione bona. Nec hoc argumentum est ad rem, nos enim loquimur de simultaneo concursu utriusque intentionis.

655. Dices tertio: saltem opus externum procedens ab utraque intentione poterit esse simul bonum, & malum. Probatur hoc antecedens, nam passio Christi Domini optima fuit, ut processit ex intentione Patris æterni, pessima autem ut processit ex intentione Judæorum. Eleemosyna etiam potest præstari à servo propter inanem gloriam, & à domino, propter charitatem. Respondetur distinguendo antecedens, opus externum procedens ab utraque intentione quarum una existat in uno subjecto, altera in alio, poterit esse simul bonum, & malum, concedo: existente in uno, & eodem subjecto, nego: cum enim tunc illud opus sit duplex, actus diversus in diversis agentibus repertus; ut in uno profluit ex intentione mala, erit malus, & ut in altero profluit ex intentione bona, bonus erit: numquam tamen idem numero actus externus quocumque modo procedat ex intentione ejusdem voluntatis, poterit esse simul bonus & malus, de quo infra sect. 12. subsect. 11.

656. Oppositum docuit Vuilielmus de Bellomonte citatus ab Almaino tract. 1. cap. 12. quod partim sequitur ipse Almainus: namque Vuilielmus docuit opus, & electionem procedentem ab utraque intentione esse simul bonam & malam. Almainus verò id tantum docet de opere externo, non vero de electione, utrumque tamen falsum, ut dictum est.

SECTIO NONA.

De simultate bonitatis, & malitiæ.

657. QUamvis videatur intempestivum agere de simultate bonitatis & malitiæ, ante explicatam malitiæ rationem formalem, attamen locum hunc commodiorem elegi, ne ex omnibus quæ ad bonitatem spectant, aliquid desideretur.

Et quæstio est, utrum idem actus interior possit esse bonus, & malus (loquor de actu interno, nam de externo infra disputandum est) & variè excitari potest hæc quæstio. Primò, utrum idem actus interior possit esse simul bonus & malus: secundò, utrum saltem successive: tertiò, utrum de non bono possit fieri bonus, & de non malo malus; quæ quidem specialem postulant discussionem.

SUBSECTIO PRIMA.

Utrum idem actus interior possit simul esse bonus, & malus?

SUpponendum est primo ex Suar, 1.2. tract. 3. disput. 8. sect. 1. n. 2. quod desumptum est ex D. Thom. variis in locis, & ex Scoto in 1. dist. 17. q. 3. non esse quæstionem utrum idem actus possit esse simul simpliciter bonus, & simpliciter malus; hoc enim implicat; nam actus bonus simpliciter dicitur ille, qui sine aliquo defectu habet omnem sibi debitam perfectionem; ad actum autem simpliciter malum sufficit, quod careat aliqua perfectione, juxta tritum sancti Dionysii pronuntiatum: impossibile autem est eumdem actum habere & non habere omnem perfectionem; simulque impossibile est eumdem actum esse conformem, & difformem simul rectæ rationi: quare quæstio est utrum in eodem actu reperiatur bonitas, & malitia, ita ut secundum unam speciem dicatur simpliciter, & secundum alteram dicatur secundum quid: sicut in aqua calida reperitur simul calor, & frigus, & dicitur simpliciter calida, & secundum quid frigida.

D. Thom. Scotus.

658. Supponendum est secundo, non esse quæstionem utrum actus possit simul esse bonus & malus respectu ejusdem: impossibile enim est, quod ex eodem capite actus habeat bonitatem, & malitiam, nam *idem secundum idem semper facit idem*, ideo ex objecto eodem modo accepto, non potest procedere idem met actus bonus & malus. Tertio, non esse quæstionem respectu diversorum agentium, namque idem actus, ut à Deo procedit, bonus est; ut autem ab homine, malus. Est ergo quæstio, utrum idem numero actus respectu objecti circumstantionati, possit esse simul bonus simpliciter, & malus secundum quid, vel è contra.

659. In qua quidem quæstione duplex est sententia extremè opposita. Prima affirmativa, quam docet Cajet. tom. 1. opusc. tract. 31. respons. 14. q. 1. Abulens. q. 21. in caput. 6. Matthei. Angestus in moralibus cap. 14. conclus. 3. Cordubens. in quæstionar. lib. 2. q. 23. §. *quibus non obstantibus*. Lorca de actibus human. disp. 28. ubi citat Almainum, sed falsò, siquidem tantum loquitur de actu exteriori. Ægid. Romanus in 2. dist. 37. Medin. 1. 2. q. 18. art. 10. Conrad. ibi q. 19. art. 2. §. *notat quod*. Granad. tract. 9. disp. 3. n. 2. & 8. Ripalda de ente supernaturali disp. 30. sect. 6. Raynaud. tom. 1. operis moralis dist. 4. quæst. 5. art. 4. numero 322. probabile hoc esse asserit Suar. citat. numero 16.

660. Negativa sententia communior est. Eam docet Alensis 2. p. q. 104. memb. 2. in fine D. Thom. 1. 2. q. 18. art. 5. ad 4. & q. 19. art. 7. ad 2. & 3. & in 1. Ethicor. lect. 7. Scot. in 2. dist. 7. q. 1. n. 12. & quodlibeto 18. art. 1. sequuntur plerique Scholasticorum in 2. dist. 40. ibi Durandus q. 1. n. 15. Gabriel. q. 1. art. 2. conclus. 2. Argentin. q. 1. art. unico Bonavent. dist. 41. art. 1. q. 1. n. 9. & 11. Gregor. in 2. dist. 2. q. 1. art. 3. à principio. Major q. 6. in fine & q. 7. in principio. Almainus tract. 1. cap. 12. ex recentioribus Suar. citat. sect. 1. & lib. 12. de gratia cap. 4. n. 6. Vasquez 1. 2. disp. 55. cap. 2. numero 13. §. *miror*, & tota disp. 70. præcipue, cap. 2. à numero 6. Vega lib. 11. in Tridentino cap. 25. Salas tract. 7. disp. 3. sect. 11. n. 127. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 5. Curiel. 1. 2. q. 18. art. 6. dub. 1. ubi Pesantius q. 19. art. 7. disp. 3. Montesin. disp. 23. q. 5. n. 72. §. *Eis non obstantibus*. Martinez q. 10. art. 6. conclus. 1. Valent. tom. 2. disp. 2. q. 15. puncto 6. Petrus Hurtadus de fide disp. 46. sect. 6. Cornejo tract. 6. disput. 5. dub. 2. §. 1. *conclus.* ubi refert Medinam Bannes, & Molinam: Becan. 2. p. sum. cap. 3. q. 3. à n. 5. Ægid. de Coninch. de actibus supernaturalibus disp. 3. dub. 11. n. 142. Peres lect. 1. examin. p. 3. cap. 16. n. 62. novissime Caspensis in suo cursu theologico tract. de bonitate, & malitia disp. 6. dub. 1. §. 1.

D. Thom. Scotus.

661. Sed quia confusè resolvunt prædictam quæstionem, ideo distinguendi sunt modi, quibus fingi potest eumdem actum posse esse simul bonum, & malum, quod præ cæteris explica-

tius fecit Pater Suar. citato loco, cum quo quatuor distinguendæ sunt comparationes, ex quibus resolutio apparebit: prima comparatio actus est ex objecto, & circumstantiis illius: secunda ex objecto, & ex circumstantiis actus: tertia comparatio erit actus ex objecto bono, & fine malo, vel ex objecto malo, & fine bono: quarta denique erit actus ex objecto, & duplici fine, altero bono, & altero malo, juxta quas comparationes sequentes statuendæ sunt conclusiones.

662. Dico primo: Idem numero actus ex objecto bono, & circumstantiis malis objectivis, non potest esse simul bonus & malus, sed est tantum simpliciter malus, verbi gratia, si quis solvat debitum creditori, vel tempore, quo ex præcepto audiendum est sacrum, vel ex pecunia aliena, actus illius solutionis est simpliciter malus: ut etiam reddere debitum uxori in loco sacro est simpliciter malum. Præcipua probatio posita est supra à n. 629.

Paulus 2. cap. 6. 663. Insuper probatur primo ex Paulo 2. ad Corinth. cap. 6. *quæ participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras?* si autem inter duo, quæ realiter separantur, non potest dari participatio, nec societas tenebrarum & lucis, idest, bonitatis & malitiæ; quo pacto inter unum eumdemque actum poterit dari simul justitia cum iniquitate, aut lux cum tenebris? Aristot. Secundo probatur ex Philosoph. 2. Ethicor sect. 7. ubi ita: *peccare quidem multis modis contingit, at* D.Thom. *recte agere, unicè*, ubi videri potest explicatio D. Thom. clarissima quæ ostendit Philosophum esse pro hac parte.

664. Tertio, argumentor ex Suar. n. 8. Ut illæ circumstantiæ sint tales, quæ conferant bonitatem vel malitiam actui, debent esse cognitæ, & volitæ juxta dicta supra à n. 447. atqui si sunt malæ, & ut malæ cognitæ ac volitæ, non possunt non deturpare totum actum, ergo actus circa objectum bonum, vestitum circumstantiis malis, simpliciter erit malus, absque ulla mixtione bonitatis moralis. Minor probatur, quia licet illud objectum sit secundum se honestum, tamen ut sic circumstantionatum est turpe: turpe enim & rationi contrarium est, objectum malis circumstantiis vestitum; ergo ex illo refundi non potest bonitas, sed malitia in actum. Hæc consequentia probatur primo, quia velle objectum rationi contrarium, malum est. Secundo, quia actus non est rectus, etiamsi objectum sit optimum, nisi fiat secundum regulas prudentiæ, ideo amare similitudinem Dei naturalem, turpissimum est, fuitque causa ruinæ Angelorum, quia licet illud objectum, nimirum similitudo Dei naturalis, optimum sit, tamen non potest prudenter appeti: atqui prudentia non dictat, imo reprobat velle objectum malis circumstantiis vestitum; ergo, &c. Tertio, quia hic habet locum pronunciatum Dio-Dionysii. nysii toties repetitum, à D. Thom. & Scoto approbatum, *bonum non nisi ex integra causa, malum ex quocumque defectu.*

665. Quarto probatur conclusio: In tantum dicitur actus bonus, in quantum est rectæ rationi consentaneus: atqui actus aliquo modo repugnans rationi, non est rectæ rationi consentaneus; ergo non est bonus, sed malus.

666. Dices actum illum esse consentaneum rationi secundùm objectum, & dissentaneum secundùm circumstantias: nulloque modo implicare eumdem actum secundùm unum, esse convenientem rationi; & secundùm alterum, disconvenientem: si quidem implicatio datur respectu ejusdem, & non diversorum. Sed contra primo, quia recta ratio prohibet naturaliter fieri id, quod est aliquo modo peccatum: atqui ille actus ex parte circumstantiarum foret malus, & peccaminosus; ergo totus est prohibitus, & malus. Secundo, quia recta ratio agendorum semper prospicit omnia in agendo, & non tantum aliqua, aliter non esset integra ratio; ergo actus, qui non fit secundùm adæquatum præscriptum rationis, malus est.

667. Tertio, quia prædicta evasio optimè confutatur; quia, vel tunc dantur duo judicia, unum circa objectum, alterum circa circumstantias, vel datur unum judicium: si primum, judicium, quod versatur circa circumstantias, dictat illas esse malas; & quod versatur circa objectum, dictat illud esse bonum, ergo si voluntas amplexetur uno actu utrumque, objectum, scilicet & circumstantias, actus malus erit; cum feratur in objectum malitia vestitum; aliter etiam actus ille esset bonus, quo objectum malum bonis circumstantiis vestitum voluntas vellet, ut idololatriam propter amorem vitæ: non enim datur diversa ratio: hoc autem est salsum & erroneum, ut constat ex dictis supra à numer. 590. usque ad num. 613. Deinde jam foret diversus actus voluntatis, & non unus, si quidem proponitur objectum ut distinctum à circumstantiis, sub rationibus formalibus diversis, & oppositis. Si secundùm; illud judicium unicum non foret rectum, cum approbaret esse bonum amplexari circumstantias malas.

668. Ultimo arguo pro hac sententia: Ut objectum communicet suam bonitatem actui debet ejus honestas formaliter, & expresse esse volita ex dictis à num. 590. atqui impossibile est quod voluntas velit honestatem objecti, & ejus circumstantias malas; ergo, &c. Minor probatur, quia circumstantiæ malæ destruunt honestatem objecti, illique contrastantur, ex quo capite diximus supra, à numer. 627. non posse dari intentionem formaliter honestam, ex qua sequatur electio mala.

669. Dices posse voluntatem velle actum hujus virtutis, nimirum misericordiæ cum malitia repugnante alteri, id est, castitati. Sed contra, quia ut honestati in communi debetur, quod illius objectum nulla turpi circumstantia afficiatur, ita & honestati specificæ: *quæ enim conveniunt generi conveniunt etiam speciei.*

670. Contrariam sententiam probabilem putat Suar. num. 7. & probat 1. quia ex circumstantiis quædam necessariæ sunt, ut constituant medium virtutis, cujus est objectum: quædam necessariæ sunt, ut excludant malitiam extra objectum virtutis: verbi gratia, si quis solvat debitum, ut solutio sit ex justitia, debet fieri in loco, & tempore ex obligatione statutis; quod verò fit in loco sacro, vel tempore audiendi missam, malum est, sed non est malum injustitiæ; ergo in illo actu erit perfecta virtus justitiæ, cum non desit medium justitiæ, nec desint circumstantiæ intra propriam objecti latitudinem: solùmque in eo actu dabitur malitia contra virtutem Religionis, propter defectum circumstantiarum, quæ debeant excludere malitiam ab objecto justitiæ. Respondetur negando consequentiam, quia ad perfectam justitiam requiritur honestas, & non potest esse honestas in eo actu, in quo malitia reperitur: non enim solùm est de ratione justitiæ, quod reddat æquale in loco & tempore constitutis: sed

sed quod illud reddat secundùm regulas prudentiæ, & honestatis, ut dixi supra num. 664.

671. Secundo, in objecto potest reperiri honestas objectiva unius virtutis, & malitia objectiva contra alteram; ergo si actus tendat in illud objectum, ab illo habebit honestatem, & malitiam simul. Respondetur, distinguo anteced. respectu ejusdem actus, nego; respectu diversorum actuum, concedo: Deinde nego consequentiam, namque illud objectum licet sit materialiter unum, est tamen formaliter multiplex, & non specificat actum secundum materialitatem, sed secundùm diversas formalitates: eumdem autem actum specificare non potest secundùm utramque rationem formalem honestatis, & malitiæ; quin potius est objectum simpliciter malum, ex fundamentis supra jactis: ac proinde actus in illud objectum tendens, erit simpliciter malus.

672. Dico secundo: Actus ex objecto bono, & ex circumstantiis actus malis, non est simul bonus & malus, sed est simpliciter malus. Ita Doctores secundæ sententiæ. Et probatur, quia demus casum quo prohibeatur exercitium actus boni, verbi gratia amoris Dei, in hac hora: tunc si eliciatur ille actus, simpliciter malus erit, quin habeat aliquam rationem boni: Patet, quia illa circumstantia, tempus, facit quòd objectum illius actus prohibiti non sit pro tunc conveniens per ordinem ad talem actum, ac proinde ex illa circumstantia temporis mutatur objectum, & per consequens actus non est amor Dei, sed alius actus diversus & malus. Deinde, si quis ardenter desideret uxorem immoderatè, ille actus desiderii totus est malus, quia tunc objectum illius non est uxor absolutè, sed uxor taliter amata: quod quidem malum est ex dictis à n. 664. non enim objectum sumendum est secundùm illud esse, quod habet à parte rei, sed secundùm illud esse, quod apprehenditur per intellectum. Insuper omnia argumenta, quæ adduximus pro prima conclusione, probant hanc secundam.

673. Circa reliquas comparationes actus ex objecto & fine nil superest dicendum præter ea quæ diximus sect. 8. diximus enim subsect. 6. actus sive electionem puram ex objecto bono vitiari ex intentione finis mali, quin habeat aliquam admixtionem bonitatis; subsect. verò 7. asseruimus electionem non puram circa objectum honestum esse turpem, omni morali bonitate destitutam, si imperetur ex intentione finis mali, esseque honestam absque alicujus etiam extrinsecæ malitiæ contagio; infectam, si tantum referatur in finem malum: subsect. verò 9. docuimus electionem ex objecto turpi, & ex intentione finis honesti esse omnino turpem, sine aliqua admixtione bonitatis: subsect. 13. assertum est electionem ortam ex duplici fine, uno bono, & altero malo, simpliciter esse malam, quin in ea reluceret aliqua bonitatis scintilla.

SUBSECTIO SECUNDA.

Utrum idem numero actus possit esse successivè bonus & malus.

674. Constat eumdem numero actum non posse esse simul bonum & malum; inquiritur modò, an saltem successivè, in eodem actu possit reperiri bonitas & malitia, ita ut actus, qui modo est bonus, idem omnino perseverans numero, postea possit fieri malus. Et quæstio procedit de actibus elicitis, vel de actibus imperatis, qui sunt etiam eliciti à voluntate: nam de actibus solummodo imperatis sua sectione est disserendum: & quia Doctores diverso modo loquuntur de actu bono, ac de actu malo, ideo difficultatem expediam duabus conclusionibus.

675. Prima conclusio: Actus elicitus voluntatis bonus, non potest transire de bono in malum. Ita colligitur ex Philosopho, qui in prædicamentis cap. de substantia ait esse substantiæ proprietatem, suscipere contrarium; textu verò ultimo negat hoc convenire actionibus, dicens: *Non dicitur eadem actio prava, & studiosa*, id est, successivè, ut legenti contextum manifestum erit. Eadem videtur sententia Div. Thom. 1. 2. quæst. 19. articul. 2. ad 2. ubi: *Dicendum quòd supposito quòd voluntas sit boni, nulla circumstantia potest eam facere malam*, & quæst. 2. de malo articul. 4. ad 2. asserit omnem actum bonum posse malificari, non tamen id fieri posse si actus bonus sit in individuo, ita ibi: *Actus sic specificatus in bono, numquam potest esse malus, nec specificatus in malo, unquam potest esse bonus*. Idem videtur sentire Scotus quodlibeto 18. articul. 3. vers. *ad aliud*, ubi docet bene posse actum transire de bono in malum, si successivè fieret, & maneret, sed quia nec fit, nec manet successivè, non posse: ita ibi: *Sed quia actus raptim transit, vel si manet, manet cum ea sua rectitudo, nec idem manens mutatur à recto in non rectum, nec sibi recte pro priori parte succedit aliqua pars non recta.* Quod verò actus virtutis sit simplex & permanens, docet in 4. dist. 16. quæst. 2. n. 5. vers. *ad propositum*.

Aristot.

D. Thom.

Scotus.

676. Præter hos Philosophiæ & Theologiæ Principes, sequuntur hanc sententiam ex antiquis Bonavent. in 2. dist. 41. articul. 2. quæst. 2. In corpore numer. 16. ubi Gabriel quæst. unica articul. 1. Alensis 2. part. quæst. 104. memb. 2. in fine. Ochamus quodlibet. 3. qo. 14. Ex recentioribus Suar. disput. 4. sect. 3. numer. 21. & citata disput. 8. sect. 1. numer. 3. Azor lib. 2. cap. 5. quæst. 1. Conrad. 1. 2. quæst. 19. artic. 1. §. *quod nota*, & quæst. 20. articul. 6. §. *infert.* Lorca disput. 33. de actibus conclusione 1. & 2. Martinez 1. 2. quæst. 19. articul. 1. dub. 1. Ægid. de Coninch de actibus disput. 3. dub. 8. numer. 112. & 107. Granad. tract. 10. in 1. 2. disput. 3. numer. 7. Herice 1. p. disput. 27. tract. 3. cap. 3. numer. 33. Petr Hurtad. disput. 14. de anima §. 34 Becan. 2. part. Summ. tract. 1. cap. 4. quæst. 2. numer. 20. & cap. 5. quæst. 4. numer. 4. & alii quam plures, quibus associari possunt Doctores, qui disput. 5. num. 10. docebunt bonum, & malum, esse differentias essentiales actus in esse naturæ; cum impossibile sit variari differentiam essentialem, invariata permanente entitate illius.

S. Bonavent.

677. Fundamentum est, quia variato objecto formali *quod & sub quo*, variatur etiam actus: atqui in omnibus casibus, qui à contrariis assignantur, variatur utrumque objectum; ergo non potest stare idem actus modo cum bonitate, modo cum malitia. Minor probatur, quia objectum formale *quod* boni, est honestas; & mali, malitia; ergo si ille actus idem numero erat bonus, quia tendebat in objectum honestum, non potest mutari in malum, tendens in objectum turpe. Et confirmatur primo ex Suar. quia vel objectum mutatur, vel non: si primum, jam non est idem numero actus, si quidem variatur objectum: si secundum, non mutatur actus in malum, sed permanet idem omnino bonus, si quidem per-

sistente eodem omnino specificativo, persistere debet idem specificatum. Secundo, quia bonitas est tendentia actus in suum objectum honestum ex dictis à numer. 97. ad numerum 113. atqui actus stare nequit sine illa tendentia, quin potius destructa illa tendentia, etiam destrui actum necessarium est; ergo, &c.

678. Respondent communiter contrarii & ex eis Carmelitani citati disput. 6. dub. 2. n. 41. dupliciter accipi objectum actus boni. Primò in esse Physico, secundo in esse Morali, quod etiam probavimus sum supra à numer. 41. cum disput. 2 numer. 171. & tendentiam, ac ordinem actus ad objectum in esse physico persistere eamdem, variarique tantùm in esse morali, quia etiam objectum solummodo variatur moraliter, & non physice: cumque variatio objecti moralis non variet actum in esse physico, sed in esse morali, variabitur actus in esse morali, & non in esse physico, ac proinde idem omnino numero actus in esse physico poterit transire de bono in malum.

679. Sed contra primo, quia quæcumque vel tantum formaliter, vel tantum virtualiter distinguuntur, inseparabilia sunt, nullaque virtute unum sine alio stare potest, cum sint idem omnino identicè, ut communiter tradunt Doctores: sed tendentia actus in esse physico, & tendentia ejusdem actus in esse morali tantummodo distinguuntur, vel virtualiter, vel formaliter; ergo una tendentia non potest sine altera stare. Minor probatur, quia ille actus adæquate specificatur per totum illud objectum; & adæquate tendit in illud; ergo cum ratio physica & moralis in objecto tantum sint formalitates, vel virtualitates illius, etiam tendentiæ illæ tantum virtualiter, vel formaliter distinguentur. Secundo, quia moralitas juxta eosdem Carmelitanos disput. 1. dub. 3. §. 2. numer. 42. est ordo actus ad objectum: atqui facta quacumque variatione formali in objecto, variatur ipsum objectum ex iis, quæ latè diximus disputatione 1. à numer. 126. & disputat. 2. à numer 217. ergo non potest persistere ordo physicus ad objectum sine ordine morali. Nec obstat, quòd idem actus possit modo esse remissus, modo intensus. Non inquam, obstat, quia intentio, & remissio ponitur ex parte actus, & non ex parte objecti, nullaque mutatio fit in ipso objecto.

680. Contrariam sententiam sequuntur quam plurimi Doctores, Durand. Major. Cajet. Capreolus, quos refert, & sequitur Vasques 1. 2. diputat. 56. cap. 2. disput. 55. cap. 2. numer. 11. Carthusian. Medin. Palat. apud Gransd. cit. numer. 3. ubi etiam citat pro hac sententia Scotum citato quodlibet. immerito tamen: Almain. apud Suar. cit. numer. 1. ubi falso Ricard. & Ferrariens. refert: citatur etiam Angestus cap. 14. moralium conclus. 2. sequuntur Valentia tom. 2. disput. 2. quæst. 5. punct. 6. §. *procedunt*, Salas tract. 7. disput. 2. sect. 8. numer. 72. section. 14. numer. 13. & disputat. 3. sectio. 12. Montesin. disput. 27. quæst. 2. numer. 34. Pesant. quæst. 19. articul. 1. disputat. 1. conclus. 4. Navar. in Summ. præludio 7. numer. 27. Rainaud. dist. 4. quæst. 2. art. 2. num. 25. Caspensis disp. 2. sect. 1. num. 6. Medin. Aluares, Curiel, Humel, quos referunt, & sequuntur citati Carmelitani disp. 6. dub. 1. §. 2.

681. Probant primo, quia tam bonitas, quàm malitia accidentia sunt actus in genere naturæ ex dicendis quæst. 5. à num. 13. ergo tota substantia actus potest stare sine illis; ergo etiam potest idem met actus invariatus, modò habere bonitatem, modò habere malitiam. Respondetur: distinguo primum consequens; ergo tota substantia actus potest stare sine illis secundùm se, concedo: in individuo nego: sunt enim accidentia separabilia per intellectum, & omnino inseparabilia à parte rei: eo modo, quo visibilitas est proprietas, & accidens respectu hominis, & tamen ab homine est omnino inseparabilis à parte rei, tantumque separari potest per intellectum, ut etiam ex contrariis fatetur Montesin. cit. numer 35. & diximus supra à numer. 404. & diximus disp. 5. à num. 19.

682. Secundo argumentor ex Majore: Supponamus esse quemdam actum præceptum pro hac hora, & prohiberi pro tempore immediate sequenti: tunc, si homo continuet illam actionem pro tempore prohibito, est mala, & tamen illa eadem actio, sive actus factus tempore antecedente, erat bonus; ergo jam idem actus transiet de bono in malum. Respondetur illum actum esse diversum, namque incipiente tempore prohibito, variatur objectum, variato autem objecto variandus est actus, non enim possum unico actu velle objectum præceptum & prohibitum; ac proinde desinit actus, qui erat bonus, & de novo advenit alius malus, nulloq; modo continuari potest idem actus: potest tamen esse idem actus ex ignorantia invincibili, vel ex inconsideratione, namque adveniente tempore prohibitionis, vel homo advertit objectum esse prohibitum, vel non: Si secundum, homo operatur bene, continuaturque idem actus: si primum, cum videat mutatam esse honestatem objecti, objectumq; esse turpe, si illud vult & amplectitur, mutatur actus, est enim novus, & malus, cum non velit honestatem, sed commoditatem, vel aliquod temporale lucrum adjunctum malitiæ: & idem dicendum est de eo, qui celebrans advertit positum esse interdictum, si enim continuat sacrificium, vult illud per diversum omnino actum voluntatis, quia non potest esse eadem volitio, velle enim celebrare religiose, & velle celebrare non religiose, ad duos actus pertinet.

683. Instabis ex Durand. in 2. dist. 41. quæst. 3, num. 4. Ille homo potest, nec directe advertere, nec inculpabiliter ignorare objectum esse prohibitum, sed continuare actum ex aliqua culpabili inconsideratione, & ex ignorantia vincibili: atqui in hoc casu, idem actus, qui antea erat bonus continuatur malus; ergo, &c. Minor probatur, quia objectum manet omnino invariatum. Respondetur negando Min. Nam, ut detur culpabilis ignorantia, vel consideratio, oportet quòd homo advertat saltem in confuso factam fuisse mutationem in objecto, aut fieri posse moraliter, aut se teneri ad advertendum, cum sine cognitione actuali non possit actus esse malus, nec possit ignorantia esse culpabilis, de quo disp. 1. à num. 256. Ut etiam ex contrariis bene advertit Rainaudus num. 16. §. *Durandus*.

684. Dices cum Vasquio cit. §. *cæterum*, non quælibet cognitio sufficiens est ut mutetur actus voluntatis, sed requiritur talis cognitio quæ mutet objectum, aut ponat in eo novam rationem moventem: atqui illa cognitio non ita mutat objectum; ergo non sufficit ut mutetur actus. Respondetur negando Minor. quia illa cognitio ostendit ex prohibitione esse malitiam in objecto, quæ malitia, antequam appareret prohibitio, in illo non ostendebatur; ac proinde no-

va malitia ostensa in objecto, est nova ratio movens, & satis ostendit objectum esse mutatum, voluntasque, si illud velit, necessariò illud vellet per novum actum malum, cum variatio objecti impediat, quod volitum sit per eumdem actum, & malitia in illo ostensa impediat, quòd volitum sit per actum bonum.

685. Tertio, arguitur ex Durando cit. loco, *Vt se habet veritas, & falsitas ad actus intellectus, ita se habet bonitas & malitia ad actus voluntatis*: atqui idem judicium potest successivè esse falsum, & verum; ergo idem actus voluntatis successivè poterit esse bonus, & malus. Minor probatur primo, quia sedente Petro, hoc judicium, *Petrus sedet*, verum est, quod si surgat Petrus, idemmet judicium falsum erit. Secundo quia hoc asserit Philosophus in prædicamentis cap. *de substantia*. Respundetur negando Min. ad primam probationem, illud judicium, vel esse pro eo tempore, quo Petrus sedet, vel pro semper, vel indefinitè nullum determinans tempus: si primum, semper fuit verum: si secundum, semper fuit falsum, quia Petrus oon semper erat sessurus: Si tertium, verum fuit, quia ad veritatem propositionis indefinitæ in materia contingenti sufficit veritas unius singularis. Ad secundam respondetur Philosophum locutum ex suppositione, quod si quis diceret propositionem posse esse simul veram & falsam, adhuc dari discrimen inter illam, & substantiam suscipientem contraria.

Philosoph.

686. Quarto, si quis eliciat actum amoris, verbi gratia, & Deus jubeat, quod homo ab illo cesset, & posita prohibitione perseveret in illo, ille actus, qui primò erat bonus, posita prohibitione, mutatus est in malum. Respondet Granad. numer. 8. illum actum in sua entitate esse bonum, & solum extrinsece fieri malum ex quadam volitione interpretativa, qua voluit violare præceptum. Sed hæc solutio stare non potest cum nostra, & prædicti Authoris doctrina; & supra nnmer. 627. hac de causa rejecta est, ideo. Responden, primum actum bonum omoino periisse, & de novo voluntatem ferri in objectum prohibitum per alium actum malum: facta est enim mutatio formalis in objecto, oam erga ptimum actum, erat honestum: erga secundum, est prohibitum.

687. Secunda conclusio: Actus bonus elicitus, & imperatus simul, oon potest transire de bono in malum: ita Doctores pro prima conclusione citati (exceptis Martinez, Lorca, Suar. numer. 8. & Granad.) fundamentum est idem, namque ille actus, licet sit imperatus, est tamen iotrinsece liber, & voluntarius, ac bonus, quia etiam est elicitus; ergo illa bonitas separari nequit ab illo actu: eadem enim argumenta, quæ probant actum elicitum non posse separari à sua bonitate, eadem probant idem de actu elicito simul & imperato: ut bene contra Lorcam, notavit Montesin. num. 46.

688. Tertia conclusio: Actus malus non potest transire de malo in bonum. Probatur primo, quia tam essentialis est malitia actui, quàm bonitas; ergo si actus bonus non potest transire in malum, oec etiam actus malus poterit transire in bonum. Antecedens probatur, quia ex eo actus bonus non potest transire in malnm, quia bonitas est ordo actus ad objectum: atqui etiam malitia est ordo actus ad objectum, de quo dispur. 4. à numer. 95. Secundo, quia impossibile est quod idemmet oumero actus, qui tendit in objectum malum, tendat in objectum bonum.

689. Ex quibus colliges resolutionem hanc non solùm esse veram de bonitate & malitia materiali, quæ etiam in amentibus perseverat, sed etiam de formali, si quidem formalis est ille ordo intrinsecus actui, & ab illo inseparabilis. Dices: Bonitas formalis tota provenit ex libertate: atqui libertas est extrinseca actui, actusque liber in necessarium mutari potest; ergo, &c. Respondetur primo, negando Maj. quia actus habet libertatem à voluntate, ab objecto bonitatem, quæ formalis redditur ex libertate. Secundo negando Min. de quo disp. 2. à num. 195. usque ad num. 229. Tertio negando consequentiam, nam actus liber bonus, non amisit bonitatem amissa libertate, eo quod libertas non est causa bonitatis, ut apparet in amore Beatorum juxta communem sententiam.

SUBSECTIO TERTIA.

Utrum idem numero actus possit fieri de non bono bonus, & de non malo malus.

690. HÆc quæstio à præcedenti diversa est, præcedens enim agit de variationa actus boni in malum, ita ut amissa bonitate introducatur malitia: hæc verò agit de variatione actus boni in non bonum, & actus mali in non malum, vel etiam de variatione actus noo boni in bonum, & noo mali in malum: habetque quæstio locum, quia dantur multæ actiones moraliter bonæ vel malæ quandu homo est in sua libertate, quæ depetdi potest per amentiam verbi gratia, quin homo ille desinat exercitium illarum actionum; Imò amens potest reduci ad liberum rationis judicium, & continuare easdem actiones, quas cum erat amens, efficiebat; excitatur quæstio, utrum easdem actionea, quas exercebat in sua libertate, vel amentia, mutato statu, exerceat.

691. Dicendum est actus bonos non posse transire in non bonos, nec malos in non malos, nec contra actus non bonos in bonos, aut actus oon malos in malos. Ita Granad. cit. num. 9. Martinez cit. ad 1. & 2. licet etiam in aliam partem inclinet, Cameracensis quæst. 1. ex parte Gabriel. in 2. dist. 41. quæst. unica articul. 2. conclus. 4. Ochamus in 3. quæst. 13. videturque de mente doctorum, qui asserunt bonitatem moralem esse de essentia actus in genere naturæ: non enim actus absque aliqua sui mutatione privati potest à propria essentia. Videtur sententia Suar. quatenus citato loco num. 5. docet, si actus pendeat à cognitione objecti, & cognitio varietur; non posse esse eumdem oumero actum, affertque exemplum de amentibus.

692. Probatur primo, quia actus moralis, qua moralis est, consistit in habitudine inadæquata actus ad objectum morale, ex dictis dispur. 2. à oum. 163. ad 173. atqui impossibile est, quod sine tali habitudine persistat idem numero actus; ergo non potest actus de morali transire in non moralem, vel è contra. Idem argumentum fit de honestate actus, si quidem honestas illa nil aliud est, quàm habitudo actus ad objectum objectivè & moraliter honestum, de quo supra à n. 109. ad n. 117. Min. patet, quia habitudo illa inadæquata est intrinseca actui illi, nec separari ab illo potest. Secundo, quia diversum objectum formale habet actus bonus, vel malus, atque habet actus non bonus, ac non malus; ergo ut actus transeat de bono

in non bonum, de malo in non malum, mutandum est objectum, aliter actus non specificaretur à proprio objecto: atqui mutato objecto formali, mutatur etiam actus; ergo cum necessario mutari debeat objectum, clarum est, quod non possit permanere idem numero actus. Maj probatur, quia objectum actus boni est honestas illius, & actus mali est turpitudo objecti: objectum verò actus non boni est quid ab honestate præscindens, ut etiam objectum actus non mali, est quid à turpitudine præscindens.

693. Contrariam sententiam tuentur Doctores, qui supra num. 680. asseruerunt actum bonum posse transire in malum, & in terminis Vasques disp. 55. cap. 2. n. 21. & cap. 3. n. 14. Montesin. n. 14. Salas tract. 7. disp. 3. sect. 12. concl. 6. Ægid. de Coninch. n. 107. ex parte Ochamus, & Gabriel citati, quatenus docent, licet naturaliter non possit idem numero actus transire de bono in non bonum, posse tamen supernaturaliter, & divina virtute. Primo, quia idem actus potest transire de libero in necessarium: atqui actus liber est bonus moraliter, & actus necessarius non est bonus moraliter, ergo jam idem actus moraliter bonus, potest transire in non bonum. Respondetur primo, ex dictis disp. 1. à n. 126. ad n. 142. & disp. 2. à n. 207. Secundo concedo totum, sed ex hoc non probatur, actum transire de bono in non bonum, namque amissa libertate, non amittitur bonitas, sed moralitas: manebit que actus, qui antea erat moraliter bonus, naturaliter, & necessario bonus: ut admisso quod idem amor viæ possit perseverare in patria, amor viæ non transit in patria de bono in non bonum, sed de bono morali in bonum non morale.

694. Secundo ex Vasquio cap. 3. cit. fieri potest, quòd idem motus, & actus virtutis, vel malitiæ incipiat in nobis absque ulla deliberatione, postea verò continuetur cum deliberatione: atqui in principio actus non est bonus moraliter defectu libertatis, maxime verò continuatus posita deliberatione: & idem argumentum est si incipiat actus cum deliberatione, & continuetur in amentia. Respondetur primo, argumentum probare actum moralem posse transire in non moralem, non tamen actum bonum in non bonum. Secundo, negando Maj. diversus etenim actus est ille, qui incipit cum deliberatione, ab illo qui continuatur in amentia.

695. Dices: Deliberatio, vel indeliberatio est actus intellectus; ergo ejus supervenientia non potest facere, ut voluntas desistat ab actu præexistente. Resp. distinguendo consequens: Non potest facere ut causa proxima, concedo: ut causa remota, & occasionativa, nego, ratio enim proxima est mutatio objecti, hanc autem causat deliberatio, vel indeliberatio intellectus, ostendens in objecto diversam conformitatem, vel deformitatem cum recta ratione: ac proinde licet videantur amentes efficere eumdem omnino actum ac efficiebant quando erant sui juris, tamen efficiunt actum diversum, qui imperceptibiliter incipit, ut etiam alius desiit, hoc enim est proprium actuum intellectus, & voluntatis.

696. Tertio, potest Deus se solo producere actum in voluntate habente se passivè, & postea potest idemmet actus activè à voluntate conservari: vel potest Deus se solo conservare actum à voluntate productum, ita ut voluntas in conservatione illius tantùm passivè se habeat: atqui est idem omnino actus, modò liber, modò necessarius; ergo etiam erit idemmet actus, modò bonus, modò non. Idem argumentum fit, si Deus producat extra subjectum actum voluntatis, postea verò ab ipsa voluntate libere conservetur, vel productum ab ipsa voluntate libere, Deus illum extra subjectum conservet. Respondetur primo, illos actus quantum est ex se esse liberos, & morales, licet propter defectum, vel incapacitatem subjecti non denominentur tales, ex dictis disp. 1. n. 86. Secundo, respondetur negando esse eumdem actum, cum enim semper detur variatio ex parte principii, etiam dabitur variatio ex parte actus. Tertio, argumentum probare actum eumdem transire posse de actu morali bono in non bonum moralem, non tamen de actu bono in non bonum.

SECTIO DECIMA.

De bonitate omissionis.

697. Cum omissio æquiparetur actui elicito à voluntate, post tractationem bonitatis, quæ in actu elicito reperitur, necessario agendum est de bonitate reperta in omissione: & quamquam in multis actui æquiparetur, tamen in bonitate non ei æquiparari communiter sentiunt Doctores, quorum sententia an sit vera, in præsenti expendendum est: pro quo

698. Notandum est primo, posse dari omissionem puram absque aliquo actu, qui sit causa, vel occasio illius, ut late probatum est disp. 1. sect. 2. subsect. 3. præcipue difficult. 22. in triplici sensu posse excitari quæstionem de omissione pura, ita tamen, quod ad illam excitetur voluntas ex cognitione objecti, & ex affectu virtutis. Secundo, de omissione volita per aliquem actum sive imperata, ita ut voluntas eliciat omissionem, quia vult illam elicere. Tertio, de omissione, quæ nec procedat ex affectu virtutis expressè, & directè, nec per aliquem actum à voluntate imperetur. Tertio notandum est, omissionem, de qua in præsenti sermo est, non esse omissionem boni, cum omissio boni sub præcepto mala sit: sed de omissione mali. Quarto, quæstionem esse, utrum omissio, qua omissio est, secundum rationem omissionis sit moraliter honesta, & juxta triplicem sensum assignatum expedienda est.

SUBSECTIO PRIMA.

Utrum omissio pura elicita ex cognitione objecti, & ex affectu virtutis, sit moraliter honesta.

699. Respondetur affirmative: ita Angestus in moralibus cap. 10. §. antepenultimo, Ruiz de providentia disput. 57. sect. 2. numer. 13. Granad. 1. 2. controvers. 2. tract. 9. disp. 2. sect. 1. numer. 7. & controvers. 6. tract. 2. disput. 3. sect. 1. numer. 8. Ripald. tom. 1. de ente supernaturali disput. 70. sect. 2. à numer. 8. Tiraquellus tract. 7. de pœnis. Oviedo de anima controv. 9. puncto 1. §. 3. numer. 36. eam supponit Araujo 1. 2. quæst. 75. art. 5. dub. 1. ad 2. sententiæ. Pro hac etiam sententia refert à Ripald. Hertera disp. 30. de peccatis q. 5. Verum iste auctor satis explicat se non loqui de omissione pura.

700. Probatur primo ex Scriptura sacra Ecclesiastici cap. 31. vers. 10. ubi laudatur ille homo, *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Et ex Psalm. 36. vers. 27. *declina à malo & fac bonum*, & ex prima Petri cap. 2. vers. 10. *Sed si benè facientes, patienter sustinetis*, ex quibus locis clarissime constat, non solum esse bonum elicere actus virtutum, sed etiam non elicere actus vitiorum, sive omittere actus malos. Ecclesiast. cap. 31. Psalm. 36. Petrus 1. cap. 2.

701. Respondent omnia illa, & similia loca intelligenda esse de omissione non pura, seu de omissione admixta cum aliquo actu virtutis contrariæ actui malò, qui omittitur, bonitatemque laudatam sæpius in sacra Scriptura non inesse ipsi omissioni, sed actui, per quem omittitur malum, ac proinde nolitio positive faciendi malum, est actus bonus, de quo sub nomine omissionis loquitur Scriptura.

702. Sed hæc expositio violenta est, ea enim possunt convelli authoritates, quibus communis opinio probat omissionem puram actus boni cadentis sub præcepto esse peccatum: præcipue illa

D. Iacob. cap. 4.

D. Jacobi cap. 4. vers. 17. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*: ex quo loco

Paez.

Scholastici, qui admittunt omissiones puras colligunt, eas esse peccata, quod bene tradit noster doctissimus Pater Paez ad illum locum: namque si ex illo verbo, *non facienti bonum*, colligitur omissio pura ex simili phrasi Ecclesiastici, *facere mala & non fecit*, colligendum est loqui de omissione pura, cum verbum sit omnino idem; & quidquid contra hanc expositionem Ecclesiastici affertur, satis exploditur per ea, quæ circa locum Jacobi afferuntur.

703. Insuper contra illam expositionem pugnant sancti P.P. qui expressè distinguunt facere bonum, à non facere malum: si autem non facere malum est actus positivus, & non est omissio pura, cum illa nolitio sit actua virtutis, jam idem erit facere bonum, & non facere malum. Ex

S.Prosper.

P.P. verò, qui illam distinctionem faciunt, videatur D. Prosperus sent. 290. ubi ita: *Ipsa ratio docet eam creaturam bonam esse, quæ in potestate habet illicitam delectationem ita cohibere, ut non solum de actibus licitis, relictique factis, verum etiam de ipsius pravæ delectationis coërcitione lætetur*: ubi distinguit coërcitionem ab actu licito eamque bonam appellat: quapropter coërcere malum, illudque non facere, & ab illo declinare, non erit actus, sed omissio.

Milevitan.
Arausican.
S. August.

704. Secundo probatur ex doctrina Conciliorum quæ requirunt gratiam ad non peccandum, ut Milevitanum canone 3. Arausicanum can. 9. estque doctrina tradita ab August. Epist. 95. explicans enim illud Apostoli, *Oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali*: atqui non requiritur gratia, nisi ad bonitatem, cum requiratur ad omissionem puram, proculdubio omissio erit bona. Nec obstat si respondeas gratiam requisitam à Conciliis, & Sanctis P.P. ad non peccandum non esse ad puram omissionem, sed ad actum, per quem homo omittit, & non facit malum. Non, inquam, obstat, quia homo potest non facere malum per puram omissionem, & per eam non peccare; ergo si absolutè requirunt gratiam ad non peccandum, quin distinguant de actu vel omissione, fatendum est requiri illam gratiam ad non peccandum, quocumque modo non peccetur: insuper, & contra hanc solutionem faciunt quæ dicta sunt pro expositione locorum sacræ Scripturæ numero 703. & dicemus in sequentibus probationibus.

705. Tertio, ideo omissio actus præcepti, & boni est mala, quia est virtualis & interpretativa volitio transgrediendi præceptum: atqui omissio actus prohibiti est virtualis, & interpretativa volitio non transgrediendi præceptum; ergo erit bona moraliter, non enim apparet major ratio. Confirmatur, quia cum voluntas actum positivum, per quem lex violaretur, omittit, non peccat, imò operatur bene, & conformiter ad legem: atqui potest omittere, & sæpe omittit per puram omissionem; ergo illa omissio bona erit, & honesta. Major constat, quia voluntas sic operans, moraliter operatur; ergo vel bene, vel male: non male, ut manifestum est; ergo bene, quod expressit Aristot. cap. 5. libri tertii Ethicor. Minor autem probatur, quia præcepta negativa sunt illa, quæ semper, & pro semper obligant homines, servanturque sufficienter per puram omissionem: sicut præcepta affirmativa obligant ad faciendum actum, ita negativa obligant ad non faciendum actum prohibitum; ergo licet per actum contrarium actui prohibito servari possint, etiam per omissionem puram, per quam non fit actus prohibitus, servabuntur.

Aristot.

706. Quarto, si quis maximis tormentis exteriosibus à Tyranno, aut gravibus tentationibus interioribus affligatur, ut peccato consentiat, si tunc sine aliquo actu positivo, & tantum per puram omissionem suspendat consensum illius peccati, omissio illa erit voluntaria, & bona. Probatur, quia ille homo urgente præcepto non faciendi peccatum, peccatum non facit, nec tormentis afflictus illi consentit; ergo bene operatur. Idem est si urgente tentatione forti, & adulterii, quis suspendat desiderium erga furtum, & adulterium, præceptum non furandi, & non adulterandi servabit; ergo per suspensionem per quam servatur præceptum. Videatur etiam argumentum, quo Ripalda n. 26. probat omissionem esse bonam, nimirum, ex eo quòd Beati, Christus Dominus, & Deus etiam possunt elicere plures omissiones, quæ non possunt esse malæ, sed bonæ: qua doctrina admissa, (de qua modo non disputo) optimè probata manet conclusio.

707. Contrariam sententiam docent communiter Doctores, ex Antiquioribus Ricard. in 2. dist. 35. q. 2. *ad ultimum*, ubi Ægid. Roman. q. 1. art. 2. ad 2. Durand. q. 2. n. 10. Major in 3. dist. 38. q. 1. Altisiodorens. lib. 2. sum. sive in 2. tract. 29. cap. 5. q. 1. ad 1. & 2. Cisterciensis in 1. dist. 8. q. unica art. 3. & in 2. dist. 35. q. 1. art. 2. Almain. tract. 1. moral. cap. 13. Olchot in sententiis quæst. 2. art. 4. Palatius in 2. dist. 37. quæst. 1. fol. 331. ubi oppositum ridiculum. Zumel 1.2. q. 114. art. 3. disp. 3. Medin. Conrad. & fere omnes Thumistæ ad 1. 2. q. 71. art. 5. Suar. lib. 12. de gratia cap. 2. n. 5. Vasques 1. 2. disp. 180. Herrera de peccatis disp. 30. q. 5. in 2. conclusione. Raynaud dist. 4. q. 2. art. 3. n. 186. Montesin. tom. 1. in 1.2. disp. 9. q. 4. n. 78. Cutiel 1. 2. q. 6. art. 3. dub. 3. in 1. conclusione, & q. 71. art. 5. dub. 1. §. 6. *ad ultimum*: qui quidem omnes asserunt omissionem etiam ex affectu virtutis ortam non esse bonam formaliter, quà omissio est: quam sententiam etiam defendit Salas in 1. 2. tom. 1. tract. 4. disput. 1. sect. 9. numero 27. & tom. 2. tract. 13. disput. 2. numero 140.

708. Probat primo Salas cit. tract. 4. n. 25. Pura omissio ejus, quod quis non tenebatur facere, non est voluntaria; ergo nec bona. Ant. probat, quia vel illa omissio esset voluntaria directè, vel indirectè: non primum, ex dictis disputatione 1. à n. 168. non secundum, quia nulla datur obligatio. Respondetur primo negando ant. primo quia est per se, & formaliter voluntaria ex dictis eadem disputatione num. 192. secundo, quia ad hoc ut omissio sit voluntaria non requiritur obligatio, ut eo loco dixi à n. 207. ad

225. Respondetur secundo negando consequentiam, namque sufficit ad veritatem conclusionis, quod urgente præcepto negativo pro illo tempore, in quo homo tenetur illud servare, illud servet per omissionem.

709. Secundo ad honestatem requiritur voluntarium directum: sed omissio est voluntaria indirectè; ergo non est capax bonitatis: Major probatur, quia ad honestatem requiritur quod honestas per se & propter se intendatur: atqui honestas non potest intendi per voluntarium indirectum, id est, per omissionem, siquidem omissio non est tendentia ad objectum; ergo solum intenditur honestas per voluntarium directum, idest per actum positivum. Respondetur negando Major. sufficit enim, quod honestas intendatur per se, sed non requiritur, quod intendatur propter se, ex dictis disputatione 3. sect. 5. n. 170. ac proinde sicut ad actum honestum sufficit, quod sit voluntarius, ac conformis rationi, ac legi; ita etiam sufficit ad honestatem omissionis, quod voluntaria sit, & rationi conformis.

710. Instabis: Ad minus requiritur quòd honestas per se intendatur: ex dictis citato loco n. 173. atqui honestas non potest per se esse volita per omissionem; ergo, &c. Respondetur distinguendo Minor. atqui honestas non potest esse volita formaliter & physicè per omissionem, concedo: interpretative, nego: & sicut ad malitiam omissionis sufficit interpretativa conversio ad creaturam, ita etiam ad illius honestatem sufficiet interpretativa conversio in honestatem: ut enim de ratione formali peccati mortalis est aversio à Deo, & conversio ad creaturam, non quidem formalis, sed interpretativa, sic est peccatum omissionis, eo quòd ita se habet circa præceptum, acsi illud voluisset frangere: ita similiter theologisandum est in omissione respectu honestatis.

711. Dices: Non potest dari tendentia etiam interpretativa ad objectum absque alio actu positivo; ergo numquam omissio tendit in honestatem per se, etiam interpretativa. Ant. probatur, Ex eo quod non potest intelligi tendentia ad motum sine motu locali; ergo nec intelligi potest tendentia ad objectum sine actu positivo. Respondetur negando anteced. ad probationem nego consequentiam: quia tendentia ad locum semper est realis, & numquam interpretativa: & ut sine motu reali intelligi nequit recessus à loco, & potest intelligi sine actu positivo recessus à Deo, ut apparet in omissione peccaminosa, ita etiam licèt non possit intelligi tendentia ad locum sine motu reali, intelligi poterit tendentia interpretativa.

712. Tertio, per illam omissionem homo meretur; ergo jam foret immensum meritum cujuscumque justi. Ant. probabitur infra à n. 721. ad n. 728. consequentia ostenditur, quia quilibet justus continuo se abstinet à peccatis, quorum perpetratio est in ejus voluntate: atqui omnia præcepta negativa obligant semper, & pro semper; ergo si justus semper omittit, infinitas habet omissiones, & per consequens in quolibet instanti infinitam gratiam merebitur. Respondetur negando consequentiam: ad probationem distinguo Major. quilibet justus continuo se abstinet à peccatis, voluntariè, nego: necessariò, concedo: deinde concessa minore, nego consequentiam: explico solutionem, quia omissio voluntaris non est tantum carentia actus necessaris ex dictis disp. 1. à n. 92. ad n. 96. sed est carentia actus libera ex perfecta advertentia, & cum potestate proxima ad oppositum: si ergo repræsentetur præceptum & obligatio, plerèque intellectus advertat objectum prohibitum esse malum, & ex affectu complacentiæ virtutis, vel absolutè omittat actum malum, & prohibitum, voluntariè omittet: at cum nec semper repræsententur omnia præcepta negativa, nec omnes actus mali, quibus transgrediuntur, sint possibiles simul, inde est, quod nec omissiones, quæ pro illo tempore dantur, sint voluntariæ, sed carentiæ necessariæ.

713. Quarto, Omissio illa est indifferens; ergo requirit actum positivum, ut in finem honestum referatur, ad hoc ut sit honesta. Respondetur negando ant. cum enim sit omissio actus intrinsecè mali non potest esse indifferens, sed bona. Instabis: Demus, quod sit omissio actus mali, quia prohibiti, in illo casu omissio sine ordine ad finem extrinsecum indifferens est; ergo saltem hæc requiret actum, quo referatur in finem bonum ad hoc ut sit bona. Respondetur negando ant. quia forma privata illius omissionis, non est actus ex objecto indifferens, sed actus propositus per intellectum, ut prohibitus, & malus, reduplicat enim supra prohibitionem, & inde omissio illius bona est.

714. Urgebis: Intellectus proponens objectum potest attendere ad duplicem finem, honestum scilicet, & turpem: voluntasque excitari potest ex utriusque finis complacentia; ergo cum illa omissio non referatur in finem honestum per actum positivum, numquam erit honesta, sed vel indifferens, vel turpis. Respondetur: Transeat ant. nego consequentiam, quia eo ipso, quòd omissio fit ex cognitione honesti, & ex honesti affectu, licet ibi interveniat alterius finis propositio & affectus, censetur facta movente fine honesto. Insuperque dato omissionem elicitam ex illa duplici complacentia finis honesti, & turpis, esse vel indifferentem, vel turpem; satis est ad veritatem conclusionis, quod omissio elicita ex affectu finis honesti sit bona. Imò licèt datemus omissionem actus mali, quia prohibiti, esse vel indifferentem vel malam, semper omissio actus intrinsece mali, erit bona.

715. Quinto, adhoc ut omissio sit honesta debet procedere ex cognitione motivi honesti: atqui omissio illa non procedit ex tali cognitione; ergo. Respondetur negãdo consequentiam ut probavi disp. 1. à n. 200. usque ad 202. per se enim, & directè procedit ex cognitione, cum sine illa omissio dari non possit; & ut omissio mala per se est à voluntate, & à cognitione, ita etiam omissio bona: nam omnis privatio eo modo quo est, habet principium per se. Dices: Cognitio illa non movet voluntatem per se ad illam omissionem; ergo illa omissio per se non est ab ipsa cognitione. Respondetur primo negando ant. Namque multoties judicari potest ab intellectu convenientem esse illam omissionem, quæ objectivè repræsentatur bona intellectui, & tunc si cognitio dictet bonum esse omittere, & voluntas omittat, per se illa cognitio movebit voluntatem. Secundo nego consequentiam, quia bene potest effectus esse per se à causa, quæ per se ad illum non destinatur; ut error per se est ab intellectu, & malitia à voluntate: & tamen nec intellectus per se ordinatur ad errorem, nec voluntas ad malitiam.

716. Si quæras quomodo cognitio moveat voluntatem ad illam omissionem; Respondeo pro-

ponendo motivum honestum, ex hac enim propositione excitatur in voluntate complacentia honestatis, & displicentia turpitudinis; sicut ergo ex affectu complacendi Deo movebitur ad omittendum odium Dei, omnis enim affectus est inclinatio in suum objectum, & sicut complacentiæ objectum est amor, ita etiam displicantiæ objectum est omissio. Videantur Ripalda, & Oviedo, qui latius spatiantur in hac disputatione.

SUBSECTIO SECUNDA.

Utrum omissio elicita ex imperio virtutis sit bona?

717. ISte est secundus quæstionis sensus, nimirum an si voluntas ex cognitione honestatis omissionis sibi de honestate illa complaceret, voluissetque propter honestatem, omissionem, eamque per actum charitatis imperaret, tunc esset moraliter honesta; idest, si voluntas eliceret omissionem ex imperio charitatis propter amorem Dei formaliter, utrum illa omissio sit moraliter honesta.

718. Respondetur affirmative: nec video Authorem qui oppositum affirmet, & probatur, quia ista omissio est voluntaria & libera, per eamque voluntas conformatur rationi rectæ; ergo est bona. Deinde quia est elicita ex cognitione honestatis jamque ordinatur ad finem supernaturalem ex imperio virtutis, à qua imperatur; ergo nihil ei deest ad hoc ut sit honesta. Imò si hæc omissio forat indifferens, & objecti indifferentis, fieret honesta ex illa ordinatione quam habet ab actu imperante ad finem supernaturalem. Nec video, quid contra honestatem omissionis in hoc sensu explicatæ dici possit.

SUBSECTIO TERTIA.

Utrum omissio pura, nec ex affectu, nec ex imperio virtutis elicita, sit moraliter honesta?

719. HIc est sensus difficilior hujus quæstionis, utrum scilicet, si per possibile vel impossibile omissio eliceretur à voluntate sine aliquo affectu, & complacentia virtutis, & absque aliquo imperio illius, foret honesta. Respondeo affirmative, & quamvis nullus Author ita expresserit hunc sensum, non tamen video cur admitti non debeat: namque pro ea faciunt argumenta subsectionis primæ, & insuper probatur, quia sufficit ad malitiam omissionis, quod sit voluntaria; & procedat à principio cognoscente malitiam; ergo etiam sufficiet ad honestatem omissionis quod sit voluntaria, & procedat à principio cognoscente honestatem: si enim ad hoc, ut omissio mala sit, non requiritur affectus displicentiæ erga malitiam, nec imperium alicujus actus vitiosi, cur ad hoc, ut omissio sit bona, requiretur complacentia honestatis, & imperium virtutis?

720. Dices primo ex eo esse, quia minus requiritur ad malum, quàm ad bonum, juxta celebre S. Dionysii pronunciatum, *malum ex quocumque defectu, bonum non nisi ex integra causa*:
Dionysius Areopag. Quamvis ergo nec displicentia malitiæ, nec imperium actus vitiosi & mali requiratur ad faciendam omissionem malam, requiretur tamen & complacentia honestatis & imperium virtutis, ad reddendam omissionem bonam. Sed contra est, quia pronunciatum Dionysii solum intelligitur, quod ad bonitatem requiratur carentia omnis circumstantiæ malæ, nam si actus honestus esset affectus plurimis circumstantiis bonis, & tantum haberet unicam circumstantiam malam, ex isto defectu, totus ille actus vitiaretur, totusque esset malus, non tamen illud proloquium negat omissionem, quæ elicitur conformiter rectæ rationi absque aliqua circumstantia indebita, esse moraliter honestam.

721. Dices secundo ex eo esse quia ad bonitatem requiritur quòd honestas objecti appetatur propter se ipsam, at vero ad malitiam non requiritur, quod ipsa malitia sit per se, & propter se ipsam volita, de quo supra numer. 76. Sed contra 1. Quia falsò asseritur esse necessarium ad honestatem quod sit intenta propter se, ut late ostendi supra à n. 170. Secundo, quia dato quod requiratur illa intentio honestatis propter ipsam, adhuc honestas omissionis appetitur propter se ipsam: quod ita explico; nam si quis ex cognitione honestatis velit objectum per se, etiam censetur illud velle propter ita, cum tale objectum non ordinet in ulteriorem finem: similiter, si voluntas excitata ex cognitione honestatis omittat objecti malitiam, & jam omittit per se malitiam & interpretative censebitur velle honestatem non solùm per se, sed propter se ipsam.

722. Sed urgebis ad hoc necessarium esse actum positivum voluntatis, per quem voluntas velit omittere, censeaturque velle honestatem per se & propter se: quomodo enim sine actu positivo voluntas poterit amplexari virtutem propter ipsam? Sed contra, quia ad hoc tantum sufficit actus interpretativus, & non requiritur actus positivus formalis voluntatis: nec video quid contra hunc actum interpretativum afferri possit, præter id quod dictum est disput. 1. à n. 188. ubi talem actum explicavi.

SUBSECTIO QUARTA.

Utrum honestas omissionis sit meritoria.

723. BReviter hoc expediam dubium, quia ad alium locum spectat, de illo enim idcirco ago, ut omnis notitia bonitatis, quæ est in omissione, appareat. Negant omissionem esse meritoriam, qui eam moraliter bonam esse inficiantur: ex iis Doctoribus, qui admittunt honestatem in omissione, quidam negant eam honestatem esse meritoriam præmii supernaturalis ex defectu relationis in finem supernaturalem, fatentur tamen esse meritoriam præmii naturalis. Ita citatus Ruiz disp. 37. de providentia sect. 2. n. 13. Granad. citat. controv. 6. tract. 2. disp. 3. sect. 1. n. 8. quidam verò docent esse meritoriam præmii supernaturalis. Ita Tiraquelus citato tract. 7. de pœnis sperandis & remittendis cap. 44. n. 53. Angest. cit. Oviedo citata controv. 10. n. 38. optime, & latissime Ripalda citata disp. 70. sect. 2. à n. 7.

724. Dico primo, omissionem moraliter honestam, si non eliciatur ex gratia, nec sit supernaturalis, esse tantum meritoriam præmii naturalis. Probatur primo, quia præmium supernaturale non debetur operibus elicitis ex viribus naturæ, ut est communis doctrina Catholicorum approbata in Concil. Arausicano secundo canon. 18. Arausican.
ubi ita: *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia præcedit, ut fiant*: & à Trident. sess. 6. cap. Tridentin.
16. ubi loquens de gratia Christi, ita habet, *Quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo*

grata, & meritoria esse possent. Secundo, quia meritum est proprietas honestatis; ergo ubicumque reperitur honestas, dandum est meritum præmii correspondentis honestati; & confirmatur, quia præmium naturale non debetur actui bono, quia actus est positivus, & physicus, sed quia bonus est; ergo etiam præmium naturale non debebitur omissioni honestæ, quia omissio est, sed quia honesta est, cum honestas sit causa meriti, non verò positivum, aut negativum.

725. Dico secundo: Etiam omissio honesta est meritoria præmii supernaturalis. Probatur quia habet omnes conditiones requisitas ad meritum supernaturale: Primò namque est moraliter bona. Secundò est elicita à Viatore. Tertio est libera. Quarto, suppono quòd fiat ab homine justo, & in gratia constituto. Quinto, illi omissioni promissa est vita æterna. Sexto, habet sufficientem relationem in finem supernaturalem; ergo erit meritoria. Consequentia patet, quia illæ sunt conditiones, quæ juxta communem Doctorum sententiam requiruntur ad meritum de condigno vitæ æternæ: ant. verò circa primas quatuor conditiones, verum est, quæ ex dictis satis probatæ manent: tantum potest esse dubium erga quintam & sextam conditionem, quas etiam reperiri in omissione breviter ostendo.

726. Et primo probo illi omissioni factam esse promissionem vitæ æternæ, quæ est quinta conditio. Namque per illam, & similes omissiones servantur mandata negativa: atqui observantiæ mandatorum promissa est vita æterna, ex illo Matthæi cap. 19. vers. 17. *si autem vis ad vitam ingredi serva mandata*, & nihil est adeo vulgare in Scriptura sacra, & sanctis PP. quàm promissam esse vitam æternam bene operantibus.

Matthæi cap. 19.

727. Secundo, ostendo etiam non deficere omissioni sextam conditionem, nimirùm relationem in finem supernaturalem, cum enim non requiratur quod hæc relatio sit actualis, seu formalis, sed sufficiat relatio virtualis, idest, quod in tempore antecedente illa omissio relata sit in finem supernaturalem, perseveretque in aliquo actu, vel affectu voluntatis: quæ est communis expositio hujus conditionis, ut videre est apud Granad 1. 2. controv. 8. de gratia tract. 11. disp. 4. n. 9. Ægid de Coninch. de actibus disp. 8. dub. 4. à n. 19. & docet Scotus in 4 dist. 6. q. 6. n. 2. vers. *hoc modo*; atqui si omittens in aliquo tempore antecedente ordinet omnes suas operationes in Deum, quidquid postea ab eo fit, vel agendo, vel omittendo, refertur virtualiter in Deum, finem supernaturalem, nec est necesse, quod cum omittitur, referatur omissio; ergo illa omissio, cum habeat omnes conditiones requisitas ad meritum de condigno vitæ æternæ, illius meritoria erit.

Scotus.

728. Et confirmatur totum argumentum, quia ad omissionem Concilia atque Sancti Patres, requirunt gratiam, ut vidimus supra n. 704. & late probat citatus Ripalda sect. 4. ergo ex eo quòd omissio est meritoria præmii supernaturalis, & vitæ æternæ. Patet consequentia, quia ideo ad omissionem requiritur gratia, quia illa omissio, per quam observatur præceptum negativum, est homini salutaris, conducitque ad vitam æternam. Alia omitto argumenta, quia late expenduntur à citato Ripalda: nec video quid possit contra opponi, quod sufficienter non solvatur ex dictis in hac sect.

SECUNDA PARS DISPUTATIONIS.

SECTIO UNDECIMA.

De bonitate actuum imperatorum.

729. EXplicatis omnibus, quæ pertinent tam ad bonitatem objectivam, quam ad bonitatem formalem actuum, qui immediate eliciuntur à voluntate, superest explicanda bonitas formalis, quæ reperitur in actibus imperatis, tam ipsius voluntatis, quàm cæterarum potentiarum, quæ voluntatis dominio subjiciuntur: non enim in illis minores & faciliores reperiuntur difficultates, quàm in ipsis actibus elicitis à voluntate, quas omnes duabus sectionibus expediemus, una enim actuum imperatorum simul & elicitorum à voluntate, altera actuum elicitorum ab aliis potentiis bonitatem formalem expediet.

SUBSECTIO PRIMA.

Notantur quædam circa essentiam actus imperantis, reflexi, & imperati.

730. IMperium vel est unius in aliam personam, ut domini in servum: vel unius potentiæ in aliam, ut voluntatis in intellectum, reliquasque potentias à se distinctas: vel ejusdem potentiæ in se ipsam, ut quando voluntas imperat sibi ipsi, & ex imperio proprii actus, actus à se elicitos imperat: & de hoc imperio voluntatis in se ipsam est in præsenti sermo: sed cum varii sint modi, quibus voluntas in suos proprios actus imperium exercet, idcirco cum Suar. lib. 12. de gratia cap. 11. à n. 1. sciendum, tribus modis voluntatem hoc exercere imperium: primo impropriissime, quando voluntas se determinat ad actum quemlibet faciendum, quodammodo enim voluntas sibi imperat voluntarie se applicando ad actum, quem saltem virtute vult, juxta dicta disp. 1. à n. 98. ad n. 104. 2. quando per unum actum à se elicitum voluntas alium intendit, ita ut unus non sit alterius objectum, qualis intentio finis, & electio mediorum, intentio enim est veluti actus imperans, & electio veluti actus imperatus, qui quidem modus non est proprius imperii, vocatus tamen imperium, quia ex intentione efficaci finis sequitur electio mediorum, & quamquam intentio non sit volitio formalis mediorum, includit tamen volitionem mediorum virtualiter, ut sæpe diximus tota sect. 7. hujus quæstionis præcipuè n. 559. & de hoc genere imperii eadem sect. latissime disputatum est.

731. Tertio, quando voluntas per actum reflexum imperat alium actum, qui est objectum actus reflexi, dicitur voluntas imperare sibi ipsi, imperiumque dicitur reflexum, de quo in præsenti est quæstio. Exemplum sit, si voluntas dicat, *Volo amare*, hîc dantur duo actus, unus reflexus, qui est volitio, alter objectum illius reflexi, qui est amor: reflexus dicitur actus imperans, amor dicitur actus imperatus; sequitur enim amor ex illa volitione, hic autem actus reflexus elici potest ex affectu virtutis, & ordinare actum imperatum in finem illius virtutis, ex cujus affectu oritur: verbi gratia, vult homo satisfacere Deo pro suis peccatis ex affectu pœnitentiæ, vult amorem Dei, ut medium satisfactionis: actus ille pœnitentiæ est affectus antecedens, ex quo oritur volitio amoris, quæ est actus reflexus imperans amorem, qui media illa volitione ordinatur in finem pœnitentiæ.

732. Deinde notandum est primo hunc actum reflexum

reflexum imperantem posse esse vel efficacem, vel inefficacem: efficax est, qui cum defectu actus imperati stare non potest; inefficax est, qui cum actus imperati defectu stare potest. Secundo, utrumque actum reflexum efficacem, & inefficacem, tribus modis accipi posse: primo determinate: secundo indeterminate circa objectum determinatum: tertio, indeterminate circa objectum commune. Actus determinatus est ille, qui versatur circa objectum determinatum pro tempore determinato, verbi gratia, actus qui versatur circa amorem Dei pro tali hora: actus indeterminatus circa objectum determinatum, est ille, quo voluntas vult actum aliquem alicujus particularis virtutis non determinans actum illius virtutis, determinans tamèn tempus; verbi gratia volo elicere actum justitiæ in tali tempore: vel versatur circa objectum singulare virtutis non determinans tempus, verbi gratia volo elicere hunc actum justitiæ absolutè: actus indeterminatus circa objectum commune, est ille, quo voluntas non determinat speciem virtutis, sive determinet tempus, sive non, verbi gratia volo elicere actum virtutis.

733. Tertio, notandum est necessarium esse ut actus dicatur imperatus quod aliquo modo existat ex vi actus imperantis, si enim actus imperans non fuerit causa existentiæ actus imperati, potius erit actus concomitans, quam imperans: cum eodem modo actus imperatus existeret, etiamsi actus imperans non existeret. Utrum verò necessarium sit, ut actus sit imperans, ordinare actum imperatum in proprium finem; affirmat Ripalda de ente supernaturali disp. 63. sect. 1. negat Oviedo controv. 9. de anima puncto 1. & verius, actus ille imperans potest ordinare actum imperatum in proprium finem actus imperantis: insuperque finis actus imperantis reflexi, est idem finis actus imperati; nam volitio actus habet pro fine finem ipsius actus: ac proinde solum quando illa volitio oritur ex aliquo affectu virtutis, poterit ordinare actum imperatum in finem virtutis, ex cujus oritur affectu. His ita notatis sequuntur difficultates, quæ circa hoc imperium reflexum, ejusque bonitatem versantur, quæ clarius, & distinctius quam usque adeo ab Authoribus expeditæ sunt; exponentur.

SUBSECTIO SECUNDA.

Utrum actus internus voluntatis imperari possit ab actu reflexo ejusdem voluntatis.

734. RESpondetur affirmative. Ita Alensis, Altisiodorensis, Capreolus, Almain. Cajet. Medin. Conrad. Lorca, Sotus, Valentia, Salas, Iannerus, quos refert, & sequitur Ripalda citatus sect. 2. n. 10. Gabriel. Richard. Ferrariens. relati à Torriano 2. 2. disput. 53. quibus addo Montesinum disp. 34. quæst. 7. n. 106. Cornejo disp. 5. dub. 3. n. 19. Rainaud. disp. 4. q. 2. art. 2. n. 166. Becan. 2. p. Summ. tract. 1. cap. 4. q. 3. Arauxo ad 1. 2. quæst. 18. art. 6. dub. unico n. 28. Granad. tract. 10. disp. 3. num. 10. Malder. 1. 2. disp. 76. Pesantium 1. 2. q. 18. art. 4. disp. 2. concl. 3. Martinez quæst. 19. art 2. dub. 1. Suar. t. 2. disp. 6. sect. 3. num. 9. disp. 10. sect. 1. lib. 12. de gratia cap. 18. n. 55. Coninch. de actibus disp. 3. dub. 10. n. 110. Thomas Hurtad. in Præcursore Theologico disp. 3. de intentione charitatis memb. 4. in 6. argumento, & §. *pro secundo*. Oviedo de anima controv. 9. punct. 1. Carmelitani t. 1. tract. 12. disput. 8. dub. 3. §. 2. n. 47. & dub. 4. §. 1. estque sententia Scoti 4. dist. 14. q. 2. num. 10. & 17.

735. Probatur primo expresso testimonio Divi Augustini lib. 8. confessionum cap. 9. ubi ita: *Imperat animus ut moveatur manus & tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium: imperat animus ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Unde hoc monstrum? imperat, inquam, ut velit, qui non imperaret nisi vellet, & non fit quod imperat; sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat, nam in tantum imperat, in quantum vult. & in tantum non fit quod imperat, in quantum non vult.* S. August.
Quibus verbis magnus Pater non solùm agnoscit imperium efficax in actiones exteriores, sed efficax, & inefficax in proprias actiones, quæ in tantum non fiunt, in quantum voluntas illas non imperat efficaciter.

736. Secundo, argumentor ex imperio voluntatis in actiones exteriores. Potest voluntas imperare aliis potentiis; ergo etiam sibi ipsi. Probo consequentiam, quia ideo voluntas imperat aliis potentiis, quia earum actiones ejus dominio subjiciuntur: atqui propriæ actiones voluntatis sub ejus dominio sunt, *nihil enim*, ut sæpè ex August. August.
lib. 1. retractationum repetit Scotus quodlibeto Scotus.
18. art. 2. *tam est in potestate voluntatis, quam ipsa voluntas*; id est, ipsius actus voluntatis. Confirmatur, quia ex eo voluntas exercet imperium in alias potentias, quia earum actiones in ejus sunt potestate, easque dirigit in finem à se intentum; quæ quidem non fierent, nisi præcessisset voluntatis imperium, ex quo infallibiliter sequuntur: atqui actus voluntatis est in ejus potestate; ergo eum dirigere potest in finem à se intentum, qui quidem non dirigeretur, nisi præcessisset actus imperans.

737. Dices illum actum, quem dicimus imperantem non movere immediate voluntatem, sed mediate, quatenus movet intellectum ad considerandum motivum, propter quod eliciatur actus imperatus. Sed contra, quia existente actu imperante efficaci, nimirum actu charitatis, jam posset non fieri actus imperatus: media enim ex parte intellectus indifferentia sunt, hoc autem est absurdum; ergo, &c. Minor probatur, quia si homo haberet propositum firmum servandi omnia præcepta, cum hoc propositum sit actus imperans omnes actus præceptos, posset stante hoc proposito omittere actum Religionis verbi gratia, quando urget præceptum, quod est contra Trident.

738. Quod unus actus internus voluntatis, qui sit intentio, verbi gratia amor Dei, non possit imperari per actum reflexum, tribuitur Vasquio 1. 2. disp. 51. cap. 5. à Granad. Montesin. Ripalda, & reliquis recentioribus. Verùm, ut mihi videtur mens Patris Vasquii alia est: supponit enim posse quemlibet actum voluntatis per actum reflexum imperari, ita citato cap. 5. num. 30. §. *hactenus*, & toto illo cap. similiter disput. 53. cap. 4. num. 24. disp. 93. cap. 3. n. 11. In quibus locis admittit actum voluntatis etiam intentionis, volitum esse posse per actum reflexum, & hanc volitionem appellat actum imperantem, imperatum autem appellat ipsam intentionem; alio igitur tendit sententia Vasquii, nimirum, quod actus imperatus nullam accipiat bonitatem ab imperante: Verum est, quod videtur secum pugnare, dum asserit actum imperatum non dependere ab imperante, nec ab imperante aliquod accipere voluntarium: propter quod sequentem instituo difficultatem.

SUBSECTIO TERTIA.

Utrum actus imperatus ab imperante dependeat?

739. RESpondetur affirmative. Ita Doctores supra citati; & probatur, quia frustra dicitur actus imperatus, si ab imperante non dependet: sic enim omnes actus etiam disparati, imperati dici poterunt. Probatur secundo, quia ex eo actus imperatus ab imperante non dependeret, quia cum dependeat à voluntate, non potest dependere ab alio actu simul: hanc enim repugnantiam assignat Pater Vasques disputatione 33. cap. 5. n. 36. Electio mediorum est actus elicitus à voluntate, & non dependet à sola voluntate, sed à voluntate, & ab intentione finis simul, ut tuetur idem Vasques disp. 33. cap. 4. n. 21. asserens intentionem simul cum voluntate esse causam electionis mediorum.

740. Dices primo, diversam rationem esse, quia intentio illa est actus directus, non reflexus; sed contra primo, quia jam repugnantia provenit ex alio capite: Nam si voluntas & intentio simul possunt esse causæ electionis, etiam actus ille reflexus simul cum voluntate erit causa illius actus imperati, cum non repugnet eumdem actum internum juxta Vasques procedere à voluntate, & ab ejus actu, nec assignari possit major ratio, cur actus voluntatis internus possit provenire à voluntate, & ab ejus actu directo simul, non verò possit provenire à voluntate, & ab ejus actu reflexo simul. Secundo, quia si quis intendens sanitatem, eligit potionem, & potionis electio dependet ab intentione, cur etiam volens eligere propter sanitatem illam potionem, illa electio ab illa volitione reflexa non dependebit? Dices secundo, ex eo esse, quia cum ille actus imperatus sit intentio, non potest ab alio actu dependere. Sed contra, quia hoc est petere principium: namque supra sect. 7. subsect. 2. diffic. 2. ostensum est, electionem non puram, quæ cum intentione recurrit, dependere posse ab alia intentione.

741. Oppositum docet Vasques citata disp. 31. & ex eo Torrian. 2.2. disp. 33. dub. 3. Fondamentum est, quia actus dependens essentialiter à voluntate, non potest simul dependere ab alio actu voluntatis. Respondetur negando ant. ut n. 17. contra Patrem Vasques ostendo, & convincitur in electione mediorum. Instabis: Omnis actus internus est intrinsece, & per essentiam voluntarius ex elicientia voluntatis; ergo nequit esse extrinsece, & per participationem voluntarius ex actu illo reflexo. Respondetur negando conseq. quia ille actus est simul elicitus, & imperatus; qua elicitus, est intrinsece, qua imperatus, est extrinsece volontarius: duplex enim habet ille actus voluntarium, unum intrinsecum ex voluntate, alterum extrinsecum ex imperio: ut bene notavit Montesin. numero 113.

742. Urgebis: *Id quod est tale per essentiam, non potest esse tale per participationem*: sed actus elicitus per seipsum, essentialiter est voluntarius ex elicientia voluntatis; ergo non potest esse extrinsece voluntarius per participationem ab actu imperante. Major constat ex omnibus rebus, quæ tales sunt per essentiam, ideo enim quantitas non potest esse extrinsecè quanta, quia est talis essentialiter. Hæc instantia in omni sententia vim habet; nam etiam electio mediorum imperata ab intentione directa, est essentialiter voluntaria ex elicientia voluntatis, & est extrinsece voluntaria ex imperio intentionis directæ.

743. Quare respondeo negando Maj. cum D. Thom. 1. 2. quæst. 17. articul. 6. ad 2. ubi dum sibi objiceretur actum rationis esse talem per essentiam, & non posse esse talem per participationem, respondet: *Ad secundum dicendum, quòd propter diversitatem objectorum, quæ actui rationis subduntur, nihil prohibet rationem se ipsam participare, sicut in cognitione conclusionum participatur cognitio principiorum*: Similiter in proposito, propter diversitatem objectorum, potest participare se ipsum: & per consequens neganda est major, quod patet exemplis: dato enim quòd Deus possit videri per speciem impressam, jam Deus, qui est essentialiter, & intrinsece visibilis, fit visibilis per speciem, & extrinsece: Similiter etiam Angelus per suam substantiam intrinsece est intelligibilis, & tamen extrinsece intelligi potest per speciem impressam: Unde licet illud proloquium verum sit in formis realibus, non tamen in intentionalibus, & quæ dependent ex diversitate objectorum, ut etiam illud alterum proloquium simile: *Impossibilis est forma per se ordinata ad tribuendum effectum rei, quem ipsa res per suam essentiam habet*, intelligitur enim si tribuatur effectus eodem modo, nam diverso modo potest effectus tribui ab aliqua forma ipsi rei, quæ illum habet per essentiam. D. Thom.

744. Et circa hanc dependentiam actus imperati ab imperante duplex superest difficultas expedienda. Prima, est quomodo actus imperatus ab imperante dependeat? Respondeo dependere moraliter: Primo, quia imperium ex suo genere est causa moralis. Secundo, quia voluntas est causa completa suorum actuum, de quo supra à n. 41. usque ad n. 55. Tertio, quia licet concedamus electionem dependere ab intentione directa efficienter, non tamen concedendum ast ita dependere actum imperatum ab imperante reflexo, quia iste actus imperatus est objectum *quod*, imperantis, objectum verò *quod* non causatur ab actu, cujus est objectum.

745. Dices: Intellectus cum assensu principiorum efficienter causat assensum conclusionis; ergo similiter voluntas cum illo actu reflexo imperante efficienter causabit actum imperatum. Respondetur negando conseq. Primo, quia intellectus est causa incompleta suorum actuum: Secundo, quia admissa proportione inter actus directos intellectus & voluntatis, numquam tamen concludit inter actus reflexos voluntatis, quia actus reflexi imperantes habent actus imperatos pro objectis, non tamen pro effectibus.

746. Si quæras an ista dependentia moralis sit actualis, an virtualis; Respondetur multoties esse actualem, multoties virtualem: actualis, si simul existat actus imperans, & imperatus: virtualis, si non existant simul, sed existat simul imperans in virtute; quod duobus modis fieri potest. Primo, quando ex intentione finis oritur unus actus, & ex hoc alius, &c. In hac actuum successione non existit formaliter, & actualiter actus imperans. Secundo, si interrumpatur series actuum, & continuetur moraliter ex vi præteriti actus imperantis, de quo duplici modo differam.

747. Secunda difficultas, quisnam sit iste influxus actus imperantis, & imperati. Varie respondent Doctores. Primo namque Thomistæ, quos se-

quitur Zumel 1. 2. q. 124. art. 4. disp. 2. in appendice conclus. Thomas Hurtad. citatus in 6. argumento, asserunt imprimi ab actu imperante in imperatum, aliquem influxum physicum, quo actus imperatus procedat. Secundo alii, quibus assentitur Petrus Hurtado 1.2. disput. 135. sect. 6. disp. 147. sect. 5. & disp. 158. sect. 5. docent actum imperatum ab imperante pendere per actionem peculiarem, per quam fit à voluntate, specie diversam ab ea, per quâ ab ipsa voluntate solùm fieret: non quia actus imperans effective influat in imperatum, sed quia voluntas non potest agere in actu secundo, per imperium, quin illa actio imperium supponat, tamquam applicationem voluntatis. Tertio, Ripalda citatus sect. 3. nullam admittit causalitatem actus imperantis in imperatum, sed tantum existentiam actus imperati, & efficaciam imperantis, sine qua voluntas non eliceret actum imperatum.

748. Ex his sententiis, quas modo non libro, quia alterius loci sunt; prima est omnino improbabilis, eam commentitiam appellat Lorca de charitate disp. 12. & latè reprobat Ripalda citatus disp. 67. sect. 1. Secunda & tertia probabiles sunt, si rectè explicentur: de quo alibi.

749. Ego enim eodem modo explico causalitatem actus imperantis in imperatum, quo explicatur causalitas illius, qui per imperium efficax, vel per suas causas imperatur: cum enim sit causa per se in genere pure morali, nullam causalitatem physicam exercet, ex dictis disp. 2. à n. 242. cum exerceat tantum causalitatem moralem, quæ nihil aliud est, quam motio quædam moralis, quæ simul cum motione physica morali voluntatis operatur: unde licet tota entitas physica actus imperati, ut effectus soli voluntati respondeat; moralitas tamen illius simul respondet, & voluntati, & actui imperanti: ita ut hæc individua moralitas huius actus imperati sine utroque simul fieri non possit.

SUBSECTIO QUARTA.

Vtrum actus imperatus sit liber.

750. SUppono primo, dari actum efficaciter imperantem determinatum, & actum efficaciter, vel inefficaciter imperantem indeterminatum. Quidquid sit de veritate suppositionis, primum negat Suar. lib. 12. de gratia cap. 3. n. 11. secundum negat Petrus Hurtad. 1.2. disp. 135. sect. 6. & alibi; utrumque verò approbat, & probabilius, Ripalda de ente supernaturali, disp. 66. sect. 2, & 3. Secundo, non esse difficultatem de actu imperante determinato pro tempore, vel actu: certum enim est actum imperatum liberum esse in se, ut bene vidit cit. Suar. numer. 10. si enim voluntas vult elicere actum pro tempore indeterminato futuro, vel in tempore determinato vult elicere indeterminatum actum, liberum illi est quemlibet ex actibus eligere, vel quodlibet tempus.

751. Tertio, quæstionem esse de actu determinato efficaci: & est eadem quæstio cum illa, in qua inquiritur, utrum electio unici medii ex intentione efficaci finis determinata, sit libera? quidquid enim de electione ista resolvitur, idem de actu imperato ab actu reflexo cohærenter disserendum est, non enim minorem, aut majorem vim habet intentio erga electionem, quam habet actus imperans reflexus erga actum imperatum. Quarto, libertatem in se esse illam, quam actus ex voluntate habet, & qua potest fieri, & non fieri absolutè: libertatem verò in alio, sive in causa esse illam; quam actus imperatus habet ex imperante, quia scilicet voluntas cessare potest ab actu reflexo imperante, potest etiam cessare ab actu imperato, ex suppositione tamen, quòd non cesset ab actu reflexo, necessario voluntas elicit actum imperatum, ac proinde absolutè est liber, ex suppositione tamen necessarius. His suppositis.

755. Quæritur utrum actus imperatus ab actu reflexo efficaci, & determinato, sit in se liber, an tantùm in actu imperante. Respondetur actum imperatum non in se, sed in actu imperante esse liberum. Ita Petrus Hurtado 1.2. tota disput. 136. Ripalda disp. 68. sect. 1. Granad. tract. 10. disp. 3. n. 33. Salas tract. 6. disput. 2. sect. 6. n. 60. Azor, Valentia, Medin. Ægid. de Coninch. citati à Ripalda sect. 1. n. 6. Oviedo de anima controv. 9. punct. 4. §. 1. n. 23. & in hanc sententiam omnes Doctores voco, qui electionem unici medii esse necessariam fatentur, supposita intentione efficaci finis, ut Suar. 1. 2. tract. 2. disput. 8. sect. 4. ubi hoc commune appellat, licet citato loco de gratia satis oppositum innuat. Salas tract. 6. disp. 1. sect. 5. n. 38. & n. 45. Probatur primo, quia voluntas si potest, facit id quod vult: si enim non facit, vel est, quia non vult, vel quia non potest; sed voluntas potest, efficaciterque imperat actum; ergo actus imperatus supposito imperio, necessario fiet.

751. Secundo, quia ut actus eliciatur libere, necessarium est quod omnia principia elicientia, & antecedentia proximè, sint indifferentia & compatibilia cum carentia actus: atqui actus imperans, qui est unum ex principiis actus imperati, non est indifferens, nec compatibilis cum carentia actus imperati; ergo hîc non elicitur libere. Consequentia est optima: Min. constat ex efficacia actus imperantis. Major probatur, quia sufficit unum principium ad reliqua principia determinanda ad hoc, ut omnia necessario actum producant: atqui actus imperans est principium antecedens, nec compatibilis cum carentia actus imperati; ergo determinabit omnia principia, ad hoc ut actum necessario producant. Major patet in prædeterminatione physica, quâ adjuncta antecedenter principio libero, actus producitur necessario juxta communiorem hujus temporis sententiam, ex eo quod cum sit principium antecedens determinatum, determinat principia indifferentia, quæ sine illo actum libere producerent. Patet etiam in ea voluntate, quæ proposito objecto, misericordiæ verbi gratia, libera est ad eliciendum actum misericordiæ: cui si Deus imprimat imperium efficax, & determinatum charitatis, voluntas necessario eliciet & actum misericordiæ. Confirmatur, quia *qui vult antecedens necessario etiam vult consequens*; de quo proloquio diximus disp. 2. n. 214. ergo etiam, qui vult actum imperantem, necessario vult actum imperatum.

754. Contrarium docent aliqui recentiores docentes talem actum imperatum in se liberum esse non minus, quàm si sine tali actu imperante fieret: pluresque Doctores pro se referunt, quorum sensus librat Ripalda citata sect. 1. Videtur tamen sententia Vasquii disp. illa 51. Torriani disp. 3. dub. 3. §. *rursus*.

755. Probant primo: Ille actus imperans est liber; ergo non potest inferre necessitatem actui imperato. Antecedens conceditur à contrariis: consequentia probatur, quia quando omnia principia sunt indifferentia & libera, actus libere elicitur: atqui si actus imperans est principium indifferens

& liberum, omnia principia actus imperati sunt indifferentia & libera; ergo actus imperatus liberè elicietur. Respondetur negando consequentiam, quia ut ex intentione finis electio unici medii, quòd determinate, & pro illo instanti judicatur necessarium, necessariò sequitur & elicitur à voluntate, licet intentio in se libera sit: ita etiam ex actu imperante efficaciter, & determinate, actus necessariò sequetur, necessarioque à voluntate elicietur: & utriusque ratio est, quia licet actus imperans sit liber, est etiam necessarius: liber ut elicitur à voluntate, necessarius, sive ut melius loquamur, determinatus, ut elicitus determinat voluntatem: actus autem imperatus non elicitur à voluntate nudè sumpta, qua libera est, sed elicitur à voluntate affecta in actu primo, actu imperante tamquam determinatione antecedente, per quam voluntas necessariò determinatur ad actum imperatum eliciendum.

756. Secundo, electio unici medij, quod determinate judicatur necessarium, non est necessaria; ergo nec actus imperatus. Consequentia videtur optima à paritate rationis, cum electio respectu intentionis, sit actus imperatus directus. Antecedens patet exemplis. Primo, si quis voluntate & intentione absoluta velit elargiri eleemosynam, & non possit, nisi per furtum, electio furti est necessaria. Probo hoc ant. quia electio illa furti peccatum est: atqui non potest esse peccatum, nisi sit libera; ergo non potest esse necessaria. Secundo, quia si quis velit consequi beatitudinem vel in communi, vel in particulari, licet judicet observantiam præceptorum esse necessariam ad beatitudinis consecutionem, non eligit illam observantiam necessario juxta illud Matt. 19. vers. 17. *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Tertio, quia si infirmus absolutè sanitatem intendat efficaciter, & tamen judicet aliquod medium unicum, & necessarium, esse difficile, ut abscissio manus, illud poterit recusare; ergo supposita intentione efficaci, & determinata finis, potest voluntas non eligere medium unicum, quod judicatur necessarium, & consequenter libere illud poterit amplexari, vel recusare: ergo similiter dicendum est circa libertatem actus imperati respectu actus imperantis reflexi.

Matthæi 19

757. Pro solutione notandum est intentionem finis, vel posse esse necessariam, vel liberam: si necessaria, necessariam infert electionem: si libera, vel est efficax, vel inefficax: inefficax numquam infert electionis necessitatem: efficax, vel versatur circa diversa media, vel circa unicum medium: si circa diversa media versatur, semper electio unius medii est simpliciter libera: si versatur circa unicum tantum medium, vel hoc medium judicatur omnino necessarium, vel non: si non judicatur necessarium, electio est absolutè libera: si judicatur omnino necessarium, aut judicatur necessarium hîc & nunc, aut pro alio tempore: si pro alio tempore, electio est libera, etiamsi persistat intentio, cum electio differri possit in illud tempus, pro quo necessarium medium judicatur: voluntas enim non patitur necessitatem, nisi pro necessitate medij: si verò hîc & nunc medium judicetur necessarium, tunc necessario elicitur electio, atque in se necessaria est, & libera tantum in causa, id est in intentione: potest namque voluntas non elicere electionem, si ab intentione desistat, quippe si persistat illa intentio, necessaria erit electio: & in hoc ultimo modo comparanda est intentio cum actu imperante reflexo, & electio cum actu imperato: ex quo, licet electio, & actus imperatus necessaria sint in se, tamen absolutè libera dicuntur in causa, quia si voluntas velit cessare à causa libere, non eliciet actum, quibus necessario notatis,

758. Respondeo ad argumentum, negando anteced. juxta modum, quomodo explicuimus. Ad primam probationem distinguendo ant. si intentio sit absoluta, & efficax, ac determinata, concedo: si inefficax, aut efficax pro indeterminato tempore, nego: licet enim necessaria sit electio furti orta ex determinata & efficaci intentione, adhuc est peccatum, non quia libera est in se, sed quia libera est in causa: & voluntas judicans medium illud, nimirum furtum, esse contra legem, tenebatur suspendere intentionem: quòd si non suspendit, electio illa tribuitur voluntati, quia absolutè ab ea desistere posset, si ab intentione imperante desisteret.

759. Ad secundam probationem nego consequentiam, quia licet intentio beatitudinis sit efficax, non tamen est efficax pro illo determinato tempore, & ideo libera manet electio mandatorum: quod si occurrat observantia mandatorum, ut medium hîc & nunc necessarium ad consecutionem beatitudinis, & voluntas efficaciter beatitudinem intendat, erit electio mandatorum necessaria. Ad tertium respondetur distinguendo antecedens: poterit infirmus recusare unicum medium, quod judicatur necessarium & difficile, ex suppositione, nego: absolutè desistendo ab intentione, concedo.

760. Tertio arguunt: Ut voluntas, posito amore Dei, determinata est ad omissionem odii, & posita omissione odii, determinata est ad amorem Dei, ita posito actu imperante, determinata est ad actum imperatum: atqui non obstante determinatione ad omissionem odii, vel ad amorem, omissio, vel amor liber est in se; ergo similiter non obstante determinatione voluntaria ad actum imperatum, actus imperatus liber erit in se. Respondetur negando Maj. nam actus imperatus talis moralis, non potest existere sine tali actu imperante: at verò omissio existere potest sine illo amore, & ab ipso amore independenter: potest enim omissio odij existere in voluntate, vel per voluntatem pure omittentem, vel per nolitionem reflexam odii: ac proinde cum actus imperans non possit existere in voluntate, quin sit causa inducens antecedenter actum imperatum, & possit amor Dei existere in voluntate, quin sit causa inducens antecedenter omissionem: inde est, quod actus imperans inducat necessitatem actui imperato, non verò amor inducat necessitatem omissioni, nec omissio amori.

761. Instabis: Prior est amor Dei, quàm omissio odij; ergo amor Dei antecedenter induit omissionem odii. Respondetur negando antecedens, sunt enim simul natura, licet enim odium expellatur per amorem, non inde sequitur, quòd prius existat in voluntate amor, quàm omissio odii, quia debebat expelli omissio per amorem, & non odium, omissio verò proxime non expellitur per amorem, sed per causalitatem indifferentem ad amandum, & non amandum; ac proinde tam amor, quam omissio odium expellunt, non tamen amor expellit omissionem odii immediatè, nec omissio odij expellit amorem immediate, & ideo non est prius in

voluntate amare, & deinde omittere odium, sed utrumque est simul.

762. Urgebis: Licet in fieri hoc sit verum, tamen in facto esse prior est amor, quàm omissio odii; ergo saltem in facto esse, amor Dei inducit omissionem odij. Respondetur negando consequentiam. Dices: Omissio etiam oritur ex amore ut ex causa; ergo amor inducit omissionem. Probatur anteced. quia amor ex se connectitur cum omissione odii tamquam cum aliquo requisito ad existentiam objecti amati: atqui amor efficax necessariò inducit quidquid necessarium est ad existentiam objecti amati, sicut intentio efficax finis inducit necessariò electionem unici medii; ergo omissio etiam oritur ex amore ut ex causa. Respondetur negando anteced. quia potest esse omissio, vel per puram omissionem actus, vel per reflexionem. Ad probationem distinguo Min. atqui amor efficax necessariò inducit quidquid necessarium est ad existentiam objecti amati, si aliunde objectum amatum habere possit existentiam, nego: si non possit aliunde habere existentiam, concedo: eo modo, quo intentio finis non inducit necessariò electionem unici medij, si tale medium existere possit independenter ab ipsa intentione.

763. Arguunt quarto: Actus liber absolutè ex suppositione est necessarius; atqui actus imperatus ex suppositione est necessarius; ergò erit in se absolutè liber. Maj. probatur, quia voluntas, dum actu amat reduplicativè, & ex suppositione, quòd amat, necessariò amat, & tamen ille amor absolutè, & in se est liber; ergo, &c. Respondetur, negando consequentiam, quia illa reduplicatio consequitur libertatem in actu secundo, & non ponitur ex parte actus primi: estque suppositio consequens exercitium libertatis, quæ quidem suppositio non tollit ipsam libertatem: actus verò imperans ponitur ex parte actus primi, anteceditque ipsam libertatem actualem, ideo illum actum imperatum reddit necessarium in se, ut communiter asserunt Theologi.

SUBSECTIO QUINTA.

Vtrum quilibet actus virtutis indiscriminatim à quocumque actu virtutis imperari possit.

764. SUppono primo, idem esse virtutem imperare aliam, ac ordinare illam in suum proprium finem: verbi gratia volo elicere actum pœnitentiæ ex affectu charitatis, actus charitatis est actus imperans remote radicaliter, & motivum, quo voluntas excitatur ad volendum actum internum pœnitentiæ, ista volitio est actus reflexua & imperans, quo imperatur actus ille internus pœnitentiæ, actus verò internus pœnitentiæ est actus imperatus, volo enim actum internum pœnitentiæ propter Deum, qui est finis charitatis: Secundo suppono ex dictis supra à num. 734. actus virtutum internos posse esse imperatos ab aliis virtutibus. Quæstio modo est utrum omnes virtutum actus sine discrimine imperari possint ab invicem?

765. In qua quidem quæstione varietas est opinionum. Prima negat actus superioris virtutis posse imperari per actus inferioris virtutis. Ita Lorca sect. 1. de actibus disput. 45. in dub. appendice propè finem, & 2. 2. quæst. 13. articul. 6. sect. 3. disput. 15. numer 6. & quæst. 32. articul. 1. in Comment. Sequitur Araujo citato numer. 29. addidit insuper Lorca sect. 3. de virtutibus disput. 14. §. *sed objecies*, numquam per actus particularis & inferioris virtutis, posse imperari actum universalis, & superioris virtutis, id est, justitia non potest imperare Religionem, nec obedientiam.

766. Secunda sententia distinguit inter modum actus superioris virtutis: vel enim sumuntur materialiter, vel formaliter: si formaliter, negat posse imperari: si materialiter affirmat; ita Cajet. 2. 2. quæst. 32. art. 1. sequuntur Bannes ibi dub. 2. Malder. §. *quæres* 3. explicantque quid sit actus materialis virtutis, & quid sit actus formalis virtutis: actum materialem asserunt esse actum bonum circa objectum bonum, non tamen ut est à sua virtute, & propter finem propriæ virtutis: actum verò formalem appellant actum bonum circa objectum bonum propter honestatem objecti, & finem propriæ virtutis: in qua etiam sententia est Lorca 1. 2. sect. 3. disp. 14. & 2. 2. q. 31. art. 1. in Comment. n. 8.

Tertia sententia tenenda asserit actum cujuslibet virtutis etiam charitatis, imperari posse & elici à quacumque virtute inferiori, & actum universalis virtutis imperari posse à virtute particulari. Ita expresse Scot. in 4. dist. 14. quæst. 2. num. 9. & 10. ubi ita: *Dico quod voluntas secundum diversos habitus potest uti se ipsa, quasi circulariter: hoc modo ex dilectione Dei in se, qua est actus charitatis, potest imperare actum voluntatis vindicativum peccati, & è converso ex actu imperativo vindicandi potest imperare actum dilectionis Dei in se*, &c. Unde immerito, & falso citatur à Lorca 2. 2. sect. 3. disput. 12. pro opposito, cum hic locus, in quo ab eodem citatur, manifestè nostram asserat sententiam. Eamdem sequuntur Valentia 2. 2. disput. 3. quæst. 9. punct. 1. Suarez lib. 11. de gratia cap. 11. numer. 15. Ægid. de Conine de actibus disp. 27. dub. 2. num. 12. Ripald. citatus disp. 75. sect. 4. num. 17. Montesin. tom. 1. in 1. 2. disp. 25. quæst. 6. num. 94. & disp. 24. quæst. 7. præcipuè à numer. 129. Martinez 1. 2. quæst. 18. art. 4. dub. 2. (excipit tamen actum ultimi finis, quem asserit non posse imperari) Carmelitani tract. 11. disput. 6. dub. 5. § 2. numer. 45. Eidemque sententiæ adhærent Doctores; qui asserunt actus bonos supernaturales vitiari posse, de quo sect. 14 à num. 1020. Si enim imperari possunt à vitio, à fortiori imperari poterunt à virtute. Scotus.

767. Probatur contra unam & alteram sententiam. Primo, quia quilibet actus internus virtutis potest esse medium proportionatum ad finem intentum per eamdem virtutem, vel per aliam, sive magis, sive minus perfectam; ergo quilibet imperari poterit sine discrimine à quacumque virtute. Conseq. patet, quia talis actus potest esse objectum cujuscumque virtutis, utilisque ad cujuscumque finem consequendum; ergo eligi poterit tamquam medium, & per consequens imperari. Secundo, quia imperare est movere voluntatem ex desiderio obtinendi finem unius virtutis ad eliciendum actum alterius virtutis: atqui voluntas ex desiderio obtinendi finem etiam inferioris virtutis, potest moveri ad eliciendum actum superioris virtutis; ergo, &c. Probatur, Min. quia actus virtutis superioris possunt esse utiles ad obtinendum finem inferioris virtutis, nemo enim negare poterit actum charitatis utilem esse ad satisfaciendum Deo pro peccatis, ad beatitudinem consequendam, ad declinandam iram Dei.

768. Tertio, quia *ubi reperitur objectum poten-*

ue proportionatum, potest potentia versari circa illud per actum eidem objecto proportionatum: atqui actus tam virtutis superioris & universalis, quam inferioris & particularis, sunt objecta proportionata actibus imperantibus aliarum virtutum; ergo omnes indiscriminatim imperari poterunt. Minor probatur, quia objectum proportionatum actui imperanti, est illud quod est utile fini actus imperantis: atqui illi actus utiles sunt finibus actuum omnium virtutum, ad beatitudinem enim utilis est Religio; ad placandum Deum, charitas: ad humilitatem, obedientia, ergo, &c. supposita enim capacitate objectorum, directio illorum provenit ex libertate voluntatis, quæ pro suo arbitrio ordinare potest omnes illos actus ad fines virtutum, quos voluerit.

769. Objicies primo: Imperare pertinet ad superiorem; ergo inversus & inordinatus ordo est, quod inferior virtus imperet superiorem. Respondetur distinguendo ant. Imperare pertinet ad superiorem ut quod, & propria authoritate, concedo; ut quo & ex authoritate aliena, nego: In nostro casu una virtus alteram imperat, non immediatè, sed media voluntate, & in voluntatis virtute, quæ sub sua potestate habet proprios actus, eo modo quo Rex per inferiorem superiori aliquid imperat, est enim hoc imperium exequutionis, non jurisdictionis, imperium exequutionis sæpe penes inferiores reperitur respectu superiorum.

770. Secundo, jam charitas non esset sola forma virtutum, nec illi foret proprium cæteris virtutibus imperare: atqui hoc est contra omnes Theologos; ergo, &c. Major probatur, quia ex eo charitas est forma virtutum, quia dum omnibus imperat, omnes videtur informare. Respondetur negando Majorem. Ad probationem distinguo ant. ex sua natura, & ex vi ac efficacia sui objecti, concedo: ex arbitrio, & bene placito voluntatis, nego: hæc enim est una ex differentiis, quibus charitas ab aliis virtutibus discriminatur, quod reliquæ virtutes imperant, sed non ex sua natura, aut ex vi objecti, sed ex beneplacito voluntatis: charitas verò ex se nata est absque arbitrio voluntatis imperare reliquis virtutibus, quia respectu sui finis omnes virtutes ad charitatem diriguntur, & saltem virtualiter semper à charitate imperantur. Ita solvit subtilis Doctor cit. n. 10. vers. *Dico ergo*.

Scotus. 771. Tertio: Alienum à recta ratione est, ut finis nobilior ordinetur in ignobiliorem, verbi gratia, ut Deus in finea creatos dirigatur virtutum moralium. Confirmatur, quia jam voluntas dirigens Deum in finem creatum, uteretur fruendis, & frueretur utendis. Respondetur distinguendo ant. Alienum est à recta ratione, ut finis nobilior ordinetur in finem ignobiliorem, ut in finem ultimum, concedo: ut in finem non ultimum nego: hoc enim modo Incarnatio Verbi ordinata est in hominum salutem: insuperque actus charitatis dirigi potest in finem pœnitentiæ, quin ejus finis, id est Deus, dirigatur, propter scilicet propriam dignitatem creatam. Nec ex hoc sequitur voluntatem uti fruendis, aut frui utendis, quia omnis actus virtutis fertur in Deum, & ille charitatis actus etiam ordinatur in finem pœnitentiæ propter Deum.

772. Quarto, sequitur illum amorem Dei imperatum, non esse amorem Dei propter se ipsum; ergo jam non erit actus charitatis. Patet consequentia, quia Deus propter se ipsum diligibilis, est objectum charitatis. Ant. probatur, quia ille amor Dei eligitur ut medium propter alium finem, & non propter ipsum Deum; ergo jam non est amor charitatis. Respondetur negando sequelam, quia quando charitas eligitur ut medium; non privatur suo objecto, aliter privaretur suo proprio esse: sed eligitur, quod diligatur Deus propter ipsum, hoc enim utile est: & insuper eligitur, ut amplius ordinetur in finem extrinsecum, quod ei non repugnat, ut nec etiam aliis virtutibus, quæ licèt sint appetibiles propter se, adhuc tamen juxta contrarios appetuntur propter fines aliarum virtutum.

773. Instabis cum Araujo, & Martines dari specialem repugnantiam in actu charitatis, sive finis ultimi. Probant, quia repugnat finem ultimum ordinari ad alium finem, alias non esset ultimus finis; ergo etiam repugnat actum finis ultimi ordinari ad alium finem. Respondetur negando consequentiam, quia nullus actus ultimi finis, est ultimus finis, & hinc fit, quòd actus charitatis licitè ordinetur ad visionem beatam tamquam ad finem, & ametur propter ipsam visionem: ordinatur enim amor ad ulteriorem finem, retinens tamen semper Deum finem ultimum pro proprio objecto.

SUBSECTIO SEXTA.

Utrum actus imperatus recipiat bonitatem ab imperante?

774. Respondetur affirmative Ita Scot. in 4. dist. 14. q. 3. n. 17. Probabile existimat ejus Scholiastes Cavel. in margine, licet interpretetur Scotum de actu externo, sed contra ejus mentem: Ocbamus in 1. dist. 23. q. 1. art. 6. §. in responsione, Azor tom. 1. lib. 2. cap. 2. q. 2. Suar. lib. 12. de grasia cap. 11. n. 20. Lorca sect. 2. de actibus disp. 33. §. *pro declaratione*, & disp. 90. in dubio appendice, Pesantius 1. 2. q. 18. art. 4. disp. 2. conclus. 5. ubi Araujo art. 6. dub. unico numero 28. Martines t. 1. q. 19. art. 2. dub. 2. ubi Medin. circa solutionem primi, Montesin. disp. 24. q. 7. n. 119. Granad. tract. 10. disp. 3. n. 12. Cornejo tract. 6. disp. 5. dub. 1. n. 4. paragrapho *sed neque*. Carmelitani disp. 6. dub. 3. §. 1. Thomas Hurtado in Præcursore Theologico disp. 3. de intensione charitatis memb. 4. §. *pro coronide* Becan. 2. p. Sum. tract. 1. cap. 4. q. 3. Ripalda disp. 65. sect. 4. n. 24. Maldet. 1. 2. disp. 76. §. *cæterum*, Raynaud. dist. 4. q. 2. art. 2. & Doctores illi, qui supra à nomer. 478. docuerunt electionem accipere bonitatem ab intentione. Scotus.

775. Probatur primo, quia actus elicitus ab una virtute, & ab alia imperatus, utriusque habet bonitatem: atqui iste actus imperatur ab actu reflexo, & elicitur à propria virtute; ergo non solum habebit bonitatem ex fine per se intento aut ex proprio objecto, sed etiam ex fine ad quem per imperium actus reflexi ordinatur: Major communiter recipitur, quia si actus bonus imperetur ab actu malo, ab hoc actu imperante recipit malitiam, ex dictis à n. 551. usque ad num. 585. ergo etiam si imperetur ab actu bono, bonitatem recipiet. Secundo probatur, quia actus imperatus, qua imperatus est, ab imperante dependet, ab eoque ordinatur in finem, ut medium utile ad finem consequendum, ex dictis sect. subsect. 2. & 4. ergo ab illo accipit bonitatem: faciuntque pro hac sententia omnia argumenta, quibus sect. 8. subsect. 2. & 3. osten-

sum est electionem habere bonitatem ab intentione finis, cum intentio sit actus imperans directus, electio verò sit actus imperatus.

777. Deinde confirmatur, quia actus externi imperati accipiunt bonitatem ab actibus internis imperatis, ergo etiam actus interni imperati. Dices cum Ægid. de Coninch. cit. n. 121. quod desumpsit ex Vasquio disp. 53. citata cap. 5. dari diversam rationem inter actus internos & externos, quia actus externi nullam habent libertatem aut moralitatem, interni verò habent propriam libertatem & moralitatem. Sed contra, quia primo obstat, quòd ille actus internus imperatus etiam est necessarius, & solum liber est in causa libertate accepta ex actu imperante, ut constat ex hac sect. quòd etiamsi iste actus imperatus sit liber intrinsecè, potest etiam esse liber extrinsece, ut ex eadem subsect. constat. Tertio, quòd quamquam nullam recipiat libertatem, adhuc poterit recipere bonitatem ex actu imperante, ut patet in exemplo electionis mediorum, quæ in se libera est, & tamen juxta sententiam ipsius Vasquii à fine accipit bonitatem.

778. Oppositum docent Vasques disp. 51. cap. 5. n. 32. Torrianus cit. disp. 33. dub. 3. Ægid. de Coninch. cit. Basilius Ponce relectione a. 5. 2. probabile putat Suar. t. 2. disp. 8. sect. 5. n. 17 & probant primo, quia actus imperatus non dependet ab imperante. Respondetur negando ant. ut constat ex subsect. 2. Secundo, quia iste actus imperatus non est liber, ut constat ex subsect. 3. ergo nec moralis, siquidem libertas est fundamentum vel conditio moralitatis ex dictis disp. 2. sect. 10. à n. 124. Nullam bonitatem moralem accipit ab actu imperante. Respondetur distinguendo ant. Iste actus non est liber ex suppositione, concedo; absolute, nego: ut vidimus subsect. 3. Deinde iste actus est saltem extrinsece liber ex libertate actus imperantis: & hæc libertas extrinseca satis est ad bonitatem moralem, ut apparet in actibus externis, qui cum sint liberi tantum extrinsecè, bonitatem vel malitiam participant ab actu imperante: libertas enim est conditio, & non ratio formalis bonitatis moralis. Instabis: Actus nullam potest habere libertatem nisi ex voluntate; ergo si iste actus necessariò à voluntate procedit, absolutè erit necessarius: siquidem intentio, & actus imperans non communicant libertatem actui imperato. Respondetur distinguendo ant. vel proximè, vel remotè, concedo; proxime tantum, nego: actus enim iste imperatus proximè liber est ex intentione, quia scilicet intentio libera est, & quia intentio libera est, voluntas ab ea cessare potest, & cessando ab intentione, libere poterit elicere actum imperatum, cujus libertas, quæcumque illa est, proximè ab intentione, remote à voluntate, oritur.

779. Sed quia hic dantur duo actus imperantes, & duo imperati; verbi gratia, si voluntas ex affectu charitatis velit elicere actum internum pœnitentiæ propter satisfactionem peccatorum, actus ille charitatis imperat illam volitionem reflexam, & ista reflexa volitio imperat actum internum pœnitentiæ, unde actus iste internus imperatur proxime à volitione reflexa, & ab actu charitatis remotè, quæritur utrum iste actus internus pœnitentiæ recipiat bonitatem ab utroque actu imperante. Respondetur affirmativè, quæ
Scotus. est subtilis doctrina Scoti in 4. dist. 14. q. 2. n. 17. præcipue in vers. *sed si justitia*, ubi loquens de actu imperato à justitia, & à charitate, habet ita: *Tunc actus primus habet duplicem bonitatem, & ex justitia proxima imperante, & ex charitate remota imperante actum illum.* Et probatur quia iste actus ab utroque illo imperatur, & ab utroque dependet; ergo ab utroque accipit bonitatem.

SUBSECTIO SEPTIMA.

Utrum actus imperans recipiat bonitatem ab imperato.

780. RESpondetur affirmative. Ita Doctores supracitati pro nostra sententia, quibus addo Torrian. disp. 33. dub. 3. §. *his præmissis*, ubi constanter asserit esse sententiam Vasquii: & ita videtur, nam Vasques locis citatis numquam asseruit illum actum reflexum non accipere bonitatem ab imperato, sed tantum docuit actum reflexum non accipere ab imperato bonitatem ejusdem speciei: quod quidem diversum est, unde male pro opposito citatur à Montesin. n. 115. & ab aliis recentioribus.

Et probatur, quia ille actus imperans reflexus habet pro objecto actum imperatum: atqui actus accipit ab objecto bonitatem propriam intrinsecam, & essentialem; ergo actus reflexus imperans ab actu imperato accipit bonitatem. Major probata est superius tota sect. 6. & confirmatur quia actus directus ex objecto accipit bonitatem, ut eo loco visum est; ergo etiam actus reflexus à suo objecto accipiet bonitatem.

781. Utrum verò etiam ille actus imperans volitionem reflexam proximè & remote actum ab ipsa volitione reflexa imperatum, & ab ipsa volitione, & ab ipso actu imperato per volitionem accipiat bonitatem; Respondetur affirmative, & quoad bonitatem, quam recipit à volitione proximè imperata patet ex iis quæ diximus illa sect. 8. & insuper, quia illa volitio est electio respectu illius actus imperantis, qui est intentio: atqui intentio est virtualis volitio electionis, ut diximus eo loco subsect. 9. ergo actus ille imperans à volitione reflexa recipiet bonitatem. Patet consequentia, quia volitio accipit bonitatem ab objecto volito: atqui illa volitio reflexa est objectum virtualiter volitum; ergo ab illa actus ille imperans, qui est volitio virtualis illius, accipiet bonitatem. Et confirmatur, quia intentio vitiatur ex objecto, si electio est mala, quia malitia electionis in intentionem refunditur, & quia illa intentio est volitio electionis malæ, de quo sect. illa 8. subsect. 11. & 12. ergo etiam intentio bona, & actus imperans majorem honestatem accipiet ab electione bona.

781. Quòd verò etiam ille actus imperans remote actum imperatum proxime à volitione reflexa, ab eo actu accipiet bonitatem; Probatur, quia iste actus est medium electum, & imperatum per actum illum imperantem, & volitio reflexa est electio illius medii: atqui actus ille imperans accipit bonitatem ab illa volitione, quæ est electio: ergo etiam accipiet bonitatem ab illo actu imperato, qui est medium. Probo consequentiam, quia ille actus imperans in tantum accipit bonitatem ab electione, sive volitione illa reflexa, in quantum est volitio illius: atqui non potest esse volitio illius virtualis, quin sit volitio etiam illius medii, quod est objectum volitionis, cum impossibile sit velle electionem, quin etiam voli-

tum sit objectum ipsius electionis ; ergo si est volitio actus illius imperati, ab eo accipiet bonitatem.

783. Et confirmatur primo, quia ille actus imperans non accipit bonitatem à volitione reflexa abstracta ab ipso actu imperato, sed in quantum recipit bonitatem ab ipso objecto ; ergo etiam necessariò accipiet ab objecto bonitatem. Secundo, quia ille actus imperatus est causa bonitatis repertæ in actu imperante reflexo, & iste actus reflexus est causa bonitatis repertæ in actu imperante ipsam volitionem ; ergo etiam actus imperatus erit causa bonitatis repertæ in actu, à quo imperatur remotè juxta illud, *quod est causa causæ, est causa causati.*

SUBSECTIO OCTAVA.

Utrum bonitas actus imperantis, & imperati sit distincta?

784. Suppono comparari posse actum reflexum, vel cum actu imperante, ex cujus affectu oritur, & ad cujus finem ordinat actum à se imperatum, vel cum ipso actu, quem imperat : deinde comparari posse bonitatem horum actuum, vel cum bonitate quam habent ex proprio objecto, vel cum bonitate quam habent ex fine.

785. Dico primo : Bonitas, quam ille actus imperans habet à suo objecto formali, est distincta à bonitate quam actus reflexus & ejus objectum habent à proprio objecto. Probatur, quia objectum actus imperantis habet distinctam bonitatem ab objecto illorum actuum ; ergo etiam actus ipsi inter se distinctas habebunt bonitates. Confirmatur, quia isti actus sunt realiter distincti ; ergo etiam bonitates distinctæ erunt. Patet consequentia ; quia bonitates sunt ipsæ tendentiæ actuum, quæ ab actibus ipsis non distinguuntur.

786. Dico secundo, Etiam bonitas actus imperantis reflexi, est distincta à bonitate actus à se imperati. Primo, quia objecta sunt distincta ; ergo etiam bonitates erunt distinctæ. Conseq. patet, quia bonitas distinguitur per distinctionem objectorum. Ant. patet, quia objectum actus imperati reflexi, verbi gratia, volitionis amoris Dei, est ipse amor Dei: objectum verò actus imperati, id est, amoris Dei, est ipse Deus: atqui amor Dei & ipse Deus sunt objecta realiter distincta ; ergo ; &c. Confirmatur ex eo quod cum sint actus realiter distincti, habebunt bonitates realiter distinctas.

787. Dico tertio : Bonitas quam actus imperans habet à proprio objecto, est distincta à bonitate quam actus reflexus, & actus ab hoc imperatus habent ex fine prædicti actus imperantis ; similiterque bonitas, quam actus imperatus accipit ab actu reflexo imperante distincta est à bonitate, quam habet à proprio objecto. Probatur, quia omnes isti actus sunt realiter distincti ; ergo etiam bonitates, quæ eis insunt, erunt realiter distinctæ, cum una numero bonitas in duobus subjectis realiter distinctis esse non possit.

788. Quænam autem bonitas sit essentialis, vel accidentalis, illa-ne, quam actus imperatus habet ex fine, an illa, quam habet ex proprio objecto? Quæstio est jam resoluta in simili casu supra sect. 8. subsect. 4. & ex iis, quæ ibi resolvimus, respondeo bonitatem, quam actus imperatus habet ex objecto esse essentialem ; bonitatem verò, quam habet ex actu imperante, esse accidentalem. Ita debent docere Doctores relati illo loco n. 535. & patet ex probatione ibi facta, quia scilicet bonitas ex objecto est essentialis ; ut diximus sect. 6. subsect. 2. & 3. Bonitas verò ex fine est accidentalis : cum finis sit circumstantia : Insuperque bonitas ex objecto est invariabilis, variabilis verò bonitas quæ desumitur ex fine vel actu imperante, sive enim hic actus ex objecto bonus ab hoc, vel illo actu imperetur, semper retinebit eamdem bonitatem ex objecto ; ergo hæc bonitas est essentialis, illa verò quæ desumitur ex fine, erit accidentalis. Nec video quid afferri possit contra hanc veritatem, nisi id quod citata sect. 8. subsect. 4. allatum est.

789. Nam quod afferunt Carmelitani citati eadem sect. quod scilicet bonitas quam actus imperatus accipit ex fine actus imperantis sit accidentalis, si specificative sumantur isti actus ; essentialis vero si reduplicative sumantur : satis ibi confutatum est, argumentaque quibus id probant, ibidem soluta sunt : ille etenim actus imperatus etiam reduplicative acceptus semper primo & essentialiter respicit proprium objectum, nullatenusque finem respicit, qui est objectum actus imperantis, nisi primo respiciat proprium objectum, licet ut imperatus est, non respiciat proprium objectum nisi relatum ad finem.

SUBSECTIO NONA.

Utrum bonitas actus imperantis & imperati sit diversæ speciei?

790. Loquimur de tribus actibus ; imperante scilicet volitionem reflexam, & de volitione reflexa imperante actum internum, & de actu interno imperato proxime à volitione reflexa, & remotè ab illo primo actu imperante. Dico primo : Actus imperans directus, & actus imperans reflexus sive imperatus ab illo actu imperante, possunt esse modò ejusdem, modò diversæ speciei in bonitate essentiali ex objecto desumpta ; & patet, quia siquis intendat satisfactionem peccatorum imperetque volitionem amoris Dei, ut medium utile ad suum finem consequendum, actus imperans, & actus reflexus diversæ sunt speciei in bonitate ex objecto, nam actus imperans ex objecto, est actus pœnitentiæ, actus vero reflexus ex objecto, est actus charitatis : si autem quis intendat Deum finem ultimum, & velit eligere volitionem ipsius amoris Dei, tunc uterque actus erit ejusdem speciei. Idemque dicendum est de actu imperato respectu illius actus imperantis.

791. Dico secundo : Actus imperans & reflexus ab eo imperates, in bonitate quæ desumitur ex fine, semper sunt ejusdem speciei. Patet, quia ille actus reflexus imperatur ab actu imperante in suum proprium finem : unde utriusque actus, est unus & idem finis : cum hac differentia quòd bonitas finis in actu reflexo est accidentalis, in actu vero imperante est essentialis. Idem dicendum de actu imperato ab illa volitione reflexa comparato cum illo altero actu imperante.

792. Superest tamen dubium, & non minimum, circa bonitatem ex objecto, quæ reperitur in actu reflexo, & in actu ab eo imperato, & est utrum actus reflexus, & actus ab eo imperatus ex objecto habeant bonitatem ejusdem, an diversæ

versæ speciei. Verbi gratia utrum amor amoris Dei habeat bonitatem ejusdem speciei cum bonitate ipsius amoris Dei. Respondetur bonitatem utriusque actus esse ejusdem speciei. Est expressa sententia D. Thom. 1. 2. quæst. 25. articul. 2. ubi Cajet. Lorca & alii. Scoti in 3. dist. 23. qu. 1. eam sequitur Suar. lib. 12. de gratia cap. 11. numer. 13. Montesin. cit. numer. 118. Ripald. disp. 64. sect. 2. & 3.

D.Thom. Scotus.

August. 793. Probatur primo ex August. in Epistol. 1. Ioann. cap. 4. circa finem, *quia diligit dilectionem, ideo diligit Deum. neque diligendo dilectionem, Deum diligit.* Videndus est idem August. in Psalm. 118. ad vers. *Ne abscondas à me mandata tua: Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas*, ubi inter multa, quæ ibi asserit, ait: *si rectè diliguntur iustificationes Dei, rectè etiam diligitur dilectio iustificationum.* Optime etiam hoc probat Guillelmus Abbas in suis meditationibus circa finem, ubi multis assertis pro hac sententia ita claudit; *Sed in me ipso nonnumquam amem affectum meum, nisi cum ipso affectu me invenio: de te, quid amo, nisi te? nihil penitus*; qui modus dicendi passim reperitur apud sanctos Patres.

Guillelmus Abbas.

794. Probatur secundo, quia qui diligit Deum, ut perfectè Deum diligat, debet velle dilectionem, qua Deus ab aliis diligitur: atqui illa dilectio dilectionis Dei, quæ reperitur in aliis, est ejusdem speciei cum dilectione Dei, qua alii Deum diligunt; ergo etiam dilectio dilectionis Dei in propria persona erit ejusdem speciei. Consequentia colligit. Maj. patet, quia ad perfectum amorem Dei non solum sufficit, quod ipse Deus diligatur, sed requiritur, quòd omnia media, quibus Deus diligitur, diligantur, quorum præcipuum est amor Dei: unde citatus Guillelmus. *Amo ergo eos qui te amant, & multum amo, sicut amo amorem quo amaris, quem in eis amo*: Et infra ostendens hos amores esse ejusdem speciei, ita ait: *Eos hoc modo amo, ut in eis, & in affectu eorum, nihil amem nisi te, eum ipsum affectum ob hoc tantum amem, quia plenus est te.* Augustinus citatus à D. Thom. supra, ita habet: *Qui diligit proximum consequens est, ut etiam ipsam dilectionem diligat.* Unde etiam optime Scotus citatus num. 2. vers. *de primo*, appellat amorem Dei inordinatum, illum amorem qui tantum inclinaret ad amandum Deum, ut ad bonum proprium non condiligendum, nec habendum ab alio: *Quia perfectè diligens vult dilectum diligi, sicut patet per Richardum.* Min. autem probatur, quia objectum actus reflexi in aliena & propria potentia, est ipsemet Dei amor.

Guillelmus Abbas.

August.

Scotus.

795. Tertio ostenditur, quia amor, quo diligitur proximus ut quid Dei, est ejusdem speciei cum amore Dei, ut tradunt latissime Theologi 2. 2. quæst. 22. ergo etiam amor, quo diligo amorem Dei, erit ejusdem speciei cum ipso amore Dei: non enim dilectio amoris Dei, est minus aliquid Dei, quàm ipse proximus. Tandem ostenditur, quia amor ille reflexus æquivalenter est ille amor Dei; ergo in utroque est eadem bonitas specifica. Antecedens patet ex sanctis PP. supra relatis, qui omnes amorem illum amoris Dei, appellant amorem Dei, qui cum non sint intelligendi de amore Dei formaliter, necessarium est quòd intelligantur de amore Dei æquivalenter, & virtute.

Oppositum tenaciter defendit Vasques disputatione illa 51. cap. 5. numer. 37. §. *Ex eodem*, & disp. 73. cap. 10. n. 5. disp. 93. cap. 3. num. 11. §. *Inde vero*, & disput. 101. cap. 6. num. 11. §. *Hunc posteriorem.* Et probatur primo: Ubi objecta formalia sunt diversæ speciei, etiam actus differunt specie: atqui objecta formalia actus reflexi & directi sunt specie diversa; ergo etiam isti actus differunt specie; ergo etiam bonitates eorum specie erunt diversæ. Maj. constat, quia actus specificantur per objecta. Min. patet, quia objectum actus reflexi est honestas creata ipsius amoris Dei, objectum verò actus directi, est honestas increata, ipse nimirum Deus: atqui bonitas creata & increata differunt specie; ergo, &c.

796. Respondetur concesso toto syllogismo negando ultimam consequentiam: actus enim illi specie differunt, bonitates tamen eorum sunt ejusdem speciei: namque diversitas actuum physica sumitur ex diversitate physica objectorum. Diversitas autem honestatis sumitur ex diversa conformitate morali cum recta ratione, ubi quamquam actus differant physice specie, erunt ejusdem speciei in bonitate morali. Patet exemplo, nam amor Dei & proximi differunt specie physica, & conveniunt in eadem specie bonitatis moralis, nimirum charitatis: abstinere à carnibus, & à superfluis piscium cibis, diversi actus sunt, & diversæ speciei physicæ, & tamen sunt ejusdem speciei in bonitate morali, & sic de aliis; cum ergo amor amoris Dei æquivalenter sit amor Dei, eamdemque conformitatem cum recta ratione uterque habeat, inde est quòd licet physice differant specie, moraliter tamen in una eademque specie bonitatis conveniunt.

797. Instabis. Si quis diligat proximum, non ex complacentia Dei, nec ut aliquid Dei, sed propter ipsius proximi honestatem; omni remoto respectu ad Deum; iste actus non est actus charitatis, sed amicitiæ creatæ, nec procedit ab habitu charitatis, sed ab alio, ut communiter tradunt Theologi 2. 2. quæst. 25. ergo similiter in præsenti. Consequens probatur, quia per amorem amoris Dei, non amatur honestas Dei, sed honestas creata amoris Dei. Respondetur negando consequens. Primo, quia non potest amor sistere tantum in honestate amoris Dei, quin ulterius tendat ad ipsam honestatem Dei, ut bene vidit Scotus citatus numer. 6. vers. *ad 2.* Secundo, quia proximus potest concipi sine respectu ad Deum, non tamen amor concipi potest sine illo respectu, quia essentialiter includit respectum ad ipsum Deum. Scotus.

798. Secundo, quia honestas charitatis est honestas Theologicæ virtutis: atqui virtus Theologica habet pro proximo & formali objecto immediate ipsum Deum; ergo amor amoris Dei, non est honestas charitatis Maj. traditur communiter à Theologis. Min. patet, quia hæc est distinctio virtutis theologicæ ab aliis virtutibus. Consequentia probatur, quia ille amor reflexus habet amorem Dei, & non ipsum Deum pro objecto proximo, & specificativo. Respondetur primo, cum Suar. & Montesin. citat. distinguo Min. atqui virtus theologica habet pro objecto proximo immediate ipsum Deum, si immediate versetur circa proprium actum, concedo: si non versetur circa proprium actum, nego: sicut multa credimus per fidem theologicam, quæ non sunt ipse Deus, & multa per actus charitatis diligimus, quæ etiam non sunt Deus, ut cum amamus proximum: de quo videndus D. Thom. 2. 2. q. 25. art. 2. & Commentatores ibi: ad hoc enim quòd amor sit amor charitatis, D.Thom.

non requiritur quòd Deus ipse immediate ametur: sed sufficit quòd res creatæ amentur, ut quid Dei, & ex complacentia Dei.

799. Respondetur secundo, cum Ripalda sect. 5. numer. 8. distinguo Min. atqui virtus theologica habet pro objecto proximo & formali immediate ipsum Deum formaliter, nego: virtualiter, concedo: ad hoc enim, quòd actus sit proprius charitatis non requiritur tendentia formalis & immediata in Deum, sed sufficit tendentia virtualis & æquivalens in ipsum Deum, & quod sit saltem virtualiter amor Dei: ut in exemplo amoris proximi patet; non enim amor amoris Dei sistit in ipso amore Dei, sed ulterius ex se ad ipsum Deum, amor enim amoris Dei etiamsi formaliter habeat pro objecto amorem Dei, ex se tamen & virtualiter fertur in ipsum Deum, ut bene advertit Scotus cit. Scotus.

800. Tertio, si quis ex charitate imperet Religionem, vel ex efficaci charitate velit servare præcepta, actus ille charitatis differt specie à Religiona & ab observantia præceptorum: & tamen actus ille charitatis virtualiter est amor Religionis, & observantiæ præceptorum; ergo licet amor amoris Dei sit virtualiter amor Dei in specie virtutis, discriminabitur ab ipso amore Dei. Respondetur negando Conseq. quia ille amor charitatis est virtualiter amor religionis, & observantiæ præceptorum effectivè, & non formaliter ex ipso objecto formali, amor verò amoris Dei est formaliter, id est, ex objecto formali virtualis amor Dei: & cum virtualis amor effectivè dicat diversam conformitatem cum recta ratione, inducit diversitatem specificam in genere virtutis moralis; amor verò virtualis formaliter ex objecto formali cum habeat eamdem conformitatem cum recta ratione respectu actus ab eo imperati, non inducit diversitatem specificam.

801. Quarto: Sequeretur, si quis haberet istum actum reflexum, quod per illum infunderetur habitus charitatis: atqui hoc non admittunt Theologi; ergo non est actus charitatis. Sequela probatur, quia per actum charitatis infunditur habitus charitatis; si ergo iste actus reflexus, est actus charitatis, merebitur infusionem habitus charitatis. Minor probatur, quia extra sacramentum non infunditur habitus charitatis sine dilectione ipsius Dei. Respondetur negando sequelam, quia ut infundatur habitus charitatis, non sufficit quicumque actus illius, sed requiritur actus perfectissimus, & præcipuus charitatis; amor autem reflexus non est præcipuus actus charitatis, nec perfectissimus, ut bene notarunt Suar. & Torrianus citati.

SUBSECTIO DECIMA.

Utrum ab uno eodemque habitu eliciatur actus imperans, reflexus, & imperatus.

802. REspondetur affirmativè. Ita Suar. Montesin. Ripald. supra, expresse D. Thom. 2. 2. q. 25. art. 2. Scotus in 3. dist. 28. q. 1. n. 2. & D.Thom. Scotus. tota illa q. non vero dist. 24. ut refertur à Turriano, & Ripalda. Sequuntur Lorca 2. 2. q. 25. art. 2. ubi omnes Commentatores D. Thom. Turrianus disp. 37. dub. 8. debetque esse sententia omnium Doctorum, qui docent amorem Dei & proximi ab eodem habitu oriri, & amorem quo diligitur amor quo aliquis Deum amat, ab uno eodemque habitu charitatis procedere.

803. Probatur primo, quia quando actus æquivalenter & virtute habet honestatem alterius actus, ad eamdem virtutem uterq; spectatum: atqui ita se habent actus reflexus & directus; ergo ad eamdem virtutem, sive habitum spectabunt. Maj. in qua est difficultas, probatur, quia ideo amor virtutis, & odium malitiæ ei oppositum ad eumdem habitum pertinent, quia *qui amat virtutem, virtuti eius oppositam malitiam detestatur*, eo quòd amor virtutis æquivalenter est odium malitiæ oppositæ. Secundo, quia ad eamdem prudentiam pertinet dictare actiones externas, & amorem internum earum; ergo etiam ad eamdem virtutem spectabit uterque actus reflexus, & directus.

803. Tertio probat Torrianus, quia habitus acquisiti, qualis foret habitus actus reflexi & directi, propterea admittuntur à Philosophis, quia potentia sola non facilè vincit difficultatem materiæ, requiritque adjutorium habitus, ut faciliùs difficultas illa vincatur: atqui actus reflexus, præter difficultatem quam habet actus directus, nullam aliam habet difficultatem; ergo uterque actus ad eumdem habitum spectat, & pro utroque unus & idem sufficit habitus. Min. probatur, quia vel actus reflexus est efficax, vel inefficax: si secundum, non habet difficultatem in efficiendo: si primum, difficultas est circa materiam actus directi, nam actus directus, qua actus est, nullam ingerit difficultatem voluntati, cum ipsius voluntatis in potestate sit positus.

804. Oppositum docuit Granad. 1. p. tract. 1. disp. 5. numer. 17. cum aliquibus recentioribus, quos tacito nomine refert cit. Torrian. Primo, quia idem habitus non potest inclinare ad actus specie diversos: sed actus reflexus, & directus sunt actus specie diversi; ergo pertinent ad diversos habitus. Respondetur negando conseq. tum quia subordinati sunt: tum quia actus reflexus non habet majorem difficultatem, quàm directus: tum quia versantur circa materiam moraliter ejusdem speciei, & cum ita sint, quamquam sint diversi specie physica, ad eos sufficit unus tantum habitus: eo modo, quo unus & idem habitus sufficit ad amorem Dei & proximi: unus & idem habitus sufficit ad credendum res creatas, & increatas; unus & idem habitus sufficit ad abstinendum à piscibus & à carnibus, similiaque passim afferuntur exempla.

805. Secundo: Diversi habitus requiruntur ad principia, & conclusiones; ergo etiam ad actum reflexum & directum. Consequens probatur, quia ut se habet principium respectu conclusionis, ita se habet reflexus respectu directi. Respondetur negando consequent. ad probationem nego ant. quia diversa veritas, & specialis reperitur in principiis, ab ea quæ reperitur in conclusionibus: at verò actus reflexus eamdem bonitatem habet cum ea, quæ datur in actu directo.

806. Tertio, quia ad diversum habitum spectat cognitio Dei, & cognitio cognitionis Dei; ergo etiam ad diversum habitum spectabit amor Dei, & amor amoris Dei, sive actus reflexus, & directus. Respondetur, negando antec. cum Scoto cit. numer. 3. vers. *respondeo*: eodem enim habitu, quo inclinatur intellectus ad intelligendum aliquid, inclinatur etiam ad intelligen- Scotus. dum intellectionem eius objecti, quod intelligitur.

807. Inferes; ergo cognitio reflexa, & directa ad eumdem habitum spectat: hoc autem est

falsum; ergo, &c. Probatur Min. quia cognitio intuitiva Dei efficitur à lumine gloriæ, cognitio verò intuitiva illius cognitionis Dei elicitus à scientia infusa. Respondetur negando Min. ut etiam ab una, & eadem specie impressa relicta per cognitionem præteritam potest fieri & cognitio directa, & reflexa: Verum est, quòd illa cognitio cognitionis intuitivæ Dei, non est beatitudo formalis, est tamen saltem virtualiter de ratione beatitudinis, quod ab eodem lumine gloriæ procedere potest.

SUBSECTIO UNDECIMA.

Utrum actus imperatus sit meritorius.

808. Certe hæc quæstio ad materiam de gratia spectat, adeo tamen affinis est præcedentibus, ut ab illis separari iniquum videatur, ex eaque plenissima notitia habetur bonitatis actuum imperatorum, cum ex illius resolutione solvantur aliquæ objectiones, quæ contra bonitatem actuum imperatorum fieri possunt.

809. Respondeo affirmative: est communis Theologorum sententia. Probatur, quia actus imperatus ab actu reflexo est bonus, ut ex superioribus constat, refertur, ut suppono, in Deum finem ultimum supernaturalem: est liber saltem in causa, ut constat ex subsect. 3. Ergo si eliciatur ab homine in gratia constituto, non est quod ei deficiat ad rationem actus meritorii: cum Theologi nihil aliud requirant ad rationem meriti. Et confirmatur, quia actiones externæ aliarum potentiarum imperatæ à voluntate, sunt meritoriæ; ergo etiam actiones internæ ejusdem voluntatis, si ab eadem imperentur, meritoriæ erunt.

810. Dubium tamen est utrum hic actus imperatus habeat distinctum meritum ab actu imperante. Dico primo, Actus internus imperatus ex objecto honestus, habet proprium & distinctum meritum ab actu imperante: ita Suar. lib. 12. de gratia cap. 11. num. 7. & 12. Zumel 1. 2. quæst. 114. articul. 4. disput. 2. notabili 2. & in solutione 2. argumenti: Salas 1. 2. tract. 6. disput. 1. sect. 6. num. 66. Ripald. disp. 64. sect. 4. n. 17. qui n. 16. refert pro hac sententia Ægid. de Coninch, qui tamen Author in illo loco nec verbum de hoc habet.

811. Probatur primo, quia actus imperatus de quo loquimur, est intentio circa objectum bonum & volitum propter se; ergo si eliciatur ab homine in gratia existente, meritorius erit. Consequens probatur, quia si ille actus sine imperio à voluntate eliceretur meritorius foret; ergo etiam meritorius erit, elicitus cum imperio: non enim ex imperio deperdit actus imperatus suam bonitatem. Secundo, quia actus ille est ex objecto honestus, ex imperio illi additur bonitas actus imperantis; atqui utraque hæc bonitas distincta est à bonitate actus imperantis; ergo ille actus imperatus meritorius erit merito distincto à merito actus imperantis. Minor constat ex subsectione 7. & 8. Multa alia argumenta congerit cit. Ripalda in confirmationem hujus conclusionis, quæ apud eum videri possunt.

812. Dices: Etiam de potentia absoluta ad meritum non tantùm de condigno, sed etiam de congruo requiritur libertas, ut communiter docent Theologi, lateque ostendit Torrian. 1. 2. disput. 31. dub. 1. atqui actus ille imperatus non est liber, ut probatum est subsect. 3. ergo nec meritorius erit. Respondetur distinguendo Min. atqui ille actus non est liber absolute & mediate, nego: ex suppositione, & immediate, concedo: hoc enim ibi assertum est: hæc autem libertas sufficit ad meritum; nam absolutè voluntas libere elicit actum imperatum; quia absolutè cessare potest ab actu imperante; cum ergo iste actus hanc habeat libertatem, etiam meritum habebit.

813. Instabis: Actio externa ex eo, quòd non est immediate libera, non habet distinctum meritum ab actu imperante; ergo etiam actus internus imperatus, quia non est immediate liber, non habebit distinctum meritum ab actu imperante. Respondetur primo, negando antec. de quo sect. 11. à n. 905. ad 925. Secundo, nego conseq. diversa enim ratio est, quia actio externa non est libera absolute, sed solum extrinsece: at verò actus internus imperatus absolute liber est, quia absolute elicitur libere à voluntate, quotiescumque voluntas pro suo arbitrio cessare voluerit, ab imperio.

814. Dico secundo: Actus imperatus duplex habet meritum: unum respondens bonitati essentiali ex proprio objecto desumptæ; alterum respondens bonitati accidentali ex fine actus imperantis desumptæ. Probatur, quia meritum respondet bonitati, ut ejus proprietas: atqui actus ille duplicem habet bonitatem, ut constat ex subsect. 7. & 8. ergo duplex habebit meritum. Nec obstat quòd libertas sit una, & utriusque bonitati extrinseca: non inquam, obstat, quia bonitas & meritum non proveniunt à libertate: sed eam supponunt, ut conditionem requisitam, qua conditione posita bonitas fit meritoria: verum est, quòd hoc meritum non datur in actu imperato, nisi ut unitur actui imperanti, ratione cujus liber est.

815. Dico tertio: Actus internus imperatus ex objecto indifferenti solum habet meritum accidentale respectu bonitatis, quam desumit ex fine actus imperantis: Verbi gratia, si quis ex affectu Religionis velit amorem solitudinis, cum solitudo sit objectum indifferens nullam communicat bonitatem actui imperato, sed tantum ille actus habet bonitatem Religionis desumptam ex fine actus imperantis, ex quo patet probatio, quia meritum respondet bonitati: atqui actus ille imperatus solam habet bonitatem accidentalem ex fine; ergo etiam solummodo habebit meritum respondens illi bonitati accidentali.

816. Si quæras quisnam actus sit magis meritorius, actus imperans, an imperatus, Respondetur cum Suar. numer. 13. ex objecto imperantis actus, & actus imperati desumendam esse majorem, vel minorem rationem meriti: nam si actus imperans est nobilior virtus, quàm actus imperatus ex objecto, majus meritum respondebit actui imperanti, quàm imperato, quia cum meritum sit proprietas bonitatis, quo major fuerit bonitas, eo majus erit meritum ex ea secutum, & idem procedit si actus imperatus sit actus nobilioris virtutis quàm actus imperans, nobilius etiam & majus meritum erit meritum actus imperati; & tota ratio est, quia imperium non est addictum nobiliori virtuti, quin potius nobiliores virtutes imperari possunt per ignobiliores, ex dictis subsect. 4.

817. Dices: Actus imperatus non est bonus, nec meritorius moraliter, nisi ut unitus actui imperanti; ergo non habet majus, nec distinctum meritum ab actu imperante. Respondetur negando conseq. quia majus meritum non desumitur

tantummodo ex majori libertate, sed præcipue ex majori bonitate, requirit enim libertatem ut conditionem, qua cum fuerit actus informatus, actus liber erit, habebitque idem meritum essentiale, quod sine tali imperio haberet: ex quo sequitur plus mereri illum hominem, qui ex affectu virtutis reflexo vult aliquem actum interiorem, quàm qui, vel sine reflexione vult, vel sine imperio vult, quia volendo sine reflexione, caret merito actus reflexi; & volendo sine imperio caret merito actus imperantis.

SUBSECTIO DUODECIMA.

Colliguntur aliqua ex dictis in hac sectione.

CUm doctrina præcedentis sectionis non adeo clare & distincte apud Authores reperiatur præter morem, sequentia corollaria propono, ut manifestior sit.

818. Colligo primo, sententiam P. Vasquii in hac materia esse. Primo quod actus internus intentionis possit imperari, dummodo non dependeat actus imperatus ab imperante, ut apparet ex subsect. 1. numer. 738. & subseq. 2. numer. 741. Secundo, quod actus imperatus in se liber est nullamque accipit bonitatem ab imperante, etiamsi ille actus reflexus imperans ab imperato recipiat bonitatem, quæ tamen non ejusdem, sed diversæ est speciei.

819. Colligo secundo, nostram sententiam esse actum internum imperari posse per actum reflexum ex affectu etiam alicujus virtutis: actumque istum imperatum dependere moraliter ab actu imperante, esseque ex suppositione, & in se necessarium, & solum liberum in causa, simulque actum imperatum accipere distinctam bonitatem ab actu imperante remote, ut etiam actus imperans distinctam bonitatem accipit ab actu imperato: & quoad bonitatem acceptam à fine in utroque actu esse ejusdem speciei.

820. Colligo tertio, actum reflexum accipere bonitatem ab actu directo imperato, non quidem diversæ, sed ejusdem speciei, pertinentem ad eamdem omnino virtutem. Colligo quarto, actum imperatum elici à virtute ipsius proprii objecti, imperari verò à virtute, à qua ordinatur in finem, & à qua habet bonitatem accidentalem: verbi gratiâ amor Dei imperatur ab habitu Religionis, à qua habet bonitatem Religionis accidentalem, & elicitur ab habitu charitatis: si verò iste amor imperetur ab ipsa charitate, tunc habebit duplicem bonitatem ejusdem speciei, unam essentialem ex objecto, alteram accidentalem ex fine. Idem de actu reflexo judicandum est.

821. Colligo quarto, omnes virtutes ad invicem imperari posse, ita ut etiam charitas ab aliqua inferiori virtute possit imperari, ordinarique in finem extrinsecum: an verò ex hoc sequatur, quod possit vitiari, discutiendum est sect. 4. subsect. 1. Colligo ultimo actum imperatum esse meritorium modo majori, modo minori merito, quàm sit meritum actus imperantis: habereque duplex meritum, unum essentiale ex objecto, alterum accidentale ex fine.

SECTIO DUODECIMA.

De Bonitate actuum exteriorum.

AFfinis est hæc quæstio actuum exteriorum cum superiori actuum imperatorum, qui ab eadem voluntate eliciuntur, omnes enim imperati sunt, ejusdemque potentiæ dominio addicti, & utrorumque natura adeo est annexa, ut quod pro actibus internis imperatis resolutum est, pro actibus externis resolvendum videatur: multa tamen habent specialia, quæ distinctam tractationis sedem postulant, & in eis, in quibus conveniunt circa omnes hos actus, non conveniunt eodem modo Authores, ut in subsequentibus videndum est.

SUBSECTIO PRIMA.

Quid sit actus externus.

822. QUæstio ista est quæstio tantum de nomine, necessaria tamen pro intelligentia dicendorum, in qua varie sentiunt Authores. Primo, quidam asserunt omnes actus imperatos, etiam illos qui ab ipsa voluntate eliciuntur, nominandos esse actus externos. Ita Cajet. 1. 2. q. 18. art. 6. & quæst. 20. art. 1. Granad. tract. 9. disp. 3. n. 2. tract. 14. disp. 1. n. 1. Rainaud. dist. 4. q. 1. art. 8. nu. 137. Carmelitani tract. 11. disp. 6. dub. 3. §. 3. n. 53. ubi aiunt juxta communem intelligentiam Discipulorum D. Thom. nomine actus interioris voluntatis, non intelligi à S. Doctore omnes actus voluntatis etiam elicitos, sed tantum actus imperantes. Nam actus imperatos, etiam illos, qui eliciuntur à voluntate, appellat exteriores; & videtur hæc esse mens Div. D. Thom.
Thom. 1. 2. q. 18. art. 6. in corpore.

823. Secundo, alii, in quibus est Perez lect. 1. examin. p. 2. cap. 3. & 4. asserunt omnes actus tam voluntatis, quam aliarum potentiarum, esse actus interiores, dummodo ex ordinatione voluntatis ordinentur in finem operantis: omnes verò actus etiamsi sint eliciti ab ipsa voluntate, esse actus exteriores, dummodo tantum habeant pro objecto finem operis, & non operantis, putatque hanc esse sententiam D. Thom. citato loco ubi in corpore ita habet: *Finis autem proprie est obiectum interioris actus voluntarii, id autem circa quod est actio exterior, est obiectum illius. Sicut igitur actus exterior accipit speciem ab obiecto circa quod est: ita actus interior voluntatis accipit speciem, à fine, sicut à proprio obiecto.* D. Thom.

824. Tertio, alii nomine actus interioris appellant omnes actus voluntatis, sive tantum eliciti sint, sive simul eliciti & imperati: actus verò aliarum potentiarum etiam intellectus & appetitus sensitivi, appellant actus exteriores. Ita Suar. 1. 2. tract. 1. disp. 10. in principio: Vasques disput. 71. cap. 88. q. 4. n. 13. Valentia disp. 2. qu. 25. punct. 1. §. principio: Montesin. disp. 28. q. 1. n. 2. Fagundes tom. 1. Decalogi lib. 9. cap. 7. n. 3. & alii communiter.

825. Hæc difficultas, ut dixi, est de nomine tantum, & quidquid in illa dicatur, parùm refert: assentior tamen tertio modo explicandi, quia verior est; omnes enim actus voluntatis, sive eliciti tantum, sive eliciti simul & imperati, sunt actus interiores, si quidem actus isti imperati, etiam si imperentur, inhærent voluntati, à voluntate eliciuntur, liberique sunt libertate sibi ipsis intrin-

seca, nec amplius habent actus purè eliciti, id verò quod supra actus elicitos habent, nimirum esse imperatos, non tollit, quominus fiot proprii, & intrinseci actus voluntatis.

816. Quare actus externi sunt omnes actus aliarum potentiarum etiam si sint intellectus, & potentiæ appetitivæ, licet enim actus intellectus & appetitus simpliciter sint actus interiores respectu hominis, respectu tamen voluntatis sunt actus exteriores, illique omnino extrinseci, & de his est in præsenti quæstio.

SUBSECTIO SECUNDA.

Quo pacto actus externi specificentur.

827. FAcilis erat resolutio, nisi aliqui recentiores nimis subtiliter specificationem actuum exteriorum suis quæstionibus implicarent, quibus non obstantibus breviter respondeo, actus exteriores specificari à suo objecto, quod est materia circa quam, Ita D. Thom. 1. 2. q. 18. art. 6. in corpore, & q. 73. art. 3. ad 1. in 2. dist. 56. art. 3. ad 4. & q. 2. de malo art. 4. Scotus in 2. dist. 7. q. 1. n. 22. sequuntur Suar. sect. 1. n. 6. disp. 2. tract. 2. ex 1. 2. Vasques disp. 73. n. 20. Perea lect. 1. examin. p. 3. cap. 2. n. 23. Sayrn in Clavi Regia lib. 1. cap. 4. n. 6. & 9. Faventin. in 4. disp. 2. cap. 2. n. 58. Herrera disp. 28. de peccatis q. 4. §. 3. & tota q. 5. Aravio 1. 2. q. 18. art. 2. dub. 1. n. 22. & 32. & art. 5. dub. unico n. 39. Ægid. de Coninch. de actibus disp. 1. dub. 2. n. 32. Cornejo variis in locis, præcipue tract. 6. dub. 1. n. 21. & tract. 7. disp. 4. dub. 8. n. 15. §. *dices* Granad. tract. 10. disp. 1. numero 4. latissime Raynaud. dist. 4. q. 1. à numero 160.

D. Thom. · Scotus.

828. Probatur primo ex ea communi ratione *quod actus specificantur per objecta.* Secundo, quia actus exterior debet habere aliquod objectum: atqui objectum hujus non potest esse ipsemet actus; ergo erit materia circa quam. Minor probatur, quia actus exteriores non reflectuntur super suos actus, sed realiter terminantur ad objecta, sive materiam circa quam versantur, cum enim illorum potentia simpliciter, sine aliquo discursu, vel judicio operetur, simplicissima apprehensione in objectum tendit; ergo, &c. de quo argumento videantur Aravio n. 21. Cornejo tract. 6. disp. 3. dub. 1. n. 2.

829. Tertio actus interiores habent multoties actus exteriores, & objecta, sive materiam circa quam pro objecto; ergo actus interiores, illam materiam habebunt pro objecto. Probo consequent. quia in tantum materia circa quam, est objectum actus interioris, in quantum iste immediate tendens in actum exteriorem ratione hujusmodi actus, tendit etiam in materiam circa quam, cum mediante actu exteriori in illam tendat. Ant. verò probatur, quia objectum actuum Religionis, latriæ, hyperduliæ, & duliæ, non est tantum actus ipse exterior, sed etiam excellentia personarum, quibus adoratio illa attribuitur, ut communiter docent Theologi: Deus enim adoratione latriæ, sanctissima Virgo Mater adoratione hyperduliæ, & alii sancti adoratione duliæ venerantur propter ipsam excellentiam, quæ à nobis causari non potest, ac proinde non possunt sistere istæ adorationes in actu exteriori, sed necessariò sistunt in excellentia personarum, quæ adorantur. Confirmatur, quia adoratio latriæ non debetur creaturæ; atqui actus exterior quicumque ille sit, creatus est; ergo nullus tantum potest esse objectum latriæ, imo, si tali adoratione veneraretur, proculdubio ejus loco substitueretur idololatria, si quidem tribueretur creaturæ ea adoratio, quæ soli Deo debetur, insuperque nec Deus foret objectum latriæ, nec idolum idololatriæ, siquidem utriusque objectum ex opposito forent actus exteriores.

830. Dices primo: In actu exteriori & interiori est eadem numero bonitas, & malitia moralis: sed objectum actus interioris, est idem actus exterior in facto esse; ergo hic idem erit objectum actus exterioris in fieri. Major communiter amplectitur. Minor negari non potest, licet enim multoties actus interior habeat materiam circa quam pro objecto immediato, ut amor Dei, verbi gratia; tamen multoties, ut n. 829. vidimus, habet ipsum actum exteriorem. Consequent. probatur, quia ab eodem objecto formali non sumitur diversa species bonitatis & malitiæ; ergo si datur una & eadem malitia, dabitur unum & idem objectum; *ubi enim est unum specificativum, est etiam unum specificatum.*

831. Hoc argumentum tangit opinionem Curiel quæst. 18. articul. 1. dub. 2. §. 4. quam ex parte approbant citati Carmelitani numer. 22. asserit enim materiam circa quam, non esse objectum actus exterioris, sed objectum istius actus, esse ipsummet actum exteriorem, nimirum actum exteriorem in facto esse, esse objectum sui ipsius in fieri, quia actus exterior in fieri ut sic est tendentia & via, cujus terminus est ipsemet actus in facto esse: ac proinde objectum actus exterioris juxta opinionem Curielis, non est materia circa quam, quæ tantum est conditio objecti afficiens ipsum actum exteriorem, cujus in fieri objectum est ipse actus in facto esse.

832. Hæc tamen sententia falsa est, & convincitur argumentis supra factis; & insuper convincitur primo, quia actus in facto esse sumit bonitatem ab aliquo objecto extrinseco; ergo etiam actus exterior in fieri. Ant. patet, quia ille actus in facto esse, non est res absoluta, nec intelligi potest sine objecto extrinseco: visio enim pro objecto habere debet rem visam, aliter oculus nil videbit per illam, cum sit visio nullius objecti; quod quidem manifeste implicat. Consequent. autem probatur, quia actus in fieri, & in facto esse, ejusdem sunt speciei in genere moris, aliter actus in fieri, & actus in facto esse, duplicem haberent speciam: atqui species actuum ab objecto desumitur; ergo utriusque idem est objectum. Secundo quia terminus motus non est ipse motus in facto esse. Tertio, quia actus exterior in esse naturæ, non habet se ipsum pro objecto in facto esse; objectum enim visionis est lucidum, & coloratum, illa nimirum res, quæ videtur; ergo etiam actus exterior in fieri, in esse moris non habebit se ipsum in facto esse pro objecto, siquidem objectum actus in esse moris est idemmet objectum actus in esse naturæ taliter modificatum.

833. Quare ad argumentum positum n. 830. Respondetur primo negando Major. ut subsect. 2. & 3. & inde dicendum est. Secundo data Majori negatur Minor. Tertio admissa eadem bonitate, & malitia in utroque actu, negandum omnino est, in genere naturæ dari idem omnino objectum: namque cum in illo genere detur duplex actus realiter distinctus, interior & exte-

tior, non potest non dari etiam duplex objectum in eodem genere, cum actus per objecta specificentur: utrumque tamen objectum unitur in unum objectum formaliter in genere moris, quia cum utrumque accipiat suam moralitatem per ordinem ad rectam rationem, quæ est eadem omnino convenientia vel disconvenientia respectu utriusque, ideo in genere moris utrumque objectum, unum & idem judicatur, ut constat ex dictis q. 2. n.

834. Dices secundo: Etiamsi materia circa quam actus exterioris mali, sit illius objectum, non tamen erit objectum actus exterioris boni. Probatur hoc ant. Actus exterior solum habet bonitatem objectivam; ergo res extrinseca, sive materia circa quam, non est objectum actus exterioris boni. Ant. supponitur. Consequent. probatur, quia *unum objectum, non est objectum objecti alterius*: atqui actus exterior bonus est objectum actus interioris boni; ergo res extrinseca, sive materia circa quam, non est objectum actus exterioris boni.

835. Hoc argumentum tangit opinionem P. Vasquii 1.2. disp. 73. cap. 10. à n. 49. asserentis materiam circa quam, esse objectum actus exterioris mali, non tamen esse objectum actus exterioris boni. Quæ quidem opinio falsa est: nam ideo Pater Vasques negat materiam circa quam, esse objectum actus boni exterioris, quia actus exterior bonus habet bonitatem objectivam, estque objectum actus interioris boni: atqui etiam actus malus exterior habet malitiam objectivam, estque objectum actus interioris mali; ergo si hoc non obstante actus exterior malus habet pro objecto materiam circa quam, cur etiam actus exterior bonus, non habebit pro objecto materiam circa quam? Præcipue confutatur opinio ex argumento n. 829. ex adoratione latriæ, nam adoratio externa latriæ non potest aliud objectum habere, nisi ipsam excellentiam Dei.

836. Quare ad argumentum positum n. 834. respondetur negando ant. quia actus exterior bonus non solum habet bonitatem objectivam, nec tantùm est objectum actus interioris, sed etiam est actio moralis elicita à sua potentia, & ut est actio, postulat objectum à se realiter distinctum, à quo specificetur; ac proinde materia circa quam est objectum actus exterioris, in quantum ipse actus exterior actus est elicitus à sua potentia: & actus exterior objectum est actus interioris, ut actus est elicitus à sua potentia, unde materia circa quam non est objectum actus exterioris, quatenus iste objectum est actus interioris, sed quatenus actus elicitus est.

837. Dices tertio: Actus exterior non ordinatur ad objectum extrinsecum, sive ad materiam circa quam; ergo materia circa quam non est objectum actus exterioris. Ant. probatur exemplo, nam actus exterior adulterii non ordinatur ad non suam, sive ad alienam, ut ad objectum. Probatur hoc ant. quia non sua, sive aliena est materia circa quam: atqui materia circa quam est circumstantia quid; ergo non est objectum. Respondetur negando ant. ad probationem nego Minorem, nam esse alienam in adulterio non est circumstantia, sed objectum specificans actum illum, illique tribuit speciem: unde materia circa quam non explicatur per illam circumstantiam *quid*, per quam solum explicatur conditio, sive affectio materiæ circa quam, nimirum quòd mulier sit pulchra, pecunia in tanta quantitate, ut bene explicat D. Thom. 1.2. q. 3. ad 3. ubi ita. *Illa conditio causæ, ex qua substantia actus dependet, non dicitur circumstantia, sed aliqua conditio adjuncta, sicut in objecto non dicitur circumstantia furti, quod sit alienum (hoc enim pertinet ad substantiam furti) sed quod sit magnum, vel parvum*: quod si illud circa *quod* denotet materiam circa quam, ut diximus supra n. 119. tunc non erit circumstantia accidentalis, sed objectum ipsius actus. D. Thom.

SUBSECTIO TERTIA.

Utrum actus externus habeat propriam, & intrinsecam bonitatem?

838. Notandum est primo actum externum duobus modis sumi posse: primo ut est objectum voluntatis: secundo ut est effectus ipsius voluntatis, vel ut est actio potentiæ: primo modo actus externus, est bonus, vel malus objective, ab illoque actus voluntatis specificatur: secundo modo est actus imperatus elicitus à propria potentia ex imperio voluntatis.

839. Notandum est secundo quæstionem vel esse posse de bonitate vel malitia formali, vel de materiali: malitia vel bonitas materialis est; quæ non imputatur: formalis verò est, quæ imputatur ad laudem vel culpam, ad meritum vel demeritum. Tertio in actu externo posse considerari bonitatem vel malitiam, vel ex fine proposito per voluntatem, vel ex objecto, & circumstantiis: de bonitate, vel malitia ex fine constat eam esse extrinsecam actui externo, & ab actu interiori in illum derivari, verbi gratia, si voluntas imperet manui, ut eleemosynam largiatur propter Deum, bonitas proveniens ex fine, extrinseca est actui externo eleemosynæ, cum sit bonitas charitatis derivata à fine in illam actionem externam: procedit ergo quæstio de bonitate vel malitia ex objecto, & circumstantiis: & quæritur, utrum malitia, vel bonitas, sive materialis, sive formalis, quæ desumitur ex objecto & circumstantiis, sit intrinseca, & propria in actu externo?

840. In qua quidem quæstione varie loquuntur Doctores circa materialem bonitatem, & malitiam. Prima sententia docet in actibus externis, solum dari bonitatem, vel malitiam objectivam, & tantummodo illos actus esse bonos vel malos in quantum sunt objecta voluntatis, ita communiter Thomistæ: Ferrariensis tertio contra gentes cap. 10. §. *circa tertium*. Conrad. 1.2. q. 20. art. 1. & in solutione secundi, ac tertii. Montesin. disp. 28. q. 2. §. 2. ubi id probat multis D. Thom. testimoniis, & disp. 22. q. 6. §. 3. Becan. 2. p. summ. tract. 1. cap. 6. Carmelit. 1. 2. tract. 11. disp. 3. dub. 1. §. 3. n. 2. videturque sententia D. Thom. de malo q. 2. art. 2. & q. 1. art. 3. & in 2. dist. 40. q. 1. art. 3. ubi ita: *Actus exterior dicitur esse bonus ex se, quia comparatur ut objectum ad interiorem: sed alia est bonitas, secundum quam actus exterior est meritorius, atque laudabilis. & hanc habet ut exercitur, & ut volitus*: estque sententia D. Antonini 1. p. tit. 4. cap. 12. D. Thom. D. Anton.

841. Secunda sententia docet in actibus externis, non solum reperiri bonitatem, vel malitiam quatenus objecta sunt, sed etiam reperiri bonitatem, vel malitiam intrinsecam, & propriam in eis, quatenus actiones sunt per ordinem ad suum objectum. Ita Vasques disp. 73. cap. 10. n. 48. Ægid. de Conioch. de actibus disp. 3. dub. 1. n. 49. & 54. dub. 5. n. 73. Granad. tract. 14. disp. 2. n. 8. & disp. 6. sect. 2. n. 6. Valentia

tom. 2. disp. 2. q. 15. puncto 4. Caspensis disp. 3. sect. 1. n. 9. Herrera de peccatis disp. 33. q. 1. & Doctores, qui docent actus externos esse bonos, vel malos formaliter de quibus numero 845.

842. Circa bonitatem vel malitiam formalem imputabilem, est tertia sententia, & singularis Caët. 1.2. q. 20. art. 2. ad 2. asserentis totam bonitatem formalem esse in actu exteriori formaliter, in interiori verò esse tantum causaliter. Quarta sententia est Medin. 1. 2. q. 20. art. 5. affirmantis actus intellectus, & appetitus absque aliqua dependentia voluntatis esse formaliter bonos, vel malos: actus verò aliarum potentiarum exteriorum non ita; & in idem recidit Caët. 1.2. q. 74. art. 4. ubi affirmat in appetitu sensitivo absque dependentia voluntatis dari peccatum veniale.

843. Quinta sententia est Valentiæ citati puncto 1. à §. *sed quares*, docentis bonitatem, vel malitiam secundum rationem communem analogicam, intrinsece, & proprie esse in actibus exterioribus, convenireque in eadem ratione, & conceptu cum ea bonitate, & malitia, quæ reperitur in actibus interioribus: secundum verò rationem specificam talis virtutis, & vitii, bonitatem, & malitiam non esse intrinsecam, & propriam actuum exteriorum. Sexta sententia est Vasquii citata disp. 73. asserentis malitiam esse formaliter in actu exteriori, non tamen bonitatem.

844. Septima sententia tenet, in actibus externis non reperiri bonitatem & malitiam formalem, nisi extrinsece per denominationem extrinsecam desumptam ab actu imperante voluntatis; hæc est communis sententia, quam ex antiquis sequuntur
D. Bonavent. Bonavent. in 2. dist. 42. art. 1. ubi Albertus Magnus art. 1. Richardus art. 1. q. 1. Pelatius disp. unica, Aquarius conclus. 2. Hispalensis q. unica art. 3. Durand. q. 1. n. 6. Gabriel q. unica art. 2. conclus. 1. Capreolus, & Carthusianus q. 1. Argentinas q. 1. concl. 1. & §. sed istis, Ocham. quodlibet. 1. q. 18. Almain. tract. 1. cap. 1. & cap. Angestus lib. 1. de virtutibus cap. 9. discursu 2. ex recentioribus Curiel 1. 2. q. 74. art. 2. dub. unico concl. 3. Martines 1. 2. q. 20. art. 4. dub. §. *conclusio tamen*, Monsesn. disp. 28. q. 2. §. 2. n. 59. Lorca disp. 44. Azor. tom. 1. cap. 20. q. 6. Salas tract. 7. disp. 6. sect. 7. n. 41. Fagundes lib. 9. in Decalogum cap. 7. n. 8. Ægid. de Coninch. disp. 3. dub. 5. n. 74. Raynaud. dist. 4. q. 1. art. 8. n. 145. Granad. disp. 6. sect. 3. n. 9. Carmelit. tract. 21. disp. 6. dub. 4. §. 5. numero 76. Tandem Vasques disp. 75. cap. 7. Suar. tract. 2. in 1. 2. disp. 10. sect. 1. n. 5. & lib. 12. de gratia cap. 16. numero 29.

845. Octava denique sententia docet in actu exteriori esse intrinsecam, & propriam bonitatem. Ita Alensis 2. p. q. 96. memb. 3. art. 3. §. 3. & 4. p. q. 77. memb. 3. art. 5. Gregor. in 2. dist. 42. q. unica concl. 5. ubi Major q. 1. concl. 2.
Major. & 3. eam docent communiter discipuli Scoti, (cujus mentem explicabimus in fine hujus sectionis) Basolus in 2. dist. 42. q. unica art. 2. Aureolus q. unica art. 1. concl. 2. Rubion q. 1. concl. 2. Herrera disp. 33. q. 1. conclus. 3. Bolensius lib. 1. de Inst. cap. 15. Lichet. & Tataretus in
Scotus. quodlibeto 18. Scoti art. 4. Caspensis disp. 3. sect. 2. n. 9. hæ sunt sententiæ quæ in præsenti concl. circumferuntur, de quibus superest præbere judicium.

Resolvitur quæstio de bonitate, & malitia materiali, sive non imputabili actuum exteriorum.

846. Dico primo: In actibus externis non tantum ut sunt objecta, sed etiam ut actiones sunt, datur bonitas & malitia desumpta ex objecto, & circumstantiis. Probatur ratione qua utitur Vasques citata disput. 71. cap. 5. n. 10. Actio exterior immediate prohibetur & jubetur; ergo in illis non datur sola bonitas, vel malitia objectiva, quatenus scilicet tantum sunt objecta voluntatis, sed etiam in illis datur, quatenus sunt actiones. Ant. probandum est. n. 880. conseq. verò probatur, quia præceptum versatur proprie circa operationem humanam, non verò circa objectum secundum se; ergo si actio immediate prohibetur, vel jubetur: prohibetur, vel jubetur non ut objectum est, sed ut actio est. Ant. probatur, quia circa furtum versatur actus interior, & versatur actus exterior, cujus objectum est res aliena: atqui proximè, & immediate non prohibetur, aut jubetur actus exterior, ut objectum est actus interioris, nec etiam res aliena, ut objectum est actus exterioris; ergo prohibetur actus exterior. Minor probatur, quia actus furandi externus, ut objectum est actus interioris, potest esse objectum bonitatis, vel malitiæ, idest, volitionis, vel nolitionis, sicut odium Dei modo est objectum bonum respectu actus abominationis, & malum respectu actus complacentiæ: Deinde res aliena secundum se potest esse bona, vel mala; ergo præceptum illud non furandi non versatur circa objectum secundum se, sed circa objectum, ut subest operationi humanæ, & ratione operationis prohibetur; ac per consequens præceptum immediate cadit supra operationem.

847. Probatur secundo ex Ægid de Coninch. cit. dub. 4. n. 43. Illa actio externa, ut hic & nunc fit, est mala, quatenus actio; ergo in illa non datur solum malitia objectiva. Probatur ant. quia si illa actio, ut hic & nunc fit, non foret mala, sine peccato eam possem alicui persuadere, si scirem ab illo ignorari invincibiliter talis actionis malitiam: hoc autem est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Minor certa est. Major. probo, quia ideo illa actio est mihi objective mala, quia, ut ab illo homine, etiam invincibiliter ignorante malitiam, fit, & ut ejus actio est, repugnat rectæ rationi, si enim non repugnaret ut actio est, licite persuaderetur. Et confirmatur, quia illa actio non est objectum persuasionis, nisi ut alterius actio est, quod enim persuadeo, est, ut fiat actio.

848. Probatur tertio, quia furari est actio potentiæ exterioris, habens proprium objectum, à quo specificatur juxta communem sententiam à nobis probatam subsect. superiori: atqui illa actio, ut actio est, tendit in suum objectum bonum, vel malum, subjectum scilicet rationi, vel legi; ergo ut sic, vel est bona, vel mala juxta specificationem objecti, indifferens enim esse non potest: tum quia à contrariis non admittitur actio indifferens in individuo; tum quia actio indifferens non versatur circa objectum determinate bonum, vel malum; & per consequens actio externa non solum erit bona, vel mala, ut objectum est actus interioris, sed etiam, ut est actio, habens pro objecto materiam circa quam est bona, vel mala.

849. Objicies primo cum Doctoribus citatis pro prima sententia n. 840. Ideu velle furari est malum, quia furari malum est, & non ideo furari est malum, quia velle furari, malum est; ergo actio illa furandi externa, non est mala, quia actio, sed quia objectum est actus interioris. Respondetur negando conseq. ex antecedente solum sequitur actionem illam exteriorem furandi, etiam esse objectum actus interioris, & ut sic, habere bonitatem, vel malitiam objectivam: per hoc tamen inficiandum non est, præter bonitatem & malitiam objectivam, etiam reperiri bonitatem propriam, ut actio est moralis, & ut tendit in objectum bonum vel malum. Secundo arguit Montesin. n. 53. Malitia, vel bonitas actualis, est secundùm quam actus est imputabilis ad culpam, vel vituperium: atqui actio externa non est imputabilis, nisi ut dependens à voluntate; ergo non est bona, vel mala ut actio est. Respondetur negando conseq. non enim sequitur, nisi quod positis omnibus requisitis, illa actio, ut tendit ad suum objectum, erit imputabilis laudi, vel vituperio: requisitum autem præcipuum ad imputabilitatem, est dependentia à voluntate.

850. Tertio, *Nullum specificativum est actu & formaliter tale, quale est specificatum*, atqui actus exterior, ut objectum est, est specificativum actus boni, vel mali interioris; ergo ut sic, non est formaliter & actu malus, vel bonus. Major probatur, quia specificans hominem, non est homo: color, & lumen, à quibus visio, vel potentia visiva specificatur, nec visio, nec potentia visiva est: & sic de reliquis specificativis. Respondetur omissa solutione Vasquii cap. 10. n. 50. concedo totum, non enim actus externus est actualiter & formaliter bonus, vel malus, ut objectum est, sed ut actio est à suo specificata objecto, quod est materia circa quam: esse enim objectum, & esse actionem in actu externo, sunt duæ rationes formales, quæ secundùm diversos conceptus præscinduntur, nam ut actio est effectua voluntatis mediatus, & immediatus propriæ potentiæ; & ut objectum, est causa actus interioris.

851. Quarto: Quando voluntas per actum reflexum eligit amorem Dei, verbi gratia; amor Dei, & volitio ejusdem, non habent eamdem bonitatem; ergo similiter quando voluntas vult actionem exteriorem, illa volitio, & actio exterior non habebunt eamdem bonitatem; ergo actus exterior tantum babebit, bonitatem, vel malitiam objectivam. Patet hæc conseq. quia actualis bonitas, vel malitia, quam tribuimua actui exteriori, ut actio est, eadem est ejusdem speciei cum bonitate, vel malitia actus interioris. Respondetur, distinguo ant. non habent eamdem bonitatem, id est, distinctam diversæ speciei, concedo: id est non habent bonitatem distinctam ejusdem speciei, nego: de quo late sect. 8. subsect. 7. Similiter distinguendum est primum consequens, negando ultimam conseq. ad probationem concedo ant. ex quo non sequitur in actu exteriori non dari bonitatem, quatenus actio est, sed tantum sequitur præter bonitatem, vel malitiam convenientem actui externo, quatenus actio est, dari etiam bonitatem vel malitiam objectivam.

852. Dico secundo; In actu exteriori non est tota ratio malitiæ, vel bonitatis formaliter, est contra Cajet. relatum n. 842. pro tertia sententia, quem ex professo impugnavi supra sect. 4. subsect. 2. cum Suar. & ideo ex illo loco sumenda est probatio illius conclusionis: insuperque videndi sunt Montesin. disp. 28. q. 1. à n. 6. Ægid. de Conincb. dub. 5. cit. à n. 68. imò sine actu exteriori actus voluntatis est malus & peccaminosus, ut de fide tradunt Doctores, ex illo Matthæi 5. n. 28. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est in corde suo*: Et Ecclesiastici 17. vers. 14. *noli velle mentiri omne mendacium*: quem locum Augustin. tom. 4. de mendac. cap. 16. ita explicat, *ut etiam siquis mentiri velit, etiam si non mentiatur, jam voluntas ipsa damnanda sit*: atqui non propter voluntatem, sed ob actum externum dictum est, noli mentiri omne mendacium, sed noli velle mentiri omne mendacium Vide Suar. 1. 2. tract. 5. disp. 5. sect. 5. numero 2. Cutiel 1. 2. q. 74. art. 1. in commentario. [Matthæi] [Ecclesiastici 17.] [August.]

853. Dico tertio, Actus intellectus, & appetitus sensitivi non sunt formaliter, id est, imputabiliter, boni vel mali, sine dependentia à voluntate, sed eodem modo loquendum est de iis, ac de omnibus aliis. Conclusio est certa, oppositaque nota digna: ita omnes Catholici. Videantur. D. Thom. 1. 2. quæst. 74. art. 4. numee. 19. vers. *ad* 2. Suar. citata disp. sect. 5. n. 8. Vasq. 1. 2. disp. 104. num. 3. cujus fundamentum est, quia nec intellectus, nec appetitus sunt potentiæ liberæ: sed de hoc disp. 4. à n. 168. [D. Thom.]

854. Dico quarto: Bonitas, vel malitia non potest esse in actibus externis secundum rationem communem & genericam: est contra Valentiam relatum in quinta sententia num. 843. Probatur, quia implicat multiplicari rationem communem, etiam analogicam, non multiplicata specifica ratione, quæ sub illa communi continetur, ex illo communi proloquio, *quidquid est de ratione superioris, est de ratione inferioris: præter id, quod illi superiori rationi, ut tali, est proprium*.. Cum ergo ratio bonitatis, vel malitiæ generica, & analogica detur in actu externo, etiam dabitur specifica ratio illius.

855. Dico quinto: Eodem modo in præsenti loquendum est de malitia ac de bonitate: est contra Vasq. relatum in sexta sententia num. 843. & in specie defenditur à Lorca disp. 44. Montesin. disp. 28. quæst. 1. num. 41. Suar. disp. 10. sect. 5. num. 6. Granad. disp. 8. num. 5. Fagundes citato. Et probatur, quia opposita sunt in eodem subjecto proximo, & immediato, & hinc est quod mutuo se expellant; sed bonitas, & malitia contrarie opponuntur, ex dicendis disputatione 4. num. 101. ergo debent esse in eodem subjecto: ergo si malitia est in actu exteriori, etiam bonitas in eodem actu erit. Solum contra hanc conclusionem objici potest, bonitatem debere esse propter se ipsam: hoc enim est argumentum Vasq. cap. 7. ex quo statuit differentiam inter bonitatem & malitiam actuum exteriorum: sed inani firmatur argumento, jam enim ruit ex dictis in hac disput. sect. 5. subsect. 11.

Resolvitur quæstio de bonitate & malitia formali, sive imputabili actuum exteriorum.

856. Dico ultimo contra septimam sententiam relatam n. 844. cum Authoribus octavæ sententiæ: In actibus externis datur intrinseca bonitas, vel malitia imputabilis ad laudem, vel culpam: ac proinde bonitas, & malitia imputabilis intrinsece inest actibus externis. Probatur primo: Ista bonitas, vel malitia est ordo

ad

ad objectum conveniens rationi: atqui iste ordo est intrinsecus & de essentia actus; ergo bonitas & malitia sunt quid intrinsecum actibus externis. Maj. probata est supra sect. 5. subsect 7. quoad bonitatem: quoad malitiam vero disput. 4. sect. 4. subsect. 8. Min. etiam probata est supra sect. 5. subsect 6. à numer. 97. & amplius probabitur disput. 5. sect. 5. quod si malitia consistat in carentia rectitudinis debitæ actui, etiam ista carentia formaliter & intrinsece inest actibus externis malis.

857. Probatur secundo, quia ille actus dicitur bonus vel malus formaliter, qui denominatur talis à forma sibi inhærente, vel intrinsece, vel formaliter, vel primariò (ut modo abstrahamus à quæstionibus) atqui actus externi denominantur boni vel mali à bonitate vel malitia sibi intrinsece, & formaliter inhærente, vel, ut cum Vasquio loquar, sibi primariò conveniente; ergo sunt boni, vel mali formaliter.

858. Min. probatur 1. quia tales actus essentialiter (suppono esse intrinsece bonos, vel malos) sunt boni, vel mali, & sine aliquo addito, mentiri est malú, furari, & blasphemare malum est; dare eleemosynam bonum, Deum colere bonum est: etenim etiamsi ab ebrio fiant tales actus, boni vel mali erunt; ergo etiam formaliter sunt boni, vel mali: *Nihil enim magis formale est rei, quam illud, quod ei est essentiale.* Secundo, quia illud est primariò, & formaliter in actu, quod ei convenit ita primario, quod ab eo in alios actus interiores derivetur: atqui bonitas & malitia, de qua loquimur, primario est in actibus exterioribus, & ab eis derivatur in interiores, ut subsect. 9. videndum est.

859. Probatur tertio, quia malitia formalis, vel consistit in ordine positivo transcendentali ad objectum dissonum, quod ut probabilius defendemus disp. 4. sect. 4. subsect. 6. vel in carentia rectitudinis: deinde bonitas consistit in ordine transcendentali ad objectum consonum rationi: atqui hæc doctrina non potest stare, si malitia, vel bonitas non est formalis in actibus exterioribus; ergo, &c. Min. probatur, quia actus exteriores intrinsece tendunt in objectum dissonum, vel consonum rationi, & illa tendentia est ipsemet actus ad objectum determinatus, & ab eodem actu indistinctus, & formale distinctivum actuum; ergo cum in illo ordine consistat bonitas, vel malitia, mirum sane erit, quòd ordo ille sit intrinsece & formaliter in actibus exterioribus, & actus ipsi non sint formaliter boni vel mali; & mirabilius, quòd forma, id est, ille ordo formaliter & intrinsece afficiés actus exteriores, illos non denominet bonos, vel malos, denominet tamen formaliter & intrinsece bonos, vel malos actus interiores voluntatis, quos intrinsece non afficiat. Insuperq; si malitia est illa carentia, illa immediate est in actu, quem rectitudine privat, & non in potentia, ut optime ostendit Suar. 1. 2. tract. 3. disp. 7. sect. 5. à num. 6. & prius arguit Basolus cit. §. *sed aliter*: atqui actus exteriores ex se privati sunt illa rectitudine, & sine actuali ordine ad voluntatem, carent illa; ergo etiam in illa opinione, malitia quæ reperitur in actibus exterioribus, illis erit formalis.

860. Probatur quarto, quia bonitas, & malitia est intrinseca actibus exterioribus, ut probatum est num. 856. ergo etiam in illis datur formaliter, si quidem non solùm est intrinseca, sed etiam forma specificans actum. Quia huic doctrinæ accommodari possunt omnes rationes, quibus utitur Suar. in 1. 2. tract 3. disp. 7. sect. 2. à num. 3. pro opinione sua asserente actum interiorem esse formaliter malum. Prima est, quia actus interior tendit in actus exteriores, ut in objecta mala: secunda est, quia actus interior malus, est disconveniens & prohibitus: Cum ergo actus exterior tendat in materiam circa quam, sitque vel præceptus si est bonus, vel prohibitus si est malus; proculdubio etiam erit formaliter bonus, vel malus.

861. Objicies: Ideo actus exteriores boni, vel mali sunt, quia possunt causare bonitatem formalem actuum interiorum; ergo malitia actuum interiorum est causalis, & fundamentalis, & non formalis. Respondetur, distinguo anteced. etiam concedo; tantum nego: dupliciter enim considerari possunt actus exteriores, vel ut actus sunt respectu suorum objectorum, vel, ut sunt objecta respectu actuum voluntatis, ut supra diximus numer. 846. ergo quamvis ut objecta illa bonitas, vel malitia in eis reperta, sit bonitas causalis, & fundamentalis causativa bonitatis & malitiæ repertæ in actibus interioribus, tamen ut actus sunt, sunt formaliter boni, vel mali, desumpta bonitate, vel malitia à proprio objecto, non aliter quam actus interiores imperati in quantum objecta aliorum actuum voluntatis imperantium, habent bonitatem causalem respectu bonitatis, quæ reperitur in actibus imperantibus, quæ tamen bonitas non obstat, quo minus iidem actus imperati voluntatis, sint boni vel mali formaliter, ut actus sunt tendentes in propria objecta.

862. Insuper dici potest, illam bonitatem, vel malitiam repertam in actibus exterioribus, ut objecta sunt, esse formalem: nam illa virtus causandi est ipsamet bonitas actus, formaliterque in ipso actu: & quamvis actualiter actus externi non causent bonitatem, vel malitiam actuum interiorum, adhuc sunt boni, vel mali formaliter: namque ut optime prosequitur Suar. tract. 3. in 1. 2. disput. 2. sect. 1. numer. 6. objectum non est bonum tantum, ut est causa actualis rectitudinis in voluntate, sed quia intrinsece bonum est, intrinsecamque habet virtutem causandi, quæ est ipsamet bonitas. Nec obstat, quod objectum sit fundamentaliter morale, ut diximus disp. 5. n. 166. Non, inquam, obstat, quia ab alio sumitur moralitas, ab alio verò bonitas.

863. Ostenso, bonitatem & malitiam esse intrinsecam & formalem in actibus exterioribus, superest ostendendum actus externos etiam formaliter & intrinsece esse imputabiles, non per denominationem extrinsecam desumptam ab actibus voluntatis imperantibus: hoc enim est præcipuum litigium, cætera namque videntur potius spectare ad quæstionem de nomine.

864. Quod sic ostendo: Isti actus externi sunt intrinsece, & formaliter boni vel mali, ut ex superioribus constat; ergo etiam intrinsece & formaliter imputabiles. Consequ. probatur, quia ex eo essent imputabiles, quia extrinsece sunt liberi per denominationem desumptam ab actibus voluntatis. Hæc enim est tota contrariorum ratio, eo quod sine libertate nullus actus imputatur ad laudem, vel culpam, nam ut actus taliter imputetur, necessaria est libertas, quæ cum extrinseca sit actibus exterioribus, & jam illis extrinseca erit imputabilitas ad laudem, vel culpam.

865. Verum hoc evidenter impugnatur, & primo ab absurdo: si libertas esset ratio formalis imputabilitatis, sequeretur juxta opinionem contrariorum constituentium libertatem in de-

nominatione extrinseca, actus pure eliciti voluntatis esse extrinsece bonos & imputabiles: Hoc autem inficiantur iidem contrarii; ergo, &c. Sequela ostenditur, quia si ex eo quòd libertas est extrinseca actibus exterioribus, actus isti sunt extrinsece boni, & imputabiles, etiam ex eadem ratione actus eliciti voluntatis erunt extrinsece boni, & imputabiles.

866. Huic argumento respondet Suar. citat. sect. 5. numero 7. diversam rationem dari inter actus externos, & internos: nam externi ideo sunt formaliter imputabiles, quia licet sint extrinsece liberi, sunt tamen intrinsece voluntarii: actus verò externi, sunt intrinsece liberi, & voluntarij. Sed contra, quia voluntarium, non est conditio imputabilitatis, sed libertas; nihil proficit voluntarium esse intrinsecum ad hoc ut actus sit intrinsece imputabilis. Anteced. patet, quia in actibus necessariis datur perfectissimum voluntarium, & perfectius voluntario libero, ut probatum est disputat. 5. sect. 2. subsect. 1. in quinta difficultate: atqui actus necessarius, etiamsi sit bonus vel malus ex objecto, non est imputabilis; ergo parum facit quod actus interiores sint intrinsece voluntarii, si sunt extrinsece liberi; si enim libertas, quæ est conditio imputabilitatis, est extrinseca actibus interioribus imperatis, non officit ad hoc, ut illi actus dicantur intrinsece & formaliter imputabiles; non etiam officiet actibus exterioribus, quominus intrinsece & formaliter imputabiles dicantur.

867. Secundo, ostenditur conclusio: Ratio formalis cur actus imputantur ad laudem, vel culpam, non est libertas, sed bonitas, vel malitia in eis reperta; ergo si bonitas, & malitia sunt formaliter & intrinsece in actibus exterioribus, actus isti erunt intrinsece & formaliter imputabiles. Consequ. patet, quia ubi ratio formalis imputabilitatis est intrinseca & formaliter in actu qui imputatur, etiam actus est intrinsece & formaliter imputabilis. Anteced. probatur, quia si actus non fuerit bonus, laudi non imputabitur; nec culpæ, si non fuerit malus: imo ideo actus imputatur laudi, quia bonus: ideo, culpæ, quia malus est; ergo libertas non est ratio formalis imputabilitatis, sed bonitas, vel malitia. Antec. ostenditur, quia ut admittamus dari actus liberos indifferentes, ut probabilius admittendum est disputat. 5. sectione 5. subsect. 1. isti actus liberi sunt, & tamen non boni nec mali, defectu bonitatis & malitiæ; ergo, &c.

868. Tertio, quia illa ratio libertatis est communis actioni bonæ & malæ; ergo non est ratio formalis bonitatis, vel malitiæ imputabilis. Patet consequentia, quia ratio formalis cur actus imputatur culpæ, non potest esse eadem ratio cur actus imputatur laudi: cum enim rationes formales actus boni, vel mali sint contrariæ, non potest una esse eademque ratio; ergo libertas erit conditio, sine qua non dabitur imputabilitas actus, qua posita conditione, actus erit formaliter imputabilis ratione bonitatis vel malitiæ sibi intrinsece inhærentis, eo modo quo ignis non comburit, nisi approximetur vel existat, & tamen nec approximatio, nec existentia est ratio formalis cur comburat, sed requirit approximationem, ut ratio formalis comburendi suum faciat effectum.

870. Quarto, quia non possunt multiplicari effectus formales, nisi multiplicetur causa formalis: atqui in uno eodemque actu dantur plures species malitiæ vel bonitatis, & tantum datur unica libertas, unicumque liberi actus exercitium; ergo libertas non potest esse ratio formalis imputabilitatis. Hoc argumento usi fuimus disput. 7. numero 95. ad probandum libertatem non esse rationem formalem imputabilitatis. Maj. illius admittitur ab omnibus, & necessario admittenda est, quia cum effectus formalis sit eademmet causa formalis, ubi non multiplicabitur causa, non potest multiplicari effectus: aliter dabitur effectus formalis sine causa formali, vel saltem eadem in specie causa formalis causabit effectus formales specie diversos, quæ omnia vera abhorret Philosophia. Minor etiam clara est, apparetque in actibus, qui duas, vel plures habent species bonitatis vel malitiæ, ut servate castitatem ex voto, & amore Dei; adulterium, sacrilegium, & similes actus.

871. Has rationes nititur solvere Ægid. de Coninch. disputat. 3. de actibus dub. 5. à numero 76. dicens liberum, & voluntarium non quidem secundùm se præcisè, sed ut applicantur, esse rationem formalem imputabilitatis. Probat, quia licet agere libere, absolutè & secundùm se non sit malum, agere tamen libere malum, malum est; ergo libertas, ut applicata bonitati, vel malitiæ, est ratio formalis imputabilitatis. Anteced. probat primo, quia actus bonus, vel malus necessarius, non est imputabilis; ergo defectu libertatis. Secundo, quia homini, seu naturæ rationali repugnat agere malum libere, non vero necessario. Tertio, quia ut actio sit verè humana, debet procedere libere, & à modo procedendi libere, dicitur humana, ex dictis supra quæstiuncula proœmiali numero 3. atqui actio solum, ut humana, est imputabilis. Quarto, quia ex opposito, nulla foret ratio, cur assensus fidei, & amor Dei in patria non essent formaliter imputabiles ad laudem. Probatur, quia si bonitas est ratio imputabilitatis, ubicumque fuerit actus, dicentur imputabiles: atqui assensus fidei, & amor Dei in patria sunt actus honestissimi; ergo si non sunt imputabiles, ex eo erit, quia libertas, & non bonitas, est ratio imputabilitatis. Quinto, quia posita libertate statim actus redditur imputabilis; ergo ex eo quòd libertas est ratio imputabilitatis. Anteced. patet, quia amor Dei in patria est honestus, & tamen non est imputabilis, quia necessarius est. In via verò imputabilis est, qui liber.

872. Hæc tamen responsio nostratum rationum vires non infringit. Primo, quia si de ratione libertatis secundum se, & in communi non est esse imputabilem ad laudem vel culpam, nec etiam erit de ratione libertatis particularis, & applicatæ. Probatur, quia ideo agere libere secundùm se, non est bonum, vel malum imputabile quia non datur materia quæ sit imputabilis; ergo si agere libere bonum, vel malum, imputabile est, non est quia libere agitur bonum vel malum, sed quia bono vel malo adjungitur ratio libertatis ut conditio. Secundo, quia non minus requiritur ad imputabilitatem actus libertas, quam advertentia: atqui juxta omnes Doctores, quorum doctrinam approbat Ægid. de Coninch citata disp. 3. num. 49. illa advertentia, sive cognitio bonitatis vel ma-

litiæ est tantum conditio requisita ad hoc ut actus dicatur imputabilis; ergo etiam libertas.

873. Ex quibus respondeo ad rationes Ægidii, quibus oppositum docuit num. 871. ad principalem, distinguo antecedens, libere agere malum, est malum, ratione libertatis, nego: ratione malitiæ, concedo; ad primam probationem concedo totum, ex hoc tamen non consequitur, libertatem esse rationem formalem imputabilitatis, sed esse conditionem, defectu cujus actus necessarius non imputatur, ut etiam bona est hæc consequentia, *actus necessarius non imputatur*; ergo *quia fit sine advertentia*, & tamen non est bona; ergo *advertentia est ratio formalis imputabilitatis*, cum sit tantum conditio æque necessaria ad imputabilitatem, ac libertas. Ad secundam, nego antecedens, utrumque enim repugnat naturæ rationali, & agere malum necessario, & agere liberè, ut optimè docet idem Ægid. toto dub. 3. citatæ disp. 3. Quod non imputetur malum quod necessario agitur, est quia deficit conditio essentialiter requisita ad imputabilitatem. Ad tertiam, distinguo Min. atqui actio ut humana, solum est imputabilis, fundamentaliter, & ut fundamentum, concedo: formaliter, nego: forma enim imputabilitatis est bonitas vel malitia. Ad quartam, nego anteced. ratio enim est, quia cum illi actus necessarii sint, non imputantur defectu conditionis, id est, libertatis. Ad quintam, nego consequentiam, ex antecedente enim tantum sequitur, quòd libertas sit conditio logicè requisita, ut etiam ex hoc antecedente, posito vel destructo termino, statim ponitur, vel destruitur relatio, non sequitur hæc consequentia; ergo terminus est ratio formalis relationis, sed sequitur hæc; ergo terminus est conditio relationis.

874. Objicies deinde primo contra nostram conclusionem cum Montesin. num. 61. Libertas est fundamentum imputabilitatis; ergo ubi fundamentum non fuerit intrinsece & formaliter, nec etiam erit imputabilitas intrinsece & formaliter: atqui in actibus externis, nec intrinsece, nec formaliter est libertas; ergo nec imputabilitas. Consequentia probatur, quia ideo relatio Creatoris est Deo extrinseca, creaturæ verò intrinseca, quia fundamentum relationis intrinsece & formaliter est in creatura, non verò in Deo. Respondetur primo, hoc argumentum æqualiter solvendum esse à Doctoribus contrariis, qui asserunt libertatem esse extrinsecam actibus interioribus voluntatis, jam enim si ratio illa valet, omnes forent extrinsece imputabiles. Respondetur secundo, distinguo anteced. libertas est fundamentum imputabilitatis in actibus elicitis à voluntate, concedo: in actibus imperatis potentiæ externæ, nego: est enim in his conditio tantum, ex dictis disput. 2. num. 129.

Augustin 875. Instabis: Tritum proloquium est Augustini, *peccatum in tantum est peccatum, in quantum est voluntarium & liberum*; ergo libertas non est tantum conditio, sed fundamentum imputabilitatis, imò & ratio formalis illius. Respondetur explicandum esse proloquium, nimirum in tantum peccatum esse peccatum, in quantum est voluntarium & liberum, quia libertas & voluntarium requiruntur, ut conditiones ad imputabilitatem, vel etiam ut fundamentum in actibus elicitis à voluntate, non tamen quòd sint de essentia imputabilitatis.

876. Secundo, idem actus externus potest esse modo bonus, modo malus, mutatione solùm facta in actu interiori; ergo ab actu interiori suam accipit malitiam, nullamque habet propriam, & intrinsecam imputabilitatem. Respondetur primo, negando antecedens, ut in hac sect. subsect. ta. ostendendum est. Secundo, negando consequentiam in doctrina contrariorum, asserentium actus interiores posse esse successiue bonos, vel malos, ut vidimus supra numero 580. tamen negant non esse intrinsece & formaliter bonos, vel malos. Prima tamen solutio melior est.

877. Tertio, actus exteriores minuuntur, vel augentur in bonitate, vel malitia imputabili, ex majori vel minori intensione actus interioris; ergo imputabilitas non est formaliter in actibus exterioribus, sed extrinsecè denominatione desumpta ab actibus interioribus. Respondetur; distinguo antecedens, in ratione bonitatis, vel malitiæ, ex objecto, nego: accidentalis, concedo: eo modo, quo etiam idem actus interior, modo minuitur, modo augetur in bonitate, & tamen non sequitur, actus interiores non esse formaliter intrinsece bonos, & malos.

878. Quarto, malitia est formaliter carentia justitiæ debitæ in sola voluntate existens, ut definivit Anselmus lib. de Conceptu Virginali cap. 5. ergo etiam injustitia solummodo in voluntate S. Anselexistet, & per consequens, non erit formaliter mus, in actibus exterioribus. Respondetur primo, negando anteced. est enim ordo positivus, ut dicemus disput. 4. sect. 4. subsect. 6. Respondetur secundo, admissa opinione, quod malitia sit carentia, negando similiter antecedens, quod ad id, quod additur de existentia malitiæ in sola voluntate, cum etiam illa carentia constituenda sit in aliis potentiis exterioribus. Sanctus verò Anselm. explicandus est, ita ut voluntas sit subjectum universale omnis bonitatis, & malitiæ: omnis bonitas & malitia, quæ dispersa est per reliquas potentias, etiam sunt in voluntate tamquam in subjecto universali.

SUBSECTIO QUARTA.

Utrum bonitas, vel malitia actuum exteriorum distincta sit à bonitate, vel malitia actuum interiorum.

879. FAcilis multis visa est hæc quæstio, verum mihi difficilis apparet: pro qua notandum est bonitatem, vel malitiam actuum exteriorum, duplicem esse: unam accidentalem, quam accipit ex fine, alteram essentialem, quam accipit ab objecto, jam enim ex doctrina toties repetita, constat bonitatem desumptam ex objecto, esse essentialem; desumptam verò ex fine, esse accidentalem: utraque hæc bonitas, vel malitia, comparari potest cum bonitate, & malitia actuum exteriorum: quo notato, inquirimus utrum bonitas, vel malitia actuum exteriorum sit distincta à bonitate, & malitia actuum interiorum.

880. In qua quidem quæstione omnium fere Doctorum calculo tria approbantur. Primum, bonitatem, vel malitiam, quam actus exteriores habent ex fine, esse illis accidentalem. Secundum, esse illis extrinsecam. Tertium, esse omnino indistinctam. Ego verò primo asserto acquiesco, ut dixi sæpius: Secundo & tertio, acquiescere non possum, de illis enim aliter judico, nimirum bonitatem, vel malitiam, quam actus exteriores habent ex fine, esse illis intrinse-

cam, distinctamque à bonitate & malitia, quam actus interiores habent ab eodem fine.

881. Feror in hanc sententiam, primo, quia ut actiones externæ sunt objecta voluntatis, ita sunt etiam actiones circa propria objecta: sed ut sunt objecta voluntatis, habent malitiam, vel bonitatem finis intrinsece; ergo etiam, ut sunt actiones. Major constat, quia actiones externæ sunt objecta voluntatis, quatenus actiones sunt, ideo enim dicuntur objecta voluntatis, quia voluntas vult ut exerceantur à suis potentiis. Min. probatur, quia illæ actiones non sunt objecta voluntatis secundum suam præcisam rationem, sed ut imperantur, & subserviunt fini à voluntate intento (una enim conditio ut actus sit imperatus, est ut subserviat fini imperantis) atqui ita sumptæ complectuntur & proprii objecti & finis bonitatem vel malitiam; Minor probatur, quia illud objectum ut sic subserviens, specificat actum interiorem, & non accipitur secundùm unam partem, & non secundùm aliam, sed adæquate: adæquate verò complectitur & malitiam & bonitatem finis, simul & objecti proprii; aliter si voluntas vellet objectum indifferens ad finem, actio externa circa tale objectum, ut ipsa est objectum voluntatis, non foret mala: ex quo sequitur evidenter actiones externas habere bonitatem, vel malitiam intrinsecam ex objecto proprio relato ad finem: specificantur enim à propriis objectis in genere moris, & non ab eis præcise; in genere moris sumuntur ut subserviunt fini intento, ac proinde cum objecta actionum exteriorum, non sint eorum materia præcisa, sed ut subserviens fini, ex fine, & ex propria bonitate, vel malitia, componitur tota ratio integra & adæquata objectorum respectu actuum exteriorum, à quibus cum specificetur bonitas, vel malitia in his actibus reperta, etiam quæ provenit ex fine, eis erit intrinseca, & actus exteriores, ut complectuntur utramque rationem bonitatis vel malitiæ, erunt objecta actuum voluntatis.

882. Secundo, electio ex objecto bono ex intentione mali finis, ex eo tota mala est, etiam essentialiter, quia objectum illud bonum electionis redditur malum ex malitia à fine desumpta, eo quod tunc etiam finis ponitur ex parte objecti formalis, ex dictis sect. 8. subsect. 6. ergo similiter actio externa circa objectum relatum ad finem, recipiet bonitatem vel malitiam à fine tamquam à parte sui objecti. Consequentia patet, quia sicut intentio imperat electionem, ita etiam imperat actionem externam: & sicut electio est virtualis volitio finis, ita etiam actio externa est virtualis executio finis. Confirmatur, quia bonitas vel malitia ex circumstantiis desumpta, licet sit accidentalis actui, est tamen ipsi actui intrinseca, ut vidimus tota sect. 7.

883. Dices primo: Bonitas finis est intrinseca intentioni, sive actui imperanti; ergo non potest esse intrinseca actioni externæ, sive actui imperato. Probatur consequentia, quia *quando una forma denominat unum subjectum intrinsecè, si denominat alterum illud denominat extrinsecè*, verbi gratia visio denominat potentiam videntem intrinsecè, & objectum visum extrinsecè. Et ratio est, quia unum numero accidens non potest denominare duo subjecta realiter distincta intrinsecè. Respondetur negando consequentiam, ad probationem explicandum est illud proloquium, de una eademque forma numero, non verò de distincta, nam bonitas intentionis, licet sit eadem in specie cum bonitate, quam actio externa ex fine desumit, non tamen est eadem omnino numero, sed sunt duæ bonitates distinctæ, & unaquæque diverso modo tribuit suum effectum formalem. Nam intentioni, finis tribuit bonitatem essentialem; actioni verò externæ, tribuit bonitatem accidentalem.

884. Dices secundo: Bonitas, vel malitia, quam actus externus desumit ex fine, consistit in ordinatione actus externi ad finem: atqui ordinatio illa nihil ponit intrinsecum in actu externo; ergo bonitas, vel malitia desumpta ex fine in actu externo, non est intrinseca. Respondetur negando antecedens. consistit enim in ordine positivo ipsius actus externi ad objectum relatum ad finem. Instabis: Ad hoc ut iste ordo sit bonus ex fine, requirit quod ordinetur in finem; ergo ex ordinatione habet bonitatem. Respondetur negando consequentiam, quia illa ordinatio tantum facit, quod objectum referatur ad finem, & quòd actus tendat in objectum ad finem relatum: posita verò ordinatione, essentiale est actioni tendere in objectum sic relatum.

885. Vel dicendum ordinationem voluntatis concomitantis nil ponere intrinsecum in actu externo, hoc enim ponitur ab ordinatione actus imperantis, quia tunc actus imperatus dependet ex ordinatione actus imperantis, & ab ipso actu imperante, tamquam effectus à causa, per quam dependentiam actus externus imperatus accipit aliquid intrinsecum morale ab actu imperante juxta dicta sect. 8. subsect. 2. ex qua doctrina oritur, quod si quis furetur rem propriam, quam putat alienam, talem actionem esse vere furtum, habereque malitiam furti, quamquam apponat finem honestum: & si furetur rem alienam, quam propriam putat, talem actionem non esse furtum, nec ullam habere malitiam, nisi apponatur finis malus, de his enim actibus externis loquendum est, ut locuti fuimus de electionibus sectione 8.

886. Ex quibus deducitur etiam non posse esse verum tertium contrariorum assertum positum numer. 880. nimirum bonitatem, vel malitiam actus exterioris à fine desumptam, esse indistinctam à bonitate, vel malitia ejusdem finis, reperta in intentione. Primò quia illæ bonitates sunt intrinsecæ tam actibus internis, quàm externis; ergo etiam sunt distinctæ; tum quia unum & idem numero accidens non potest esse in duobus subjectis realiter distinctis; tum quia actus distinguuntur numero ratione subjectorum, sufficit enim diversum subjectum, ut actus distinguantur numero, quamvis objectum materiale & formale sit idem; ergo etiam bonitates, vel malitiæ in illis repertæ, numero erunt distinctæ. Secundo, quia si voluntas eliciat unum actum, & postea circa idem objectum materiale, & formale alterum actum eliciat, iste secundus diversus erit, etiamsi uterque existat in eodem subjecto; ergo à fortiori erunt diversi, si potentiæ à quibus eliciuntur, diversæ sunt; ergo etiam bonitates, vel malitiæ in eis repertæ, diversæ erunt.

887. Dices: licet hoc sit verum in esse naturæ; falsum tamen esse in esse moris. Probatur, quia in esse moris, idem est objectum formale, idem est voluntarium, ac morale. Respondetur negando antecedens; ad probationem negando etiam ant. quia licet objectum formale sit idem, idemque voluntarium, eademque libertas, tamen diversum morale, cum diversus sit utriusque actus ordo, in quo consistit moralitas ex disp. 2. sect.

13. Quod verò idem sit objectum formale, idemque voluntarium & liberum, parum refert: nam etiam sub eodem objecto formali versari possunt multi actus numero diversi, tam eliciti ab eadem potentia successive, quàm à diversis potentiis: & sub eodem libero, & voluntario diversæ species malitiæ reperiuntur in eodem actu.

888. Circa bonitatem, vel malitiam, quam actus accipit ab objecto, verius est eam distinctam esse à bonitate & malitia, quam idemmet actus accipit à fine: Ita sentiunt DD. octavæ sententiæ relati n. 845. & plures relati pro septima sententia 844. imò quosd bonitatem, vel malitiam non imputabilem, idem sentiunt DD. relati pro secunda sententia n. 841. Probatur primo quoad bonitatem & malitiam non imputabilem, quia bonitas, & malitia reperta in actibus exterioribus, est propria & intrinseca eorumdem, ex dictis subsect. 3. à n. 166. ergo etiam sunt distinctæ à bonitate, vel malitia reperta in actibus interioribus ex argumentis factis n. 886. Confirmatur, quia objecta formalia actuum interiorum, & exteriorum, sunt distincta, nam actuum exteriorum objectum est materia circa quam circumstantionata: actuum verò interiorum, est finis.

Probatur secundo de bonitate, vel malitia imputabili. Primo, quia actus exteriores sunt formaliter boni vel mali imputabiles, ex dictis subsect. 3. à n. 863. ergo distinctæ sunt à bonitate, vel malitia imputabili actuum interiorum, per argumenta facta citat. n. 886. Secundo, quia bonitas essentialis ex fine respectu actuum interiorum, accidentalis est respectu exteriorum. Tertio, *ubicumque subjecta sunt distincta realiter, forma in illis intrinsecè existentes, non possunt esse numero indistincta*: atqui actus interiores, & exteriores sunt subjecta realiter distincta; ergo bonitas, vel malitia utrorumque non possunt esse numero indistinctæ, idem dicendum est de bonitate, vel malitia quam actus interior ab exteriori accipit.

889. Dices primo: In actu externo datur, & bonitas finis intrinseca, & bonitas intrinseca ex objecto; ergo non potest utraque esse distincta. Respondetur primo negando consequent. quia bonitas ex objecto est essentialis: bonitas ex fine est accidentalis: est enim accidens, non quidem distinctum à parte rei, sed per intellectum, ex dictis disputatione 2. sectione 16. num. 173. Respondetur secundo, nos non comparare bonitatem, quam actus externus habet ex objecto, cum ea, quam idemmet actus accipit ex fine, quæ sibi intrinsecè inest: de hac enim certum est, non esse distinctam realiter, sed vel virtute, vel formaliter; sed cum ea, quam ipsa intentio habet ex fine, hanc enim assero esse realiter distinctam à bonitate, vel malitia, quam actus externus habet ex objecto.

890. Secundo, In utroque actu datur una, eademque indistincta tendentia in finem; ergo etiam dabitur una, eademque bonitas, vel malitia. Respondetur negando ant. diversa namque tendentia, est illa quæ datur in intentione, ac illa, quæ datur in actu externo: sicut etiam actus diversi sunt: diverso etiam modo tendit voluntas in finem, ac tendit potentia externa: illa namque movet, ista movetur ad opus: illa immediate attingit finem, & mediante actu externo attingit objectum: ista immediate attingit objectum, & mediante voluntatis actu attingit finem.

891. Tertio, Eadem & indistincta est veritas actus intellectus, ac veritas objecti intellectus; ergo etiam eadem & indistincta bonitas, vel malitia erit actus interioris voluntatis, ac objecti ipsius, idest actus exterioris. Respondetur negando ant. veritas enim objecti est objectiva, veritas verò actus, est formalis, & licet concedatur esse eamdem, est tamen distincta, quia diverso modo est: bonitas voluntatis etiam est diverso modo: nam in actu voluntatis est volendo, in actu verò exteriori, est imperando.

SUBSECTIO QUINTA.

Utrum bonitas, vel malitia actuum exteriorum sit ejusdem speciei, cum bonitate, vel malitia actuum interiorum?

892. Dico primo: Bonitas vel malitia, quam actus interior habet ex fine, modò diversæ, modò ejusdem speciei est cum ea quam exterior actus habet ex objecto; & primo probo esse modò diversæ speciei, quia si finis intentionis fuerit diversus specie ab objecto actus exterioris, etiam bonitas, vel malitia erit diversæ speciei: Verbi gratia si quis elargiatur eleemosynam propter amorem Dei, ille actus exterior ex objecto habet bonitatem misericordiæ, ex fine charitatis: charitas autem & misericordia specie differunt: si quis etiam furetur propter adulterium, ille actus exterior ex objecto est furtum, ex fine adulterium: furtum autem, & adulterium specie differunt.

893. Dices: In utroque actu, est tantum una species bonitatis, vel malitiæ; ergo non est diversa. Probatur anteced. quia ex opposito sequeretur, quòd in uno tantummodo opere virtutis vel vitii foret duplex species. Respondetur: distinguo anteced. si finis sit diversus specie ab ipsa bonitate, vel malitia objecti, nego: si sit ejusdem speciei, concedo: ad probationem respondeo, concedo anteced. nullum enim est inconveniens in uno, eodemque opere virtutis dari duplicem virtutis speciem, dummodo objectum & finis specie differant, hanc enim doctrinam sæpius admisi in electionibus, & in actibus imperatis internis, eamdemque modo admittimus in actibus externis.

894. Probatur secundo, modò esse ejusdem speciei bonitatem & malitiam, quam actus exterior habet ex objecto, cum ea quam habet ex fine; quia si finis & objectum conveniunt in eadem specie bonitatis, vel malitiæ, actus exterior qui versatur circa illud objectum & finem, habebit bonitatem, vel malitiam ejusdem speciei, etiamsi numero sint distinctæ: Verbi gratia, siquis largiatur eleemosynam propter ipsam misericordiam, actus ille nullam aliam habet bonitatem, quàm misericordiam: si quis furetur propter furtum, actus ille nullam aliam habet malitiam, quàm furti.

895. Dico secundo, Bonitas quam actus exterior habet ex fine, semper est ejusdem speciei cum ea quam actus interior ex eodem fine habet. Probatur, quia *ubi specificativum formale est idem, idem est specificatum*: atqui specificativum bonitatis, vel malitiæ in utroque actu est idem; ergo eadem erit bonitas, vel malitia specificata. Min. probatur, quia finis bonitas, est in præsenti specificativum: atqui respectu utriusque finis est idem; ergo etiam bonitas, vel malitia à fine desumpta in utroque actu erit eadem.

896. Dices primo: Quando duo sunt intrinsecè

in duobus subjectis, quorum unum spirituale, alterum materiale est, non possunt esse ejusdem speciei: atqui bonitas, vel malitia actus externi est in subjecto materiali (materialis enim est actus externus) bonitas vero, vel malitia actus interioris est in subjecto spirituali (spiritualis enim est actus interior) ergo non possunt esse eusdem speciei: Respondetur, distinguo Majorem: non possunt esse ejusdem speciei physicæ, concedo: moralis, nego: namque spirituale, & materiale variant speciem in esse naturæ, & physico, non tamen eam variant in genere moris: aliter contra Authores contrariæ sententiæ ex actu interno, & externo non resultaret unum bonum, vel unum malum in genere moris.

897. Dices secundo: Duo, quorum unum essentialiter ab altero dependet, illudque præsupponit, non sunt ejusdem speciei: atqui bonitas, vel malitia actus externi essentialiter dependet ab interno, illudque præsupponit, cum sine illo dari non possit; ergo non sunt ejusdem speciei. Respondetur, distinguo Majorem, non sunt ejusdem speciei physicæ, concedo: moralis, nego: nam etiam electio essentialiter præsupponit intentionem, ab eaque essentialiter dependet; & tamen juxta contrariæ sententiæ DD. sunt ejusdem speciei in genere moris: cum enim genus moris totum à ratione, & voluntate dependeat, quæ supra suos actus reflectitur, non astringitur legibus & præceptis specierum physicarum.

SUBSECTIO SEXTA.

Utrum actus externus addat bonitatem vel malitiam actui interno?

898. Idest, utrum actus externus additus interno actui, efficiat unum bonum majus, vel majus malum, ita ut actus internus solus minorem habeat bonitatem, vel malitiam, quam haberet si eidem actui superadditus esset actus externus? in qua quidem quæst. DD. 2. sententiæ relati n. 841. asserunt actui interno superaddi ab externo bonitatem, vel malitiam materialem, non tamen formalem; DD. verò septimæ sententiæ relati numer. 844. asserunt non superaddi bonitatem, vel malitiam formalem: ego vero cum Doctoribus octavæ sententiæ relatis. numer. 845. (unus si excipiatur Caspensis) assero actui interno superaddi ab externo utramque bonitatem, materialem scilicet & formalem, ita ut actus internus additus exteriori majorem bonitatem habeat, quam solus: quæ est sententia Glosæ in caput 20. Exodi dicentis, *qui opus adiecit voluntati, iniquitatem addidit iniquitati.*

Glosa.

Exodi. 20.

899. Probatur primo: Malitia actus exterioris, diverso præcepto divino prohibetur in Decalogo, ut furtum Exodi 20. vers. 14. *non furtum facies*, ibique etiam prohibetur occisio, fornicatio, falsum testimonium: & malitia actus interioris alio diverso præcepto præcipitur eodem loco, *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem eius, non servum, &c.* ergo signum evidens est quod in utroque actu detur major malitia, & diversa, quàm in uno solo.

900. Respondet primo Medina 1. 2. q. 20. art. 4. §. *ultimo*: non sequi ex eo quod malitia prohibeatur plurimis præceptis, esse diversam moraliter, idem enim furtum pluribus legibus prohibetur. Sed contra primo, quia non est credendum supremum omnium Legislatorem in eadem tabula legis prohibuisse sub duobus præceptis eamdem omnino malitiam, nec erat cur de novo prohiberetur nova lege actus internus concupiscendi, si ex eo addito actui exteriori, nulla major accresceret malitia. Secundo, quia licet plura præcepta materialiter possint versari circa eamdem omnino malitiam, non tamen duo præcepta formaliter, posita pro diversa formalitate, & motivo, ut bene docent Vasquez 1. 2. disp. 98. cap. 2. à n. 4. Granad 1. 2. controu. 6. tract. 2. disp. 1. sect. 2. à n. 13. & communiter: atqui nova formalitas, & motivum reperitur in malitia interiori, ut probatum est subsect. 3. 4. & 5. & videbimus à numero 911. imò ipse Medina hoc concedit, dum asserit ex eo, quòd homines natura sua ad res venereas, ut alienas appetendas trahantur, necessarium fuisse novum apponere præceptum circa actus interiores.

901. Respondent secundo ex doctrina Suar. 1. 1. tract. 3. disp. 10. sect. 1. numero 10. actum exteriorem non prohiberi præcise, ut exterior actus est, sed ut humanus est subordinatus voluntati, ex ejusque imperio elicitus. Sed contra primo, quia non requiritur actualis libertas, ut actus prohibeatur, sed sufficit quod prohibeatur, ut libere faciendus; ergo, ille actus exterior ut libere faciendus ante omne libertatis exercitium, est prohibitus; ergo ante illud habet malitiam quæ prohibeatur, ut ex doctrina Suar. supra tradidimus numer. 802. Secundo, quia simili modo illudi posset illud præceptum, *non concupisces*, asserendo malitiam actus interioris non esse prohibitam, nisi ut dicit ordinem ad malitiam objectivam. Tertio, quia ut bene docent Curiel. 1. 2. q. 74. art. 2. dub. unico, Vasques disp. 71. cap. 5. numero 18. lex prius prohibet actus exteriores, & ratione illorum prohibet actus interiores; ergo actus exteriores, secluso actuali ordine ad voluntatem, digni sunt ut prohibeantur. Quarto, quia ideo velle furari est malum, quia actio externa furandi mala est, ut dixi numero 846. ergo etiam ideo prohibibitur actus internus, quia malus est.

902. Dices: Actus exteriores non sunt mali, nec prohibiti nisi ut imperati à voluntate liberè operante, ut apparet in actibus ebrij, pueri, & amentis; ergo tales actus, ut sunt operationes non prohibentur, nisi sub actuali voluntatis imperio. Respondetur negando ant. quia non requiritur ad hoc, ut actus externus prohibeatur, actus exercitus voluntatis, sed tantum quod possit fieri à potentia externa sub imperio voluntatis, & cum ante voluntatis exercitium illi actus ex objecto sint mali, inde est, quod secluso actuali ordine ad voluntatem, ut operationes, sunt prohibiti, & mali, unde ideo in brutis, vel amentibus actus non prohibentur, quia nec bruta, nec amentes pro illo statu possunt subiici imperio rationis.

903. Probatur secundo conclusio à priori, quia uterque actus habet distinctam bonitatem, vel malitiam, & formalem; ergo uterque simul habebit majorem bonitatem, vel malitiam, quam unus tantum: Ant. constat ex doctrina huius sect. Consequentia probatur, quia quando duo habent distinctas perfectiones, & uniuntur in unum tertium, illud tertium majorem perfectionem habet, quàm quodlibet eorum, tum quia totum est majus sua parte, tum quia illud tertium habet uniuscujusque bonitatem vel malitiam.

904. Dices: Actus internus eminenter continet in sua ratione tantam bonitatem, vel malitiam,

quantam continet simul cum actu externo. Probatur ant. quia actus internus est causa æquivoca actus externi. Respondetur negando ant. ad probationem nego, non est propria causa physica, quia non influit physicè in actum externum, licet sit causa moralis determinans hominem, ut mediis potentiis actum externum producat: causa autem moralis etiam æquivoca, non postulat esse perfectior, quàm ejus effectus, cum tota illius ratio causandi à voluntatis arbitrio dependeat, quæ potest imperare actum perfectioris virtutis, per actum inferioris virtutis: ex dictis, à numero 764. Argumenta, quæ contra hanc doctrinam fieri possunt, & fiunt à doctoribus contrariæ sententiæ, soluta manent variis locis hujus sect.

SUBSECTIO SEPTIMA.

Utrum actus externus & internus simul habeant majus meritum, quàm solus actus internus.

905. QUæstio est utrum actus ex interno & externo compositus non habeat majus meritum, vel demeritum, quam haberet solus actus internus? pro quo suppono primo, quæstionem procedere cæteris paribus, ita ut ille actus internus solus, sit æque efficax, æque intensus, & æque bonus circa objectum, atque actus compositus ex actu externo simul & interno, & solùm actui interno deficiat effectus, sive actus externus, non quidem ex defectu efficaciæ quoad affectum, sed tantum quoad effectum juxta hujus efficaciæ explicationem datam disp. 2. n. 45. ita ut non posse prodire actum internum in opus, non attribuatur voluntati, quæ prodiret, nisi adesset impedimentum.

906. Secundo, non esse quæstionem de merito vel demerito præmii accidentalis ex opere operato, etenim apud Auctores utriusque sententiæ constat ex actu interno simul & externo mereri aliquod præmium accidentale quod non meretur solus actus internus, ut in martyriu, aureola.

907. Tertio etiam constat ex actu exteriori dependere gratiam ex opere operato, ut in gratia baptismi. Quarto etiam constat per accidens posse augeri bonitatem, vel malitiam actus interioris, & per consequens etiam meritum, vel demeritum illius, ut si posito actu externo interrumpatur actus internus, vel etiam continuetur usque ad executionem externi; vel si propter delectationem actus externi intendatur internus, quæstio autem procedit de merito præmii essentialis, ex opere operantis, orto ex bonitate per se addita. Utrùm scilicet magis meritorius sit actus internus simul cum externo, quam solum actus internus? Respondetur affirmativè. Ita DD. citati pro octava sententia. Probatur secundo, authoritate S. Augustini tom. 3. lib. 13. de
August. Trinitate cap. 5. *Cum profecto*, ait, *quamvis & sic miser esset, minus tamen esset, si nihil eorum, quæ perperam voluisset, habere potuisset, mala enim voluntate vel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur.* Et cap. 6. affirmans non esse beatum illum hominem qui mala concupiscit, docet minus beatum, longiusque à vita beata esse illum qui male concupita opera exequitur: ita eo loco: *longius quippe ab illa est, quicumque adipiscitur male concupita, quam qui non adipiscitur concupita.* Idem docet 12. de Trinitate cap. 12. ubi ita: *Nec sane cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen, & volens libenter, quæ statim, ut attigerunt animum, respui debuerunt, negandum non est esse peccatum, sed longe minus, quam si & opere statuatur implendum*, &c. ibi enim prosequitur adveniente opere voluntatem esse pejorem. August.

908. Confirmatur ex doctrina ejusdem Augustini cit. lib. 13. de Trinitate cap. 6. Magis beatus est, qui bonum adeptus est, quam qui vult illud bonum tantum; ergo opus exterius additum volitioni illius perfectionem addit & bonitatem. Ant. est S. Patris: *Propinquat enim*, ait, *beato, qui bene vult quæcumque vult, & quæ adeptus cum fuerit, beatus est.* Et cap. 8. *non autem vivit beate, cui non adest quod vult.* Quare ex mente Augustini, majoris meriti vel demeriti est compositum ex utroque actu, interno scilicet & externo, quàm actus externus solum.

909. Secundo probatur: Actus ille compositus ex utraque bonitate vel malitia actus exterioris & interioris, est major in ratione bonitatis & malitiæ, quam actus internus solum; ergo etiam major erit in ratione meriti, vel demeriti. Ant. constat ex superiori subsect. & est expresse D. Thom. 1. 2. q. D. Thom. 20. art. in corpore. Conseq. optima est, & adversariis familiaris, cum meritum vel demeritum proprietates sint bonitatis vel malitiæ; & quo major est bonitas, eo majus est meritum, majorique præmio dignum, ut etiam quo gravius est peccatum, majus est demeritum & majori pœna dignum, de quo jam aliqua tetigimus supra à n. 352.

910. Tertio, quia si ex voluntate, & non ex majori vel minori bonitate vel malitia, desumitur ratio meriti, sequeretur omnes actus internos voluntatis, si cum eadem intentione & efficacia fiant, esse ejusdem meriti, vel demeriti, hoc autem est erroneum; ergo admittendum non est illud ex quo sequitur. Sequela patet, quia sola ratio bonitatis vel malitiæ in illis actibus est major vel minor, voluntarium verò, & liberum supponitur esse æquale; ergo si ex majori bonitate, vel malitia, meritum vel demeritum non est majus in actibus internis, cum majus non sit ratione voluntarii vel liberi, quæ æqualia esse supponuntur, omnes actus interni essent æqualis meriti vel demeriti. Minor certa est, quia amor Dei magis meritorius est, quam volitio dandi eleemosinam, odiumque Dei magis demeritorium est, quàm volitio furti. Cui argumento non satisfaciunt solutiones Suar. & aliorum petitæ ex ratione libertatis & voluntarii, quas optimas dicit Gransd. controv. 2. tract. 14. disp. 6. sect. 3. n. 10. jam enim eas confutavimus supra n. 866. ad numero 878.

911. Quarto probatur illo argumento communi, quia ex opposito sequeretur neminem teneri ad confessionem actuum exteriorum, & sufficere tantum explicare actus interiores voluntatis, hoc autem est contra Trident sess. 4. cap. 5. de confessione, & canon. 7. Sequela probatur, quia fideles non tenentur confiteri, nisi tantum actus malos, & peccata; per quæ vitam æternam demerentur: atqui actus exteriores non habent malitiam demeritoriam vitæ æternæ; ergo non tenetur fidelis hæc peccata externa confiteri. Min. probatur, quia juxta Authores contrariæ sententiæ, actus exteriores nullam habent malitiam demeritoriam, sed omnis malitia demeritoria, omneque demeritum est in actibus interioribus, ita ut tantum demereatur qui animum

habet occidendi solùm, quam qui animum habet occidendi, & occidit.

912. Respondeot necessarium esse confiteri peccata externa, non propter illorum specialem malitiam vel demeritum, sed primo, ut aperiant sua vulnera Confessori, qui illis peccatoribus non poterunt de remedio providere, nisi poenitentes externos actus aperiant: Secundo quia sic ostendunt actum interiorem fuisse efficacem, ex eo quòd prodiit in actum exteriorem, quod ostendi non poterat, nisi actus externus explicaretur.

Trident.

913. Sed contra, quia peccator non tenetur aperire Confessori, nisi actum malum formaliter, & qui novam inducit malitiam: hac enim de causa Trident. citata sess. 14. de sancto poenitentiæ Sacramento cap. 5. statuit circumstantias quæ mutant speciem actus, esse aperiendas in confessione, non faciens mentionem de circumstantiis tantum aggravantibus malitiam: ita enim habet cap. 5. *Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant*: Quod repetit citat. can. 7. ex quo loco docent gravissimi Authores non esse necessarium confiteri circumstantias aggravantes, contra Doctores quos refert & sequitur Diana pro hac sententia 1. p. tract. 7. resolutione 2. probabileque judicat Fagundes in secundo præcepto Decalogi lib. 4. cap. 2. numer. 6. Qua posita opinione, evidenter sequitur non esse necessarium peccata exteriora confiteri; ex eo quod non est necessarium confiteri circunstantias aggravantes, quia licet aliquam habeant malitiam, non tamen variant speciem malitiæ peccati, & satis peccatum explicatur sine illis: atqui peccata exteriora non variant speciem malitiæ actus interioris; ergo etiam non tenemur ea confiteri. Et quamquam admittamus circunstantias aggravantes necessario esse aperiendas in confessione, ut cum multis Doctoribus relatis sequitur Suar. tom. 2. disp. 21. sect. 3. numer. 5. Fagundes cit. n. 4. Granad. 1. 2. controu. 6. tract. 2. disp. 5. n. 11. & quidem probabilius est, numquam tamen in opposita sententiâ aperienda sunt peccata externa, siquidem hæc non aggravant malitiam internam, nihilque faciunt ad gravitatem demeritumque illius, eo modo, quo juxta omnium sententiam, non est necessarium aperire in confessione circunstantias illas, quæ non aggravant peccatum.

914. Nec obstat quòd confesso peccato exteriori, magis aperiatur actus interior, nam satis explicantur actus interiores, si poenitens Confessori docto dicat, se habuisse talem actum malum, non per modum desiderii, sed efficacem: Confessor enim statim veniet in cognitionem actus exterioris omnino & necessario conjuncti cum actu efficaci interiori, siquidem actus interior efficax quoad effectum stare non potest sine actu exteriori.

915. Quinto, quia actui exteriori diversa poena infligitur, quàm actui solùmmodo interiori. Sexto, quia actus exteriores, si adjungantur actibus interioribus diversos habitus producunt, quàm actus interiores soli. Septimo, quia actus fidei supernaturalis, est actus externus respectu piæ affectionis, & tamen est perfectior, quàm ipsa affectio. Ultimo actus externus ex doctrina Angelici Doctoris, est finis, & terminus actus interioris: atqui juxta eundem S. Doctorem actus internus perficitur à fine, & termino; ergo etiam ab actu externo.

D. Thom.

916. Contrariam sententiam, quod scilicet idem omnino meritum & demeritum sit in utroque actu, actusque interior solùm non sit minus demeritorius, vel meritorius, quàm sit simul cum actu externo, tuentur DD. septimæ sententiæ relati numer. 844. & Doctores secundæ sententiæ relati numer. 841. quamvis hi Authores utimi parum consequenter videantur loqui, ut bene notavit citat. Suar. numer. 2.

Marcus.

917. Arguunt primo ex Scriptura sacra Marci cap. 12. vers. 42. ubi cum multi divites multum æris conjicerent in Gazophilacium, & una vidua pauper misisset duo minuta, ait Christus Dominus vers. 43. *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophilacium*: ubi evidenter apparet opus majus exterius non addere actui interiori, ut enim bene commentatur Beda in catena aurea; *Deus non substantiam offerentium, sed conscientiam pensat, nec perpendit quantum in eius sacrificia, sed ex quanto proferatur.* Deinde probatur ex cap. 19. Matthæi vers. 27. ubi Petrus dicit Christo, *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te*: ubi Origenes in catena aurea: *Etsi enim minima cum fratre reliquit, sed non minima æstimata sunt apud Deum, considerantem quoniam ex tanta plenitudine dilectionis illa minima reliquerunt, ut etiamsi multas habuissent possessiones, omnia reliquissent: & puto quod magis Petrus confidens de affectu suo, quam de ipsa quantitate rerum relictarum fiducialiter interrogavit.* Ex quibus constat non magis æstimari à Deo utrumque actum interiorem & exteriorem, quàm solum interiorem: parumque referre ad meritum actum exteriorem.

Beda.

Mathæi. 19. Origenes.

918. Secundo, probant ex sanctis PP. Primo, Gregorius Magnus explicans illud; *Ecce nos reliquimus omnia*, ita habet tom. 4. homil. 5. *exteriora nostra quantumlibet parva, sufficiunt, cor namque, non substantiam pensat.* Secundo, quia in Scriptura sacra sancti PP. asserunt voluntatem pro facto reputari. Nam Genesis cap. 22. vers. 16. ita ait Dominus Abraham, parato filium suum sacrificare, *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me*: ubi voluntas, quam Abraham habuit offerendi filium in sacrificium, coronatur, ac si eum vere, & realiter sacrificasset; ubi. D. Chrysostom. homil. 47. *Igitur ne feceris es quicquam, contentus sum voluntate tua, & ex hac te meruisse corono, & prædico*: Et infra, *Ego enim voluntatem coronare soleo, & propter mentem præmia præsto.* Omnia simul probat mellifluus Bernardus epistola 77. ad Hugonem Victorinum, *Quid planius quam quod voluntas pro facto reputetur? ubi factum excludit necessitas, non video cur non ipsa æque & sine martyrio apud eum tantumdem possit, cui, & sine martyrii probamento procul dubio innotescit.* Et Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis cap. 6. clarius. *Totum meritum in voluntate est.* Tandem August. lib. 3. de libero arbitrio cap. 3. videtur aperte huic consentire sententiæ, ita enim habet *Si cui non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit, id eum cupere, & si potestas detur, facturum esse, non minus reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur.*

Greg. Magnus.

Genesis, cap. 22.

D. Chrysostom.

S. Bernard.

Hugo Victorin.

August. tolatus cap. si cui de poenit. dist. 1.

919. Finem claudat non bene gentilis nec bene Christianus Seneca epistola 42. loquens enim de quodam, qui specie bonus videbatur, quia male operari nequibat, ita habet: *Odit eos, qui subita & magna potentia utuntur; idem faciet, cum idem poterit. Multorum quia imbecilles sunt, latent vitia, non minus ausura, cum illis vires sua placuerint, quam illa, quæ jam felicitas aperuit*

Seneca.

instrumenta

instrumenta illis explicandæ nequitiæ desunt: securè serpens etiam pestifera tractatur dum riget frigore: non desunt tunc illi venena, sed torpent: multorum crudelitas, & ambitio, & luxuria, ut paria pessimis audeant, fortunæ favore deficitur: eadem velle eos cognosces, da posse quantum volunt.

920. Respondetur ad unum & alterum argumentum, utrumque non amplius probare, quàm voluntatem solam etiam dignam esse præmio, vel pœna, non tamen probare non esse dignam majori præmio, vel pœna, si ei actus exterior adjungatur, & specialiter respondens omnibus, ad locum de vidua, respondeo non esse ad rem, (ut bene notavit Vasquius disput. 76. cap. 2. & ante eum Bassolus citandus) pensatur enim ibi substantia pauperis cum divitum bonis, vidua de necessario, divites de superfluo dederunt, insuperque tam vidua, quam divites adjunxerunt actui interiori exteriorem. Ad locum de Apostolis, constat eos majori voluntate dedisse, quam cæteri, qui majora bona pro Christo reliquerunt: si enim fuisset æqualis voluntas relinquendi omnia in Apostolis, ac Regibus, qui etiam propriam coronam pro Christo reliquerunt, proculdubio magis mererentur Reges, quàm Apostoli.

921. Ad locum de Abraham, fatent eum meruisse multum, non tamen tantum, quantum si ad opus pervenisset: imputatur tamen illi voluntas pro facto quoad meritum, non quoad meriti cumulum. Ad Bernardum, & Hugonem Vi-
S. Bernard. ctorinum, ipse se, & omnes Sanctos PP. explicat eadem epistola 77. Loquens enim de Martyrio, & baptismo, an scilicet, sufficiat desiderium quærens; ita ait, *Posse sane tantumdem desiderium, quantum ad salutis spectat obtentum, non autem ad meriti cumulum, quo indubitanter mar-*
Cap. Si cui 30. de pœnit. dist. 1. *tyrium antecellit.* Ad Augustini locum, qui refertur in cap. *Si cui*, 3. de pœnitentia dist. 1. Respondeo verba illa, *Non minus Reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur*, intelligenda esse quoad reatum interitus, non tamen quoad gravitatem culpæ: non enim minus ad infernum vergit qui graviter quam qui minus graviter committit mortale. Dicta Senecæ antea sunt, sed non fortia, fatemur enim actum voluntatis solum esse malum vel bonum, per illusque denominati homines bonos, vel malos, etiamsi defectu potestatis non sequatur actus exterior.

922. Tertio arguunt, quia ex nostra sententia sequeretur, me invito, proprium amitti meritum, & privari merito ex oppositione impedimenti extrinseci, ut si quis mihi ligaret manus, ne eleemosynam darem. Sequela autem est falsa, quia ille, cui deest occasio, opus externum illi est involuntarium, & si non elargitur eleemosynam, quia non habet, vel impeditur, involuntarium est non dare eleemosynam; ergo tantum meretur, vel demeretur homo, quantum si non appositum esset impedimentum. Probant hanc consequ. quia non furari, vel non elargiri eleemosynam in illis terminis est omnino homini involuntarium, sed propter id quod involuntarium est, homo non est dignus majori præmio vel pœna; ergo tantùm merebitur, si adjungat actum exteriorem interiori, quàm si interiorem tantum eliciat.

923. Respondetur, distinguo sequelam, sequeretur me invito proprium amitti meritum, indirectè, propter aliquod impedimentum extrinsecum, concedo: directè, nego: cum enim ad opus requiratur plusquam voluntas, si operi apponatur impedimentum, merebitur, vel demerebitur homo, sed non tantum ac si executioni mandaretur: non enim nostro Div. Antonin defuit ad martyrium voluntas, & tamen defuit martyrii aureola. Ad probationem nego consequ. involuntarium enim facit, ne ei imputetur culpæ, vel laudi, quia actus externus involuntarius, non addit interiori suam bonitatem, vel malitiam. Ad probationem nego consequ. solùm enim probat ex illo involuntario, nec meritum augeri, nec demeritum, non verò probat, quòd si opus externum fuerit voluntarium, & exequutum, non addatur ad majus meritum, vel demeritum, & sic explicatur illud, *nemo læditur nisi à se ipso*, & illud, *bona animæ non possunt auferri ab invitis*, non enim aufertur meritum actus interioris, nemoque læditur quoad animam ab actu etiam exteriori, nisi hic subordinetur propriæ voluntati: & illud, *Sapiens omnia sua secum portat*, interiora scilicet.

924. Quarto arguunt: Quando medium non est malum nisi ex fine, & unicum tantum medium eligendum est, non est majus meritum vel demeritum in electione & intentione simul, quàm in sola intentione: atqui actus externus est malus ratione interni, & necessario elicitur; ergo non est majus meritum vel demeritum in illo actu exteriori quam in solo interiori. Respondetur primo, negando Maj. ex dictis supra. Respondetur secundo, negando Min. namque actus externus non solum est malus ratione finis, sed etiam ex proprio objecto: quòd verò in se necessariò eliciatur, est tamen liber in causa, quod sufficit ad hoc ut actus sit bonus, vel malus, meritorius, vel demeritorius, ex dictis sect. 11. subsect. 10. n. 812.

925. Quinto, Actus exterior non habet bonitatem nec meritum, nisi propter actum interiorem; ergo non habet aliam bonitatem, vel meritum distinctum ab actu interiori. Consequ. probatur, quia *ubi unum propter alterum est, ibi unum tantum est*. Respondetur primo, negando anteced. quia actus externus ex suo objecto habet propriam bonitatem, & meritum, licet non imputetur sine dependentia à voluntate, vel sine exercitio libertatis. Dato tamen antecedente, non bene sequitur consequ. nec proloquium pro illa adductum, ut nec sequitur; conclusio habet veritatem & evidentiam propter præmissas; ergo non habet propriam veritatem: intelligitur enim, quod ibi sit unum adæquatè, & completè, ut videbimus subsectione sequente, de quo proloquio videatur Scotus quodlibe- Scotus.
to 18. articul. 3. vers. *ad* 1. Nec bona est expositio Petri Tatareti ibi §. *cum similiter*, asserentis illud proloquium ita intelligendum esse, *quòd medium ad finem, & ipse finis uno actu voluntatis diligantur*: Si quidem electio, quæ versatur circa medium, est diversa & distincta actualiter ab ipsa intentione finis, ex dictis à n. 478.

SUBSECTIO OCTAVA.

Utrum conjunctum ex actu externo, & interno, sit unum bonum, vel unum malum?

926. Litigiosa est quæstio tam inter eos, qui unicam concedunt bonitatem, vel

malitiam in utroque actu, quàm inter eos, qui distinctam in utroque actu fatentur, ideo circa utriusque senteotiæ principia quæstio est resolvenda.

927. Dico primo: Si in utroque actu una est malitia, vel bonitas indistincta, unum etiam erit bonum, vel malum: hanc senteoriam tuentur Doctores referendi oumer. 932. & probatur, quia *ubi una tantùm est forma, licet duplex sit subjectum, unum tantùm datur formatum:* atqui in utroque actu una est forma; id est, bonitas, vel malitia; ergo licet duplex sit subjectum, id est, duplex actus, exterior scilicet & interior, unum tantum erit formatum.

928. Dices cum Vasquiu, cui hæc ratio non placuit disputat. 74. cap. 2. numina concreta, adjectiva, aut significantia formam per modum adjaceotis, quamvis substantiva sint pluraliter, aut singulariter, dici non ex unitate, sed ex pluralitate formæ, & cum malum, vel bonum, sint nomina substantiva, dicuntur tamen per modum adjaceotis, quare licet forma, id est booitas vel malitia, sit una tantùm, eruot tamen duo mala, vel booa, quia subjecta, id est actus exterior, & interior, suot duo. Dictum illud probat Vasquius prima part. n. 155. cap. 8. quia propter subjecta distincta, quamvis omnipotentia, & deitas, sit una, dicuntur tres divinæ personæ, tres omnipotentes, & tres habentes deitatem adjectivè, & Petrus propter uoitatem subjecti, etiamsi detur pluralitas formarum, dicitur unus artifex. Quòd verò bonum & malum sint nomina substantiva significantia formam per modum adjacentis; patet, quia bonum & malum adjaceot actui in esse naturæ, imò sæpius & in esse moris: quòd verò sit primariò bonitas vel malitia in uno, vel altero actu, parum refert: nam etiam medicina, animal, & pulsus, tria sana dicuntur, cum tamen sanitas sit formaliter & primariò in animali.

929. Attamen hæc doctrina Vasquii non vera est io præsenti, nec benè applicata. Primo, quia ex illa tantum sequitur, actum exteriorem & interiorem dicendos fore duo bona, vel duo mala adjectivè, non tamen substaotivè, sicut nec tres divinæ personæ dicuntur tres omnipoteotes substantivè, quæstio verò est de multiplicatione, vel unitate substantiva; Secondo, quia nec ex illa sequitur, illos doos actus dicendos fore duo bona, vel duo mala, etiam adjectivè: & patet, quia quando forma est in uno intrinsece, in altero extrinsece, duo subjecta non dicuntur duo habeotia talem formam, etiam adjectivè: atqui in illa opinione, malitia, vel bonitas est intrinsecè in actu interiori, in exteriori verò extrinsecè; ergo noo dicentur isti duo actus, duo bona, vel duo mala etiam adjectivè. Maj. patet in ipso exemplo, quod affert Vasquius numer. 5. §. *Cæterum*: oam animal, medicina, & pulsus non sunt tria habentia sanitatem, quia in solo animali sanitas est formaliter, nisi medicina, & pulsus dicantur sana in quaotum sanitas compreheodit & causam, & signum sui ipsius.

930. Tertio, quia dato quòd bonum vel malum sit nomen substantivum (quod adhuc sub judice est) oon valet illa regula, si subjecta sunt partes integrantes unum tertium; sed actus interior & exterior sunt partes integrantes unum tertium; id est, bonum, vel malum; ergo. Maj. probatur, quia ideo lapides, ligna, parietes non dicuntur domus, nec tria habentia domum, quia sunt partes compooentes domum, & quodlibet eorum non est subjectum, sed pars. Min probatur, quia actus externus non est bonus, vel malus, nisi ut ab interiori dependet, & cum eo coonectitur.

931. Quare opinio Ochami, Gabrielis, & Gregorii apud Vasquium sentientium unicam tantum dari bonitatém vel malitiam in utroque actu, interiori & exteriori, & utrumque actum dicendum fore duplex bonum, vel duplex malum, est falsa, non solùm propter argumentum supra factum, sed etiam propter argumenta facieoda in cooclusione sequenti.

932. Dico secundo, Etiam si in utroque actu detur diversa bonitas vel malitia intrinseca, isti duo actus non dicuntur duo bona vel duo mala. Ita Magister in primo dist. 42. Capreolus contr. Richard. & Durand. quos refert & sequitur Vasquius disputat. 74. cap. 2. numero 4. ex recentioribus Suar. disput. 10. sect. 1. numer. 9. Caspensis disp. 3. sect. 2. Lorca 1. 2. q. 18. art. 3. Fagund. cit. n. 15. Rainaud. dist. 4. q. 1. art. 8. n. 143. Herrera de peccatis disputat. 33. quæst. 3. §. 3. *Notandum*, Carmelitani tract. 11. disputat. 2. dub. 1. oumer. 12. Estque communis sententia. Magister.

933. Fundamenta ad duo capita reducuntur. Primum est, quia *ubicumque duo ita comparantur, ut unum sit veluti materiale, alterum veluti formale: unum tantum constituitur*, sed actus externus se habet ut materiale respectu actus interioris, & actus internus se habet ut formale respectu actus exterioris; ergo ex illis duobus unum tantum constituitur bonum vel malum. Hæc ratio est Div. Thom. quæst. 2. de malo art. 4. ad 2. Major patet in compositis physicis, ubi ex materia, & forma fit unum compositum. Min. probatur, quia actus externus non est bonus, vel malus imputabiliter, & moraliter, nisi per interiorem informatus. D. Thom.

934. Secundum: *Quando duo ita univntur, ut unumquodque sit pars integrans tertii constituti; tertium quod ex illis duobus resultat, est unum tantum*: atqui actus externus & internus suot partes integrantes, ergo tertium quod ex utroque actu resultat, id est, bonum vel malum, est unum tantum. Major patet exemplo partium componentium unam domum. Mioor ostenditur, quia actus externus ita cum interiori connectitur, & ita ab eo depeodet, ut sine illo non censeatur bonus vel malus moraliter, & imputabiliter: actus verò internus ita ad externum tendit, ut in illo videatur coosummari, qua de causa peccati externi internus est inchoatio, interni externus est coosummatio, ideoque non sufficit confiteri peccatum internum absque externo, & confesso externo non requiritur confessio interoi.

935. Dices, esse duo bona, vel duo mala in genere naturæ, & oon in genere morali. Ita distinguit Lorca cit. sed non est intelligibilis ista doctissimi Lorcæ metaphysica, ut bene dixit Mootesin. cit. numer. 79. quia actus in esse oaturæ sunt boni; ergo nun possunt esse duo peccata: quamvis enim sint duo actus in genere physico, tamen isti duo actus integrant unum tertium, nimirum unum bonum, vel unum malum.

936. Oppositum docuerunt plures Doctores selati pro octava sententia numer. 845. Alensis, Ochamus, Almain. Major, Gab. Aureolus, Rubion. & Bassol. Quia *illa, in quibus multiplicatur formale, & materiale significatum, multiplicatur concretum*: atqui tam formale, quàm materiale significatum multiplicatur in actu interiori, & exteriori; ergo etiam multiplicatur concretum, id est bonum vel malum. Minor probatur, quia in unoquoque actu intrinsece est bonitas, vel malitia distincta, quæ est formale significatum: & unusquisque est actus distinctus, quod est materiale.

937. Respondent communiter Authores, distinguo Min. in genere physico, concedo: in genere morali nego: ac proinde cum sit duplex bonitas, vel malitia, duplexque actus in genere physico, duplex etiam erit bonum, vel malum in eodem genere: cum tamen sit una bonitas, vel una malitia, unusque actus in genere morali unum tantum erit bonum, vel malum in eodem genere. Sed contra, quia est ista responsio contra quæstionis oppositionem, supponimus enim dari duplicem bonitatem, vel malitiam, duplicemque actum in genere morali. Quare respondeo: distinguo Maj. in quibus multiplicatur formale, & materiale significatum totale, multiplicatur etiam concretum, concedo: partiale nego: deinde distinguo Min. atqui tam formale, quam materiale significatum partiale in utroque actu multiplicatur, concedo: totale, nego: namque bonitas, vel malitia, actus internus, & externus non sunt totalia, sed partialia significata; ideo multiplicant partes, non totum: dicunturque duæ partes unius compositi totalis: qua solutione solvuntur præcipua contrariorum argumenta.

938. Instabis: Quilibet actus præcepto distincto prohibetur, vel præcipitur, & unicuique præcise infligitur pœna; ergo non sunt duæ partes illius conjuncti, boni scilicet vel mali, sed sunt duo composita totalia. Respondetur negando antecedens; quia actus externus, nec prohibetur, nec præcipitur, nec præmio, aut pœna dignus est præcisus ab interiori, aut sine dependentia ab illo: nec actus internus ut imperans est consummatus sine exteriori.

939. Urget Gab. Ut se habet veritas principiorum, & conclusionis, ita se habet bonitas, & malitia actus interni & externi, sed principium & conclusio sunt duo vera; ergo etiam actus externus, & internus erunt duo bona, vel duo mala. Maj. patet, quia ut veritas conclusionis dependet à veritate principiorum; ita & bonitas, & malitia actus exterioris dependet à bonitate & malitia actus interioris. Respondetur negando Maj. ad probationem nego anteced. diverso enim modo se habet dependentia conclusionis à principiis, atque dependentia actus externi ab interno: nam veritas sumitur ex habitudine prædicati ad subjectum, & ex conformitate ad rem, qua stante, stat veritas formalis: at verò bonitas, vel malitia intrinseca actus exterioris sumitur ex habitudine ad rationem, & etiam ex dependentia ad actum imperantem interiorem, sine quo ut conditione necessaria & essentiali stare nequit.

SUBSECTIO NONA.

In quonam actu reperiatur bonitas vel malitia, primario, an in interiori, an in exteriori?

940. NOtandum est primo, tam in actibus voluntatis internis imperantibus, quàm in actibus externis imperatis; reperiri bonitatem vel malitiam intrinsecam, & formalem juxta dicta in hac sect. subsect. 3. Secundo, aliquam esse actionem externam, quæ nullam habet bonitatem vel malitiam, præter eam quam participat ab actu interiori, si nimirum versetur circa objectum indifferens, ut deambulatio imperata propter aliquem finem bonum & iste actus externus, cum habeat omnem suam bonitatem participatam ex fine primario est ista bonitas in actu interno, tum quia actus interni proprium est ordinare unum ad aliud: tum quia ideo ille actus externus habet bonitatem, quia actus internus illam habet.

941. Tertio, Notandum est, certum in fide esse, actum internum sine externo habere bonitatem, vel malitiam imputabilem, non tamen actum externum sine interno. Quarto, certum est, actus externos quatenus sunt objecta actus interni habere bonitatem vel malitiam primario, & priorem in genere causæ formalis extrinsecæ, & finalis, quàm in actibus internis: non enim negari potest priorem esse, & primariam bonitatem, & malitiam objectivam, quàm sit formalis, quæ ex illa oritur, cum causa semper sit prior suomet effectu.

942. Notandú est quinto, certum esse, actus externos esse posteriores actibus internis in genere causæ efficientis moralis, sive in ordine; executionis hoc enim non est aliud, quàm actus externos ab internis imperari, eo quod voluntas ut primum movens, habeat potestatem applicandi reliquas potentias. Sexto, actus externos ita esse objecta voluntatis, ut etiam sint veræ actiones humanæ: differunt enim multú ab objectis, quæ puta objecta sunt, ut est Deus, homo, & similia, quæ tantum habent rationem objecti respectu actus interni.

943. Quod igitur vertitur in dubium, est, in quanam actione humana, ut actio est, sit primario bonitas vel malitia? Respondetur, bonitatem vel malitiam ex objecto, quæ datur in actibus externis, esse in illis primariò, ab illisque derivari in internos, in quibus inest secundario: Ita Azor 1. part. lib. 2. cap. 6. quæst. 14. Valentia tom. 2. disp. 2. puncto 1. & 2. Granad. disput. 2. num. 5. Caspensis disput. 3. sect. 1. n. 9. Et quoad malitiam idem docet Vasquius disput. 73. cap. 5. quamquam oppositum sentiat cap. 7. de bonitate.

944. Probatur primo, quia in illo actu reperitur primario bonitas vel malitia, qui bonitatem vel malitiam habet ratione sui, & à quo in internum actum derivatur: atqui hoc habet actus externus; ergo in illo est primario bonitas vel malitia. Min. probatur, & primo quod bonitas & malitia conveniant actui externo ratione sui: Ille actus habet bonitatem, vel malitiam ratione sui, qui secundùm suam intrinsecam naturam, est conformis vel difformis naturæ rationali, vel rectæ rationi: atqui ita se habent pluses actus externi; ergo, &c. Min. probatur, quia mendacium, ut mendacium est, ita difforme est, ut ad hoc non indigeat actu interiori

adjuncto: loqui veritatem, adorare Deum, & similia ita conformia sunt rectæ rationi, ut sine actu interiori talia sint. Probatur secundo eadem minor principalis argumenti, quòd scilicet, bonitas, & malitia actus externi in internum derivetur; quia ideo actus internus bonus, vel malus est, quia amplectitur actum externum, non è contra. Probatur, quia ideo velle mentiri, malum est, quia mendacium malum est, & non ideo mendacium malum est, quia voluntas illud vult: si enim mendacium, per impossibile foret honestum, velle illud non esset malum, & sic de aliis.

945. Probatur secundo conclusio, quia ante omnem actum voluntatis recta ratio dictat, mendacium esse malum, largitionem eleemosynæ bonam; ergo bonitas, vel malitia, prius est in actu externo, non solum ut objectum est, sed etiam ut actio est, non enim recta ratio tantum dictat, velle mendacium esse malum, quia mendacium est objectum malum, sed etiam quia est actio mala, namque etiam ut actio, est objectum voluntatis.

946. Oppositam sententiam docent plerique sententiarii relati à Granad. controvers. 2. cit. tract. 14. disput. 2. numero 4. & communiter Thomistæ extra quos in terminis Suar. disput. 10. sect. 1. à numer. 6. Salas tract. 7. disp. 2. sect. 2. numer. 11. disput. 6. sect. 2. numer. 11. Ægid. de Coninck. cit. dub. 6. Fagundes numer. 8. Montesin. disput. 28. quæst. 5. §. 2. numer. 48. Cornejo tract. 6. disput. 3. dubio 1. §. *respondetur altum*, & omnes DD. citati numer. 844. pro septima sententia.

947. Probant primo, quia bonitas, vel malitia supponit libertatem: atqui libertas primario, intrinsece est in actu interno; ergo etiam bonitas, vel malitia. Respondetur negando conseq. quia bonitas, vel malitia non provenit à libertate, sed à conformitate, vel difformitate, quam sine dependentia à libertate habet, posita autem libertate, ut conditione sine qua non, statim bonitas vel malitia, quæ est in actu externo redditur imputabilis, de quo argumento supra diximus in hac sect. num. 865.

948. Dices: Illi actui convenit primariò bonitas, vel malitia moralis, cui primario convenit libertas: sed actui interiori convenit primario libertas; ergo & bonitas, ac malitia. Probatur Maj. quia bonitas, & malitia sunt differentiæ actus moralis in communi: atqui de essentia actus moralis est libertas; ergo etiam erit bonitas, & malitia. Respondent Granad. & alii recentiores, hoc argumento solum probari prius esse bonitatem, vel malitiam secundùm quòd imputabiles sunt in actu interiori, & secundum hanc imputabilitatem secundariò esse in actu exteriori: non tamen probari bonitatem, vel malitiam secundùm suas præcisas rationes, conformitatem scilicet vel deformitatem cum recta ratione esse primario in actu exteriori. Ego verò existimo bonitatem vel malitiam etiam quoad imputabilitatem esse primario in actu externo, non in interno, quia licet libertas sit primario in actu interno, tamen non imputatur in specie actus, nisi propter malitiam, vel bonitatem, ut dixi in hac sect. à numer. 865. ac proinde cum bonitas, & malitia sit prior in actu externo, etiam actus externus primario erit bonus formaliter: aliud enim est actum esse primario liberum, aliud esse primario liberum bonum, vel malum: quare respondeo negando Maj. Deinde etiam neganda est Min. cum libertas non sit essentia, sed conditio bonitatis moralis, ut sæpe diximus.

949. Probant secundo, quia ex nostra sententia sequeretur actiones externas, quæ non sunt in nostra potestate esse bonas, vel malas, hoc autem est falsum; ergo, &c. Respondetur primo ex Granad. concedo sequelam, licet tunc illæ actiones non imputentur ad laudem vel vituperium, existimat enim actiones illas non imputari, quando fiunt, sed quando prævidentur in causa: Ego tamen probabiliorem existimo opinionem, quæ asserit illas actiones, quæ prævisæ fuerunt esse bonas, vel malas formaliter, pro tempore, in quo exequentur, dummodo prævisæ fuerint sequi per se ex causa, qua posita, illæ jam non erant in nostra potestate quando executæ sunt, de quo disput. 4. à numer. 545. quod si non prævideantur, tales actus erunt boni, vel mali, physice tantum, non moraliter.

SUBSECTIO DECIMA.

Utrum actus externus possit esse simul bonus & malus.

950. SUppono primo, constantem esse sententiam Doctorum, actum externum compositum ex partibus in genere naturæ, secundùm unam posse esse bonum, & secundùm aliam partem posse esse malum: Verbi gratia, si quis vadat ad Ecclesiam, ut satisfaciat præcepto audiendi sacrum, & durante eodem motu desistat ab illa intentione, & ex alia intentione continuo pergat ad furandum aliquid ab Ecclesia: in principio deambulationis motus fuit bonus, & in progressu malus, totus enim ille motus est idem numero, cum detur idem mobile, eadem forma, idem tempus, id est, continuatio: quæ sunt tria principia, ex quibus desumitur numericè motus, juxta doctrinam datam in cursu philosophico: ex quo sequitur secundum has partes posse eumdem numero actum esse bonum & malum, qui est sensus philosophandi subtilissimi Doctoris, quodlibeto 18. articulo tertio, versicul. *Secundum probatur*, affirmantis, *si actus non* Scotus.
esset partim transiens, sed idem aliquamdiu manens, quia sicut motus pro prima parte sui potest esse velox, & idem pro secunda parte sui, tardus: ex quo sequitur quòd nec velocitas, nec tarditas sunt omnino idem motui, ita posset actus prius elici conformiter regulæ rectæ, & idem actus continuatus etiam posset elici postea non conformiter illi regulæ: & ita esset actus pro priori parte rectus, & pro posteriori non rectus.

951. Suppono secundo, non esse quæstionem, utrum idem numero actus externus sit simul bonus & malus respectu diversorum agentium, sic enim extra dubium est, veram esse partem affirmativam, ut bene Angelicus Doctor quæst.
20. articul. 6. ad 2. *Et ideo secundum quod diver-* D.Thom.
sa voluntate dicuntur voluntaria, secundùm hoc sunt duo moraliter, & potest ex una parte inesse bonum, & ex alia malum. In quibus verbis non solum approbat intentum, sed etiam de more solito rationem indicat, nimirum quòd idem numero actus respectu diversorum agentium, sit duplex actus moraliter. Videatur Vasquius disp. 70. cap. 4. Salas tract. 7. disp. 3. sect. 11. n. 133. Et patet in passione Christi Domini, quæ imperata à Patre Æterno, & à Christo executa, fuit bona, inflicta verò à Iudæis fuit mala: eadem

actio respectu Dei, & hominis est bona, & mala: eadem elargitio eleemosynæ data à domino ex bono fine, est bona, data vero à servo ex malo fine, mala est. His suppositis

952. Quæstio, utrum idem numero actus externus respectu ejusdem secundum eamdem omnino partem possit esse simul bonus, & malus? Respondetur negativè. Ita Valentia 1. 2. disp. 2. q. 15. puncto 6. Granad. tract. 14. disp. 1. n. 7. Perez lect. 1. examinis p. 3. cap. 17. n. 66. Cornei. disp. 5. dub. 2. §. *argumur*. 5. Vasques disp. 70. cap. 2. an. 6. Montesin. disp. 23. q. 5. n. 69. addita resolutione data n. 72. ubi asserit quoad hoc eamdem esse rationem de actu interno & externo. Et probatur primo argumentis quibus supra sect. 9. à. n. 662. ostendi eumdem numero actum internum, non posse esse bonum, & malum. Unde incohærenter loquuntur qui simultatem hanc denegantes actui interno, eam admittunt in externo. Insuper sic ostenditur: Ut actus sit bonus non solùm debet habere quidquid recta ratio dictat habendum, sed etiam debet non habere quidquid recta ratio dictat esse disconveniens naturæ rationali, vel rectæ rationi: atqui actus habens qualemcumque malitiam, est disconveniens rectæ rationi; ergo, &c.

953. Contrarium tueri debent qui citata sect. 9. numer. 659. asseruerunt actum internum posse esse simul bonum, & malum; minus enim inconveniens apparet in actu externo; qua de causa DD. qui nobiscum assentiuntur circa impossibilitatem simultatis bonitatis, & malitiæ in eodem actu interno, dissentiunt in actu externo; & probatur, quia si quis ad Ecclesiam vadat ex duplici intentione, una bona, & altera mala, deambulatio erit simul bona, & mala. Probatur, quia deambulatio non manet indifferens, deinde non datur major ratio, cur à mala intentione reddatur mala, & à bona intentione non reddatur bona. Respondetur primo, talem intentionem, quam appellant bonam, non manere eamdem, quia est volitio electionis ex altero capite malæ; ac proinde si talis intentio influat in ambulationem, non est intentio bona, de quo vide dicta sect. 8. à num. 619. Respondetur secundo, dato quod maneat bona intentio, adhuc negandum est aut. quia *malum ex quocumque defectu*.

954. Instabis: Intentio finis mali non viciat intentionem finis boni, sed facit ut totum illud conjunctum ex utroque actu debeat dici absolutè malum, non bonum; ergo similiter, licet faciat ut actus dicatur absolutè bonus, non tamen faciet ne dicatur præcisè sumptus bonus ratione bonitatis, quam ab intentione finis boni accipit. Respondetur in hoc casu (quem admittimus contra superius dicta) concurrendi intentionem bonam, manente sua bonitate: negando consequentiam, quia quando sunt duo actus distincti, malitia unius non inficit bonitatem alterius: at quando est unicus actus, quodlibet malum inficit ejus bonitatem, eumque reddit totaliter malum, quæ resolutio vera est, etiam in genere naturæ, non enim aliter loquimur de bonitate & malitia actus externi, quàm de actus interni loquuti fuimus cit. sect. 9. an. 661. quidquid reclamet Granad. n. 8.

SUBSECTIO UNDECIMA.

Utrum actus externus possit esse successivè bonus & malus?

955. Doctores qui n. 844. asseruerunt nec intrinsecam, nec formalem bonitatem, aut malitiam esse in actibus exterioribus, facile se ab hac quæstione expedient, dicentes, posse actum externum successivè esse bonum, vel malum, quia bonitas, & malitia illis extrinseca est: idemque à fortiori affirmabunt Doctores, qui sect. 9. subsect. 2. docuerunt actum internum posse esse successivè bonum & malum: Doctores verò, qui actum internum non posse esse modò bonum, modò malum asserunt, non uniformiter id affirmant de actu externo: cohærenter tamen ad ea, quæ diximus citato loco, & in hac sect.

956. Dicendum est actum externum non posse esse bonum & malum successive: primo, quia moralitas actuum externorum dependet à voluntate, & ratione ordinante; ergo si mutatur ratio, & ordinatio, jam non erit eadem numero moralitas; ergo nec idem numero actus in genere morali: atqui si actus externus in principio dirigatur à recta ratione, & intentione bona, & in continuatione à ratione non recta, mutatur ordinatio, & ratio; ergo, &c. Secundo, quia moralitas actuum externorum, sicut etiam & internorum, est tendentia actus sic ordinati ad objectum: atqui eadem omnino tendentia numero, non potest modo esse conformis, modo difformis rationi; ergo nec idem numero actus potest modò esse bonus, & modò malus. Min. probatur, quia tendentia moralis est de essentia actus moralis; & talis tendentia, talis actus: atqui talis tendentia, talis actus, ex tali ordinatione, non potest modò esse conformis, modò difformis rationi; ergo, &c. Tertio quia eodem modo videtur loquendum de actibus externis imperatis, atque de internis, sed actus interni imperati non possunt transire de bonis in malos, aut de malis in bonos, ut ex dictis sect. 9. subsect. 3. constat; ergo nec actus externi. Maj. probatur, quia actuum internorum imperatorum libertas extrinseca est, eorumque ordinatio est à distincto actu, ut etiam in actibus externis libertas extrinseca est, ordinatioque à distincto actu.

957. Sed quid dicendum de actu externo in genere naturæ? Respondeo etiam non posse transire de bono in malum, aut è contra de malo in bonum. Hæc conclusio est minus communis, & minus certa, colligitur tamen evidenter ex nostris principiis, & probatur, quia actus externi intrinsecè, & formaliter sunt boni, vel mali, bonitate, & malitia desumpta ab objecto, à quo specificantur; ergo si fiot ex objecto boni, vel mali, non possunt amittere bonitatem vel malitiam non amissa essentia. Nec obstat quod ut sint boni vel mali formaliter, & imputabiliter dependeant à voluntate extrinsecè: Non (inquam) obstat, quia dependentia illa non tollit rationem essentialem, sed facit quod sit imputabilis.

958. Confirmatur, quia hic numero actus, quà imperatus est, dependet ab hoc numero actu imperante: atqui non imperatur tantum moralis tendentia, sed etiam illa tendentia physica actuum externorum; ergo si actus imperans mutetur, & sit alter, mutabitur etiam actus imperatus, eritque alter. Minor probatur, quia voluntas non

imperat tantum, quod actus fiat conformis, vel difformis rectæ rationi, sed etiam, quod fiat actus externus.

959. Dices: Imperium est extrinsecum actui externo; ergo ex mutatione actus imperantis, non mutatur actus imperatus externus. Respondetur: nego conseq. quia etiam terminus est extrinsecus relationi, eidemque relationi actio extrinseca est: & tamen pro mutatione termini, & actionis, mutatur relatio ex eo quòd relatio essentialiter à termino, & actione dependeat: similiter, licet imperium sit extrinsecum actui imperato, tamen quia idem numero actus imperatus dependet essentialiter ab illo imperio, & per consequens destructo imperio, destruendus est actus.

960. Hic excitanda erat alia quæstio, utrum scilicet actus externus non bonus possit fieri bonus, & non malus possit fieri malus? Similem quæstionem proposuimus sect. 9. subsect. 3. sed quia ex ibidem dictis satis resoluta manet, ideo quod de actu interno eo loco diximus, de actu externo dicta censeantur. Namque non minus essentialis est tendentia actus externi in suum objectum, quàm tendentia actus interni. Argumenta contrariorum tam contra hanc, quàm contra superiores quæstiones solvuntur unica responsione, quòd scilicet externus, qui modò malus videtur, vel modò non bonus, modò bonus apparet, est diversus numero actus.

SUBSECTIO DUODECIMA.

Qua intentio requiratur, ut actus externus dicatur bonus & malus.

961. CUm ad hoc, ut actus externus dicatur moralis; bonusque vel malus imputabiliter, requirat imperium voluntatis; & dependentiam ab illo, quod quidem nihil aliud est, quam actum externum ordinari à voluntate in existentiam finis à se intenti: est quæstio, quomodo debeat existere ista intentio, & ordinatio: pro qua suppono quatuor dari ordinationes, sive relationes in finem; *actualem, virtualem, habitualem, & interpretativam*. Actualis ordinatio tunc datur quando intentio finis est præsens, & ea ea præsente procedit actus externus. Virtualis ordinatio duobus modis fit, ex doctrina Lorcæ sect. 1. quæ est de beatitudine disp. 10. §. *ex hac*: Primo, quando præcessit aliqua intentio, quæ non retractata desiit, mansit tamen virtute in aliquo suo effectu, per quem homo præsentes actiones facere, easque in illum finem ordinare judicatur, quem modum approbant communiter Doctores: Suar. hoc loco disp. 6. sect. 5. & tom. 3. in 3. p. disput. 13. sect. 3. Salas tract. 7. disp. 2. sect. 18. Lugo de Sacramentis disp. 8. sect. 5. n. 72. qui è numer. 75. explicat latissimè quid sit, & quomodo influat in actum illum: virtualis, quando actio natura sua dirigitur in finem intentum ab agente ita tamen fit, ut de tali fine agens non cogitet dummodo contrarium finem non apponat: tunc etiamsi actio præsens non ordinetur in finem, censetur virtualiter ordinari propter intrinsecum ordinem ad ipsum finem.

962. Ordinatio habitualis juxta citatum Suar. & Lugo tunc datur quando præcessit voluntas faciendi, postea verò non influit in actionem, nec ullo modo remanet in memoria, nec per se, nec per effectum: ut siquis hodie statuat celebrare manè sacrificium pro Petro, & manè celebret immemor omnino intentionis præteritæ, imò & ipsius Petri; juxta verò subtilem D. in 2. dist. 41. vers. 2. tunc datur ordinatio habitualis, quando actio exercetur ab homine habente habitum inclinantem actum externum in finem: Ordinatio interpretativa tunc datur juxta Suar. loco cit. 3. p. §. *dico* 2. & Lugo cit. num. 72. quando aliquis prævidet effectum secuturum, & vult causam ex qua sequitur, interpretative censetur id velle, diciturque ordinatio, sive voluntarium in causa, quod etiam potest esse voluntarium in effectu, si nimirum homo propter effectum velit causam, ut bene notavit Lugo num. 100. Verbi gratia potest quis inebriare se, prævidens secuturam esse mortem alicujus, vel prævidens etiam se solitum esse blasphemare post ebrietatem, vult ipsam ebrietatem. Iuxta verò Salas, tunc datur ordinatio interpretativa, quando si talis actus veniret in mentem, ordinaretur in talem finem. Scotus.

963. Hi sunt modi loquendi communiter accepti erga has ordinationes, nam variis nominibus eas confundunt: quidam enim ordinationem virtualem secundo modo, appellant interpretativam, quæ quidem appellatio non erat absque fundamento, cum ita dicantur peccatores ordinare sua peccata in creaturas, tamquam in finem ultimum: quidam verò, modo quo Suar. explicat ordinationem interpretativam, virtualem appellant: quidam modum, quo explicat Salas interpretativam ordinationem, appellant habitualem: qui fuit modus communis loquendi apud antiquos, quorum meminit Tataretus in quodlibet. 18. Scoti. §. *sic sunt*.

964. Quibus suppositis, non est quæstio de ordinatione actuali, constat enim hanc esse sufficientissimam, ut actus externus per illam ordinatus in finem honestum participet honestatem ab actu interiori; namque cum ex eo quod actus externus eliciatur propter finem, ab eo participet honestatem, & eam participare non possit, nisi ordinetur à voluntate in illum finem, non potest meliori modo ordinari in illum finem, quàm per ordinationem actualem: quæstio igitur est de aliis ordinationibus, quæ nam sufficiant ad hoc ut actus sit bonus, vel malus.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum sufficiat intentio virtualis.

965. DUobus modis num. 961. explicavimus ordinationem virtualem: juxta utrumque modum explicandi decidenda est difficultas. Dico primo: Ordinatio virtualis primo modo explicata, quæ nimirum perseverat in effectu, sufficit ad hoc ut actus sit bonus, vel malus. Ita Vasquius disp. 6. cap. 1. §. 1. *quaritur*, & disput. 75. cap. 2. §. *ut igitur*, & tom. 1. in 3. p. disp. 138. cap. 6. §. *restat igitur*, Salas citatus conclus. 4. Suar. 3. p. tom. 3. disp. 13. sect. 3. §. *ultima pars*, Lorca citat. disp. 10. §. *dicendum est*, Granad. tract. 14. disp. 5. num. 5. Cajet. tom. 2. opuscul. tract. 31. responsione 15. & 2. 2. quæst. 66. art. 3. in solutione tertii, Navar. in Summ. cap. 6. n. 16. & in cap. *consideras de pœnitentia*, & certam esse hanc conclusionem apud omnes circa intentionem Sacramentorum, & orationem vocalem, asserit Lugo cit. n. 75. quod à fortiori dicendum est de actionibus bonis & malis.

966. Probatur, quia finis in tantum communicat bonitatem, vel malitiam actui humano, in quantum suam exercet causalitatem circa illum (nullo enim meliori modo desumi potest à fine bonitas, vel malitia, quàm per causalitatem in ge-

nere causæ finalis, atqui ad hoc sufficit virtualis illa ordinatio; ergo, &c. Min. probatur primo quia ita communiter exercentur actiones externæ; administrans enim sacramenta, non semper cogitat de Sacramento efficiendo, & tamen quidquid efficit ex illa prima intentione provenit, quæ non existit nisi in effectu; ita etiam applicantur suffragia; & si hæc ordinatio non sufficit, actum est de valore sacramentorum. Secundo, quia mercenarius propter mercedem tota laborat die, cujus mercedis non semper habet cogitationem.

967. Dico secundò: Ordinatio virtualis secundo modo explicata, quando scilicet actio natura sua in finem dirigitur, agens tamen de fine non cogitavit, non sufficit. Probatur quia per hanc ordinationem non dependet actus à fine; ergo ab illo non accipit honestatem, vel malitiam. Ant. probatur, quia dependentia ista non datur nisi præcedente cogitatione de fine: atqui, ut supponimus, nulla præcessit cogitatio de fine; ergo finis non confert bonitatem, vel malitiam actui. Maj. patet, quia, ut ex Philosophia supponimus, finis non causat, nisi movendo appetitum media cogitatione: atqui, si finis non existit, non potest movere appetitum; ergo &c.

968. Notandum tamen est primo, ut per ordinationem virtualem conferatur bonitas, vel malitia actui externo, necessarium esse, ut permaneat aliquis effectus, vel actus electionis, sive executionis cum intentione non existente connexus, & qui ab ea intentione præcesserit, in quo, ut in effectu virtualiter perseveret intentio: quandiu enim ista connexio, sive series actuum quorum unus ab alio dependeat, permanet, permanere censetur intentio virtute in suis effectibus.

969. Secundo, non interesse interrumpi istam seriem actuum per somnum, inconsiderantiam naturalem, & varietatem multarum rerum: licet enim discontinuetur, quandiu non retractatur voluntas, continuatur opus bonum, vel malum, ut dicemus disp. 4. à n. 698. Interim videantur Azor, p. 1, institutionum lib. 4. cap. 4 §. 4. *quæritur*, Aragonius 2. 2. q. 62. art. 8. Rodrigues in summ. tom. 2. cap. 46. Maldetus 2 2. tract. 4. cap. 18. dub. 7. doctissimus Diana 3. p. tract. 4. de sacramentis resolutione 95. sufficit enim apprehensio operis continuandi, vel ut antea electi, vel ut jam continuati, in quo etiam absolutè importatur electio, quæ remanet in sui recordatione, sicut recordatio præmissarum sufficit ad inferendam conclusionem; nam intentio, & electio præcedens, ex qua opus fieri incepit mediante sui recordatione, excitat ad continuandum opus: unde fit quòd totum opus fiat propter eundem finem, quia fit mediante recordatione electionis, vel etiam mediãte illa catena actuum in ipsum influentium, mediantibus enim his recordationibus, priores actus causant posteriores, excitãdo volũtatem non solum ad electionem, sed etiam ad executionem eorum.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum sufficiat intentio habitualis?

970. Circa intentionem habitualem, dicendum est, in utraque acceptione insufficientem esse, ut ex ea communicetur bonitas vel malitia actui externo. Et probatur primo juxta primam acceptionem, quando scilicet præcessit voluntas faciendi, postea verò non influit in actionem, nec permanet in memoria per se, aut per effectum, quia actiones non dependent ex illo fine intento; ergo ab illo non participant bonitatem, vel malitiam. Ant. probatur, quia si quis in principio diei statuat se omnia opera sua velle referre in Deum, si postea non ex illa intentione, nec ex aliquo ejus effectu operetur, etiam si voluntatem non retractet, opus ab illa intentione non dependet. Confirmatur, quia si infidelis statuat in principio diei, se velle omnia opera illius diei in Idolum referre, non tamen ideo omnia illius opera erunt mala ex illo fine intento: aliter si elargiatur eleemosinam, nullo malo fine apposito, statim eleemosina mala erit.

971. Dices; Ergo frustraneum est consilium quod Magistri spirituales suis filiis tradunt, quod scilicet primo mane se, suasque actiones in Deum referant. Respondetur negando ant. optimum enim est consilium primo, quia ille actus est perfectissimus: Secundo, quia potest homo recordari in decursu diei de illo actu, & operari ex illius recordatione. Tertio, quia cum sit actus Deo gratissimus, merebitur ut Deus ei tribuat auxilia specialia ad evitandas culpas totius diei.

972. Probatur secundo de ordinatione habituali explicata secundo modo, quando scilicet actio exercetur ab homine habente habitum, per quem dirigatur in finem; quia habitus non tribuit bonitatem, nisi vel producendo, vel imperando: atqui ille habitus virtutis, neutrum efficit; ergo, &c. Min. probatur, quia habitus non elicit actum externum, ut constat; non etiam imperat actum internum, quia non potest illum imperare per solam concomitantiam; si enim imperet, imperare debet mediante actu à se elicito, quem in præsenti non elicit. Confirmatur: Si homo, in quo existerent habitus diversi virtutum, vel vitiorum, eliceret actum externum temperantiæ, vel intemperantiæ, sequeretur, quod actus ille temperantiæ esset actus omnium virtutum, & actus intemperantiæ esset actus omnium vitiorum: siquidem ordinaretur ab omnibus illis habitibus in fines proprios, in quos hominem inclinat.

973. Dices: Omnes actiones hominis justi sunt bonæ & meritoriæ, etiamsi in Deum actualiter non ordinentur, quia sufficit habitualis ordinatio per gratiam, & charitatem, per quam homo justus propendit ad dirigendos actus supernaturales in Deum; ergo etiam sufficiet ista habitualis ordinatio, ut actus accipiat bonitatem, vel malitiam ex fine: siquidem non augetur meritum, nisi aucta actus bonitate. Respondetur negando consequentiam, quia gratia & charitas requiritur ut conditio reddens hominem gratum ad hoc, ut opera meritoria sint vitæ æternæ, & per hanc conditionem non additur bonitas, sed bonitas, quæ erat in actu, posita conditione redditur meritoria. Quod si gratis demus, addi aliquam bonitatem, hoc additamentum bonitatis non provenit ex fine, sed ex ipsa gratia informante illa opera.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrum sufficiat intentio interpretativa?

974. Dico primo, Ordinatio interpretativa, primo modo explicata, nimirum, quando prævidetur effectus futurus per se in causa, sufficit ad communicandam bonitatem, vel malitiam. Probatur, quia ista ordinatio interpretativa, est voluntaria in alio: atqui voluntarium in aliq sufficit ad communicandam boni-

tatem, si per se fuerit honestas volita, & ad communicandam malitiam, quocumque modo sit prævisa, & volita; ergo, &c. Advertendum tamen est hanc bonitatem, vel malitiam, non provenire ex fine, sed ex objecto, quia, ut communicetur bonitas, vel malitia ex fine, debet opus esse volitum propter ipsum finem: opus vero illud cum sit voluntarium in alio, non sit propter finem extrinsecum, poterit tamen communicari malitia vel bonitas effectus, si sit volitus in se, & propter illum homo velit causam, juxta modum quo supra n. 922. cum Lugo explicavimus etiam hanc ordinationem interpretativam.

975. Limitat Lugo disp. illa 8. sect. 6. n. 110. hanc conclusionem ad actus, qui non postulant esse signa internæ mentis, & animi præsentis, nec qui postulant fieri humano modo, verbi gratia furtum, rapina, homicidium, & similes actiones, tam in materia justitiæ, quàm temperantiæ, & aliquarum virtutum, quæ non solùm probibent actiones, sed etiam apponere damnum: namque alias actiones, quæ postulant fieri humano modo, esseq; signa præsentis animi, asserit non esse bonas, nec malas, ut verba sacramentorum facta ab ebrio, perjurium, blasphemia, & similia, ex eo quod requirant verba formalia, & non sufficiunt materialia.

976. Verùm quamvis hæc doctrina vera videatur ad valorem sacramentorum, maximéque placeat, verba consecrationis, & aliorum sacramentorum prolata ab ebrio non sufficere ad valorem sacramentorum, tamen non video, cur non sufficiat ordinatio ad actus bonos & malos, namque ut occidere est peccatum, ita etiam erit blasphemare, & perjurare; si quidem ille verè blasphemat, & perjurat, nec ad hoc requiritur, quod verba significent animum præsentem, sufficit enim quod significent animum illius præcedentem saltem: sed de his disputat. 4. citato loco.

977. Dico secundo, Ordinatio interpretativa, secundo modo explicata, quòd scilicet, si veniret actus in mentem, ordinaretur in finem, non sufficit ad communicandam bonitatem, vel malitiam actui. Probatur, quia actus externus non habet bonitatem ex fine, nisi à fine dependeat, ab eoque per voluntatem ordinetur in ipsius executionem. Deinde Deus non judicabit homines de operibus, quæ facerent, si talea, vel tales occurrerent circumstantiæ; sed de operibus, quæ facimus.

SUBSECTIO DECIMATERTIA.

Explicatur mens Angelici, & subtilis Doctoris circa bonitatem, & malitiam actuum exteriorum.

978. DE more expono sententias Angelici, & subtilis Doctoris: video enim à multis aliter interpretari, quàm eorum mens expostulat: nam licet sententia D. Thom. clarissima sit in hoc puncto, dum tamen quisque vult Angelicum Doctorem suæ sententiæ patronum, ejus verba trutinat non ad mentem, sed ad gustum: volunt enim quod sanctus Doctor suus sit, & nolunt suam esse S. Doctoris sententiam: Subtilis Doctoris non est adeo clara, imò difficilis præ illius nimia subtilitate, cæcutimus enim tamquam noctuæ ad tanti luminis splendorem. Quid uterque senserit, simpliciter, & sincere explicabo.

Explicatur Angelicus Doctor.

979. PRo ejus sententia sit prima propositio: Actus externus specificatur ab objecto, quod est materia circa quam. Ita 1. 2. qu. 18. art. 6. in corpore, ubi ita, *Utrque horum actuum habet suum objectum: finis autem proprie est objectum interioris actus voluntarij: id autem circa quod est actio exterior, est objectum eius: sicut igitur actus exterior accipit speciem ab obiecto circa quod est: ita actus interior voluntatis accipit speciem à fine sicut à proprio obiecto.* Idem docet quæst. 73. art. 3. ad 1. quæst. 2. de malo art. 4. in corpore, & ad 2. & in 2. dist. 36. art. 5. ad 4.

980. Secunda propositio: Actus exterior habet duplicem bonitatem, vel malitiam: unam ut objectum; alteram, ut actus est; & hanc ultimam appellat bonitatem actus, ut effectus est, imperatus, & executus à potentia externa, quatenus imperatur ab imperio voluntatis. Ita 1. 2. quæst. 20. art. 1. in corpore & ad 1. & quæst. 2. de malo art. 3. in corpore ubi ita: *Actus exterior dupliciter considerari potest, uno modo secundùm quod est in apprehensione secundum suam rationem, alio modo secundum quod est in operis executione.* Et infra: *sic enim in se consideratus comparatur ad voluntatem ut obiectum, prout est volitus: sicut autem actus pravij potentiæ, ita & obiecta actibus.* Et infra, *sed si accipiatur peccatum secundum quod est in executione operis.* Eadem habet in 2. dist. 40. quæst. 1. art. 3. Ex quibus constat ab Angelico Doctore accipi actum exteriorem, ut objectum est actus interioris, & ut effectus est illius, & utroque modo in illo reperiri bonitatem vel malitiam.

981. Tertia: Bonitas, vel malitia, quam actus exterior habet ex fine, est eadem in illo, & in actu interiori; bonitas verò, vel malitia, quam actus exterior habet ex objecto, est distincta, & diversa ab ea quam habet actus interior ex fine. Ita habet 1. 2. quæst. 20. in corpore, *Sic ergo dicendum, quod quando actus exterior est bonus, vel malus solum ex ordine ad finem, tunc est omnino eadem bonitas, & malitia actus voluntatis, quæ per se respicit finem, & actus exterioris, qui respicit finem mediante actu voluntatis: cum autem exterior habet bonitatem, vel malitiam secundum se, scilicet secundum materiam, vel circumstantiam, tunc bonitas exterioris actus est una, & bonitas voluntatis, quæ est ex fine, est alia,* Quæ verba non egent expositione.

982. Quarta: Actus exterior addit bonitatem, vel malitiam actui interiori. Ita S. Doctor 1. 2. q. 20. art. 4. in corpore, ubi ita, *Si autem loquamur de bonitate actus exterioris, quam habet secundum materiam, & debitas circumstantias, comparatur ad voluntatem ut terminus, & finis, & hoc modo addit ad bonitatem, vel malitiam voluntatis.* Unde licet bonitas, vel malitia, quam actus exterior ex fine habet, non addat bonitatem, vel malitiam actui interiori, ut bene idem Angelicus D. in principio corporis, bonitas tamen, vel malitia, quam ex objecto habet actus exterior, addit bonitatem, vel malitiam actui interiori, & hoc absque dubio verum esse testatur Cajet. §. *ad evidentiam.*

983. Quinta: Bonitas, vel malitia, quæ datur in actu externo, est materialis, quæ vero datur in actu interiori, est formalis: habet enim se bonitas vel malitia interioris actus, ut forma; exterioris vero, ut materia. Ita variis in locis Angel. D. in 1. 2. quæst. 18. articul. 6. in corpore ad 2. & quæst. 20. articul. 1. ad 3. & quæst. 23. de veritate art. 5. ad 12. & quæst. 2. de malo art. 2. ad 5. ubi: *Actus voluntatis*

voluntatis se habet ut formale ad actum exteriorem, & ad 11.

984. Si quæras, cur bonitas, vel malitia actus exterioris dicatur materialis respectu actus interioris; Respondeo. (& sit sexta propositio) quia actus exteriores non habent rationem moralitatis, nec etiam imputabilitatis, nisi in quantum sunt voluntarii, effectusque imperati ab actu interiori: Ita 1. 2. quæst. 18. art. 6. in corpore, *Id autem quod est ex parte voluntatis, se habet ut formale ad id, quod est ex parte exterioris actus quia voluntas utitur membris ad agendum, sicut instrumentis: neque actus exteriores habent rationem moralitatis, nisi in quantum sunt voluntarii: & ideo actus humani species formaliter consideratur secundum finem, materialiter autem secundum objectum exterioris actus.* Et quæst. 2. de malo articul. 2. ad 5. *Quia ergo actus voluntatis est ratio quare actus exterior sit culpabilis, quantum ad hoc quod est esse peccatum culpabile, actus voluntatis se habet ut formale ad actum exteriorem*; ac proinde juxta Div. Thom bonitas, vel malitia actus interioris, est forma respectu malitiæ, & bonitatis actus exterioris, non quia in actu exteriori non detur bonitas, vel malitia intrinseca, & formalis, sed quia talis bonitas & malitia non est moralis, nec imputabilis, nisi ut imperatur à voluntate, & ab ipsius actu imperante informatur.

985. Septima: Bonitas vel malitia actus exterioris juncta bonitati & malitiæ actus interioris, reddit utrumque actum magis meritorium, quoad meritum accidentale, non verò quoad meritum essentiale: Ita habetur quæst. 2. de malo articul. 2. ad 8. *Qui enim habet voluntatem dandi eleemosynam, & non dat, quia non habet facultatem, tantumdem meretur, quantum si daret, per comparationem ad præmium essentiale, quod est gaudium de Deo. Hoc enim præmium respondet charitati, quæ ad voluntatem pertinet: sed per comparationem ad præmium accidentale, quod est gaudium de quocumque bono creato, magis meretur, qui non solum vult dare, sed dat: gaudebit enim, non solum quia dare voluit, sed quia dedit, & ex omnibus bonis, quæ ex illa datione provenerunt. Et similiter, si consideretur quantitas demeriti, &c.* Et inquitur ubi actus interior est omnino æqualis.

986. Ex quibus verbis manifestè apparet, quàm cohærenter locutus fuerit Sanctus D. cum enim actui exteriori distinctam & diversam malitiam desumptam ex objecto attribueret, attribuit etiam distinctum & diversum meritum, ita ut sicut compositum ex actu interiori & exteriori, est magis bonum, vel magis malum, ita etiam est magis meritorium, vel demeritorium, quamquam bonitas, & malitia actuum exteriorum non imputetur ad meritum, vel demeritum, nisi ut informata est ab actu interiori. Quod verò Sanctus D. tantum asserat convenire accidentale præmium bonitati, & pœnam accidentalem malitiæ actus externi, non est ex eo, quòd non addat verum meritum, vel demeritum, sed quia non est meritum præmii essentialis, nec demeritum pœnæ essentialis, sed quia præmium essentiale tantum respondet charitati, ut ibi ait; quidquid sit de veritate hujus opinionis, quam modo non libro, sed satis pro Angelico D. libravit Thom. Hurtado in suo præcursore Theologico disputat. 3. controvers. 2. membro 3. ac proinde ut negari non potest actus interiores virtutum addere meritum intensioni charitatis à qua imperantur, quamquam juxta hanc opinionem non mereantur præmium essentiale, quod totum respondet juxta hanc opinionem charitati, ita negari non potest dari verum meritum superadditum actui interno, quamquam non sit meritum præmii essentialis, sed accidentalis, unde optime Cajet. 1. 2. quæst. 20. articul. 4. §. ad 3. ait: *Igitur distinguendum de præmio, & pœna essentiali, vel accidentali: & dicendum quod voluntas parata, quamvis non operans propter impotentiam, nihil de præmio, vel pœna perdit essentiali quia hoc respondet primæ proportioni voluntatis: quamvis careat aliqua accidentali remuneratione, vel pœna respondente ipsi exercitio actus exterioris.*

987. Octava propositio: Ex utroque actu interiori, & exteriori, unum tantum insurgit bonum, vel malum: ita habetur quæst. 2. de malo articul. 2. ad 11. *Dicendum quod omne, quod comparatur ad alterum, ut ratio ejus, se habet ad ipsum sicut forma: & propter hoc color, & lumen sunt unum visibile, quia color est visibilis propter lumen: & similiter cum actus exterior habeat rationem peccati ab actu voluntatis, idem peccatum est actus voluntatis, & actus exterior conjunctus.* Eadem habet ad 1. 2. & in 2. dist. 42. quæst. 1. art. 2. in corpore, & alibi.

988. Nona: Bonitas, vel malitia actus exterioris objectiva, seu ut objectum voluntatis, primario est in ipso, quam in actu interiori, & ab eo derivatur in actum interiorem: in executione verò, sive ut actus externus est effectus actus interioris, primario est in actu interiori, ab eoque in exteriorem derivatur: ita habet 1. 2. quæst. 2. articul. 1. in corpore, & ad primum clarissime, & quæst. 2. de malo articul. 3. in corpore, ubi; *Ideo autem diximus per prius esse malum in actu exteriori, quam in voluntate, si actus exterior in apprehensione consideretur: è converso autem, si consideretur in executione operis, quia actus exterior comparatur ad actum voluntatis, ut objectum, quod habet rationem finis: finis autem est posterior in esse, sed prior in intentione.*

989. Ultima propositio: Actus externus in genere moris, non potest esse simul bonus & malus, potest tamen in genere naturæ. Ita habetur 1. 2. quæst. 20. articul. 6. in corpore, ubi ita: *Si ergo accipiatur unus actus prout est in genere moris, impossibile est quod sit bonus & malus bonitate & malitia morali: si tamen sit unus unitate naturæ, & non unitate moris, potest esse bonus & malus.* Hæc meo judicio est mens Angelici Doctor. & quæ contra illam afferuntur satis explicant Commentatores; inter quos videatur Cajet, qui præ cæteris magis accedit ad mentem Angelici Doctoris, licet eam non semper assequatur.

EXPLICATUR SUBTILIS Doctor.

990. SUperest exponenda profunda mens Scoti: pro qua sequentes statuo conclusiones. Prima: Actus exterior, præter bonitatem, vel malitiam objectivam, habet etiam bonitatem, ut actus est elicitus à propria potentia. Ita Subtilis Doctor quodlibeto 18. artic. 3. §. *de tertio*, vers. *secundo probatur*, littera R. *Intelligendo de utroque actu, ut in esse reali, & de eo, quod sibi convenit, ut in tali esse: licet enim actui exteriori in quantum est objectum volitum, & non ut actus elicitus, posset aliquo modo competere denominativè denominatione quadam exteriori illud*

quod convenit actui interiori realiter, non tamen idem eodem modo convenit illi & isti, &c. docet actum interiorem, & exteriorem sumi posse velut actus in suo esse reali extra potentiam positos, & §. *contra*, vers. *ad* 1. loquens de actu interiori, asserit in illo & esse bonitatem ut objectum est, & esse bonitatem ut actus est, *& consimiliter bonitas, qua est formaliter actus volendi, sit quodammodo denominativè ipsius objecti voliti, in quantum volitum est, tamen actus ille bene potest habere aliquam bonitatem propriam, in quantum positus in esse reali extra voluntatem*: Ex quo deducit etiam in actu exteriori esse bonitatem, ut objectum est, ita vers. *ad confirmationem* littera S. & vers. *si dicas*, ubi proposita hac objectione, *Veritas non convenit alicui extra intellectum, sed tantum actus intellectus, vel obiecto, ut est in intellectu, igitur à simili bonitas non convenit actui exteriori, ut exterius elicito, sed praecisè ut abiecto actus volendi.* Respondet non esse eamdem rationem admisso etiam antecedente, quod negat vers. *aliter*.

991. Et eodem modo, quo Angelicus Doctor appellat bonitatem actus exterioris, ut actus est, bonitatem effectus, & in executione, ut vidimus num. 980. ita Subtilis Doctor eamdem bonitatem appellat, bonitatem actus ut effectus est, ita enim habet §. *contra ista*, vers. *si autem, sed voluntatis ut causa, vel imperantis, est etiam propter se servata tamquam effectus voluntariè positus.*

992. Secunda propositio: Bonitas, quam actus exterior habet ex objecto, est distincta ab ea, quam habet actus interior. Ita habet quodlibet 18. art. 13. §. *de* 3. vers. 2. *Probatur* littera Q. ubi August. explicans locum August. num. 907. *mala voluntate, vel sola, quilibet miser efficitur, sed miserior potestate, quâ desiderium malæ voluntatis impletur*; ita ait: *Intelligitur igitur de miseria culpæ: actus igitur malus exterior addit ad miseriam culpæ, quæ præfuit in actu interiori malo.* Eadem habet vers. 2. *Probatur*; ubi concludit, *vel ad minus, quod sufficit ad propositum, poterunt habere convenientiam aliam, & aliam.* Et in toto isto §. & art. 3. nihil aliud probat, quàm actum exteriorem habere propriam, distinctam ac diversam bonitatem à bonitate actus interioris, ita enim proponit quæstionem, 1. *dici potest quòd actus exterior scilicet imperatus, habet bonitatem moralem propriam aliquam aliam, quam actus interior elicitus.* Quod probat duplici medio. Primo, ex authoritate Augustini citata. Secundo, ex eo quòd impossibile est convenire eadem convenientia, vel disconvenientia actui interiori, vel exteriori. Deinde §. *contra* solvit argumenta, quæ officiunt propriæ & distinctæ bonitati actus exterioris.

993. Tertia propositio: Actus exterior addit bonitatem, vel malitiam actui interiori. Ita citato quodlibet. 18. articul. 3. vers. *primum.* ubi, *actus igitur malus exterior addit ad miseriam culpæ, quæ præfuit in actu interiori malo.* Et probat ex eo, quòd propriam, distinctam, & diversam bonitatem habet à bonitate, vel malitia actus interioris.

994. Quarta propositio: Bonitas, vel malitia actus interioris est formalis, actus verò exterioris, est materialis: ita habet in secundo distinct. 42. quæst. 4. numero 1. vers. *ad quæstiones*, ubi: *præmitto quoddam generale, scilicet quod malitia primo & formaliter non est, nisi in aliquo actu voluntatis*, & numer. 2. vers. *secundo; dico quod licet peccatum non possit esse formaliter nisi in voluntate, vel in actu eius, materialiter tamen potest esse in istis actibus, scilicet, cogitatione, sermone & opere.*

995. Ratio verò cur appellat bonitatem, vel malitiam actus exterioris materialem, interioris verò formalem, non est, quia bonitas, vel malitia actuum exteriorum non sit propria, & distincta à bonitate, & malitia actus interioris, sed quia non potest hæc bonitas & malitia esse bonitas moralis, & imputabilis, nisi dependenter à voluntate, & nisi ab eadem voluntate imperetur: ita enim habet citato loco secundi numero secundo vers. 2. *dico.* ubi reddens rationem cur actus exteriores sint materialiter boni, vel mali, ait: *Quia secundùm Anselm. ubi supra, voluntas est motor in toto regno animæ, & omnia obediunt sibi.* & numero 3. vers. *ex istis, Cum enim in cogitatione non sit formaliter malitia, vel peccatum, ad hoc quod sit aliqualiter mala, oportet quod subsit imperio voluntatis, ex qua subiectione contrahat malitiam à malitia voluntatis.* Et hoc modo locutus fuit D. Thom. supra datus numero 984.

996. Vnde Montesin. disputat. 28. quæst. 2. numero 31. Vasqu. disputat. 73. cap. 1. numero secundo, falso asserunt ab Scoto doceri omnem bonitatem formalem esse in actu interiori, cumque arguunt inconstantiæ circa doctrinam traditam quodlibet. 18. non enim plenè sensum Scoti perceperunt, licet enim Scotus asserat bonitatem actus exterioris esse materialem, non tamen ex eo sequitur, non dari distinctam, & diversam bonitatem in illo, sed quòd hæc non sit imputabilis sine dependentia à voluntate, & quod bonitas actus exterioris, non sit forma bonitatis interioris, & quòd ita intelligendus sit, patet ex eodem Scoto in secundo distinct. 37. numero 7. vers. *istud patet*, ubi explicans peccati definitionem appellat velle materiale: *vetitum* verò formale; ita ibi: *Peccatum est velle vetitum, ita quod ipsa voluntas est ibi materialis, & pro tanto totum imputatur voluntati, quia totum est in potestate eius, vetitum autem vel prohibitum est ibi formale.*

997. Quinta propositio: Bonitas actus exterioris etiam est imputabilis. Ita quodlibet 18. articul. 2. vers. *de imputabili*, ubi ita: *De imputabili tamen distingui potest, quia uno modo propriissimè accipiendo illud, potest dici imputabile, quod est immediatè in potestate voluntatis: & sic solum velle est imputabile, quia ipsum solùm est immediatè in potestate libera voluntatis. Alio modo imputabile potest dici, quidquid est simpliciter in potestate voluntatis, licet non immediatè, & sic actus alterius potentiæ, quem voluntas mediatè a lu suo volendi potest imperare, ut eliciatur; vel impedire, ne eliciatur: est imputabilis voluntati, quia tota coordinatio usque ad illum actum, etiam includendo istum actum est in potestate voluntatis.* Vnde falsò Tataretus §. *arguitur ex isto*, asserit ab Scoto doceri solum actum interiorem voluntatis esse imputabilem, ex eo quòd Scotus dicat, quod imputabile solùm est in libera potestate agentis, & non advertit iste Doctor, quòd Scotus duplicem admittit imputabilitatem, immediatam, & mediatam, sicut etiam duplicem libertatem, immediatam in actu interiori, & mediatam in exteriori: videatur etiam Scot. cit. art. 3. §. *de* 2. vers. *si autem.*

998. Sexta propositio. Actus exterior addit meritum vel demeritum actui interiori, ita ut uterque actus simul, magis meritorius, vel deme-

ritorius sit, quam actus interior solum. Ita habet cit. quodlibeto 18. art. 3. §. *de* 2. vers. *si autem*, ubi probat duplicem dari imputabilitatem in utroque actu, & clarius vers. *Respondeo*, ubi ita: *Respondeo: ex hoc sequitur propositum, quod illius & istius est alia imputabilitas: idem enim non est medium nec ratio mediandi respectu sui ipsius, & potest idem declarari sicut prius de propria bonitate, quia quamquam terminus sit idem, tamen in diversis fundamentis sunt diversi respectus ad eumdem terminum;]actus ille & iste sunt diversa fundamenta; igitur licet imputabilitas conveniat istis in ordine ad eamdem voluntatem, tamen illa erit alia, sicut est alia causabilitas, vel aliud subiacere potestate causa, licet causa sit eadem.* Ex quo loco clare constat Scotum duplicem admittere imputabilitatem ad præmium, vel pœnam; sicut duplicem admittit bonitatem propriam, & distinctam, nam sicut, ut ait, ad eamdem regulam utriusque actus convenientia, vel disconvenientia, id est bonitas, vel malitia, est propria, distincta, & diversa: ita etiam utriusque actus imputabilitas per ordinem ad eamdem voluntatem, est propria, distincta, & diversa, propter diversa fundamenta, nimirum bonitatem, vel malitiam sine qua non datur imputabilitas; namque *imputabile*, ut idem Scotus ait cit. art. 2. *duos respectus importat, unum ad potestatem, vel dominium agentis, & alium ad aliquid correspondens actus, vel agenti, secundum iustitiam.* Et cum Imputabile sub se contineat laudabile, & vituperabile, licet utrumque *formaliter dicat hoc quod est imputabile cum determinatione illius ad quod est imputabile, tamen materialiter connotat illud propter quod ipsum est ad hoc imputabile, scilicet bonitatem, vel malitiam, propter qua ad pœnam, vel præmium imputandum est.* Ita ibi.

999. Ex quibus contra Tataretum in hoc loco quodlibeti 18. constat evidenter Scotum admisisse in actu exteriori diversum meritum, vel demeritum ad præmium, vel pœnam: Namque primo ait, dari diversam bonitatem vel malitiam per ordinem ad eamdem regulam, & diversam imputabilitatem per ordinem ad eamdem voluntatem: 2. imputabilitatẽ desumi ex libertate, bonitatem à convenientia cum regula, præmiabile verò, vel punibile, licet formaliter importent imputabilitatem, tamen materialiter connotant bonitatem, vel malitiam, & non propter imputabilitatem, sed propter hanc bonitatem, vel malitiam imputari ad præmium, vel pœnam.

1000. Septima propositio: Bonitas, vel malitia primariò est in actu interiori, secundariò verò in actu exteriori. Ita habet in 2. dist. 42. quæst. 4. num. 1. vers. *ad quæstiones* ibi: *Malitia, 1. & formaliter non est nisi in aliquo actu voluntatis.* Et vers. *item*, ibi: *Ex quo sequitur quod in solo velle est peccatum s. & in aliis non nisi mediante velle.* Et vers. *præterea* ibi: *Ex quo sequitur, quod in cogitatione, sermone, & opere non est peccatum formaliter, & 1. sed hoc est in solo actu voluntatis.* Et quodlibet. 18. art. 3. §. *contra ita*, vers. *concludit*, ibi: *Iustitia etiam actualis, etsi primaria sit præcisè in actu volendi, tamen secunda, vel secundaria potest esse in actu imperato per actus volendi.* Quare autem appellat bonitatem, vel malitiam actuum exteriorum secundariam, non est, quia eis deficiat bonitas, vel malitia, sed *quia*, continuat Scotus, *& ille*, id est actus externus, *habet rectitudinem propriam, licet dependentem à rectitudine actus volendi.*

1001. Utrum vero juxta Scot. actus exterior, & interior dicendi sint duo bona, vel duo peccata; non invenio ubi Scotus hoc explicet, hoc tamen sensisse asserunt Vasques disput. 74. cap. 5. §. 1. vers. *sententia*, Granad. contr. 2. tract. 54. disput. 3. num. 6. Caspensis disp. 3. sect. 2. num. 18. ex eo quod asserunt actum exteriorem habere distinctam & diversam bonitatem, vel malitiam ab ea, quam habet actus interior. Sed ex hoc fundamento perperam ab his Doctoribus Scotus in illam sententiam fertur, cùm eodem fundamento stante, uterque actus unum dicendum sit bonum, vel malum, ut diximus supra à numer. 926. ad 939. Ideo pro neutra opinione est referendus: pro ea tamen, quæ asserit utrumque actum unum dicendum esse peccatum, vel bonum, stat ex ejus Discipulis Herrera disp. 33. de peccatis quæst. 2. §. 2. *est notandum*.

Concordia Angelici, & Subtilis Doctoris inter se, & cum doctrina in hac sectione asserta.

1002. QUàm mirifice consonant circa bonitatem & malitiam actuum exteriorum, Angelicus & Subtilis D. Uterque bonitatem & malitiam admittit in actu exteriori, non tantum, ut objectum est, sed etiam ut actus est, & effectus voluntatis: D. Thom. num. 980. Scotus num. 990. uterque in actu exteriori admittit bonitatem, & malitiam propriam, distinctam & diversam ab ea, quam habet actus interior: D. Thom num. 981. Scotus num. 991. uterque asserit actum exteriorem addere bonitatem, vel malitiam actui interiori: D. Thom. num. 982. Scot. num. 993. uterque appellat bonitatem, & malitiam actus exterioris materialem; & interioris, formalem, & uterque eamdem adhibet rationem cur ita appelletur: D. Thom. numer. 983. Scot. n. 994. uterque utriusque actus bonitatem, & malitiam imputabilem esse fatetur: D. Thom. n. 984. Scot. n. 991. uterq; affirmat actum exteriorem addere meritum, vel demeritum actui interiori: D. Thom. n. 985. Scot. n. 998. uterque docet bonitatem, & malitiam esse primariò in actu interiori, secundariò verò in actu exteriori, & uterque id docet ex eo quòd actus exterior dependeat à voluntate, ab illaque imperetur: D. Thom. numer. 988. Scot. num. 1000.

1003. A nostra verò doctrina solùm videntur discordare in eo, quod isti D D. asserunt bonitatem & malitiam in actu exteriori esse materialem, & materialiter imputabilem; nos verò asserimus esse formalem, formaliterque imputabilem: sed videtur esse tantùm litigium in voce; namque in re non video discrimen aliquod, cum enim admittant propriam bonitatem, distinctam intrinsecè, & diversam cum diverso merito in actu exteriori atque interiori, appellant tamen hanc bonitatem actus exterioris, materialem, quia non est moralis, nec imputabilis, nisi cum dependentia à ratione & voluntate, à cujus actu imperante tamquam forma, actus exterior in genere morali informatur; ego verò hoc non inficior, non admitto tamen modum loquendi ex rationibus adductis pro hac sententia.

SECTIO DECIMATERTIA.

De bonitate & malitia actuum supernaturalium.

1004. FAcile me ab hac quæstione expediam, eo quòd in diversis locis tractari soleat, nimirum in materia de fide, & charitate: sed ne etiam horum actuum bonitatem, vel malitiam

intactam relinquamus, breviter potiores difficultates attingam: & præsuppono actus supernaturales esse honestissimos ex objecto, habereque bonitatem non solum objectivam, sed etiam formalem, & utrumque expeditum manet ex iis quæ diximus de bonitate actuum naturalium: ab eodem enim fonte utrotumque moralitas, & bonitas.

SUBSECTIO PRIMA.

Verum actus supernaturales possint prohiberi à Deo.

1005. NOtandum est actum supernaturalem duobus modis posse prohiberi. Primo directe, secundo indirecte: primo modo prohibetur actus, quando ipse actus prohibetur immediate in tali loco, tempore, & circumstantiis: Secundo modo prohibetur, quando ratione alicujus actus qui præcipitur, impeditur actus supernaturalis incompossibilis cum actu præcepto: hæc prohibitio est per accidens, & sæpè contingit; sicque sæpissimè à superioribus prohibentur, & de hac non est quæstio., sed de prohibitione 1. modo, & directa:

1006. In qua variæ sunt sententiæ. Prima absolutè affirmat de possibili, posse prohiberi actus supernaturales. Suar. 1.2. tract. 3. disp. 8. sect. 1. dub. 2. num. 12. Lorca de virtutibus disp. 14. conclus. 3. Granad. controv. 2. tract. 9. disp. 3. n. 8. Gaspard Hurtado disp. 4. de fide, difficultate octava §. *Quod si.* Ripalda de ente supernaturali disp. 69. sect. 8. Secunda sententia absolutè negat. Ita Vasq. disp. 53. cap. 4. num. 19. §. *Ex dictis.* Bellanus disp. 3. de actib. dub. 8. Probabiliorem esse putant Carmelitani citati, & cohærentiùs doctrinæ D. Thom. 1. 2. quæst. 19. art. 2. ad 2. asseruntque hanc esse sententiam Scoti in 4. distinct. 26. quæst. 1. & verè non est. Almain. in 3. dist. 23. quæst. 1.

D. Thom. Scotus.

1007. Tertia sententia docet omnes actus voluntatis supernaturales prohiberi posse à Deo, uno excepto charitatis actu. Hæc videtur sententia Scoti citato loco num. 3. vers. *& sic patet*, ubi ita: *Nullus actus est sufficienter bonus moraliter ex ratione agentis, nec objecti, nisi amare Deum, quod non potest esse contra rectam rationem, imò necessariò, & secundum rectam rationem, quòd talis actus tendat in tale objectum: hoc autem est, quia objectum est finis ultimus secundùm se volendus.* Et numer. 4. vers. *præterea, nullus actus est perfectè bonus ex genere tantum, sive ex solo objectu, nisi amare Deum: nec malus ex genere, sive ex solo objectu, nisi ut odire Deum.* Ac proinde juxta mentem Scoti, omnes actus excepta charitate prohiberi possunt, quia nullus est ex objecto bonus, id est, nullus actus habet objectum bonum simpliciter, & necessarium ac perfectissime conveniens, nisi sola charitas, & hanc sententiam sequitur Lorca citatus.

Scotus.

1008. Ultima sententia affirmat omnes actus supernaturales prohiberi posse à Deo, non tamen posse elici aliquem ex illis actibus prohibitis à voluntate, sed posse servari illud præceptum quin aliquis illorum actuum fiat, si nimirum præceptum servetur sub hoc vel illo motivo, vel per omissionem. Ita Petrus Hurtado disp. 46. de fide sect. 3. subsect. 1. & 2.

1009. Ego verò dico primo: Actus circa objectum supernaturale prohiberi possunt à Deo: Ita sentio cum Authoribus primæ sententiæ. Probatur primo, quia Deus est absolutus dominus nostrarum operationum, etiam supernaturalium; ergo potest præcipere ne fiant: quod enim fiant, liberalitatis est, non necessitatis divinæ. Secundo, quia Deus potest velle carentiam actuum circa objectum supernaturale, eamque voluntatem intimare creaturæ rationali; ergo potest prohibere actus supernaturales. Probo consequent. quia res cujus carentia est volita libere, potest prohiberi libere; nam vel illa carentia est bona, vel mala: si mala, non potest esse volita à Deo; si bona, potest præcipi, & prohiberi existentia. Quod vero Deus possit velle carentiam actuum supernaturalium, inde probatur, quia actus supernaturales non determinant & necessitant Deum ad sui existentiam, & sicut Deus vult, ita etiam potest non velle existentiam eorum. Tandem quia non apparet aliquod inconveniens, cur Deus non prohibeat exercitium actionum supernaturalium in tali loco, vel tempore, potest enim pro suo absoluto dominio velle, quod actus supernaturales in tali loco vel tempore non exerceantur.

1010. Dices primo cum Authoribus secundæ sententiæ: Actus supernaturales versantur circa objectum intrinsece bonum; ergo prohiberi non possunt. Probatur conseq. quia præcepta negativa versantur circa objectum malum. Respondetur negando conseq. ad probationem nego consequ. Nam objectum actuum supernaturalium ubi prohibetur, statim redditur malum, & actus etiam malus est, & disconveniens, ideoque odibilis, quia præceptum variavit actum supernaturalem, eoque variato, jam sunt præcepta illa de objecto malo, eo modo quo explicuimus rationem, qua leges, & præcepta sunt causæ bonitatis., vel malitiæ, supra n. 39. & 40.

1011. Dices secundo: Actus mali ex objecto præcipi non possunt; ergo nec etiam actus boni ex objecto prohiberi possunt, & à fortiori nec actus supernaturales. Respondetur negando consequentiam, quia malum objectum, & malus actus cum malitia intrinseca, non potest honestari, bonum verò objectum, & bonus actus dehonestari potest, *quia bonum non nisi ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* Inde est, quod actus ex objecto malus ordinatus in finem bonum, est simpliciter malus, & actus ex objecto bonus ordinatus in finem malum, etiam est simpliciter malus, quia malum ex quocumque defectu.

1012. Dico secundo: Actus supernaturales prohiberi possunt, excepto charitatis actu. Ita Doctores tertiæ sententiæ relati n. 1007. & quoad primam partem probatur, quia omnes actus supernaturales sunt sub dominio Dei: & pro illa faciunt quæcumque diximus pro prima conclusione. Secunda verò pars ostenditur, quia actus amoris Dei super omnia non compatitur cum violatione alicujus præcepti: non enim Deum amat super omnia, qui ejus mandata non servat: si quis enim diligit Deum, mandata eius servat, ex Ioannis cap. 14. Secundo, quia præcepta ut sint honesta debent ordinari, ut voluntas creata, Deo conjungatur ex D. Thom. 1. 2. quæst. 140. art. 1. atqui charitas conjungit hominem Deo; ergo non potest à Deo prohiberi, aliter prohibebitur hominis cum Deo conjunctio. Probatur, quia finis præceptorum est charitas ex Paulo 1. ad Timoth. cap. 1. vers. *finis autem præcepti est charitas*; ergo præceptum quo prohiberetur charitas, esset inordinatum. Patet conseq. quia esset contra suum proprium finem.

Ioann. 14. D. Thom. 1. ad Tim. cap. 1.

1013. Dico 3. Istud præceptum quo actus supernaturalis prohiberetur, non potest violari per

actum aliquem physicùm, & positivum. Probatur, quia ad hoc ut actus prohibeatur, non requiritur quod fiat aut frangatur præceptum, sed sufficit quòd præceptum servetur sub hoc, vel illo motivo, eo modo, quo Theologi communiter loquuntur de observatione præcepti Christi Domini quod habuit moriendi pro hominibus, quod tamen præceptum frangere non poterat, poterat tamen illud observare sub hoc vel illo motivo, & ex electione motivi libere servabatur: similiter etiam præceptum de actu supernaturali non frangeretur, si quidem fractio foret per supernaturalem actum, suppono enim actum supernaturalem, qua supernaturalem, prohiberi, actus vero supernaturalis malus esse non potest intrinsece, & tamen illud præceptum libere servaretur sub hoc vel illo motivo. Vel etiam servaretur illud præceptum per omissionem, quam posse esse meritoriam defendimus sect. 10. à n. 721.

1014. Qua doctrina stante dico quarto, Deus potest prohibere omnem actum honestum, (excepto charitatis.) Primo, quia istud præceptum impleretur per actum charitatis. Secundo, quia poterat adimpleri per omissionem, ac proinde etiam dato, quod actus charitatis prohiberetur, admissa omissione honesta, & meritoria, per illam servaretur præceptum prohibens omnes actus supernaturales, nullo enim alio modo servari potest, si quidem si servaretur per aliquem actum, talis actus foret simul bonus & malus: bonus, quia per illum adimpleretur præceptum; malus, quia foret prohibitus: ex suppositione enim omnis actus supernaturalis prohibetur.

SUBSECTIO SECUNDA.

Utrum actus supernaturales vitiari possint ex fine.

1015. Suppono primo, quæstionem, vel esse de actu interno voluntatis, vel de actu externo. Secundo, actus supernaturales ex objecto numquam posse esse malos, cum ex objecto honestissimi sint, elicianturque de facto ex gratia Christi, de possibili vero elici debent ex auxilio speciali Dei, cum Deus sit causa particularis actuum supernaturalium. Quod si admittatur substantia supernaturalis, vel est admittendum quod sit impeccabilis cum Ripalda de ente supernaturali lib. 2. disp. 23. sect. 12. num. 63. Herice 1. p. disput. 48. num. 57, Becan. p. 1. Summ. cap. 9. quæst. 5. num. 4. Molin. 1. p. quæst. 11. art. 5. disp. 2. Valentia 1. p. disp. 4. quæst. 14. punct. vel si admittatur esse peccabilem: actus peccaminosi, qui ab ista substantia elicerentur, non essent supernaturales, quia tamen elicerentur sub motivo naturali (implicat enim peccatum elici sub motivo supernaturali) forent naturales, eo quod supernaturalitas actuum non desumitur ex principio à quo eliciuntur, sed ex motivo sub quo eliciuntur: aliter omnia à Deo producta supernaturalia forent, ex principio, quod supernaturale est.

1016. Unde probare non possum opinionem Alarcon 1. p. tract. 1. disp. 1. de visione Dei cap. 9. n. 12. affirmantis actus malos elicitos ab illa substantia supernaturali futuros supernaturales, in entitate Physica, bonos; moraliter verò, malos: est enim opinio falsissima, quia licet illa substantia non requirat auxilium speciale Dei ad eliciendos actus supernaturales, non tamen omnes actus, quos eliceret, supernaturales forent, sed tantum illi, qui ex motiuo supernaturali elicerentur, ut exemplo Dei patet; ipseque Alarcon fatetur tract. 5. disp. 1. cap. 3. n. 1. asserens supernaturalitatem cognitionis desumi ex motiuo supernaturali, cum hoc motivum ex se foret honestissimum, & peccare non excedat vires cuiuslibet naturæ. Nec obstat, quod illi actus maneant physicè honesti, & moraliter mali: Non inquam, obstat, quia illi actus non specificarentur physice, sed moraliter, & cum motivum specificans moralitatem, sit naturale, naturalis etiam foret totus actus, Quare quæstio non potest procedere utrum actus supernaturales sint ex objecto mali, sed utrum vitiari possint ex fine?

1017. Suppono tertio, non etiam procedere quæstionem, utrum actus supernaturales, imo etiam obiectum supernaturale, possint esse mali objectivè; hoc enim extra dubium est, cum possint tales actus, imò & objectum supernaturale inordinate appeti, ut Angeli appetierunt Dei similitudinem naturalem, de quo n. 528. vel unionem hypostaticam, de quo infra n. 1024.

1018. Quarto, non posse actus supernaturales vitiari ex fine; si tantum referantur in finem, & non imperentur ex intentione finis, juxta modum quo id explicauimus n. 733. quibus suppositis, variæ insurgunt quæstiones, 1. utrùm actus supernaturales imperari possint ex fine vitioso; 2. Utrùm sic imperati vitientur; 3. Utrùm soli actus externi possint vitiari; 4. Utrum sic vitiati maneant supernaturales: & licet P. Ripald. disp. 30. latè pertractet istam quæstionem, tamen omnia confundit, nullumque sensum genuinum exponit.

1019. Et quantum ad primam, utrum actus supernaturales imperari possint ex intentione finis mali; cohærenter ad superius dicta sect. 11. subsect. quarta; respondendum est affirmatiue. ideo enim, qui non admittunt virtutes superiores ab inferioribus imperari posse; hoc asserunt, quia sequeretur actus supernaturales imperari posse ex intentione finis mali: & vere ex illa doctrina, hæc sequitur, namque idcirco actus virtutis superioris imperari possunt ab actu virtutis inferioris, quia virtus superior potest conducere ad finem intentum per virtutem inferiorem, ut eo loco vidimus n. 767. atqui actus supernaturales conducere possunt ad finem intentum à vitio, nimirum potest quis humiliari propter honores, baptizare propter commoda temporalia; ergo etiam imperari possunt actus supernaturales ab actibus malis. Quoad reliquas quæstiones, speciales instituimus difficultates.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum actus externi supernaturales vitiari possint a fine.

1020. Respondetur affirmatiuè. Ita Basilius Ponce 1. p. variarum tota relectione 2. Turrianus 2. 2. disp. 33 dub. 2. à § *sed contra*. Ægid. de Coninch de actibus disp. 14. dub. 3. n. 27. & quoad actum externum fidei, nimirum assensum: idem docent Cajet. 2. 2. q. 55. art. 4. Medin. q. 56. art. 3. Banes. quæst. 4. art. 5. dub. 2. Salas tom. 2. tract. 11. disp. 1. sect. 3. Montesin. 1. 2. quæst. 18. art. 5. q. 6. Carmelit. tract. 11. disp. 6. dub. 1. § . 6. n. 41, videturque sententia D. Thom. 1. 2. quæst. 47. art. 15. ad 1. ubi ait: *fides in sui ratione non importat aliquam conformitatem ad appetitum rectorum operum*. Quasi diceret: cum fides essentialiter non sit conformis ex sua ratione, bona potest fieri mala, quod amplius patebit ex loco infra citando n. 1023. Sequuntur Gasp. Hurtado de fide

disp. 4. difficult. 8. §. *quod si.* Lugo de virtute fidei disp. 10. n. 38. quamquam uterque affirmet de facto numquam vitiari posse fidem propter merita Christi Domini, ex quibus Deus tenetus specialissime concurrere ad actum fidei. Absoluté conclusio defenditur ab Scoto in 4. dist. 26. quem locum dedimus supra n. 105. qui docet nullum actum, præter charitatis, esse necessariò bonum ex objecto, & per consequens vitiari posse. (Scotus.)

1021. Probatur 1. ex Augustino de cathechizandis rudibus cap. 17. ubi: *Multi fiunt Christiani ob commoda temporalia, aut ex alia prava voluntate, & ex simili voluntate, valide suscipiunt baptismum.* Quo loco clarissime asserit baptismum actumque externum fidei posse esse malum, factum scilicet, ex imperio bonorum temporalium. 2. probatur, quia celebratio sacrificii incruenti, sumptio venerabilis Eucharistiæ, & Sacramentorum administratio, actiones sunt externæ supernaturales, & tamen possunt vitiari ex fine: ut patet, siquis propter lucrum temporale principaliter tantum celebret, sumat venerabilem Eucharistiam ut bonum nomen consequatur, audiat confessiones animo tantum sibi complacendi in rebus venereis; animoque venereo matrimonium contrahatur, & in hoc non video, quod aliquis Theologus possit oppositum docere. (August.)

1022. Verum est, quod circa actum fidei gravissimi Theologi negant assensum fidei non posse dehonestari ex fine pravo, quod tamen verum non esse de possibili constat ex superioribus dictis, cum enim sit actus externus, quem voluntas imperare potest pro libito, non tenetur imperare illum assensum ex fine honesto, cum etiam conveniens sit talis assensus ad finem pravum: quod ita de facto non contingat, est divinare, an Christus Dominus meruerit, quòd fides nunquam eliceretur ex pravo fine; argumenta verò, quibus probant actus externos supernaturales vitiari non posse, difficultate sequenti expedientur.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum actus interni supernaturales vitiari possint ex fine?

1023. RESpondetur affirmativè. Ita Ægid. Rom. Gulielm. de Bello monte Ochamus, Abulensis, Vega, Corduba, Cajet. Araginius, Medin, Sotus, Salas, Conrad. Curiel, Rainaud. Lorca, quos refert, & sequitur Dispald. disp. 50. sect. 1. n. 2. ubi refert etiam pro hac sententia Scotum in 2. dist. 4. q. unica §. *de 2.* ubi non tangit hanc difficultatem, illam tamen innuit in 4. loco superius citato subsect. 1. n. 1006. cum absolute affirmet nullu actum esse perfectè bonum ex genere tantum, nisi amare Deum, poterit talis actus, quicumque ille sit, circumstantionari ex pravo fine, reddique malus. Expressius hoc asseruit Angelicus Doctor qu. 2. de malo art. 1. ad 7. 2. classis; ubi ait omnem actum etiam dilectionem Dei vitiari posse, ita ibi: *Omnis actus per rationem regulari debet, unde omnis actus potest non bene fieri, si non sit debitè regulatus, ut scilicet fiat quando debet, & propter quod debet, & sic de aliis, quæ sunt in actibus observanda, unde etiam hoc ipsum quod est diligere Deum propter temporalia.* Gaspard. Hurtado, Lugo & Carmelitani supra citati num. 1020. loquentes de fide. (Scotus.) (D. Thom.)

1024. Probatur primo, quia actus ex objecto honestus potest imperari ex intentione finis turpis; ergo etiam actus ex objecto supernaturalis. Anteced. probatum est supra numer. 553. Consequentia patet, quia utrobique eadem apparet ratio. Secundo, peccatum, quo corruit primus Angelus juxta opinionem Viguerij, Iacobi de Valentia, Cathesini, Naclanti, Ascanii quos refert, & sequitur de Angelis lib. 7. cap. 13. Salianus in apparatu ad Annales Ecclesiasticos cap. 9. num. 3. fuit invidere Christo Domino unionem hypostaticam, vel divinitatem: & juxta doctrinam August. Cypriani, Chrysostomi, Leonis, Basilii, & Bernardi, quos refert idem Salianus num. 2. fuit invidere Christo ejus excellentiam futuram: aut fuit appetitio Beatitudinis supernaturalis propriis viribus consequendæ, quod probabile existimat D. Thom. 1. p. quæst. 73. art. 3. quæst. 16. de malo art. 3. & in 2. dist. 5. quæst. 1. art. 2. Carmelitani tom. 2. in 1. p. posteriori disput. 10. §. 1. num. 169. & §. 9. num. 199. quibus opinionibus positis, quarum veritas ad minus est possibilis, sic arguitur: Angelus cognoscens dignitatem Christi, & unionem hypostaticam, vel suam beatitudinem supernaturalem, potuit, imo debuit amare illa objecta supernaturalia: atqui ille amor erat supernaturalis ex objecto; ergo vitiari potuit ex fine malo. Si quidem cum actus mali versari possint circa objectum supernaturale, ut invidia circa unionem hypostaticam, etiam actus supernaturales ex objecto poterant imperari ex fine malo, & per consequens vitiari. (D. Thom.)

1025. Contraria sententia, quòd scilicet actus supernaturales interni vitiari non possint ex imperio finis mali, tuentur Suar. tract. de fide disp. 6. sect. 7. num. 13. lib. 2. de gratia cap. 3. num. 14. & lib. 12. cap. 11. num. 16. Vasques 1. 2. disput. 53. toto cap. 4. Valentia tom. 3. disp. 5. quæst. 1. puncto 3. Bannes 2. 2. quæst. 4. art. 5. dub. ubi Turrianus disp. 33. à dub. 1. Ægid. de Coninch citata disp. 3. dub. 8. num. 113. disp. 14. dub. 3. num. 25. Iannerus tom. 2. disp. 3. quæst. 2. num. 16. Petr. Hurtado de fide disp. 46. sect. 3. Basilius Ponce, selectione 2. Navarrete 1. p. tom. 2. controv. 26. §. 2. Montesin. loquens de actu naturali honesto disp. 13. quæst. 6. numer. 89. Probabile judicat Medin. supra, Salas tom. 2. tract. 11. disp. 1. sect. 3. & de virtutibus Theologicis. Idem docent Carmelitani citati n. 31. Caspensis tract. 15. disp. 3. de fide sect. 2. à num. 10.

1026. Probat primo Suar. citat. loco de fide num. 11. Nullus actus ex objecto bonus potest imperari à fine malo; ergo à fortiori, nec supernaturalis. Anteced. probatur, quia jam idem actus esset simul bonus & malus. Respondetur negando anteced. de quo nego ant. probationis, quia ille actus tantum esset malus, ut diximus à num. 557. ad n. 560. & num. 662. Probatur secundo, quia omnis actus honestus ut talis sit, debet esse propter honestatem ipsius objecti. Respondetur negando ant. ut negavimus supra à num. 170. ad num. 192. Tertio, actus supernaturalis imperari non potest ab actu naturali; ergo minus ab actu malo imperati poterit. Respondetur negando anteced. cum enim imperare sit pro arbitrio voluntatis, sicut per inferiores virtutes exercet suum imperium erga superiores virtutes, ita etiam per actus naturales poterit exercere imperium erga actus supernaturales.

1027. Quarto, probant Vasques disp. 53. cap. 4. num. 26. & disp. 186. cap. 3. Turrian. disp. 33. dub. 1. §. 2. *dicendum*, dub 2. §. *& dicendum*. Petr. Hurtado disp. 46. sect. 3. subsect. 6. Ægid. de Coninch disputat. 14. dub. 3. num. 33. & alij, quia actus supernaturales, præcipuè actus fidei, dependent ex gratia Christi: atqui gratia per Christum

non est ad actum malum; ergo isti actus numquam potetuni esse mali. Maj. est communis Theologorum, & traditur in Concil. Arausicano cap. 5. Respondere potest primo ex Ripald. tit. sect. 5. num. 16. negando consequentiam, quia gratia concessa à Deo ad actum fidei, & ad actus supernaturales, gratia est merita per Christum, quæ non datur ad illos actus, ut mali sunt, sed ut sunt boni: Concurrit enim Deus ut fiat actus bonus, quòd verò malus evadat ex vitio voluntatis oritur, eo modo, quo etiam gratia sufficiens confertur per opera Christi, & tamen non operatur actum bonum, quio potius illa stante fit peccatum. Insuperque ex illa gratia potest homo operari opus bonum quotiescumque libuerit, semperque sive exerceat opus bonum, sive non, est beneficium Dei factum homini propter opera Christi.

Concil. Arausic. cap. 5.

1028. Respondetur secundo, gratiam Christi Domini dari, ut fiant opera bona, non tamen, ut infallibiliter fiant, c m ea posita, homines sæpissimè non operentur benè, unde non potest elici actus fidei, nec actus bonus meritorius vitæ æternæ sive naturalis, sive supernaturalis sine gratia Christi, quæ est mens Concilii, & Theologorum, non enim asserunt, quod omnis actus sive fidei, sive spei, sive circa aliud objectum supernaturale procedat ex gratia Christi, sed quòd si rectè, & honestè fiat, fiat ex gratia Christi. Tertio respondetur hoc ita esse ex vi meritorum Christi non verò ex natura ipsorum actuum.

1029. Quinto, probant iidem DD. quia sequeretur Deum esse causam specialem illius actus vitiosi. Sequela probatur, quia solus Deus est causa specialis actus supernaturalis. Respondetur negando sequelam, quia Deus esset tantùm causa gratiæ, & concurreret ad entitatem supernaturalem actus, non verò ad ejus malitiam, quæ ex voluntate ordinante illum actum ad finem malum procederet, & sicut ego possum honeste alicui suadere, quod eleemosynam elargiatur, quam ffio. elargiendam esse ex malo fine, non enim pecco suadens specialiter, quia suadeo opus ex objecto bonum, & non sum causa specialis illius malæ voluntatis, vel actionis; ita etiam Deus concurrit ad illum actum speciali concursu, ad eredendum verbi gratia: quod verò fit affectus ex malo fine, Deus illius malitiæ non est causa, quin potius est reprobator & ultor. Præter quod cum Deus non sit causa moralis alliciens voluntatem, aut consulens ad actum ex malo fine, non est etiam causa malitiæ juxta dicenda disp. 4. sect. 5. subsect. ii.

1030. Sexto, probat Turrian. dub. 1. Assensus fidei pendet ab affectu, qui fit ex gratia; ergo non potest dependere ab affectu imperante vitioso. Respondetur, distinguo anteced. ab affectu, qui fit ex gratia, si sit directus, concedo: si sit reflexus nego: reflexus verò, qui est actus imperans, non fit ex gratia, nam postquam ex affectu directo elicitus est assensus fidei, possem imperare illum assensum per actum reflexum ex fine pravo. Cætera argumenta probant actum supernaturalem imperatum ex fine malo non manere supernaturalem, de quo difficultate sequenti.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrum actus supernaturales vitiati ex imperio finis mali, maneant supernaturales?

1031. Respondetur negativè, manent enim naturales, & ita mihi videntur loqui Doctores, qui supra num. 1025. asserunt actus supernaturales non posse vitiari ex fine malo, id est, manente in illis sua supernaturalitate, ad hoc enim tendunt eorum argumenta: quidquid tamen de hoc sit, duplici fundamento probo prædictam conclusionem.

1032. Primum sit: Actus quilibet ex objecto honestus factus ex imperio finis mali, manet intrinsece malus; ergo actus supernaturalis vitiatus ex imperio finis mali non potest manere supernaturalis. Anteced. traditum est supra num. 557. usque ad num. 560. Consequent. probatur primo, quia ad peccandum natura habet vires sufficientes, imò non requirit vires, cum non sit vis voluntatis, sed defectus; ergo ad hoc ut eliciat actum malum, habet vires; ergo ille actus non est supernaturalis, si quidem actum supernaturalem elicere non potest ex viribus propriæ naturæ, quæ nisi eleventur à Deo actum supernaturalem producere non poterunt. Secundo, quia ad actum supernaturalem requiritur gratia, & speciale Dei auxilium: atqui ad peccatum, nec gratia, nec speciale Dei auxilium requiritur; non enim peccatum continetur in virtute gratiæ aut auxilii specialis Dei; ergo ille actus non potest esse supernaturalis.

1033. Respondet Ripalda citat. sect. 6. illum actum supernaturalem esse intrinsecè bonum, & extrinsecè malum, & per consequens secundum moralitatem naturalem, sed contra primo, quia hoc supra impugnatum est contra Alarcon. Secundo, quia nullus actus etiam naturalis potest esse extrinsece malus, & intrinsece bonus, ut vidimus supra sectione nona subsectione 1. à num. 618. Tertio, quia quamquam actus naturalis posset esse intrinsece bonus, & extrinsece malus, numquam tamen supernaturalis, quia hic actus specialem habet repugnantiam, eo quod Deus concurreret specialiter ad illum actum etiam quoad malitiam, namque illa malitia esset proprietas consequens talem actum, & per consequens supernaturalis cum consequatur essentiam, & qui est causa specialis essentiæ, est etiam causa specialis proprietatum consequentium, quod amplius ex sequenti conclusionis probatione patebit.

1034. Probatur secundo conclusio: Ut actus sit supernaturalis requiritur quod fiat ex motivo supernaturali: atqui actus malus non potest fieri ex motivo supernaturali; ergo si actus circa objectum supernaturale vitietur ex intentione mali finis, non erit supernaturalis. Maj. est communis Theologorum doctrina: inde est, quod attritio elicita propter humanum motivum non est supernaturalis, sed naturalis, ut traditur in materia de pœnitentia, & nos aliquid diximus supra sectione octava num. 572. inde etiam est, quod amor Dei elicitus ex motivo naturali, naturalis est. Min. etiam est certa, nam motivum supernaturale est intrinsece bonum, & maxime rationi consentaneum; ergo non potest esse motivum peccati, imò si tale fuerit motivum, non apparet unde ille actus acciepiat malitiam, cum ex objecto, & ex motivo sit honestus.

1035. Contraria sententia, quod scilicet actus supernaturalis vitiatus, retineat propriam supernaturalitatem est multorum Doctorum, quos retulimus num. 1010. Eam sequitur late Ripalda citata disput. 50. sect. 4. num. 19. Probatur primo, ex Scriptura Sacra & Sanctis P P. asserentibus actus honestos vitiari posse ex fine malo, quorum loca ibi refert, & nos aliqua retulimus supra sect. 8. numer. 554. Ex quibus atgnit; possunt vitiari

actus honesti; ergo etiam supernaturales: probat consequentiam primo, quia non datur major ratio de uno, quàm de altero. Secundo, quia S. Basilius in Constitutionibus Monasticis cap. 11. appellat inanem gloriam, *dulcem supernaturalium operum exspoliatricem*. Tertio, quia Sancti Patres loquuntur de actu charitatis, & similibus.

S. Basilius.

1036. Respondetur, distinguo anteced. possunt vitiari actus honesti, ita ut maneant honesti, nego: ita ut eorum bonitas pereat, concedo: ut loco citato num. 664. diximus: vitiantur ergo actus ex objecto honesti, quia si non imperarentur ex fine malo, honesti forent, sed per illud imperium, periit omnis eorum bonitas, ita ut simpliciter mali sint; quin habeant aliquam bonitatem: similiter etiam actus ex objecto supernaturales vitiantur eo imperio finis mali, cujus malitia adveniente, totum illorum actuum destruxit bonitatem, & supernaturalitatem.

1037. Instabis: Postquam actus est elicitus, potest honeste, & supernaturaliter imperari: atqui illud imperium, nec bonitatem, nec supernaturalitatem tollit; ergo nec etiam imperium finis mali. Respondetur negando consequent. namque imperium finis boni addit actibus bonitatem, & supernaturalitatem, imperium verò finis mali eam ab illis actibus aufert: suppono tale imperium esse verum, causamque existentiæ novæ in actu imperato: nam si illi actus supernaturales ordinentur in finem malum tantum ex intentione consequente, vel concomitante, tunc non amittunt propriam bonitatem, vel supernaturalitatem, ut nec etiam vitiantur, quod totum constat ex dictis supra sect. 11. num. 733. Ex quo etiam corruit argumentum, quod affert Ripalda sect. 1. numer. 5. quod scilicet actus supernaturalis ex objecto, non tamen quatenus supernaturalis, potest fieri ex intentione turpi, eo enim ipso, quod ex tali intentione fit, supernaturalis non est.

1038. Secundo, qui ex intentione inanis gloriæ venialiter tantùm mala attritus accedit ad confessionem, recipit virtutem Sacramenti: atqui illa attritio est supernaturalis; ergo manente actu supernaturali, potest vitiari saltam venialiter. Major patet, quia durum est tot confessiones facere sacrilegas. Min. probatur, quia sine attritione supernaturali non confertur gratia Sacramenti. Respondetur primo, negando Maj. ex dictis supra sect. 8. num. 174. nam attritio necessaria ad virtutem Sacramenti esse debet ex motivo supernaturali. Responderi potest secundo in illo casu sæpissimè dari duos actus, unum supernaturalem, alterum naturalem: naturalis ex motivo inanis gloriæ est, supernaturalis verò ex motivo supernaturali: quod si hic ordinetur in finem malum extrinsece tantum referendo, non desinet esse supernaturalis juxta dicta citato loco num. 385. Unde bene Suar. loco citat. de fide num. 13. asseruit si quis habeat actum supernaturalem, quo credis, & alterum naturalem, quo etiam ex motivo lucri temporalis credit, primum actum supernaturalem per secundum naturalem non vitiari, etiamsi per illum ordinetur in finem malum.

1039. Tertio arguit numero 13. Abuti possumus actionibus supernaturalibus exterioribus ex vitio nostræ voluntatis; ergo etiam interioribus. Respondetur, distinguo anteced. qua supernaturales, nego: qua versantur circa objectum supernaturale, concedo: quamvis enim illi actus exteriores versentur circa objecta supernaturalia, posita ordinatione finis mali, amittunt supernaturalitatem, tum quia eliciuntur ex motivo naturali, tum quia mali sunt intrinsece.

1040. Dices: Propter illos actus exteriores procedentes ex malo fine producuntur actus supernaturales. Anteced. patet, quia negari non potest baptismum, & consecrationem esse actiones supernaturales, per easque conferri gratiam recipienti. Respondetur negando anteced. non enim illa gratia, quæ confertur, nec ille effectus, qui producitur, confertur ex intuitu actionis malæ ministri, sed ex opere operato, ac ex institutione Christi requirente prædictos actus sive turpes sint, sive honesti, sive naturales, sive supernaturales, sunt enim conditiones talis naturæ, quòd possunt etiam esse peccata, ut diximus supra sect. 8. num. 578. Unde gratia tunc non confertur Ministro, sed recipienti Sacramenta, si sit recte dispositus: ac proinde illi effectus supernaturales externi, simulque gratia, quæ confertur ex opere operato, supponunt veritatem verborum ex institutione Christi, illasque actiones externas, quæcumque illæ sint.

1041. Quarto arguit idem Ripald. sect. 3. numer. 18. Homo potest vacare orationi, aliisque virtutibus similibus, tali intensione, & duratione, ut peccet venialiter ita operans, atqui illa oratio eo tempore facta est supernaturalis; ergo saltem actio externa poterit esse mala persistens supernaturalis. Min. probatur primo, quia durum est hominem addictum tot actibus supernaturalibus, ex culpa veniali eorum fructu privari. Secundo, quia si isti actus fierent ex minori intensione, boni & supernaturales forent: atqui *intensio non mutat speciem actus*; Ergo ex majori intensione non desinent esse supernaturales, & honesti. Respondetur negãdo min. quia ut actus sit honestus, debet regulari per prudentiam: prudentia autem est vires, & spiritus corporeos ita attenuare, ut incapax ad majora reddatur. Ad primam probationem nego anteced. imò suave est, cum proprii corporis infirmitati, & saluti attendatus: & si quis propter inanem gloriam operetur actus ex objecto honestos, omnium deperdit fructum, & meritum, quin durum videatur, cur hoc durum videbitur in præsentia Ad secundam distinguo min. intensio non mutat speciem, physicam, concedo: moralem, nego: Cum enim sit circumstantia prohibita ponitur ex parte objecti formalis, & non solum reddit actum malum, sed etiam alterius speciei.

1042. Quinto arguit numero 15. Actus elicitus absque honesto fine, non est simpliciter bonus in opinione admittentium dari præceptum de apponendo honesto fine: atqui actus supernaturalis potest fieri sine honesto fine; ergo potest esse malus, & supernaturalis. Minor probatur primò, quia potest imponi præceptum homini, ut dirigat, actum supernaturalem in finem charitatis; ergo si illum non dirigat, actus malus erit, & supernaturalis. Secundo, quia dantur actus supernaturales indifferentes secundùm speciem; ergo si imperentur ex fine malo, erunt mali, & supernaturales. Respondetur primo, negando Maj. de quo tota quæst. 5. Secundo, negando Min. ad primam probationem voluntatem tunc non elicituram illum actum ex dictis supra nu. 1031. vel si eliciat, non erit supernaturalis. Ad secundam respondetur negando consequent. quia illa indifferentia est, quod actus illi non sint boni, nec mali, non verò quod possint esse boni, vel mali, quod si fiant mali, ex hac suppositione amittent supernaturalitatem.

SUBSECTIO

SUBSECTIO TERTIA.

Utrum dari possint actus supernaturales indifferentes.

1043. HÆc quæstio disputatur à Suar. 1. 2. tract. 3. disput. 9. sect. 2. & à Ripalda tota disput. 69. & quilibet se authorem prædictæ difficultatis instituit. Prioritatem sibi arrogat Ripalda ex eo quod P. Suar. anno 1628. typis dedit tomum in 1. 2. ipse vero anno 1624. hanc difficultatem suis tradidit auditoribus, verum multum dormitavit P. Ripalda, non enim vidit hoc opus sapientissimi Suarii fuisse posthumum ex suis lucubrationibus publice in Academia Conimbricensi dictatis ante annum 1624. Ideo Suario laus, si quæ est, tribuenda videtur: quidquid tamen sit de hoc, pro resolutione

1044. Suppono primo, non esse quæstionem de actibus ex motivo tantum supernaturalibus, ut sunt deambulatio in agro, vel volitio deambudi in agrum propter Deum; isti enim actus supernaturales quidem sunt ex motivo tantum, nam illorum objectum naturale est, & indifferens, sed procedit quæstio de actibus ex objecto supernaturalibus, utrum ex objecto possit dari aliquis, qui nec sit bonus, nec malus. Secundo quæstionem procedere, vel de actibus indifferentibus secundum speciem, vel etiam in individuo. Tertio, supponenda sunt ex dicendis infra disp. 5. actus indifferentes naturales, tam in specie, quàm in individuo, non quidem stando in eodem genere, sed transeundo ad aliud genus, ut ibi explicabimus.

1045. Dicendum est primo: Omnes actus supernaturales per ordinem ad circumstantias sunt indifferentes, id est possunt esse boni, vel mali, & ex se, unam si excipias charitatem: non sunt boni, nec mali ex circumstantiis; ac proinde, facto transitu ad genus circumstantiarum, sunt indifferentes. Hæc conclusio, ut proponitur, nullum habet patronum, ea tamen deducitur ex do-
D.Thom. ctrina Angelici, & Subtilis Doctoris, ille namque loco supra cit. numero 1023. affirmat omnes
Scotus. actus etiam charitatis posse fieri ex malis circumstantiis; idem admittit Scotus ibi datus; ergo actus supernaturales, quantum est ex se, nec sunt boni, nec mali ex circumstantiis, sed possunt fieri boni, vel mali ex adjunctione earum. Et probatur amplius, quia actus supernaturales prohiberi possunt, imperati etiam ex intentione finis mali; ergo quantum est ex se sunt indifferentes, facto transitu ad genus circumstantiarum.

1046. Dicendum est secundo: Etiam ex eadem ratione, sunt indifferentes ad genus meritorium, & demeritorium, quia possunt esse boni, vel mali, ac proinde ex se, nec sunt meritorii, nec demeritorii, imò cum meritum etiam supponat acceptationem, & promissionem Dei, si hæc deficiat, actus bonus supernaturalis, nec erit meritorius, nec demeritorius.

1047. Dicendum est tertio; Nullus potest dari actus supernaturalis indifferens ex objecto in genere physico. Hæc conclusio constabit ex dicendis disp. 5. à num. 48. ubi idem asserendum est de actibus naturalibus.

1048. Dicendum est quarto: Si fiat transitus ad genus morale, potest dari supernaturalis actus indifferens ex objecto, qui nec sit bonus, nec malus moraliter: ita Ripald. cit. Probatur primo, quia potest voluntas appetere scientiam per se infusam propter solum commodum sciendi; atqui hæc appetitio est actus supernaturalis, & nec bonus, nec malus moraliter; ergo erit indifferens ex objecto. Dices actum illum non esse supernaturalem, quia ejus objectum, id est scientia infusa, non movet supernaturaliter, sed naturaliter propter commodum tantùm. Sed contra, quia commoditas illa, quæ movet, est intrinsecè supernaturalis, & movet secundum excellentiam propriam excedentem vires naturæ.

1049. Secundo probatur, quia affectus doloris, & tristitiæ, quo dæmones torquentur ab igne corporeo, est intrinsecè supernaturalis: affectus enim iste excedit vires naturæ, ad eumque eliciendum ignis obedientialiter elevatur: atqui iste affectus ex objecto, nec est honestus, nec turpis, ergo est indifferens. Min. probatur, quia non est turpis: non enim turpe est quod natura de tanto malo doleat: non est etiam honestus, quia dæmones nullum affectum honestum elicere possunt. Dices illum affectum esse necessarium: sed contra, quia hoc non impedit; namque honestas, & turpitudo, tam actibus liberis, quam necessariis communis est: odium enim Dei elicitum ab amente turpe est, & amor quo Deus se diligit necessariò, honestus est; ergo ille affectus, cum non sit turpis nec honestus, erit indifferens: Et si necessarius est indifferens, si liber fuisset, etiam indifferens esset. Alia argumenta adducit Ripalda, quæ apud eum videri poterunt.

1050. Oppositum docuit Suar. quòd scilicet, nullus actus supernaturalis ex suo objecto possit esse indifferens, quem sequuntur Carmelitani tract. 11. disp. 7. dub. 1. num. 4. Primò, si aliqui possint esse affectus indifferentes, maximè essent actus spei & fidei: atqui prædicti affectus indifferentes non sunt; ergo nec alii. Respondetur negando Maj. quia affectus spei & fidei non moventur ex commodo naturæ; ac proinde non sunt indifferentes ex objecto, erunt tamen illi affectus, qui ex commodo naturæ moverentur.

1051. Secundo, assensus supernaturalis semper est verus; ergo etiam affectus supernaturalis semper erit bonus. Respondetur negando consequ. quia inter verum & falsum non datur medium, datur tamen inter bonum & malum, inter quæ mediat indifferentia actuum. Tertio, quia affectus supernaturalis non potest esse malus; ergo nec indifferens. Probat consequentiam, quia actus indifferens est ille, qui ut potest esse bonus, ita potest esse malus. Respondetur primo, negando anteced. ex dictis in hac sect. tota subsect. 2. Secundo, negando consequent. quia actus non dicitur indifferens positivè, sed negativè ex objecto, quia scilicet tale est objectum formale, quòd non conferat bonitatem vel malitiam, licet numquam possit habere malitiam.

1052. Quarto, omnis actus supernaturalis eget ad sui existentiam gratiæ auxilio, specialique dependentia Dei, ut author est gratiæ: atqui tam hoc auxilium, quàm hæc dependentia solum est ad actus moraliter honestos; ergo nullus actus supernaturalis erit indifferens. Respondetur negando Minor. licet enim omnis actus supernaturalis conducens ad salutem egeat gratiæ auxilio, & speciali Dei dependentia, non tamen hoc auxilium, & dependentia est tantum ad actus moraliter honestos, sed etiam est ad actus indifferentes conducentes in commodum naturæ, ut elevata est.

1053. Quinto, non datur habitus supernatu-

talis indifferens ex objecto; ergo nec actus. Respondetur primo, negando anteced. ut dicemus quæst. 5. numero 83. Est enim determinatus secundum genus naturæ, & indifferens moraliter, & quamvis de facto omnis habitus supernaturalis sit virtus, non tamen de possibili, in quo sensu præcipuè procedit quæstio: quod si de facto admittantur aliqui actus indifferentes supernaturales, non est necesse, quòd admittantur etiam habitus, quia cum raro fiant illi actus, sufficiet auxilium Dei, & specialis dependentia.

1054. Sexto, arguunt Carmelitani numero 15. Totus ordo supernaturalis dicit habitudinem ad Deum secundùm modum essendi, quem habet in se, & ex hac habitudine supernaturalitas specificatur: atqui omne quod est in Deo, & à Deo participatur, est bonum, & honestissimum; ergo nullus actus supernaturalis est indifferens, sed omnis est honestus ex objecto. Respondetur Majorem esse dubiam, & oppositum à multis censeri probabilius: admissa tamen, negatur Minor, quia bonitas moralis, qua moralis, non participatur tantum à Deo, insuperque participatio illa est in genere physico, & sufficit quod participetur gradus supernaturalitatis secundùm excellentiam tantùm, non verò secundùm honestatem, multis enim modis gradus ille participari potest, aliter affectus supernaturalis tristitiæ & doloris in damnatis esset honestissimus: & si Deus elevaret supernaturaliter voluntatem ad diligenda plura objecta indifferentia, quæ simul naturaliter amare non posset, ille amor esset bonus, & honestus moraliter: quare cum possit dari objectum, quod ex se nec bonitatem, nec malitiam communicet, actus circa illud erit indifferens.

1055. Dicendum est ultimo: Etiam possunt dari actus supernaturales in individuo indifferentes, facto transitu de genere ad genus eo modo, quo indifferentia explicanda est disputat. 5. ex quo loco dependet hujus conclusionis probatio: Unde si non dentur actus supernaturales in individuo, nec etiam dandæ sunt omissiones supernaturales in individuo, ut eo loco dicendum de omissionibus naturalibus, si non dentur actus indifferentes in individuo.

SUBSECTIO DECIMA-QUARTA.

Utrum bonitas, & malitia actuum humanorum sit indivisibilis?

1056. NOn procedit quæstio de divisibilitate actus in se, constat enim actus voluntatis esse indivisibiles, & per unum quemque totum attingi objectum, & omnes objecti partes: non etiam procedit quæstio de indivisibilitate malitiæ & bonitatis secundum magis & minus, constat enim divisibilem esse,
D. Thom. ut bene docet Div. Thom. in secundo distinct. 42. quæstione 2. articul. 5. in corpore, accipit enim actus magis & minus secundùm diversitatem circumstantiarum, sed utrum in uno actu dentur plures rationes bonitatis vel malitiæ, an sit unica tantùm bonitas vel malitia, omnino, & formaliter indivisibilis? Respondetur esse divisibilem. Ita expressit Scotus quodlibet. 18.
Scotus. articul. 1. vers. *Ex dictis*, ubi sic: *In eodem actu substracto, potest esse multiplex bonitas moralis, quia idem actus potest esse rectè circumstantionatus, non solum multis circumstantiis particularibus, quæ non sunt multæ bonitates, sed integrant unam bonitatem, sed etiam potest idem actus esse circumstantionatus completè omnibus circumstantiis pertinentibus ad unam virtutem, & etiam omnibus pertinentibus ad aliam virtutem*: & eadem habet de malitia vers. *cum similiter*: Eadem etiam D. Thom.
est sententia Div. Thom. variis in locis præcipuè quæst. 18. articul. 6. & articul. 7. ad 1. & 3. contra gentes cap. 138. ubi sic: *Eodem modo & in virtutibus contingit, quod actus unius virtutis ad aliam virtutem ordinatur: sicut cum quis dat sua, ut cum altero amicitiam habeat charitatis: actus quidem ex sua specie est liberalitatis, ex fine autem charitatis.* Eadem habet 1. 2. q. 124. articul. 2. ad 1. loquens de martyrio, & quæst. 51. loquens de actu dandi eleemosynam propter Deum. Et eadem 2. 2. quæst. 4. art. 3. ad 1. qu. 23. art. 8. quæst. 2. de virtutibus art. 4. & aliis locis; quæ expendit Montesin. disput. 34. quæst. 5. §. 2.

1057. Et quidem hæc resolutio certa, & manifesta est, si ante oculos proposuerimus doctrinam traditam tota hac disputat. nam primo ex sect. 7. subsect. 5. constat in eodem actu dari duplicem speciem malitiæ, unam ex objecto, alteram ex circumstantia: Verbi gratia sacrilegium, & adulterium: ex sect. 8. numero 35. constat dari duplicem speciem bonitatis, unam essentialem ex objecto, alteram accidentalem ex fine: quam doctrinam sæpè sæpius hac disp. inculcavimus.

1058. Non tamen hæc doctrina semper est vera, multoties namque actus habet bonitatem & malitiam indivisibilem, quod attinet ad diversas species bonitatis & malitiæ. Quando enim eligitur pro medio finis, aliquod indifferens objectum, non datur nisi tantum una species bonitatis vel malitiæ, desumpta solummodo ex fine, ut si quis velit ire in agrum propter amorem Dei, iste actus solùm habet speciem charitatis ex fine intento; si quidem objectum non habet bonitatem quam communicet: Similiter, si quis velit ire in agrum propter adulterium, iste actus tantummodo habet unam speciem malitiæ, adulterii nimirum, ex fine desumptam. Quæ doctrina probata est: quapropter actus bonus vel malus, sæpe habet bonitatem, vel malitiam divisibilem in varias species: sæpe habet bonitatem vel malitiam indivisibilem in specie, & essentialiter: accidentaliter tamen semper bonitas, vel malitia actus est divisibilis, cum præter bonitatem vel malitiam essentialem, habeat bonitatem vel malitiam accidentalem ex circumstantiis non mutantibus speciem actus, nullus enim datur, qui non sit circumstantionatus, & non potest esse circumstantionatus, quin à circumstantiis recipiat aliquam bonitatem vel malitiam, aliter non essent circumstantiæ; de qua doctrina supra à num. 106.

1059. Unde quæstio & difficultas præcipua hujus subsectionis est, quomodo bonitas moralis sit in actu? quam difficultatem late pertractat Suar. tract. 3. in 1. 2. disp. 4. sect. numero 3. ubi docet primo bonitatem illam superadditam actui, non esse denominationem extrinsecam, quod quidem verum est, & à nobis approbatum supra à num. 84.

1060. Secundo, sect. 1. num. 8. docet speciem moralis bonitatis non esse superadditam actui physico, quasi partem integrantem distinctam ab ipsa specie physica bonitatis, ita ut ad invicem stare

possint separatæ. Hoc etiam verum est, diximus enim disputat. 2. à numero 5. speciem illam bonitatis moralis sejungi non posse ab ipsa entitate physica, nisi per intellectum, supra à numero 404.

1061. Tertio, docet eadem sect. num. 9. bonitatem moralem non esse quasi quid formale, & bonitatem physicam non esse quasi quid materiale: quod variis rationibus probat. Et primo, quia hic modus compositionis essentialis ex parte materiali, & formali, inauditus est in qualitatibus, & in omnibus habitibus intellectus, & voluntatis, & in omnibus actibus scientiæ per se infusæ.

1062. Secundo, quia tam in hæretico manetet habitus fidei, vel etiam actus, quoad materialem partem, non verò quoad formalem, & pars materialis prior esset acquisita, & naturalis, formalis verò, & posterior esset infusa, & supernaturalis; qua differentia non obstante componeretur ex utraque una species actus, vel habitus infusi: atqui hoc est absurdum; aliter idem dicendum foret de actibus charitatis, de lumine gloriæ, ac visione beata, quod à nullo conceditur.

1063. Tertio, quia illa pars, quæ dicitur materialis in tali actu, cum sit realis & physica, habet propriam, & determinatam speciem, in qua non constituitur per alteram partem formalem, sed per habitudinem intrinsecam, quam ipsa dicit ad objectum, eo modo, quo materia prima necessario ex se habet propriam suam speciem ultimam in ea ratione: atqui hæc species determinata non potest sumi ex solo objecto materiali, si quidem hoc indifferens est, & circa illud versantur intellectus & voluntas pluribus actibus; ergo necesse est, quòd desumatur hæc species non solum ab objecto materiali physico, sed etiam à formali morali.

1064. Quarto, quia illa pars materialis actus separari poterit ab hac vel illa parte formali, & sub alia parte constitui, & ita poterit etiam simpliciter separari ab omnibus partibus formalibus, & manere tantummodo circa objectum materiale: & inde sequeretur eumdem actum posse informari pluribus speciebus formalibus, sive moralibus simul, quod quidem monstruosum est, & reprobat ipsa materia prima, quæ sub pluribus formis simul naturaliter non est, imò una deperdita, aliam tantùm admittit; ergo, ne hoc absurdum admittatur, non est admittenda in actibus voluntatis illa compositio ex materiali & formali.

1065. Quinto, quia illa pars formalis actus, si est entitas physica & partialis illius, necesse est, ut voluntas per ipsam attingat non solùm formale, sed etiam materiale objectum; ergo in illa parte formali reperitur quidquid est necessarium ad integrum actum, & alia pars materialis superflua erit. Anteced. probatur, nam si in assensu fidei infusæ, est aliqua pars, quæ nititur Deo dicente, necesse est, ut det illi credulitatem; ergo in aliqua re; ergo oportet ut illa pars attingat aliquid tamquam dictum, & revelatum à Deo: idem etiam est de actu voluntatis, est enim inclinatio quædam in objectum suum, & ideo non potest intelligi ut aliqua res in voluntate existens tendat in aliquod formale, quin tantum illius tendat in aliquod materiale, sive hæc seipsa, sive ratione distinguantur in objecto: tum quia objectum formale nihil aliud est quàm ratio tendendi in aliquid: tum quia non potest intelligi motus, quin ad aliquem terminum tendat.

1066. Sexto, jam in eadem entitate darentur duæ species essentialiter diversæ, & ultimæ, hoc autem non admittit vera Philosophia; non enim eadem res est homo, & leo, ita ut unum sit materiale alterius: Maj. ostenditur, quia unaquæque illarum specierum est, non solum specie, sed genere diversa: genus enim naturæ, & genus moris, genere discriminantur, & unaquæque in suo genere est ultima species. Hæc sunt argumenta, quibus P. Suarius convincere nititur, non posse unum, eumdemque actum voluntatis, ac etiam intellectus componi ex specie physica tamquam ex materiali & ex specie morali tamquam ex formali, ideoque negat bonitatem esse divisibilem in actu.

1067. Verum ex dictis satis colligitur oppositum, nimirum, & bonitatem esse divisibilem, & actum in genere physico, sive speciem physicam esse quid materiale respectu speciei moralis, quæ est quid formale. Constat enim ex dictis disput. 2. sect. 15. num. 172. actum in genere naturæ esse fundamentum & materiale speciei moralis, quæ quasi forma accidentalis speciem physicam actus informat; & ex disput. 2. à num. 173. constat actum physicum in esse naturæ, & in esse moris, esse idem à parte rei, & per eamdem omnino habitudinem adæquatam attingere objectum, simulque illam adæquatam habitudinem constari ex pluribus partialibus, quarum morales sunt veluti quid formale respectu habitudinis in esse naturæ: inde manifestum est habitudinem inadæquatam physicam esse veluti partem materialem, & habitudinem inadæquatam moralem, esse veluti formalem. Videatur doctrina illis locis tradita, ne iterum semel dictum repetamus.

1068. Quare ad argumenta Suarii, in quantum se huic resolutioni opponunt, non enim mens Suarii est contradicere doctrinæ sic explicatæ, respondeo ad primum, negando anteced. nec enim est modus inauditus dari in qualitatibus compositionem ex materiali, & formali, nec superfluus, imo in actibus voluntatis necessarius, nam idem omnino actus habet esse naturæ, esse moris, esse honestatis, & esse talis honestatis; idemque dicendum est proportione servata, de actu malo, esse naturæ est fundamentum esse moris, esse morale fundamentum est bonitatis, bonitas fundamentum est talis honestatis: esse naturæ in genere differt ab esse morali, esse morale est genus proximum respectu honestatis, & remotum talis honestatis: esse honestum est genus proximum respectu talis honestatis: esse naturæ determinatur per esse morale, non tamquam per speciem, vel differentiam illius, sed tamquam per aliquod accidens; accidens autem etiam in genere physico est forma, & fundamentum illius, est veluti materiale: esse morale determinatur per bonitatem tamquam per differentiam subalternam: bonitas verò determinatur per talem bonitatem, tamquam per differentiam infimam, quæ adhuc determinabilis est per hanc numero bonitatem, tamquam per differentiam individuantem: nec aliter explicari potest ordo moralitatis, & hoc modo eum explicavimus supra num. 211.

1069. Ad secundum negando anteced. ut communiter negant Theologi ex eo quòd in hæretico non maneat fides, cui subordinatur habitus, & actus fidei, ita ut sine illa operari non possit, ideo cum ablata fide inutilis sit, & otiosus, aufertur habitus fidei: ex nostra verò sententia tantùm abest, quod sequatur manere in hæretico habitum fidei quoad materiale, ut sequatur opposi-

tum; nam cum ille habitus, ut etiam alius quilibet, non tendat ad objectum materiale præcisè, nec ab objecto materiali, ut sic, specificetur, sed necessario tendat ad objectum materiale sub formali, & ita specificetur ut quamquam sint variæ formalitates subordinatæ in objecto, ad omnes illas sine aliqua distinctione à parte rei, habitudine tendat, sequitur non posse eumdemmet tendere ad objectum materiale, nisi sub formali, nec tendere ad unam formalitatem à parte rei, quin ad omnes tendat: licet per intellectum hoc fieri possit, cum separabiles sint illæ habitudines per nostram rationem: & cum totus habitus, & actus componatur ex omnibus illis habitudinibus, quæ essentiales sunt habitui & actui in individuo, destructa una habitudine, omnes destrui necessarium est, & per consequens totus habitus fidei destruendus est.

1700. Ad tertium negando consequentiam, quia actus in esse naturæ non specificatur à bonitate morali, vel ab aliquo morali, sed ab aliquo in genere physico, quod respectu illius habet rationem objecti formalis, ac proinde non specificatur ab objecto materiali, hæc enim specificativa satis distinximus supra disputatione 2. à num. 171. Quam licet appellemus bonitatem physicam, materialem, non est quia illa bonitas physica in suo genere sit materialis, sed quia dicitur materialis respectu speciei moralis, quæ in eodem actu reperitur: eo modo, quo substantia est quid formale in suo genere, & dicitur materialis respectu accidentium.

1071. Ad quartum, nego antecedens. Imò nullatenus illa species physica materialis separari potest ab specie morali, nam totus ille actus adæquatus tendit in totum illud objectum, non solùm secundùm bonitatem physicam, sed etiam secundùm moralem, & quælibet pars, quæ per intellectum separati potest, eo quod divisibiles sint per intellectum bonitates illius actus adæquati, tendit in partem objecti adæquati, una tamen, & indivisibili habitudine à parte rei, quæ adæquata est, & composita ex illis habitudinibus adæquatis, quarum una ab altera separari non potest, nisi per intellectum.

1072. Ad quintum, negando anteced. namque utraque species bonitatis & physica & moralis, est formalis, & unaquæque habet suum proprium specificativum; species physicæ bonitatis habet pro specificativo bonitatem physicam, & pro materiali habet rem quæ est bona: inde est, quod amor Beatorum (juxta opinionem, quæ hunc amorem necessarium esse docet) habet bonitatem physicam, non moralem specificatam à Deo, ut ab objecto materiali, & à bonitate, ut objecto formali: species verò bonitatis moralis habet pro objecto materiali bonitatem, quæ est objectum formale in esse naturæ, & pro specificativo subjectionem ad rationem ut conformis est rectæ rationi: quæ doctrina eisdem penè, verbis tradita est disput. 2. sect. 2. num. 49. cum ergo objectum formale bonitatis physicæ sit objectum formale bonitatis moralis; inde est quod bonitas physica sit materialis respectu bonitatis formalis moralis, nulloque modo bonitas physica attingere poterit objectum formale bonitatis moralis.

1073. Ad sextum, respondetur distinguendo Maj. jam in eadem entitate dentur duæ species essentialiter diversæ, & ultimæ subordinatæ, concedo: primariæ, & essentiales nego: istæ verò duæ species in eodem actu sunt subordinatæ, & species physica est primaria, species verò bonitatis moralis est secundaria; de quo argumento plura diximus disp. 2. sect. 1. à num. 430. & per hæc soluta sunt argumenta, quibus P. Suar. inficiatur speciem bonitatis physicæ esse materialem, bonitatis verò moralis esse formalem. Cæteræ quæstiones, quæ hic tractari poterant circa concurrentiam variarum specierum in eodem actu, satis in superioribus, nimirum prima, utrum variæ species morales in eodem actu sint accidentales respectu speciei physicæ in esse naturæ; supra sectione 7. à num. 410. secunda, utrum una species bonitatis moralis sit accidens respectu alterius speciei moralis; sect. 7. à num. 417. tertia, utrum possint esse plures species primariæ, & essentiales; sect. 6. à num. 375. quarta, quænam sit species magis essentialis ex duabus moralibus, quæ in eodem actu reperiuntur.

SECTIO ULTIMA.

De proprietatibus actuum humanorum.

1074. Ne aliquid intactum relinquamus, breviter proprietates actuum humanorum explicabo, & nihil aliud quam quod asseruit Angelicus Doctor 1. 2. qu. 21. asserit ergo quatuor esse proprietates actus boni, & quatuor actus mali: proprietates actus boni sunt rectitudo actus, laudabilitas operis, meritum apud homines, meritum apud Deum: actus mali proprietates sunt ratio peccati, ratio culpæ, sive vituperabilitas, ratio demeriti apud homines, & ratio demeriti apud Deum. D. Thom.

1075. Circa quas proprietates mirum est quomodo inter se varient expositores Div. Thom. & ratio, quæ eos in diversos sensus abire coëgit, est, quia rectitudo est idem omnino cum bonitate: peccatum, & culpa idem omnino sunt cum actu malo: ex quo male videbatur asseverari ab Angel. Doct. rectitudinem consequi actum bonum, peccatum & culpam consequi actum malum. Vasq. enim hic disput. 77. cap. 2. Granad. controv. 2. tract. 15. Montesin. in Commentario articuli 1. & 2. & communiter expositores asserunt, has omnes proprietates habere se ut superius & inferius, nam bonum & malum superiora sunt, reperiuntur enim in rebus, & operationibus necessariis: rectitudo, & peccatum inferiora sunt, reperiuntur enim tantum in actionibus: & his inferiora sunt laudabilitas, & culpa; si quidem tantum in actionibus liberis reperiuntur: quare asserunt Angelicum Doct. loqui de actu bono, & malo, ut abstrahit à morali: de rectitudine, & peccato ut abstrahit à libero & morali.

1076. Verùm extra quæstionem, & extra Div. Thom. institutum commentatio ista videtur: extra quæstionem, quia loquimur de actibus humanis: extra institutum etiam Div. Thomæ quia agit de iis, quæ consequuntur actus humanos: ita enim habet titulus quæstionis 21. *De iis, quæ consequuntur actus humanos ratione bonitatis, & malitiæ.* Actus verò humani apud Angelicum Doctorem tantum sunt actiones liberæ, ut habetur 1. 2. quæst. 1. art. 1. in corpore; *illæ ergo actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.* Actiones verò liberæ omnes sunt bonæ, vel malæ morales, ut docet idem Angelicus Doctor ex professo 1. 2. q. 18. art. 9. Ex quibus patet Angelicum D. agere de proprietatibus consequentibus bonitatem, & malitiam moralem, & sinistre aliter interpretari. D. Thom.

1077. Pro quo, explicandum est quid in sua essentia important illæ proprietates, & circa eas, quæ consequuntur actum bonum, rectitudo est conformitas actus boni cum ratione, & lege (D. Thom.) æterna Dei in ipso existente, per quam omnia diriguntur, ita D. Thom. citata quæst. 21. art. 1. in corpore: laudabilitas nihil aliud est, quàm bona æstimatio operantis, sive imputabilitas actus in bonum, laudare enim non est aliud quam imputare alicui suæ actionis bonitatem: ita D. Thom. art. 2. in corpore: meritum est debitum quoddam (late sumptum) ut remuneretur actio, cum enim operans bene operetur, vel in commodum alicujus personæ particularis, vel communitatis, cujus est pars, dignus est, ut à persona vel communitate remuneretur: Dixi, (late sumptum) quia non requiritur, quòd satisfiat actio ex æqualitate, & justitia, sed sufficit quòd ei gratuletur per beneficia personæ particularis, & communitas ei conferat honores, quos assolet: meritum apud Deum est actio digna talis meriti, vel quia cedit in bonum communitatis, cujus Deus curam gerit: vel quia refertur in Deum ultimum finem, aut cedit in gloriam, & honorem Dei.

1078. Solum videtur, quod laudabilitas, & meritum idem sint, sed respondeo cum Ripald. disput. 15. sect. 1. numer. 1. esse quid diversum, nam meritum postulat opus conveniens alteri personæ ab ipso operante distinctæ; personæ scilicet, à qua remunerandum est; laudabilitas verò postulat opus conveniens ipsimet operanti, quatenus liberum est, & legibus rationis subjectum: insuper meritum habet effectus, quos opus in aliis personis movet; laudabilitas habet pro effectu manifestationem propriæ æstimationis per verba.

1079. Dices: Rectitudo non distinguitur à bonitate, siquidem de essentia actus boni est, quòd rationi & legi æternæ sit conformis. Respondetur negando anteced. nam bonitas est rectitudo fundamentalis & non formalis, de qua loquimur, hæc enim est commensuratio, qua actus honestus conformatur cum sua regula, ratione scilicet, & lege æterna, quæ distincta est à bonitate actus, cum totus actus sine commensuratione formali considerari possit.

1080. Circa proprietates actus mali, peccatum est deordinatio formalis à fine ultimo, & lege æterna Dei: culpa est illaudabilitas operis: demeritum apud homines, est quo opus male cedit in personam particularem, vel communitatem, ex quo illi pœna temporalis correspondet: demeritum apud Deum est, quo opus cedit in offensam Dei. Unde peccatum correspondet rectitudini, dicitque non fundamentalem, sed formalem deordinationem ad rectam rationem, & legem æternam: ideo potest dari actus malus, quin sit peccatum, si nimirum actus esset circa objectum malum non prohibitum: culpa dicit ordinem ad pœnam, quare si Deus in præcepto non apponeret pœnam, actus esset malus, & peccatum, non tamen culpa, ut expressit Scotus in 2. (Scotus.) dist. 29. quæst. unica num. 6. vers. *ad* 3. dicens, si homo peccaret in puris naturalibus, carentiam visionis non futuram esse pœnam: demeritum dicit ordinem ad præmium, quo privatur homo ille, si quidem præmium obtineret, si faceret actum bonum, cui præmium erat promissum.



DISPVTATIO QVARTA DE MALITIA ACTVVM HVMANORVM.

EXPLICATA bonitate tam objectiva quàm formali, apertum est iter ad explicandam rationem formalem malitiæ, cum contraria juxta se posita maximè illucescant, ea enim est contrariorum natura, ut unius explicatio, alterius sit expositio. De malitia igitur quæ bonitati contrariatur in præsenti agendum est, & primò de malitia objectiva, secundo de malitia formali.

PRIMA PARS DISPUTATIONIS.

De malitia objectiva.

UT disputatione 3. in prima parte disputationis de bonitate objectiva disseruimus, ita in hac prima parte de malitia objectiva differendum est, ex cogitatione enim malitiæ objectivæ, facile erit explicare malitiam formalem.

SECTIO PRIMA.

Utrum detur in rebus malitia objectiva.

1. RՙEspondetur affirmative. Hæc est communis sententia, & probatur primò à paritate rationis: In rebus datur bonitas objectiva, ut constat ex quæst. 3. à num. 1. ad 11. ergo etiam dabitur malitia objectiva. Secundo probatur ex Augustino lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 18. ubi docet dari quædam intrinsecè mala, quæ non possunt bono animo fieri, quædam verò extrinsecè mala, ut comedere carnes sexta feria. Tertio ostenditur, quia homicidium malum est, malum blasphemia est, malum idololatria, & omnia quæ opponuntur bonitati objectivè, mala sunt objectiva.

August.

2. Sed contra istam doctrinam objicies primo ex August. tom. 3. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 12. ubi asserit malum non esse in rebus ipsis, sed in usu peccantium; ergo ex mente Augustini nullum datur malum objectivum.

Augustin.

Respondetur primo, Divum August. loqui de malo absoluto, & non relato, id est, de rebus secundùm se sumptis, non verò de rebus comparativè per ordinem ad actus voluntatis, in quo sensu optimè ait non esse malum in rebus, cum enim omnes res à Deo sint creatæ, Deique sint opera, omnia fuerunt valde bona, cum tamen referuntur ad actus voluntatis, possunt esse mala; ut etiam idem August. appellat substantiam malam, quæ appellatio in substantiam secundùm se non cadit, sed comparativè. Respondetur secundò Divum Augustin. loqui de rebus bonis, quibus abutuntur peccatores, & est ejus sensus, multas esse res bonas, in quibus nulla reperitur malitia, quæ tamen redduntur malæ ex pravo usu peccantium, ac proinde non negat malitiam objectivam.

3. Objicies secundò: Objectum voluntatis est bonum; ergo nullum objectum voluntatis potest esse malum. Consequent. optima est, anteced. verò est commune Philosophorum axioma. Respondetur, distinguo consequens; ergo nullum objectum voluntatis potest esse malum, absolutè, concedo; intentionaliter, & relativè, nego: ad hoc enim, quòd aliquid sit objectum voluntatis, requirit bonitatem in se, vel apprehensam per intellectum, sufficit enim, quod appareat res bona intellectui, & ut bona proponatur voluntati ad hoc ut res sit illius objectum, eo modo, quo negationes sunt objecta voluntatis, de quo disputatione 3. numero 55. & tamen in se nullam habent bonitatem; hæc enim est passio entis.

4. Objicies tertio, Deus, & virtutes supernaturales sunt objecta actus mali: & tamen nulla in eis reperitur malitia; ergo in objectis non datur malitia. Major patet, quia Deus, & virtutes supernaturales multoties sunt objecta odii. Respondetur de hoc argumento aliqua supra tacta fuisse, nimirum disput. 3. à num. 195. sed ut clarius solvatur,

5. Respondeo primo, distinguo Major. Deus, & virtutes supernaturales sunt objecta actus mali, si fuerit actus fugæ, concedo: si fuerit prosecutionis, nego: pro quo notandum est ex Salas dispur. 5. sect. 2. ad 4. Montesin. disput. 12. sect. 3. numero 7. duplex esse genus actus voluntatis: unum est velle, diciturque prosecutio, ut amor; alterum est nolle, diciturque fuga, ut odium: ad primum genus requiritur bonitas in objecto: ad secundum bonus actus requirit malitiam in objecto, & malus requirit bonitatem, namque ut fuga mali, bona est; ita fuga boni, mala est; cum igitur odium sit actus fugæ, requirit bonitatem in objecto, ideo Deus, & virtutes supernaturales possunt esse objecta actus mali fugæ, quamquam nullam habeant umbram malitiæ, ut enim Deus est dignus amore, ita est indignus odio, & ab eadem entitate, ac objecto, à quo provenit amor, provenit etiam odium.

6. Respondetur secundo, negando consequ. Pro qua solutione advertendum est cum Suar. sect. 1. disput. 5. num. 13. actum odii semper admixtum esse cum prosecutione (nullum enim admittit actum voluntatis, qui sit puræ fugæ) & objectum illius non esse ipsum Deum, nec virtutes, sed esse ipsum non esse Dei, si possibile foret, & ipsum non esse virtutum: & inde asserit, non in ipso Deo, sed in objecto illius actus mali, id est odii, quærendam esse malitiam, nimirum in non esse Dei, & in non esse virtutum, quod est objectum odii: & quia non esse Dei, & non esse virtutum, est malum, ideo actio mala est; quæ quidem doctrina Suarij quamquam verissima sit pro præsenti, non tamen est absolutè vera.

Namque respectu actuum exteriorum, potest actus malus habere objectum bonum, nam vita proximi bona est, & homicidium malum: Veracitas Dei optima est, & dubium de ea pessimum: unde, licet Deus sit objectum optimum, potest esse objectum malum per ordinem ad actus voluntatis, & ad rectam rationem: dignus enim est Deus, & conveniens ut ametur: indignus, & disconveniens, ut odio habeatur, & ista indignitas, & disconvenientia est malitia, quæ reperitur in objecto bono.

7. Notabis tamen, quod ista malitia objectiva quamquam sit in ipso objecto motivo, non est ratio motiva actuum voluntatis, (*nemo enim intendens ad malum operatur*: sed quia objectum apprehenditur ut disconveniens, quando voluntas illud vult, semper est sub aliqua ratione disconvenientiæ, quamvis enim voluntas velit convenientiam, quæ est in objecto, tamen interpretativè vult malitiam, quæ in illo est.

SECTIO SECUNDA.

Utrum malitia objectiva sit positiva, an privativa?

8. PRæsuppono duplex esse objectum malum, unum in se, sive absolutum: alterum alteri, sive respectivum; est communis Doctrina, quam tradunt Cajet. 1. 2. quæst. 71. art. 6. Gregor. in 2. dist. 34. quæst. unica, Suar. in Metaphysica disput. 11. sect. 1. num. 51. Vasques 1. 2. disp. 95. cap. 9. numero 41. §. reliquum Tanner. 1. 2. disp. 2. dub. 5. quamvis iste Author non rectè illam appellet malitiam moralem, Rainaud. dist. 4. quæst. 3. art. 2. num. 271. quæ fuit doctrina D.
D. Thom. Thom. in secundo dist. 34. quæst. unica art. 1. de-
S. Anselmus. sumitur ex D. Anselmo, lib. de casu diaboli cap.
S. Basilius. 4. & ex S. Basilii homilia 9. quod Deus non est author malorum.

9. Cujus doctrinæ ea est ratio, quia datur duplex bonum, absolutum, & respectivum; ergo similiter duplex dabitur malum: Antecedens patet, quia bonum absolutum cum ipsa entitate reciprocatur, est enim bonitas transcendens, & proprietas entis, quæ reperitur in omni re, etiam in actibus intrinsecè malis: respectivum est ipsamet entitas, ut conveniens est alteri, & quod magis conveniens alteri est, eo magis est absolutè, quo enim entitas perfectior est, eo convenientior est: non aliter malum quoddam est absolutum; quoddam respectivum: illud opponitur bono absoluto, & in se, nihilque aliud est, quam carentia entitatis, sive perfectionis, ut cæcitas di-
D. Anselm. citur malum simpliciter, & absolutè à D. Anselmo lib. de casu Diaboli cap. 26. & à Doctoribus relatis, quia privat perfectione potentiæ visivæ, estque carentia visus: malum respectivum est eadem entitas disconveniens alteri; cum enim in se bona sit, est tamen mala respectu alterius, quia illi disconveniens est: ut calor, qui est conveniens igni, est disconveniens aquæ: & error est disconveniens intellectui, & tristitia appetitui: Hoc præsupposito,

10. Non procedit quæstio de malo simpliciter & absoluto, sed de malo secundum quid, & respectivo, inquiriturque utrum hoc malum sit quid positivum, non privativum? Respondetur esse quid positivum, sive eamdem entitatem, ut disconvenientem per se ipsam & formaliter: ita Vasques & Tanner. citati, Bellanus disp. 1. dub. 2. Curiel 1. 2. quæst. 18. art. 2. dub. 2. Granad. 12. tract. 10. disp. 1. num. 10. Cornejo tract. 6. disp. 4. dub. 1. num. 22. vers. *sed contra*.

Probatur primò, quia duobus modis res est mala: uno quia privat rem perfectione sibi conveniente, altero quia præsens est: atqui res non solùm patitur malum propter privationem suæ perfectionis, sed etiam propter præsentiam mali; ergo malitia positiva erit. Min. probatur, quia intellectus non solùm patitur malum, quia caret scientia, sed etiam quia habet errorem: appetitui dolor est malus, non solùm quia illum privat delectatione, sed magis quia, ut est præsens appetitui, illum affligit.

11. Probatur secundo: Demus duo contraria esse simul, verbi gratia in intellectu, scientia & error: in appetitu delectatio & dolor: in aqua calor, & frigus: error malus est intellectui, dolor appetitui, calor aquæ, & tamen in intellectu non datur privatio scientiæ, nec in appetitu delectationis, nec in aqua frigoris; ergo si sola privatio esset malitia, jam intellectus non esset malè cum errore, si quidem error in eo casu non privaret intellectum scientia, nullamque induceret privationem, & sic de aliis; cum ergo dici non possit, quòd error sit bonus, & non malus intellectui, proculdubio error per suammet entitatem & positivè erit malus, & disconveniens ipsi intellectui: si quidem, ut præsupponitur, non est carentia scientiæ.

12. Tandem sic argumentor pro hac sententia: Privatio, quæ dicitur esse causa, cur calor, verbi gratia dicatur malus, est carentia perfectionis secundùm quam frigus convenit aquæ, vel est carentia aliqua consequens calorem in subjecto: id est, vel est privatio frigoris, quam habet calor; vel est privatio frigoris, quæ dabitur in aqua ex introductione caloris: non primum, quia etiam humiditas habet carentiam frigoris, eamdem habent gravia, & aliquæ species sensibiles, & tamen non sunt adeo malæ ut est calor aquæ; ergo ideo calor magis malus est, quia talem entitatem habet: eo modo, quo ratio cur dolor magis malus est alteri, non est carentia voluptatis, aliter quælibet indolentia quæ caret voluptate, æquè mala foret ac dolor: & error qui caret perfectione scientiæ, æquè malus foret intellectui, atque ignorantia, cum tamen sine controversia pejus se habeat intellectus cum errore, quàm cum ignorantia. Non secundum, quia ideo consequitur ea privatio calorem, quia calor est malus aquæ.

13. Diceres rem non esse malam alteri positivè, sed privativè propter privationem, non quidem perfectionis positivæ qua privat, sed negationis rei noxiæ: Verbi gratia dolor malus est homini, non quia per se malus illi est, sed quia introducto dolore, datur in homine privatio negationis doloris: cum enim negatio illa doloris bona sit, privatio illius negationis, mala erit.

14. Sed contra: Primò, quia (admissa negatione negationis) cujus negatio per se, & immediatè est mihi bona, ejus forma negata per se, & immediatè est mihi mala: atqui negatio doloris per se, & immediatè est bona; ergo dolor, qui est forma negata, per se & immediatè erit malus. Secundo, privatio negationis rei noxiæ, est præsentia ipsius rei noxiæ: atqui præsentia rei noxiæ est quid positivum; ergo si malitia objectiva est privatio negationis rei noxiæ, erit præsentia ipsius rei, quæ cum sit positiva, positiva etiam erit malitia. Major patet, quia negatio tenebrarum est lux, privatio negationis doloris est ipse dolor.

15. Ex quibus refellitur duplex sententia; pri-

ma, quæ asserit malum constare ex positivo & privativo; illo tamquam materiali, hoc tamquam formali: ita ut non tantùm causaliter, sed etiam formaliter res positiva mala sit, non quidem præcisè, sed ut afficitur negatione: ita Suar. disp. 11. Metaphysicæ sect. 1. n. 16. & tract. 3. in 1. 2. disp. 7. sect. 4. n. 6.

16. Probat primò, quia contrarietas, repugnantia, & dissimilitudo in suo conceptu formali includunt negationem; ergo hæc negatio est quæ habet rationem mali: atqui malum est quædam contrarietas, repugnantia, & dissimilitudo; ergo erit quid negativum. Respondetur negando anteced. quia licet privatio, aut negatio consequatur illam contrarietatem, non tamen contrarietas includit in suo conceptu formali illam negationem, aliter contraria inter se non contrariarentur positivè, sed privativè, quod repugnat naturæ contrariorum: illa ergo privatio, vel negatio consequitur entitatem, quæ dicitur mala, non tamen includit negationem in suo conceptu formali, cum ea entitas ideo sit mala, & disconveniens alteri, quia talis naturæ est.

17. Secundo, contrarietas requirit incompossibilitatem formarum in eodem subjecto: atqui illa incompossibilitas est negatio; ergo negatio erit essentia malitiæ objectivæ. Respondetur; distinguo Majorem, contrarietas requirit incompossibilitatem formarum in eodem subjecto essentialiter, nego: ut proprietatem physicè consequentem, concedo: & cum sit physica, potest contrarietas esse absque illa, ut videre est, si subjectum habeat duo contraria simul; in eo enim casu non datur incompossibilitas formarum, cum simul existant: imò ideo datur illa incompossibilitas formarum, quia unaquæque forma talis naturæ est, ut una alteri per suammet entitatem & positivè repugnet.

18. Tertio, malum, sive contrarium, est alteri improportionatum, & ineptum: atqui hæc ineptitudo, est negatio; ergo malum est quid negativum. Respondetur negando minorem, illa enim ineptitudo, est eademmet entitas inepta, quæ immediatè, & per se ipsam est improportionata alteri.

Et pro plena notitia ac solutione argumentorum, notandum est perfectiones esse in duplici genere: quædam enim non habent contrarium, ut illuminatio in sole, visus in oculo: quædam contrarium habent, ut sententia errorem, delectatio dolorem, frigus calorem: illa igitur natura, quæ his perfectionibus perficitur, erga perfectiones primi generis patitur malum propter earum privationem, ut si sol privetur illuminatione, oculus visu: at verò erga perfectiones secundi generis duobus modis patitur malum: primo propter privationem perfectionis, qua caret; secundo propter præsentiam rei noxiæ, qua afficitur.

19. Refellitur etiam secunda sententia, quæ asserit rem positivè esse malam, non tamen formaliter, sed defectivè propter effectum, quem

D. Thom. causat: eam docuit D. Thom. in 2. dist. 34. qu. unica art. 2. in corp. ubi Capreolus, & Greg. conclus. 3. Cajet. 1. 2. q. 71. art. 6.

Probari potest, quia nulla substantia est positivè mala, nisi ex effectu quem causat; ergo similiter nulla qualitas, nec ullum objectum est positivè malum, nisi ex effectu quem causat.

D. Aug. Ant. est Divi August. lib. de moribus Manichæorum cap. 8. lateque probat Suar. in Metaphysica disp. 11. sect. 1. num. 10. Respondetur, negando consequentiam, & major ratio est, quia substantia est ens per se, & non est ens alterius, nec per se disconveniens alteri: solumque potest dici substantia mala, quia causat formam alicui disconvenientem: eo modo, quo Deus apprehenditur ut malus à voluntate inordinata, quatenus auctor pœnæ; accidentia verò, quia sunt ad aliud, subjectoque adveniunt, sunt mala respectiva: hoc tamen intelligendum est in genere naturæ; nam in genere moris, etiam substantia potest esse mala, quia cum malitia sumatur per ordinem ad actus voluntatis, substantia, quæ bona est, disconveniens est, ut odio habeatur, & conveniens ut ametur.

SECTIO TERTIA.

Quid sit malitia objectiva?

HÆc quæstio soluta manet ex dictis disp. 3. de bonitate objectiva, quæque enim de ista diximus, proportione servata, dici debent de malitia objectiva; ideo juxta conclusiones pro bonitate objectiva positas malitiam explicabimus.

20. Dico primo: Malitia objectiva non est difformitas cum lege: quia si per impossibile nulla daretur lex, adhuc quædam essent mala, & inhonesta, odium enim Dei antecedenter ad omnem legem est malum; ergo malitia objectiva non est difformitas cum lege. Secundo probatur, quia ideo odium prohibetur, quia in se malum est, namque in rebus intrinsecè malis, lex non facit sed supponit objectum malum. Vide dicta disp. 3. à numer. 28.

21. Objicies. Seclusa, omni lege, non datur malitia, ut communiter approbant Doctores in materia de peccatis, & patet quia omnis malitia est prævaricatio, juxta illud Psalm. 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores*: atqui ubi non est Psalm. 118.
lex, non est prævaricatio ex Paulo ad Romanos cap. 4. *Ubi non est lex nec prævaricatio*; ergo ma- Ad Rom. 4.
litia debet esse difformitas cum lege. Respondetur, distinguo Maj. seclusa omni lege non datur malitia moralis, concedo: naturalis, & fundamentaliter moralis, nego: illi autem Doctores loquuntur de malitia morali, ad quam necessariò requiritur lex.

22. Pro quo notabis, malitiam naturalem esse illam, quæ consistit in oppositione cum divinis attributis, odium enim divinæ bonitati, mendacium divinæ veritati opponitur, quę oppositio naturalis est, & antecedenter ad omnem legem etiam ęternam, ut etiam error & falsitas speculativa opponuntur divinę veritati: ex qua oppositione sequitur, quòd in illo priori, in quo illa malitia non judicatur moralis, non possit volita esse à Deo, quia est opposita divinis attributis, ad quę amanda cum Deus sit determinatus, determinatus etiam est ad displicentiam rei, quę suis contrariatur attributis, ut falsitas inculpabilis, licèt non sit malum morale, quia tamen malum naturale est divinę veritati oppositum, Deo displicet, ab eoque amari nequit, quam doctrinam optimè tradit Coriel. 1. 2. q. 71. art. 6. dub. 2. §. ad secundam; diciturque ista malitia fundamentaliter moralis, quia si futura est, necessariò prohibenda à Deo est; quę prohibitio, licet non sit ratio formalis, ut malitia sit moralis, est tamen conditio, sine qua non esset moralis, pro quo videnda sunt tradita disp. 3. n. 30.

23. Dico secundo; Malitia objectiva non est difformitas cum recta ratione. Probatio hujus conclusionis tota pendet ex dictis citata disp. 5 à

numero

numero 23. & insuper ostenditur, quia si quis per ignorantiam invincibilem existimet adulterium esse bonum, non tamen ex hoc desinet esse malum objectivè secundùm se. Insuper non ideo res est mala, quia ratio dictat esse malam, sed quia in se mala est, quocumque enim modo ratio dictet, semper adulterium est malum. Ex quo etiam patet non esse malitiam objectivam, difformitatem cum natura rationali, ut citato loco dixi à numero 27.

24. Dico tertiò: Malitia objectiva est difformitas cum divinis attributis, ut probatum est illa disput. 3. à num. 31. & probatur ratione ibi data, cum enim mendacium sit disconveniens, & veritas conveniens naturæ rationali, vel rationi, non potest assignari alia causa, cur veritas sit bona & conveniens, mendacium verò malum & disconveniens, nisi quia veritas conformis est, mendacium verò difforme divinæ veritati.

25. Dico quarto: Malitia objectiva fit positive moralis per difformitatem cum recta ratione supponens legem tamquam conditionem: tota ratio conclusionis posita est supra disp. 3. à n. 36. ad num. 40.

Quare imperfectio naturæ, & ordo ad divina attributa primariò & per ordinem ad naturam rationalem secundariò constituit malitiam objectivam naturalem: ordo verò immediatus ad rectam rationem est ratio formalis constituens malitiam moralem, quæ supponit legem tamquam conditionem requisitam, ut dixi disp. citata. Quid verò addat ista malitia respectiva entitati absolutæ dixi citato loco à numero 43. usque ad num. 46. Dixi utrum ista malitia sit intrinseca, vel extrinseca.

SECUNDA PARS DISPUTATIONIS.

De malitia formali actuum humanorum.

Exposita malitia objectiva, quæ radix, & principium est malitiæ formalis, facilis redditur, difficilis hujus explicatio, quod per sequentes sectiones præstandum est.

SECTIO QUARTA.

Utrum detur actio formaliter mala?

26. Facilis quæstio est, sed necessaria, cum de essentia malitiæ formalis tractari non debeat, priusquam existentia illius comprobetur: circa quam triplicem reperio errorem.

Primus est quorumdam Libertinorum, quorum notitiam debemus Calvino, ut testatur Bellarm. tom. 4. lib. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 1. §. *Florino*: utinam talium nomen cum illis sepeliretur in Inferno: eos enim redarguit Calvinus, non ut argueret, cum eorum doctrinam, quam verbis negat, sententiis sequatur: sed ut eorum insanum errorem dum arguere fingit, aliqui approbarent. Hi igitur asserebant nullum dari discrimen inter bonum & malum, sed nulla dari bona, nec mala in re, & omnia esse vel bona, vel mala in opinione hominum, nihilque aliud esse actum malum, quàm opinionem. Unde si quis putaret se peccavisse, peccavit, & qui existimaret se non peccavisse, nullum committeret peccatum.

27. Secundus error est Valentini, Manichæi, Armenorum, & Albanensium, qui docebant nullam dari actionem malam à nobis elicitam, nec aliquid à nobis dictum, factum, vel concupitum, esse actionem peccaminosam, eò quòd nulla malitia à nobis provenire poterat, sed omne malum esse aliquid extrinsecum à Dæmone impressum hominibus.

28. Tertius error fuit communis inter Iudæos, docentes dari quidem actionem malam, nullam tamen interiorem, solùm enim malum esse putabant, quod exterius fiebat, quem errorem approbarunt Iosephus lib. 12. de antiquitatibus cap. 13. Philo Hebræus lib. 1. de Noë, & aliqui Rabbini ad Psalmum 66. quibus non obstantibus,

29. Dicendum est primo: De fide est dari actiones malas, tam interiores, quàm exteriores, ut Scriptura sacra sæpe pronunciat: & adeo clarum est dari actiones malas in re, ut Libertinorum error, non verbis, sed verberibus; non ratione, sed igne tollendus sit: si enim nulla datur distinctio inter bonum & malum, nullaque datur malitia in re, sed omne peccatum est opinio humana, actum est de fide, & religione Catholica, actum est de veritate sacræ Scripturæ; actum est de omnibus nostræ Fidei dogmatibus, actum denique de regimine, & gubernatione politica: fides enim & religio Catholica Christum in remedium peccatorum venisse, & pro eis mortuum esse testatur: Sacramenta, in remedium peccatorum instituta sunt, judicium finale in discussionem eorum fieri debet: unde qui actiones malas inficiatur, nec Fidei mysteria agnoscit, nec Christianus esse vult: & quod magis est, qui illas negant, exterminandi sunt à Republica, velut societatis humanæ eversores, politici regiminis destructores, omniumque malorum authores.

30. Dicendum secundo: Datur actus interior formaliter malus. Probatur, quia datur actio formaliter bona; ergo etiam dabitur actio formaliter mala. Consequentia optima est, quia actio mala opponitur actioni bonæ; ergo si actio illa est formaliter bona, etiam actio erit formaliter mala, ut bonæ opponatur. Anteced. probatum est supra à num. 69. ad 72. & probationes, quibus ostenditur dari actionem formaliter bonam, proportione servata, tantumque terminis mutatis, ostendunt dari actionem formaliter malam.

SECTIO QUINTA.

In quo consistat essentia malitiæ formalis?

Adeo difficilis cognitu est, ratio formalis malitiæ, ut nostrûm oculos effugere videatur, quippe in illius planiori explanatione, potius offuscatur intellectus, quàm malitiæ essentiam exploret: ideo proponam sententias, quæ circa malitiæ essentiam circumferuntur, ut omnibus examinatis, videatur probabilior.

SUBSECTIO PRIMA.

Proponuntur variæ sententiæ.

31. Cum adeo variæ sint Doctorum sententiæ circa rationem formalem malitiæ formalis, necessarium est eas dividere in tres classes. Prima est eorum qui essentiam malitiæ formalis constituunt in privativo: Secunda est eorum, qui eamdem in privativo & positivo simul collocant: Tertia est eorum, qui illam ponunt in solo positivo.

32. Prima classis asserens essentiam malitiæ formalis consistere in privatione, est communis

inter antiquos, & recentiores, & quidem probabilis: sed dividuntur Authores in varias sententias: non enim conveniunt in ratione formali hujus privationis: quinque enim sunt.

Prima docet rationem formalem malitiæ consistere in privatione, qua anima privatur Deo, gratia, & propensione ad bonum, vel ut loquitur, qua anima spoliatur gratuitis, & vulneratur in bonis naturalibus. Ita Magister sententiarum in secundo dist. 35. cap. *peccatum verò*. Secunda sententia, est D. Bonaventuræ in 2. dist. 35. art. 1. qu. 1. numer. 10. qu. 2. num. 17. qui asserit hanc privationem, esse iustitiæ, illamque appellat obligationem voluntatis: solùm potest esse dubium, quid intelligat per illam iustitiam, quæ est forma privata: videtur enim quòd sit habilitas & facilitas ipsa potentiæ, quæ cum esset recta, minus habilis manet posita malitia: ita cit. n. 10. & 11. simulque ex articul. 2. qu. 1. & 2. colligitur esse modum, speciem & ordinem: cum enim in creatura detur vestigium creatoris, estque comparatio creaturæ ad creatorem, ut est causa efficiens, exemplaris, & finalis; modus attenditur penes efficient; species penes exemplare; ordo penes finale: tunc autem voluntas nostra rectè operatur, quando in movendo continuatur divinæ voluntati, ut principio moventi: ei conformatur, ut regulæ dirigenti: eidemque unitur, ut fini quietanti: in primo attenditur modus, in secundo species, in tertio ordo: quando autem voluntas elicit actionem malam, discontinuatur à divina voluntate, ut à principio movente, Deus enim non movet ad peccatum: discordat à Deo, ut à regula dirigente: elongatque se ab illo, ut à fine quietante, unde omne peccatum corrumpit voluntatem circa hæc tria; ita explicat Seraphicus Doctor art. 2. qu. 1. per totam, præcipuè à num. 26. quare juxta illum privatio ista, quæ est essentia malitiæ, est privatio boni, & justitiæ: quam sententiam videntur tenere Ægidius Roman. in secundo dist. 35. quæst. 1. articul. 1. ubi Ricard. articul. 2. quæst. 4. Nissen tract. 3. p. 1. q. 1. Altisiodorensis lib. 2. Summ. tract. 14. cap. 1. 2. & 3. Unde falsò affertur pro quinta sententia ab Araujo citando.

Magister. & Bonavent.

33. Tertia sententia asserit privationem, in qua consistit essentia malitiæ, esse privationem actus boni debiti inesse voluntati, ita ut malitia odii Dei, sit privatio amoris Dei, qui debebatur voluntati, sive quia urget hic & nunc præceptum diligendi Deum, sive quia supposito quòd voluntas operatur circa Deum, debet esse per amorem: hæc videtur Marsilii in secundo distinct. 12. art. 1. ad secundum; Hispalensis dist. 34. quæst. 2. Notabili 5. §. *advertendum*: consentit Valentia 1. 2. disp. 6. quæst. 2. puncto 2. §. *quod tamen*, licet disp. 2. qu. 13. puncto 3. ad 6. recurrat ad rectitudinem debitam actui secundùm gradum genericum.

34. Quarta sententia asserit privationem, in qua consistit essentia malitiæ, esse privationem rectitudinis debitæ inesse voluntati, illam tamen rectitudinem, qua privat, esse negativam debitam voluntati, quæ rectitudo negativa explicatur per hoc quòd est non violare præceptum: ita Molina prima parte qu. 5. disp. unica §. *malum morale*. Salas tract. 7. disp. 3. sect. 2. præcipue numer. 14. quo loco refert pro hac sententia Ocandum, Occamum, Gabriel. Almain. & Tolet. eamdem defendit tract. 13. disp. 2. à n. 31.

35. Quinta tandem sententia, eaque inter Authores magis recepta, docet essentiam malitiæ formalis consistere in privatione rectitudinis debitæ inesse actui; id est, quæ actui debebat inesse, sed non inest, nec infuit: Antiqui Doctores hanc sententiam, non ita expresse asseruerunt: solùm enim asserunt, esse privationem rectitudinis debitæ, non exponentes quænam illa sit: ita Durand. in 2. dist. 34. quæst. 2. & quæst. 3. numer. 7. Bachon. dist. 39. art. 4. Alensis 2. part. quæst. 100. (non 94. ut refert Araujo) membro 2. exprimunt tamen hanc sententiam ex schola Thomistarum Conrad. 1. 2. quæst. 71. articul. 6. Montesin. ibi disp. 22. q. 7. num. 98. & tom. 2. disput. 3. q. 6. Lorca de actibus disput. 25. Ferrariens. 3. contra gentes cap. 9. §. *adverte*. Araujo q. 18. articul. 1. dub. 2. num. 19. & q. 72. art. 6. dub. 1. num. 34. Ex Scoti Discipulis, ferè omnes hanc sententiam sequuntur, Bargius in 1. dist. 47. quæst. unica, in principio, Lichet. in 2. dist. 34. fol. 230. §. 2. supponit Bassolia ibi quæst. unica artic. 1. & dist. 35. quæst. unica articul. 4. §. *alii*, Vorrillong. in 2. dist. 35. artic. 2. conclus. 1. in secunda parte conclusionis. Nissen tract. 3. p. 1. propositione 1. quæst. 2. Rubion. in 2. dist. 35. quæst. 1. articul. 1. Herrera de peccatis disputat. 29. qu. 1. 2. & 3. & disput. 39. q. 3. ad 1. Faventin. in 4. q. 2. cap. 4. Ex aliis Valentia disput. 2. supra citata, Suar. tract. 3. in 1. 2. disputat. 7. sect. 5. numer. 12. sect. 6. numero 6. ubi ait, convenienter dici posse privationem esse totam essentiam peccati, Becan. 2. p. Summ. tract. 1. cap. 5. q. 1. numer. 11. 12. & 14. & q. 2. numer. 6. Granad. latè 1. 2. controvers. 6. tract. 1. disp. 1. sect. 2. Malder. 1. 2. q. 71. articul. 6. §. *sed verior*, licet ibi non explicet de qua privatione loquatur, ut nec etiam Henricus de Vultaris controvers. 12. cap. 3. §. *ad rem igitur*: alii Doctores referuntur ab his Recentioribus, sed quia eos non vidi, nescio de qua privatione loquantur.

36. Secunda classis est eorum Doctorum, qui essentiam malitiæ formalis constituunt in positivo simul, & privativo; hic modus dicendi triplicem sensum habere potest. Primus est, ut malitia formalis æqualiter constituatur ex positivo & privativo, tamquam ex genere, & differentia. Secundus est, ut constituatur ex entitate positiva in recto, & formaliter, & ex privatione, ut ex connotato, & in obliquo, tamquam complemento & conditione. Tertius est, ut constituatur ex privatione formaliter, & in recto, & ex entitate positiva, ut ex connotato, & in obliquo, ac materialiter.

37. Primum sensum tuetur Nazarius 1. p. qu. 22. articul. 4. controvers. 3. §. *considerandum*, & quæst. 48. articul. 4. §. 3. *secundum* vers. 4. *malum*: asserit enim, tam positivum, quàm privativum esse malitiam partialem, ex qua resultat malitia totalis: nec alium sensum mihi videor colligere ex Capreolo in secundo dist. 35. quæst. unica ad 2. 5. & 6. Gregorii, licet enim ad 4. addat entitatem peccati esse materiale respectu privationis, non tamen asserit esse materiale respectu malitiæ, imò docet utrumque formaliter esse necessarium ad malitiam formalem. Et qui hanc sententiam præ aliis secutus est, fuit Hieronymus de Rua tom. prim. controvers. 2. Scholastica part. 1. asserens utramque rationem esse de ratione formali malitiæ, neutram tamen sigillatim esse malitiam. Eadem videtur mens Patris Suar. licet enim asserat in privatione sitam esse malitiam, tamen section. 6. numero quarto, ait, nec actum sine privatione, nec privationem sine actu esse malitiam: & num. 5. docet, ex actu & privatione componi unam malitiam,

cum nihil aliud sit malitia, quam forma male afficiens subjectum, hæc autem est actus, & privatio, & num. 7. neutram appellat malitiam sigillatim, sed utramque simul: licet numero 8. affirmet privationem esse magis essentialem, quia est per modum formæ, & hoc modo exposuit in Metaphysica disp. 11. sect. 2. n. 17.

38. Secundum sensum non invenio expressum apud aliquem Authorem. Tertium sensum videntur sequi Doctores, qui supra quintam sententiam sequuntur, & expresse Basol. in 2. dist. 34. art. 3. §. *dicitur*. Ferrariens. supra, Granad. citatus sect. 2. num. 7. ubi ait illam positivam entitatem appellari malitiam radicalem, sive quod idem est, fundamentum proximum malitiæ formalis, ita etiam explicat Suar. citatus num. 7. docet enim, si comparetur malitia respectu voluntatis, includere & actum & privationem: si verò actus & privatio comparentur inter se, solam privationem esse malitiam, dum tamen connotet actum, quòd repetit citato loco Metaphysicæ, licet numero 7. asserat malum culpæ semper esse malum naturæ rationali, ideoque semper includere entitatem.

39. Tertia classis est eorum Doctorum, qui ponunt malitiam formalem in solo positivo: in varias tamen scinduntur sententias; prima docet consistere in denominatione extrinseca, desumpta à lege, nam ille actus est formaliter malus, qui prohibetur à lege, hæc autem est mera denominatio extrinseca desumpta à lege prohibente. Secunda sententia asserit consistere in relatione prædicamentali.

40. Tertia sententia docet consistere in relatione rationis, id est, in dissonantia cum recta ratione, vel cum lege, vel cum natura rationali: ita Vasques disp. 95. cap. 9. & 10. Molina 1. p. qu. 5. disp. unica §. *aliorum*, & §. *malum morale* Lessius lib. de gratis cap. 3. num. 8. & lib. 13. de divina perfectione à num. 166. quæ fuit opinio Cani, ut communiter dicitur: Perez certamine octavo Scholastico p. 1. dub. 2. cap. 4. num. 43. §. *his*, & dub. 3. cap. 5. num. 52. §. *quod*, qui dub. 4. cap. 3. num. 57. §. *quod*, addit hanc relationem partim esse transcendentalem, partim prædicamentalem, & toto cap. 4. asserit relationis transcendentalis terminum, esse objectum; prædicamentalis verò, esse legem: & quòd malitia sit relatio rationis, ante hos Authores docuit Major in 2. dist. 43. q. 3. vers. *ideo dico*, loquens de actibus malis, quia prohibitis: possumus in hujus sententiæ patrocinium adducere Durandum in 2. dist. 38. q. 1. num. 7. & in 3. dist. 23. q. 3. Conrad. 1. 2. q. 18. art. 3. & Bannes 1. p. q. 49. art. 2. dicentes rationem malitiæ esse positivam dissonantiam ad rationem, hanc autem dissonantiam docens esse relationem rationis.

41. Quarta & ultima sententia à nobis amplectenda, docet essentiam malitiæ formalis consistere in ordine positivo morali actus ad objectum dissonum legi, sive rectæ rationi: Hanc existimo esse sententiam D. Thom. ut subsect. 15. videbimus, ibique illustrabitur mens Cajetani, & Subtilis Doctoris. Hanc sententiam tuentur gravissimi Theologi, & probabiliorem esse ostendunt, non solùm illorum authoritas, sed etiam firmissima rationum momenta.

42. Ex Antiquioribus sequuntur hanc sententiam Ocham. in 1. dist. 41. q. 3. & in 3. q. 12. in dubiis circa quartum art. principalem litt. Y. Y. Almain. tract. 2. moralium cap. 15. in fine, & in 3. dist. 23. qu. 2. in fine, Angest. tract. 1. moral. cap. 6. concl. 1. & quoad actus intrinsecè malos: Maironius in 2. dist. 4. qu. 3. vers. *ideo dico*, absolutè Gregor. in 2. dist. 34. q. unica art. 2. conclus. 3. ubi asserit peccatum esse malum quatenus est contra rectam rationem, non quatenus habet privationem.

43. Ex schola Thomistarum Canus, Victoria, quos refert Med. 1. 2. q. 71. art. 6. §. *tertia opinio*. & §. *quarta opinio*, quam sequitur §. *impugnatur*, eamque sequutus fuit 1. 2. q. 18. art. 5. §. *unde solutio*. Aquarius in 1. dist. 57. concl. 4. Alvarez disp. 118. & in cap. 45. Isaiæ. Banes 1. p. qu. 48. articul. 1. §. *arguitur* 3. & q. 49. art. 2. §. *circa istud*. Ripal. 1. p. qu. 48. articul. 1. in notatione, Martinez 1. 2. q. 71. art. 6. dub. 1. concl. 5. & 6. & huic sententiæ fere omnes Thomistas recentiores adhæsisse testatur Araujo citatus. Ex aliis verò, qui in Scholam Thomisticam iurarunt, Zomel 1. 2. qu. 71. art. 6. disp. 5. 6. & 7. ibi Curiel. dub. 1. §. 7. & qu. 79. art. 1. §. 7. Patres Carmelitani tom. 1. cursus Theologici tract. 3. disp. 6. n. 18. Cabrera 3. p. q. 1. art. 2. disp. 12. §. 5. n. 33. & disput. 13. §. 6. num. 55. Cornejo de peccatis tract. 7. disp. 4. dub. 8.

44. Ex recentioribus, qui nullam Scholam sequuntur, Cassalius 1. p. quadripartit. Iustit. lib. 1. cap. 33. Lessius de perfectionibus divinis lib. 17. cap. 76. Ægid. de Coninch. de actibus supernaturalibus disp. 3. num. 27. Petrus Hurtado de fide disp. 67. §. 3. & 4. Vestonius lib. 3. de triplici hominis officio cap. 11. Torres opusculorum 11. disp. 1. dub. 7. latissime Rainaud. tom. 1. operis moralis dist. 4. qu. 3. artic. 2. à num. 171. Arriaga 12. disp. 20. sect. 4. num. 44. Angles in 2. dist. 37. qu. 1. art. 2. difficultate 1. novissime Petrus à S. Ioseph. in sua Idea Theologiæ moralis lib. 2. de peccatis cap. 2. resolutione 7. Henriec 1. p. tract. 3. disp. 27. cap. 3. n. 3. ubi asseris hanc sententiam in Hispania esse confirmatam omnium fere Doctorum calculo.

45. Ex Doctoribus, qui primæ classis quintam sententiam tuentur hanc probabilem esse docent Azor lib. 4. cap. 1. in fine, Salas 12. tom. 2. tract. 13. disp. 2. sect. 3. n. 19. Ioan. Roan. lib. 2. de prædestinatione quæst. 4. sect. 1. numer. 84. Henriques lib. 3. de fine hominis cap. 5. litt. L. Hæ sunt sententiæ, quæ versantur circa essentiam formalem malitiæ, omnes fideliter relatæ, & magis ad sensum Doctorum, quam à Recentioribus afferuntur: superest modo de omnibus nostrum proferre judicium.

SUBSECTIO SECUNDA.

Examinantur prima & secunda sententia primæ classis de privatione gratiæ, justitiæ, & aliarum perfectionum.

46. DIco primo contra primam sententiam: Ratio formalis malitiæ formalis non consistit in privatione Dei, gratiæ, aut propensionis ad bonum. Probatur, quia privatio virtutum, gratiæ, vel Dei; est effectus malitiæ formalis; ergo non potest esse ejus essentia. Antec. probatur, quia ideo homo privatur gratia, cæterisque virtutibus, quæ cum illa connectuntur quia elicit actum malum, & peccatis Deum offendit; ergo causa illarum privationum est actus malus, prius enim intelligitur hominem per illum actum Deum offendere, quàm privari gratia, aliisque perfectionibus cum illa connexis.

47. Et quòd privatio gratiæ non sit essentia malitiæ, ostenditur primo, quia illa privatio est

pœna; ergo non est culpa. Anteced. patet, quia homo propter peccatum gratia privatur, & dignus est talis privationis, quia peccavit. Secundo, quia potest stare actus malus, & peccaminosus cum gratia, ut tradunt gravissimi Doctores. Videatur Suar. de pœnitentia disp. 9. sect. 3. n. 9. & disp. 11. sect. 1. num. 8. ergo non potest malitia esse privatio gratiæ: Patet consequentia, quia datur tota essentia malitiæ simul cum ipsa gratia, & non datur privatio illius, cum non possit esse simul cum forma negata. Tertio, quia peccatum habituale est idem, atque actuale, de quo in hac disp. à num. 925. & tamen peccatum habituale non est privatio gratiæ, ut bene inter alios ostendunt Granad. in 1.2. controv. 6. tract. 8. disp. 11. sect. 2. num. 9. Ægid. de Coninch. tom. 1. de Sacramentis disp. 2. de effectu pœnitentiæ dubio 10. num. 91. & de actibus supernaturalibus disp. 21. dub. 8. num. 105. Tandem quia Deus est causa, & author hujus privationis; ergo non potest talis privatio, esse malitia.

48. Dices primo: Per actum malum aufertur nitor animæ & splendor, quem conferebat gratia, simulque ipsa gratia; ergo signum est, quod ablatio, & privatio gratiæ sit ipsa malitia. Respondetur, auferri gratiam & splendorem per illam introductum causaliter, non formaliter, id est, illa malitia est causa, cur auferatur gratia, non tamen est formaliter ipsamet privatio gratiæ, aliter nec Deus privationem illam causaret, nec gratia cum malitia esse posset, nec sine gratia peccatum posset remitti.

49. Dices secundo: Gratia est conversio hominis in finem supernaturalem: atqui actus malus est aversio à Deo fine supernaturali; ergo essentia malitiæ in actu malo, est privatio gratiæ cum nihil aliud sit aversio illa, quam privatio. Respondetur esse conversionem causaliter, non formaliter; est enim gratia causa antecedens cur homo convertatur ad Deum, non tamen est illa formalis conversio, ista enim fit per actum oppositum actui malo, quod ex eo patet, quia sine infusione gratiæ potest remitti peccatum, homoque converti ad Deum, ut bene docent Suar. cit. disp. 9. sect. 4. Granad. cit. tom. 2. in 1a. 2æ. controv. 8. tract. 8. disp. 1. sect. 2.

50. Ex quibus bene ostenditur essentiam malitiæ, etiam non consistere in privatione virtutum, nec in spoliatione gratuitorum, hæc enim omnia consequenter se habent ad malitiam, sunt enim proprietates illius, & pœnæ à Deo inflictæ.
S. Basilius, Unde quando Sancti Patres, ut D. Basilius in con-
Ambrosius. stitutionibus Monasticis cap. 3. & Ambrosius lib. 7. in Luc. super caput decimum tractans de homine incidente in latrones, & alij, dicunt peccatum & actum malum esse privationem virtutum, intelligendi causaliter, non formaliter, id est, malitia causat illam privationem, & non est ipsa privatio.

51. Dico secundo contra secundam sententiam: Essentia malitiæ non consistit in privatione iustitiæ, sive modi, speciei & ordinis. Probatur, quia in genere physico, non deordinatur peccator à Deo, ut causa efficiente, exemplari, aut finali, ut à n. 120. ad n. 137. dicam: in genere verò morali deordinatur quidem, sed ista deordinatio est effectus ipsius malitiæ, ideo enim peccator deordinatur, quia peccat: & si velis deordinationem istam includi in essentia malitiæ, non erit tamquam essentia, sed tamquam circumstantia communis reperta in omni actu malo, ut etiam in omni reperitur inobedientia, & ingratitudo, de quo supra disput. 3. à num. 460. ad n. 466. Tandem quia in brutis, & amentibus, quando efficiunt aliquem actum ex sua natura malum, ut homicidii, aut luxuriæ, talis actus non habet malitiam moralem, & tamen habet illam deordinationem.

SUBSECTIO TERTIA.

Examinatur tertia & quarta sententia primæ classis constituens essentiam malitiæ in privatione actus boni, aut rectitudinis debitæ inesse voluntati.

52. Dico tertio, contra tertiam sententiam, essentiam malitiæ non consistere in privatione actus boni debiti voluntati. Probatur, quia jam non minus peccaret homo ille, qui urgente præcepto amoris Dei, Deum non amaret, atque ille, qui urgente tali præcepto non solum Deum non amaret, sed etiam odio prosequeretur: hoc autem est absurdum; ergo & illud ex quo sequitur. Major probatur, quia in contraria sententia ad rationem formalem malitiæ, solùm requiritur privatio actus debiti: atqui tam in homine, qui solum Deum non amaret, quàm in homine, qui non solùm Deum non amaret, sed etiam Deum odio prosequeretur, non reperitur nisi privatio amoris Dei, qui est actus bonus debitus voluntati; ergo æqualiter peccaret ille, qui solùm Deum non amaret, atque ille, qui non solùm Deum non amaret, sed etiam odio prosequeretur.

53. Secundo, quia actus malus non solum est malus, sed etiam est formaliter malus; ergo illi necessario debet inesse privatio, sive malitia, & non in ipsa voluntate debet residere; namque *forma non reddit subjectum formaliter tale, nisi illi insit per se, & immediatè*; cum ergo voluntas non sit formaliter mala, & actus sit formaliter malus, privatio inesse debebat ipsi actui, non verò voluntati; cum autem insit actui, signum est quòd si malitia foret privatio; esset privatio formæ debitæ actui, cui immediatè, & per se inest, non verò debitæ voluntati, cui tantùm mediatè, & ratione actus inest.

54. Dices, ideo esse hanc privationem respectu voluntatis, quia est privatio rectitudinis debitæ formæ, id est, actui, qua affici deberet voluntas. Sed contra, quia jam tota commissionis peccati malitia foret, quia voluntas non haberet actum, quem tunc habere deberet, & per consequens æqualis malitia reperiretur in peccato omissionis, si quidem voluntas per utrumque peccatum non amplius habet quàm carere actu.

Tertio, quia non ideo calor est malus aquæ, quia caret perfectione frigoris ipsi aquæ debita, vel quia inducit privationem ejusdem perfectionis debitæ aquæ, sed quia per se ipsum est formaliter disconveniens aquæ, ut dixi supra à num. 12. usque ad num. 19. ergo similiter malitia formalis, non erit mala voluntati, quia caret perfectione debita ipsi voluntati, aut quia inducit privationem ipsius perfectionis. Tandem, quia si nullum urgeat præceptum affirmativum eliciendi actum bonum, potest quis contra præceptum negativum, per odium verbi gratia peccare: atqui tunc odium non est malum, quia privat voluntatem actu amoris, hic enim, ut supponitur, non erat debitus voluntati; ergo ex eo odium tunc erit malum, quia est forma malè afficiens voluntatem contra præceptum negativum.

55. Dico quarto contra quartam sententiam:

Essentia malitiæ formalis non consistit in privatione negativa rectitudinis negativæ debitæ voluntati. Probatur primo, quia malitia formaliter inest actui, non voluntati. Secundo, quia hic modus dicendi admittit negationem negationis, quod quidem absurdum esse sic probo, quia data negatione negationis, tollitur de medio omne contradictorium; quod lumen naturale dari ostendit. Probatur antecedens, quia oppositio contradictoria debet esse immediata, id est, nihil potest esse imaginabile, de quo alterum contradictorium non prædicetur, in hoc enim fundatur illud principium, *quodlibet est, vel non est*: atqui data negatione negationis, altera negatio, nec est forma negata, nec est illa negatio; ergo jam datur aliquid de quo unum contradictorium non affirmetur. Verbi gratia sit forma negata *homo*, & negatio hominis sit *non homo*, & hujus negationis negatio sit *non lapis*, hæc negatio *non lapis*, non est homo, homo enim est quid positivum, non est etiam negatio hominis, id est, *non homo*, cum enim *non lapis*, sit negatio non hominis, non supponitur, non potest esse id, quod directè negat; ergo jam dabitur aliquid saltem imaginabile, quod nec sit homo, nec non homo: & per consequens non poterit unum ex oppositis prædicari contradictoriè, si quidem de ratione contradictorii est, ut nil possit esse imaginabile, de quo alterum contradictorium non prædicetur.

Confirmatur primo, quia si est possibilis negatio negationis, debet contradictoriè esse opposita negationi quam negat: sed neutra illarum negationum prædicatur de forma negata per negationem negatam; ergo una non est alteri opposita. Minor probatur, quia *non non homo*, non est *non homo*, quæ est forma propria negata, neque est *homo*, sive negatio non hominis, quia homo est terminus positivus.

Confirmatur secundo, quia negatio formæ, idem est, quod non forma, negatio verò non formæ est ipsa forma, namque negationi formæ solùm forma opponitur, de quo videnda sunt, quæ dixi supra numero 14. Dices cum Salas citato in illa quarta sententia, qui negationem negationis admittit; in homine habente visum dari carentiam cæcitatis, quæ carentia cum sit negatio, & cæcitas sit etiam negatio, datur negatio negationis. Sed contra est, quia illa carentia cæcitatis, non est negatio, sed quid positivum, id est, ipsa forma visus. Et contra negationem negationis videantur Suar. in Metaphysica disput. 4. sect. 1. numer. 20. Raimund. citatus numer. 264. §. *quamquam*, Curiel. 1.2. quæst. 71. articul. 6. dub. 1. §. 3. vers. *sed contra hoc*.

SUBSECTIO QUARTA.

Impugnatur quinta sententia, sive communis de privatione rectitudinis debitæ actui.

56. Dico quinto contra quintam sententiam: Essentia malitiæ formalis non consistit in privatione rectitudinis debitæ inesse actui. Firmissima sunt fundamenta, quibus hæc sententia impugnatur. Primum sit argumentum Marronii, in secundo dist. 43. qu. 3. Sequitur peccata commissionis, & omissionis, si versentur circa eamdem honestatem, esse ejusdem speciei; hoc autem est contra communem sentiendi modum; ergo, &c. Sequela probatur, quia utrumque peccatum habet eamdem privationem, in qua sita est ratio formalis malitiæ: sed *ubi est eadem forma constituens, non potest esse duplex constitutum specie diversum*

57. Respondet Rubion. in 2. dist. 35. q. 1. art. 1. ad 1. in peccatis commissionis & omissionis eamdem esse formam negatam, sed quia peccatum commissionis habet pro materiali actum positivum, quem non habet peccatum omissionis; inde est; quòd unum ab altero specie differat; sed contra est, quia materiale non est ratio distinctiva essentialis & specifica, hæc enim distinctio essentialis solùm fit per rationem formalem constitutivam, cum *idem sit constitutivum, ac distinctivum*: & hoc apparet exemplo ligni, & parietis, quæ ut alba sunt, ejusdem sunt speciei, etiamsi lignum & paries differant specie, eò quòd essentia, per quam differunt essentialiter, non ingreditur rationem albi, sed habet se velut materiale: albedo namque est tota ratio formalis, cur dicantur alba. Cum igitur privatio reperta in peccato commissionis & omissionis, sit ejusdem speciei, etiam illa peccata, qua peccata sunt, erunt ejusdem speciei, non obstante quòd peccatum commissionis habeat pro materiali, actum quem non habet peccatum omissionis. Ex quo evellitur etiam solutio Becani citati q. 5. num. 14. asserentis ex eo commissionis peccatum ab omissionis peccato differre specie, quia peccatum omissionis totam aufert substantiam actus, residetque immediatè in potentia; peccatum verò commissionis non aufert actum, imò in eo residet.

58. Secundum argumentum est, quia sequeretur omnes actus malos contra eamdem virtutem, esse æquales in malitia; sequela est falsa, & absurda; ergo & illud, ex quo sequitur. Sequela probatur, quia malitia privationis sumitur ex perfectione formæ oppositæ: atqui eadem omnino est rectitudo virtutis, qua privant peccata illi virtuti opposita; ergo eadem omnino erit malitia reperta in illis peccatis. Minor probatur, quia privationes specificantur per formas oppositas. Minor indet patet, quia virtus opposita est eadem, ut supponitur; Consequentia autem ostenditur, quia ista peccata totaliter privant rectitudine actualis virtutis; ergo si eorum essentia consistit in privatione illius, unum non est pejus altero. Consequentia constat ex Angelico Doctore 1. 2. qu. 73. articul. 2. & qu. 83. articul. 4. ubi asserit æquales esse privationes, quæ totaliter privant forma opposita, qua ratione omnes mortes sunt æquales. D. Thom.

Confirmatur, quia rectitudo unius virtutis est una in specie atoma, sicut & ipsa virtus; ergo privationes illius non possunt esse specie diversæ. Probo consequentiam, quia privationes specificantur per formas negatas; ergo si forma negata est una specifice, non possunt privationes esse diversæ speciei. Patet consequentia quia *non potest dari major distinctio in specificato, quam sit in specificativo*. Tandem ideo istæ privationes dicuntur malitiæ, quia privant actum propria rectitudine: atqui non magis una privat actum rectitudine, quàm altera, cum unaquæque totaliter privet actum illa rectitudine; ergo non erit una pejor altera, sed erunt æquales in malitia, quod est omnino absurdum, nam majoris gravitatis, & malitiæ sunt positivum odium Dei, & infidelitas, quàm omissio habendi actum charitatis, vel fidei: aliter sufficeret dicere in confessione, peccavi contra charitatem, vel fidem, non explicando an peccaverit per commissionem, vel omissionem; Scio varias solutiones adhiberi huic argumento,

sed nulla exhaurit difficultatem, ut videre est apud Rainaudum citatum.

59. Tertio argumentor illo communi & trito argumento, quo utuntur communiter Recentiores: Assignari debet subjectum hujus privationis; atqui non potest esse voluntas, nec ipse actus, non apparet aliud, quod sit illius subjectum; ergo defectu subjecti impossibilis est talis privatio: Minor probatur, & primo: Voluntas non potest esse subjectum illius privationis, ut ostendi supra à num. 52. Secundo, non potest esse actus, quia privatio est carentia formæ in subjecto apto ad habendam illam: atqui in actu intrinsece malo; verbi gratia in odio Dei, non datur aptitudo ad habendam rectitudinem oppositam; ergo carentia talis rectitudinis in illo actu non est privatio, sed pura negatio; & per consequens actus non est subjectum illius privationis, quæ fingitur ratio formalis malitiæ.

Ut hujus argumenti vis evitetur, varias assignant contrarii responsiones, quas latè referunt Suar. citata sect. 5. à num. 10, Montesin. disputat. 3. à num. 101. Perez dub. 1. cap. 4 à n. 20. Rainaud. à num. 258.

60. Et prima solutio fit cujusdam Eborensis Doctoris ex Societate, qui in suis manuscriptis de peccatis asserit verum esse quòd actus intrinsece malus, verbi gratia odium Dei, non fit capax rectitudinis, ideoque in illo malitiam formalem non esse privationem, sed negationem. Sed hoc est jam recedere ab illa communi sententia: & insuper solutio est omnino falsa, nam quidquid denominat rem malam, debet rem malè afficere: atqui pura negatio non afficit rem malè; ergo non est malitia, per quam adeo malè afficitur voluntas. Minor probatur, quia tantùm abest, quòd per puram negationem res malè afficiatur, quod si per formam negatam, negatio illa excluderetur, res substracta malè se haberet. Patet hoc, quia ablata negatione, res desineret esse quod erat, verbi gratia si lapis non esset non homo, etiam non esset lapis, ideo ex hominis negatione lapis non denominatur malus, quin potius bonua, cum sit sequela propriæ essentiæ, ac proinde malitia non potest esse pura negatio, cum sit sequela actus, & non malè, sed bene illum afficiat.

61. Respondent secundo, (aliis solutionibus minoris ponderis omissis) carentiam rectitudinis in odio Dei dici privationem respectu actus, non quidem secundum differentiam specificam, sed secundùm gradum genericum actus humani; id est actus intrinsece malus, quatenus est in specie certa & determinata, incapax est rectitudinis, & hujus carentia est mera negatio respectu illius: attamen, si generice consideretur, ut actus humanus est, carentia rectitudinis est privatio, quia licet actui illi particulari non sit debita rectitudo cum per illam destruendus foret; est tamen debita tali actui secundùm rationem communem actus humani in quantum scilicet est actus de objecto cadente sub præcepto, cui voluntas obedire tenetur, debebatque elicere actum conformem præcepto, quòd si non eliciat, sed oppositum, rectitudo, quam debebat actus conformis habere, est forma privata privationis.

Aristot. Confirmant hanc responsionem exemplo Talpæ, quod affert Arist. 5. Metaph. cap. 22. text. 27. ubi ait: si Talpa consideretur specifice ut Talpa est, habere negationem visus; si autem consideretur ut est animal, habere privationem, quia animali ut sic debetur visus: & eodem modo claudicatio dicitur privata rectitudine gressus, quæ tamen illi claudicationi non est debita, sed deambulationi.

62. Quam solutionem afferunt communiter Scotistæ in secundo dist. 37. qo. 1. numer. 6. vers. *concedo*, & numero 11. vers. *ad 3*. Herrera dispur. 29. de peccatis qu. 2. Rada 1. p. controv. 16. §. ad 1. Valentia disputat. 1. pon&. 3. §. ad 7. Montesinos cit. numer. 57. & 106. Azor qu. 6. §. in hac. Lorca §. *ex communi*. Araujo qu. 71. numer. 41. Granad. controv. 6. tract. 1. disputat. 1. sect. 4. num. 21. &c. quos refert Salas tract. 13. disput. 2. num. 28.

63. Sed contra hanc solutionem est primo, quia quod non est capax secundum rationem generia formæ negatæ, non etiam est capax privationis, ideo enim anima non est capax cæcitatis, quia non est capax visus: atqui odium Dei secundùm rationem communem generia, seu actus humani, non est subjectum capax formæ negatæ, id est, dilectionis Dei; ergo nec privationis. Minor probatur, quia dilectio Dei, quæ est illa rectitudo particularis, non debetur actui humano in communi, sed in particulari, aliter nullus daretur actus humanus sine ea.

64. Secundo, quia ex opposito, illa carentia, non magis esset privatio rectitudinis oppositæ, quàm alterius cujuscumque rectitudinis: Verbi gratia privatio in odio Dei, non magis esset privatio rectitudinis amoris Dei, quàm temperantiæ, justitiæ & aliarum virtutum; atqui hoc est confundere omnia peccata inter se, eritque unum peccatum omnia; omniaque unum; quod absurdissimum est. Major probatur, quia odium Dei ratione gradus communis, id est actus humani, habet aptitudinem ad habendam quamliber rectitudinem, & per consequens tot habebit malitias, quot caret rectitudinibus. Addit Perez num. 21. quod illa privatio esset debita omnibus actibus malis, ut potentia visiva debita est omni animali, & ratio est, quia omnea actus mali participant illam rationem communem, & quidquid est de ratione communi, est etiam de ratione particularium.

65. Respondet Lorca citatus disputat. 25. §. *ex communi* ad 3. illam rectitudinem deberi odio Dei, non ratione gradus generici, & communissimi, sed ratione gradus proximioris, qui quidem gradus tantum est communis actui bono amoris Dei, ac actui malo odii Dei, & huic actui malo debita est rectitudo amoris.

66. Sed contra est primo, quia hæc solutio expressè contradicit Scoto in 1. dist. 28. q. 2. nom. 3. à quo Authores hujus sententiæ solutionem hanc desumpserunt. Secundo, quia actus moralis immediatè dividitur in bonum & malum. Deinde actus bonus in varia genera, & actus malus in alia varia genera dividitur: atqui non datur genus proximius respectu actus amoris Dei, & odii, sed amor continetur sub genere actus boni, ut odium Dei, sub genere actus mali, quæ quidem genera habent sub se alios actus bonos, & malos, aliter non essent genera, sed species. Tertio, quia ex eo contrarii, præcipuè Lorca §. *ex communi*, docent in Talpa dari privationem visus, quia Talpa est animal, & ratione animalis est subjectum aptum: atqui animal non est genus proximum, sed brutum; ergo, &c. Videatur Cornejo citatus disp. 4. dub. 7. n. 15. ubi latè solutionem Lorcæ impugnat. Scotus.

67. Tertio, impugno solutionem principalem argumenti; quia ratio illa contracta in odio Dei,

non est ratio generis, sed speciei, ex quo principio in Logica cum Scoto cap. de genere q. 2. §. ad primum, Serna disp. 3. sect. 1. q. 1. art. 3. Nojensi in quæst. 5. prædicabilium Scoti art. 2. §. *dicendum*, Murcia cap. de genere disp. unica quæst. 4. §. *ad* 2. dixi genus non prædicari immediatè de pluribus numero differentibus ex eo, quia illa ratio contracta in individuis, non est genus, sed species; quæ est doctrina Philosophi 4. lib. Topicorum cap. 7. ubi ait genus non posse prædicari de individuis, nisi mediante specie: ex qua doctrina optimo infertur illam rationem generis contractam in odio Dei, non esse capacem rectitudinis debitæ: cum enim ista capacitas juxta contrarios tota proveniat ex ratione communi generis, cum in odio Dei non detur ratio communis, sed contracta; quæ est species, non dabitur etiam capacitas. Aristot.

68. Quarto; quia non est possibile, quòd odio Dei debeatur illa rectitudo ratione gradus communis, id est, actus humani: quia ut foret debita illa rectitudo odio Dei, debebat esse debita actui humano: atqui non est debita actui humano; ergo nec odio. Minorem probo, quia actus humanus in communi, non postulat hanc potius, quàm illam differentiam particularem; sed abstrahit à bonitate & malitia; eo modo, quo animal ex se non postulat hanc differentiam hominis, sed vel hominis vel bruti; abstrahit enim ab utraque, cum genus non sit determinatum ad unam differentiam, sed indifferens ad omnes, ideoque generi non magis est debita una, quàm altera differentia.

69. Quinto, quia ex opposito sequeretur quod in homine verbi gratia essent privationes latrandi, vel hinniendi: in igne esset privatio frigoris: in Angelo privatio perfectionis humanæ, & sic de aliis individuis: Sequela autem, cum sit falsissima, ostenditur manifestè, quia licet illæ formæ negatæ repugnent illis individuis ratione differentiæ specificæ; non tamen repugnant ratione generis: quare animal, cum sit gradus genericus respectu hominis, canis & equi, non repugnabit homini latrare, hinnire, ridere, cùm corpus naturale sit gradus generis respectu ignis atque aquæ, non repugnabit igni frigus: & cum rationale sit gradus genericus respectu hominis & Angeli, non repugnabit Angelo perfectio humana.

70. Dices cum Araujo num. 41. §. *ad probationem*, diversam dari rationem, quia licet animali & corpori naturali, non repugnent illæ formæ, non tamen sunt debitæ animali, vel corpori naturali; quod probat ex eò, quòd illi gradus generici ex se non postulant illas formas, sed sunt indifferentes ad illas: at vero actus humanus postulat rectitudinem tamquam formam sibi debitam propter conditionem sui subjecti, cum omnis natura rationalis debitrix sit ponendi rectitudinem in omni sua operatione.

71. Sed contra primo, quia si iste actus secundùm actum genericum postulat eam rectitudinem, tamquam formam sibi debitam propter conditionem sui subjecti, vel istud debitum est in genere physico vel in genere morali: non primum, quia actui generico non minus debita est differentia unius quàm alterius speciei, id est, non minus debita est rectitudo, quàm obliquitas contraria, ut non magis debita est animali differentia rationalis, quàm irrationalis: non secundum, quia hoc debitum non est in actu, sed vel in voluntate, vel in natura rationali; cum enim hoc debitum oriatur ex lege; lex non imponitur actui, sed voluntati, quæ sola potest eligere, vel obedire.

72. Secundò, quia hoc debitum in natura rationali; non est ad ponendam rectitudinem in actu malo, aut generico, qui identificatur cum tendentia ad objectum intrinsece malum, impossibile enim est ponere rectitudinem in illo actu, sed tantùm est illud debitum ad hoc ut natura rationalis non eliciat talem actum. Tertio, quia jam illa carentia formaliter inesset voluntati, non actui. Probatur, quia privatio in illo tantùm subjecto debet esse, in quo reperitur aptitudo ad formam negatam; seu in quo reperitur postulatio formæ, ratione cujus aptitudinis, & postulationis, carentia dicitur privatio: atqui aptitudo illa & postulatio, solùm reperitur in voluntate, & non in actu; ergo in voluntate ponenda erit illa privatio, & non in actu. Quarto, quia carentia, quæ est peccatum, debet esse libera: atqui illa carentia, licet respectu voluntatis sit libera, est tamen necessaria respectu actus.

73. Exemplum verò quod affertur de Talpa, contrariis non favet, nam illa carentia visus, est pura negatio: quando verò Arist. illam appellat privationem, loquitur impropriissimè, pro pura negatione, ut eo in loco se explicat, ubi novem privationis acceptiones recenset. Prima acceptio est; *carentia formæ aptæ haberi ab aliquo, sed non ab illo in quo consideratur*, cujus exemplum ponit in planta, quæ habet carentiam visus: secunda est hæc de qua agimus, cum scilicet subjectum non est aptum habere formam, nisi ratione alicujus gradus generici, quem includit; cum ergo carentia visus in planta sit pura negatio, etiam in Talpa erit pura negatio, & per consequens solum impropriè appellatur privatio ab Aristot. ut bene vidit citatus Scotus n. 3. nam privatio propria, est illa, quam explicavit Arist. in postprædicamentis cap. de oppositis, ubi solùm hanc privationem admittit, quæ est carentia formæ in subjecto simpliciter apto ad habendam formam, quando & ubi aptum fuerit illam habere. Idem dicendum est de carentia gressus in claudicatione, est enim illa carentia pura negatio: argumenta contrariorum infra solventur. Scotus. Aristot.

SUBSECTIO QUINTA.

Reprobatur sententia secunda classis, quæ asserit malitiam formalem consistere in positivo, & negativo simul.

74. Dico sexto: Ratio formalis malitiæ non constituitur formaliter ex positivo & privativo simul, & ut impugnetur omnis sensus in quo defenditur ista sententia, eam impugno per singulas partes, quibus defenditur, & primo probo non constitui ex privativo, & positivo tamquam ex genere & differentia: Primo, quia Arist. 1. de partibus animalium cap. 3. docet genus, & speciem dicere eamdem naturam, & realitatem, ita ut genus se habeat tamquam materia, potentia, & perfectibile respectu differentiæ; species autem, ut forma actua & perfectio ipsius generis; atqui privativum & positivum non dicunt eamdem realitatem, & cum differant plusquam genere, unum non potest esse actus intrinsecus naturæ alterius. Aristot.

75. Secundo, quia magis distinguuntur positivum & privativum, quàm substantia, & qualitas, & quàm quantitas, & relatio: sed actus de genere qualitatis, vel relationis, non potest esse differentia substantiæ, vel quantitatis; ergo nec

privatio poterit esse differentia positivi. Minor probatur ex illa regula antepraedicamentali *diversorum generum, & non subalternatim positorum*.

76. Secundo, contra Nazarium asserentem positivum & privativum esse malitias partiales, sic arguo, quia ut probavimus subsect. 4. privatio illa non est malitia (ex qua doctrina omnis sensus hujus sententiae exploditur) deinde ostendam subsect. 8. à num. 91. solum actum positivum antecedenter ad omnem privationem esse malum; ergo cum privatio non sit malitia, non poterit esse malitia partialis. Deinde licet privatio, vel negatio illa consequatur malitiam illam positivam, nullo tamen pacto potest esse constitutivum malitiae, sed ad plurimum proprietas negativa eo modo, quo supra à numero 12. dixi calorem malum esse aquae, ratione suae entitatis, & non privationis frigoris, quae ex calore sequitur; eo etiam modo, quo actum bonum comitatur carentia malitiae, tamen bonitas non constituitur ex positivo & carentia, nec carentia illa est essentia bonitatis.

77. Tertio, contra Hieronymum de Rua asserentem tam entitatem quam carentiam, esse necessariam ad malitiam constituendam, neutramque per se esse malitiam, sic arguo primo, ex illa ratione communi, quia solùm positivum, & non privatio est malitia. Secundo, quia propter duo incommoda praedictus Author (qui satis diligenter in hac spatiatur quaestione.) hanc adstruxit sententiam. Primum est ne cogamur fateri Deum esse causam peccati, si peccatum est positivum: secundum ne destruatur contrarietas inter actum bonum & malum, si privatio est malitia.

78. Neutrum tamen evitat praedictus Author, ideo ejus labor frustraneus fuit: non evitat primum inconveniens; quia non magis sequitur Deum esse causam peccati, si peccatum sit solum positivum, quam si sit simul positivum, & privativum, cum etiam Deus sit causa illius privativi ut infra subsect. 11. à num. 121. dicendum est. Non evitat secundum inconveniens, quia oppositio contraria tantùm est ratione tendentiae positivae, quia scilicet actus bonus est ratio tendendi in objectum consonum rationi, & actus malus in objectum dissonum rationi: atqui juxta hanc sententiam tendentia illa positiva actus mali non est mala; ergo nec actus in illo priori erit malus; ergo oppositio non erit inter actum bonum & malum; sed inter actum bonum, & actum non malum; & per consequens ut illa oppositio diceretur contraria, necessario tendentia debebat esse mala.

79. Quarto probo, malitiam formalem non constitui ex positivo in recto, & formaliter dicto, & ex privativo tamquam complemento, & connotato, quia privativum non est de ratione formali malitiae: & positivum illud praecisa omni carentia est formaliter malum, ut videbimus infra subsect. 8. ergo privatio non potest esse complementum malitiae formalis: & confirmatur, quia privatio nullo modo est de essentia entis realis, ut bene docet D. Thom. in 2. dist. 40. quaest. 1. art. 1. ad 3. aliter aliquid entis realis esset non ens, vel privatio: tandem quia omnes actus mali essent ejusdem speciei ratione sui complementi ex argumento supra facto. Per quae excluditur simul tertius sensus praedictae sententiae. D. Thom.

SUBSECTIO SEXTA.

Reprobatur prima sententia tertiae classis, quae constituit essentiam malitiae in denominatione extrinseca.

80. Dico septimo: Ratio formalis malitiae formalis, non est denominatio extrinseca. Probatur primo, quia malitia, ut malitia est, habet in homine causam intrinsecam; ergo non est denominatio extrinseca: haec enim, non requirit causam in subjecto quod denominat, imò si causam postulat, extrinseca debet esse, quod praeter quod sit commune & clarum, patet ex disp. 1. n. 74. disp. 2. n. 127. Antecedens vero probatur, quia malitia, non tantum ut est actus secundum rationem qua causatur à Deo, sed etiam ut malitia, est voluntaria homini; ergo ut malitia est, debet causari à principio intrinseco ipsi homini, hoc enim est de ratione voluntarii, ut vidimus disput. 1. à numer. 23. usque ad numer. 30.

81. Secundo, quia malitia ut malitia est, odio habetur à Deo, juxta illud Sapientiae cap. 14. vers. 9. *Similiter autem odio sunt Deo impius, & impietas ejus*; ergo ut malitia est, intrinsecè est in homine. Consequentia probatur, quia odium Dei supponit aliquam malitiam moralem intrinsecam in eo qui odio habetur, aliter in perjurio nil intrinsecum esset, quod Deus non amaret, & quod non causaret secundùm quamlibet rationem intrinsecam; & solùm odio haberet extrinsecam illam denominationem: Hoc autem est impossibile, cum ex eo sequatur mutatio in voluntate divina, si quis enim incipiat elicere actum sine peccato, & postea illum continuet cum peccato, ille actus à principio amatur, in continuatione odio habetur à Deo: atqui ista mutatio amoris in odium, non provenit ex mutatione divinae voluntatis, in quam non cadit mutationis obumbratio; ergo provenit ex mutatione ipsius actus, qui ex eo, quòd est malus, vel est diversus, vel habet aliquid intrinsecum, quod antea non habebat: aliter, si in se ipso, actus immutatus maneret, & eodem modo, cum Deus eodem modo se habere debuisset, cum mutari non possit, eodem modo amaret illum actum in continuatione, quo amabat in principio. Sapien. 14.

82. Tertio, quia malitia habet effectus reales intrinsecos homini; destruit enim gratiam & charitatem: deordinat hominem à Deo ultimo fine, illumque ordinat ad creaturam, ut ad ultimum finem; ergo non est denominatio extrinseca: haec enim nullos effectus reales producere potest, sat nec esse dextrum, aut visum, producit effectus reales. Confirmatur, quia malitia convenit actui ex ordine ad suum objectum formale specificativum; ergo non potest esse denominatio extrinseca.

83. Quarto denique, quia ex opposito sequuntur aliqua absurda fidei repugnantia. Primum est hominem non maculari per actum malum. Secundum, transacto peccato, nihil remanere in homine, quod per gratiam remitteretur. Tertium non dari terminum iustificationis. Primum probatur, quia homo non maculatur intrinsece per actum malum, ut est actus, & ens, ut sic enim à Deo est, & non est malus; ergo maculatur per actum illum, ut malitiam habet; ergo si malitia non est intrinseca illi actui, nihil datur in illo actu intrinsecum quod tollat gratiam, animaeque splendorem.

splendorem. Secundum ostendo, quia remissio peccati, est vera ablatio peccati ab anima, aliter per solam extrinsecam non imputationem remitteretur peccatum, quod quidem error est in fide. Tertiom probo, quia terminus justificationis, est quid positivum, cum justificatio sit motus inter terminos contrarios, gratiam nimirum, & peccatum.

84. Tandem ex eo probatur, quia actus moralis constituitur per quid intrinsecum in ratione moralitatis, deinde etiam bonitas moralis constituitur per aliquid intrinsecum; ergo etiam malitia moralis. Consequentia videtur optima à paritate rationis: Antecedens quoad actum moralem constat ex disp. 2. à num. 186. quoad bonitatem; & probat late Cornejo dub. 10. num. 26.

85. Objicies primo: Ratio formalis malitiæ potest adesse, & abesse absque aliqua sui mutatione per solam mutationem extrinsecam; ergo malitia illius actus solùm est denominatio extrinseca. Antecedens patet in actibus prohibitis pro certo tempore, & sub certis circumstantiis: actus enim qui antea non erat prohibitus, non variatur intrinsece posita prohibitione. Respondetur negando antecedens, de quo vel simili argumento multa dixi disp. 3. à num. 679.

86. Secundo: Ratio formalis malitiæ in multis pendet ex libera voluntate alterius, nam ratio furti pendet ex hoc quod res sit aliena, ratio adulterii ex eo quòd mulier sit alteri nupta: sed conditio actus, pendens ex voluntate libera alterius, non potest esse nisi denominatio extrinseca; ergo, &c. Respondetur, distinguo Majorem, ratio formalis malitiæ pendet ex libera voluntate alterius, ut causante saltem radicaliter mutationem in objecto, & in actu terminato ad illud, transeat Major: non causante mutationem, nego: deinde distinguo Minorem, sed conditio actus, &c. non potest esse nisi denominatio extrinseca, si non mutet objectum, concedo; si mutet, nego: cum ergo mutetur objectum in malitia ex libera voluntate aliena, non erit denominatio extrinseca, sed intrinseca, de quo argumento plura dixi disp. 2. à n. 182.

87. Dices tertio: Libertas est extrinseca actui malo; sed libertas requiritur essentialiter ad malitiam; ergo malitia erit quid extrinsecum actui. Respondetur primo negando Majorem de quo disp. 2. à num. 195. usque ad 229. Secundo, negando consequentiam, quia bene potest aliquid extrinsecum actui requiri essentialiter ad illum, ut actio est extrinseca relationi, & tamen necessario requiritur ad illam.

SUBSECTIO SEPTIMA,

Reprobatur secunda sententia tertiæ classis, constituens malitiam in relatione prædicamentali reali, simulque tertia de relatione rationis.

88. DIco octavo: Malitia formalis non consistit in relatione reali prædicamentali. Hæc conclusio satis probata manet ex his quæ diximus de moralitate actuum humanorum disp. 2. à num. 189. de bonitate formali disp. 3. numer. 93. omnia enim, quæ probant moralitatem, vel bonitatem non consistere in tali relatione, probant etiam in eadem non consistere malitiam. Deinde probatur primo, quia datur principium per se primo productivum actus, ut est malus, ergo ratio ejus malitiæ, non est relatio. Consequentia probatur, quia ad relationem, non est per se motus, nec relatio per se primo producitur ab aliquo principio. Antecedens est Div. Thom. in 2. dist. D. Thom.
33. quæst. 1. articul. 2. ad 2. ubi probat habitum peccati, verbi gratia injustitiæ, per se primo inclinare ad actum sub ea ratione, qua est peccatum injustitiæ, aliter habitus justitiæ punitivæ, vel legalis in Iudice, & habitus injustitiæ, quo quis inclinatur ad occidendos homines privata authoritate, non distinguerentur: nam si iste habitus inclinat solum ad occidendos homines secundùm substantiam talis actus, & non secundum rationem injustitiæ, qua est malus, eodem modo habitus justitiæ punitivæ in Iudice solum inclinabit ad substantiam actus occidendi homines, & non erit principium, ex quo sumatur differentia.

89. Secundo, quia actus malus injustitiæ ut sic, opponitur contrariè actui justitiæ; ergo malitia injustitiæ formaliter non est relatio prædicamentalis. Anteced. probat Arist. in cap. de oppo- Aristot.
sitis, & D. Thom. supra citatus art. 1. & patet quia D. Thom.
tendentia actus injustitiæ est ad objectum contrarium objecto justitiæ. Consequentia verò patet ex eodem Arist. in prædicamentis ubi ait *relationi nil esse contrarium*.

90. Dico nono: Formalitas malitiæ non consistit in relatione rationis. Primò, quia ante omnem fictionem intellectus odium Dei, verbi gratia, est malum. Secundò, quia ens rationis, non est causa realis effectuum realium: atqui malitia formalis est causa effectuum realium; ergo non est ens rationis. Minor probatur, quia ut bonitas moralis est causa meriti, ita etiam malitia est causa demeriti, sed meritum, & demeritum sunt aliquid à parte rei; ergo malitia est à parte rei. Et confirmatur, quia actus malus, ut malus est, est causa habitus mali: atqui habitus malus est quid reale; ergo illius causa non potest esse ens rationis. Tertio, quia ex opposito sequeretur nostros actus malos à Deo non esse cognoscibiles in opinione contrariorum. Sequela probatur, quia in opinione Vasques prima parte qu. 108. articul. 4. disput. 115. & disput. 118. Deus non cognoscit entis rationis; ergo si actus mali sunt entia rationis sub ratione malitiæ, Deus illos non cognoscet; quod argumentum optime affert contra Vasques, Cornejo dub. 9.

91. Quarto, quia actus à parte rei absque ullo ordine ad intellectum, habet unde sit malus; ergo non est ens rationis. Dices, satis esse quòd à parte rei existat fundamentum hujusmodi relationis, ut ipsa dicatur existere, eo modo quo Deus à parte rei dicitur Creator & Dominus, cum tamen relationes Creatoris & Domini, sint relationes rationis: Sed contra, quia Deus non dicitur Creator aut Dominus à relatione rationis, sed à potentia, & actu creandi, sive à fundamento, quod intellectus invenit in Deo ad relationes illas considerandas: at verò actus malus formaliter dicitur malus à parte rei: cum dici non possit malus à fundamento, jam enim fundamentum esset ipsa malitia.

92. Quinto, quia relationi quæ datur inter actum & naturam rationalem, nihil deficit ad hoc ut sit realis; ergo fictitia est relatio rationis: Antecedens probatur, quia ad relationem realem requiruntur, Primo, extrema realiter distincta, & existentia: Secundo, quòd posito fundamento, & termino resultet relatio: Tertio, quod unum extremum ex natura rei ad alterum ordinetur: Quarto, quod ante operationem intellectus referat subjectum ad terminum: sed hæc omnia dentur in relatione inter actum malum, & na-

turam rationalem; ergo licet in illa relatione consisteret malitia formalis (quod falsum est) adhuc non esset relatio rationis. Minor probatur, & primo: Extrema sunt actus malus, & natura rationalis, quæ realiter distinguuntur, & actu realiter existunt: Secundo, Posito actu, & natura rationali, non potest non resultare dissonantia, sive relatio dissonantiæ inter utrumque: Tertio, ille actus malus, verbi gratia odium Dei, de se à parte rei ordinatur ad objectum dissonum naturæ rationali, & in hac dissonantia reali fundatur illa relatio: Quarto, iste actus ante omnem rationis considerationem, est dissonus naturæ rationali.

93. Quòd verò addit Perez hanc relationem partim esse transcendentalem, partim verò prædicamentalem, absurdum est, & ab omnibus communiter reprobatur: & primo, quia essentia utriusque relationis est omnino diversa, differunt enim plusquam genere; ergo non potest una & eadem relatio esse simul transcendentalis & prædicamentalis. Secundo, quia chymericum est, & fictitium id quod asserit, nimirum ordinem actus ad objectum esse relationem transcendentalem, & rationis: quis enim unquam asseruit actum ex se sine operatione rationis non ferri in suum objectum? Tertio, quia non minus fictitium est id quod amplius docet, videlicet dari relationes rationis ante omnem operationem Intellectus: non tamen mirum, quòd opinio adeò fictitia fictitiis nitatur fundamentis.

94. Argumenta vero, quibus contrarii defendunt essentiam malitiæ consistere in relatione, vel prædicamentali, vel rationis, soluta sunt disp. 2. à numero 174. & disp. 3. numero 91. quando verò sancti Patres docent malitiam consistere in relatione dissonantiæ, vel disconvenientiæ, quod
Areopag. expressit Sanctus Dionysius cap. 4. de divinis nominibus, loquuntur vel de relatione transcendentali, vel de relatione prædicamentali, ut consequitur ad malitiam actus, tamquam proprietas resultans, non verò ut est forma constitutiva malitiæ.

SUBSECTIO OCTAVA.

Approbatur ultima sententia constituens malitiam in solo positivo.

95. Rejectis opinionibus circa rationem formalem malitiæ, superest ut videamus in quo sita sit ista ratio formalis, pro quo dico primo: Ratio formalis malitiæ consistit in ordine transcendentali morali actus ad objectum dissonum rationi. Ante probationem notandum est ex dictis supra num. 9. malum morale exponi per proportionem ad naturale; cum ergo ex ibi dictis malum naturale sit duplex, unum absolutum, alterum respectivum: Absolutum est defectus omnis boni: respectivum, est res positiva alteri disconveniens, ad similitudinem boni quod est in se, & alteri bonum: sic etiam duplex est malum morale, unum simpliciter: alterum secundùm quid. Simpliciter est defectus omnis boni, qualis omissio mala, quales privationes consequentes actus malos, & etiam in re negationes, licet propriè non dicantur malæ. Malum secundùm quid est malum commissionis, cum enim sit positivum, bonum est in genere physico & naturæ, malum autem in genere morali, ut alteri malum est, quia disconveniens regulæ, dicitur secundùm quid, non quòd non sit propriè malum, sed quia non est purus boni defectus. Quando ergo asserimus malitiam esse quid positivum, intelligendum est de malitia commissionis, quæ respectiva est, & alteri disconveniens, qualis est ordo actus ad objectum dissonum rationi: Hoc posito,

96. Probatur conclusio primo & à priori: Actus habet rationem malitiæ, priusquam intelligatur habere aliquam privationem; ergo ratio essentialis constitutiva malitiæ, est quid positivum. Consequentia optima est, quia non potest intelligi aliqua essentia perfecta in suo esse, priusquam intelligatur ejus formale constitutivum, aliter intelligeretur res specificata ante suum specificativum; ergo si essentia malitiæ datur in actu nondum in eo intelligatur aliqua privatio, proculdubio erit malus per aliquid positivum, non verò per privativum.

97. Antecedens verò probatur, quia actus odii Dei, verbi gratia, est malus ut tendit ad objectum dissonum regulæ; atqui tendit ad tale objectum prioritate quadam, quàm consideretur carentia aliqua rectitudinis; ergo erit malus secundùm suam entitatem positivam, vel erit malus priusquam intelligatur aliqua privatio: Minor probatur, quia ille actus est fundamentum, ex quo resultat privatio illa, non verò è contra, & ex ea illa carentia resultat in tali actu, quia actus taliter tendit in objectum: atqui fundamentum, & causa, saltem prioritate naturæ antecedit suum effectum, & prius considerari potest sine effectu, quem causat; ergo actus tendens ad objectum dissonum rationi potest considerari priusquam intelligatur illa carentia, quam causat.

98. Major hujus antecedentis probatur, quia ille actus præcisus ab omni carentia est liber, voluntarius & moralis; ergo in aliqua specie bonitatis vel malitiæ, aut etiam indifferens: Antecedens certum est, si quidem ille actus procedit à voluntate sub indifferentia, & subjecta rationi: Consequentia probatur, quia imprimis ille actus non est bonus, quia tendit ad objectum intrinsece malum, deviatque à ratione & lege: Deinde non est indifferens, cum objectum illius malum sit, & ille actus sit causa determinata carentiæ intrinsece malæ; ergo est malus, cum non possit fingi alia species moralis. Confirmatur, quia odium Dei verbi gratia præcissa quacumque carentia rectitudinis, detestabilis est, & pejor quam ipsa carentia, plus enim abominabile est Deum odio prosequi, quàm amore Dei carere, etiam quando urget præceptum; aliter odium Dei non esset maximum peccatorum, si quidem non dilectio Dei non est illorum maximum: imò quando non urget præceptum, illa non dilectio non est peccatum, nec mala.

99. Respondent communiter adversarii, illum actum præcissa privatione rectitudinis esse quidem malum, sed materialiter, non formaliter; formaliter enim redditur malus per privationem. Sed contra primo, quia actus, quo voluntas tendit in objectum consonum regulæ præcissa quacumque malitiæ carentia, est formaliter bonus; ergo similiter actus, quo voluntas tendit in objectum dissonum regulæ, est formaliter malus præcissa quacumque carentia rectitudinis. Antecedens admittitur à contrariis: Consequentia videtur evidens, primo, quia nulla apparet ratio diversa, nec sufficiens dari potest. Secundo, quia ideo illa tendentia ad objectum consonum reddit actum formaliter bonum, quia est quædam quasi

forma adveniens actui in esse naturæ, eum ut sic supponens tamquam subjectum: atqui ita se habet illa tendentia ad objectum dissonum regulæ; ergo, &c. Tertio, ideo illa tendentia ad objectum consonum reddit actum formaliter bonum, quia per illam actus est conformis rationi: atqui per tendentiam in objectum dissonum redditur actus diffosmia rationi; ergo redditur formaliter malus.

100. Secundo impugno prædictam solutionem; quia ut se habet malum respectivè in esse naturæ, ita se habet in esse morali: atqui malum in esse naturæ, formaliter est malum per positivam entitatem, & non per privationem; ergo similiter malum in esse morali. Major est evidens à paritate rationis: Minor probata est supra à num. 10. ad num. 19. & amplius illam ostendi ex actibus intellectus, nam ut se habet actus erroneus ad intellectum, ita se habet actus malus ad voluntatem: atqui error est positivus ordo ad objectum, qui formaliter existit in intellectu; ergo etiam malitia est positivus ordo ad objectum, qui formaliter existit in voluntate: ut enim error, licet secum deferat carentiam veritatis, est positivè & formaliter contrarius veritati, & non per illam carentiam, ita etiam malitia, licet secum deferat carentiam debitæ rectitudinis, est positivè & formaliter contraria bonitati.

101. Dices, ex eo dici actum materialiter malum, quia ut dicatur formaliter malus, debet involvere privationem rectitudinis, qua præcissa intelligi nequit malitia formalis in illo actu. Sed contra primo, quia non potest non intelligi priùs fundamentum & causa, quàm privatio, quæ in illo fundatur, ab eoque veluti causatur: atqui actus ille, est fundamentum, & causa illius privationis; ergo priùs intelligitur, quam privatio. Sed in illa prioritate, qua præintelligitur privationi, actus ille est malus, malitia, non quidem in esse naturæ, sed in esse morali; ergo formaliter: nam malitia illa moralis est forma respectu actus in esse naturæ. Secundo, quia si in eadem voluntate ponerentur amor, & odium Dei, odium non haberet illam carentiam rectitudinis, id est, amoris Dei: & tamen esset formaliter malus respectu voluntatis; ergo jam non solum potest considerari illa tendentia sine privatione: sed etiam potest sine illa existere, & sine illa est formaliter malus.

102. Probatur secundo conclusio, ex contrarietate inter actum bonum, & malum. Actus malus contrariè opponitur bono: atqui oppositio contraria solum reperitur inter duo extrema positiva; ergo malitia, quæ est unum extremum contrarietatis, est positiva. Consequentia optima est: Minor etiam certa est, juxta definitionem contrariorum, & ex discrimine, quod habet cum privativa oppositione. Major asseritur ab Aristotele qui in prædicamentis cap. *de qualitate*, docet justitiam, & injustitiam contrariè opponi; & cap. *de oppositis*, ubi asserit malum & bonum esse contraria opposita: idem asserit lib. 2. Ethicor. cap. 8. & lib. 5. cap. 2. quem communiter sequuntur interpretes: asseritur etiam à D. Thom. 3. contra gentes cap. 9. §. *ex hoc*, & quæst. 1. de malo art. 1. ad 4. & ad 7. & 1. part. quæst. 48. art. 1. ad 3. & 1. 2. quæst. 8. art. 5. ad 2. & alibi: asseritur etiam ab Scot. quodlibeto 18. art. 1. vers. *distinctio* ex Boëtio. Deinde probatur ex definitione contrariorum, *contraria enim sunt ea, quæ sub eodem genere maxime distant, & eidem subjecto vicissim insunt, à quo mutuo se expellunt nisi alterum eorum insit à natura*: atqui actus bonus, & malus sub eodem genere sunt,

Aristot.

D. Thom.

Scotus.

id est, sub prima specie qualitatis sub qua maxime distant: bonus enim est tendentia in objectum consonum regulæ, malus autem est tendentia in objectum dissonum eidem regulæ: vicissim eidem subjecto insunt, id est, voluntati, quæ utriusque subjectum est: ab ea mutuo se expellunt propter incompossibilitatem dictarum tendentiarum, si utraque efficax fit: ex quo sic arguo: Ratio formalis malitiæ consistit in ea ratione, secundùm quam actui bono contrariatur: atqui actus malus bono contrariatur præcisè ratione propriæ tendentiæ; ergo, &c. Minor probatur, quia tantum ratione tendentiæ, actus malus qui est sub specie qualitatis, magis distat ab actu bono, quàm à quocumque alio ejusdem speciei.

103. Respondent primo actum bonum, & malum opponi ratione materialis sive materialiter, non formaliter, id est, opponuntur actus substracti ipsi malitiæ, nam malitiæ formali opponitur bonitas privativè.

104. Sed contra primo, quia jam actus bonus & malus solùm materialiter essent contrarii. Secundo, quia in opinione multorum quos retuli disp. 1. à n. 659. idem actus malus potest esse modo bonus, & modo malus, ergo jam inter actû bonum & malum non datur oppositio materialis. Consequentia probatur, quia *nihil est alteri contrarium ratione eius, in quo conveniunt*: non enim potest esse ratio contrarietatis eadem ratio convenientiæ: & quæ utrique contrario communis est. Tertio, quia actus, verbi gratia justitiæ & injustitiæ, opponuntur penes objecta: atqui non opponuntur penes objecta materialia, sed formalia, quia objecta materialia possunt esse objecta actus boni & mali, ex dictis disp. 3. num. Insuper actus non specificantur per objecta materialia, sed per formalia, si quidem contrarietas est penes differentias specificas: de quo videatur Perez num. 15. Quarto efficacius, & à priori: *Illud quod sumitur secundùm differentiam specificam, sumitur formaliter*: atqui si actus bonus, & malus opponuntur, est secundùm differentias specificas; ergo opponuntur formaliter. Minor probatur ex Philosopho lib. 10. Metaph. cap. 6. dicente, *contrarietatem esse maximam differentiam*: quòd approbat D. Thom. ibi lect. 5. & lib. 2. de Cœlo lect. 4. patetque ex Conimbricen. in Logica cap. *de oppositis* quæst. unica art. 4. §. ultimo. Aristot.

104. Respondent secundo, actum bonum, & malum opponi contrariè, non tantùm ratione materialis, sed etiam formalis: ita quòd non tantùm actus materialiter opponantur, sed etiam concretivè cum malitia, & bonitate: id est, opponuntur, quatenus substernuntur bonitati, & malitiæ: quia in hac contrarietate non spectatur solùm formale, nec solùm materiale, sed utrumque simul, materiale, & formale. Sed contra, quia contrarietas attendi debet secundum formas positivas, quatenus tales sunt; ergo non datur penes materiale, & formale simul, id est penes actum, & carentiam. Antecedens constat ex ipsa essentia contrarietatis: Consequentia patet, quia cum oppositio non sit penes materiale, ut diximus, erit penes formale, quatenus caret illa rectitudine. Omitto alia, de quibus Perez, Rainaud, Zumel, Curiel, & Cornejo citati, qui præ aliis hanc sententiam exornaverunt.

SUBSECTIO NONA.

De privationibus annexis malitiæ formali.

105. Constat rationem formalem malitiæ consistere in positivo, sed quia positivum hoc semper consequitur privatio, vel negatio, videndum est quomodo se habeant hæ privationes vel negationes ad actum malum: pro quo dico primo: Omnis actus malus commissionis importat privationem aliqualis perfectionis actualis respectu actus. Conclusio est D. Thom. 1. 2. quæst. 18. art. 1. ubi docet actum esse malum, quatenus ei deficit aliquid de plenitudine essendi sibi debita: atqui talis plenitudo actualis, est perfectio intrinseca actus. Idem docet clarius 2. 2. quæst. 6. art. 1. ad 2. ubi ait actum dici difformem per privationem formæ intrinsecæ actui, quæ est debita commensuratio circumstantiarum actus, quæ in actu actualis debet esse; & patet, quia omnis actus malus caret rectitudine actus oppositi, cum hoc tamen discrimine, quod actus intrinsecè malos consequitur negatio pura rectitudinis, alios verò actus consequitur privatio rectitudinis debitæ ipsis actibus.

106. Dico secundo: Non tantum in actu malo datur carentia rectitudinis oppositæ, sed etiam datur carentia diversarum perfectionum: Et primo, ille actus habet carentiam debiti finis ex D. Thom. prima parte qu. 48. art. 1. ad 1. Secundo, habet carentiam ordinis ad finem, ex eodem, tertio contra gentes cap. 9. Tertio, habet carentiam ordinis rationis ut habetur 1. 2. quæst. 72. art. 1. ad 2. & quæst. 75. art. 1. ad 1. Quarto, habet carentiam legis dirigentis actum in finem, ut docet D. Thom. in 2. dist. 35. quæst. 1. art. 2. Insuper privat gratia, aliisque perfectionibus cum charitate connexis.

107. Dico tertio: Istæ privationes non sunt malitiæ formales, sed effectus, & proprietates malitiæ formalis, & per consequens malitia formaliter non est quid privativum, sed causaliter, id est, causat in subjecto privationem rectitudinis debitæ, & privationes reliquas, unde in actu intrinsece malo carentia rectitudinis est negatio respectu illius, & privatio respectu voluntatis.

108. Utrum verò omnes privationes perfectionum naturalium, quibus privat malitia, sint diversæ, an unica tantùm privatio explicata diversis nominibus? Respondetur esse unicam tantùm, id est, carentiam rectitudinis virtutis in actu. Probatur, quia omnia ista salvantur, si apponamus unam tantùm carentiam: actus enim temperantiæ verbi gratia, per hoc quod habeat rectitudinem virtutis temperantiæ, habet ordinem ad ultimum finem bonum, & ad Deum, consonatque rationi & legi dirigenti; ergo etiam carentia rectitudinis debitæ erit carentia debiti finis, & ordinis ad illum, erit aversio à Deo, erit carentia consonantiæ ad rationem, & legem. Confirmatur, quia carentiæ non multiplicantur formaliter, nisi multiplicentur formæ, quarum sunt carentiæ; sed in actu intemperantiæ verbi gratia una carentia rectitudinis actualis est sufficiens, ut talis actus habeat prædictas carentias finis, & ordinis ad rationem, legem, &c. sicut in actu temperantiæ, una forma tantùm datur, id est, rectitudo temperantiæ, per quam actus consonat rationi, & legi, ordinaturque ad Deum, ut ad ultimum finem; ergo sicut unica forma complectitur omnes illas rectitudines, ita unica carentia illius formæ erit sufficiens carentia illarum rectitudinum.

109. Unde si actus malus opponatur variis virtutibus, habebit tot carentias formales, quot sunt virtutes quibus opponitur, & una quælibet carentia virtutis erit carentia illarum rectitudinum, quas importat unaquæque virtus, ut si quis furetur in loco sacro ad mœchandum: ista autem carentia, quæ est rectitudinis virtutis oppositæ, formaliter inest actui, illiusque est proprietas: non loquimur de privationibus donorum supernaturalium, hæ enim omnino diversæ sunt.

SUBSECTIO DECIMA.

Solvitur primum argumentum desumptum ex Scriptura sacra, & sanctis Patribus.

110. Superest, ut respondeamus argumentis, quibus contrarii nituntur probare essentiam malitiæ consistere in privativo, & non in positivo, ex quibus duo efficaciora sunt, ideo diversis subsectionibus exponendum unumquodque est, deinde simul solventur reliqua, quæ non adeo efficacia sunt.

Ideo primum argumentum ex sacra Scriptura, & ex sanctis Patribus, videntur enim constituere rationem malitiæ in privatione. Et primo probatur, quia aversio est privatio, sed quotiescumque Scriptura sacra loquitur de malitia, eam appellat aversionem; ergo ex eo quod constituat malitiam in privatione. Minor probatur, ex Psalm. 77. vers. 57. *Et averterunt se, & non servaverunt pactum.* Ezechiel. cap. 18. vers. *Ab iniquitate averterit manum suam*, & vers. 24. *Si autem averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem*, & Hierem. 14. vers. 7. *Quoniam multæ sunt aversiones nostræ, tibi peccavimus*, & sæpe alibi; ergo cum aversio sit privatio, & Scriptura sacra appellet peccata, aversiones, certum est illa peccata, esse privationes, & non quid positivum. Psalm. 77. Ezech. c. 18. Hierem. cap. 14.

111. Secundo: Res, quæ non est essentia, nec natura, est quid privativum: atqui sancti Patres appellant malitiam, non essentiam, non naturam; ergo ex illorum mente, malitia est quid privativum: Minor probatur, quia ita omnes fere Patres docent, dum arguunt contra Manichæos ponentes duo rerum principia, unum bonum, alterum malum; asserebant sancti Patres non posse dari principium mali, & per consequens nec Deum malum, ex eo quòd malum, nec substantia, nec natura erat. Pro omnibus sufficiat unus Leo Papa I. qui Epistola 93. ita habet. *Fides vera quæ est Catholica, omnium creaturarum sive corporalium, sive spiritualium, bonam confitetur esse substantiam, & mali nullam esse naturam.* Leo PP. 1.

112. Tertio, & efficacius, sancti Patres expressis verbis docent malitiam esse nihil, esseque privationem: ita August. tom. 9. tract. 1. in Ioannem exponens illa verba capitis primi, *sine ipso factum est nihil*, ait: *Peccatum quidem non per ipsum factum est, & manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil homines cum peccant.* Dionysius Areopagita 4. de divinis nominibus, ubi latissime probat malum voluntatis esse privationem, & inter multa appellat malitiam, *desertum perfectionis.* Ambrosius lib. de Isaac cap. 7. malitiam vocat, *boni indigentiam.* Basil. in Constitutionibus Monasticis, *boni desertionem.* Gregorius lib. 5. in primum Regum ad illa verba, & nomen principis ejus, *quid enim peccatum nisi tenebra?* Non minus apertè Elias Cret. in oratione tertia, Nazianze- August. Ioan. c. 1. Dionysius Areopag. Ambrosius. S. Basilius. Greg. Magn. Elias Cret.

no, *Vitium, virtutis est privatio, ut etiam caligo, lucis recessus.* Et tandem ut bene advertit Iustinus Martyr in quæstionibus Christianis ad
Iust. Mart. Gentiles, quæ est prima: Sancti Patres disputantes cum illis Manichæis respondebant non dari principium mali, quia malum erat privatio, & nihil; privationis autem nulla dabatur causa effi-
Augustin. ciens, sed deficiens: & ita respondet Augustinus tom. 4. lib. 83. quæstionum q. 20. & præ reliquis hanc responsionem magis explicat & sequitur
D. Anselm. sanctus Anselm. de casu Diaboli cap. 16. & 20. & de conceptu Virginali cap. 4. 5. & 6. & lib. 2. epist. 8. Hos & alios sanctos Patres usque ad fastidium referunt recentiores; præcipuè Vasquez disp 95. cap. 4. Perez dub. 1. cap. 1. numer. 2. §. *præsidia*, Rainaud. numero 283. Curiel. quæst. 71. dub. 1. §. 2. vers. *confirmatur*, Sal. tract. 13. disput. 2. num. 19. Cornejo tract. 7. disp. 4. dub. 7. num. 8.

113. Pro solutione hujus argumenti, quod unum ex fortissimis præsidiis contrariorum est, notandum est primo, ex doctrina Cajet. 2. 2. qu. 20. Curiel. §. 8. vers. *ideo aliter*. Lessii lib. 13. de divina perfectione num. 182. quæ desumpta est ex Mairon. in 2. dist. 43. quæst. 3. vers. 3. *quia*, duplicem esse aversionem, unam positivam, alteram privativam: privativa est ipsa privatio, quæ consequitur actum, sive sit rectitudinis, sive gratiæ, sive Dei, sive donorum supernaturalium: alteram positivam, quæ est ipsamet conversio ad objectum dissonum, significatque actum positivum voluntatis, quæ aliquid abominatur, juxta illud
Exod. 23. Exodi cap. 23. vers. 7. *Insontem, & iustum non*
Deuteron. 12. *occides, quia aversor impium*, & Deuteronomii 12. *Omnes enim abominationes, quas aversatur Do-*
Iob. 19. *minus, fecerunt Diis suis*, & Iob. cap. 19. vers. 19. *Quem maxime diligebam aversatus est me.* Cum enim tale objectum sit positive aversum à ratione recta, & actus positive specificetur per illud objectum aversum, ipsa aversio est conversio, sive est conversio aversivs, id est, conversio ad objectum aversum à lege, ratione, &c. Et consequenter uno, & eodem indivisibili respectu convertitur actus in objectum & avertitur à lege, quia licet specificativa sint distincta, sunt tamen subordinata, integrant unam rationem formalem, impossibileque est unum ab alio separari, ut in motu locali apparet, qui sine accessu & recessu ad locum fieri non potest, & sicut motus dicitur accessus ad locum, & non recessus, ita malitia potius dicenda est conversio ad objectum, quàm aversio.

114. Secundo, sæpissimè essentiam sumi pro substantia, ita enim sæpe loquitur Aristot. dixit
Aristot. enim cap. 5. de substantia textu 7. substantiæ proprietatem esse *hoc aliquid*: naturam verò definivit lib. 2. Physicorum *esse principium motus*, quod solum cadit supra ens substantiale: quando ergo sancti Patres asserebant malum non esse substantiam nec naturam, loquebantur de substantiali: cum Manes, & ante eum Marcion, Apelles, & alii, quos refert Castro verbo Deus in prima hæresi, assererent duo esse principia, unum bonum, & alterum malum, & hoc principium esse substantialiter malum, simulque fingerent quasdam substantias malas, contra eos Sancti Pat. docebant non dari substantiam, nec naturam malam, intelligentes pro natura & substantia, ens sub-
Serapion. stantiale, quod bene expressit Serapion lib. contra Manichæos tom. 4. Bibliothec. ubi sic, *Est igitur vitium expers substantiæ, & non per se existens, actio potius, quam essentia, sive substantia, & actio ex electione ægrotante proficiscens.* Idem etiam bene explicat August. tom. 7. lib. de natura & gratia cap. 64. cum enim Pelagius afferret authoritatem D. Chrysostomi dicentis peccatum non esse substantiam, sed actum malignum, ait, *quis hoc negat? Et quia non est naturale, ideo contra illud legem datam*: quo loco satis exprimit malum morale non esse substantiam, sed esse actum malignum: idem habet in Hypognosticon lib. 1. in fine, ubi ait peccatum non esse rem, sed actum, & lib. de perfectione iustitiæ cap. 4. quærit August. quid sit peccatum, actus-ne, an res? & respondet esse actum, non rem. Ex quibus constat quando sancti Pat. negabant malum esse substantiam, vel naturam, locutos fuisse de ente substantiali, cujus proprium est, esse hoc aliquid: & de natura, quæ est principativa operationis: ut etiam ex Damasceno notavit Turrianus ad caput 3. sancti Diadochi: ac proinde actus malus est vitium, & non substantia, non natura, non res, quia hæc sumuntur pro ente substantiali, & non pro actu juxta doctrinam eorum sanctorum Patrum.

115. Tertio notandum est, quando sancti Patres asserebant malum esse nihil, non locutos esse formaliter pro ratione formali malitiæ, sed aliis modis diversis, & primo appellant peccatum nihil, quia privatio consequitur actum, & voluntatem, tamquam proprietas illius & per illam proprietatem, tamquam per quid notius explicabant essentiam malitiæ: eo modo, quo Philosophi ignorantes differentias brutorum, eas explicaverunt per irrationale, sive per negationem rationalis. Secundo, exposuerunt effectus malitiæ, non rationem formalem, ideoque nullam fecerunt mentionem illius privationis rectitudinis debitæ actui, quæ tradita est, ut forma malitiæ à Theologis partis adversæ: sed docent malitiam esse privationem, vel Dei, vel gratiæ, vel perfectionum, ac virtutum; quæ privationes multum distant ab illa, in qua contrarii constituunt essentiam malitiæ; ideo perperam ab illis adducuntur sancti Patres in suæ sententiæ patrocinium: & quod hæc
sit mens sanctorum Patrum constat ex Augustin. S. August.
cap. 11. in Enchiridione, quo loco explicans rationem, cur peccatum sit privatio, affert exemplum *morbi, qui sanitatis est privatio*: cum tamen morbus
formaliter non sit privatio; & ex divo Fulgentio Fulgentius.
de fide ad Petrum cap. 21. ubi declarans rationem peccati, affert pro exemplo pœnam sensus.

116. Quarto notandum est, quando aliqui sancti Patres docent peccatum esse omnino nihil, ut citatus August. ad locum Ioannis, loquuntur de existimatione quæ remanet in hominibus post peccatum apud Deum, apud quem reputantur ac si essent omnino nihil: ita enim lo-
quitur Author Hyponost. sive August. lib. 1. sub S. August.
finem, *Solet dici à pluribus dum aliquid despicitur, aut pro parvo æstimatur, vel certè quod penitus non sit, nihil est.* Et ita videtur loqui August. in argumento adducto, reddens enim rationem, cur peccatum nihil sit, ait *quia homines nihil fiunt, cum peccant*: adducitque exemplum idoli, quod appellat nihil, cum tamen aliquid sit, dicitur tamen nihil, quia nullum numen habent; qua quidem phrasi æmulantur modum loquendi Scripturæ sacræ, de quo Gaspard Sanchez explicans caput secundum Oseæ num. 39. ubi ait, *Is qui facit id quod non sperabatur, sive debebat facere, nihil fecisse videtur*;

117. Ultimo tandem notandum est, quando sancti Patres asserebant peccatum esse à natura deficiente, quia nihil erat, loquuntur, ut

bene attigit Vasques cap. 11. num. 60. de principio à quo procedit malitia, quia ab illo procedit, quatenus ex nihilo creatum est illud principium, unde natura, qua natura, non est principium malitiæ, sed qua natura ex nihilo est: operatur enim quia natura est, sed quia ex nihilo est, deficit in operatione: ex hoc enim capite plærique Theologi negant possibilem esse naturam creatam impeccabilem; cum enim ex nihilo esset, necessario deficere debebat: nituntur authoritate sanctorum Patrum quos refert Ripald. de ente supernaturali lib. 1. disp. 23. à n. 39. sect. 7. ac proinde sancti Patres ideo asserunt peccatum oriri à natura deficiente, quia nihil, id est, quia cum natura, & principium sit ex nihilo, defuit in operatione, eliciens actus malos, qui potius defectus, quàm effectus naturæ dicendi sunt. His notatis,

118. Ad argumentum igitur in forma, nego in aliquo loco, vel sacræ Scripturæ, vel sanctorum Pat. reperiri, quod malitiæ ratio formalis, sit privativum. Ad primam probationem respondetur, distinguo Majorem, aversio est privatio, semper & in omni sensu, nego: in aliquo sensu, concedo: eodemque modo distinguenda est minor, quando enim Scriptura sacra appellat malitiam, aversionem, loquitur de aversione positiva, non verò de privativa, ut constat ex primo notabili num. 113.

119. Ad secundam probationem, neganda est major in sensu sanctorum Patrum, licet enim accidens etiam natura sit, non tamen in sensu quo natura accipitur à sanctis Patribus, ut constat ex notabili 2. num. 114. Ad tertiam & ultimam, verum esse quod sancti Pat. appellent malitiam nihil, eo tamen sensu, quem explicuimus à numero 115. locum verò Ioann. cap. 1. *sine* (Ioan. 1.) *ipso factum est nihil*, diverso modo, quo illum exponit August. explicant Chrysostomus, & Origenes in catena: Chrysostom. enim ita habet: *sine* (Chrysostom.) *ipso factum est nihil*, id est, *nulla creatura, sive visibilis, sive invisibilis sine Deo facta est*: similiter August. ibi, cum ait, *probasse Verbum, non esse facturum, quia nihil sine Deo factum est*. Origenes verò, (Origenes.) *id est, nil factum est extra ipsum quæ ambit omnia, conservans ea*. Et tandem in ultimo notabili numero 117. reddita est ratio, cur voluntas eliciens actus malos, dicatur principium deficiens, non efficiens: per quæ solutum manet argumentum, cui adeo nituntur contrarii.

SUBSECTIO UNDECIMA.

Solvitur secundum argumentum, de influxu Dei in actus malos.

120. SEcundum argumentum, quod est præcipuum contrariorum, desumitur ex influxu Dei in actus malos, & sic proponitur. Si essentia malitiæ consistit in aliquo positivo, sequeretur Deum esse causam malitiæ formalis; hoc autem est hæreticum, & blasphemum; ergo, &c. Minor constat ex Concilio Arausicano canon. (Arausican.) 21. & ex Trident. sess. 6. can. 6. viderique potest (Tridentin.) Bellarminus tom. 4. lib. 2. de amissione gratiæ, & statu peccati. Sequela patet, quia Deus est causa omnis entitatis positivæ, juxta illud Ioan. 1. *Omnia* (Ioan. 1.) *per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Quem explicans August. tract. 1. in Ioann. (August.) ita ait: *Quæcumque facta in creaturis, omnia omnino, quæ fixa sunt in cœlo, quæ fulgent desuper, quæ volitant sub cœlo, & quæ moventur in universa natura rerum, omnis omnino creatura, dicam planius, dicam fratres, ut intelligatis, ab Angelo usque ad vermiculum* Sed malitia est quid positivum; ergo Deus est causa illius. Confirmatur, *quod est causa causæ, est causa causati*, sed Deus est causa actus materialis, ex quo oritur formalis malitia; ergo est causa malitiæ.

De hoc argumento, quod proculdubio difficile est, agunt latissime Molin. 1. part. qu. 14. artic. 13. disput. 70. & in concordia qu. 14. disput. 32. §. *decimum*. Ægid. de Coninch. de actibus supernaturalibus disp. 10. num. 70. Granad. cit. num. 27. Salas tract. 13. disput. 10. sect. 2. à numer. 32. Rainaud. cit. num. 190. & late qu. 3. art. 3. à numer. 354. Vasques disput. 119. cap. 7. Martinez 1. 2. qu. 71. art. 2. dub. 1. conclus. 3. & 5. Curiel. cit. vers. *quare aliter*. Suar. in 1. 2. tract. 5. disput. 7. sect. unica à num. 18. Becan. supra cap. 6. qu. 2. num. 8. Vega in Trident. lib. 2. cap. 15. Cornejo cit. dub. 8. §. *ultimo*, præ aliis lentiori calamo Andreas Villegas de Deo uno, controv. 12.

121. Ego verò cum multis ex prædictis Doctoribus existimo hoc argumentū non majorem habere vim contra opinionem constituentem malitiam in positivo, quàm contra illam, quæ constituit malitiam in privativo, quod probo, quia non magis sequitur Deum esse causam peccati, si consistat in positivo, quàm si consistat in privativo. Sequela probatur, quia *quod est causa entitatis, ad quam necessario sequitur carentia, etiam est causa illius carentiæ*: atqui Deus est causa in opinione contrariorum actus materialis, nimirum odij Dei, ex quo necessario consequitur carentia, in qua juxta contrarios constituitur essentia malitiæ; ergo erit causa illius carentiæ, & per consequens etiam malitiæ. Minor negari non potest, quia illa carentia necessario consequitur ex odio Dei: Consequentia procedit.

Majorem admittunt communiter Doctores, Aureol. Durand. Gabriel Mairon. apud recentiores ex his Bellarm. citat. cap. 18. §. *objicies*. Molin. 1. part. disp. 70. num. 70. Granad. tract. 6. disp. unica sect. 2. num. 17. sect. 4. num. 29. Rainaud. supra 190. & qu. 3. art. 5. num. 357. videturque doctrina Doctorum, qui negant Deum prædeterminare voluntatem physice ad actum, quem necessario sequitur difformitas peccati, quia inde sequeretur Deum esse causam peccati, ut Suar. opusculo 1. lib. 2. cap. 2. à num. 10. Vasques 1. parte disp. 99. num. 21. Macbin. prima parte disp. 45. sect. 5. §. *dico secundo*. Lorca de peccatis disp. 34. §. *ex dictis*, Curiel. q. 79. articul. dub. 1. unico §. 2. vers. *neque places*: estque omnium discipulorum Scoti, qui propter eamdem rationem, negant prædefiniri posse actum peccati.

122. Deinde probatur primo ex illo celebri axiomate, *quod est causa causæ, est causa causati*: atqui Deus in opinione contrariorum est causa actus mali, qui necessario est causa illius carentiæ, in qua consistit malitia; ergo etiam erit causa illius carentiæ. Secundo probatur, quia causa physica, quæ est causa essentiæ, est etiam causa omnium carentiarum consequentium essentiam; ergo etiam, qui est causa causæ illius carentiæ, erit causa ipsius carentiæ. Antecedens probatur exemplis manifestis, qui enim introducit calorem in aquam, est causa carentiæ frigoris, ex eo præcise, quod carentia frigoris necessariò sequitur ex caloris introductione. Voluntas humana est causa illius carentiæ in qua constituunt contrarii malitiam, non alia quidem ratione, nisi quia est causa actus ad quam necessario sequitur carentia; cum ergo contrarii fateantur Deum esse causam actus, ex quo necessario sequitur mali-

tia, si illorum argumentum contra nos concludit, etiam contra illos concludit.

123. Respondet Suar. 1.2. cit. num. 18. diversam rationem in eo esse positam, quia Deus concurrit ad totam entitatem actus, & non ad privationem, ad quam, nec physice, nec moraliter concurrit: non enim concurrit physice, quia illa privatio non sequitur necessario ex influxu Dei, aut ex tota entitate actus: non etiam concurrit moraliter, quia Deus non tenetur denegare concursum voluntati volenti operari etiam male, imò tenetur tribuere ei concursum generalem, titulo causæ universalis & primæ.

124. Sed meo judicio non solvit P. Suar. argumentum, si in nostra sententia illi videtur indissolubile. Primo, quia utroque modo concurrit Deus ad illam privationem, sive carentiam, namque carentia illa oritur necessario ex odio Dei, cum illud odium sit essentialiter malum, & non minus illi annexa sit carentia amoris Dei, quàm homini carentia bruti: iterumque redit argumentum positum. Secundo, quia ille concursus generalis in contrariorum opinione sufficit ad hoc ut Deus dicatur causa moralis malitiæ positivæ; ergo etiam sufficiet ut dicatur causa moralis illius carentiæ. Tertio, quia Deus per se producit privationes pœnales, sive mala pœnæ, quia per se intendit formas contrarias bono naturæ: sed Deus etiam per se intendit actum materialem illius privationis, seu carentiæ; ergo etiam intendit illam carentiam.

125. Quare in una & altera opinione solvendum est argumentum: ideo respondeo negando sequelam. Ad probationem distinguo Majorem: Deus est causa omnis entitatis positivæ, moralis, nego: physica, concedo: deinde distinguo Minorem, sed malitia est quid positivum, morale, concedo: physicum, nego: deinde nego consequentiam.

126. Pro quo notandum est ex dictis disp. 2. à num. 236. ad num. 239. causam moralem esse illam, quæ operatur subjecta suæ regulæ, sive subordinata rectæ rationi, vel sit medio influxu physico, vel non, hic enim influxus per accidens se habet ad moralitatem ex dictis in eadem disp. 2. à num. 243.

127. Ex quo omnis causalitas moralis sola volitione, aut nolitione, vel omissione per ordinem ad rectam rationem exercetur; cum illi actus sint intrinsece liberi, etiam erunt soli intrinsece morales: & sicut duplex assignatur in naturalibus causa, una proxima, altera remota, ut ignis, qui est causa proxima respectu combustionis, & applicans, qui est causa remota respectu ejusdem; ita in moralibus duplex est causa: proxima est, quæ vult; remota est quæ applicat ad volendum, consulens, imperans, aut aliquo modo inducens.

128. Deus igitur non concurrit moraliter ad malitiam, nec ut causa proxima, *quia non Deus volens iniquitatem tu es*, ex Psalm. 5. Nec est causa remota applicans ex cap. 15. vers. 12. Ecclesiastici, *Non dicas: ille me implanavit*: Quando ergo negatur Deum esse causam malitiæ, non intelligitur de causa physica; sed de causa morali, quod optimè colligitur ex Trident. sess. 6. de justificatione can. 6. ubi sic, *Si quis dixerit non esse in potestate hominum vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quàm vocatio Pauli: anathema sit.* Ubi clarè patet Deum non concurrere eodem modo ad malum, ac ad bonum moraliter: nam concursu physico, & universali, Deus ut causa prima, & universalis proprie, & per se concurrit ad malum, cum illud opus sine Deo non fiat, ac proinde non tantum permissive, sed verè concurrit.

Psalm 5.
Ecclesiastici 15.
Trident.

129. Cum ergo Concilium asserat Deum concurrere permissivè, ita intelligitur, Deus non concurrit moraliter volendo, aut consulendo: sed tantum se habet permissivè, non impediendo, ne fiant actus mali, ne ordinem naturæ perturbet, nec muneri causæ universalis deficiat: permissio autem licet sit actus voluntatis, tamen est veluti de invita voluntate, ut bene Tertullian. in exhortatione castitatis, post principium, ubi ita: *Nam si quædam videntur voluntatem Dei sapere, dum a Deo permittuntur, non statim omne quod permittitur, ex mera & tota voluntate procedit ejus qui permittit: ex indulgentia est quodcumque permittitur, quæ etsi sine voluntate non est, quia tamen aliquam habet causam in loco, cui indulgetur, quasi de invita venit voluntate, passa causam sui, quæ cogit voluntatem: vide qualis sit voluntas ejus, cujus altera sit causa.* Ex quo loco probavi disp. 1. à num. 803. dari in Deo involuntarium, quod omnino videndum pro hac expositione: ideo Concilium loquitur de influxu morali Dei, juxta quem est proprium opus Dei vocatio Pauli, quia est ex dilectione & intentione, non tamen proditio Judæ, quam Deus nec voluit, nec consuluit, sed permisit, non verò de influxu physico juxta quem tam proprium est opus Dei unum, atque alterum: & hoc modo cætera testimonia SS. PP. Scripturæ sacræ, & Conciliorum, facilem & veram patiuntur expositionem.

Tertullian.

130. Ad confirmationem, respondetur illud proloquium intelligendum esse in eodem genere causæ, id est, quod est causa causæ physice est etiam causa causati, si causatum causetur physice; nam si causatur moraliter, non potest causa causæ esse causa causati, cum hoc ab illa causa procedat in diverso genere quo causa illa est causata; cum ergo Deus sit causa causæ, id est actus in genere physico, & illa tendentia sit causata moraliter in diverso genere, quo actus causatur à Deo, non sequitur, quod ut moralis, malitia causetur à Deo.

131. Dices primo: Causalitas physica supponit voluntatem prosecutionis; ergo si Deus propriè concurrit ad peccatum, etiam concurret moraliter. Consequentia patet, quia causalitas moralis est volitio, & prosecutio actus mali. Antecedens probatur, quia Deus concurrit per omnipotentiam ad operandum, physice; atqui omnipotentia non concurrit, nisi applicetur per voluntatem volendo effectum; ergo illa causalitas physica supponit moralem, sive prosecutionem effectus. Respondetur: distinguo antecedens, causalitas physica supponit voluntatem prosecutionis in genere causæ universalis concedo: in genere causæ particularis, nego: deinde nego consequentiam; ad illius probationem, transeat antecedens; non enim facit contra nostram solutionem: nam illa voluntas prosecutionis, sive volitio Dei, ut est causa universalis, non est voluntas rei, sed non impediendi effectum malum: non impedire autem effectum malum, ut causa universalis, non est malum, sed bonum, si quidem non impediens satisfacit muneri proprio: si enim voluntate prosecutionis malum vellet, Deus malum non prohiberet, non reprehenderet, nec puniret: cum igitur solùm volitio particularis effectus possit esse moralis, & non volitio universalis prose-

cutionis, sive non impediendi, inde est, quod non omnia causalitas physica supponat moralem.

132. Dices secundo: Idem est operari liberè, ac moraliter, sed Deus liberè concurrit ad malitiam; ergo etiam moraliter. Respondetur primo: negando majorem, ut latè dixi disp. 2. à numero 245. & disp. 3. num. 93. Secundo, distinguo majorem, idem operari liberè concursu generali, ac moraliter, nego majorem; concursu particulari, transeat major: licet enim admittatur liberum esse idem atque morale, semper intelligendum est de libero particulari, non verò de generali per modum naturæ attributo causis, secundùm earum exigentiam, & secundum quod ordo naturalis postulat: quæ solutio evidenter deducitur ex variis exemplis: Angeli enim liberè movent cœlum, medioque cœlo actus humanos: Deus concurrit ad actus physicos, & actus primos, non tamen moraliter; eo quòd similes concursus sint per modum naturæ, & non aliter quàm ordo postulat naturalis.

133. Dices tertio: Ex hac solutione sequitur voluntatem esse causam primam respectu malitiæ: atqui munus causæ primæ non est tribuendum, nisi Deo; ergo, &c. Sequela probatur, quia Deus non est causa illius malitiæ formalis, sed tantum voluntas; ergo voluntas est causa illius tota, & totalis: Respondetur distinguendo sequelam. Sequitur Deum non esse causam primam illius malitiæ formalis, in genere physico, nego, in genere morali, concedo: ita respondet Curiel. cit. §. 8. vers. *quod si.* in genere enim morali cum Deus, non concurrat ad illam malitiam, non erit illius causa, & sub ea formalitate solùm à voluntate, tamquam à causa prima procedit, quæ solutio non videtur nova, ad solvendam difficultatem, namque multa dantur, quæ reduplicative, & sub propria formalitate non causantur à Deo: passio enim, qua passio est, non respicit Deum, de quo Suar. in Metaphysica disp. 21. sect. 2. num. 56. & primo de auxiliis cap. 15. num. 55. Rainaud. tom. 5. operis dist. 4. quæst. 3. art. 4. num 361. Volitio etiam, qua vitalis est secundum illam rationem vitalitatis, formaliter non est à Deo, ut optimè ostendit Ripald. tom. 1. de ente supern. & quamquam dictæ res sub reduplicatione sint entia participata, & creata, ad hoc sufficit, quòd entitativè, & identicè sint à Deo: similiter etiam sufficit, quòd malitia in genere physico sit à Deo, non tamen in genere morali, in quo malitia procedit à voluntate, tamquam à causa prima.

134. Quare, cum concursus Dei in malitiam, sit concursus generalis, & physicus, necessarius pro munere causæ universalis, non sufficit ad hoc ut Deus dicatur causa malitiæ, nec quod Deo attribuatur. Exemplum: si quidam sæcularis concurrat in bello justo cum Clerico, cui bellum interdictum est, non peccat tamen Clericus, quia est causa moralis, hæc enim dicitur causa moralis malitiæ, quæ tenetur evitare illam: ut etiam Rex permittens publica peccata, peccat: non tamen peccat homo privatus, si ipsamet peccata permittat, eo quod Rex, & non homo privatus, tenetur impedire illa peccata; Cum ergo non teneatur impedire concursum causarum, nec illis denegare proprium concursum, eo quòd sit causa universalis, quæ potius ex munere tenetur præbere concursum causis secundis, illi non est attribuenda malitia causarum secundarum, cum non sit illius causa moralis, nec malitiam attingat, secundum formalitatem malitiæ.

135. Dices: Concursus Dei est determinatus, tum quia Deus influit in totam entitatem, tum quia concursus Dei non distinguitur à concursu hominis; ergo illa malitia tota, & secundum totam suam formalem moralitatem à Deo procedit. Respondetur distinguendo antecedens: concursus Dei est determinatus passivè, & ex parte actionis, concedo: active, & ex parte modi agentis, nego: sic enim est indifferens, & à causa secunda determinatur quoad exercitium actus, & quoad ipsam malitiam, ut patet, si homo eliciat actum malum, dum est amens, tunc enim totus Dei concursus sine morali malitia terminatur ad illum actum. Videatur Molina in concordia, quæstione 14. art. 3. disp. 31. & 1. p. quæst. 14. art. 3. disp. 2. Suar. 1. 2. de peccatis disp. 6. sect. unica numero 18. Becan. 2. p. Summ. tract. 2. cap. 6. quæst. 2. à num. 8. Sal. tract. 13. disp. 10. sect. 2. numero 32. Malder. 1. 2. quæst. 79. dub. 4. Bonacinas tom. 2. disputat. 2. quæst. 5. numero 22. punct. 2. hæc solutio sufficiat, alia non minus probabilis videri potest apud Rainal. cit. numero 290.

136. Eodemque modo Deus non est causa finalis malitiæ in genere moris, est tamen in genere physico: dupliciter enim Deus est causa omnium, quæ fiunt: primo, physica: secundo, moralis: ratio enim finis physici & naturalis consistit in eo quod productio omnis entitatis sit propter ipsum, nec possit aliter produci, nisi propter Deum finem naturalem, juxta illud Proverbiorum cap. 16. vers. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*: ratio verò finis moralis consistit in eo, quod Deus super omnia moveat creaturam intellectualem ad multa agenda propter ipsum, tamquam propter ultimum finem eorum, quæ sic movet: Est ergo malitia propter Deum, ut finem naturalem, quia eo ipso, quod fit, propter Deum ut finem fit: non est tamen propter Deum finem moralem, quia Deus hominem non movet ad malitiam, nec creatura malitiam ordinat in Deum. Videndus est Ægid. Lusitan. tom. 2. de beatitudine quæst. 6. art. 2. quæst. 7. à num. 1. §. 1. n. 20. Curiel. quæst. 79. articul. 1. §. 7. vers. *ad secundum.* Proverb. cap. 16.

137. De causa exemplari dicendum est dari in Deo respectu malitiæ in genere physico, non verò in genere morali, ut bene docent August. Sermone 22. & 33. de Verbis Domini, & Div. Thom. 1. p. quæst. 15. art. 3. ad 1. ubi asserunt, malitiæ nullam esse in Deo ideam; loquuntur enim de malitia morali; nam in genere physico sub ratione entis, & perfectionis habet malitiæ propriam ideam, ut docet idem D. Thom. in 1. dist. 36. quæst. 1. art. 3. ad 2. licet enim malitia sit deordinata in esse morali, non tamen est deordinata in genere physico, in quo est quid bonum. S. August. D. Thom. D. Thom.

Eodemque modo loquendum est de dilectione Dei erga malitiam, cum enim malitia sit bonum physicum à Deo, diligitur velut proprium opus ordinatum ad se ipsum, ut finis naturalis est, odio tamen habetur in genere morali, in quo difformis est.

SUBSECTIO DUODECIMA.

Proponuntur reliqua argumenta.

138. Solutis duobus argumentis principalibus, in quibus nimirum nitebatur opinio contraria, superest, ut solvantur cætera minoris ponderis. Tertium igitur est. Probatum,

&c.

& malitis habitualis, est privatio; ergo & malitia actualis. Antecedens tuetur à gravissimis Authoribus, etiam nostræ sententiæ. Consequentia vero probatur, quia malitia habitualis est eadem quæ fuit actualis. Respondetur primo, & verè, negando antecedens, est enim quid positivum morale, idemque actuale, per modum habitus perseverans, de quo in hac disputatione à numer. 925. Probat Granad. 1. 1. controv. 6. tract. 8. disp. 8. sect. 1. à num. 2. Ægid. de Coninch de Sacramentis disput. 2. de pœnitentia dubio 10. numer. 91. Respondetur secundo, negando consequentiam: non enim est inconveniens in formis privativis, quod fieri earum sit positivum: ita ut factum sit privativum, fieri vero positivum, licet in formis positivis, idem sit fieri & factum esse earum: & ratio diversitatis est, quia positiva identificari possunt, non verò privativa & ideo cum privatio per se primo non fiat, sed consequenter ad productionem positivi, incompossibilis cum ejus forma, ideo semper fieri privationis, est quid positivum: ut ad remotionem corporis luminosi, quæ fit per motum localem sequuntur tenebræ, fieri autem tenebrarum est motus, & non privatio luminis; Videte Curiel. cit. §. 8. vers. *ad 5*. Addit Petrus à S. Ioseph. quod licet concipiamos malitiam vel carentiam, in fieri, & in facto esse privationem, tamen à parte rei fieri privationis non est privatio.

139. Quartum, quo utitur Salas numero 23. appellans illud, rationem fundamentalem, & Suar. disput. 11. Metaph. sect. 1. num. 12. Nihil, quod est in se bonum, potest esse alteri malum, nisi quatenus privat rem aliquo bono ipsius: ex
S.August. Div. Augustin. lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 3. ubi ita, *quidquid nocet, bono aliquo privat eam rem, cui nocet*: sed quod est positivum, est in se bonum; ergo tantum erit malum, quatenus privat naturam rationalem rectitudine. Respondetur negando majorem, nec Augusti. asserit malitiam, sive nocumentum consistere in illa privatione, sed asserit causari talem privationem ab ipso malo, quod est causa illius, ut morbus dicitur malus homini, non quia est formaliter privatio, sed quia ex sua malitia positiva inducit privationem sanitatis: cum enim etiam res naturales, sint malæ per entitatem propriam positivam de quo supra à numero 11. ad num. 19. dicuntur respectu privationis etiam malæ, non quidem formaliter, sed causaliter; cum enim privatio sit in subjecto, & non in ipsa entitate mala, non potest denominare formaliter malam rem, in qua non est.

140. Instabis: Quælibet forma positiva ratione suæ positivæ entitatis, & bonitatis, debet esse alicui bona, maximè suo connaturali principio: atqui malitia ut sic, nulli est bona, nec etiam voluntati, à qua elicitur; ergo non est quid positivum. Respondetur ex D. Thom. 3. contra gen-
D.Thom. tes cap. 9. negando minorem: est enim malitia delectabilis appetitui sensitivo, ut attendit regulas inferiores communes omnibus animalibus, & consonat rationi, & voluntati, ut sequuntur judicium erroneum.

141. Quintum, quo utitur Montesin. tom. 2. disputat. 3. numero 53. In odio Dei, verbi gratia, est carentia rectitudinis debitæ, sed ibi non est ut negatio; ergo ut privatio; ergo ut sic actus ille per illam privationem erit malus formaliter. Probat minorem, quia si carentia rectitudinis in odio Dei esset negatio, non aliter esset in illo, atque est in lapide: hoc autem est falsum; ergo, &c. Respondetur negando minorem, ad probationem distinguo minor. non minus esset in odio Dei, ac in lapide, quo ad hoc, ut sit privatio, vel negatio, concedo: quoad diversam considerationem, nego: eodem enim modo carentia illa rectitudinis est negatio in odio Dei, ac in lapide: sed in lapide est, ut in re opposita disparatè rectitudini, in odio, ut in forma immediatè opposita, & contraria. Quo etiam modo solvitur id quod asserit prædictus Author numero 106. & 107. de carentia evidentiæ in fide, quam asserit si non foret privatio, eodem modo esset in fide, ac in lapide: quod quidem verum est quoad rationem negationis, non tamen quoad rationem modi negandi.

142. Sextum, Nil potest esse malum ratione suæ entitatis, & perfectionis, sed quia non habet eam perfectionem, quam habere debebat; ergo actus est formaliter malus, non ratione suæ entitatis positivæ, etiam moralis, sed quia caret ea perfectione, quam habere debebat. Antecedens probatur exemplo artefactorum: artefacta enim dicuntur mala, non ratione suæ entitatis, sed propter carentiam conformitatis cum sua regula: ex quo sic conficitur probatio: Sicut artefacta ob solam carentiam cum regula sunt mala, ita etiam actus morales. Probatur hoc anteced. quia ut se habet malum in artefactactis, ita etiam se habet in moralibus. Respondetur, distinguo anteced. comparatione sui, concedo; alterius, nego: Res enim in se bona respectu sui habet omnem perfectionem, nec respectu hujus, dicitur mala: respectu tamen illius, potest alteri dici mala, non quidem propter aliquam privationem, sed propter propriam perfectionem: ut calor in se est perfectus, & tamen ratione talis perfectionis per se immediatè est malus aquæ ex dictis supra à numero 12. usque ad numer. 19. ac proinde non ideo res dicitur mala, quia non habet quod habere debebat, sed quia talem perfectionem habet, quæ disconveniens alteri est. Ad probationem, omissa solutione Rainaud. numer. 292. §. *hinc*, verior est quam tradit Curiel. cit. §. 8. vers. *ad ultimum*: negando anteced. Ad probationem, negatur etiam anteced. quia artefacta immediatè conformantur, aut difformantur suæ regulæ, moralia mediantè objecto: ideo malitia in artefactis consistit in carentia dissonantiæ ad regulam, malitia verò in moralibus consistit in ordine positivo ad objectum, pro qua solutione videnda etiam sunt quæ diximus disp. 2. à num. 176. usque ad num. 181.

143. Septimum, Malitia in peccato omissionis est pura privatio; ergo similiter in peccato commissionis. Probatur consequ. quia ratio peccati est communis utrique: atqui ratio communis includitur in rationibus particularibus; ergo vel illa ratio est tota positiva, vel tota privativa. Respondetur primo, negando anteced. namque malitia etiam omissionis est positiva, actus nimirum interpretativus, ut vidimus disputat. 1. num 188. & n. 189. Secundo, negando consequent. nam omissio est pura carentia actus debiti, non actui, sed voluntati inhærens: at commissio est ipse actus inhærens & existens in voluntate. Ad probationem distinguo Major. atqui ratio peccati est communis utrique, ut prædicatum univocum, conveniens, & participatum sub aliqua ratione una, nego: ut prædicatum analogum, concedo: hæc autem analogia non est attributionis, sed proportionalitatis: quodlibet enim peccatum est intrinsecè, & formaliter peccatum: ut enim unum peccatum se habet ad offensam Dei, & ad legis

tranſgreſſionem, ita, & alterum: non enim minus uno, quàm altero peccato Deus offenditur, lexque violatur: ac proinde ratio communis peccati reſpectu utriuſque peccati, una quidem eſt, ſed una unitate proportionis, quæ ſecundùm rem duplex eſt, privativa ſcilicet, & affirmativa.

144. Octavum, Ordo tranſcendentalis ad objectum eſt appetitio objecti; ſed appetitio eſt bona; ergo in ea non conſiſtit malitia formalis. Reſpondetur, diſtinguo minorem, ſed hæc appetitio eſt bona, utilis, vel delectabilis, concedo: honeſta, nego: bonitas verò utilis, vel delectabilis non excluditur à ratione malitiæ.

145. Inſtabis: Ratio utilis, vel delectabilis, ut ſic præcisè non eſt mala; ergo illa appetitio non erit mala. Antecedens patet ex dictis diſputat. 3. à numer. 483. & patebit ex dicendis diſputat. 5. numer. 68. Reſpondetur negando conſequentiam, quia licet bonitas utilis, vel delectabilis non ſit præcisè mala, eſt tamen mala, ut conjungitur cum malitia: ideo amor pecuniæ, ut ſic non eſt malus, ſed quia pecunia eſt aliena, ille amor utilis, malus eſt.

146. Urgebis: Ergo, actus ille ſpecificatur ab objecto malo, ut malo; hoc autem eſt falſum; ergo, &c. Dionyſius. Minor probatur ex magno Dionyſio c. 4. de divinis nominibus p. 4. paulò poſt principium, & circa finem dicente, *Nemo ad malum intendens operatur*; ergo malitia non eſt actus ratio ſpecificativa. Major. probatur, quia ille actus eſt in ſpecie formali malitiæ; ergo ſpecificatur ab objecto: atqui non ſpecificatur ab objecto utili, vel delectabili, ut ſic; ergo ab objecto ut malo. Reſpondetur, negando Majorem. Hæc enim differentia eſt inter ſpecificationem actus boni & mali: quod bonus per ſe, & formaliter tendit in ipſam honeſtatem, ut in rationem ſpecificativam ex dictis diſputat. 3. à numero 174. malus verò per ſe, & formaliter tendit in rationem boni utilis, vel delectabilis, & materialiter in diſſonantiam, & diſconvenientiam: non enim voluntas vult illud objectum, quia eſt diſſonum rationi, & malum, ſed quia eſt utile, vel delectabile: at cum illa utilitas, & delectabilitas conjuncta, & connexa ſit cum diſſonantia, & malitia, inde eſt, quod etiam tendit in objectum diſſonum & malum: mavult enim voluntas illam diſſonantiam, quam utilitatem, & delectabilitatem objecti, quod cum ea hic, & nunc neceſſariò conjungitur.

147. Nonum, Malum tranſcendens eſt privatio ſimpliciter; ergo etiam malum morale: Anteced. conſtat ex Metaphyſic. bonitas enim eſt paſſio entis. Conſequentia oſtenditur, quia malum tranſcendens eſt ſuperius ad morale, & naturale: atqui ratio ſuperior includitur in inferioribus; ergo, &c. Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem negando Majorem, quia malum tranſcendens eſt privatio, quæ non intenditur à natura, at verò malum morale eſt bonum tranſcendentale oppoſitum malo tranſcendenti, ac proinde non reperitur malitia tranſcendentalis in bono morali, cum illa omnem deſtruat entitatem: quam ſolutionem, licet irrideat Herrera diſputat. 29. de peccatis quæſt. 1. §. *ad aliud autem*, optima eſt & ab iſto Authore male intellecta, putavit enim malitiam deſtructivam peccati, eſſe malitiam moralem, cum tamen ſermo eſſet de malitia tranſcendentali.

148. Decimum, Illud eſt formale, aut eſſentiale alicui rei, quo poſito ponitur ejus eſſentia, & quo ablato, ejus aufertur eſſentia, quid quid aliud ponatur, vel auferatur: ſed talis eſt in actu malo privatio, & averſio à Deo; ergo privatio eſt formale conſtitutivum malitiæ. Major. patet in ultimis differentiis rerum. Minor oſtenditur, quia odium Dei verbi gratia non eſt peccatum in amente, vel ut eſt in homine cordato, ex eo quòd in iſto habet privationem, & averſionem à Deo, quam non habet in illo. Reſpondetur negando Min. Ad probationem, odium Dei in amentibus non ideo eſſe peccatum, quia non habet privationem, imò ideo non habet privationem quia non eſt peccatum, & ideo non eſt peccatum, quia non habet libertatem, nec moralitatem.

149. Ultimum, Si malitia formalis ſumitur ab objecto, confunditur cum moralitate: atqui malitia, & moralitas, ſunt quid diſtinctum; ergo cum moralitas deſumatur ab objecto, ſitque ordo tranſcendentalis actus ad illud, malitia non deſumetur ab objecto, nec erit ordo tranſcendentalis ad illud. Major probatur, quia illi duo ordines ſpecificantur à terminis: atqui unius, & alterius terminus eſt idem; ergo confundentur inter ſe. Reſpondetur negando Major. ad probationem diſtinguo Minor. atqui terminus unius & alterius eſt idem, materialiter, concedo: formaliter, nego: eſt enim idem terminus materialiter, formaliter diverſus: nam terminus moralitatis eſt objectum ſubjectum regulis abſtrahens à conformitate, vel difformitate; terminus verò malitiæ eſt objectum difforme legi, & prohibitum: Unde ille ordo eſt unus etiam materialiter, ſed multiplex formaliter, ut enim eſt moralis, habet gradum genericum; ut mala, habet gradum ſpecificum, & unicuique gradui reſpondet diverſitas formalis in objecto.

SECTIO DECIMATERTIA.

Explicantur Angelicus, & Subtilis Doctor in hac quæſtione.

150. Cum hæc duo Theologiæ lumina maximum probabilitatis pondus attribuant opinioni, cui ſubſcribunt, eorum mentem expendere in particulari judico neceſſarium: & primo circa mentem Div. Thomæ eſt diverſitas propter varia ejus loca, quæ ſancti Doctoris dubiam mentem reddiderunt: Videtur enim quòd omnes tres ſententias approbaverit.

Primam conſtituentem malitiam in poſitivo ſimul & privativo quæſt. 2. de malo articul. 1. ad quartum pro prima ſententia, ubi ita: *in peccato tranſgreſſionis non eſt verum quod peccatum ſit privatio, ſed quod peccatum eſt actus privatus debito ordine*: idem habet 1. 2. quæſt. 72. articul. 1. ad 2. & quæſt. 75. articul. 1. quo loco licet in corpore articuli aſſerat inordinationem, eſſe privationem, tamen *ad primum* dicit inordinationem eſſe actum ſubſtractum tali privationi: & quæſt. 82. articul. 1. ad 1. idem docet de peccato originali: eamdem doctrinam habet in 2. diſt. 34. qu. unica art. 2. ad 3. ubi ita, *Unde patet quod non ſola privatio ſpecificat malum habitum, & actionem, ſed poſitio ordinis ad finem quemdam cum privatione debiti ordinis.*

151. Primam verò ſententiam conſtituentem malitiam in ſola privatione videtur docuiſſe variis locis, quæ adducit Cornejo diſput. 4. dub. ultimo §. 2. *objicies*, Araujo cit. numero 55. §. 2. *verò*: Ex quibus ſolùm ea deſumo loca, in quibus

asserit solam privationem esse rationem formalem malitiæ, ita enim 1. 2. q. 73. art. 2. ubi explicans quomodo peccata non sint paria, duo admittit genera privationum, quasdam puras, quasdam non simplices, quia retinent aliquid de opposito, & has asserit esse peccata, suscipere magis aut minus, quod etiam habet in terminis quæst. 2. de malo art. 9. in corpore: & 1. 2. quæst. 75. art. , in corpore, & ad 1. docet inordinationem actus esse solam privationem: inordinatio autem sola est malitia actus: & quæst. 78. artic. 1. in corpore, ait: *Nihil autem est aliud malum, quam privatio alicujus boni*: & clarius 79. art. 1. ad 3. ubi & toto art. illo docet esse causam actus, non tamen peccati, quia Deus non est causa defectus sive privationis, in qua sita est ratio mali: quod repetit 2. 2. quæst. 6. art. 2. ad 1. in 4. dist. 26. art. 2. quæstiuncula 3. asserit peccatum dicere conversionem & aversionem: conversionem pro materiali, aversionem pro formali: & idem habet quæst. 3. de malo art. 2. juncto loco quæst. 75. 1. 2. supra citato: tandem prima parte quæst. 5. art. 3. ad 1. docet peccatum non habere ideam in Deo: & quæst. 14. art. 3. ait peccatum cognosci per bonum oppositum: & tertio contra gentes cap. 9. asserit malum morale consistere in defectu, aut privatione boni rationis: vide etiam quæ habet pro hac sententia 1. p. quæst. 48. art. 1. ad 5. & in secundo dist. 37. art. 1. ad 4.

152. Nostram denique sententiam videtur expresse docere: & primum testimonium desumitur ex ejus doctrina, in quo asserit bonum & malum esse differentias actus, ita 1. 2. quæst. 18. articul. 5. quæst. 72. articul. 1. ubi ait peccata distingui ex parte conversionis, non aversionis, quia aversio se habet per accidens, & præter intentionem: & articul. 6. ad 2. Secundum testimonium est, quia jam unum peccatum non foret pejus altero, cum enim unaquæque privatio totaliter privet forma opposita: æquales erunt privationes ex ejus doctrina 1. 2. quæst. 73. art. 2. & q. 83. art. 4. Affertur etiam pro hac sententia locus tertii contra gentes, qui à quodam recentiore asseritur esse expressissimus, cum tamen pro privatione videatur expressus, ita enim ibi habet, *sed malum privatio est boni in quantum est malum:* cætera loca quæ afferuntur, potius probant malitiam consistere in positivo & privativo simul, quam in solo positivo.

153. Propter hæc, dubia sane est mens D. Thom. ut bene vidit Vasques disp. 95. cap. 13. num. 64. & Granad. cit. qui asserunt potius stare pro opinione constituente malitiam in positivo simul & privativo: stare verò pro opinione, quæ constituit malitiam in sola privatione defendunt Valentia, Lorca, Montesin. & Araujo. Communiter tamen Thomistæ asserunt Div. Thom. stare pro opinione, quæ constituit malitiam in solo positivo, quorum Herrera in Manuscriptis de peccatis qu. 71. art. 6. dub. 4. §. *dico tertio*, ait *hoc esse certissimum in via D. Thomæ.*

154. Ego verò, diligenter inspectis, & consideratis locis D. Thom. existimo à S. Doctore defendi opinionem, quæ constituit in sola privatione malitiam: nam positivum accipit pro materiali, privativum pro formali, & essentiali constitutivo: ubicumque enim ex professo de hoc agit, in solam privationem rejicit malitiam, quod ex eo evidens est, quia D. Thom. sæpe considerat duo in actu malo, entitatem nimirum, & inordinationem: asseritque entitatem à Deo causari, & à voluntate per se: inordinationem verò nec à Deo causari, nec à voluntate, nisi ut causa deficiens est. Nec officiunt quæ afferuntur de specificatione peccatorum, ut enim ex ibi traditis à S. Doctore constat, ex eo specificatio actuum malorum desumitur ab objecto, quia objectum est quod per se intenditur, malitia verò per accidens, & cum illa species malitiæ non desumatur ab objecto nude sumpto, sed ut annexo malitiæ, inde est quod specificatur ab objecto malo.

155. De mente Scoti facilior in tanta subtilitate est sensus, expresse enim docet quod malitia sit privatio rectitudinis debitæ: ita enim habet in 2. dist. 37. qu. 1. n. 6. & in reportatis in 2. dist. 35. qu. 1. vers. *Dico igitur*, in quo sensu eum sequuntur communiter discipuli relati supra pro quinta sententia num. an verò dicatur privatio causaliter, quia nimirum inducit privationem in subjectum, an formaliter malitia sit ipsa privatio? videtur dubium; plærique Scotistæ allegati defendunt esse formaliter, quia Scot. in 2. dist. 37. qu. 1. num. 9. vers. *quantum*, ita habet: *In peccato mortali concurrunt duo, actus scilicet positivus, ut materiale, & privatio justitia debita ut formale, respectu hujus privationis, nulla est causa efficiens sed deficiens*: & n. 1. vers. *ad tertium*, quæ repetit multoties 1. & 2. q.

156. Verum Cavellus citata quæst. 1. n. 11. in marginali notatione, aliter mentem Scoti venatur: ait enim, *non vult actum esse subjectum privationis, sed quatenus repugnat alii actui, qui elici debuit.* Idest, quando Scot. asserit quòd peccatum est privatio rectitudinis debitæ actui, non est sensus, quod ipse actus sit subjectum privationis, sed tantum esse malum per formam propriam repugnantem actui, qui elici debebat, ex qua repugnantia oritur illa carentia, & ideo in quantum est carentia actus voluntatis deficientis, est peccatum formaliter.

157. Quem quidem sensum apertissime tradit Subtilis Doctor citatus numer. 6. ubi appellat illam privationem carentiam actus voluntatis deficientis, ita: *hac carentia in quantum est actus voluntatis deficientis, est formaliter peccatum actuale*: ac proinde ex mente Cavelli Scot. vult, quòd peccatum sit privatio rectitudinis, quæ inest voluntati, non actui: actum verò esse formam positivam repugnantem.

Qui quidem sensus probari potest ex Scoto quodlib. 18. art. 1. vers. *Respondeo*, ubi: *Virtus & malitia ad aliquid sunt actus, igitur esse bonos, vel virtuosos importat relationem, vel multas relationes.* & vers. *distinctio*, probat doctrinam Boëtii asserentis injustitiam esse contrarietatem, non privationem, Et vers. *per rationem* docet malitiam opponi contrarie, non privativè, nisi sit illa, quæ datur in actu indifferenti: quod quidem etiam docuit in 2. dist. 7. qu. unica num. 21. vers. *malitia*: Quod si dicas ibi loqui de malitia habituali: contra, obstat Scotus dicto quodlib. & art. vers. *per rationem*, & vers. *breviter* concludit in hunc modum: *sic malitia moralis est disconvenientia, & malitia quidem privativa, disconvenientia privativa, hoc est, carentia disconvenientia debita: malitia autem contraria, disconvenientia contraria; hac est conditio aliqua repugnans convenientia.*

158. Sed ut ego arbitror, Scotus manifeste est pro opinione constituente malitiam in privatione rectitudinis debitæ actui, non quæ inest, vel influit, sed quæ inesset, si non haberet illam privationem, ita enim expresse docuit in 2. dist. 37. quæst. 1. num. 6. & 11. & quodlib. 18. art. 3. vers. *aliud*, ubi docet omnes actus malos habere pro-

prias malitias, id est carentias: & vers. *aliud quia*, affirmat peccata differre secundum privationes: & vers. *& hinc*, ait non differre, nec distingui secundum conversionem, *quia illa nec per se constituunt, nec etiam distinguit peccatum, sed accipitur secundum rationem propriam hujus privationis, quæ est formalis ratio distinguendi*, & vers. *similiter*, ait; *Malitia autem in actu est privatio aliqua in illo*. Illud verò de malitia privativa & contraria explicandum est de objectiva circumstantia, nam si apponatur in debita circumstantia, dicitur contrariè malum, quia illa circumstantia repugnat: si autem non apponatur debita circumstantia, dicitur privativè malum, quia deficit illa circumstantia. Videatur Rada prima part. controvers. 16. §. ad 7. Herrera de peccatis disp. 29. quæst. 2.

159. Mentem Cajetani male exposuerunt recentiores quidam, eum in sinistrum, & Ecclesiæ devium sensum declinantes, sed non bene ejus dicta libraverunt, ille namque 1. 2. qu. 18. art. 5. §. *Ad claritatem*, & quæst. 71. art. 6. §. *In eodem*, qu. 72. art. 1. §. *ad evidentiam*, qu. 79. art. 1. §. *ad evidentiam*, & 2. 2. q 6. art 2. §. *ad hoc dicitur*, tria distinguit in actu malo. Primo, entitatem præcisè sumptam in esse naturæ, præscindendo ab ordine ad rectam rationem. Secundo, tendentiam ad objectum dissonum rationi. Tertio, carentiam rectitudinis oppositæ, quæ consequitur ex illa tendentia, quibus distinctis, asserit primo, entitatem illam inesse naturæ, & non esse malitiam formalem, sed tantùm quid materiale, substractum malitiæ formali: Secundo, tendentiam esse veram malitiam formalem positivam, & primariam actus: Tertio, carentiam esse quidem malitiam formalem, sed secundariam, & minus principalem: insuper addit, malitiam primariam, non dici malitiam simpliciter, sed cum addito, id est, moralem; eo quod multoties actus malus habet bonitatem transcendentalem: secundariam vero dici malitiam simpliciter, quia omnis bonitatis est expers: hæc est mens Cajetani in hac difficultate: sed cum doceret illam malitiam primariam esse à Deo causatam, male audit apud Theologos, præcipue recentiores, attamen benignè interpretandus est de malitia in genere physico.

SECTIO SEXTA.

Expenditur definitio peccati.

QUamquam doctrinæ ordo postulaverit, ut prius definitionem peccati, quam ejus essentiam expenderemus, cum in definitione explicetur essentia, tamen hic ordo in peccatis non debuit servari, eo quod definitio non explicet, sitne positivum, an privativum, ideo præsupponenda fuit qualitas essentiæ peccatorum, sive eorum ratio formalis positiva, ut deinceps, quæ amplius ad essentiam peccati requiruntur, ex definitione constarent.

160. Variæ igitur circumferuntur peccati definitiones: quæ omnes in idem coincidunt: Nam S. Ambros. lib. de Paradiso cap. 8. sic definit peccatum. *Est divinæ legis prævaricatio, & cælestium mandatorum inobedientia*. Theologi sic definiunt, *Est transgressio divinæ legis*: ut videre est in Suar. t.2. tract. 5. disp.1. sect. num.1. Augustin. lib. de duabus animabus cap. 10. *Est voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat*. Plures adducit Alensis 1. p. qu. 105. memb. 1. omnibus tamen præfero eam, quam tradit idem Augustinus lib. 22. cont. Faustum Manichæum cap. 27. *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam*: eo quod in ea definitione, non solum materiale & formale peccati explicatur, sed sub se comprehendit præfata definitio omnia omnino peccata.

161. Definitio autem traditur eo modo, quo definiuntur concreta accidentalia, in quibus materiale, id est subjectum, ponitur loco generis; formale, id est ratio accidentis, loco differentiæ: nam peccatum est concretum quoddam malitiæ, *dictum, factum, vel concupitum* ut materiale, & subjectum ponitur loco generis: *contra legem æternam*, ut formale, loco differentiæ: & quamquam aliquibus recentioribus displiceat hæc definitio, ut videre est apud Estium in 2. dist. 35. §. *Verbum*, ubi eam pluribus adductis argumentis impugnat; in præsenti per plurimas difficultatum resolutiones vindicanda est.

PRIMA DIFFICULTAS.

An nomine dicti, facti, & concupiti intelligatur actus?

EXcitatur difficultas ob illam partem definitionis, *dictum, vel factum, vel concupitum*, quæ videntur significare objectum quod est volitum, aut verbum quod dicitur, aut actionem quæ fit: cum tamen peccatum numquam possit esse objectum, verbum, aut actio.

162. Respondetur significari actum, tam oris per *dictum*, quàm potentiarum externarum per *factum*, quàm voluntatis per *concupitum*: est enim sensus definitionis, ut bene notavit Azor parte prim. constitut. moralium lib.4. cap. 1. §. *secundo est*. Peccatum est actus elicitus concupiscendo, dicendo, vel faciendo: & probatur, quia peccatum est voluntarium; ergo debet esse actus potentiæ, quæ ab ea, ut à principio intrinseco, media cognitione procedat.

163. Objectiones quæ opponi possunt, nimirum de essentia peccati non constituta in actu, sed in privatione, jam solutæ manent tota sectione 5. in qua late ostendi, essentiam peccati constituendam fore in tendentia positiva actus ad objectum dissonum legi: dato tamen, quod ratio formalis malitiæ formalis consistat, vel in positivo simul & privativo, vel in sola privatione, adhuc nihil haberetur contra explicationem præfatæ definitionis; namque semper peccatum includit actum saltem de materiali in quacumque opinione, inde cum hic *dictum, factum vel concupitum*, ponatur loco generis, erit actus & materiale, quod subjicietur illi privationi, quam esse peccati rationem formalem asseveratur.

164. Nec obstat argumentum ex peccato omissionis habituali & originali: nam peccatum omissionis etiam est quid positivum, ex dictis disp. 1. à num. 188. ad 189. & disp. 2. num. 205. & ideo omissiones non rejecimus à definitione voluntarii, quasi illa particula, *in quibus est actus*, excluderet omissiones, ut videre est dicta disp. 1. à num. 69. ad 72. peccatum habituale non est privatio, sed idemmet peccatum actuale, ut lento calamo probandum est infra in hac disput. sect. 17. à n. 917. ad num. 928. peccatum originale similiter non est privatio aliqua, sed idemmet peccatum Adami, de quo latissimè infra hac disp. sect. 18. à num. 1211. ad num. 1243.

165. Objicies deinde: *Dictum vel factum*, sunt peccata, non ut actiones sunt, sed ut objecta, ut

communiter tradunt Doctores; ergo per illa verba *dictum vel factum* non intelligitur actus, sed objectum, id est, ipsi actus potentiæ externæ, non ut sunt actiones ipsius potentiæ, sed ut sunt objecta voluntatis. Respondetur negando antecedens: sunt enim actus externi, peccata, ut actiones sunt, & ut profluunt à suis potentiis, non vero ut objecta voluntatis, ut docui disp. 3. à n. 846. ad 851.

166. Instabis: Licet *dictum vel factum*, ut sunt actiones, sint *peccata*, non erunt per malitiam intrinsecam, formaliter, & ut imputabilia sunt, cum à voluntatis actu habeant illam imputabilitatem: atqui præsens definitio est de peccatis formaliter, ut imputabilia sunt; ergo numquam per illa verba, *dictum vel factum* intelligi possunt actus externi. Respondetur negando majorem, cujus improbabilitatem ostendi disput 3. à num. 856. ad num. 874. licet enim non imputentur ad culpam actus externi, nisi imperio voluntatis subjiciantur, non tamen ratio cur imputentur, est imperium, & libertas voluntatis, sed propria, & intrinseca illorum actuum malitia, ut eo loco dixi.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Vtrùm sub illa definitione comprehendantur omnia peccata?

Est quæstio, vtrùm definitio complectatur omnia genera peccatorum; & excitatur propter eadem verba, *dictum, vel factum, vel concupitum*: quæ non videntur comprehendere, nisi peccata cordis, oris & operis, sub quibus intelligi non possunt plura alia peccata, præsertim concupiscentiæ, & intellectus.

167. Respondetur affirmative: quod scilicet illa definitio conveniat omnibus omnino peccatis: Probatur primo ex illo Psalm. 14. *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum*: in quibus verbis describens David virum omnis peccati expertem, per carentiam *dicti, facti, & concupiti* contra Deum descripsit. Secundo, quia omnia peccata ad Decalogi peccata reducuntur, ut docet Div. Thom. 1. 2. qu. 100. art. 3. & deducitur ex cap. 4. Deuteronomii, in quo Decalogus, *universa lex* appellatur; & ex cap. 22. Matth. ubi affirmatur, quod ex præcipuis præceptis Decalogi universa lex dependet: atqui in Decalogo solum reperiuntur peccata, quæ sunt dicta, facta, vel concupita, ut per omnia illius præcepta discurrenti patebit; ergo sub illis verbis, *dictum, vel factum, vel concupitum*, comprehenduntur omnia genera peccatorum. Confirmatur quia nullum assignabitur peccatum, quod ad dictum, vel factum, vel concupitum non reducatur.

168. Objicies primo: Concupiscentia est peccatum, & tamen non est dictum, factum, vel concupitum; ergo sub illis non comprehenditur omne peccatum. Consequentia optima est: major traditur à Paulo, & ab Augustino approbatur, qui toties concupiscentiam malam, peccatum esse contra Pelagianos statuit: nam lib. 4. contra Iulian. cap. 2. cum Iulianus asseruisset concupiscentiam esse bonam, sed frænandam, ait: *Cur non potius malum vocetur, quod fateris esse frænandum? cur, quæso frænandum, nisi ne noceat? nisi ne ad illicita, quæ desiderat, relaxetur? & utique desiderium mali, malum est, etiam si ei non consentiatur.* Et infra: *Rogo si est in vobis ullus sensus humanus; num potest malum esse peccatum, & bonum esse desiderare peccatum.* Et infra. *Hoc ergo malum, quod non dicturus es bonum; nisi adversus omnem veritatis tubam sic obsurdueris.* Lib. 6. cap. 15. *Quis autem ita sit imprudens, atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremo insanus, & demens, qui cum peccata esse mala fateatur, neget esse malum, concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversus eam, concupiscente spiritu, peccata concipere, ac parere non sinantur.* Eadem habet cap. 16. & lib. 1. operis imperfecti contra Iulian. fol. 102. fol. 110. ac alibi: inde est, quod ab Augustino concupiscentia variis dehonestatur nominibus, eam namque appellat *legem peccati* 1. de peccator. meritis cap. 6. lib. 2. cap. 23. lib. 2. contra Iulian. cap. 6. lib. 5. cap. 16. lib. 1. operis imperfecti contra Iulian. fol. 105. lib. 1. de nuptiis cap. 22. & 23. & 31. *desiderium peccati* lib. 4. contra Iulian. cap. 2. lib. de perfectione justitiæ cap. 10. *contagium*, lib. 3. contra Iulian. cap. 5. & 6. lib. 5. cap. 1. lib. 6. cap. 18. & lib. 2. ad Bonifacium cap. 11. Plura alia refert ex Augustino Cornelius Iansenius Yprensis, contra cujus errores late scribo, Magnum Augustinum ab ejus impostura vindicans. Videndus est in suo Augustino tom. 1. lib. 1. de statu naturæ lapsæ à cap. 14. & lib. 2. de statu naturæ puræ à cap. 11. ad finem; quibus locis late ostendit concupiscentiam esse peccatum.

169. Minor, quod scilicet concupiscentia non sit dictum vel factum, vel concupitum, probatur ex doctrina Apostoli, & Augustini, quia dictum, factum, vel concupitum, significant actus oris, operis, & cordis: atqui concupiscentia ut mala & peccatum est, non est actus; ergo sub illis dictum, factum, vel concupitum, non comprehenditur. Majorem probavi supra numer. 162. Minor probatur primo, quia concupiscentia juxta Augustinum, *est affectio malæ qualitatis, & languor* lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap 25. lib. 6. contra Iulian. cap. 15. Secundo, quia *est habitus* qui, juxta contrarios actus, minuitur, & augetur, lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia lib. 1. cap. 31. lib. 2. contra Iulian. cap. 3. lib. 6. cap. 4. & 18. Tertio, quia est *naturalis consuetudo*, lib. 1. de doctrina Christiana cap. 14. in epist. ad Galatas cap. 5. de fide & Symbolo cap 10. Sermon. 45. de tempore & lib. 1. ad Simplician. quæst. 1. ex qua doctrina Augustini probat Yprensis tom. 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 7. à §. *Porro concupiscentia*, concupiscentiam non aliud esse juxta Augustinum, quàm pondus quoddam habituale ad fruendum creaturis.

Respondetur: Explico majorem, concupiscentia est peccatum formaliter, & imputabiliter ad culpam, nego majorem: materialiter, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, concedo Majorem: neque aliud vult Augustinus relatus num. 168. quam concupiscentiam dici peccatum, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, hoc enim expresse docet lib. 1. de nupt. cap. 23. ubi explicans cur Apostolus concupiscentiam peccatum, & peccati legem appellat, ait, *Quoniam ex peccato facta est, & peccatum si vicerit facit.* Et lib. 2. contra Iulian. in opere imperfecto fol. 449. *Eam Apostolus peccati nomine appellat, quia & de primo peccato originem ducit & quisquis eius motibus ad illicita consenserit, peccat.*

170. Si autem ideo peccatum dicitur, quia de peccato est, & ad peccatum inclinat, proculdubio non est peccatum formaliter, quod imputetur ad culpam, ut expresse definit Trident. sess. 5. can. 5. ibi. *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus de-*

clarat, Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse, peccatum appellari, quod verè & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat: quem Canonem desumptum esse ex Augustini doctrina fatetur Yprensis tom. 2. lib. de gratia primi hominis & Angelorum cap. 2. propè finem: & nos late ostendimus lib. 1. contra Iansenium part. 2. cap. 10. §. 3. à num. 303. ubi eumdem inconstantiæ arguimus, quatenus, & concupiscentiam peccatum esse formale asserit: nec est cur iterum ibi disputata ad trutinam revocentur.

171. Unde corruit argumentum, fatemur enim concupiscentiam dici, & appellari peccatum, non quod peccatum sit formaliter, & quod hominibus imputetur culpæ, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, qua ratione remanet post baptismum ad coronam vincentibus donandam, non ad damnationem non consentientium, qui enim desideriis, motibusque concupiscentiæ non succubuerit, sed victor evaserit, dum cum illis decertat, triumphabit conatus, ut passim tradit Augustinus, docens relictam concupiscentiam in renatis ad certamen, & ad coronam: non enim peccat, qui subitis concupiscentiæ motibus resistit, & non consentit, ut ex Augustino probat Yprensis tom. 2. lib. 1. de statu naturæ lapsæ cap. 9. etenim Augustinus concupiscentiam appellari peccatum, ex eo quod eidem consentit voluntas, clarè docuit lib. 1. ad Bonifacium cap. 13. *Dicimus: Dimitte nobis debita non propter concupiscentiam, sed propter peccata quæ fiunt, sive in ejus consensionibus, cum ab eo, quod libet vincitur, id quod placet*: & lib. 3. contra Iulian. cap. 4. *Omnes homines indicant, lasciviam non esse peccatum, nisi quia concupiscentia consentitur:* Quare abeat Iansenius, dum sibi ipsi contrarius & Augustino infensus, docet tom. 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 14. motus voluntatis subitos, ut ante considerationem emittuntur ab appetitu, esse malos, illicitos, & turpes, nisi de illa malitia materiali intelligantur, quæ in inordinatione motuum apparet: tum quia non imputantur ad culpam Augustino supra: tum quia ipse Yprensis eos non esse peccata fatetur, de quibus vide lib. 1. contra Iansenium part. 2. cap. 10. §. 1. à numer. 303. tum quia ipse eodem cap. 14. §. *Non ergo*, expresse fatetur, motus concupiscentiæ non esse malos, sed eorum inordinationem, ibi: *Non ergo motus ejus in se mali sunt, sed inordinatio motuum, neque concupiscentia, vel appetitus sensitivus per se consideratus, sed effrenitas ejus.*

172. Ex quo infero primo contra Iansenium tom. 2. lib. 2. de statu naturæ puræ cap. 11. non esse Pelagianorum dogma, nec hæreticorum doctrinam; id quod asserunt Theologi, scilicet Adamum cum concupiscentia conditum esse: cum enim concupiscentia sit idem appetitus sensitivus, negari non potest cum illo conditum fuisse Adamum, nec primum hominem sine hac ad sui constitutionem necessaria potentia conditum fuisse fateamur: quod fateri tenetur Yprensis, primo dum ex eo negat conditum fuisse Adamum cum concupiscentia, quia cum sit mala, à Deo inseri non potuit: ita cap. 15. cum tamen cap. 14. §. *Non nego*, asserat concupiscentiam, sive appetitum sensitivum per se consideratum esse bonum. Secundo, quia concupiscentia, quam malam esse Paulus, & Augustinus asseverant, non est potentia sive essentia concupiscentiæ, sed inordinatio motuum, ut testatur Yprensis citato loco. Tertio, quia Augustinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 17. lib. 4. contra Iulian. cap. 11. declarat à Pelagianis assertum esse, concupiscentiam, eo modo, quo nunc regnat in hominibus, fuisse in primo Parente, contra quos arguens Augustinus, affirmat non sibi conflictum cum Pelagianis esse, an cum concupiscentia conditus fuerit Adamus, sed an talis fuerit, qualis nunc est, talem fuisse affirmantibus Pelagianis: ita de Pelagianis lib. 1. ad Bonifacium cap. 17. *Talem prorsus, qualis nunc est in Paradiso conabimini disputando revocare. . . nunc talis in hominibus non est, qualem in illius felicitatis loco esse concedisti.* Et cum hoc ex Augustino asserat Yprensis tom. 2. lib. 1. de statu naturæ lapsæ cap. 10. non desinit insultare Theologis, nec errorem suum castigat.

173. Infero secundo illam doctrinam, quæ adducitur ex Augustino num. 169. ad probandum concupiscentiam non esse actum, sed affectionem, consuetudinem, & habitum, veram esse, dummodo non intelligatur de essentia concupiscentiæ, sed de ejus effrenitate, & inordinatione, ex qua pugna illa carnis contra spiritum insurgit, quam evitare non potest natura, & ita fatetur Yprensis citato cap. 14. quam effrenitatem Theologi non agnoverunt in statu innocentiæ, sed fatentur inductam esse per peccatum: sive sit habitus, sive qualitas alia, de hoc non disputo; quare non erat, cur Yprensis cap. 11. adeo invehererur contra Theologos, quasi ipsi hanc concupiscentiam ita depravatam conditam esse à Deo, & in primo homine, dum statum habuit innocentiæ, locum habere existimarent. Hæc adeò lentè; non tamen adeò exactè ut parerat, licet largius, quam locus postulabat, eo quod quoties aliquid nobis objicitur ex doctrina Yprensis, perimendum est, ne vires accipiat talis Doctoris vesana doctrina.

174. Objicies secundo: In intellectu datur propriè peccatum: atqui peccatum intellectus, non est dictum, vel factum, vel concupitum: ergo sub his verbis non comprehenditur omne peccatum: Majorem ostendam infra sect. 9. numer. 178. Idem argumentum fieri potest de aliis potentiis à voluntate distinctis. Respondetur negando minorem, est enim dictum, nam actua intellectus dictiones etiam dicuntur, ut etiam intelligere dicitur locutio, & intellectio Dei ac Angelorum eorum locutio est: peccata, quæ in aliis potentiis reperiuntur, ad unum istorum trium revocantur.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrùm omne peccatum debeat esse concupitum?

175. Difficultas movetur propter eadem verba, dictum, vel factum, vel concupitum, videntur enim illa verba, *dictum, vel factum*, superflua, & falsa, ex eo quod omne peccatum est concupitum; ergo nullum dictum, vel factum: propter quam difficultatem, quæritur utrùm omne peccatum sit concupitum? Respondetur affirmativè & conclusio est de fide; ut tradetmus infra sect. à num. dum probabitur nullum peccatum dari posse sine consensu voluntatis; ideo nullum est, quod non debeat esse concupitum à voluntate, & ab ea imperatum.

Ex hoc tamen non infertur, non dari peccatum, quod sit dictum, vel factum: nam aliud est, nullum dari peccatum in potentiis à voluntate distinctis, aliud nullum earum actum, esse peccatum absque eo, quod sit concupitum, sive impe-

ratum à voluntate: nam occidere, & blasphemare peccatum est; occisio, factum; blasphemia, dictum, & specialibus pœnis puniuntur in jure; non tamen imputantur ad culpam, nisi sint liberè elicita, id est ex imperio voluntatis: sed de his supra disp. 3. sect. 12.

DIFFICULTAS QUARTA.

Utrùm omne peccatum sit contra legem?

176. VIndicata prima definitionis parte à difficultatibus, quæ illam difficilem reddebant, vindicanda superest secunda definitionis pars, ut omnis definitionis veritas constet. Quarta ergo in ordine difficultas est; utrùm aliquod sit peccatum, quod legi non sit contrarium? Respondetur negativè: constat ex dictis disputat. 2. numero 21. & probatur amplius, quia deficiente lege, deest prævaricatio: atqui deficiente prævaricatione non datur peccatum; ergo ut sit peccatum debet dari lex, cui actus contrarietur. Consequentia colligit: Majorem probat Apostolus ad Roman. 4. *Ubi non est lex, nec prævaricatio:* major ostenditur ex illo Psal. 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ:* ideo enim reputantur prævaricatores homines, quia peccatores sunt; si enim non peccarent, non dicerentur prævaricantes, cum ex eo sint prævaricantes, quia legem frangentes peccaverunt. Accedit locus Ioan. cap. 3. epist. 1. *Omne peccatum est iniquitas*: loco iniquitatis habetur in Græco *Anomia*, id est, explicante Beda *deviatio à lege* & idem est, omne peccatum est iniquitas, ac omne peccatum est deviatio à lege; ergo omne ideo est peccatum, quia legi est contrarium. Confirmatur, quia ex eo Apostolus protulit illud peremptorium edictum, ubi non est lex, nec prævaricatio, quia ostendere volebat legem causam esse iræ divinæ: *lex iram operatur*, non quia lex illam causet, sed quia prævaricatio legis iram Dei operatur: atqui omne peccatum iram Dei meretur, reatum pœnæ dum causat; ergo ex eo, quod omne peccatum legi adversatur, quæ contrarietas, prævaricatio est, & peccatum: quæ amplius confirmabuntur ex dicendis difficultate 5.

177. Objicies primo Apostolum ad Roman. 2. *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*; ergo ut quis iram Dei, & æternam damnationem incurrat, non requirit, quod ejus opera sint contraria legi: probo consequentiam; quia si ad damnationem requiruntur opera contra legem, non damnabitur ille, cujus opera legi non fuerint contraria: atqui Paulus clamat, quod etiam si gentes sine lege peccaverint, id est, non effecerint opera contra legem, adhuc damnandæ sunt; ergo cum sine peccatis non sint damnandæ, sequitur, non omnia peccata esse contra legem. Respondetur, Pauli locum intelligendum esse de lege veteri, juxta communem expositorum interpretationem, quam non offenderunt gentes, eo quod pro solis Iudæis data fuerit, quo tamen non obstante, adhuc damnandi sunt ex alio capite, quia scilicet legi naturali, & æternæ, quam per carnis opera fregerunt, contrariati sunt. Ideo gentium opera, licet non fuerint peccata propter contrarietatem cum lege veteri, fuerunt peccata eo quod contraria erant legi naturali, & æternæ.

178. Secundo: Peccatum veniale est verè, & propriè peccatum: & tamen non est contra aliquam legem; ergo non est de ratione peccati in communi, quod sit contra legem: De majori nullus Catholicorum dubitat, ut videbimus infra num. Minorem videntur approbare Div. Thom. D. Bonavent. Alensis, & Cajetanus, dum asserunt peccatum veniale esse præter legem, non contra legem: & Scotus docens peccatum veniale esse contra consilium. Deinde probatur primo, quia si quis habeat propositum non faciendi opus consilii, verbi gratia: *Nolo esse religiosus*, peccat venialiter: atqui illa nolitio solum est contra consilium; ergo ad veniale peccatum non requiritur præceptum. Secundo volere opus contra consilium est peccatum veniale ad minus; ergo etiam non facere aliquid contra consilium erit peccatum veniale; ergo ad veniale non est necessaria lex, cui contrarietur, cum sufficiat consilium. Tertio probatur, ex variis locis sacri textus, præcipuè ex illo: *Si diligitis me, mandata mea servate*; ergo qui non servat mandata, non diligit; ergo qui diligit mandata servat: atqui potest, imo sæpe accidit, aliquem diligere Deum, & peccare venialiter, non enim peccatum veniale opponitur amori Dei, nec Dei amicitiam destruit; ergo peccatum veniale nulli contrariatur præcepto; aliter contra Scripturæ verba, diligeret quis Deum, peccans venialiter, & non servaret mandata, quibus veniale opponitur.

Respondetur negando minorem, quod scilicet peccatum veniale, non sit contra legem: ut negant communiter Doctores, inter quos videantur Vasq. 1. 2. disp. 141. cap. 1. ubi Suar. tract. 5. disput. 2. sect. 5. dub. 1. n. 10. Montesin. disp. 18. quæst. 2. numer. 36. & 41. Granad. controvers. 6. tract. 1. disput. sect. 1. num. 17. Becan. 2. p. Summæ tract. 2. cap. 2. num. 1. Petrus Hurtad. de Incarnat. disp. 61. sect. 8. §. 12. & tota sect. 3. estque expressa sententia Scoti in 2. dist. 41. qu. unica numero 4. vers. *Ideo*, inde perperam pro opposita offertur sententia: & patet primo, quia agere solum contra consilium non est peccatum veniale, cum possit esse actus meritorius; ergo ut aliquis actus sit peccatum, etiam veniale, debet esse contra præceptum: Antecedens probatur, quia status matrimonii opponitur statui virginitatis, & religionis, qui est status consilii, non præcepti, juxta illud Pauli, *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*: atqui nullus asseverabit, quod si quis eligat statum matrimonii, relicto consilio virginalis continentiæ, peccet venialiter, cum opus exerceat meritorium; ergo, ut actus sit peccatum veniale, non est satis, quod sit contra consilium, sed requiritur esse contra legem. Secundo, quia peccata venialia defectu materiæ, ut furtum, defectu deliberationis, ut motus illicitus, imo ex genere suo, ut verbum otiosum, sunt contra illas leges, non furtum facies, non concupisces, non mentieris.

179. Ad argumenta contraria, respondeo D. Thom. Bonavent. Alensem & Cajet. ita intelligendos esse, quod peccatum veniale non sit contra legem, sed præter legem, obligantem scilicet ad mortale, cui non contravenit veniale peccatum absolutè, sed diminutè defectu alicujus requisiti. Scotus intelligitur de consilio latè accepto, quatenus est præceptum utile tantùm ad salutem, sive ad melius esse; ita interpretantur Caval. in Scholio 1. dist. 41. n. 4. Suar. n. 11. Montesin. num. 43.

Ad primum, si quis habeat propositum non faciendi opus consilii, peccat venialiter, distinguo majorem: si habeat propositum, quod sit odium, aut displicentia non faciendi opus consilii, peccat venialiter, concedo: si propter aliquem finem ho-

nestum, nego: tale enim propositum, apposito fine honesto sine odio, aut displicentia status, quem laudat consilium, non solum non est peccatum veniale, sed sæpe est actus meritorius, ut apparet in eligente statum matrimonii: si tamen ex eo habeatur illud propositum, quia homo odit consilii statum, aut de eo sibi displicet, peccatum erit mortale, si fuerit odium; & veniale, si fuerit displicentia; non quia frangitur aliquod præceptum affirmativum, cum solum sit consilium; sed quia contrariatur præcepto negativo, non habendi odium status consilii, semper enim odium virtutis, peccatum est, licet consecutio virtutis sit opus consilii.

180. Ad secundum, nego consequentiam, non enim æquiparatur vovere opus contra consilium, ac non facere, quod consilium postulat: ad faciendum enim non obligatur quis ex consilio, ad vovendum necessarium est, quod voti materia non solum sit licita, sed quod non sit majoris boni impeditivum: Unde si quis emittat votum de opere bono, tenetur ad observantiam voti, quod si incipiat votum esse majoris voti impeditivum, cessat absque ulla dispensatione obligatio voti, dummodo res non sit dubia, ut advertit citatus Montesin. num. 38.

181. Ad tertium ex Scriptura sacra, respondetur primo, nomine *mandatorum* intelligenda esse mandata gravia, & mortaliter obligantia, hæc enim sunt, quæ autonomasticè dicuntur præcepta, ita Granad. num. 17. Secundo, intelligi mandata simpliciter, non verò secundùm quid, sive mandata quorum fractio est contra salutem æternam, non verò mandata quorum observatio solum est utilis, & fractio non est damnabilis; ita Suar. num. 12.

182. Objicies tertio, Motus appetitus sensitivi, qui subito irrepunt, & præveniunt rationem, sunt contra legem: & tamen non sunt peccata; ergo non satis est, ad hoc, ut aliquid sit peccatum, esse contra legem: consequentia videtur legitima: major constat, quia omnes contrariantur illi præcepto, *non concupisces*, juxta illud Pauli ad Roman. 7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces*, quem locum ita exponit Augustinus de spiritu, & littera cap. 4. *Non concupisces, apertissimum, saluberrimumque præceptum est, quod si quis impleverit, nullum habebit omnino peccatum:* Minor traditur à Tridentino, estque de fide, ut ostendam num. 16?. Respondetur, distinguo majorem, sunt contra legem materialiter, concedo: formaliter, nego: deinde concedo majorem, & nego consequentiam: in sensu enim quo loquimur, nihil potest legi esse contrarium, & non esse peccatum imputabile ad culpam; multi tamen dantur actus, qui legi contrariantur, & non sunt peccata, quia illa contrarietas est materialis, non formalis; est physica, non moralis: sic exemplum odium Dei in amente, & homicidium non prævisum factum ab ebrio, contraria sunt legibus, & tamen non sunt peccata, quia non sunt actus morales, & liberi, sed tantùm naturales, & physici, ideo opponuntur legibus physicè, non moraliter, eo pacto, quo occisio à tauro facta est contra legem; similiter ergo, motus primo primi defectu advertentiæ, & libertatis non sunt peccata, quia opponuntur physicè, non moraliter legi: & solum contrarietas formalis, & moralis, est quæ actum reddit peccaminosum, & dignum pœna.

QUINTA DIFFICULTAS.

Utrùm dari possit peccatum, quod non sit contra legem?

183. DE facto non dari peccatum, quod non contrarietur legi, superiori difficultate ostensum est: an etiam de possibili certum sit, non posse dari peccatum, quod legi non contrarietur? inquiritur: & respondeo affirmativè: Ita D. Thom. 1. 2. quæst. 71. art. 6. ad 4. ubi eum sequuntur discipuli. Scotus dubius est: nam in 4. dist. 1. quæst. 2. num. 10. vers. *Et dico* videtur asserere aliqua esse posse peccata quin alicui legi sint contraria: in 2. vero dist. 37. quæst. 1. num. 3. vers. *ista quæstiones*, videtur oppositum docere, & in hoc sensu sequuntur Scotum Faventinus in 4. dist. 14. q. 1. disp. 1. c. 6. Herrera de peccatis disp. 29. quæst. 2. §. 1. *conclusio:* eamdem sententiam ex recentioribus sequuti sunt Curiel 1. 2. qu. 71. art. 6. dub. 2. §. 1. Lorca disput. 10. de peccatis §. *Sed quamvis*, Salas 1. 2. disp. 2. sect. 4. Cornejo tom 1. tract. 7. dub. 6.

184. Pro cujus probatione, notandum est primo quæstionem non procedere de actibus qui ideo sunt mali, quia prohibiti, quales sunt actus qui versantur circa res indifferentes, ut comestio carnium, fractio iejunii, deambulatio in dormitorio, & similes: de his enim constat non posse esse peccata absque lege, cum ab illa accipiant vel malitiam, vel bonitatem objecta, à quibus illi actus specificantur, de quo disput. 3. numer. 21. & 22. Notandum est secundo procedere quæstionem de actibus, qui versantur circa objecta intrinsece mala, ut odium Dei, blasphemia, divini nominis violatio, & similes; de quibus constat, esse ante omnem legem, objecta mala intrinsece; eo quod divinis contrariantur attributis, ut latius ostendi supra hac disput. à numero 21. His notatis,

185. Probatur nullum actum posse esse peccatum, si legi non contrarietur, primo ex fundamentis, quibus supra numero 178. ostendi de facto nullum dari peccatum, quod non sit contra legem: Secundo ratione D. Thom. 1. 2. quæst. 21. articul. 1. in corpore: Peccatum est malum morale: atqui hoc malum essentialiter consistit in deviatione à regula morum; ergo non potest dari peccatum, quin à regula deviet, ut non datur peccatum naturale, vel artificiale sine deviatione à naturali, & artificiali regula: tunc sic; atqui lex est regula, à qua deviat actus, sive peccatum; ergo sine tali regula non potest dari: minorem probat Div. Thom. 1. 2. quæst. 90. articul. 1. asserens leges esse regulas morales, & æternam esse primam regulam.

186. Contrariam tamen sententiam asserentem actus intrinsecos malos, non solum de possibili, sed de facto esse peccata, posita in ordine morali, ex vi suorum objectorum, quin aliquem respectum ad legem etiam æternam dicant, tuentur Suar. 12. tract. 3. disput. 7. sect. 1. numero 6. Vasques ibi disputat. 97. docens peccati malitiam consistere in difformitate cum natura rationali.

187. Primo, quia antequam Deus odium sui prohiberet, illud dignum æterna pœna judicavit: atqui illa dignitas est malitia moralis, & peccatum; ergo ante legem datur peccatum, nec desideratur ullus respectus ad legem, aut difformitas illa à lege. Respondetur distinguendo minorem, judicavit illud dignum tali prohibitione naturaliter, concedo: moraliter, nego: ex oppositione enim,

quam

quam ex sua natura odium Dei habet cum divinis attributis ? dignum est ob naturalem malitiam, ut prohibeatur, non tamen est malum morale imputabile ad culpam ante prohibitionem, non minus quam blasphemia prolata ab amente, digna est ut prohibeatur, quin imputetur ad culpam.

188. Dices ; Ergo poterit Deus non prohibere tale odium sui: Probatur illatio, quia quilibet Legislator, & àfortiori omnium supremus, liber est in legibus condendis, & ad extra non est creatus actus vel res quæ Deum necessitet ad operandû; ergo illud odium poterit Deus non prohibere: aliter Deus necessario legem illam prohibentem odium sui conderet. Respondetur negando illationem : ad probationem distinguo antecedens, absolutè, concedo : ex suppositione, nego : licet enim Deus absolutè non teneatur prohibere odium sui, si tamen permittat quod odium sui existat, necessario illud debet prohibere : cum enim Deus non possit non sua amare attributa, & mala intrinseca illis contraria detestari, tenetur ex determinatione suæ bonitatis & perfectionis actus circa objecta, quorum malitia suis est contraria attributis, prohibere, nec hoc est mirum, cum ex suppositione Deus necessario operatur, ut probavi disput. 2. numero 36. Dices : In eo priori signo, in quo non judicatur odium Dei esse peccatum morale defectu prohibentis legis, Deus potest illud velle; ergo potest non prohibere. Respondetur negando antecedens, si quidem in illo priori est malum naturale, oppositum divinis attributis, ad quæ amanda cum Deus determinatus sit, etiam determinatus erit ad displicentiam omnium, quæ divinis attributis fuerint contraria. Exemplum sit falsitas speculativa inculpabilis, quæ licet peccatum morale non sit, quia tamen divinæ opponitur veritati, necessario displicet Deo, ab eoque amari non potest, nisi propriam veritatem detestetur ; cum ergo omnes actus, qui versantur circa objecta intrinsece mala in illo priori, antequam prohibiti sint, sint de malitia opposita divinis attributis, naturalis est formaliter, & fundamentaliter moralis, quia necessario prohibenda est. Posita autem lege erit moralis, de quo vide dicta supra à numero 12. quapropter licet actus circa talia objecta sint dissoni naturæ rationali, à Deo aversi, contrarii divinis attributis, non sunt tamen mali moraliter, & peccata imputabilia, antequam prohibeantur, sed tantum mali naturaliter & fundamentaliter morales, quia prohiberi debent necessario, qua stante prohibitione erunt peccata moralia.

189. Secundo probant, Deus non potest dispensare in peccatis factis contra præcepta Decalogi ; ergo istorum peccatorum malitia provenit ex ipsorum intrinseca ratione, & non ex lege. Antecedens est certum, & communiter à Theologis approbatum : Consequentia ostenditur, quia Deus ut supremus Legislator libere imposuit præcepta Decalogi : sed supremus Legislator potest in suis legibus dispensare ; ergo si malitia eorum peccatorum est ex lege, & non ex ipsorummet intrinseca ratione, Deus poterit dispensare in illis legibus, & præceptis Decalogi.

190. Respondetur : Nego consequentiam. Ad probationem, distinguo consequens, si malitia provenit tantum ex lege positiva, concedo : si ex lege æterna, nego. Cum ergo illa peccata non prohibeantur solum per legem positivam, sed etiam prohibita sint per legem æternam, & hæc lex necessario existat in mente divina, necessario determinans Deum ad prohibenda quæcumque suis attributis fuerint contraria, & mala fuerint naturalia, non poterit Deus dispensare in legibus, quas imposuit necessario ; licet enim Deus absolutè potuisset non imponere illas leges, si nimirum non permitteret actus intrinsece malos, ubi tamen eos permisit, debuit prohibere, eo quod prohibiti erant per legem æternam, quæ necessario Deum determinat ; inde Deus dispensare potest in legibus, quas libere imposuit, non quas necessario : veluti si Princeps imponat legem circa idem objectum prohibitum per legem naturalem, non poterit dispensare quoad culpam in illa lege, quia non potest dispensare in lege naturali, quæ extra potestatem Principis est ; ita Deus imponens legem circa objectum prohibitum per legem æternam, non potest dispensare in illa lege, eo quod lex æterna Deo necessitatem imponit, quia si Deus velit prohibere ex sibi innata perfectione, tenetur se conformare illi legi, & dictamini suæ sapientiæ, à quo Deo non licet deviare, ne se ipsum, suamque bonitatem deneget ; Vide dicta disp. 1. num. 35.

191. Tertio : Scientia simplicis intelligentiæ, saltem ratione prior est, quàm sit voluntas Dei, & lex æterna, quæ voluntatem includit : sed in illo priori intelligit Deus odium sui esse peccatum; ergo jam ante omnem legem datur peccatum ; & per consequens peccatum non est absolutè contra legem. Respondetur, distinguo minorem : Intelligit Deus, odium sui esse peccatum, naturale, concedo : morale, culpæ imputabile, nego : Cum enim lex æterna necessaria sit omnino, ad hoc ut actus sit peccatum culpabile, & morale, tum potest illius malitia moralis cognosci sine præordinatione ad legem, imo ut Deus cognoscat illud odium ut peccatum morale fundamentaliter, debet illud cognoscere cum ordine ad legem æternam.

SEXTA DIFFICULTAS.

Utrùm peccatum debeat esse contra legem æternam ?

CUm multa sint præcepta, & leges, quæ latæ sunt contra peccata, est dubium an omnia, quæ contrariantur legibus ab æterna diversis, contraria etiam sint legi æternæ : ob illam particulam definitionis, *contra legem æternam*, quæ videtur constituere essentiam, & formalem rationem peccati in contrarietate cum lege æterna.

192. Pro solutione supponendum est ; Primo, ex materia de legibus dari quatuor leges, divinam scilicet, naturalem, humanam, & æternam : Divina, est illa, quæ à Deo in tempore fertur, ut præcepta Decalogi : naturalis, est dictamen mentibus humanis insertum, quo prohibetur, vel præcipitur quicquid rectæ rationi est contrarium, ut, quod tibi non vis fieri, alteri ne facias, fides servanda : humana, est quæ sancitur ab aliqua humana potestate, sive Ecclesiastica, sive sæculari, ut à Pontificibus, aut Regibus. Æterna, est dictamen quoddam in mente divina existens, per quod summa Dei Sa-

pientia omnes res gubernat, omniumque creaturarum inclinationes in proprios dirigit fines, jubens conservari, & perturbari vetans ordinem naturalem.

193. Suppono secundo, legem æternam esse veram, & propriè legem, ut citata materia de legibus ostendendum est. Tertio, legem æternam duobus modis considerari posse. Primo, in se, secundo, in suis participationibus: in se, est ipsamet ratio divinæ sapientiæ: in suis participationibus est ipsamet lex divina, naturalis, vel humana, quæ ipsam legem æternam participant, ad quam comparantur, ut artificiale ad artem. Quibus positis,

194. Respondeo: Omne peccatum est contra legem æternam, vel in se, vel in suis participationibus. Probatur, quia ut ex duabus præcedentibus difficultatibus constat, nullus datur, aut potest dari actus peccaminosus, qui non sit contra aliquam legem; ergo nullus dari potest, qui non sit contra legem æternam. Probo consequentiam, quia leges omnes participant legem æternam, & in se sunt quid legis æternæ; ergo quicquid illis contrariatur, etiam legi æternæ est contrarium.

195. Dices: Ergo omnis lex erit indispensabilis à Deo. Probo illationem: Lex æterna est indispensabilis: atqui omnes leges sunt participativæ æternæ; ergo omnes erunt indispensabiles. Respondetur, negando illationem. Ad probationem, nego majorem: Non enim lex æterna absolutè est indispensabilis, sed potest in ea dispensari secundùm materiam prohibitam, vel præceptam: nam si materia fuerit intrinsece mala, & divinis attributis contraria, indispensabilis est: si fuerit extrinsece mala, sive bona, dispensabilis est; quia à lege æterna lex circa illam participatur cum ea modificatione; etenim indispensabilitas legum non oritur ex ipsa lege, cum ex se leges sint à Legislatore dispensabiles, sed ex ratione materiæ circa quam versantur; si igitur detur materia, quæ ex sua ratione non possit non prohiberi, & quæ possit indifferenter prohiberi, vel præcipi, hæc dispensabilis, illa indispensabilis erit, & ratione illius materiæ, leges dispensabilitatem, vel indispensabilitatem accipient, & consequenter lex æterna, ut in illis legibus participatur, dispensabilis est.

196. Si quæras, utrum lex, cui peccatum contrariatur, sit propriè, & verè lex, & non tantum judicium dictans aliquid esse malum; Respondetur affirmative: Primo, quia quæ sunt intrinsece mala, ideo fiunt moraliter mala, quia legi naturali, & æternæ contrariantur: atqui lex naturalis, & æterna sunt verè, & propriè leges, ut docent Doctores communiter in materia de legibus. Argumentor secundo, si satis foret ad peccatum judicium, & non lex verè prohibens, jam non servare castitatem, non ingredi religionem, & similia, forent peccatum: hoc autem est falsum, non enim peccatum est, non efficere opera consilii; ergo, &c. Probatur major, quia judicium rectum dictat bonum esse ingredi religionem, & castitatem servare; ergo si satis est ad peccatum, quod actus fiat contra rectam rationem, jam non ingredi religionem foret peccatum; ideo tamen peccatum non est, quia deest lex verè prohibens talem actum: & circa hoc punctum, Vide Herrera de peccatis disp. 24. q. 4. §. 1. conc. Cornejo dub. 3.

SECTIO SEPTIMA.

De contrarietate peccatorum.

CUi non erit contrarium, quod Deo, ejusque legibus contrarium est? & cum peccatum Deo esse contrarium dignoscatur, naturæ virtutibus, & bono contrarium esse diffiteri non possumus: non tamen facilè apparet contrarietas ista, difficilis facta est ex confusione extremorum, quam ut faciliter demonstremus, per distinctionem extremorum in præsenti explicabimus.

SUBSECTIO PRIMA.

Quomodo contrarietur peccatum naturæ rationali?

QUamquam certum sit, naturæ rationali peccatum esse contrarium, non tamen desunt offendicula quædam, quibus incerta videri potest prædicta contrarietas: qua persistente, adhuc superest explicanda ratio, cur sit naturæ rationali contrarium omne peccatum: hoc per sequentes præstabitur difficultates.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum peccatum sit contrarium naturæ rationali?

197. REspondetur affirmativè: est omnium Theologorum sententia, quam præ reliquis ex Scriptura sacra, Patribus, & Theologis antiquis, & recentioribus optime expendit Salas t. 1. tract. 13. disputat. 2. sect. 8. Breviter duplici fundamento hanc ostendo veritatem. Primum est: Felicitas naturalis hominis in eo sita est, quod est homini naturale simpliciter: atqui felicitas naturalis (assentientibus Ethnicorum parte majori, & omnibus Christianis) consistit in operatione honesta rationis; ergo honesta operatio est homini naturalis, & conveniens. Tunc sic: Atqui peccatum est contra rectam, & honestam rationis operationem; ergo est contra naturam rationalem.

198. Secundo, quia vitium, & peccatum reddit naturam aversam à Deo, & ab arte illa supremi artificis, ad quam efformata fuit, diversam; ergo contra naturam est. Antecedens est magni Augustini lib. 3. de lib. arbitr. cap. 15. *Cum enim sit, & hoc à Deo naturæ habeant, quod naturæ sunt, in tantum vitiosa sunt, in quantum ab ejus, à quo sunt, arte discedunt. & in tantum rectè vituperantur, in quantum earum vituperator artem, qua factæ sunt, videt: & hoc in eis vituperat, quod ibi non videt:* Consequentiam colligit idem Augustinus ex antecedente citato loco: *Omne quippe*, dicens, *vitium, eo ipso quo vitium est, contra naturam est.* Unde nullum vitium, vel peccatum potest esse naturale, sed contra naturam, nam ut eodem libro cap. 13. docet. *Animorum, quæcumque sunt vitia, naturalium sunt privationes bonorum*: Vide, quo pacto erit juxta, & non contra naturam, quod ita naturæ est adversum, ut naturam suis bonis privet.

199. Objicies primo: Sanctorum Patrum, & omnium Theologorum placitum est, ideo à Deo permissum fuisse primum nostrum parentem in peccatum labi, quia voluit Deus, quod homo secun-

dùm suam naturam operaretur: ergo quando Adam, & ejus posteritas peccat, operatur secundùm naturam suam; ergo peccatum non est contra naturam. Respondetur admisso antecedente, nego utramque consequentiam; quia cum homines peccant, non operantur secundùm naturam, imo deficiunt in operatione naturali: quando vero Patres, & Theologi docent ideo à Deo permissum esse Adamum peccare, ut Adamus secundùm naturam ageret, est ratione libertatis, cum enim conderet hominem sui juris, & liberum cum indifferentia ad electionem boni & mali, cum reliquit in manu consilii sui, & in sui arbitrij potestate, quæ perfectio hominis est, ut in ejus manu esset, cadere, aut stare, quodlibet enim posset Dei gratia supposita: debuit ergo operari secundùm perfectionem libertatis, resistendo tentationi; quod si peccavit, defectus fuit libertatis creatæ, & non illius perfectio., ideo disconveniens ejus naturæ.

200. Secundo: Actio humana est propria hominis, & ei naturalis; ergo & consentanea: sed peccatum est actio humana; ergo est propria, & naturalis; ergo est conveniens naturæ. Respondetur negando primam consequentiam, ut ægritudo est propria, & naturalis animalis, non tamen animali est conveniens, & consentanea: Ad minorem, nego ultimam consequentiam, licet enim sit propria actio, & naturalis hominis, non est conveniens, eo quod est propria hominis secundùm imperfectionem libertatis, quæ imperfectio homini est disconveniens: cum enim tota libertatis ratio possit stare, quin detur electio peccati, ut in Christo Domino videre licet, eligere peccatum, & exercere illam partem libertatis, quæ est ad malum, non est perfectio, sed imperfectio libertatis, ex Augustino de Prædestinat. Sanctorum cap. 15. Anselmo de libero arbitrio cap. ultimo: & ideo non est conveniens, nec consentanea naturæ, sed disconveniens, & dissentanea.

201. Tertio, Deus non potest creare creaturam impeccabilem; ergo peccare est de ratione creaturæ, ergo non est contra naturam creaturæ rationalis. Antecedens, licet ab aliquibus revocetur in dubium, nec sit adeo certum, ut oppositum sua careat probabilitate, de quo alibi, communiter tamen à Doctoribus approbatur. Respondetur: distinguo primum consequens; ergo peccare est de ratione creaturæ rationalis, qua creatura est ex nihilo, concedo: qua perfectionem dicit, nego: Licet enim peccare, & potentia ad peccandum, dicatur naturale creaturæ, id est, non supernaturale, non tamen naturale est, id est conveniens, quia illa potentia ad peccandum, non est perfectio, sed defectibilitas creaturæ reperta in voluntate, voluntative convenit eo quod ex nihilo facta est, eo modo, quo aquæ non repugnat calefieri, illa non repugnantia naturalis est aquæ, & tamen aquæ est disconveniens: corruptio etiam est naturalis, & de ratione rei corruptibilis, & tamen rei non est conveniens: similiter potentia ad peccandum, & peccare est naturale, & de ratione creaturæ, non tamen illi conveniens.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Vtrùm ideo peccatum sit contra naturam rationalem, quia est contra rationis dictamen.

202. Respondetur affirmativè: est communis Theologorum sententia; pro qua videri debent Vasques 1. 2. disputat. 90. cap. 3. Salas cit. conclus. 1. Herrera de peccat. disputat. 19. quæst. 7. Probatur primo, ex expressa sententia Dionysii Areopagitæ cap. 4. de divinis nominibus, & Augustini lib. 12. de Civitate Dei cap. 10. Secundo, quia quicquid est contra rationis dictamen, opponitur consequutioni finis naturalis, atqui quod opponitur cõsequutioni finis naturalis, opponitur naturæ rationali; ergo, &c. Major ostenditur, quia quod opponitur rationis dictamini, deviat hominem à fine ad quem per illud dirigitur; ergo opponitur consequutioni finis naturalis. Minor verò probatur, quia *quando duo prædicata opposita ita se habent respectu alicujus subjecti, ut unum ordinet subjectum ad suum finem naturalem, & alterum deordinet, retardetque subjectum à consequutione talis finis, si ordinans est conveniens, deordinans est disconveniens subjecto.*

203. Objicies: Ut aliquid sit conveniens subjecto, satis est, quod subjecto conveniat secundum aliquam partem præcipuam ipsius subjecti, quamquam alteri parti subjecti repugnet: atqui omnia peccata conveniunt homini, secundum eam partem, qua homo est animal; ergo licet repugnent homini, qua rationalis est, erunt homini convenientia. Minor constat, licet enim albedo repugnet animæ rationali, quia convenit ratione materiæ, conveniens est homini. Major ostenditur, quia bomo secundum utrumque appetitum inclinat ad peccatum: Respondetur, distinguo majorem, si pars cui repugnat, sit forma constitutiva subjecti, & ut formæ constitutivæ repugnat, nego majorem: si nec sit forma constitutiva, nec illi, ut formæ constitutivæ, repugnet, nego: albedo non repugnat formæ rationali, ut forma est hominis constitutiva; imo est perfectio hominis: sentire etiam naturale est homini, quia licet repugnet animæ rationali, non tamen ut formæ constitutivæ, cum non sit contra naturam hominis, ut homo est. Ad minorem, distinguo similiter, omnia peccata conveniunt secundùm eam partem qua homo est animal, sine repugnantia cum forma constitutiva hominis, concedo: cum repugnantia, concedo: inde dicentur secundum quid, ratione partis naturalia, & convenientia: simpliciter ratione formæ, disconvenientia, & contra naturam. Videatur doctrina similis disputat. 1. à num. 331.

Ratione hujus argumenti solvenda sunt duo dubia incidentia, à quibus dependet & prædicti argumenti efficacia, & plenior ejusdem solutio.

DUBIUM PRIMUM INCIDENS.

Vtrum appetitus sensitivus inclinet naturaliter ad peccandum?

204. Respondetur, appetitum sensitivum inclinare ad peccandum materialiter, non formaliter; id est, inclinare ad objectum, quod est malum, non verò ad malitiam, & objectum imputabile, & morale. Utraque pars est communis Theologorum, quos latè refert, & sequitur Salas citatus numero 198. Vasqu. num.

9. Lorca disp. 4. §. *Cæterum*; Curiel qu. 71. art. 2. dub. unico §. 3.

205. De secunda parte responsionis non potest esse dubium, cum enim objectum appetitus sit bonum sensibile, & peccatum formaliter non sit bonum, in illud inclinare non potest appetitus, eo quod *nulla potentia ferri possit extra suum objectum*.

206. Prima pars difficilior est, sed certior, eo quod Tridentinum sess. 5. de pecato originali can. 5. ducat concupiscentiam ex peccato esse, & ad peccatum inclinare, qua posita doctrina sic argumentor: Concupiscentia aut est ipsa potentia appetitus, sive ipsemet appetitus, ut fatetur communis sententia, & non diffitetur Yprensis, nec Augustinus, ut supra vidimus num. 170. aut est motus ipsius appetitus in peccatum voluntatem inclinans, juxta Vasq. 3. part. disp. 61. num. 48. Si primum, jam ex Concilio concupiscentia inclinat ad peccatum: Si secundum, quis dubitat naturali inclinatione potentiam ferri, & inclinare in suos proprios motus, & actus? Confirmatur, quia æquè inclinat appetitus ad generationem filiorum ex propria uxore, atque ex aliena: atqui ad procreandos filios ex propria uxore inclinat naturaliter; ergo etiam ad procreandos filios ex aliena. Tunc sic: Generatio filiorum ex aliena, est malum, & peccatum; ergo ad materiale illius mali naturaliter inclinabit: nam ad formale per accidens inclinat, quatenus illud bonum sensibile, sive malum materialiter ex consensu accedente voluntatis, imputatur ad culpam.

207. Medina docuit appetitum sensitivum non inclinare ad materiale peccati. Primo, quia appetitus sensitivus est potentia à Deo instituta ad rationi obediendum; ergo non potest naturaliter inclinare in bona sensibilia, quæ rationi sunt contraria. Respondetur negando antecedens: instituta enim est, & data ad appetendum bonum sensibile: inde peccata formaliter, nec sunt contra nec secundùm appetitum, secundùm se consideratum, cum ut sic, appetitus nullum ordinem dicat ad rationem, ut nec objectum quoad secundum se indifferens est.

208 Instabis: Appetitus, ut est in homine, conjungitur rationi; ergo bonum sensibile, sive objectum appetitus, etiam dicit ordinem ad rationem; ergo si appetitus inclinat in objectum, quod est materialiter malum, etiam inclinabit in objectum formaliter malum, sive ad bonum sensibile cum ordine ad rationem. Respondetur; distinguo primam consequentiam: per se, nego: per accidens, ratione conjunctionis, concedo: deinde nego ultimam consequentiam, quia *potentia inclinat in sua objecta cum præcisione omnium, quæ objecto per accidens conjunguntur*, ut gustus terminatur ad dulcedinem, & non ad albedinem dulci conjunctam; & ad pomum, non ad prohibitionem legis, si fuerit prohibitum.

209. Secundo: Consensus voluntatis in bonum sensibile, inordinatus & malus est formaliter: sed appetitus allicit voluntatem, ut consentiat, & peccet; ergo si appetitus inclinat ad malum materialiter, etiam inclinabit ad malum formaliter. Respondetur, distinguo minorem, per se, nego: per accidens, & occasionaliter, concedo: consensus etenim voluntatis, est extra limites proprii objecti appetitus, nec appetitus per se procedit, sed tantum occasionaliter, ideo appetitus non influit in consensum; nec ei imputari potest consensus voluntatis, quem poterat voluntas non elicere

210. Cornelius Iansenius Yprensis multis D. Augustini locis armatus, negat conditum esse hominem, aut condi potuisse cum concupiscentia, sive appetitu, qui inclinaret ad malum, sive ad omnes motus objecti sensibilis; Pelagianumque dogma fuisse, asserere cum concupiscentia creatum à Deo fuisse primum parentem. Tria ergo asserit. Primum sine concupiscentia Adamum conditum. Ita tom. 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ per totum: Secundum, non potuisse hominem creari à Deo cum concupiscentia, ex quo capite statum puræ naturæ, quem Theologi possibilem esse docent, impossibilem & Pelagianorum assertionem esse judicat. Ita citato tom. 2. de statu naturæ puræ à cap. 11. ad finem. Tertium, asserere concupiscentiam esse bonam, & non pœnam ex peccato inflictam, nec omnium malorum radicem, esse hæresim Pelagianam. Ita tom. . lib. 3. à cap. 4. ad 1. tom. 2. lib. de gratia primi hominis, & Angelorum cap. 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ à cap. 10. ad 15. & lib. 2. de statu naturæ puræ cap. 11. 12. & 13.

211. Primum, quod scilicet Adamus sine concupiscentia conditus fuerit, probat primo: quia concupiscentia est pœna ex peccato inflicta, juxta ea, quæ ex Augustino & Tridentino supra numero 169. & 170. dixi: Secundo, quia est morbus, cui necessarium fuit remedium applicare, ita Augustin. lib. 3. contra Iulian. cap. 15. loquens de matrimonio, ut remedium est libidinis. *Si agnoscis remedium, agnosce morbum: si negas morbum, nega remedium.* Cap. 25. *Nec succenseat, quod concupiscentiam dixi morbum, cui & tu confessus es provisum esse remedium.* Lib. 4. cap. 2. *Apostolica sententia, ubi ait, si se non continet, nubat, remedium voluit esse nuptias, quod & ipse confessus es, contra morbum concupiscentiæ, quod confiteri non vis, qui remedium confiteris: hoc autem remedium est, non ut sit concupiscentia, si non est, sed ut non rapiat ad illicita, cujus motus infrenis est.* Tertio, quia motus concupiscentiæ mali sunt. Multa sunt loca Augustini id probantia. Vide supra num. 168. & latè adducit Yprensis tom. 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 9. lib. 1. de statu naturæ puræ cap. 13. & 14. Satis sit locus ex lib. de perfect. justitiæ c. 6. *Concupiscentia carnis, utique culpabilis, atque vitiosa est, nihilque est aliud, quam desiderium peccati:* Quarto, quia concupiscentia est causa, & vehiculum ex quo, de quo, & per quod traducitur originale peccatum in posteros: sive est ipsum peccatum originale. Hoc intendit ex variis Augustini locis probare Yprensis toto lib. 2. de statu naturæ lapsæ tom. 2. Quinto, quia si foret concupiscentia bona, & à Deo condita, omnes ejus motus boni forent, eisque consentire non foret malum, nec peccatum, imo meritorium esset motibus concupiscentiæ consentire: Ita probat idem Yprensis tom. 2. lib. 2. de statu naturæ puræ cap. 15. in his argumentis includuntur cætera quibus utitur Yprensis ad ostendendum primum parentem creatum non fuisse cum concupiscentia.

212. Secundum, quod non sit possibile aliquem hominem cum concupiscentia à Deo creari, probat iisdem argumentis: cum enim in Deum creatorem refundi non possit malitia creaturæ, non potest creatura à Deo creari cum malitia & peccato, eo quod jam Deo attribueretur: Deo enim sive creatori attribuitur quicquid

non à creatura, sed à creatore fit. Tertium, quod asserere concupiscentiam fuisse simul ac Deus primum hominem creavit, esseque bonum naturaliter, non differat ab errore Pelagianorum, probat latissimè locis citatis num. 110.

213. Verum ne de nomine nobis litigium sit, & querantur Yprensis discipuli, quod non plenè intellectus eorum Magister, contra sensum, quem intendit sæpissime damnetur: quæro ab Yprensis discipulis, an Yprensis loquatur de concupiscentia, quæ potentia est, sive de appetitu sensitivo: an de effrænitate, & inordinatione concupiscentiæ? adeo enim obscurè, & tenebrosis verbis suum occultat sensum, ut ne ei injuriosi videamur, sensum proprii Magistri ab ejus requiramus discipulis: quem dum expecto, sentio Yprensem loqui de ipsa potentia, sive de appetitu sensitivo. Fateor dubiam, inconstantem, & variam esse ejus mentem (quod Cornelio non semel accidit) de quo in nostra libra bicipiti, quam appendam in nostro Anti-Iansenio; licet enim loquatur de effrænitate, & inordinatione concupiscentiæ, ut videre est locis citatis, præcipuè lib. 2. de statu naturæ lapsæ à cap. 13. tamen hanc effrænitatem, & inordinationem esse inseparabilem ab ipso appetitu testatur eodem libro cap. 14. §. *Non ergo*, ubi: *Non ergo motus eius in se mali sunt, sed inordinatio motuum; neque concupiscentia, vel appetitus sensitivus per se consideratus, sed effrænitas eius, qua concupiscentia, & eius desideriis, in statu puræ naturæ semper adhæret*: Et cap. 20. §. *Itaque*, ubi illam effrænitatem esse secundùm se naturalem appetitui asserit. *Vaga illa libertas appetendi, & impetuositas, quæ illi secundùm se naturalis est, per illud arctissimum coniugium in eodem homine, moderationem, & subiectionem quamdam accipit naturalem, ut numquam prosiliat ad appetendum, nisi nutu coniugis*, id est rationis: Non video autem quo pacto stare possit, cum ejusdem doctoris Doctrina, qua docet effrænitatem, & Inordinationem motuum concupiscentiæ esse pœnam peccati, & non nisi ex peccato, tom. 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 7. ibi: *Altera pœna, quâ peccatum primi parentis nostri punitum fuit, & universum genus humanum atteritur, est illa, quam Scriptura sacra concupiscentiam vocare solent*, & sæpe alibi: nec quomodo hæc effrænitas sit naturalis, & affectio diversa ab ipso appetitu, ut ipse probat tom. 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 18. per totum, præcipue §. *hoc autem* in fine. Sed his omissis, quæ videri possunt in nostro Anti-Iansenio, parte 2. in Iansenio appenso;

214. Statuo in præsenti sermonem esse de concupiscentia, prout est ipse appetitus sensitivus, & de hac loquor, non verò de concupiscentia accepta pro effrænitate, & inordinatione motuum, ut de ea sæpius loquitur Augustinus: & in hoc sensu tria assero juxta Augustinum. Primum, hominem à Deo condi potuisse cum concupiscentia. Secũdum, de facto ita creatum fuisse Adamum. Tertium, hanc doctrinam, non Pelagii, sed Augustini, non hæreticam, sed Catholicam esse.

215. Primum probo ex secundo, quia scilicet Adamus cum concupiscentia creatus fuit: namque appetitus sensitivus, pars est necessaria ad hominis naturalem constitutionem: ut ex Augustino fatetur Yprensis, tom. 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 7. §. *Ex his patet*, ubi: *Nam, ut ipse docet, consuetudo huiusmodi. fit in quadam inferiori parte voluntatis, quam ipse vocat partem animalem*, lib. 1. de Genes. contra Manichæos cap. 19. *Appetitum animæ* cap. 1. *partem, quæ debet obtemperare rationi, tamquam recto viro*, cap. 14. *partem, quæ carnalibus gaudiis tenetur*, cap. 19. *quam alibi*, id est lib. 1 de nuptiis cap. 31. *vocat partem ubi est morbidus quidam carnis*, id est, hominis, *affectus*, &c. Si pars est hominis animalis, si animæ appetitus, si ei ille morbus inest, si debet obtemperare rationi, quis sine ea parte audebit affirmare condi potuisse hominem perfectum? præsertim, quia irasci, & concupiscere de intrinseca hominis ratione est, ut sæpe ex Augustino fatetur citatis locis Yprensis; ergo sine appetitu condi non poterat homo perfectus.

216. Secundum, quod cum appetitu conditus fuerit Adamus, constat ex primo, & ex universa doctrina Augustini. Primo enim docet fuisse in statu innocentiæ concupiscentiam, sed non talem, id est effrænem, qualem primo parenti, dum felicitate prædicti status frueretur, attribuebant Pelagiani: ut numero 217. dicam. Secundo, quia docet iram, & libidinem, quæ actus sunt appetitus, fuisse in Paradiso, sed non vitiosas. Ita lib. 14. de Civitate Dei cap. 19. *Hæ igitur partes in Paradiso ante peccatum vitiosæ non erant; non enim contra rectam voluntatem ad aliquid movebantur, unde necesse esset eas, ratione, tamquam frenis regentibus, abstinere*. Tertio, quia docet in Paradiso non consensuram semper appetitui voluntatem, sed ea negata delectatione, sive ex non consensu nullum dolorem, aut sensum capiendum esse ab appetitu. Ita lib. 83. qq. q. 70. *Peccatum erat ante omnimodo in libero arbitrio, cum in Paradiso nullus dolor, denegata delectatione voluntati bona hominis resistebat, sicut nunc*: & afferens exemplum de venatione prosequitur: *Verbi gratia, si quisquam existat, quem numquam delectaverit venatio, omnimodo liber est, utrum venari velit, aut nolit, nec eum crucias quisquis hoc prohibet*. dolor enim ille ex denegata. delectatione, qui obtingit, ex peccato fuit; lib. 14. de Civitate cap. 15. & serm. 182. de tempore: nec est cur in re adeò certa, & verissima immoremur.

217. Tertium, quod asserere conditum fuisse Adamum cum appetitu, & concupiscentia, non sit hæresis Pelagianorum, constat ex eo quod Pelagiani asserebant, Adamum conditum fuisse cum concupiscentia effræni, & inordinata, non minus quam sit status concupiscentiæ, quam posteri nunc Adami sortiuntur. Hoc patet apertè ex Augustino, cujus cum Pelagianis conflictus non fuit, an Adamus fuerit conditus cum concupiscentia, sive appetitu sensitivo; sed an talis qualis nunc est, præveniens, repugnans, & sæpe tumultuosis motibus rationem captivans: hanc enim admittebant Pelagiani, hanc impugnabat Augustinus, non verò concupiscentiam, quæ foret ipsa potentia, vel appetitus sensitivus, concupiscentiam enim sæpe accipit pro effrænitate. Ita videre est lib. 1. ad Bonif. cap. 17. lib 4. contra Iulian. cap. 11. lib. 1. de nupt. cap. ultimo, lib. 2. operis imperfecti contra Iulian. fol. 433. unde lib. 5. contra Iulian. cap. 7. semetipsum disputantem exposuit, docens se non disputare an Adamus fuerit conditus cum concupiscentia; sed an illa concupiscentia in statu innocentiæ fuerit effrænis, vitiosa, an bona, vitiata tamen per peccatum: Additque quod si Iulianus concessisset bonam fuisse quando creata, & vitiatam per peccatum, vel non fuisse cum ea conditum Adamum, sed fuisse vitium ex peccato sequutum,

nihil quod offensione, aut damnatione dignum esset, affirmare, ita: *Sed ecce, non vobiscum, de libidinis absentia, præsentia ve contendimus: nec dilectionem, quam debere vos ei videmus, offendimur, saltem ipsam subditam voluntatis imperio in illo felicitatis loco: auferte inde evidentissimam pugnam, quæ fit eius motionis mente veniente; auferte inde turpissimam pacem, quæ fit eius dominationis mente serviente; & certè, quia non eam talem videtis, qualem ibi constituere, si ratione non revocamini, pudore cogimini, in ea, qualis nunc est, vitium originale fatemini.* Et lib. 2. de nupt. cap. ultimo. *Si non vult concedere vitium esse libidinem, dicat saltem per illorum hominum inobedientiam, etiam ipsam vitiatam: ut illa, quæ obedienter, & ordinatè moveretur; nunc inobedienter, inordinateque moveatur.*

218. Sed quid detineor in acervandis Augustini testimoniis, si hoc ipsum fatetur ipse Yprensis, & probat variis in locis? Unde tom. 2. lib. 1. de statu naturæ puræ, cap. 18. recapitulans quæcumque docuerat Iulianus de concupiscentia, §. *primo*, ita ait: *Primo enim constat evidenter Iulianum, illos æstuantis libidinis tumultuosos motus, quos post peccatum cernimus, & castitate comprimimus, primis hominibus, velut ex Dei creatione prodeuntes tribuisse*: Ex quibus corruunt illa tria asserta Yprensis.

219. Et ad primum ex num. 211. quo probabat Adamum sine concupiscentia conditum fuisse; respondeo: Distinguo antecedens: concupiscentia secundum se, & ut est appetitus sensitivus, est pœna peccati, nego: ut vitiata est, & effrænis, ac inordinata, concedo: ut enim ingenue Yprensis tom. 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ. §. *Ad hæc igitur* fatetur, *Esto enim sit homini naturale concupiscere, non est tamen naturale, contra spiritum & rationem concupiscere, sed è contrario hoc est contra naturam eius. quia ut S. Doctor ait;* hoc naturalis ordo desiderat, carnem spiritui esse subjugatam; *& contrarium iam caro facit*, non natura, sed consuetudine peccatorum, quæ in naturam versa est, secundùm generationem mortalem peccato primi hominis: *Itaque S. Thomas, cum sibi obiecisset 1. 2. qu. 82. art. 3. ad 1. hoc argumentum iisdem pene verbis, videlicet, quod concupiscentia sit actus virtutis concupiscibilis, quæ est potentia naturalis, ideoque sequi, quod concupiscentia sit homini naturalis, respondit ipse conformiter ad doctrinam Augustini superius traditam, quia in homine concupiscibilis naturaliter regitur ratione, in tantum enim concupiscere est homini naturale, in quantum est secundùm rationis ordinem; concupiscentia autem, quæ transcendit limites rationis, inest homini contra naturam.* Hæc Yprensis ex Augustino, & D. Thoma; hæc nos asserimus, non enim effrænatam, & rebellem concupiscentiam in statu innocentiæ admittimus, quam esse pœnam peccati libenter fateor, sed concupiscentiam, quæ est potentia hominis, quæ naturaliter concupiscit, quam primo homini denegare, est ejus naturam evertere: ex quo patet solutio ad secundum. Est enim concupiscentia effrænis, & morbus, cui remedium applicari debuit, non tamen est morbus, concupiscentia, quæ est potentia hominis.

220. Ad tertium respondeo: motus concupiscentiæ absolutè esse bonos, cum versentur circa objectum concupiscentiæ, quod est bonum sensibile: per accidens verò, & materialiter esse malos, non quidem imputabiliter, sed naturaliter: Debeamus hanc solutionem ipsimet Yprensi, qui tom. 2. lib. 1. de statu naturæ lapsæ, cap. 9. §. *His ita*, sic habet. *Licere enim res ipsas, seu actiones ad quas instigat libido, propter alios fines assumere, extra controversiam est; nam quamvis concumbendi libido importune coniugatum stimulet, vel ieiunantem concupiscentia cibi delectet; non tamen idcirco à concubitu, vel cibo abstinere tenetur, si ratio sustentandæ naturæ, vel propagandæ prolis, cibum aut concubitum postulaverit; etsi enim, huiusmodi libidines malæ sint, usus tamen earum legitimus propter alios fines, non est malus, sed potius bonus.* Et §. *ex his* eadem repetit. *Ut ea obiecta sensuum, quæ ad fugandam laboris, dolorisque molestiam, salutemve procurandam, aliquam utilitatem habent, admitti possint: cum vero nihil eorum interest ad salutem tuendam, vel molestias doloris, aut laboris avertendas, quamvis enim quæ nullo quæsita studio adsunt, non necessario respui debeant, sed percipi cum sensu delectationis possint, utpote quibus coniuncta ita est delectatio, ut nisi sensus ab obiectis avertatur, vel mens vehementi intentione alienetur, necessario sentiatur.* & cap. 14. §. *Cibus* ita docet: *Cibus, & potus eorumque sapor, bona sunt, & in infirmitatis humanæ sustentationem à Deo instituta: ipsa tamen per se amare, tamquam vitium merito reprehenditur.* Et lib. 2. de statu naturæ lapsæ, cap. 14. §. *non ergo*: clarius loquens asserit: *Non ergo motus eius in se mali sunt, sed inordinatio motuum, neque concupiscentia, vel appetitus sensitivus per se consideratus, sed effrænitas eius.*

Ad quartum respondeo; concupiscentiæ effrænæ, & rebelli, atque inordinatæ; sive ex primo peccato vitiatæ, solum attribui posse ea quæ adducuntur, quod scilicet sit causa traductionis peccati originalis, ejus vehiculum, imo & ipsum originale peccatum, non verò concupiscentiæ, ut à Deo conditæ, & Adamo concessæ naturaliter, cum in statu innocentiæ conderetur; sed de hoc in ultima parte, cum de essentia peccati originalis sermo fuerit à num. 1274. usque ad num. 1292.

221. Ad quintum respondeo; optime loqui, omnes motus appetitus ex se esse bonos physice, non tamen moraliter: cum enim præcisè non dicant ordinem ad rationem, absque cujus ordine non datur malum morale, erunt boni ut sic, non verò relati ad rationem, cujus officium est non consentire motibus, qui sibi sunt contrarii: quod si consentiat, peccabit, malumque non erit concupiscentiæ, sed rationis, sicut & bonum; ad eam enim pertinet regere appetitus motus, eosque subjugare; quod si non faciat, ejus culpa est, non appetitus; quod si nimium resistat appetitus, ita ut cum dolore sentiat privari delectatione, vel rationem vincat & captivet, hoc non est proprium concupiscentiæ, sed effrænitatis ejus: ut Augustinus, & Yprensis locis citatis fatentur. Cætera, quæ hîc desiderari videntur, explicabo in materia de gratia, cum statum puræ naturæ cum Theologis contra Yprensis calumnias, & sophismata, esse possibilem ostenderimus.

222. Ex his ergo constat appetitum sensitivum naturaliter inclinare ad malum, quia cum à Deo conditus sit, & habeat pro objecto omne delectabile, naturaliter in illud inclinat, cum potentia in suum objectum naturaliter inclinet, & licet sit malum per ordinem ad rationem, à qua secundùm se præscindit appetitus, est bonum absolutè: nec ex hoc rectè infert Yprensis, quod jam Deus esset causa, auctorque mali, nam Deus non causat malum, nec objectum illud secundùm

se est malum, sed causat potentiam, quæ fertur in objectum, quod potest esse malum, sed hoc malum averti potest per rationem; quod si non avertatur, culpa rationis est, non Dei: aliter etiam Deus foret causa peccati, quia est causa voluntatis, quæ potuit in Adam peccare, cum indifferens esset ad bonum & malum, & tamen quia voluntas non erat determinata ad malum, sed indifferens, & poterat non peccare, peccatum non Deo, sed voluntati tribuendum est: Sed de hir in materia de gratia, agentes de statu puræ naturæ.

DUBIUM SECUNDUM INCIDENS.

Utrùm appetitus intellectivus, sive voluntas inclinet naturaliter ad peccatum?

223. Respondetur affirmative: ita Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 13. disp. 2. sect. 8. numer. 195. Zumel disp. 1. Videtur expressa S. Thomæ, & Augustini sententia, teste Bellarmino lib. 5. de statu peccati cap. 15. Primo, quia voluntas naturaliter inclinat ad venereas delectationes, quas intellectus judicat esse peccata contra castitatis virtutem; ergo naturaliter inclinat ad peccata. Probatur antecedens, quia omnia potentia naturaliter inclinat ad suum objectum, & ad actus, qui ad ejus objectum tendunt: atqui delectationes venereæ continentur sub objecto voluntatis; ergo ad illas voluntas naturaliter inclinat.

Secundo, quia voluntas inclinat naturaliter in bonum totius compositi, & partium ejus; ergo inclinat in bonum appetitus sensitivi: sed appetitus sensitivus inclinat in bona delectabilia contraria virtutibus, si quidem sub ejus objecto continentur; ergo, &c. Tertio, si quis habeat præceptum moriendi pro Patria, & pro Rege, quando hostes imminent, si mortem detestetur, & fugiat, vitam efficaciter volens, & desendens, peccabit; & tamen fuga illa mortis, desideriumque vitæ conservandæ provenit ab inclinatione nobis convenientissima, ut docuit Aristoteles. Metaph. cap. 1. ergo voluntas inclinat naturaliter in peccatum; si quidem naturaliter inclinat in illam fugam, & in illud desiderium vitæ conservandæ, quando instat præceptum moriendi pro patria.

224. Contrariam sententiam, asserentem in voluntate solum dari unam inclinationem ad bonum rationis, & nullam ad malum rationis, quod est malum delectabile, docent Curiel q.71. art. 2. dub. unico §. 4. Lorca disp. 4. §. *Dico tertio.* Herrera de peccatis disp. 29. q. 9. §. *In hac igitur*, & nonnulli alii Recentiores. Fundatur, quia istæ duæ inclinationes pugnant inter se; ergo non possunt dari in eadem voluntate. Respondetur negando antecedens: licet enim versentur circa objecta contraria, non tamen repugnant in eodem subjecto, nec in eodem pugnant? ut in una, eademque materia prima, datur duplex inclinatio, ad albedinem una, ad nigredinem altera: in eadem voluntate ad volendum, & nolendum: in intellectu, ad assensum, & dissensum: præter quod, ista duplex ordinatio est cum subordinatione, inclinatio namque ad bonum rationis, est superior; ad bonum sensitivum inferior, eo quod ab anima procedit, ut munur habet formæ sensitivæ.

225. Inferes; Ergo non datur major ratio, cur peccatum dicatur potius esse contra naturam, & non virtus. Probo illationem, quia tam virtus, quam peccatum, est contra naturalem inclinationem, vitium contra inclinationem voluntatis ad bonum rationis, virtus contra inclinationem voluntatis ad bonum sensibile. Respondetur negando illationem: ad probationem, distinguo antecedens, eodem modo, nego: diverso, concedo: & nego consequentiam, quia virtus est secundùm naturalem inclinationem voluntatis, non solum ut voluntas est, sed ut rationalis est, & contra ejus inclinationem, ut voluntas tantum est: peccatum verò est secundùm inclinationem voluntatis, ut voluntas est potentia animæ sensitivæ, & contra inclinationem voluntatis, ut rationalis est: cum autem ea quæ conveniunt potentiæ, secundum gradum ultimum formę constitutivæ, dicantur simpliciter convenire subjecto, & iis opposita absolutè repugnantia, etiamsi dicantur secundùm quid convenientia ratione naturæ inferioris; dicendum est, virtutem simpliciter esse secundùm inclinationem voluntatis, & peccatum contra ejusdem inclinationem, quia virtus convenit secundùm gradum voluntatis, qua rationalis est, & repugnat secundùm gradum voluntatis, ut potentia est animæ sensitivæ: peccatum verò repugnat inclinationi voluntatis, ut rationalis est, convenit verò ut potentia est animæ sensitivæ, & propter hanc convenientiam, etiam secundùm quid peccatum dicitur connaturale, non tamen omne peccatum hanc convenientiam habet, nam multa sunt specialia peccata simpliciter, & secundùm quid repugnantia voluntati, dicunturque peccata contra naturam, ut Sodomia, eo quod ipsa etiam bruta, peccatum illud infame abominantur.

226. Urgebis: Dantur plura peccata, quę versantur circa objecta delectabilia, tantummodo spiritualia, ut odium Dei, hæresis, & similia; ergo ad hęc inclinabit voluntas, ut potentia animę rationalis, qua rationalis. Respondetur negando consequentiam, nam cum voluntas illa amplexatur objecta, non gubernatur recta ratione, cum recta ratio oppositum dictet; sed in illa objecta inclinat voluntas excitata pravo dictamine, ideo & naturæ rationali, quatenus ratione dirigitur & regitur, sunt disconvenientia, ratio enim prava, sive non recta, non est simpliciter ratio.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrùm ideo peccatum sit contra naturam rationalem, quia est contra virtutes.

227. Dantur virtutes ordinis naturalis, & ordinis supernaturalis: illæ acquisitæ, istę per se infusæ. Dico primo: Peccata opposita virtutibus ordinis naturalis, sive acquisitis, sunt contra naturam rationalem. Ita Curiel §. 3. in 2. conclusione. Lorca 1. 2. qu. 7. art. 2. disp. 3. Herrera disp. 19. q. 7. & alii: *Quia unum quodque principium ad eam inclinatur operationem, cujus principium, est propria forma*: ut ignis naturaliter inclinat in calefactionem, quoniam calefactio provenit à propria forma: atqui actus virtutum conveniunt naturæ rationali, ut virtutes procedunt ab ea ut à propria forma; ergo in eas naturaliter inclinat natura rationalis. Probatur antecedens, quia natura rationalis, qua rationalis, in se habet principium activum virtutum; ergo, &c. Probo antecedens, quia principium virtutum, sunt assensus principiorum moralium, tam in materia communi, quàm in materia par-

ticulari: atqui isti assensus proveniunt ab ipsius intellectus lumine naturali, & synderesi; ergo cum intellectus promanet à natura rationali, in natura rationali est principium virtutum ordinis naturalis. Confirmatur, quia virtus perficit hominem, hominemque ordinat in suum finem, ac disponit convenienter ad suam naturam; ergo vitium oppositum virtuti, eo ipso quod contra virtutem est, est contra naturam.

228. Dico secundo: Peccata opposita virtutibus ordinis supernaturalis, sunt contra naturam rationalem. Ita D. Thomas 2. 2. qu. 10. artic. 1. *ad primam*, docens infidelitatem esse contra naturam, & 1. 2. q. 94. art. 3. Sequitur Herrera disputat. 99. quæst. 11. §. *ultimo*. Probatur, quia id quod ponit obicem naturæ inferiori, ne à superiori perficiatur, cui est subordinata essentialiter, tali naturæ inferiori est contrarium: atqui peccata ponunt obicem naturæ humanæ, ne à Deo auctore supernaturali perficiatur; ergo naturæ humanæ contraria sunt. Minor ostenditur, quia peccata animam maculant, à Deo avertunt, impediuntque ne ita commodè per gratiam perficiatur à Deo, ut auctore supernaturali, cui essentialiter subordinatur; ergo secundùm præsentem statum, in quo homo ordinatus est ad fruendum fine supernaturali, vitia, quæ virtutibus per se infusis, sive ordinis supernaturalis, opponuntur, etiam naturæ rationali sunt contraria.

229. Utrùm verò prædicta peccata, & vitia sint contra naturalem hominis inclinationem? Respondetur affirmativè. Primo, quia maculant hominem, opponuntque impedimenta naturali capacitati, ne recipiat gratiam. Secundo, quia datur potentia inchoata naturalis in intellectu humano ad claram Dei visionem, juxta probabilem satis doctrinam Scoti, de qua in materia de visione Dei; ergo etiam in voluntate datur inclinatio naturalis ad ens supernaturale. Probo consequentiam, quia *ad quamlibet formam intellectualem, & ad potentiam cognoscitivam sequitur inclinatio voluntatis*: ad id enim, ad quod intelligendum inclinatur naturaliter intellectus, ad idem amandum inclinatur naturaliter voluntas.

230. Oppositum docent recentiores. Videatur Curiel citatus §. 3. Primo, quia si Deus non ordinaret hominem ad finem supernaturalem, ad illum homo non inclinaret naturaliter; ergo nec ordinatus in illum finem, talem habebit inclinationem. Probo consequentiam, quia ordinatio in finem supernaturalem est quid extrinsecum hominis naturæ; ergo si non ordinatus caret inclinatione naturali; etiam ordinatus talem inclinationem non habebit. Respondetur, distinguo majorem, ad illum non inclinaret appetitu elicito, concedo: innato, nego: cum enim sub latitudine objecti adæquati intellectus contineatur non solum ens naturale, sed etiam supernaturale, ad utrumque inclinabit intellectus, & per consequens voluntas.

231. Secundo: Ens supernaturale, non est contra, sed supra rationis dictamen; ergo non ideo peccata erunt contra naturam, quia sunt contra virtutes ordinis supernaturalis. Probo consequentiam, quia ideo peccata sunt contra naturam, quia sunt contra naturale rationis dictamen; cum ergo virtutes supernaturales non sint contra, sed supra rationis dictamen, non erunt contra naturam. Respondetur, nego consequentiam, ad probationem nego antecedens, satis enim est, ut peccatum sit contra naturam, quod sit contra rationis dictamen, prout à naturali & supernaturali abstrahit objecto.

232. Tertio, hæreticus nullum habet de hæresi conscientiæ remorsum; ergo hæresis non est contra naturam. Respondetur, nego consequentiam, quia licet ex ignorantia, hæresis non remordeat conscientiam, cum tamen cognitum fuerit, hæresim esse peccatum, conscientiam remordebit, ut testabuntur damnati hæretici in inferno, ubi suæ pravitatis vermis conscientiam corrodet; ita enim se habet hæreticus circa remorsum, ut ille qui peccat contra legem naturæ, putans inculpabiliter esse bonum id quod operatur, de quo tantùm abest remorsus conscientiæ, ut lætetur de opere, velut bono, cum autem plenè cognoverit esse peccatum contra legem naturæ, suæ conscientiæ remorsu confusus, contabescet.

233. Quarto, pueri non habent remorsum de peccato originali; ergo quia originale non est contra naturam. Respondetur, nego consequentiam, nam si aliquod peccatum est contrarium naturæ, est originale, quod destructivum est naturæ, & omnium origo malorum, quæ naturam maculant, dehonestant, corrumpunt: quod verò de tanto malo nullum habeant pueri remorsum, est quia non fuit factum propria, & formali voluntate.

234. Quinto, Principes fideles non possunt cogere Iudæos, & alios infideles, ut veram fidem Iesu Christi Domini nostri accipiant, abjurata lege Moïsis, hæresi, aut idololatria, ut tradunt communiter Theologi; ergo non credere; non est contra naturam rationalem. Probatur consequentia, quia Principes possunt prohibere peccata contra naturam rationalem. Respondetur, distinguo consequens: non est contra naturam rationalem, & naturalem inclinationem completam, concedo: inchoatam, nego: ad probationem, distinguo antecedens, Principes possunt prohibere peccata contra naturam rationalem completam, concedo: inchoatam, nego: peccata contra virtutes supernaturales, ut infidelitas, sunt contra naturalem inclinationem inchoatam, non completam.

SUBSECTIO SECUNDA.

Quo pacto vitium, & peccatum contrarientur virtutibus, & actibus bonis?

Suppono vitium ut virtutem, accipi à Theologis pro habitibus: habitus virtutum esse in duplici differentia, vel enim sunt ordinis naturalis, & acquisiti; ut temperantia: vel ordinis supernaturalis, & per se infusi, ut fides, & charitas: unde insurgit quæstio, vel de habitibus, sive vitiis, comparatis cum virtutibus, sive habitibus virtutum, sive sint ordinis naturalis, sive supernaturalis: vel de habitibus, sive vitiis comparatis cum actibus bonis: vel denique de ipsis peccatis, sive actibus malis comparatis cum actibus bonis: quæ comparationes per sequentes resolvendæ sunt difficultates.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrùm habitus vitii opponatur habitui virtutis acquisitæ?

235. Respondetur affirmativè: est certa, & communis apud Theologos doctrina; quam etiam docuit Philosophus cap. de *oppositis*, & 5. Ethicorum cap. 2. Et probatur, quia habitus sunt qualitates quædam, quibus potentiæ inclinantur:

nantur: ergo si hæ qualitates versentur circa idem objectum formale & materiale, in eodem subjecto contrariæ erunt. Patet consequentia, quia contraria sunt ea, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab invicem se expellunt: atqui hæ qualitates, sive habitus, sub eodem genere continentur, & maxime distant: nimirum proxime sub genere habituum, remote sub genere qualitatis; & maxime distant, cum habitus vitii ad peccatum, habitus virtutis ad bonum, voluntatem inclinent: & mutuo se expellant, cum una, *eademque potentia nequeat æque ad bonum & malum inclinare*; ergo habitus vitii & virtutis acquisitæ opponuntur.

236. Objicies primo cum aliquibus hæreticis, quibus hæc habituum contrarietas displicuit: Habitus avaritiæ, verbi gratia, & habitus liberalitatis, non opponuntur: & tamen habitus avaritiæ, est habitus vitii, & habitus liberalitatis, est habitus virtutis; ergo habitus vitii & virtutis non opponuntur. Major probatur primo, quia opposita contrariè maxime distant: atqui habitus liberalitatis & avaritiæ non distant maxime; ergo, &c. Probatur minor ex Philosopho 2. Ethicor. cap. 8. *Magis distant duo vitia extrema inter se, quam medium, & extrema*: sed liberalitas est medium oppositum duobus vitiis extremis, videlicet avaritiæ, & prodigalitati; ergo minus ab istis extremis distat, quam inter se distent ipsa extrema: Secundo, ex Philosopho 10. Met. cap. 6o. *unum uni tantum contrariatur*: atqui liberalitas duobus est contraria, nimirum avaritiæ, & prodigalitati; ergo non est illis contraria.

Respondetur negando majorem. Ad probationem, distinguo majorem, in genere physico, concedo: in genere moris, nego: & nego consequentiam. Ad probationem minoris, eodem modo explico Philosophum: Magis distant duo vitia extrema inter se, quàm medium ab extremis, in genere physico, concedo: in genere moris, nego; licet enim virtus sit medium respectu illorum extremorum in genere physico, non tamen in genere moris est medium, sed unum extremum oppositum illis duobus vitiis, à quibus nihil turpitudinis participat, nec illis aliquid communicat bonitatis; inde est, quod facilius fiat transitus ab uno extremo vitioso, ad alterum, quam ad virtutem; facilius enim avarus suas expendet divitias prodige, quam liberaliter: facilius timidus audacter, quàm fortiter operabitur. Ex quo patet responsio ad secundam probationem, concedo enim majorem, & distinguo minorem: opponitur duobus vitiis per modum unius, concedo: ut distinctis, nego: nam illa duo vitia extrema habent se per modum unius extremi.

237. Vel ad utramque probationem brevius & facilius responderi potest ex D. Thom. 1.2.q.64. art. 1. virtutem solum opponi vitio abstracto; id est, non opponitur liberalitas prodigalitati, & avaritiæ, sed illiberalitati; fundaturque hæc doctrina in ea quam tradit Philosophus 10. Met. c.8. ubi docet, *non opponi æquali magnum, & parvum, sed inæquale*.

238. Objicies secundo: *Ab uno contrario non fit transitus ad alterum*: atqui habitus vitiorum transeunt in habitus virtutum; ergo, &c. Solum de minori dubitari potest, quam sic probant primo ex Augustino epist. 29. ubi docet, non esse virtutem, illam quæ cum aliis non connectitur; & lib. 19. de Civitate Dei, cap. 25. quo loco, omnes virtutes, quæ charitate carent, vitia appellat. Secundo, si quis assuetus jejunare propter idolum, mutet intentionem, & propter Deum jejunet, ille habitus abstinentiæ, qui ex actibus propter idolum factis generatus fuit, & erat habitus vitii, efficitur habitus virtutis; ergo, &c. Probo anteced. quia ille homo nullá in jejunio difficultatem sentit, sed cum eadem omnino facilitate, qua antea jejunabat propter idolū, propter Deum jejunat: atqui illa facilitas, qua jejunat, est ille primus actus acquisitus; ergo cum antea esset habitus vitii, continuatur habitus virtutis. Tertio, idem numero actus potest successive esse bonus & malus; ergo etiam idem habitus. Quarto, idem habitus intellectus potest esse obscurus, & evidens, ut Theologia, quæ in patria est evidens, & in hac mortali vita, obscurus.

Respondetur negando minorem: Ad primam probationem desumptam ex Augustino, ideo ab Augustino illas virtutes, vel quæ cum aliis non sunt connexæ, vel quæ absque charitate sunt, appellari vitia, non quod vitia sint, sed quia non habent omnem perfectionem in suo genere, dicuntur enim bona imperfecta, & defectu perfectionis omnimodæ, vitia: ita respondet D. Thom. 1.2. q. 144. art. 1. ad 4.

239. Ad secundam, nego antecedens: ad probationem, nego minorem: non enim ea facilitas, quam ille homo experitur, est ex habitu, sed ex dispositione & inclinatione habitus præteriti, qui reliquit passiones animæ moderatas, ex qua moderatione, ablata sunt impedimenta, repressus appetitus, ita ut voluntas non sentiat difficultatem in eliciendis actibus, à quibus sub illa intentione multiplicatis, generatur habitus virtutis, quæ inclinat voluntatem in actus bonos circa abstinentiam: unde actus, qui primo mutata intentione elicitur, non est à voluntate, & habitu, sed à voluntate, quæ permansit inclinata ex vi habitus vitiosi. Dices: Actus exterior est unus omnino; ergo & habitus. Respondetur, data antecedente, nego consequentiam, nam actus exteriores non producunt immediatè habitum interiorem voluntatis.

240. Ad tertiam, nego antecedens, ut late docui supra disp. 1. à n. 95. Ad quartam, nego antecedens, in patria enim, non manebit idem habitus, sed diversus; de quo videatur Zumel 1. p. q. 1. art. 2. conclus. 2. ut enim non est in patria & via, idem actus amoris Dei, de quo disp. 1. à n. 135. & disp. 2. à n. 226. ita nec erit idem habitus intellectus.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum habitus vitii contrarietur habitibus virtutum per se infusis?

RESpondetur, habitus vitiosos, qui sunt oppositi habitui virtutis acquisitæ, opponi habitibus per se infusis, sive ordinis supernaturalis, non quidem formaliter, & immediatè, sed materialiter, & fundamentaliter: Ita communiter Theologi: Videantur Lorca 1. 2. q. 71. art. 1. disp. 2. ubi Zumel disp. 2. Herrera de peccatis disp. 19. q. 12. §. *Prima conclusio*. Salas 1. 2. tract. 13. disp. 1. sect. 13.

241. Probatur prima pars, quod scilicet non opponantur formaliter, & immediatè habitibus per se infusis, quia contraria opponi debent non solum circa idem objectum materiale, sed formale: atqui habitus vitiosi non opponuntur habitibus per se infusis circa objectum formale; ergo non opponuntur formaliter. Probo minorem, quia vitium attingit objectum, ut contrarium rationi, & fini naturali, ex quo capite negari non potest, concessa possibilitate status puræ naturæ, futurum in illo statu vitium; virtus verò supernaturalis, & per se infusa attingit objectum, ut consonum fini

supernaturali: Confirmatur, quia unum contrarium physicè alterum expellit: atqui habitus vitii oppositus virtuti acquisitæ, non expellit physice habitum virtutis per se infusæ; ergo, &c. Probatur minor, quia ut Deus solus est auctor habitus per se infusi, ita etiam solus est destructor ejusdem habitus, homo enim non destruit illum habitum physicè, sed demeritoriè.

242. Secunda pars, quod scilicet habitus vitiosus oppositus virtuti acquisitæ, opponatur habitibus per se infusis materialiter, & fundamentaliter, probatur, quia *id quod opponitur fundamento alicujus formæ, mediatè formæ ipsi opponitur*: sed habitus vitiosus, de quo in præsenti, opponitur rectitudini naturali; quæ est fundamentum rectitudinis supernaturalis; ergo etiam opponitur ipsi rectitudini supernaturali: Major patet, quia destructo fundamento formæ, forma consequenter destruitur. Confirmatur, quia odium proximi, quod immediatè opponitur amicitiæ naturali, etiam mediatè charitati opponitur.

243. Contra sentiunt aliqui Doctores, quos probabiliter loquutos esse, sentiunt Zumel, & Lorca citati. Primo, quia habitus scientiæ per se infusæ expellit habitus acquisitos erroris; ergo similiter habitus virtutis per se infusæ expellet habitus vitiosos oppositos virtutibus naturalibus. Respondetur negando antecedens cum Salas n. 160. aliter pari ratione error posset expellere habitum scientiæ per se infusæ, cum tamen habitus per se infusus, ut à solo Deo infundi potest, ita à solo Deo destrui potest, non enim unum contrarium alterum expellit, & ab eo non expellitur, cum mutuo se expellant, & impediant.

244. Secundo, quia sequitur in homine ubi primum justificatus est, dari simul habitus vitiosos cum habitibus per se infusis: atqui sequela est falsa; ergo & illud ex quo sequitur: Sequela patet, quia in illo homine ante justificationem erant habitus vitiosi; posita justificatione infusi sunt habitus per se, si habitus vitiosi, & per se infusi, non mutuo se expellunt, simul persistent. Minor autem ostenditur, quia talis homo ab utroque habitu denominaretur, à vitioso, vitiosus; à virtute studiosus. Respondetur variis solutionibus omissis, quæ videri possunt apud Zumel cit. & Lorca art. 4. in Commentario, Herrera in primo notabili: nego minorem: Ad probationem negando antecedens, eo modo, quo homo existens in peccato, licet habeat plures habitus per se infusos, denominatur peccator, & injustus ab habitu vitioso.

245. Ratio autem, cur non denominent omnes habitus illum hominem, duplex est. Prima, quia tales denominationes, non postulant solum, quod subjectum, sive ille homo sit affectus illis habitibus, sed amplius requirunt; quod sit ordinatus in Deum finem ultimum, super omnia dilectum, vel deordinatus ab eodem fine; cum ergo existens in gratia sit ordinatus ad talem finem, ab eo habitu vitiosus denominabitur homo, quicquid sit de denominatione aliorum habituum: & cum existens in peccato sit deordinatus ab illo fine, peccator denominabitur. Secunda, quia habitus vitiosus, licet non pereat physice, perit moraliter, perit enim voluntaria inclinatio, quæ cum morali inclinatione alterius habitus stare nequit; cum igitur ratione voluntariæ, & moralis inclinationis detur denominatio, deficiente non datur, eo quod denominatio illa oriatur ex ordine morali, non physico.

246. Quæ resolutio etiam procedit de habitibus vitiosis, oppositis objectis formalibus, circa quæ habitus per se infusi versantur, non enim inter hos habitus datur vera contrarietas: & probatur, quia habitus per se infusi solum demeritoriè expelluntur per habitus vitiosos, cum à solo Deo dependeant in fieri & conservari, sintque ex sua natura perpetui, quin habeant aliquod physicum contrarium, à quo destruantur, ut communiter docent Theologi, cum D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 12. Scoto in 3. dist. 23. q. 1. n. 18. vers. *Ad primum*. Et confirmatur, quia habitus per se infusus dat simpliciter posse, acquisitus dat faciliter operari; ergo habitus vitiosus acquisitus, solum auferet facilitatem, vel habitum acquisitum, non id, quod est per modum potentiæ, seu habitum per se infusum.

247. Dices primo: Habitus charitatis formaliter expellit habitum odii Dei, ut auctor est supernaturalis; ergo uterque habitus physice pugnat. Probo antecedens, quia si simul persisteret uterque habitus, ille homo simpliciter diceretur esse à Deo aversus, & ad Deum simpliciter conversus. Respondetur negando antecedens, posito enim habitu charitatis adhuc perseverat habitus odii, nec destruitur postea ex vi habitus charitatis, & per se, sed per accidens, propter cessationem actuum vitiosorum, ex qua perit habitus odii. Ad probationem respondeo, hominem dicendum fore simpliciter ad Deum conversum, non ab eo simpliciter aversum, quia solus habitus charitatis suam tribuit denominationem, non habitus odii, qui licet perseveret physice, non perseverat moraliter cum inclinatione ad actum malum, voluntas enim manet physice, non moraliter, nec voluntarie: moralis autem ratio in præsenti solum tribuit denominationem, ut dixi num. 245.

248. Dices secundo: Actus odii, & amoris Dei eliciti propter idem motivum, mutuo se expellunt, & ex natura rei contrariantur; ergo etiam habitus. Patet consequentia, quia ex contrarietate actuum, desumitur habituum contrarietas. Respondetur, transeat antecedens, nego consequentiam: Ad probationem, nego antecedens: Diversa ratio est, quia actus præcipuè vitales, contrarii, inferunt mutuo negationem, unus enim alterius negationem infert ex parte ejusdem objecti formalis, non ex parte principiorum: inde eadem potentia potest elicere actus inter se contrarios, & idem lapis, secenta eadem gravitate, potest per impetum sursum moveri: ac proinde ex contrarietate actuum non colligitur habituum contrarietas, sicut nec ex eadem potentia contrarietas colligitur.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrum actus malus, sive peccatum opponatur habitui virtutis?

249. SUppono quasdam esse virtutes, quarum actus contrarii ex genere suo semper sunt mortales, sive peccata mortalia, non quod omnia sint mortalia, sed quia nisi desit debitæ materiæ quantitas, vel plena deliberatio, semper sunt mortalia, veluti actus oppositi justitiæ: quasdam esse virtutes, quarum contrarii actus, semper ex genere suo, sunt peccata venialia, id est, talis conditionis sunt, ut nisi eis aliquid adjungatur, per quod charitas Dei aut hominis nimium lædatur, semper sunt venialia peccata, ut actus oppositi temperantiæ & liberalitati.

250. Dico primo: Peccatum mortale opponitur mediatè contrariè habitui virtutis acquisitæ. Ita communiter Theologi cum D. Thom. 2. 2. q. 71. art. 4. Probatur, quia licet actio immediatè solum actioni contrarietur, ratione tamen termi-

ni, opponitur termino contrariè actioni; ergo etiam peccatum mortale ratione habitus vitiosi, quem producit, opponetur mediatè habitui virtutis, cui immediatè habitus vitiosus opponitur. Confirmatur, quia licet actus non corrumpat immediatè habitum, corrumpit tamen mediatè, quatenus disponit subjectum ad ejus corruptionem per contradictionem habitus contrarii, quem producit.

251. Dices: Peccatum mortale potest esse in eodem subjecto cum habitu virtutis; ergo ei non opponitur. Patet consequentia, quia contraria mutuo se expellunt. Probatur antecedens, quia peccatum excludit habitum virtutis, producens proprium habitum: atqui unum peccatum non producit unum habitum, nisi sit intentissimum, sed requiruntur plura peccata; ut constat ex Metaphysica circa generationem habituum; ergo. Respondetur, concedo antecedens: in Pharaone erat *prudentia*, Genesis 41. in Iuda Thamaris oppressore, *justitia*, Genes. 38. & post peccatum sentit se homo æque inclinatum ad virtutes naturales, nego consequentiam: quia licet non opponatur peccatum habitui virtutis naturalis, etiam mediatè, ante productionem habitus ei opponitur, ubi primum per peccatorum multiplicationem producitur habitus vitiosus, quo existente, non potest negari ratione ipsius, peccatum habitui virtutis opponi.

Unde si habitus fuerit remissus, adhuc peccatum contrariabitur habitui virtutis, & cum illo existet, ut uterque habitus simul insunt voluntati, donec habitus vitiosus fiat intensus, expellatque habitum virtutis: constat enim illam particulam definitionis pro contrariis *à quo mutuo se expellunt*, intelligendam esse de contrariis in gradibus intensis, non remissis, ut apparet in aqua tepida. Vide Suar. in Met. disp. 5. sect. 4. num. 3. Salas sect. 14. Zumel t. 2. q. 71. art. 1. disp. 2. Nec quando vel peccatum cum habitu existit, vel uterque habitus, dabuntur oppositæ denominationes, non enim subjectum denominatur in genere moris à prædominante forma, sed à voluntaria, quæ si fuerit voluntaria, subjectum denominabitur.

252. Dico secundo: Actus mortaliter malus non opponitur contrariè & physicè habitibus gratiæ, sive per se infusis, etiam mediatè. Probatur, quia ratione contrarietatis habitus vitiosi cum aliis habitibus opponitur mediatè actus mortaliter malus habitibus virtutis acquisitæ, ex prima conclusione; atqui ex dictis supra num. 141. habitus vitiosus non opponitur contrariè, & physicè habitibus per se infusis; ergo nec actus etiam mediatè illis opponetur.

253. Dices: Per quodlibet peccatum mortale, amittuntur gratia & habitus qui gratiam concomitantur; ergo illis opponitur. Antecedens, quoad amissionem gratiæ & charitatis, est de fide, traditum in Tridentino sess. 6. cap. 14. & 15. ac canon. 23. & 28. post decretum de justificatione: quoad reliquas virtutes charitati connexas, ostenditur, quia omnes dependent à charitate, ut à principio, & fundamento. Respondetur: distinguo antecedens: moraliter, & demeritoriè, concedo: physice, & efficienter, nego: Non enim peccatum mortale potest ex sua physica entitate destruere habitus illos per se infusos, sed tantùm demeritoriè, meretur enim bonorum supernaturalium amissionem: excipio habitum fidei, & spei; fides enim per solam infidelitatem, spes per solam desperationem amittitur.

254. Dico tertio: Peccatum veniale ex suo genere opponitur contrariè, sed mediatè, habitui virtutis acquisitæ: non tamen peccatum veniale ex defectu materiæ, aut deliberationis. Prima pars est communis inter Doctores. Videantur Herrera de peccat. disp. 29. quæst. 14. Salas tract. 13. sect. 15. num. 169. Curiel 1. 2. qu. 71. artic. 4. dub. unico. §. 2. in prima conclusione. Quia ex frequentia actuum, qui ex sua natura sunt contrarii habitibus virtutis acquisitæ, producitur habitus malus, & per consequens corrumpunt habitus bonos mediatè ratione contrarietatis inter habitus vitiosos, quos producunt, & habitus virtutis.

255. Secunda pars, quod scilicet actus venialiter mali ex defectu materiæ vel deliberationis non opponantur contrariè, etiam mediatè, habitibus virtutis acquisitæ, probatur, quia talia peccata venialia, sunt actus imperfecti; ergo non possunt producere habitus malos, ratione quorum opponerentur. Confirmatur, quia habitus virtutis est perfectus, & perfectè inclinat voluntatem ad medium in tota sua latitudine; ergo habitus illi oppositus, debet inclinare voluntatem ad perfectè recedendum à medio: atqui hoc fieri non potest per dicta peccata venialia; ergo, &c. Minor ostenditur, quia peccata venialia ex defectu materiæ, parum à medio recedunt; ex defectu deliberationis etiam parum, quia non sunt perfectè voluntarii.

256. Oppositum docent aliqui Doctores, quos relatos sequitur Salas cit. num. 169. quia æque venialia, ac mortalia peccata opponuntur virtuti; ergo si mortalia contrariantur habitibus virtutis mediatè, etiam venialia; quæcumque illa sint; Antecedens probatur, quia contrarietas inter peccata & virtutes, non consistit in gravitate culpæ, sed in eo quod inclinant ad contraria objecta: atqui peccata venialia inclinant voluntatem ad contraria objecta, ad quæ mortalia eamdem inclinant; ergo, &c. Respondetur negando antecedens. Ad probationem, transeat major, distinguo minorem: æqualiter, nego: inæqualiter, concedo; nego consequentiam: ideo enim peccatum mortale potest expellere habitum virtutis, quia cum sit actus perfectus, æquè inclinat in proprium objectum, ac virtus in suum; peccatum verò veniale est actus imperfectus, qui non potest recedere perfectè à medio, in quod tendit virtus, & consequenter non potest expellere habitum virtutis, quantumvis ita intendatur, ut intensive superet peccatum mortale.

257. Ex qua doctrina colligitur, per actus venialiter malos produci habitum quemdam vitiosum diversæ rationis, ab illo, quem circa idem objectum producunt peccata mortalia. Nam habitus productus à peccato mortali inclinat in actus avertentes subjectum à Deo ultimo fine, cum gravi Dei injuria: habitus verò productus à peccato veniali, non ita avertit subjectum, & licet uterque habitus, tam productus à peccato mortali, quàm à veniali, conveniat in objecto materiali, non tamen in formali, eo quod unusquisque habitus inclinet in actus similes illis, à quibus fuit productus.

258. Dico quarto: Peccatum veniale nec physicè, nec demeritoriè opponitur habitibus per se infusis: quia ex opposito sequeretur, tales habitus posse diminui, & consequenter expelli per multiplicationem peccatorum venialium: nam *finitum per ablationem finitæ consumitur*: Sequela est contra fidem, quæ nos docet, nec gratiam, nec

charitatem per veniale peccatum deperdi. Confirmatur, quia si opponeretur, vel foret physicè, vel demeritoriè: non primum, cum nec ita mortale opponatur, inde per mortale physicè, & effectivè non minuitur, aut corrumpitur habitus per se infusus; non demeritoriè, cum enim peccatum veniale sit offensa levis, non meretur adeò gravissimam pœnam, qualis est vel diminutio, vel amissio gratiæ: solum ergo deperditur fervor gratiæ, quia distrahit mentem, motusque contrarios excitat.

QUARTA DIFFICULTAS.

Utrum peccatum, sive actus malus, actui bono contrarietur?

259. SIt prima conclusio: Actus vitiosus opponitur actui virtutis acquisitæ in eadem materia. Est omnium Theologorum, & constat, quia ut dixi num. 255. habitus vitiosus opponitur habitui virtutis acquisitæ; ergo & actus.

Secunda conclusio: Actus vitii, & virtutis oppositæ, tam acquisitæ, quàm infusæ, qui respiciunt objecta contradictoria proportione servata, sunt verè & propriè contrarii: Ita D. Thom. 1.2. q. 71. art. 1. & art. 4. *ad secundum*, quem aliis relatis, sequitur Salas tract. 13. disp. 2. sect. 13. numer. 157. Probatur, quia prædicti actus sunt propter idem motivum, tendunt in idem objectum, & mutuo se expellunt, eo quod ex parte objectorum contradictionem involvant, ut excedere, & non excedere in eadem materia.

260. Dixi, *proportione servata:* quia actus vitii & virtutis acquisitæ solum inter se opponuntur, & non opponitur talis actus vitiosus actui virtutis per se infusæ; simili ratione, qua supra num. 241. probavi habitus vitiosos oppositos habitibus virtutis acquisitæ nun opponi habitibus per se infusis. Videte Cornejo 1.2. q. 71. disp. 1. dub. 2.

261. Dices: Ut producatur vitium oppositum virtuti acquisitæ, non requiritur quod homo directè contra motivum naturale operetur; ergo nec ut producatur vitium oppositum virtuti supernaturali, requiritur quod homo operetur contra motivum supernaturale. Respondetur negando consequentiam; Diversa ratio est, quia motivum naturale virtutis, est per se conjunctum cum objecto naturali, in quocumque enim statu necessaria est mediocritas ad temperantiam in ordine ad salutem corporis: motivum verò virtutis per se infusæ, cum supernaturale sit, non est per se conjunctum cum objecto materiali virtutis temperantiæ, qua de causa in statu puræ naturæ tale motivum non daretur; quare cum per accidens adveniat, & supposita ordinatione hominis ad finem supernaturalem, necessaria est expressa operatio propter illud; quod verò actus illi, ex quocumque motivo eliciantur, non possint esse simul, provenit ex identitate objecti materialis, non formalis.

262. Ex quo sequitur, peccatum mortale non posse esse simul etiam divinitus, cum actu virtutis cui opponitur, quia actus prædicti ex parte objectorũ involuunt contradictionem, ut excedere vel non excedere mensurá cibi: ut enim intellectus nequit assentiri & dissentiri simul eidem propositioni per idem medium, & secundùm eamdem rationem formalem, quia simul esset, & non esset assensus, vel dissensus, ita in voluntate nequeunt simul dari illi duo actus, cum unus essentialiter tendat in objectum dissonum legi, & alterum in objectum legi consonum.

SECTIO OCTAVA.

De cognitione, & advertentia requisita ad peccatum.

263. NOn minimæ difficultates se offerebant circa cognitionem, & advertentiam, ad hoc ut actus sit peccatum, requisitam: sed jam omnes resolutæ manent in superioribus, & ex dictis ibi.

Dico primo: Requiritur cognitio malitiæ, ad hoc ut actus sit peccatum, & culpæ imputetur; cum enim non possit peccatum non esse volitum & voluntarium; extra dubium est ad volitum & voluntarium necessariam esse cognitionem. Vide disp. 1. à num. 54. ex qua doctrina in eadem disp. à num. 764. demonstravi primam cogitationem, non esse voluntariam, & numero 773. non posse dari voluntarium absque aliquali consideratione.

264. Dico secundo: Ad peccatum requiritur non solum cognitio, nec sola advertentia de objecto materiali, cui connexa est necessariò malitia, sed necessaria est cognitio de ipsa malitia: ita dixi disp. 3. à num. 440. loquens de cognitione necessaria ad hoc ut circumstantiæ possint refundere malitiam in actum voluntatis.

265. Dico tertiò: Ista cognitio malitiæ debet esse actualis, & actualiter existens, saltem confusè, & non est satis cognitio virtualis, sive interpretativa, qua homo potuit, & debuit advertere: ita latissimè ostendi disput. 1. sect. 2. subsect. 4. in prima difficultate; & n. 747. ac 776. & sequentibus, disp. 2. num. 442. ad num. 446. in quibus locis docui hanc cognitionem esse omnino necessariam ut actus sit malus, & culpæ imputabilis: inde etiam ostensum est, non posse circumstantias refundere suam malitiam in actum, si malitia non sit cognita actualiter.

SECTIO NONA.

De libertate, & consensu requisitis ad peccatum.

266. LIbertatem essentialem, aut illam libertatem, quæ cum summa necessitate conjungitur, ab Hæreticis confictam, à Cornelio Yprensi adeò approbatam, esse insufficientem ad peccatum, non est hujus loci ostendere, satis enim prædictum errorem convinco ex doctrina Augustini, imo & ipsiusmet Yprensis in Anti-Iansenio, toto libro secundo, ubi ostendo necessariam esse libertatem indifferentiæ, sive contrarietatis, sive contradictionis. Utrùm verò satis sit potentialis libertas, an requiratur actualis? Pro actuali resolvi disp. 2. à num. 121. Quo pacto requiratur libertas ad peccatum, satis explicatum est disp. 5. à num. 129. An sufficiat libertas in causa, dicendum est infra à num. 545. ad n. 567. explicando peccata dormientium & ebriorum, unde nulla superest difficultas expedienda circa libertatem ad peccatum requisita, quæ sit alicujus momenti; Nam quod hic aliqui tractant de libertate morali tantùm, & physica, spectat ad materiam de merito, & de incarnatione.

267. Restat ergo examinare consensum requisitum ad hoc ut actus voluntatis sit peccatum. Consensus nihil aliud est, quam concordia inter voluntatem, & intellectum ad unum aliquid faciendum, de quo Lorca de actibus humanis, disput. 19. Azor 1. p. lib. 1. cap. 26. qu. 4. & sumitur pro quocumque actu voluntatis liberè approbantis id quod intellectus proponit. Dividitur in imperfectum, & perfectum: perfectus sequitur perfectam, imperfectus imperfectam rationis ad-

vertentiam. His præhabitis aliquæ sunt difficultates circa prædictum consensum per subsequentes subsectiones exponendæ.

SUBSECTIO PRIMA.

De consensu in communi.

SEmper evitare intendo confusionem quæstionum, ut obscuritatem effugiam, iden consensum requisitum ad peccatum sub diversis considero rationibus: & primo, in communi: secundo, in materia castitatis: tertio, ut delectat: nam sub uno quoque modo specialem continet difficultatem.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum possit dari peccatum absque voluntatis consensu.

268. EXcitatur quæstio propter potentia à voluntate distinctas, quas esse peccatorum subjecta probandum est infra à numero 866. præcipue autem in appetitu sensitivo dantur motus, quos Theologi appellant primo primos, eo quod præveniunt, & advertentiam rationis, & libertatis consensum, cum tamen sint circa objecta intrinsece mala, multoties: ideo quæritur, an prædicti motus, & actiones aliarum potentiarũ sint peccata, quamquam eis non consentiat voluntas? Respondetur negative: conclusio est de fide tradita à Tridentino sess. 5. can. 5. docente concupiscentiam non nocere non consentientibus: deducitur ex locis Scripturæ sacræ, & ex variis sanctorum Patrum testimoniis, quæ expresse attestantur nullum dari posse peccatum absque voluntatis consensu: pro quibus videantur Curiel. 1. 2. qu. 74. art. 3. dub. 1. §. 2. Sua. 1. 2. tract. 5. disp. 5. sect. 4. num. 2. Salas 1. 2. tract. 13. disp. 6. sect. 3. à num. 5.

269. Unus modo satis sit locus Augustini lib. de vera relig. cap. 14. *Quare aut negandum est peccatum committi; aut fatendum est voluntate committi.* Qui plura & expressa loca pro hac doctrina ex Augustino videre voluerit, adeat nostrum Ansi-Iansenium Yprensem, ubi toto libro secundo per varias vendicationes vendicatur Augustinus à falsa Yprensis doctrina: nec modo immoror in afferendis rationibus, aut argumentis, quibus hæretici hanc veritatem convellere nituntur, cum soluta sint ab omnibus Theologis, qui contra Lutheranos, & Calvinistas scripserunt, interim videatur Becan. 2. parte Summæ tract. 2. cap. 5. quæst. 3.

270. Sed quia aliqui Catholici doctores asserere videntur, dari peccatum veniale in appetitu sensitivo, etiamsi non accedat consensus voluntatis, inquirendum est, an hæc doctrina sit vera. Respondetur negative, eadem enim veritate asseverandum est, nullum peccatum dari posse absque aliquo voluntatis consensu. Ita communiter Doctores, Valent. tom. 2. disp. 6. qu. 4. punct. 2. Curiel sup. Suar. sect. 5. num. 2. Vasq. disp. 104. num. 3. Lorca disp. 25. Salas tract. 13. sect. 1. num. 11. Herrera de peccatis disp. 32. q. 3. conclus. 1. Ægid. Lusitanus tom. ·. de Beatitud. lib. 1. quæst. 16. articul. 3. §. 3. asserens omnes Catholicos, uno excepto Cajetano, pro nostra esse sententia.

271. Probatur ex dictis supra numer. 268. & amplius, quia juxta Catholicorum omnium sententiam; nullus actus est peccaminosus, nisi sit liber: sed appetitus sensitivus non est potentia libera; ergo nullus ejus motus inexpectato voluntatis consensu, erit peccatum. Major præter illam cõmunem Theologorum & unanimem conspirationem, non semel approbatur ab Augustino, cujus innumera loca pro illius probatione habes loco contra Iansenium citatu.

272. Minor, in qua est difficultas, probatur primo, quia potentia libera requirit, quod objectum indifferenter proponatur à potentia cognoscente: atqui phantasia, vel quæcumque potentia illa sit, corporea, proponit objectum determinatum, & sub unica tantùm ratione eligibile, videlicet, vel delectabili, vel tristi; ergo appetitus non est potentia libera.

273. Dices: Phantasia, sive potentia imaginativa non proponit unum tantùm objectum delectabile, sed plura objecta delectabilia; ergo circa illa exercebitur appetitus libertas: Sed contra, quia licet apponantur appetitui plura objecta, appetitus raro eliget objectum magis delectabile; deinde, licet proponantur plura, non proponuntur cum indifferentia, nec sub ratione turpi, vel honesta, quod omnino requiritur ad peccatum.

274. Probatur secundo eadem minor, quia ex opposito varia sequuntur absurda. Primum, actum quo quisque per voluntatem resistit, quin reprimere possit motus illos appetitus, quibus toto conatu resistere intendit, non esse bonum, nec ad coronam gloriæ deservire, quod est contra Tridentinum sess. 5. can. 5. docente tales motus non servire ad pœnam, sed ad coronam, si illis resistat voluntas: Sequela autem patet, quia tantum abest, quod coronandus sit homo propter resistentiam, ut puniri debeat propter appetitus inobedientiam, quæ peccatum juxta Cajetanum est.

Dices: In eo casu, posito scilicet imperio voluntatis, vel reprimendos esse motus appetitus, vel si non reprimantur, non esse peccata, eo quod appetitus eos reprimere non valet. Sed contra, quia contra experientiam quotidianam asseritur, semper refrænari prædictos appetitus motus à voluntate: dato quod non reprimantur, appetitus ab illis cessare non potest, si quidem in usu suæ confictæ libertatis à sola voluntate refrenari, & reprimi potest: cum autem, ex suppositiona, voluntas eos non reprimat, persistent; persistentes autem punientur, eo quod peccata juxta prefatam sententiam sint.

275. Secundum absurdum: Sequitur, si appetitus venialiter peccare potest, etiam posse mereri, hoc autem est falsum; ergo & illud, ex quo sequitur. Sequela ostenditur, quia licet plus requiratur ad meritum quàm ad peccatum, tamen si sufficit libertas illa ad peccatum, cur non sufficiet ad meritum? demus reprimi ab appetitu ejus motus, hæc refrænatio est vel honesta, vel turpis; non turpis, si quidem refrænare malum, bonum est; ergo honesta; ergo laudabilis; ergo meritoria.

276. Cajetanus, 1. 2. q. 74. art. 4. affirmat in appetitu dari peccatum veniale. Cajetani totale fundamentum est, quia appetitus habet ex se sufficientem libertatem, estque potentia libera, absque ullo ordine, & absque ulla subordinatione voluntatis: & hanc appetitus libertatem pluribus ostendere nititur argumentis. Quorum

277. Primum est, quia Philosophus 7. Politicorum docet appetitum obedire *politice* voluntati, potentias autem cæteras, *despotice*: ex quo sic arguit, politica obedientia convenit potentiæ li-

beræ; ergo, &c. Probatur minor, quia imperium *despoticum* datur respectu servorum, qui defectu alicujus nequeunt resistere, sed necessario obediunt; imperium *politicum* datur respectu civium, qui resistere possunt; atqui potentia, quæ resistere potest est libera; ergo si appetitus obedit voluntati *politice*, & non *despotice*, potest resistere; ergo est potentia libera: si quidem agere potest oppositum illius, quod præcipitur. Respondetur, admissa doctrina Philosophi, nego antecedens. Ad probationem, distinguo minorem: atqui potentia, quæ resistere potest ex sua indifferentia, & dominio, ac electione, est libera, concedo: ex alio capite, nego: appetitus dicitur obedire *politice* voluntati, quia resistere ei potest, sed quia ista resistentia non oritur ex propria electione, & dominio erga suos motus, cum nec ipse eos semel elicitos reprimere possit, nec possit elicere, nisi illum, qui proponitur, sed ex facultate sibi insita ad rationis imperio resistendum, & ex apprehensione phantasiæ, quæ ita efficax esse potest, ut ab imperio voluntatis nequeat immutari, inde est, quod resistat.

278. Secundum: Æstimativa, sive phantasia propter conjunctionem, & radicationem in potentiis spiritualibus, sive in supposito humano, perfectior est, quam brutorum phantasia, & aliqualiter discurrit circa singularia, ut in nostro philosophico cursu dicendum est, prima part. & videtur D. Thom. doctrina 1. part. qu. 28. art. 2. ergo similiter appetitus sensitivus, propter radicationem in supposito humano, aliqualem, quamquam imperfectam, libertatem participabit. Respondetur primo, transeat antecedens, cum Montesino disp. 6. q. 2. n. 3. Suar. numer. 3. Herrera disp. 31. q. 3. §. *Secunda tamen.* §. *Ad rationem*, §. *Ad ultimam*, Conimbricens. 3. de anima cap. 3. q. 2. contra Vasq. disp. 104. cap. 5. num. 3. Ægid. citato num. 23. nego consequentiam: diversam rationem assignat Vasq. cit. quia ideo in phantasia admittitur discursus improprius, ut rectè deservire possit intellectui, qui ex sensuum cognitione multum adjuvatur: appetitus verò non conformatur, nec deservit voluntati, imò tumultuariè per suos motus sæpe rebellat, & effrænata operatione resistit voluntati, ejus actus impediens, & imperium obtrectans. Verùm hæc ratio aliquibus non placet Doctoribus & merito: quia etiam phantasia ex primo parentis peccato læsa mansit, etiamque secundùm se cum ratione pugnat, rationem non semel ab exercitio virtutum divertens, rationemque per varios, inutilesque conceptus divagari occasionatur, quare melius.

Respondetur secundo, distinguo antecedens: phantasia discurrit, ut subordinatur rationi; concedo; absolutè, & secundum se, nego: deinde distinguo consequens; ergo etiam appetitus sensitivus aliqualem libertatem participabit, secundum se, & absolutè, nego: ut subordinatur, subditurque voluntatis imperio, concedo: in hoc autem sensu libertas non denegatur appetitui, nec ejus motus esse peccata: unde eo modo, quo phantasia discurrit, est appetitus liber.

279. Tertium: Potentia omnis libertatis expers, incapax est consilii, & persuasionis, cum ex sua propria natura determinetur ad objectum: atqui passio appetitus sensitivi, vi rationum, quas offert phantasia, allecta, modo minuitur, & modo augetur; ergo non est expers libertatis. Respondetur, distinguo majorem: est incapax consilii, & persuasionis propriæ, quæ indifferenter proponat objectum, & approbet unum præ alio objecto, concedo: impropriæ potentiam ad unum determinantis, & uni tantum parti, sive objecto adigentis, nego: & hic modus consilii, ac persuasionis repetitur in phantasia respectu appetitus, quatenus imperio rationis, nec subordinatur, nec subditur.

280. Quartum: Sequitur nullam dari libertatem in appetitu sensitivo, etiam accedente voluntatis imperio. Probatur sequela, quia quando motus appetitus imperantur à voluntate, phantasiæ sequuntur cognitionem: atqui prædicta cognitio non est sufficiens ad proponendum objectum cum ea indifferentia, quæ necessaria est ad exercitium libertatis; ergo licet appetitus voluntati subdatur, non erit liber, cum semper careat cognitione sufficienter proponente objectum. Respondetur negando sequelam. Ad probationem, distinguo minorem: secundum se, & absolutè, concedo: ut subordinatur, & subditur imperio voluntatis, nego: Sub imperio enim voluntatis, omnes potentiæ cognoscitivæ voluntaria participant libertatem: unde objectum proponitur à phantasia secundùm se solum, ut delectabile, vel triste, à phantasia verò subordinata voluntati, & sub ejus imperio operante, proponitur tamquam bonum esse abstinere ab illo; & licet tunc phantasia objectum non proponat sub ratione honesti, vel turpis, proponit tamen illud objectum, honestum sub ratione delectabilis, id est, præmii: turpe, sub ratione tristis, id est pœnæ.

281. Quintum: *In eodem subjecto, in quo reperitur virtus debet reperiri peccatum eidem virtuti oppositum*, ut tradunt Suar. num. 2. Curiel §. 2. in prima confirmatione contra Cajetanum: atqui in appetitu sensitivo reperiuntur virtutes morales ex D. Thom. 1. 2. qu. 56. art. 4. in quo sequitur philosophum 3. Ethicorum cap. 1. ergo etiam reperiri debent peccata eisdem virtutibus opposita. Respondetur, concedo majorem, distinguo minorem: in appetitu sub imperio rationis, & ei subordinato reperiuntur virtutes morales, concedo: in appetitu secundum se, nego: constat enim experientia, appetitum ex usu actuum reddi faciliorem ad fortitudinis, & temperantiæ, verbi gratia, actus exercendos: habitus verò non dantur ad determinandam potentiam, sed ad vincendam difficultatem: inde voluntas non determinatur per proprios habitus, quibus utitur, cum, & quando vult.

282. Unde notabis primo, contra Montesin. cit. num. 14. Curiel cit. art. 3. §. 4. ad secundam probationem non cohærenter fuisse loquutos, dum admittentes habitus in appetitu sensitivo, eos denegarunt potentiis, membrisque externis, ex eo enim his potentiis denegari possunt habitus, quia & necessario ad unum determinantur, & nullam habent indifferentiam, quod etiam procedit in appetitu sensitivo. Secundo, in hoc consistere excessum appetitus, & sensuum externorum, qui subjectantur in homine, comparatione potentiarum, quæ sunt in brutis, quod hæ non sunt capaces subjectionis ad rationem, ut est appetitus, & sensus externi hominis: ut bene notavit Scotus in 2. dist. 42. quæst. 4. num. 19. vers. *ad secundum*.

283. Sed quid dicendum, admissa cum Cajetano illa libertate appetitus, nulla habita ratione voluntatis, quam etiam admittunt Medin. 1. 2. quæst. 20. art. 3. Conimbricenses citati, Curiel. cit. §. 4. in tertio discrimine, adhuc motus appetitus erunt peccata venialia, quamquam nec rationi subdantur, nec voluntatis imperio subordi-

nentur? Respondetur negative: ita Curiel §. 1. in secunda probatione, & §. 4. *Ad secundum*, Salas tract. 13. disp. 6. num. 4. Probatur, quia ad peccatum requiritur cognitio discernens rationem honesti, & turpis: atqui prædicta cognitio non respondet appetitui secundum se; ergo illa libertas attributa appetitui, non sufficit ad attribuendum peccatum appetitui: Minor probatur, quia ratio honesti, & turpis, non est quid sensibile, ejusque cognitio spectat ad notitiam intellectivam: Major constat exemplo amentium & puerorum ante usum rationis, qui licet aliqualem habeant libertatem, non tamen peccant, ex eo quod non discernant inter honestum, & turpe, ut cum Victoria, Zumel, Corduba, Aogesto, Vasq. Molin. & aliis docet Ægid. Lusit. cit. qu. 16. art. 2. §. 3. num 11. & 12. probabileque judicat Granado 1. 2. controv. 2. tract. 9. disp. 1. n. 5.

284. Ex dictis colliges, sententiam Cajetani notari non levi censura à Doctoribus: nam Medina 1. 2. q. 74. art. 4. *falsam, improbabilem*, Suar. num. 2. *non satis tutam*, Curiel. §. 3. *erroneam*, Becanus 1. p. Summæ q. 3. n. 12. contrariam Conc. Trid. appellat; Cavellus in scholio ad citatam distinct. 42. 2. q. 4. n. 19. & nostram sententiam definitam esse in Concilio Tridentino affirmat Herrera de peccatis, disp. 33. q. 3. §. *Quinta conclusio*.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum voluntati liceat consentire omnibus appetitus sensitivi motibus?

285. Suppono primo, appetitum, vel esse concupiscibilem, vel irascibilem: ille circa bonum amandum, circa malum fugiendum hic versatur; non quod duplex sit appetitus, sed quia unius appetitus duplex est ratio: prima in amore delectabilis, secunda in fugiendo, & removendo quicquid offertur impediens delectabile. Suppono secundo, appetitum habere pro objecto quicquid extra Deum est, creaturam scilicet, non sub ratione honesti, vel turpis, sed sub ratione delectabilis, vel tristis, quæ omnia bene, non bonus auctor, Yprensis tradit in suo Augustino tomo 2. lib. 2. cap. 7. & 8. Tertio appetitum pro sua innata natura ferri in quodcumque objectum à phantasia propositum, ita effrænato cursu, ut sæpe præveniat rationem, eamque suadeat ad amplectendum quod sibi placet, & sæpe quin rationis habenis moderetur, in suas irruere faciat passiones, invita etiam & ratione, & voluntate. Quibus positis,

286. Est quæstio utrum motibus appetitus liceat voluntati consentire; cum enim ex dictis in prima difficultate, illi motus consensu voluntatis non spectato, non sint peccata, nec mortalia, nec venialia: quæritur utrum accedente consensu voluntatis, omnes appetitus motus sint peccata?

287. Dico primo: Si illis motibus consentiat voluntas propter aliquem finem honestum, non est peccatum illis consentire. Conclusio est certa, adeo ut illi subscribat ipse Yprensis tom. 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 9. à principio. Et probatur, quia non omnes motus illi versantur circa objecta turpia, sed sæpissime circa objecta indifferentia, quæ bona, vel mala esse possunt, ut manducare, deambulare: atqui si voluntas propter finem aliquem honestum amet illa objecta, & actibus circa illa consentiat, nihil turpe operatur, imo honestum; ergo eis consentire non erit peccatum, sed bonum: Non enim in illo consensu aliquid apparet, per quod vitietur; imo actus ille, sive consensus, honestus est, quia specificatur à bonitate finis honesti, qui consensui primam, & solam attribuit speciem bonitatis. De quo videri debent, quæ dixi disp. 3. n. 206. ad 211. à n. 417. ad 432.

288. Dico secundo: Consensus voluntatis circa motus appetitus, qui non versantur circa objecta illicita, non est peccatum, si fiat propter aliquem finem utilem. Hæc conclusio habet contra se omnes Doctores, qui negant actus indifferentes, de quo disputat. 5. non possunt enim intelligere, quo pacto non sit malus ille actus, qui objectum propter propriam utilitatem tantum amplectitur: sed approbatur ab aliis doctoribus, qui actus indifferentes admittunt.

289. Et probatur, quia homo non operatur male, si parti succurrat animali, & ei utilia procuret, dummodo nihil contrarium legi, aut rationi admittat: atqui amare objectum, quia naturæ utile, est succurrere parti animali, quin contraveniat rationi, quæ non dictat abjiciendum esse quicquid naturæ est utile, nec legi, (suppono enim, illud utile non esse prohibitum;) ergo motibus utilibus naturæ, quos elicit appetitus, non est malum consentire: Major constabit ex dicendis illa disp. 5. circa indifferentiam actuum, & patet, quia homo ex utraque parte integratur animali, & spirituali; ergo utrique succurrens, non peccat; licet teneatur parti spirituali succurrere cum dispendio partis animalis, nec debet huic succurrere, si ex auxilio, parti spirituali damnum inferatur; quid enim prodest homini, si totum mundum lucretur, vitam conservet, sanitatem procuret, si anima aliquale detrimentum patiatur? ergo ubi non fuerit nocumentum aliquod animæ, proculdubio succurrendum est parti animali; & consentire omni quod ei fuerit utile: & per consequens licebit voluntati, consentire illis motibus propter aliquem finem utilem.

290. Dico tertio: Etiam licitum est voluntati multoties illis motibus consentire propter finem aliquem delectabilem, dummodo motus non versentur circa materiam illicitam: Hæc conclusio directe est contra Doctores, qui actus indifferentes in individuo inficiantur, approbatur verò à Doctoribus contrarium sentientibus, quibus subscribam disputatione illa 5. & ratio est eadem, qua supra n. 289. ostendi licitum esse voluntati consentire illis motibus, tantùm ob eorum utilitatem; Si enim hoc est licitum, etiam licitum erit eis consensum præstare ob eorum delectationem præcisè. Et cum Yprensis tomo illo 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ c. 9. à principio, extra controversiam esse doceat licitum esse voluntati consentire illis motibus ob eorum utilitatem, nimirum manducare pro sustentãda natura, non videtur cohærenter locutus, dum negat licitum esse eis motibus consentire ob eorum delectationem, nam si utilitas propter se dilecta, non vitiat consensum, nec delectatio eum vitiabit; Theologi enim solum ex defectu finis honesti, quem putant necessarium esse ne actus sit malus, actus indifferentes impugnant.

291. Oppositum tenaciter defendit Yprensis libro cit. à cap. 9. ad 23. ita ut de fide tenendum esse statuat: & licet ejus argumenta indifferentiam actuum ex diametro impugnent, tamen in præsenti solvenda sunt. Arguit, ergo primo, cap. 9. §. *Hoc igitur*, ex loco Ecclesiastici cap. 18. *Post concupiscentias tuas non eas*: ergo cum absolutè loquatur, sentit Sapiens consensum omnis con-

cupiscentiæ esse peccatum. Respondetur loqui de concupiscentiis & motibus, quæ præjudicium afferunt animæ, & illiciti sunt; addit enim, *Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus; faciet te in gaudium inimicis tuis*: id est, si concupiscentiis assentiatur voluntas, quibus anima deturpetur, & non qualicumque modo, sed moraliter, aliter etiam ob peccata venialia, quæ in suis amicis Deus videt, quin amicitiam dissolvat, erunt in gaudium inimicis: quod verò loquatur de cõcupiscentiis indifferenter, non est quod omnibus accommodetur concupiscentiis, cum ex opposito, etiam illicitum foret concupiscentiis licitis propter finem honestum consentire., eo quod sapiens absolutè loquatur; quin exprimat finem aliquem.

292. Secundo arguit §. *Sed in novo*, ex novo Testamento, ubi à Paulo concupiscentia appellatur *lex peccati, & peccatum*, ex quibus locis Augustinus non semel docet omnem concupiscentiæ consensum esse peccatum: ita lib. 1. de nuptiis cap. 23. *Hæc ergo concupiscentia, hæc lex peccati habitans in membris, cui lex justitiæ vetat obedire.* Lib. 1. ad Bonifacium cap. 13. docens concupiscentiam appellari peccatum, *sive quod peccato facta est, sive quod peccandi delectatione movetur.* Ex quibus apertè constat, legem justitiæ vetare obedire cuicumque concupiscentiæ, omnemque consensum delectatione præstitum, esse peccatum.

Respondetur, verum esse, quod concupiscentia, & lex peccati, & peccatum appellatur, sive quod peccato facta sit, sive quod ad peccatum inclinet: quoties ergo ad peccatum inclinaverit nostram voluntatem, si voluntas ei consentiat, peccabit: si verò ad peccatum non inclinaverit, si voluntas nulla apposita circumstantia mala ei consentiat, non peccabit: distinguendi etenim sunt motus appetitus: quidam illiciti sunt, qui versantur circa objecta prohibita, ut avaritia, fornicatio; quidam liciti, qui versantur circa objecta tantummodo indifferentia, ut comedere, cantare, videre, & similia: consentire illicitis motibus, est peccatum, non tamen licitis: concupiscentia autem cum ad licitas actiones voluntatem inclinat, non eam inclinat ad peccatum, nec voluntas ei consentiens delectatione peccandi movetur; ex quibus explicata manet, & doctrina Apostoli, & Augustini.

293. Quod verò detur illud duplex genus motuum, docet sæpe Augustinus serm. 17. de verbis Apostoli, cap. 2. *Delectant quædam naturaliter infirmitatem nostram; ut cibus, & potus delectant esurientes, & sitientes: ut nos delectat hæc lux, delectat canora vox, & suavissima cantilena; delectat odor bonus: delectat etiam tactum nostrum, quæcumque pertinent, ad carnis aliquam voluptatem: & hæc quoque, quæ nos delectant in sensibus corporis aliqua licita sunt: delectant enim, ut dixi, oculos, & spectacula ista magna naturæ, sed delectant etiam oculos spectacula theatrorum: hæc licita, illa illicita: Psalmus sacer suaviter cantatus delectat auditum: sed delectant auditum etiam cantica histrionum: hoc licite, illud illicite; delectat olfactum, flores & aromata, & hæc Dei creatura. delectant olfactum etiam thura in aris dæmoniorum: hoc licite, illud illicite: delectat gustum cibus non prohibitus: delectant gustum etiam epulæ sacrilegorum sacrificiorum: hoc licite, illud illicite*: Concludit autem. *Videtis ergo charissimi, etiam in istis corporis sensibus, licitas esse, & illicitas delectationes.*

294. Dices: Augustinus loquens de ipsis licitis delectationibus, docet illicitum esse eas appetere propter ipsas, & non propter Deum. Probatur primo de cibo & potu, quæ licita sunt, ex libro 10. Confessionum cap. 31. *Sed dum ad quietem satietatis, ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ; ipse enim transitus voluptas est, & non est alius, quà transeatur, quam quo transire cogit necessitas: & cum salus sit causa edendi, & bibendi, adjungit se tamquam pedissequa, periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere dico, vel volo.*

295. Probatur secundo, de sono ex lib. 4. contra Julian. cap. 14. *Movetur certe animus ad pietatis affectum divino cantico audito: tamen etiam illuc, si sonum, non sensum, libido audiendi desideret, improbatur.* Ex lib. 10. Confess. cap. 33. *Cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor.* Probatur tertio de odoribus ex lib. 4. contra Iulian. cap. 14. Loquens enim de homine ingrediente locum thimiamatis, qui non tenetur nares claudere, ait: *Sed numquid, cum inde fuerit egressus; ad domi suæ, vel quacumque pergit, desiderabit? aut si desideraverit satiare debet istam libidinem, non frenare, & contra concupiscentem carnem spiritu concupiscere, donec ad illam redeat sanitatem, qua nihil tale desideret?* Hæc Yprensis cap. 9.

296. Probatur quarto de motibus carnis, quos omnes esse peccata, etiam licitos inter conjuges, si sola voluptatis causa exerceantur, docet Augustinus innumeris locis ab Yprensi congestis cap. 10. Ex omnibus satis sit ille ex libro 1. de nuptiis cap. 15. *Aliud est non concumbere, nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam; aliud carnis, concumbendo, appetere voluptatem, sed non præter conjugem, quod venialem habet culpam.*

Ex quibus omnibus hoc formatur, juxta Augustini doctrinam, argumentum: Consentire motibus, desideriisque appetitus, amareque ejus objecta delectabilia propter eorum solum voluptatem, & delectationem, etiamsi licita sint, est peccatum; ergo non potest subsistere servata doctrina Augustini, & veritate, solutio præstita numero 292.

297. Respondetur negando antecedens, si aliud non accrescat, per quod ille motus, illaque ratio appetitus, quæ licita est, reddatur illicita. Ad primam probationem ex numer. 294. Respondeo, ideo ab Augustino cibum ob jucunditatem assumptum reprobari, quia non est mera jucunditas, sed periculosa: ita ibi. *Periculosa jucunditas*: id est, immoderata, nam quod saluti, & necessitati satis est, non est satis delectationi: ita se exposuit Augustinus, fatente Yprensi, etiamsi invitus id fateatur tom. 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 9. §. *Sed istam*, ubi; *Utriusque vero* (id est necessitatis, & jucunditatis) *manifestam differentiam subjicit ex qua possunt sine errore discerni, nec idem, inquit Augustinus, modus utriusque est, nam quod saluti satis est, delectationi parum est*: ergo tota ratio cur jucunditas ut mala non admittitur, est excessus in jucunditate commissus.

298. Ad secundam ex num. 295. Respondeo, non improbari ab Augustino desiderium audiendi sonum, voluptatemve ex sono captam, sed desiderium audiendi sonum, & non sensum; quod diversum est, & perversum, cum sensui cantus sacri præferatur sonus; jam enim illa præferentia sonum licitum, fecerat illicitum, quod ipsemet Augustinus in loco ex libro Confessionum eodem num. allegato declaravit, sentiens se pœnaliter peccasse, non quia cantu sacro delectabatur, sed quia plus ille cantus, quam res delectabat:

bat: *Cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, qua cantur, moveat*: & amplius apparet in eo quod Augustinus non damnat concupiscentium cantus ob delectationem, sed libidinem: libido autem juxta Augustinum lib. de Mendacio cap. 7. definitur, *Appetitus animi, quo aeternis bonis qualibet temporalia praeponuntur*: Qua notitia praesupposita *libidinis*, solvitur locus ex num. 296. ubi loquitur de libidine olfaciendi, ideo fraenandam esse monet.

299. Ad quartam, de motibus carnalibus licitis inter conjuges, approbo doctrinam Augustini, quod non licet concubitus etiam inter conjuges habitus ob aliam causam, quam procreandi, sive generandi filios, quaecumque alia causa culpabilis est venialiter; quia licet materia delectationis venereae, quae secundùm se erat illicita, fiat licita ob matrimonium, in quo solum liciti sunt carnis amplexus, non sunt tamen absolutè liciti, sed tantùm ob eam causam ob quam licita facta est materia, nimirum ob generationem filiorum: & quamquam etiam matrimonium institutum sit in remedium concupiscentiae, non est ut absolutè concupiscentia illa sit licita capta propter delectationem, sed ne sit mortalis.

300. Arguit tertio à cap. 15. quia amare creaturas absolutè absque ullis circumstantiis malis, est peccatum, si non amentur propter Deum, sed propter ipsas, sive quia delectant, sive quia utiles sunt; ergo non licet voluntati appetitus motibus quibus creaturas appetit, consentire: patet consequentia, quia ille consensus est amor; antecedens probat cap. 14. discurrens per omnes creaturas; quae sub objecto appetitus cadunt, etiamsi secundùm se non sint illicitae: bonae enim sunt divitiae, divitiarum tamen amor malus, quocumque enim modo amentur, amor ille avaritia est: Augustin. ser. 105. de tempore cap. ultim. *Avaritia est enim, esse velle divitem, non iam esse divitem*: praeesse reipublicae bonos & meliores, optimum est, & tamen velle praeesse malum est. lib. 19. de civit. Dei cap. 19. *Locus superior, etsi ita teneatur, ac administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur.* Laus, cum sit virtutis praemium, bona est, eam amare vitium est. lib. 5. de Civit. Dei cap. 14. *Sanius videt, qui & amorem laudis vitium esse cognoscit.* & sic de aliis, non enim major ratio dari potest, cur amor hujus creaturae, verbi gratia honoris, laudis, pecuniae, spectaculorum, cantus, & similium, sit peccatum, si non ametur propter Deum, sed propter se, suam scilicet delectationem quam amor alterius creaturae, quamvis optima, bonaque sit.

Respondeo, negando antecedens, est enim actus indifferens, & quaecumque afferuntur in probationem, intelligenda sunt de amore perverso quo praeponitur Deo creatura, & magis amor creaturae aestimatur, quam Dei: quod fateri tenetur Yprensis, etiamsi ardentissima bili oppositum sentiat; quia jam non esset juxta Augustinum, licitum amare cibum, cantum, & caeteras creaturas licitas propter aliquem finem humanum, extra Deum: hoc autem & Augustino, & Yprensi contradicit. Augustino lib. 4. contra Iulian. cap. 14. ubi loquens de objectis gustui, & tactui delectabilibus. *Ea vero, quo his* (id est objectis incommodis, & tristibus) *contraria, commode sumimus, si nihil eorum interest ad salutem, vel ad declinandam doloris, laborisve molestiam, etiamsi cum aliqua sumantur delectatione, cum praesto sunt, tamen cum absunt, nulla sunt desideranda libidine.* Non ait delectatione, sed libidine, ne delectationem damnare videatur, sed libidinem: ex quo loco bene sequitur; ergo si ob salutem, doloris, laborisve molestiam auferendam delectemur, non erit peccatum. Deinde clarè hoc docuit loco citato num. 293. ubi cibum, potumque ob salutem, & necessitatem sumptum approbat, eumque, ex ea tantum ratione condemnat, quod cum praedictum cibum statuisset pro necessitate, saluteque corporis sumere, obrepsit periculosa jucunditas, cujus causa facta fuit.

301. Yprensi verò id docenti, suae doctrinae, ut assolet, omnino immemor, nam cum pro regula generali Augustini poneret, omnem motum concupiscentiae, omnemque amorem creaturae, omnemque actum, qui non fieret propter Deum, esse peccatum, eo quod fieret contra legem aeternam statuentem omnia fieri debere propter Deum, ut videre est tom. 2. libro 2. de statu naturae lapsae cap. 16. §. *Ex hoc* & in fine capitis, toto cap. 19. & expresse cap. 23. §. *Ex his*: hujus doctrinae merito oblitus, docet si praedicti motus fiant, & imperentur propter necessitatem, salutemque corporalem, aut ob alios fines humanos, esse bonos, & non peccata: ita cap. 9. à principio, tamquam veritatem extra controversiam positam adstruit. *Licere enim res ipsas, seu actiones, ad quas instigat libido, propter alios fines assumere, extra controversiam est. nam quamvis concumbendi libido importune conjugatum stimulet, vel esurientem concupiscentia cibi delicati, non tamen idcirco à concubitu, vel cibo abstinere tenetur, si ratio sustentandae naturae, vel propagandae prolis, cibum, aut concubitum postulaverit: etsi enim hujusmodi libidines nullae sint, usus tamen earum legitimus propter alios fines, non est malus.* Et §. *Ex his* luculenter eamdem probat doctrinam, dicens: *Ex his quae hactenus de sensuum externorum usu diximus, facile intelligi potest, quis juxta Augustinum sit inculpabilis, & verus perfectusque Christianae vitae modus, qui in eorum objectis licitis (quaedam enim speciali, vel voto, vel praecepto, vel omnibus omnino, vel cuidam hominum generi prohibentur, de quibus hic non agimus) admittendis, vel respuendis observari debet: nimirum, ut ea objecta sensuum, quae ad fugandam laboris, dolorisve molestiam, salutemve procurandam, aliquam utilitatem habent, admitti possint: cum vero nihil eorum interest ad salutem tuendam, vel molestias doloris, aut laboris avertendas, quamvis cum nullo quaesita studio adsunt, non necessario respui debeant, sed percipi etiam cum sensu delectationis possint, utpote quibus ita juncta est delectatio, ut nisi sensus ab objectis avertatur, vel mens vehementi intentione à sensibus alienetur, necessario sentiatur: cum tamen abfuerint, nulla voluptatis fruendae cupiditate desideranda sunt*: Haec Yprensis. Quo pacto autem haec cohaereant cum illo praecepto de non amanda creatura propter aliquid humanum, sed propter Deum; nulla in hac doctrina cohaerentia, ut in nulla habet Yprensis.

302. Accedit, quod quando Augustinus improbat hos motus, sive amores, quibus creaturae ob delectationem desiderantur, vel diliguntur, saepe eos appellat non bonos, quasi se explicet dum malos dicit, mali etenim dicuntur ab Augustino, non quia culpabiles, sed quia imperfecti, carent enim honestatis perfectione: quam phrasim habet lib. de natura boni cap. 13. & 14. pro qua videri potest Zumel tom. 2. variar. discursu 4. sect. 5. conclus. 1. §. *Recemes.* & tradit Scotus, qui cum semel appellet malum, illum actum, qui non omnibus vestitur

SS

circumstantiis, ipse se declarat, dicens, ideo appellari malum, quia non habet omnem bonitatem, non quia culpabilis sit, aut malitiam habeat. Vide disp. 3. n. 144. Et hoc sibi vult Augustinus in Psal. 138. ubi loquens de hominibus innocentibus, & justis, qui non referentes actu aliquas actiones licitas in Deum, *acquiescunt in domo sua, in familia sua, in conjuge sua*, &c. *Deus* immiscet his actionibus, sive hominibus amaritudines, ut in solo amore vitæ æternæ quiescentes discant meliora amare. *Docentur amare meliora per amaritudinem inferiorum*: quo modo loquendi utitur lib. de vera religione cap. 41. *Tunc cuique non est bene, si melius esse potest*: quid est melius? relativum boni, nam qui melius esse potest, bene est: nam si male esset, bene esse posset, non melius: si quidem de malo non transitur ad melius, sed vel ad bene, vel ad pejus; cum ergo homines sancti, non referentes actiones suas in Deum, melius esse possint, si eas referunt, non sunt malæ illæ actiones, sed bonæ.

303. Ex qua doctrina corruit non solum id quod Yprensis tom. 2. cap. 15. §. *Hinc ulterius* docet ex Augustino, recitans enim prædictum locum Psalmi 138. asserit prædictas actiones, sive homines non eas ad Deum referentes, appellari ab Augustino *velut innocentes*, ut significet eas malas saltem venialiter esse, cum tamen alia sit Augustini mens, illa scilicet quod non sint perfectæ: sed etiam corruunt omnia quæ adducit num. 300. vel adducere potest ex Augustino, si tales actiones doceat esse malas & culpabiles saltem venialiter.

304. Arguit quarto à cap. 16. Omnis, qui fruitur utendis, & utitur fruendis, peccat: atqui amor creaturarum non relatus in Deum, est fruitio; ergo per talem amorem creaturarum homo fruitur utendis, & utitur fruendis; ergo peccat. Major est Augustini multis in locis lib. 83. qq. quæst. 30. *Omnis humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui.* Et infra. *Omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis uti, & utendis frui*: & in hac inordinatione constituit Augustinus omnia peccata lib. 10. de Trinit. cap. 10. *Nec est alia vita hominum vitiosa, atque culpabilis, quam male utens, & male fruens.* Minor verò est expressa Augustini lib. 1. de doctrina Christiana cap. 4. *Frui est amore alicui inhærere propter seipsum, uti autem quod in usum venerit, ad id quod amas, obtinendum referre.* Ex qua doctrina Augustinus docet proximum diligendum propter Deum, non propter se ipsum. libro 1. de doctrina Christiana cap. 22. *Si enim propter se, fruimur eo; si propter aliud, utimur: Videtur autem mihi propter aliud diligendus, quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata*: & ex eadem doctrina, eodem loco asserit, hominem se diligere debere, sed propter Deum, ne se ipso fruatur, & utatur Deo, si se propter se diligat. *Si autem se propter se diligit, non se refert in Deum, sed ad se ipsum conversus, non ad incommutabile aliquid convertitur, & propterea, iam cum defectu aliquo se fruitur, quia melior est cum totus hæret, atque constringitur incommutabili bono, quam cum inde, vel ad se ipsum relaxatur.* Hæc potior ratio Yprensis, in qua spatiatur à cap. 16. usque ad 22.

305. Respondetur, concedo majorem: distinguo minorem: atqui omnis amor creaturarum non relatus in Deum positive & appretiativè, est fruitio, concedo: negative, nego: pro quo notandum est ex Magistro in 1. dist. 1. quem sequuntur omnes ferè Scholastici, dupliciter amari posse creaturas propter se: primo positivè, ita ut amentur propter se, tamquam propter ultimum finem in quo quiescat animus, plus æstimans illam creaturam, quàm Deum, quæ appretiatio licet non fiat formaliter, fit tamen interpretativè, dum ita amantur illæ creaturæ, ut offendatur Deus, imo etiam si Deus contrarium illi amori præcipiat, non derelinquet homo amare creaturam, & hic amor est illa perversa fruitio, in eoque omnis culpa versatur mortalis, nullum enim peccatum est, in quo appretiante homine creaturam, plusquam Deum, ut malus librator, creatura fruatur, pluris faciens creaturam, quàm ipsum Deum. Secundo negativè, diligens tantum creaturam propter se, id est, non referens actu creaturam in Deum, nec in ullum finem ulteriorem, sed non appretians ita creaturam, ut eam pluris faciat, quàm Deum; cum vel creatura, quam propter se amat, est honesta, vel non est turpis: si honesta est, interpretativè refertur in Deum: si non est turpis, compatitur cum ipso, & cum ejus amore stare potest, nec per talem amorem conquiescit in creatura, nec ei inhæret, ita ut maneat in illa, cum illa posita, adhuc secum habeat Deum, in cujus amore quiescit; amor ergo creaturarum, quæ propter se ipsas amantur, id est, vel propter utilitatem, vel propter delectabilitatem ipsarum, amor est, sed non fruitio; quia licet actu non referatur amor ille in Deum, est negativè, non positivè, cum enim sit actus indifferens non repugnat simul esse cum amore Dei, nec Deus offenditur, imo animus amantis ita affectus est, ut si sibi timeret de extinctione charitatis, creaturam ita non amaret.

Quæ doctrina fundamentum habet in Magni Augustini doctrina, loco allegato num. 304. pro probatione minoris, non enim ait, frui est amare creaturam propter se ipsam, sed *frui est inhærere creaturæ*, quid autem est inhærere creaturæ, nisi ita amare creaturam, ut ab ea non separetur, etiamsi cum ea non possit stare amor Dei? si enim cum illo amore Dei persistere potest creaturarum amor, jam non per istum amorem amans creaturæ inhæret, aliter si inhæreret, cruciaretur amans, si tali amore careret: ita fatetur Augustinus lib. de vera religione cap. 47. *Et earum amissione cruciabuntur, quibus fruendo utique lætabantur*: Unde ut cognoscamus affectum, & amorem creaturarum, an sit fruitio, videndum est, quo potius carebit voluntas, Dei, an amore creaturarum; qui enim fruitur creatura, dum amat, pro nihilo facit Dei amorem, quia plus diligit creaturam; in hac igitur appretiatione consistit illa fruitio. Audiamus Augustinum in Psalmum 144. ubi nos amando terrena non damnat, dummodo plus Deum amemus. *Ama & hæc, sed plus illum ama, & hæc propter illum.* Et lib. de mendacio cap. 7. *Ut autem animus corpori, ita etiam veritas animo proponenda est, ut ea non solum magis, quam corpus, sed etiam magis, quam se ipsum appetat animus*: inde præcipit quod amemus parentes, & uxorem, sed plus Christum. serm. 52. de tempore cap. 2. *Quando & humanitus diligis uxorem, sed plus dilige Christum: non dico, ut non diligas patrem, non dico ut non diligas filios, sed plus dilige Christum*: Et libro 21. de Civitate Dei, cap. 26. *Quicumque, non dico uxorem, cuius etiam commixtione carnis, ad carnalem utitur voluptatem, sed ipsa, quæ ab huiusmodi delectationibus aliena sunt nomina pietatis, humano amore carnaliter diligendo, Christo anteponit, non eum habet in fundamento*, &c. Et infra. *Verum qui has necessita-*

dines sic amat carnaliter, ut tamen eos Christo Domino non proponat, malitque ipsis carere, quam Christo, si ad hunc fuerit articulum tentationis adductus; per ignem salvus erit.

307. Quare non videri debet hæc nostra doctrina nova Yprensi, qui se adeò in Augustini doctrina versatum esse gloriatur; & irrefragabiliter ostenditur, quia nullum peccatum committitur juxta Yprensem, nisi provocante libidine, sive concupiscentia, idem enim est. Ita Yprensis tom. 2. de statu naturæ lapsæ lib. 1. cap. 1. §. *Ve igitur*, & lib. 2. toto cap. 24. ergo nullum sit peccatum, si temporalia spiritualibus non præponantur, & creatura creatori: optima, & vera est consequentia ex illo Augustini lib. de Mendac. cap. 7. sic libidinem definientia: Etenim libido quoque ipsa recte definitur: *Est appetitus animi quo æternis bonis quælibet temporalia præponuntur*: ergo si non præponantur temporalia æternis, non erit peccatum; cum ergo cum amantur creaturæ propter se ipsas, dummodo non sint illicitæ, nec malæ, nec amentur appretiativè, sed negativè non referantur ad Deum, non præponuntur temporalia spiritualibus, imo ut Augustinus numero 306. relatus dicebat, malit se carere tali amore, qui amat, quam Christo, proculdubio ille amor, nec erit fruitio, nec malus. Cætera quæ opponit Yprensis dissolventur dispot. 5. quando actus indifferentes in individuo dari ostendero.

TERTIA DIFFICULTAS.

Vtrum omnis motus appetitus circa illicita sit peccatum.

308. DIfficultate prima, dixi nullum motum appetitus esse peccatum, si ei non consentiat voluntas: in secunda docui, motus appetitus, posito consensu, non esse peccata, si versentur circa licita, licet appetantur propter propriam utilitatem, & delectationem. Nunc est specialis difficultas, an non consentiente voluntate, motus appetitus, eo solum quod versentur circa illicita, sint peccata? Et quamquam majori ex parte soluta sit præsens difficultas ex prima difficultate; tamen propter quosdam Theologos ulterius examinanda est.

Et respondeo, non esse peccata motus appetitus, qui circa illicita versantur. Est communis Theologorum sententia, quam testantur, & sequuntur Suar. 1. 2. tract. 5. disp. 5. sect. 6. num. 2. Vasq. disput. 106. cap. 3. Curiel. 1. 2. quæst. 74. art. 3. dub. 2. §. 2. Montesin. q. 5. §. 2. n. 4. Herrera disp. 33. de peccat. quæst. 4. §. 3. *conclusio*: Estque sententia D. Thom. 1. 2. q. 74. art. 3. Scoti in 2. dist. 42. q. 4. n. 19.

309. Probatur primo, quia ita videtur definitum in Trident. sess. 5. can. 5. definiente appetitum non nocere non consentientibus, quin potius utiliter plures per Christi gratiam appetitus illicitis motibus repugnare, quem textum, inter alios optime expendit Herrera. Secundo, ex variis locis Scripturæ sacræ, & sanctorum Patrum, quos præcitati Auctores efficaciter, & manifestè pro hac sententia expendunt. Augustini tantum locum profero ex lib. 1. de Nuptiis cap. 27. qui ex doctrina Pauli ad Roman. 6. ita docet. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, non enim ait, ad habenda desideria ejus, sed ad obediendum desideriis ejus, ut quoniam sunt in aliis majora, in aliis minora, prout quisque in hominis interioris novitate profecerit, in hoc agone justitiam pudicitiamque servemus, ut illis obediamus, ut tamen ne ipsa sint desideria, velle debemus, & si in corpore mortis hujus id obtinere non possumus*, &c. quæ late prosequitur.

310. Tertio ostenditur ex Concil. Trid. sess. 6. can. 18. de justificatione, ubi anathematizat docentes præcepta Dei esse ad observandum impossibilia, de quo in nostro Anti-Iansenio: atqui impossibile est, quod homo observet præceptum *non concupisces*; non solum circa omnes motus collectivè, sed etiam divisive sumptos: cum dentur motus primo primi, sive ex alteratione naturali, sive ex dispositione quatuor qualitatum, sive ex aliqua causa extrinseca circa organum, sive ex ipso appetitu per apprehensionem objecti causati, qui non sunt in nostra potestate. Confirmatur primo, quia appetitus non potest libere moveri à voluntate, nisi supposita advertentia rationis, quam isti motus prævenientes subito aggrediuntur. Secundo, quia jam ex opposito, & lectores, & confessores peccarent, dum similibus motibus quatiuntur, vel legentes libros necessarios, vel confessiones audientes, quod falsum omnino est.

311. Non tamen defuerunt Doctores, qui prædictos motus culpabiles esse asseverarunt, varias imaginantes causas, ob quas etiamsi desideretur consensus voluntatis, absque illo tales motus peccata forent. Primo Henricus Gandavensis quodlib. 6. quæst. 32. Omnes motus etiam primo primos appetitus, esse voluntarios, non eo quod appetitus liber sit, sed ratione peccati patrati à primo parente, in quo omnes homines peccaverunt, & hac de causa omnes, esse peccata: sed diverso modo esse peccata in renatis per baptismum, ac in non baptizatis, in his enim sunt peccata imputabilia ad culpam, & pœnam: in illis solum dicuntur peccata secundùm turpitudinem, & deformitatem, non verò secundùm culpam.

312. Secundo Alensis, Bonavent. Altisiod. Albert. Magn. & Cajet. omnes motus appetitus esse peccata, saltem venialia arbitrantur, prout refert Vasqu. cit. cap. 1. vel quia liberi sunt libertate propria appetitus, ut voluit Cajetanus supra numero 276. vel quia liberi sunt ex libertate voluntatis negligentis reprimere prædictos motus.

313. Tertio D. Antoninus, Bergomens. Conrad. Gerson, & alii, tenent motus appetitus causatos ex alteratione, vel dispositione quatuor qualitatum, non esse peccata, peccata tamen esse, si suboriantur ex apprehensione imaginationis: dummodo illa apprehensio sit objecti absentis, nam motus ex apprehensione inopinati & præsentis objecti, non potest esse peccatum.

314. Verum nulla harum opinionum probabilis est: non prima Henrici, quæ erronea est, & contra Tridentinum cit. ut bene probat Vasques cap. 1. §. *Hac sententia*: & quia jam absque propria voluntate, motus ideo essent peccata propria, quia pœnalia sunt, quod fuit error Yprensis, ut in Anti-Iansenio lib. 1. part. 2. cap. 1. & toto libro 2. ostendo. Dices: Isti motus originem ducunt à peccato originali: atqui originale contrahitur voluntariè ratione primi parentis; ergo etiam motus erit voluntarius sufficienterque liber ad peccatum, ratione ejusdem. Respondetur negando consequentiam: sunt enim tantum pœnæ, quas patitur humanum genus ratione peccati originalis, ut etiam mors subsecuta fuit, & est in pœnam peccati, inde nec in dormientibus, ebriis, amentibus, & pueris sunt peccata, licet sint orta ex primi parentis peccato.

315. Non etiam secunda sententia est probabilis: Tum quia tales motus non sunt liberi libertate propria, ut contra Cajetanum dixi supra à num. 271. tum quia multi sunt motus appetitus sensitivi, quos reprimere vult voluntas, & non potest, ut bene docuit Augustinus datus n. 301. & lib. 2. de dono perseverantiæ cap. 8. *Ubi frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum effusio mentem occupat, ut quod studeas evitare, hoc cogites, animoque volvas, quod cavere difficile est homini, exuere autem impossibile.* Sequitur D. Thom. 1. 2. q. 74. art. 3. ad 2.

316. Dices: Licet voluntas impedire non possit omnes motus collective sumptos, potest tamen eos divisive impedire; ergo cum possit quilibet impediri à voluntate, & non impeditur, quilibet erit peccatum. Probatur antecedens, exemplo tentationis, & peccatorum venialium, ideo enim imputantur ad culpam, quia licet voluntas nequeat omnes tentationes, & venialia peccata vincere, potest tamen singulas tentationes, & singula venialia superare. Respondetur, nego consequentiam, quia licet possent esse peccata illi motus, quos potuit reprimere voluntas, & non repressit, non tamen peccata esse possunt motus, qui extra voluntatis potestatem sunt, cum & præveniant rationem, & repente irrepant. Vide D. Thom. 1. 2. q. 154. art. 3.

317. Tertia sententia, etiam improbabilis est ex eadem ratione, quod scilicet non sint in potestate voluntatis. Dices primo cum Soto: Licet motus primo primi non sint culpabiles in illo primo instanti, in quo eliciuntur, & præveniunt rationem, erunt peccata in continuatione, tempore scilicet sequenti. Respondetur, sic accidere aliquando, non tamen semper, cum sæpissime etiam illa continuatio præveniat, & subvertat rationis usum. Dices secundo cum Conrado, Apprehensio objecti absentis non prævenit rationem. Respondetur, nego antecedens, ut subita recordatio injuriæ ab absente inimico factæ, vel repentina memoria absentis & præteritæ pulchritudinis.

SUBSECTIO SECUNDA.

De consensu in materia castitatis.

Speciales difficultates involvit materia castitatis in consensu motuum, qui in appetitu sensitivo insurgunt, licet enim non omnis consensus circa alias materias sit peccatum, est maxima difficultas, utrum in materia castitatis nullus sit consensus, qui peccatum non sit; & cum duplex sit consensus, formalis, & virtualis; constat apud Theologos consensum formalem satis esse ad peccatum, simul & consensum virtualem, quo quis vult causam, ex quo necessario effectus sequitur, ut si quis consentiat propinationi veneni, ex quo mors sequenda est: est ergo quæstio de consensu quodam virtuali negativo, quo quis in peccatum, verbi gratia, in motum sensualem consentire non vult, attamen merè negativè se habet, non ejiciens quantum potest illam delectationem, de hoc consensu potest esse dubitatio simulque an in illa materia castitatis possit dari consensus, qui non sit peccatum mortale; quod per sequentes difficultates expediam.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum non resistere motibus appetitus, sive consensus negativus, sit peccatum mortale?

318. Est quæstio; Utrum peccet mortaliter, homo, qui cum possit, non resistit motibus illis, sed merè negativè se habet? Certum est, & communiter à Theologis receptum, non teneri hominem resistere dictæ delectationi, & motui, si detur rationabilis causa propter quam homo non resistat quantum potest. Causa duplex esse potest. Prima, si quis probabiliter timeret, ex resistentia augendam potius delectationem, quam minuendam: Secunda, si propter ejiciendam prædictam delectationem, & illius resistentiam habendam, omittenda esset aliqua honesta causa, utilis & necessaria, absente semper consensus periculo, semper enim loquimur in hoc sensu.

319. Procedit ergo quæstio: Utrum quispiam teneatur sub peccato resistere, & ejicere motum illicitum. Dico primo; non tenetur sub mortali; ita cum D. Thoma, Bonavent. Soto, Medina, Navar. Corduba, Angelo, Toleto, docent Lorca de peccatis, disp. 28. memb. 2. Granad. 1.2. tom. 2. contr. 6. tract. 4. disp. ultima num. 2. Rodriguez in Summa cap. 211. num. 2. in secunda editione, probabilem dicit Salas, 1. 2. tract. 13. disp. 6. sect. 5. num. 25. certam metaphysice, & speculative, Sanchez 1. Decalogi lib. 1. cap. 2. numero 13.

320. Probatur primo, ex illo Ecclesiastici 8. num. 30. *Post concupiscentias tuas ne eas*, in quibus verbis continetur præceptum *Non concupisces*: atqui solum prohibetur consensus formalis in illis verbis *ne eas*, nam post concupiscentiam non itur, nisi consentiendo: cui cohæret Paulus ad Roman. 6. numero 9. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis vestris*; in quo loco prohibetur obedire concupiscentiæ, non vero habere concupiscentiam, ut Augustinus datus num. 309. explicavit. Secundo, quia peccatum delectationis, debet esse consentiendo: nam delectatio, cui non consentimus, non imputatur ad culpam, de quo late prima, & tertia difficultate: estque vulgaris doctrina Augustini.

321. Tertio, quia qui præbet causam culpabilem motibus sensualitatis circa objectum grave, absque periculo consensus, non peccat mortaliter; ergo nec similiter peccatum mortale committet non resistens, & tantum habens se merè negativè circa similes motus: non enim magis peccare debet, qui malum non impedit, quam ille, qui eidem causam culpabilem præbet. Antecedens probatur, qui dedit causam verbis jocosis, aspectuive immoderato feminæ, prævidendo insurrecturos motus sensualitatis, non peccat mortaliter, ut docent Sa verbo, Luxuria num. 9. Vasqu. disp. 108. cap. 3. Sayro in clavi Regia lib. 8. cap. 7. dub. 2. §. *quadam*; ex ea ratione quod cum sint hujusmodi causæ frequentissimæ, foret eas evitare onus non solum insupportabile, sed veluti impossibile.

322. Quarto, quia sequeretur homines habere obligationem sub mortali impediendi famem, & appetitum, vel per aliquam medicinam, vel per aliquod remedium, quando urget jejunii præceptum, si quidem illa appetitio, est sensualitatis motus, qui versatur circa objectum gra-

viter prohibitum, cum sub mortali prohibeatur: Sequela autem est falsa; ergo & illud ex quo sequitur non erit verum. Propter quæ prædictam conclusionem in terminis metaphysicis, & speculativis judico probabiliorem opposita; quo non obstante, statuo non esse consulendam in praxi ob periculum majoris damni, & nocumenti: sed si quis ea utetur, non erit habendus ut peccati mortalis reus.

323. Contra sentiunt communiter recentiores Sayro in clavi lib. 8. cap. 7. dub. 1. numer. 7. Suar. t. 2. tract. 5. disp. 5. sect. 7. numer. 19. & tom. 1. de gratia lib. 1. cap. 24. numer. 41. Vasq. disp. 104. cap. 1. numero 1. disp. 108. cap. 2. Zumel t. 2. qu. 75. art. 8. disp. 2. conclus. 2. Lessius de virtutibus lib. 4. cap. 3. dub. 15. Becan. 2. part. Summæ tract. 2. q. 5. n. 5. & alii.

Primo, quia præceptum negativum, non solum prohibet consensum actus, sed etiam permissionis; ergo homo tenetur non solum non consentire motibus illicitis appetitus, sed etiam non consentire, ut permittantur; consentit autem, si non resistit, sed tantum negativè se habeat. Antecedens probatur exemplis. Primo, quia eodem actu, quo, quia tenetur non occidere, si potest, etiam tenetur impedire mortem proximi: Unde si ille homo excitaretur ad occidendum, teneretur non solum non consentire occisioni, sed etiam resistere per voluntatem, ne consentiret prædictæ occisioni. Secundo, si femina, cui vis infertur, non resistat, etiam periculo consensus ablato, peccat mortaliter. Tertio, Prælatus non impediens subditi peccatum, graviter peccat; ergo ex eo, quia non solum tenentur non consentire actui, sed etiam non consentire ut fiant, quod absque resistente voluntate non fit.

Respondetur, distinguo antecedens, eodem modo nego: diverso, concedo: nam consensus formalis prohibetur sub mortali; permissio, & non resistentia solum sub veniali; præsertim si talis permissio, & non resistentia detur cum displicentia efficaci voluntatis, & ex contemptu prædictorum motuum habita; cum enim tales motus de se, & absolutè non sint mali moraliter, nec imputabiles, nec ita efficaces, ut suppono, ut cogant voluntatem ad consensum, non est cur sub mortali teneatur voluntas eos impedire, eisque efficaciter, & positive resistere.

324. Ad probationem respondeo. Ad primum exemplum, distinguo antecedens, eodem modo, nego: diverso, concedo: non enim eodem modo obligat illud præceptum ad non occidendum, atque ad non permittendam occisionem: permissio enim sine peccato fieri potest, non occisio, dummodo permittens non incitet ad occisionem, jam enim non foret permissio tantum; eo modo, quo princeps permittit in suo regno meretrices, quin peccet mortaliter. Ad secundum nego antecedens, sed difficile est intelligere, quo pacto vi, & violen æ non resistens femina, eximatur à peccato, cum moraliter impossibile sit, quòd non detus periculum consensus; hoc enim in illa materia, & circumstantia probabile est, & solum præsumptuosè non dari asseritur. Ad tertium, nego consequentiam, datur enim diversa ratio in Prælati permissione, quia subditus elicit actum elicitum ad culpam imputabilem, & de se efficacem, ut executioni mandetur, & ideo in Prælato datur gravis obligatio eum impediendi: motus verò appetitus sensitivi sunt tantum mali objectivè & inefficaces, quoad operis exercitium, & à voluntate dependentes quoad consensum.

325. Secundo, quando in appetitu sensitivo datur motus circa objectum luxuriæ, si voluntas non ei dissentiat per actum, & consensum positivum, sed tantum merè negativè se habeat, elicit consensum positivum; ergo peccat mortaliter, si quidem positivè consentit. Antecedens ostenditur, quia quando appetitus fertur in delectabile objectum, in idem ob sympathiam utriusque potentiæ, fertur voluntas. Respondetur, distinguo antecedens, si in voluntate detur displicentia efficax de motu appetitus, nego: si non detur, concedo: quando enim datur formalis & actualis displicentia ex parte voluntatis, non potest dari consensus interpretativus; eo quod talis consensus oppositus sit displicentiæ, consensus enim interpretativus colligitur ex animo, cum autem animus sit efficax non consentiendi, ex eo nullus consensus colligi potest formalis, cum displicentia efficaci non persistit.

326. Tertio, ejusdem rationis est agere, quando non oportet, & non agere quando oportet: sed primum est peccatum mortale; ergo & secundum. Respondetur, distinguo majorem: interveniente æquali obligatione, concedo: non interveniente, nego: cum igitur illa non sesistentia præcipiatur tantum secundum quid, non erit peccatum mortale non sesistere prædictis motibus.

327. Dico secundo: Voluntas se habens negativè, peccat venialiter. Ita Salas sect. 9. ex Medina, Soto, & Michaële de Palatiu. Sanchez n. 13. Non improbabilem esse hanc sententiam docet Malderus, t. 2. q. 74. art. 10. §. *Quoad consensum.* Probatur, quia quando sensualitas versatur circa objectum pravum, quamquam non consentiat voluntas, totus homo dicitur concupiscere, eo quod denominationes fiunt suppositorum; ergo licet defectu formalis consensus, homo non peccet mortaliter, peccabit venialiter. Consequentia patet, quia prædicti motus ex objecto pravi sunt & liberi, supposita advertentia rationis & voluntatis potestate ad eos reprimendos; ergo si non reprimantur, dabitur aliqualis deordinatio, saltem venialis, non enim præceptum negativum prohibet tantum consensum actus, sed etiam permissionem, cum sit formaliter negativum, & virtualiter affirmativum, & qua negativum obligat, pro semper: qua affirmativum, pro illo tantum tempore, quo datur delectatio; quæ cum levis sit, tantum sub veniali obligabit.

328. Oppositum docuerunt Alensis, & S. Bonaventura apud Salas disp. 6. sect. 1. num. 3. Lorca disp. 18. de peccatis membro 2. §. *Non est tamen*, affirmantes nullum esse peccatum illam non resistentiam. Quia habere se negativè circa alios motus, non est peccatum, etiam veniale; ergo nec circa motus luxuriæ. Antecedens patet in appetitu famis, & sitis Respondetur, nego consequentiam: diversa ratio est, quia in aliis motibus à luxuriæ motu diversis, datur ad minus duplex causa, quæ eos à peccato excusat. Prima est difficultas magnæ considerationis circa reprimendos tales motus: Secunda utilitas aliqua spiritualis, quæ ex prædictis motibus oritur propter causalitatem, quam in supposito causant, cum enim obligante jejunio ex illis appetitus motibus circa famem, & sitim domietur caro, licitum erit tales motus permittere: hæc autem duplex causa non datur in motibus circa castitatem.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Vtrum consensus tepidus, vel dubius sit efficax ad peccatum?

329. SUppono, quod non sit peccatum mortale illa non resistentia qua voluntas se habet merè negativè circa motus illicitos: supersunt duo dubia. Primum sit, utrum si voluntas tepide se habeat in resistendo, peccet mortaliter? Respondetur negativè, Ita, Sanchez 1. Decalogi cap. 1. num. 15. cum Navarro, & Ledesma: quia voluntas tepide se habens absolutè resistit & vincit; ergo solus modus, quò se habet, nimirum, tepide, culpari potest: atqui hic modus non satis est ad peccatum mortale; ergo, &c.

330. Intelligenda tamen est resolutio, dummodo absit periculum consensus: quia si consensus prævideatur futurus, semper est peccatum mortale: efficax enim, vel inefficax voluntatis displicentia, non satis est, ut avertat periculum, stante autem periculo peccat mortaliter, qui ab illo se non avertit.

331. Secondum dubium, utrum si voluntas, proposito objecto, cum quasi æqualibus rationibus, maneat anceps, & dubitet, debeatne consentire, an non consentire, præstans consensum peccet mortaliter? Respondetur affirmativè, si tentatio sit de re mortali: ita Sanchez numer. 16. quia jam voluntas æquali appretiatione se habet erga honestatem, ac turpitudinem objecti, erga Deum, & creaturam, cum non obstante dubio, assensum præstet motui turpi, qui enim sic assentitur dispositus est ut assentiatur prædicto motui, etiam si sciret certo esse turpem.

332. Si quæras, quo modo discernendus sit consensus imperfectus à perfecto? Respondetur, si dubitans an consensus sit perfectus, fuerit homo timoratus, & bonæ conscientiæ, censetur quod ille consensus, de quo dubitat, non sit perfectus: si fuerit deperditæ vitæ, censetur quod sit perfectus; ita Sanchez num. 22. cum Medina, & Sayro: Ratio est, quia vir timoratæ conscientiæ odit peccatum, unde si illud admisisset, facile peccatum discerneret: vir autem deperditæ vitæ, cum facile in peccata prolabatur, sæpe non dubitat; quod si dubitet, credendum est peccato consensisse.

TERTIA DIFFICULTAS.

Vtrum omnis consensus circa tactus activos in materia luxuriæ sit mortale peccatum?

333. CUm in omnibus vitiis detur materia levis; cujus consensus non excedit gravitatem peccati venialis, vertitur in dubium, an in materia luxuriæ reperiatur materia levis circa tactus, cui consentire sit tantum veniale peccatum? & non est dubium de omnibus tactibus rerum turpium, sed de illis tantum, qui exercentur, habita tantum præcisè delectatione, quin ulterius progrediantur, & quin intercedat pollutionis periculum, nam de tactibus libidinosis, qui ex intentione tangentis ad copulam ordinantur, constat esse peccatum mortale, eos vero qui inter consanguineos, & parentes ex usu terræ, vel amore naturali habentur, nullum esse peccatum: restat ergo quæstio de illis, in quibus solum præcisè datur delectatio, & remoto periculo consensus, utrum illa delectatio venerea peccatum mortale sit?

Respondetur, ubi primum delectatio venerea voluntaria est, peccatum mortale est: & per consequens in materia castitatis, non datur materia levis circa tactus activos; ita D. Thomas de malo, quæst. 15. artic. 1. ad 8. Vasq. disput. 109. n. 5. Valen. 2. 2. disp. 9. quæst. 3. punct. 3. §. *Si autem.* Lessius libro 4. cap. 15. dub. 8. numero 59. Sa. verbo *luxuria*, Azor libro 4. cap. 6. quæst. 11. Toler. in Summa libro 5. cap. 14. & communiter Doctores.

334. Probatur primo, quia data perfecta advertentia, & deliberatione, in quacumque quantitate sit delectatio venerea, secum defert complacentiam finis mortiferi; ergo mortalis erit, cum malitia ex fine desumatur, ut si quis feriat inimicum suum animo illum occidendi, mortaliter peccat, non obstante vulneris quantitate, propter malitiam contractam ex intentione finis. Antecedens patet, quia commotio illa suapte natura ordinatur ad pollutionem.

335. Dices: Ille qui leviter tangit fœminam, non vult ad fornicationem pervenire; sed contra, quia motus, & commotio illius humoris ex se ordinatur ad fornicationem; ergo qui ex illo motu delectationem capit, fornicationem virtualiter vult, imo volendo delectationem formaliter, pollutionem vult inchoatam. Confirmatur, quia illi tactus, & amplexus, impudicitiæ quædam sunt: sed omnis impudicitia juxta Apostolum ad Galatas 5. homines ab ingressu regni cœlorum excludit; ergo erunt peccata mortalia.

336. Probatur secundo, quia sequeretur ex opposito, etiam exiguam pollutionem esse veniale peccatum. Patet sequela, quia delectatio de pollutione ex eodem nascitur principio, & ejusdem est rationis.

337. Dices: In quacumque pollutione non posse dari parvam delectationem. Sed contra præsupponamus, Socratem ita esse complexionatum ut minorem ex illa pollutione capiat delectationem, quam alius ex tactu capiat. Tunc sic: si delectatio de tactu, non est mortifera, nec etiam de pollutione, cum major delectatio ex amplexu, quam ex pollutione capiatur; cum ergo semper delectatio de pollutione peccatum sit mortale, etiam delectatio de tactibus, amplexibus, osculis, & similibus, peccatum erit mortale, cum sit & copulæ, & pollutionis inchoatio.

338. Quapropter hæc resolutio in praxi, ita est certissima, ut opposita doceri non debeat, nec aliqualiter consulenda, ut rectè notavit Malderus 1. 2. quæst. 74. artic. 1. post medium, §. *Vtraque sententia*: an verò sit probabilis speculativè propter auctoritatem Doctorum, judicabunt alii.

Contrariam enim sententiam docuerunt plures Doctores, asserentes delectationem voluntariam de levibus tactibus solum esse peccatum veniale. Ita Martinus de Magistris de temperantia, qu. 3. de luxuria: Umbertus in expositione Regulæ S. Augustini, Javellus lib. de Philosophia Christiana 2. p. tract. 7. cap. de impudicitia, num. 10. Gabriel. in Canone Missæ lect. 74. littera E. Armilla verbo *impudicitia*, numer. 1. Margarita confessorum præcepto 6. fol. 90. Viguerius in Institutionibus cap. 7. §. 5. Sotus de doctrina Christiana fol. 19. ex recentioribus Navarrus in cap. *Si cui.* de pœnitentia dist. 1. num. ultim. Rodriguez in Summa tom. 1. editione 2. cap. 203. num. 8. Sanchez tom. 3. de Matrimonio lib. 9. disp. 46. n. 9. Salas 1. 2. tract. 13. disput. 6. sect. 21. Granad. 1. 2. contr. 6. tract. 4. disp. 6. n. 12. disp. 7. n. 6.

339. Probatur primo, quia parvitas materiæ in aliis præceptis excusat homines à peccato mortali; ergo & in præcepto castitatis à prædicto excusabit. Probatur consequentia, quia Legislator idem est, virtus autem castitatis aliis virtutibus non est excellentior. Respondetur, negando consequentiam: diversa ratio est periculum consensus, qui in materia castitatis semper datur saltem virtualis: semper enim actus inchoatus contra castitatem per se ad actum completum ordinatur, & est illius inchoatio, si quidem motus feminis intra venas natura sua continuatur cum pollutione externa, quæ continuatio in aliis vitiis à luxuria distinctis non reperitur.

340. Secundo, objectum castitatis suscipit magis & minus; major enim intemperantia est bestialitas, quam Sodomia, & hæc quam adulterium, adulteriumque pejus est, quam sit fornicatio simplex, & hæc pejor, quam libidinosus tactus; ergo ita delectatio potest decrescere, ut secundùm prudentem æstimationem fiat materia levis. Respondetur negando consequentiam: Licet enim divisibile sit, suscipiatque magis & minus; numquam tamen ita diminui potest, ut maneat materia levis, & sit veniale peccatum.

341. Tertio, tactus prædicti solum sunt dispositiones remotæ ad peccatum mortale; atqui dispositiones remotæ in aliis materiis, sunt tantum peccatum veniale; ergo & tactus. Respondetur, negando majorem: cum teste experientia, ita proxime causent pollutionem, ut nullo intermedio proxime disponant hominem ad pollutionem.

342. Quarto, si isti tactus forent peccata mortalia intrinsece, & solum ex matrimonio honestarentur, nullatenus extra matrimonium forent peccata venialia: atqui hoc probatur esse falsum ex amplexibus, osculis, & tactibus inter sponsos per verba de futuro, habitis, quos esse peccata venialia constat; ergo absolutè non sunt intrinsece mali. Respondetur, negando minorem: sponsalia enim, cum sint matrimonium inchoatum honestant illas inchoatas pollutiones, sicut matrimonium consummatum honestat, de quo videri potest, Sanchez numero 48. Granad. disput. 7. numero 4.

343. Ex nostra resolutione colliges primo in omni opinione tactus immediatos circa fœminæ, aut viri pudenda esse peccatum mortale: de quo Granado citata disput. 7. num. 5. qui idem affirmat de tactibus circa ubera, dum prædicti tactus fiant ob delectationem veneream & illis consurgentem: secus dicendum si ex levitate, & joco absque animo turpi habeatur.

344. Secundo, non esse peccatum mortale magna cum suavitate exosculari infantes, id enim non provenit ex delectatione venerea, sed ex tenerrimo erga infantilem ætatem amore. Tertio, esse peccatum mortale obscœnas brutorum partes confricare. Quarto, omnes tactus, quicumque illi sint, captos ob delectationem veneream, esse peccatum mortale, à quo excusabuntur, si ex levitate, joco, aut necessitate fiant.

QUARTA DIFFICULTAS.

Utrum delectatio circa tactus passive habitos, sit peccatum mortale?

345. Dico primo, quando fœmina à viro aliquo tangitur, & ex parte fœminæ datur periculum consensus, tenetur fœmina sub mortali omnem tactum, sive licitus sit, sive illicitus, evitare, sive publicè, sive secreto fiat: quia propriæ animæ salus, omnibus aliis, & vitæ, & famæ, ac honoris, rebus ante ponenda est.

346. Dico secundo: Si fœmina tangatur à viro, & nullum detur periculum consensus ex parte fœminæ, potest fœmina hujusmodi tactus pati, quamquam ex eis aliquam capiat delectationem, ita Salas sect. 14. num. 126. ex eo quod ibi detur causa rationabilis, dummodo tactus non sint impudici, nec cum libidine fiant, hos enim sub mortali tenetur fœmina vitare: imo si liciti sint, sed libidinosè fiant à viro, si secreto, eos evitare sub mortali tenetur fœmina, & sub eodem si fiant in publico, si sine infamia possit fieri talis evitatio, ita cum multis doctoribus Salas n. 129. Nam quando sine nota proprii honoris & famæ, non potest fugere, ad fugam illam non obligatur: ut etiam ab omni obligatione libera est fœmina, si fugere non possit absque dedecore & infamia tangentis, ita tamen, quod tangens sit auctoritatis personæ; si quod Deus avertat, fuerit superior, parochus, religiosus.

347. Dico tertio: Quando tactus sunt honesti, & fœmina judicat eos fieri à viro per jocum, ut cum saltant, vel choreas ducunt, solum sub veniali fœmina tenetur illos evitare, eo quod tangens venialiter tantum peccat.

Dico quarto: Quando tactus ex suo genere sunt impudici, & publicè fiunt, habet fœmina obligationem illos vitandi, cum quacomque tangentis nota: qui enim publicè impudicus est, non potest graviter infamari, & si tangens suo non consulit honori, imo publicè suam famam devenustat, nulla ratione debet fœmina tangentis famæ occurrere.

348. An si fœmina dubitet, sint ne illi tactus libidinosè facti, teneatur cum damno tangentis eos evitare? Respondetur negativè, quia nemo propter dubium malum, tenetur certam injuriam proximo inferre.

QUINTA DIFFICULTAS.

Utrum delectatio circa visum, & auditum rei turpis sit peccatum mortale?

349. Dico primo: Delectatio de aspectu fœminæ, vel rei turpis non est peccatum mortale, nisi res, quæ videtur, sit maxime turpis, & detur scandalum: ita Sanch lib. 9. de matrimon. disp. 46. num. 13. Salas tract. 13. disput. 6. sect. 14. num. 156. Prima pars constat, quia aspicientes brachium faciemve fœminæ, aut partes obscœnas, & concubitus brutorum non ita graviter commovent spiritus genetativos, ut tactus, ideo illi aspectus non ita ordinantur ad pollutionem: quod tamen intelligi debet de aspectibus, qui ad ulteriorem finem malum non ordinantur. Secunda ostenditur, quia aspicere verenda fœminæ, etiam subtilibus vestibus cooperta, aut ejus concubitum, non solum graviter honestati repugnat, sed etiam fortiter provocat ad luxuriam.

350. Dico secundo, Licitum est aliquando turpia loqui, scribere, & audire, de talibusq; delectari, dummodo, nec res sint maxime turpes, nec de eis intendatur delectatio, sed tantum necessitate compulsi proferantur. An satis sit ad hoc ut sit licitum proferre, audire, aut scribere res turpes ex levitate, joco, aut aliquo fine honesto? affirmant Sanchez num. 34. Salas sect. 14. num. 161. Granad. disp. 7. num. 7. ego non video sufficientem causam esse honestandi illos actus.

351. Ex dictis colligitur primo, cum Sanchez

num. 40. eum, qui comædias componit, & repræsentat absque ulla necessitate, & utilitate magna, peccare mortaliter: non enim non potest esse gravis causa, & mortalis exponere tot legentes, & audientes periculo peccandi; quod limito de comædiis lascivis, & quæ amores tractans, nam comædiæ sacræ, quæ absque ullo prophano amore, aut licentia componuntur, de actis, vitaque Sanctorum, non possunt esse materia peccati, cum subserviant persæpe ad reformandos mores, & fidem constantissime tuendam. Colliges secundo è fortiori peccare mortaliter, qui cantilenas lascivas componit. Eleganter Donatus commentans locum Terentii, Act. 3. Scena 5. ita, quid respublica Christiana debeat lascivis poëtis exposuit: *Philosophicè nunc Terentius demonstravit quam cladem moribus hominum, & civitatibus afferant figmenta poetarum cum exempla scelerum peccaturis.*

352. Tertio colliges, scribentes, aut interpretantes libros turpes plenos lasciviis, maxime ad luxuriam excitantibus, delinquere mortaliter: ideoque eorum lectio & retentio prohibetur sub mortali in Indice expurgatorio, de quo Gersetus lib. 1. de jure prohibendi libros malos cap. 28. fol. 113. Quare ne talis librorum pestis grassetur, in ruinam fidelium debent, & tenentur animadvertere superiores, quibus jus prohibendi incumbit: sunt enim *flumen tartareum*, ex Augustino 1. Confessionum cap. 16. *siliqua porcorum*, ex Hieronymo epistola 14. *& sepulchra concupiscentia*, epistola 127. mansione 13. *Sirenum carmina*, ex S. Basilio orat. de libris Gentilium: Paulino epist. 38. *immolatio Dæmonum*, ex Isidoro Hispalensi libro 3. de summo bono cap. 13. ideo prædicti scriptores in inferno tormenta sentient, etiam pro peccatis, quæ legentium animæ ex talium librorum lectione traxerunt, & nonnullis placet, quod quoties in sæculo, quis perit ex lectione impuri libri, nova damnato accrescat pœna, etiamque accrescere si auctor fuerit in Purgatorio, sed de hoc videndus est Theophilus Raynaudus in erotematis de malis ac bonis libris: partione prima, erotemate 7. ubi num. 64. ex Colveneiro ad librum 2. Cantipratani cap. 49. Cardeno libro 4. de Sapientia: Catharenino, opuscul. in malos libros; Laurentio Gambara lib. in obscænos poëtas, docet non minus à libris obscænis; quam ab hæreticis damnum imminere; imo flammis addicendos esse, Lutherana secta infectus Gregorius Fabricius constanter admonet, in præfatione ad suam poëtarum Christianorum lectionem.

353. Idem est judicium de pictoribus, qui tempus male perdunt in depingendis turpibus, velut venerem nudam, etsi tenui veste coopertam, aut lascivam mulierem, aut virum, vel habitu, vel gestu, vel actu ad luxuriam excitantem; Flammis addicendi erant cum suis imaginibus, plus enim nocent turpia ex aspectu, quam ex lectione; cum enim oculi sint in amore duces, fenestraque per quam ingrediuntur celerius objecta, adeo turpia animas intuentium corrumpunt; & ideo in eos, & eorum imagines severissima pœna animadvertendum erat: quod si non fiat animadversio gravis, ab eis, ad quos correptio morum spectat, credo, quod experientur Deum judicem severissimum; qui ab eis expostulabit rationem tot peccatorum, quot imagines illæ pepererunt.

354. Colliges quarto, etiam mortaliter peccare eos, qui choreas turpes, & impudicas ducunt, quo crimine etiam tenentur rei, qui illas vident ob delectationem turpem: quo loco, lamentari non desinam præsentis temporis licentiam, videntur enim sub colorato titulo omnia turpia licere, si quidem videntibus, & consentientibus superioribus, non solum in foro, & plateis, sed in ipsis templis, & coram venerabili, tremendo, sanctissimoque Sacramento altaris, similes exercentur saltationes, & choreæ, quin alicui veniat in mentem ea severitas, qua Christus Dominus licitas actiones prohibuit, & punivit, flagellis cædens, & ementes, & vendentes; quid si videret puellas lascivè saltantes? sed sileat lingua, quod emendare non potest, & suppressus dolor ignorantiæ deputet, quod detestandum erat.

355. An exerceri possint solum cum culpa veniali ob aliquem finem, curiositatem, videlicet, jocum, recreationem; affirmant plures: quibus ego numquam subscribam, eo quod maximo excitent ad luxuriam, nimiam etenim cautelam expostulat materia castitatis, eo quod ei oppositum vitium adeo lubricum sit & hominibus naturale: quod si extra Ecclesiam illi Doctores censeant exercitium, & visionem prædictarum chorearum esse solum peccatum veniale, non damno assertionem, quam omnino damnarem, si id asseverassent etiamsi fierent in templo.

SEXTA DIFFICULTAS.

Utrum consentire causa delectationis sit peccatum?

SUppono consentire causæ turpi & illicitæ esse peccatum mortale: ideo quæstionem procedere de consensu in causam honestam, vel indifferentem, pro qua

356. Dico primo: Consentire causæ honestæ, ex qua prævidentur per se insurrecturi motus sensualitatis cum periculo consensus, sufficit ad peccatum, quod erit, vel mortale, vel veniale secundùm gravitatem materiæ, ex eo principio, amans periculum, seu se exponens periculo in illo, peribit: inde nullo modo excusari possunt à peccato confessores, qui in audiendis confessionibus se exponunt periculo consentiendi.

357. Dixi *per se*, nam si illi motus sensualitatis per accidens ex causa honesta insurgant, non peccat volens prædictam causam: ut docet Vasques 1. 2. disp. 108. cap. 3. §. *Deinde*: sunt enim illa motuum malitia tantum objectiva est; ideo illorum resistentia solum obligat sub veniali: atqui posita causa honesta aufertur talis obligatio; præsertim, quia in admittenda, & exercenda causa honesta, homo utitur jure suo.

358. Pro solutione argumentorum, quæ fieri possunt, notandum est primo, quasdam actiones esse ex se proportionatas ad excitandos motus sensualitatis, ut lectio, auditio, & locutio rerum turpium, tactusque non libidinosi, ut est amor honestus, lætitiaque in adventu felici amici: quasdam verò ex se non esse proportionatas ad hos motus producendos, qualis est, actio videndi prata, ex qua aliquis in se ipso motus experitur.

359. Secundo ex his actionibus quasdam habere honestatem simpliciter, & votum illius, cum sit majoris boni, esse validum: quasdam, vero habere honestatem secundùm se tantum, quarum omissio perfectius bonum est, & illarum votum irritum: ut votum de matrimonio, cujus materia, licet secundum se honesta sit, honestior tamen est vita continentis, quam prædictum votum impedit: actionũ secundum se tantum honestarum exercitium, si non fiant propter aliquam honestatem spiritualem, semper fiunt cum peccato veniali, non tamen exercitium actionum simpliciter honestarum, ex quibus notatis solvuntur

omnia

omnia fundamenta Navarri in Summa cap. 19. n. 15. Graffii 1. part. decis. cap. 77. Azor. p. 1. instit. moralium lib. 4. cap. 6. q. 5. §. *ut propositum*, docentium actionis honestatem non sufficere ad honestandos prædictos motus.

360. Dico secundo, consentire causæ honestæ, ex qua per se prævidentur insurrecturi motus in appetitu absque periculo consensus, si consentiatur causæ absque ulla necessitate, & utilitate, non excusari à veniali: ita Navarr. Graffius, Azor. citati sup. Suar. 1. 2. tract. 5. sect. 7. n. 21. Becan. 2. p. Summæ tract. 2. cap. 5. n. 6. Sanchez tom. 1. Decalogi c. 2. n. 12. Sayro in clavi Regia lib. 8. c. 7. n. 4. Probatur, quia magis voluntarius est effectus procedentis ex causa per se, quam ex causa per accidens; ergo cum ille homo prævideat ex causa insurrecturos per se motus sensuales, peccat volens causam: probatur consequentia, quia vult malum, quod per se videt causandum ex causa quam ipsemet applicat.

361. Dixi: Si absque ulla necessitate, & utilitate volita sit causa illa honesta, nam utilitas, & necessitas possunt excusare illum consensum à peccato veniali, ut communiter docent Theologi. Videatur Granado tom. 2. in 1. 2. cont. 6. tract. 4. disp. 6. n. 7. Probatur: Prædicti motus tunc sunt voliti in causa; ergo si quis illos appetat ex utilitate, & necessitate causæ honestæ, non censebitur velle ipsos motus. Primo, quia Deus non peccat, producens voluntatem creatam, quam prævidit futuram tot peccatorum officinam. Secundo, quia fœmina, quæ ornata è domo discedit causa solummodo placendi marito, etiamsi prævideat fore, ut sit occasio ruinæ aspicientibus, nec venialiter peccat. Tertio, quia ex opposito sequeretur, Doctores, Magistros, & Confessores teneri sub aliquo peccato, nec audire, nec legere, nec docere venerea, hoc autem sine maxima jactura reipublicæ, temporali, & spirituali dici non potest; sicut igitur, nemini, cum periculo consensus licet eis in rebus immorari, ita semoto periculo, ex justa causa, non solum potest quispiam, sed ex justitia multoties, & ex charitate tenebitur in illis occupari, licet delectationem, & pollutionem patiatur: nullus enim artifex prudenter ageret, si operis constructionem omitteret, propter defectus operi advenientes ex necessitate.

362. Ex qua doctrina colliges, non teneri homines divertere potentias ad alia objecta, directè ve resistere motibus illis, si talia resistentia fieri non possit absque diminutione perfectionis, quæ causæ, negotio ve exercendo debetur: & ideo excusatur confessor, si non resistat motibus ex cõfessione causantis, non tamen Scholasticus, aut magister; dummodo nec scholasticus audiat actualiter, nec magister actualiter legat; nam si uterque ex officio legat, vel doceat, excusatur, tunc enim non satisfaceret uterque officio suo, si resisteret motibus præfatis.

363. Secundo, si confessor, aut magister, semel atque iterum delectationi consentiat, neutrum teneri desistere ab eis operibus, quorum cura sibi tradita est: dummodo in posterum firmissimo proposito non consentiendi ad suum munus obeundum, accedat; & occasio non sit eadem, quæ ipsis prius fuit causa consentiendi: quod si adhuc sub illa firma voluntate resistendi in peccatum labatur, tunc non debent, nec possunt ad talia opera exercenda accedere: sed propriam conscientiam, sapienti viro, & securius suo superiori, tenentur patefacere, & quod ei visum fuerit, deposita propria conscientia, tutè efficere possunt. Vide Sanchez tom. 3. de matrimonio lib. 9. disp. 45. n. 6. Salas tract. 13. disp. 6. sect. 17. Granado à num. 9.

364. Dico tertio, Consentire causæ indifferenti, ex qua procedere prævidentur motus sensuales, semper est peccatum veniale. Pobatur, quia prædicti motus, sunt circumstantiæ respectu causæ; ergo in illam suam refundent malitiam, quæ cum venialis sit, venialis erit consensus. Unde si in applicatione causæ indifferentis, detur aliqua necessitas, vel utilitas honesta, jam causa de indifferenti transibit in causam honestam, & excusabit volentes causam à peccato.

365. Ex qua causa excusantur primo, qui sine periculo consensus, dummodo non sequatur pollutio, conversantur cum fœmina, & viro sibi notis; de quo Vasq. disp. 115. cap. 3. n. 8. Sanch. n. 4. Salas citatus. Secundo, qui in palatiis degentes, more aulæ cum fœminis loquuntur, quod ni fecissent, pro rusticis haberentur. Tertio, qui equo vehuntur, non tenentur descendere ad impediendam delectationem insurgentem ex vectione: quod non solum intelligendum est, si iter faciat, cum causa sit utilis, & necessaria, sed etiam si recreationis gratia obequitent, quamvis pollutionem sine periculo consensus patiantur, dummodo ex descensu nota aliqua, vel incommoditas sequatur. Quarto, qui ex tactu licito polluuntur, non enim quis tenetur evitare amplexus, vel oscula, quæ urbanitas, affinitas aut mos regionis licita effecerunt. Quinto, excusatur chirurgus, qui verenda fœminæ, causa medicinæ attrectat. Mitto plura.

SUBSECTIO TERTIA.

De consensu, sive delectatione complacentia.

Usque adeo de consensu per quem operi quis consentit, loquuti sumus, nunc de delectatione morosa, brevem instituimus quæstionem, non enim in his libet immorari. Delectatio morosa, talis dicitur à consensu voluntatis per modum permanentis persistente in voluntate, & est complacentia quædam, quam voluntas habet. Tripliciter potest accipi. Primo, in ordine ad cognitionem operis. Secundo, in ordine ad modum, quo opus factum fuit. Tertio, in ordine ad ipsum opus: & licet triplex sit comparatio, duplici difficultate expedienda quæstio est.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum delectatio capta ex sola rei illicita, & mortalis cognitione, seu modo & artificio, quo facta est, sit peccatum mortale?

366. Respondetur negative: est communis sententia, quam tradunt Suar. 1. 2. disp. 5. sect. 7. n. 3. Sanch. tom. 1. Decalogi cap. 2. n. 4. Salas 1. 2. tract. 11. disp. 6. sect. 4. n. 36. Granado tom. 2. in 1. 2. tract. 4. disp. 5. n. 1. Eam docuit Scotus in 2. dist. 42. q. 4. n. 24. Probatur: Illa cogitatio, & ille modus de re turpi, non est per se mala, cognitio enim, perfectio est cognoscentis potentiæ, ideo illi est bona, & conveniens, & in Deo reperitur, qui omnia facinora cognoscit: imo sub peccato ad cognitionem facinorum, & peccatorum obligantur judices, & magistri, qui absque talium cognitione munus suum neutiquam possent debitè exercere; ergo delectatio, quæ ex tali cognitione, & artificio consequitur, non est mala: talis enim est delectatio, quale est opus ex quo sequitur, eo quod accessorium sequitur principale: intelligenda tamen est conclusio, si non detur periculum consensus, nec delectatio illa procedat ad aliam delectationem spirituum, in appetitu exortam ex

cogitationis delectatione; quod notavit Granado num. 1.

367. Dices primo: Cognitio semper involvit objectum; ergo non potest dari delectatio de cognitione, quin simul detur de objecto. Respondetur, distinguo antecedens, involvit objectum, ut terminum, concedo: ut causam, nego: res enim ratione suæ entitatis est causa delectationis: quare sicut objectum turpe extrinsecum est cogitationi, ita & delectationi; Si quæras, cur cogitatio penetrari nequeat sine objecto, cum amari sine objecto possit; Respondeo, quia est respectus transcendentalis, respectus autem transcendentalis intelligi sine objecto ad quod tendit non potest: amari tamen potest respectus, quin ametur terminus: etenim licet Deus non cognoscat suam cognitionem absq; eo quod objectum talis cognitionis agnoscat, diligit tamen suam cognitionem, quin diligat objectum ejusdem, quod suppono esse malum, nimirum peccatum aliquod: unde licet non possit dari cognitio absque objecto, datur delectatio, sive amor cognitionis, sine amore objecti.

368. Dices secundo: Quando homo delectatur de cogitatione rei turpis, non potest agnoscere, an delectatio sit de re, aut de cognitione; ergo saltem propter periculum erit peccatum mortale. Respondetur negando antecedens: Quod si interveniat dubium, sit ne delectatio de cogitatione, an de re; discernendum est juxta cogitantis affectum: si enim illa delectatio oriatur ex affectu ad rem ipsa, evidens signum est, prædictam delectationem, non de cognitione, sed de re ipsa esse: si verò oriatur ex affectu ad cogitationem, nihil ad res cogitatas attendens; signum est delectationem esse de cognitione, & artificio operis: nam si delectatio incæpit ab occasione mala, videlicet ab aspectu impudico, vel à vindicta, delectatio est de re ipsa: si autem incæpit ex officio, vel scientia, est de cognitione, videlicet, si quis judicaturus, vel docturus, aut scripturus, de homicidio, fornicatione, & similibus cogitavit, & cogitando veram aliquam invenit resolutionem, de qua delectatus est, planum est talem delectationem non esse de re, sed de cognitione rei, cum oriatur ex affectu ad illam veritatem repertam: plærumque etiam judicium sumi potest ex instituto, & ratione vitæ, amicus enim Dei, & homo litteratus, sæpius de cognitione delectatur, non sic peccator & minus doctus.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum delectatio de re mortali, absque animo illam efficiendi, seclusoque periculo consensus sit peccatum mortale?

369. Respondetur affirmative, est communis sententia, tradita à D.Thom.1.2.q.74. art. 8. quem sequuntur ibi discipuli, & Commentatores Vasq.disp.109.cap.3. Suar.disp. 5.sect.7. n. 4. Azor 1.p.inst. moral lib.4.q.1. Sanchez tom.1. Decalogi cap.2. n.8. qui ultimi Doctores ita prædictæ conclusioni adhærent, ut oppositam temerariam esse judicent: imo Vasques eam erroneam appellat. Probatur, quia illa delectatio est actus humanus, plene liber, & circa objectum moraliter malum; ergo mala est; si quidem ab objecto malitiam debet participare: ejusdem enim malitiæ est delectatio de opere, atque est opus. Confirmatur: Nemo delectatur nisi de re ad quam propensus est, & quæ sibi placet; ergo licet talis res non intendatur, diligitur tamen secundùm se, si quidem non potest placere quod non diligitur, cum amor delectationis, & complacentiæ sit radix: inde est, quod eodem præcepto, quo opus prohibetur, prohibetur etiam ejusdem operis delectatio.

370. Procedit tamen conclusio de delectatione rei malæ, qua talis est, & nulla ratione honestatæ; non quod voluntas in ipsam malitiam feratur; hoc enim impossibile est, non enim voluntas actu prosecutionis, qualis est delectatio, fertur in malum, qua malum, sed quatenus illa delectatio fertur in rem, sub ea ratione, qua malitiam fundat, quæ ut sic apparere potest utilis, vel jucunda, verbi gratia, malitia furti fundatur in eo quod res sit aliena, quando ergo homo delectatur de ablatione rei alienæ, fertur in rem ut alienam, & ut sic utilem, aut jucundam, ideo erit peccatum mortale, vel veniale juxta materiæ quantitatem.

371. Ex qua doctrina colligitur, Primo, delectationem ex opere cogitato, honesto tempore illo quo de eo cogitatur, non esse peccatum mortale: ideo conjux, quæ absente marito delectatur de opere cogitato, non peccat mortaliter: quia delectatio pro illo tempore, quo scilicet vivit maritus, est licita, & si executioni mandaretur non esset peccaminosa. Ita Suar. n.9. Vasq. disp.113. Salas disp. 6. sect.3. Sanchez q.9. de matrimonio disp.44. & alii, contra Sylvestrum, Navarrum, Cordubam, & alios: quæ doctrina vera est, etiamsi conjux delectetur de commotione præsenti quam sentit appetitus, ut bene adverterunt Sanch. cit.& Granad. disput.5. n. 10. vel etiamsi delectatio illa detur in tempore, in quo conjux ob infirmitatem adiri non potest: erit tamen peccatum mortale, si naturam excitet: quicquid contra sentiat Sanchez citatus, aut si emisit votum castitatis, discernens illas circumstantias.

372. Secundo, delectationem de opere cogitato intrinsece, esse peccatum mortale, etiamsi apponatur conditio illa (*si liceret*) *si modo non esset contra Deum*. Ratio est, quia adhuc posita illa conditione, objecta retinent suam malitiam, à qua per conditionem illam non purificantur, utpote, quæ illis est essentialis; unde cum dicitur, si odium Dei, si bestialitas non essent mala, de illis delectatur, manifestam involvit contradictionem: ita communis Theologorum sententia.

373. Tertio, delectationem de opere cogitato prohibito jure positivo pro tempore, quo cogitatur, vestito tamen circumstantiis illud honestantibus, non esse peccatum mortale: ita Granad. disp 4. n.8. disp.5. n. 4. quia voluntas fertur in objectum ut propositum ab intellectu: sed proponitur ut honestum; ergo delectatio de illo, non est mortalis: præcipuè, quia illa delectatio, & similes actus efficaces non sunt, nec tendunt in objecta, ut sunt à parte rei, sed tantum secundum conditiones appositas per intellectum: & licet delectationes illæ sint præsentes, tamen feruntur in objecta præterita, vel futura, vel possibilia bona.

374. Unde vidua, quæ delectatur de actu præterito, habito cum proprio viro, non peccat mortaliter, quia ut sic ille vir consideratus, honestum est objectum, ut enim non est peccatum approbare actum præteritum conjugii, ita nec delectari; æquiparantur si quidem approbatio, & delectatio operis; imo plus est approbare opus, quam de eo delectari. Ita communiter doctores, quos latè refert, sequiturque Salas citata sect. 30. Granado disput.5. num. 7. contra Navarrum, Lopez, & alios quos relatos, sequuntur Sanchez citato lib. 9. de matrimon. disput. 47. numer. 7. Suar. num. 13.

375. Limitari tamen debet doctrina hujus corollarii. Primò secluso periculo consensus in actum turpem cum alio viro. Secundo, dum non apprehendat actum præteritum, ut præsentem, & nunc exercitum: si verbi causa, vidua illa cogitet maritum defunctum, ut vivum. Tertio, ita ut prædicta delectatio non descendat ad appetitum, commoveatque genitales spiritus, eo quod illa delectatio appetitus semper fertur in copulam præsentem, ut præsentem, & cum præsenti commotione ad illam, ut præsentem ordinatur, estque quædam inchoata copula, conjugatis tantum licita, vel etiam sponsis de futuro. Cajetanus, Valent. & Medina, quos sequitur Granado disp. 5. numer. 7. excusant delectationem viduæ, etiam cum illa spirituum commotione; verum ego in prædicta resolutione persisto: applicari autem potest præfata doctrina pluribus resolutionibus moralibus, quas prætermitto, eo quod extra institutum nostrum sint.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrum omnes delectationes de opere venereo sint ejusdem speciei?

AD perfectam de delectatione morosa tractationem, superest superposita difficultas, & quod de delectationibus venereis resolvetur, de delectationibus aliis resolvendum erit: necessaria autem est hujus difficultatis resolutio, ad docendum, an sit in confessione aperiendum, fuerit-ne delectatio cum moniali, aut cum conjugata; nam si delectationes fuerint ejusdem speciei, non tenetur pœnitens explicare qualitatem delectationis.

376. Dico primo: Si delectatio expressè habeatur de opere, & de ejus circumstantia, necessario mutatur species actus, & aperienda est in confessione: verbi gratia, si delectetus homo de actu habito, vel habendo cum conjugata, ut conjugata est, ille actus ponitur in specie adulterii, & debet confiteri à pœnitente.

377. Dico secundo: Etiamsi delectatio implicitè, & indirectè habeatur de circumstantiis; non solum ab objecto, sed etiam à circumstantiis in eo præcognitis speciem desumit: est communis sententia, de qua videri possunt Lessius lib. 4. de virtutibus dub. 15. Salas disp. 6. sect. 6. ita tamen ut delectatio ad appetitum descendat, tunc enim est veluti inchoata copula, quæ ab objecto, & circumstantiis speciem desumit; quod si intra limites voluntatis persistat, solum erit peccatum contra castitatem.

378. Opposita sententia, quæ asserit delectationem morosam, quæ expressè habetur de opere venereo, ab objecto, & non à circumstantiis desumere speciem, ita ut delectatio de opere cum conjugata solum sit in specie fornicationis simplicis, si delectatio tendat in fœminam sub ratione fœminæ, non conjugatæ, etiam si provideatur fœminam esse conjugatam; est probabilis: traditur à Vasq. 1.2. disp. 112. Azor 1. p. inst. lib. 4. cap. 6. quæst. 3. Sayro in clavi Regia lib. 8. cap. 7. num. 19. probabilem esse tenet Sa verbo *luxuria*, num. 13. Lessius num. 123. qua posita sententia, non tenetur pœnitens aperire in confessione circumstantias fœminæ, quæ in animo fuit proposita, sed satis est, si dicat, delectatus fui in opere venereo cum quadam fœmina habito, vel habendo. Et ratio est, quia in hoc differt desiderium à delectatione, quod illud fertur in opus externum, tamquam in finem & terminum, & consequenter ejusdem speciei est cum illo, delectatio verò in voluntate consummatur, & ideo non semper ab objecto totam accipit malitiam. Sed hæc ratio non subsistit, si delectatio descendat ad appetitum, est enim incohoata copula, non minus ac efficax desiderium, quæ in copulam, ut in finem tendit, sed de his satis.

SECTIO DECIMA.

De ratione offensæ in peccato repertæ.

379. DEus, cum sit actus purus, nihil illi potest esse contrarium; cum infinite humanam, & creatam superet rationem, nulla ratio humana, aut creata accedere potest ad eum, & multo minus ad Deum accedere potest malum, quod non appropinquat tabernaculo Dei Altissimi; de summo cœlo, ab omni offensa immunis videt omnes filios hominum; & quam vanè dum Deum ferire putant, sibi solis præparant nocumentum, non enim ulla injuria affici, aut offensa, minui potest Dei suprêma Majestas, quæ intrinsecè nullo afficitur accidente; dicitur tamen Deus offendi nostris peccatis, ex parte affectus peccantis, & ex parte objecti, quantum enim in se est, Deo injuriam irrogat peccator, dum objectum Deo maximè displicens, diligit, & amplexatur, unde extrinsecè tantum offenditur Deus nostris peccatis, non intrinsece: ille namque honor, ille cultus, & reverentia illa, quam divina beneficia à nobis extorquere debuerant, per peccata extrinsecè minuitur: de illa ergo offensa peccatorum, quibus inimicitiam Dei contrahimus, & divinam provocamus iram, in hac sectione agendum est.

SUBSECTIO PRIMA.

Quid sit offensa Dei?

380. SUppono tamquam fidei dogma, peccatum esse Dei offensivum: ita enim Scriptura sacra sæpissime expressit: satis sit ille locus Iacobi in sua epistola cap. 2. vers. 10. *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*: Et cap. 3. vers. 2. *In multis offendimus omnes.*

381. Sed non faciliter explicatur ratio offensæ, quæ in omni peccato imbibitus: illa est communiter accepta offensæ essentia, & definitio: Offensa est, *læsio divini honoris: sive contemptus divini honoris*: ita ut offensa supra malitiam nihil aliud addat, quam respectum ad divinum honorem læsum, sive denominatur peccatum, offensa à divino honore læso: ita communiter Theologi: Suar. 1. 2. tract. 5. disp. 2. sect. 5. dub. 2. n. 541. & lib. 7. de gratia cap. 14. n. 48. Salas tract. 13. disp. 2. sect. 3. n. 75. Becan. 2. p. Summæ cap. 3. q. 5. num. 6.

Quo pacto tamen accipiendus sit ille contemptus honoris, non est facilè explicari: pro quo notandum est; per quodlibet peccatum offendi Deum variis modis: primo, ut judex est: secundo, ut testis: tertio, ut Legislator: quarto, ut summum bonum: quinto, ut amicus, & benefactor.

382. Contemptus Dei, ut judex, & testis est, continetur Psalm. 50. vers. 6. *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* Ubi D. Thom. *Tibi ergo soli peccavi contemnendo judicium tuum, item contempsi te testem, qui malum coram te videnti, & præsente feci*: Cum enim peccator sit reus, & coram Deo peccet, Deum ut judicem contemnit, non timendo ejus iram, parvique faciendo illam, quam peccando meretur punitionem:

Deumque simul, ut testem contemnit, absque ullo respectu, audens committere peccata coram ipso Domino, qui ubique præsens, intimè peccatori præsens existit.

383. Contemptus Dei, ut Legislator, clarus est; etenim quicumque legem frangit parvi pendere videtur Legislatorem, siquidem illius non reveritus præceptum, simul præceptum dum peccat infringit, pro nihilo prohibitionem factam faciens, nam per quodcumque peccatum æterna lex frangitur, nullum enim datur peccatum, quod non sit contra legem æternam, ut à num. 194. dixi: explicans definitionem peccati, quam etiam ad peccatum veniale extendi.

384. Contemptus Dei, ut summum bonum, apparet in omni peccato mortali, cum enim Deus sit summum bonum, & inde ultimus rerum finis, qui peccat mortaliter à Deo avertitur, & minus bonum, nimirum, creaturam, quam amat, summo bono præfert; si quidem hoc relicto, creaturam sequitur dum perversè amat, eamque constituit ultimum finem, dum creaturæ adhærens, fruitur ea: quod etiam videre est in peccato veniali: licet non adeo strictè; sed de hoc à num. 640. ad num. 669. viderique potest D. Thom. q. 28. de veritate art. 2. & in 3. dist. 20. qu. 1. articul. 2.

385. Contemptus Dei, ut amicus, & benefactor est, non minus visitur in quolibet peccato, in omni enim reperitur ingratitudo, suis enim peccatis homines beneficia Dei compensant, & dum beneficia quolibet momento temporis à Deo accepta grato animo congratulari oportebat, in iram versi, contra Deum armantur, divinis abutendo beneficiis, omnia in ejus convertunt offensam, ingrati dum suo benefactori existunt, esse autem ingratitudinem Dei offensam, docuit D. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 2. ad 1.

386. Ex quibus sequitur primo rationem offensæ intrinsecè, & essentialiter includi in omni actu formaliter malo, sive culpæ imputabili: nam ex eo offenditur Deus, quia actus malus est, non enim offensa, & malitia differunt, nisi quia actus malus non dicitur offensa Dei secundùm se, sed ut connotat Deum, omne autem essentialiter Deum connotat, & connotans, dicitur offensa: quod amplius probatur discurrendo per illos modos offensæ, primo enim de omni peccato, etiam levi, reddenda est ratio Deo, ut judici, & nullum est quod coram Deo non fiat, ad omne enim testandum vocari potest Deus, ut testis non ex auditu, sed ex visu; ergo omne peccatum, qua peccatum, offendit Deum ut Iudicem & testem. Secundo, quia in omni peccato invenitur inobedientia, imo Ambrosius libro de Paradiso cap. 8. per inobedientiam definivit peccatum, dicens; *Peccatum est inobedientia cælestium mandatorum*; ergo omne peccatum intrinsecè offendit Deum, ut Legislatorem. Tertio, quia ut infra à n. 640. ad num. 669. probandum est, in omni peccato includitur conversio ad creaturam, & aversio à Deo, ut ab ultimo fine, omne enim peccatum est, spreto Deo, adhærere bono commutabili ex Augustino lib. 1. de libero arbitrio cap. ultimo; ergo in omni peccato includitur contemptus Dei, ut summum bonum est. Quarto, quia nullum est peccatum, quod summè Deo non displiceat, ingrati autem animi est, pro beneficiis reddere displicentiam benefactori. Confirmatur, quia ex opposito duo sequuntur absurda. Primum, Christum Dominum non satisfecisse pro humani generis peccatis secundùm suam essentiam. Secundum, non opus esse hominibus pœnitentiam agere pro delendis peccatis propriis secundùm eorum essentiam: Sequela utriusque absurdi probatur, quia Christus satisfecit pro peccatis, ut offensa sunt Dei, & pro eisdem sub eadem ratione agitur pœnitentia; ergo si offensa non includitur in essentia peccatorum, nec Christus satisfecit, nec fideles pœnitentiam agunt pro peccatis secundùm suam essentiam, cum & satisfactio, & pœnitentia terminarentur ad offensam quæ in peccato, esset & non esset essentialis peccato.

387. Sequitur secundo, rationem formalem offensæ, esse quid positivum: Sequela constat, nam si offensa est contemptus, & læsio divini honoris, contemptus, læsioque divini honoris quid positivum est: & confirmatur, quia ex dictis num. 386. offensa includitur essentialiter in ratione peccati, estque de ejus essentia: atqui peccatum est quid positivum, ex latè disputatis sect. 1. ergo & offensa, nullum enim negativum essentialiter constituit positivum.

388. Sequitur tertio, omnem offensam esse malitiam: non eget probatione, cum non nisi malitia Deum offendat; vel enim illa offensa, qua offensa, bona est, vel mala, vel indifferens: non bona, quis enim ausus erit affirmare, quod Deus bono actu, vel ratione bona morali offendatur? non indifferens, cum de indifferentia nullum damnum operanti, aut Deo adveniat; ergo mala; ergo est malitia: & verè est idem actus malus cum ordine ad Deum quem offendit.

Sequitur quarto alios modos, quibus sumitur offensa, non esse ita proprios: Primum, esse actum malum Deo maxime displicentem, & contra Dei voluntatem, de quo Suar. 1. 2. tract. 5. disput. 2. sect. 2. dub. 1. num. 14. Vasq. 1. 2. disp. 96. cap. 2. §. *Præterea*, Azor. 1. p. inst. moral. lib. 4. cap. 2. q. 4. Salas tract. 13. disp. 2. sect. 3. n. 76. Becan. 2. p. Summæ cap. 2. q. 6. num. 2. cap. 7. q. 2. num. 2. Secundum, esse actum malum talis conditionis, ut necessario quantum est ex se provocet Deum ad indignationem & odium, in quo sensu idem erit offensa, ac reddere Deum inimicum & infestum. His sic explicatis circa rationem offensæ,

389. Est difficultas non levis, quo pacto intelligendum sit quod offensa sit contemptus, & læsio divini honoris? Ratio difficultatis est; quia non læditur divinus honor, nec contemnitur suprêma Majestas per quodcumque peccatum etiam mortale: quod apparet in communi sententia asserente per peccatum veniale non contemni Deum, siquidem omnis actus, qui cum contemptu Dei & legis fieret, esset mortalis, si non ex materia, ex contemptu. Respondetur omnem offensam esse contemptum, & læsionem divini honoris: non tamen omnem offensam esse contemptum, & læsionem divini honoris formaliter, sive ex parte operis, sive ex parte operantis: sed vel materialiter, & interpretative, vel formaliter.

390. Prius explicandi sunt termini: deinde probanda est resolutio. Pro explicatione terminorum, sciendum est in duplici genere esse offensas, quædam enim sunt communes, quædam speciales: communes reperiuntur in omni peccato, speciales solum in certis speciebus peccatorum: communes sunt contemptus, & læsiones divini honoris materialiter, & interpretativè, non formaliter: speciales sunt formaliter contemptus & læsiones divini honoris; qui contemnit, & lædit divinum honorem formaliter, ex justitia

tenetur ad restitutionem, & satisfactionem honoris, non tamen qui divinum honorem lædit, aut contemnit materialiter: contemptus materialis est, quando tale opus fit, quod legem infringat, & Deo displiceat, non tamen tale, ut immediatè feriat, & lædat Dei honorem, aut cum animo lædendi, & contemnendi honorem divinum: talis est contemptus, & læsio divini honoris, in peccatis iejunii, furti & similium, quæ ex eo tantum sunt offensæ Dei, quia non observantur ejus præcepta: contemptus formalis vel fit ipso peccato, vel animo: ipso peccato, cum quis vel opere, vel verbo immediatè divinum honorem lædit, ac contemnit, ut si quis imagini Christi Domini alapam, vulnusque infligat: aut blasphemias proferat, quibus Deum injustum, mendacem, aut peccatorem appellet: animo, ut si quis advertens per tale opus, verbi gratia, furtum, divinum lædi honorem, & contemni, hac advertentia non obstante, peccatum committit.

391. Quibus declaratis, probatur resolutio, simulque terminorum expositio. Primo, eodem modo, servatis servandis explicanda est ratio offensæ erga Deum, ac explicatur erga homines: atqui in offensis, quæ erga homines committuntur dantur offensæ, quibus solum materialiter hominum honor contemnitur, atque læditur, & speciales, quibus idem honor formaliter læditur, & contemnitur; ergo similiter dabuntur offensæ erga Deum. Minorem ostendo, quia si quispiam Regis præceptum frangat circa rem, quæ ad ejus honorem non pertineat, verbi gratia, si quis militare renuat, furetur, occidat, & similia, proculdubio in his actionibus non contemnitur honor Regis formaliter: contemnitur si quis de Rege male loquatur, Regem contumeliis afficiat, & ex contemptu majestatis, ejus nolit obedire mandatis.

392. Secundo, quia ex opposito jam in unoquoque peccato duplex specie diversa daretur culpa: quod Theologi non admittunt. Probatur sequela, quia formalis contemptus, & læsio divini honoris, est speciale peccatum distinctum, & diversum omnino ab eo peccato, quod committitur; ergo si in omni peccato includitur formalis contemptus, & læsio divini honoris, proculdubio in uno quoque peccato duplex distinctum, & diversum invenietur. Probatur antecedens, quia si quis committat aliquod peccatum ex se, vel ex materia veniale, si fiat cum contemptu legis, & Legislatoris, erit mortale, eo quod ille contemptus, gravis offensa est, si verò non fiat ex contemptu, veniale erit: Si quis furtum committat, quin advertat se Deum contemnere, nec animo contemnat, reus solummodo erit furti; si verò in ipso furto advertat dari contemptum Dei, divinumque honorem lædi, & non obstante contemptu, & læsione divini honoris, furtum committat, quis dubitat, quod ille homo reus habeatur duplicis culpæ, & furti, & contemptus divini honoris?

393. Tertio, nemo tenetur satisfacere in quolibet peccato, divino honori, nec illum recompensare per satisfactionem; ergo ex eo, quod formaliter in quolibet peccato non læditur: antecedens probatur, quia ut quis satisfaciat honori, quem læsit, requiritur, quod vel submissione, vel verbo, vel opere retractet, quæ contra illum honorem egit, sic enim juxta Theologos satisfit honori læso: atqui homines communiter intelligunt se Deo satisfacere, si pœnitentiam agunt, dolorem obtineant de suis peccatis, & proponant se ultra non offendere Deum, quin de læsione divini honoris recordentur; ergo cum rectè satisfaciant, qui sic peccata detestantur, pro peccatis, signum est, quod in eis non lædatur formaliter divinus honor: nam si læderetur formaliter, tenebantur honorem illum resarcire in materia honoris ut sic; hinc est, quod quando læditur divinus honor formaliter, verbi gratia, cum quis Deum mendacem, & injustum blasphemo ore appellat, cum quis idolo exhibet adorationem, aut ex Dei contemptu aliquid agit, non satisfacit per solum peccatorum dolorem, aut emendationis propositum, ulterius namque requiritur, quod publicè fateatur Deum esse veracem & justum, quod idoli adorationem detestetur, affirmans soli vero Deo esse debitam.

394. Quare distinguendæ sunt offensæ; communes sunt tantum materialiter inventæ in omnibus peccatis, quibus divina mandata franguntur, quibus non debetur satisfactio honoris læsi per signa, notasque reverentiæ, ac submissionis: speciales sunt, quibus formaliter divinus honor læditur, vel per verba, vel per irrisiones, aut opera, cum animo formali, aut virtuali lædendi divinum honorem, quæ non expiantur, nisi per contraria signa, divino honore resarcito: hæ autem non dantur in qualibet præcepti transgressione, cum transgredi possit præceptum absque ulla intentione inhonorandi Deum, imo cum rectissima de Dei excellentia concepta opinione, ex quo vera est illa ratio offensæ; est enim offensa *læsio, & contemptus divini honoris, vel formalis, vel materialis.*

395. Verum non desunt Theologi, quibus oppositum placet, inter quos est Suar. de grat. lib. 7. cap. 14. num. 48. existimans per omne peccatum lædi honorem divinum, & teneri fideles cum satisfaciunt pro peccatis, satisfacere etiam illam læsionem divini honoris. Primo, quia sancti Patres, nixi variis Scripturæ sacræ locis, appellant omnia peccata, divini honoris offensam; ergo in omnibus peccatis læditur divinus honor. Respondetur explicandos esse sanctos Patres, & loca Scripturæ sacræ, quibus innituntur, vel de divini honoris læsione, seu contemptu, materiali, vel formali: verum est, quod in omnibus peccatis invenitur offensa Dei, & per consequens divini honoris læsio, non tamen formalis, hæc enim solum datur in offensis specialibus, sed solum materialis, absque ullo animo lædendi divinum honorem, aut minuendi divinam excellentiam, quod manifestum est in illis transgressionibus præceptorum, quæ fiunt ex humana fragilitate, sæpissime enim exercentur cum animo non lædendi divinum honorem, licet materialiter lædant: unde ad satisfactionem talium peccatorum, non requiritur satisfactio in materia honoris, ut sic.

396. Secundo, qui mortaliter peccat constituit creaturam ultimum finem suum simpliciter; ergo lædit formaliter divinum honorem: antecedens ex Theologorum doctrina communi constat: consequentia ostenditur, quia sicut qui constituit aliquem Regem, formaliter lædit jus, honorem, & excellentiam Regis, ita qui constituit, loco Dei, creaturam ultimum finem, privat Deum illo honore, & jure ultimi finis, Dei honorem graviter, & formaliter lædens. Respondetur, explico antecedens, formaliter, & expressè, ac realiter, nego: interpretativè, materialiter, & metaphoricè, concedo: non enim, quisquis graviter peccat, licet Deum graviter offendat, formaliter constituit creaturam finem ultimum, cum ad eam

non referat omnia sua, nec eo animo eam amet, ut eam præferat Deo, quin potius sæpius ita creaturam diligit, ut fateatur non esse aliquid Deo comparatum: interpratativè tamen creaturam constituit finem ultimum, dum creaturam plus amat, quam Deum: deinde nego consequentiam: ad probationem respondeo, non esse similem comparationem, nam qui constituit alium Regem, loco legitimi, formaliter vult, & intendit præferre Regem quem vult constituere, Regi, quem colere tenebatur, huic debitam negans obedientiam, quam illi præstat: at vero peccans graviter, formaliter non constituit ultimum finem in creatura, nec formaliter creaturam præfert creatori; imo formaliter Deum esse summum bonum, & finem ultimum fatetur, aliter foret hæreticus: interpretativè ergo tantum constituit creaturam finem vltimum, ratione operis, quod ultimo tendit in creaturam, non in Deum. Hæc autem constitutio ultimi finis, non est formalis læsio divini honoris, quatenus est Deus ultimus finis, sed materialis, velut, si quis talia opera effecisset, transgrediens principum leges, ut videretur Regiam contemnere majestatem, iste talis non lædit formaliter Regis honorem, sed materialiter, quatenus leges franguntur.

397. Tertio, homo ex justitia tenetur satisfacere pro peccatis; ergo in omni peccato læditur formaliter divinus honor. Respondetur primo, negando antecedens, non enim semper tenetur ex justitia, sed communiter ex charitate erga Deum, quæ hominem obligat ad tollenda impedimenta amicitiæ divinæ; vel etiam tenetur ex obligatione aliarum virtutum. Respondetur secundo, & in idem recidit, homo tenetur ex justitia propriè, ut est virtus, qua tollitur honor, vel aufertur alienum, nego antecedens: impropriè, ut est obligatio orta ex aliis virtutibus, concedo: quamquam enim teneantur homines pro omnibus peccatis satisfacere, non tenentur tamen ex justitia propriè, ut specialis virtus est, aliter semper tenerentur homines ad restitutionem honoris per aliquod signum extrinsecum: tenentur ergo homines, vel ex charitate Deo, sibique debita, vel ex gratitudine, & similibus virtutibus.

398. Instabis: Homo dolens de suorum immanitate peccatorum, restituit Deo honorem; ergo per omnia peccata honor Dei læsus fuit. Respondetur, distinguo antecedens, materialiter, concedo: formaliter, nego: deinde distinguo consequens, materialiter, concedo: formaliter, nego: id est, licet materialiter restituatur honor Deo, quia ille dolor de peccatis, redundat in honorem Dei offensi, tamen ille dolor, non est formalis restitutio honoris, nec satisfactio in materia honoris, ut honor est.

399. Quarto, Deus est verus hominum Dominus; ergo si transgrediantur homines Dei præcepta, formaliter lædunt divinum honorem, sive ex vera justitia, ut specialis virtus est, debent satisfacere Deo læso. Antecedens est de fide: consequentia probatur, quia jure proprii dominii tenentur servi obedire domino imperanti; & omnia opera, & actiones servorum sunt sub dominio, & potestate domini; ergo transgredientes mandata Dei, eique non obedientes committunt propriam injustitiam contra Deum. Patet consequentia: Primo, quia offendunt Deum, ut dominum. Secundo, quia utuntur actionibus, & potentiis, quæ Dei sunt, ut Dominus est, invito Deo, & contra Dei voluntatem.

400. Respondetur negando consequentiam: Ad probationem, distinguo antecedens: si Dominus ut Dominus, & titulo dominii præcipiat, concedo: si ut Legistator, nego: deinde nego consequentiam: ad probationem, nego utrumque antecedens. Pro quo suppono dupliciter Deum exercere suum dominium circa hominum regimen. Primo, ut est eorum Dominus, & titulo dominii proprietatis. Secundo, ut est Legislator, & ex titulo solo jurisdictionis gubernativæ: quando utitur dominio proprietatis, injustitiam committunt homines, si Deo, ut Domino suo non obediant, imo ejus transgrediantur præcepta: quando verò utitur dominio gubernativo, non committunt homines propriam injustitiam, si Deo præcipienti non obediant; cum ergo Deus non imposuerit omnia sua præcepta ex dominio proprietatis, volens, ut ex justitia ejus obedirent homines mandatis, quamquam id facere posset, sed communi modo ex dominio gubernativo: inde est, quod licet homines graviter divinam majestatem offendant dum transgrediuntur ejus præcepta, non tamen tenentur rei injustitiæ propriæ, ut est contra justitiam propriam, & specialem, sed tenentur rei aliorum criminum juxta præceptorum transgressionem; non enim Deus actum temperantiæ exigit, tamquam ex justitia sibi debitum, sed ut Legislator est.

Exemplo servorum erga dominum humanum declaratur: Domini possunt præcipere suis servis aliquid, ut domini eorum, ad quod ex justitia teneantur, quod si non exequantur tenebuntur rei injustitiæ, eo quod imposuerunt domini illud præceptum ex vi dominii proprietatis, quod habebant, volentes inducere obligationem ex justitia; non tamen domini ita præcipiunt, sed communi modo, ideo ex justitia non tenentur servi dominis obedire, sed ex aliis capiôbus.

SUBSECTIO SECUNDA.

Utrum ideo peccatum sit offensivum Dei, quia est contra rectam rationem?

RESpondetur affirmativè. Ita D. Thomas 1. 2. qu. 9. art. 4. & q. 71. art. 6. ad 4. sequuntur communiter Thomistæ: & ex aliis Recentioribus Curiel 1. 2. q. 71. art. 6. dub. 2. §. 1. ibi: Cornejo disp. 4. dub. 4. Herrera de peccatis disput. 19. §. *Prima conclusio*, Suar. tom. 4. in 3. part. disput. 3. sect. 7. num. 2. Lessius tract. de perfectionibus divinis lib. 14. cap. 26. num. 183. Zumel 1. 2. qu. 71. articul. 6. disput. 8. post secundam conclusionem.

401. Probatur primo, quia lumine tantum naturali ductæ gentes, variis mactatis hostiis, deos suos, quos sibi infensos, quia à se offensos esse putabant, placare conabantur; ergo intelligebant peccata esse offensam Dei, quia sciebant ea esse contra rectam rationem. Secundo, quia peccatum ut contra rectam rationem, est contra aliquam legem: atqui lex contra quam est, saltem remotè est lex Dei æterna, ut dixi supra à numer. 194. à lege enim æterna aliquæ leges vim obligandi habent, ut doctè doctissimus tradit Suar. de legibus lib. 2. cap. 4. atqui, qui contra legem æternam operatur, Deum offendit; ergo peccatum erit Dei offensivum, quia est contra rectam rationem. Minor probatur, quia qui legem æternam transgreditur Deum offendit, prout supremus est Legislator; de quo Salas tract. 13. disp. 2. sect. 4. in sexta conclusione.

402. Objicies primo, si quis committeret

peccatum furti invincibiliter ignorans esse contra Deum, vel contra ejus legem, peccaret: atqui in illo casu, non peccaret contra Deum, vel ejus legem æternam; ergo non offenderet Deum. Respondetur supponi falsum in argumento, non enim homo potest agnoscere peccatum contra rectam rationem esse, & non contra Deum, vel ejus legem, quâvis enim non agnoscat formaliter, & expressè peccatum, quod contrariatur rectæ rationi esse contra Deum, vel ejus legem; non potest tamen non agnoscere tale peccatum implicitè, & virtualiter esse contra Deum, & ejus legem, est enim contra legem æternam, cui essentialiter subordinatur lex naturalis, & recta ratio, cum hæc à lege æterna vim habeat obligandi, & legis æternæ sit promulgatio ex citato Suario num. 10. ex quo non potest homo agnoscere rectam rationem, quin implicitè cognoscat legem æternam, quæ cognitio virtualis satis est, ut quicquid fuerit contra rectam rationem, sit contra legem æternam, & Deum suprêmum Legislatorem: ut enim nemo potest se agnoscere, quin se ab alio factum esse intelligat, ita non potest cognoscere suam rationem esse rectam, quin cognoscat non esse primam, & ab alia dependere: Unde, quia philosophi hanc cognitionem virtualem, & implicitam saltem de Deo habuerunt, Deum in suis peccatis graviter offenderunt, propter quæ æternis fuere addicti suppliciis.

403. Dices: Saltem ille homo ignorabit invincibiliter, etiam in statu naturæ nunc elevatæ, tale peccatum esse contra Deum finem supernaturalem; ergo tunc non peccaret contra Deum; quod tamen est falsum, cum illud peccatum puniri debeat pœna damni. Respondetur, nego consequentiam, foret enim contra Deum finem naturalem, & ex hoc capite offensa Dei: quod verò puniatur pœna damni; non est ratione prædicti peccati, sed primi, & originalis commissi in primo parente, cui annexa fuit illa pœna; ideò ignorantia invincibilis mysteriorum fidei, quamvis non sit peccatum, meretur ratione primi peccati pœnam damni, de quo videri potest Vasqu. 1. 2. disp. 12.

404. Secundo, Multa peccata specialiter appellantur Dei offensiva, ut blasphemia, idololatria, odium Dei, & similia; ergo reliqua, etiam si sint contra rectam rationem, non erunt Dei offensiva. Respondetur negando consequentiam: non enim quædam peccata dicuntur Dei offensiva, quia reliqua non sunt Dei offensæ, sed quia immediatè, & directè Dei honorem tangunt: de quo supra à num. 390.

405. Tertio, Aversio à recta ratione, est quid finitum; aversio à Deo, est quid infinitum; ergo ex aversione à recta ratione, non colligitur aversio à Deo, & per consequens nec ex eo quod peccatum est contra rationem, rectè infertur quod sit contra Deum. Respondetur, nego antecedens: aversio enim à ratione necessario est aversio à Deo, licet secundùm formalitates quasdam videantur diversæ, & aversio à recta ratione finita, infinita aversio à Deo: quicquid enim avertitur à recta ratione, necessario & consequenter à Deo avertitur; eo modo, quo qui avertitur à visione beata simul avertitur à Deo objecto infinito: quæ doctrina non solum est vera, quia illæ aversiones sunt positivæ, sed etiam si fuerint privationes, una si quidem privatio est privatio formæ & objecti ad quod illa forma terminatur essentialiter.

406. Quarto, Quicquid avertit hominem à ratione humana, non avertit hominem immediatè à Deo, sed ab effectu Dei: atqui avertens hominem à Dei effectu, illum à Deo non avertit; ergo peccatum ex eo quod est contra rectam rationem, sive ut avertit à recta ratione, non erit offensivum Dei. Probatur consequentia, quia offensa est contra Deum, non contra ejus effectum. Respondetur negando majorem, namque rectitudo rationis non terminatur ad effectum Dei, ut ad ultimum finem, sed ad ipsummet finem.

SUBSECTIO TERTIA.

Utrum si quis invincibiliter ignoraret peccatum esse contra Deum, foret adhuc offensivum Dei?

SUpra n. 402. supposui, & ostendi impossibile esse dari peccatum aliquod quod non foret Dei offensivum: quæritur modo, dato per possibile, vel impossibile dari peccatum, quod invincibiliter ignoratur esse contra Deum, an sit Dei offensivum; verbi gratia, si quis proximum odio prosequeretur, existimans illud odium non esse contra Deum, an tale odium foret offensivum Dei?

407. Respondetur negative: Ita Henriquez lib. 3. de pœnitentia cap. 1. §. 8. Suar. 1. 2. disput. 2. sect. 2. num. 6. lib. 2. de legibus. cap. 6. num. 15. Lessius citatus n. 185. Cardinalis de Lugo de Mysterio Incarnationis disp. 5. sect. 5. à n. 70. Supponitur ab illis doctoribus, qui admittunt peccatum contra rectam rationem, non esse Dei offensivum, si nullo modo homo agnoscat, & advertat esse contra Deum. Probatur evidenter, quia de ratione offensæ imputabilis ad culpam, est quod sit voluntaria: atqui quod non prævidetur, sed ignoratur invincibiliter non est voluntarium; ergo cum invincibiliter, ignoretur esse contra Deum illud peccatum, etiam ignorabitur ratio offensæ. Probatur consequentia, quia non potest agnosci offendi aliquam personam, si ignoretur persona quæ offenditur; ergo si ignoratur invincibiliter peccatum non esse contra Deum, etiam ignoratur invincibiliter Deum illo peccato offendi.

408. Non tamen inde inferas, illud peccatum non esse ullo modo offensivum Dei, quia licet formaliter Deus non offendatur, id est licet non detur offensa imputabilis culpæ, offenditur tamen materialiter: tripliciter enim accipi potest offensa: primo materialiter, secundo formaliter, tertio formalissime: offensa materialis est quæ reperitur in omni peccato, sed non imputatur ad culpam: ad hanc offensæ rationem, non requiritur advertentia de offensione, possum enim elicere actum materialiter Dei offensivum, quod non sit peccatum, nec Dei offensa imputabilis ad culpam, ut videre est in omni actu intrinsece malo prodeunte ex ignorantia invincibili, sæpe enim homines rectè operantur cum conscientia erronea: insuper potest homo offendi de aliqua actione alicujus personæ, quin illa persona intelligat dari in prædicta actione aliquam offensam: offensa formalis, est illa, quæ reperitur etiam in omni peccato, eo quod licet directè, & formaliter non intendatur talis offensa, interpretative, & virtualiter sequitur, ex virtuali cognitione Dei offensi: offensa formalissima est illa qua intenditur offensa: & hæc est offensa specialis, qua læditur divinus honor, eamque supra numero 192. appellavimus offensam formalem, nam illam formalem repertam in omni peccato, & ad culpam imputabilem appellavi citato loco materialem; quando ergo resolvitur peccatum quod ignoratur esse contra Deum, non esse

offensivum Dei, intelligitur de offensa formali, & formalissima, non de offensa materiali.

409. Majus dubium est, an sit peccatum mortale? præsuppono quæstionem esse posse de actu illo, qui est de objecto difformi, & contrario legi; rectæ rationi ac Deo, non tamen ita advertitur, imo oppositum apprehenditur ex judicio erroneo: vel de actu illo, quem advertit nescio quis esse contra rectam rationem, sed non esse contra Deum, nec Dei offensivum, imo in ejus obsequium factum: & quæritur an talis actus sit peccatum mortale?

410. Respondeo, in primo sensu esse communem Theologorum resolutionem talem actum esse honestum & meritorium, non enim specificatur per illud objectum, ut est à parte rei, sed ut apprehenditur, cum autem apprehendatur ut honestum, non malitiam, quæ non prævidetur, sed honestatem, quæ cognoscitur esse in objecto, licet erroneæ refundit in actum.

411. In secundo sensu, resolutio non habet locum, si quidem suppositio est impossibilis, & naturali dictamini contraria, quo pacto enim potest quis considerare objectum esse, & fieri contra rectam rationem, & non contra Deum: dato tamen sensu quæstionis censeo non esse peccatum mortalé. Ita Ægidius Coninch. de actibus supernaturalibus disp. 32. dub. 5. num. 39. Suar. 1. 2. disp. 2. sect. 1. n. 6. lib. 2. de legib. cap. 6. n. 15. lib. de grat. cap. 13. numer. 6. Henriques & Lessius citati supra, cum multis tam antiquioribus, quam recentioribus, quos relatos sequitur Cardinalis de Lugo citatus supra.

412. Primo, quia omnes ferè Theologi docent de essentia peccati mortalis esse aversionem à Deo fine ultimo: atqui per illum actum non avertitur homo à Deo fine ultimo; ergo non est peccatum mortale. Minor constat, quia ut supponitur, ille actus non est aversio à Deo, cum non sit contra Deum, imo in obsequium Dei. Secundo, juxta omnes Theologos, ratio formalis peccati mortalis nititur in eo, quod homo plus diligat creaturam, quam Deum: atqui per illum actum non præfertur amor creaturæ, amori Dei; imo amor Dei summe dilecti potest stare cum illo actu; ergo talis actus, non est peccatum mortale. Minor probatur, quia si ille homo ita paratus esset ad abstinendum ab illo actu, ut si sciret esse contra Deum, & ejus honoris offensivus, ipsum non faceret propter amorem Dei, talis actus Deo placeret, quod argumentum latè prosequitur de Lugo citatus.

413. Contrariam tamen sententiam acriter tuetur Salas 1. 2. tract. 13. disp. 16. sect. 22. ubi appellat nostram resolutionem parum tutam; in eam inclinat Azor 1. p. lib. 4. cap. 1. q. 4. Vega in Trident. lib. 1. cap. 21. Primo, quia sequeretur de facto multa fieri peccata gravissima contra rationem, quæ talia non essent defectu advertentiæ erga Deum. Probatur antecedens, quia plærique Christiani non advertunt esse contra Deum, multa scelera quæ committunt. Respondetur primo, negando antecedens, quia omnes Christiani licet formaliter non advertant scelera sua esse contra Deum, advertunt tamen implicitè esse contra Deum: Suppositio autem procedit per possibile, vel impossibile, quod admittatur possibilis, & de facto erit in homine adeo rustico, ut sui compos non videatur, in quo casu talis erit actus, qui ita peccatum sit. Respondetur secundo, in terminis suppositionis, non esse inconveniens aliqua fieri ab hominibus, quæ secundum se peccata sint, sed non apprehendantur ut talia, ideo sæpe possunt mereri apud Deum per tales actus, quod non videri debet scandalosum, & perniciosum, ut non videtur, multa opera fieri ex conscientia erronea invincibili, quæ cum à parte rei facinora sint atrocissima, tamen sæpe cedunt in obsequium Dei.

414. Secundo, adulterium est contra rationem naturalem, sive contra rectam rationem, & ante omnem Dei prohibitionem, est peccatum mortale; ergo licet non advertatur prohibitio Dei, aut lex æterna, & offensa Dei, actus factus contra rectam rationem erit peccatum mortale. Respondetur, illud adulterium esse peccatum naturale, non morale ex dictis supra num. 187. sive esse peccatum Philosophicum, non Theologicum ex D. Thom. 1. 2. q. 71. artic. 6. *ad* 1. non obstat quod Deus ante omnem prohibitionem plus odio prosequatur illud adulterium, quam leve mendacium, hoc enim odium oritur ex eo, quod tale adulterium ante omnem prohibitionem cognitum, & fundamentaliter morale, est gravis Dei offensa, est de facto, & actualiter prohibitum per legem naturalem, & æternam: hoc tamen argumentum non habet majorem vim, quam si fieret ex actu juxta ignorantiam invincibilem facto.

415. Tertio, sequeretur, si quis diceret, tale adulterium committerem, si non foret prohibitum, talem actum non esse peccatum mortale. Probatur sequela, quia illa conditio abstrahit malitiam ab objecto; ergo non refundit objectum illam malitiam in actum. Respondetur, nego sequelam ex dictis num. 372. Ad probationem, nego antecedens, cum enim ille homo advertat illud adulterium esse prohibitum sub mortali, mortaliter peccat, eo quod sibi complacet de actu graviter prohibito, & illum vult, quantum est ex se.

SUBSECTIO QUARTA.

Utrum peccatum factum in statu puræ naturæ sit offensivum Dei, ut finis supernaturalis?

416. Suppono primo, possibilem esse statum puræ naturæ, ut contra Yprensem ostendam in materia de gratia. Secundo, in eo statu potuisse homines peccare, illaque peccata futura offensiva Dei, ut Deus est finis naturalis, à quo fine illa peccata averterent, dissolverentque amicitiam Dei, ut author est naturalis, hujus enim amicitiæ capaces essent homines in præsupposito statu.

417. Dubium igitur est, an ille homo in tali statu peccans contra Deum finem naturalem, committat peccatum mortale, quod sit offensa Dei formaliter, & immediatè ut finis est supernaturalis? Respondetur negativè: ita Lorca disp. 11. §. *Hæc doctrina*, Herrera de peccatis disputat. 29. §. *Prima conclusio*. Curiel 1. 2. q. 113. art. 2. dub. 1. §. *quinto*, Salas 1. 2. tract. 13. disp. 2. §. 2. n. 76. & alii doctores, quos refert, & sequitur Zumel 1. 2. q. 91. disp. 91.

418. Probatur, quia in tali statu homines non forent ordinati in Deum, ut auctor est supernaturalis; ergo illud peccatum non esset Dei offensivum, ut est finis, & auctor supernaturalis. Probo consequentiam, quia ille respectus, quem homo ex se habet in Deum finem supernaturalem, talis conditionis est, ac si non esset: Confirmatur primo, quia quando respectus personæ, non cognoscitur, imo invincibiliter ignoratur, non offenditur, inde si quis percutiat Clericum, existimans

non

non essa clericum, imo esse clericum invincibiliter ignorans, non incurrit pœnas contra occidentes clericos, quia illa circumstantia clerici fuit invincibilitar ignorata, de quo disp. 1. n. 7?4. cum ergo ille respectus Dei ut auctor est supernaturalis invincibiliter pro illo ignoretur statu, proculdubio Deus non offenditur ut auctor est supernaturalis. Confirmatur secundo, quia Deus non remitteret illud peccatum per gratiam, aut per aliquod donum supernaturale, tum quia peccatum non privaret hominem dono aliquo supernaturali, quod restituendum foret per gratiam, tum quia remisso peccato, ille homo permaneret amicus Dei per amicitiam naturalem; ergo non offenderetur Deus, ut auctor est supetnaturalis, si quidem talis offensa per gratiam remitti postularet.

419. Oppositum docuit Cornejo tract. 7. disp. 4. dub. 6. Primo, quia peccatum mortale aufert formaliter à Deo non solum rationem finis naturalis, sed etiam supernaturalis; ergo esset offensa Dei, ut finis est supernaturalis. Antecedens probatur, quia finis supernaturalis & naturalis essentialiter subordinantur, ut enim natura gratiæ, ita etiam finis naturalis supernaturali præsupponitur, Deus nimirum ut naturalis est finis, sibi ut supernaturalis finis est. Sed peccatum in statu puræ naturæ commissum aufert à Deo rationem finis naturalis; ergo etiam auferet rationem finis supernaturalis. Raspondetur, nego antecadens: Ad probationem explico antecedens: finis naturalis, & supernaturalis essentialiter subordinantur, ita ut unus sine altero dari nequeat, nego antecedens; ita ut finis naturalis requiratur ut fundamentum finis supernaturalis, concedo; cum argo fundamentum possit essa absquo forma, ut natura sine gratia, fundamentum absqua ralatione, etiam finis naturalis esse poterit sine supernaturali; unde qui aufert rationam finis suparnaturalis, non illico aufert rationem finis naturalis, ut qui aufert gratiam, non aufert naturam.

420. Instabis; Licet, qui aufert formam, non auferat fundamentum, qui tamen aufert fundamentum, formam aufert sicut licet auferens gratiam, non auferat naturam, qui tamen aufert naturam, gratiam aufert: atqui homo io statu puræ naturæ per peccatum aufert rationem finis naturalis, qui est fundamentum finis supernaturalis; ergo etiam aufert rationem finis supernaturalis. Respondetur, distingo antecedens: qui tamen aufert fundamentum, aufert formam formaliter, & immediatè, nego: consequenter, & remote, concedo: deinde concedo minorem, distinguo consequens, aufert rationem finis naturalis remote, & consequenter, concedo: immediatè, & formaliter, nego: ex eo autem quod peccatum illud auferat consequenter formam, sive rationem finis supernaculis, non est inferendum: ergo illud peccatum est offensivum Dei ut finis supernaturalia, si quidem non est voluntaria illa ablatio finis supernaturalis, eo quod sit invincibilitar ignorata, sed naturalis, si quidem naturaliter sequitur ablatio formæ ad ablationem fundamenti.

421. Secundo, homo constitutus in statu puræ naturæ, si peccaret mortaliter, incurreret irremissibilitatem talis peccati; ao ipso, quod peccatum in illo statu non foret Dei offansivum, ut Deus auctor, finisque est supernaturalis; hoc autem absurdum est; ergo & illud, ex quo sequitur: minor, sive absurdum esse non posse remitti peccatum persistente peccatore in illo statu, ex terminis constat, tum quia ut peccator voluntariè peccat, ita voluntariè pœnitentiam agere potest de peccato commisso: tum quia nulla est culpa, quam summus omnium Dominus remittere, non possit. Major probatur, quia illud peccatum non posset remitti nisi per gratiam: atqui ille status ut talis non est capax gratiæ, aliter jam transiret in statum naturæ elevatæ; ergo irremissibile foret peccatum: Minor patet, quia per illud peccatum homo constitutus in statu puræ naturæ esset inimicus Dei, & divina indignus amicitia: atqui prædicta inimicitia, & indignitas auferri non potest nisi per gratiam, vel per aliquod donum æquivalens gratiæ; ergo, &c. Minor ostenditur, quia si in præsenti statu homo invincibiliter ignorans Deum esse finem supernaturalem, peccet mortaliter, non consequitur remissionem prædicti peccati, nisi per gratiam: atqui homo cum illa ignorantia peccans pro præsenti statu eodem modo se habet, ac ille homo peccans in statu naturæ puræ, cum uterque solum privetur rectitudine naturali; & uterque non offendat Deum, ut finis est supernaturalis; argo, &c.

422. Respondetur negando majorem, foret enim peccatum illud remissibile, & venia dignum: ad probationem negando minorem, remitteretur enim per aliquod donum supernaturale, ut enim homo ille solum deperdit amicitiam naturalem Dei, solum etiam incurrit Dei inimicitiam naturalem, inimicitia verò naturalis per donum naturale est auferenda: Ad probationem, concedo majorem, nego minorem: diversa ratio est, quia licet utrumque peccatum sit offensivum Dei, ut finis naturalis est, & quantum est ex se sine gratia remitti posset, tamen ratione status, unum postulat remitti per gratiam, alterum non postulat gratiam ut remittatur: quia status utriusque diversus est, cum enim homo in præsenti statu ordinatus sit in Deum finem supernaturalem, in eo statu decrevit Deus, quod nullum absqua gratia remittaretur peccatum, ratione peccati originalis, ex cujus incursu homo incurrit privationem gratiæ, & aliorum donorum supernaturalium: homo autem in statu naturæ puræ constitutus, non potest redire in amicitiam Dei per gratiam, si persistat in eodem statu, cum per gratiam redderetur elevatus in ordinem supernaturalem.

423. Tertio, peccator in statu naturæ puræ est aversus à Deo fine supernaturali; ergo offendit per illud peccatum, Deum, ut finis, auctorque est supernaturalis. Respondetur, distinguo antecedens, est aversus à Deo fine supernaturali, privative, nego: negative concedo: id est, illi statui puræ naturæ non deberentur aliqua dona supernaturalia, ideo non avertitur ab illis privative, cum privatio supponat aptitudinem in subjecto, qualis pro illo statu, & persistente eo statu, non datur; est ergo aversus negative à Deo fine supernaturali, id est, non est conversus ad finem supernatoralem; hæc autem negativa aversio non indicat peccatum esse offensivum Dei finis supernaturalis; cum hanc avarsionem habeat ex vi sui status.

424. Quarto, peccator in statu puræ naturæ non poterat converti ad Daum finem supernaturalem, nisi sublato peccato; ergo illud peccatum avertebat hominem à Deo fine supernaturali: Antecedens patet, quia ille homo non poterat converti ad Deum finem supernaturalem, nisi prius ad finem naturalem converteretur: atqui stante illo peccato, nun posset converti ad Deum finem naturalem; ergo etiam stante eodem peccato, non poterit converti ad finem su-

pernaturalem. Reſpondetur, concedo antecedens, diſtinguo conſequens, immediatè, & directè illud peccatum avertebat hominem à Deo fine ſupernaturali, nego: conſequenter, & remotè, concedo: avertitur enim ille homo ſolum fundamentaliter, & conſequenter à fine ſupernaturali, eo quod immediatè hominem auferr fundamentum, quod præſupponi debet fini ſupernaturali, nimirum Deum finem naturalem.

SUBSECTIO QUINTA.

Utrum peccatum veniale ſit offenſivum Dei?

425. BReviter reſpondeo affirmativè, eſt communis reſolutio Doctorum, & probatur primo, ex illo Iacobi cap. 3. *In multis offendimus omnes*, qui locus communiter à Theologis explicatur de peccatis venialibus, pro quo videri poteſt pater Balthazar Paez Luſitanus præcipuus ſacri textus interpres, ad locum D. Iacobi. Secundo, quia Chriſtus ſatisfecit pro peccatis venialibus: atqui ſatisfecit pro offenſis contra Deum commiſſis; ergo venialia peccata ſunt offenſæ Dei. Tertio, quia nos poſſumus per pœnitentiam ſatisfacere pro veniali peccato; ergo quia eſt offenſa Dei, quam ſatisfactio immediatè tangit.

416. Quarto, quia in peccato veniali reperitur offenſa contra Deum judicem, teſtem, legiſlatorem, finem, & benefactorem; ergo, &c. Probo antecedens. Primo, quia Deus judicare debet etiam venialia. Secundo, quia cum coram Deo fiant: Deum ut teſtem contemnunt: Tertio, quia ſunt contra legem ex dictis n. 176. ergo contemnitur Deus, ut finis. Quarto, ingratitudinem demonſtrat, qui venialiter peccat, dum tot beneficia actibus malis compenſat.

Ex quo colliges primo, offenſam repertam in peccato veniali eſſe levem, eique reſpondere pœnam temporalem, pro qua ſatisfacere homo tenetur. Secundo, ſi offenſa reperta in peccato mortali fuerit infinita ſimpliciter, etiam offenſam repertam in peccato veniali futuram infinitam ſimpliciter ex dicendis infra n. 457.

SUBSECTIO SEXTA.

Quænam infinitas reperiatur in offenſa peccati?

427. DUplex eſt infinitas, una ſimpliciter, & in omni genere: altera ſecundum quid, & in genere certo, ac determinato; hoc tamen ſecundum quid, duobus modis ſumi poteſt, primo ita ut ſecundum ſe ſit infinita ſimpliciter, eo quod intrinſecè in ſuo genere ſit infinita: Licet enim dicatur infinita ſecundùm quid reſpectu primæ infinitatis, eſt tamen in ſuo genere ſimpliciter, & intrinſeca: verbi gratia Deus eſt infinitus ſimpliciter in omni genere perfectionis: Si daretur gratia infinita foret ſimpliciter infinita, quia eſſet intrinſecè infinita, diceretur tamen ſecundùm quid infinita, quia non haberet infinitatem in omni genere, ſed in genere gratiæ, ac proinde licet abſolutè ſit ſimpliciter infinita, comparativè reſpectu Dei dicitur ſecundum quid infinita. Secundo modo, ut nullatenus ſit in ſe infinita, nec intrinſecè, ſed tantum extrinſecè ratione termini, ut amor Dei, & viſio beata, dicuntur ſecundùm quid infinita, quia terminantur ad terminum infinitum, in ſe tamen finita ſunt.

Non eſt quæſtio de infinitate ſimpliciter in omni genere, conſtat enim offenſam non ita eſſe infinitam; ſed de infinitate ſecundùm quid, utrum ſcilicet offenſæ ratio, quæ reperitur in peccato, ſit primo modo ſecundùm quid infinita, id eſt, abſolutè in ſuo genere ſimpliciter infinita, intrinſecè ſcilicet, & in ſe: an ſit ſecundùm quid, ſive ſecundo modo infinita, id eſt extrinſecè, & objectivè tantum?

§. I.

Reſolvitur malitiæ offenſam eſſe extrinſecè infinitam, & intrinſecè finitam.

428. VAriè doctores prædictam difficultatem reſolvunt: nam quidam docent offenſam repertam in peccato eſſe infinitam ſecundùm quid primo modo, ſive ſimpliciter in genere determinato intrinſecè, & non per denominationem extrinſecam, & objectivè: ita aliqui recentiores apud Vaſques tom. 1. in 3. p. diſput. 2. n. 6. ſequuntur Vincentius in relectione de gratia Chriſti q. 3. dub. 2. fol. 301. concluſ. 1. licet concluſione 3. affirmet eſſe ſolum per denominationem extrinſecam infinitam. Barradas tom. 2. in Evangelia lib. 10. cap. 38. §. *Decem millia*. Lucerna vita ſancti Franciſci Xaverii lib. 8. cap. 27. Ægidius de Coninch. tom. 2. de Sacramentis diſp. 2. de effectu pœnitentiæ dub. 3. n. 21. & diſp. 10. dubio 2. n. 3. Thomas Hurtado in ſuo Præcurſore Theologico diſputat. 2. de reviviſcentia operum cont. 2. memb. 2. §. 1. latè Petrus Hurtado de Incarnatione diſput. 9. Cornejo tom. 2. tract. 1. diſp. 2. Berual. de Incarnat. diſp. 4. ſect 3.

Tribuitur prædicta ſententia Aleuſi, Alberto Magno, S. Bonaventur. Richardo de Media Villa, D. Antonino, & aliis: hi tamen Doctores ſuam mentem non aperiunt, tantum enim affirmant offenſam repertam in peccato eſſe infinitam, quo autem genere infinitatis non exponunt, ut optime expendit Suar. tom. 1. in 3. p. diſp. 4. ſect. 7. §. *Ad hanc dilectionem*.

Etiam volunt contrarii hanc ſententiam eſſe Div. Thomæ, propter duo ejus loca: primus eſt ex 1. 2. quæſt. 87. articul. 4. in corpore. Secundus ex 3. part. quæſt. 1. articul. 2. ad ſecundum, ubi infinitudinem attribuit peccato: ſed ſi Doctoris Angelici doctrina advertatur, expreſsè infinitudinem ſecundùm quid, & extrinſecam attribuit peccato: appellat enim illam infinitudinem reſtrictivè, cum limitatione, ſiquidem ait peccatum in ſe eſſe finitum, licet habeat *quamdam infinitudinem* per ordinem ad bonum infinitum: illa namque particula *quamdam*, denotat limitationem, & diminutionem infiniti: Cajetan. 3. part. quæſt. 1. articul. 1. §. *Ad alteram*, explicat Angelicum Doctorem de infinitate ſecundùm quid in primo ſenſu tradito ſupra numero 427. quæ eſt ſimpliciter infinitudo, afferens exemplum de linea infinita: dubia quidem eſt mens Div. Thomæ, utrique patrocinatur parti, ſed mihi videtur quod magis incliuet in eam, quæ infinitudinem intrinſecam attribuit offenſæ: propter cujus auctoritatem, & fundamenta hujus ſententiæ, non improbabilis eſt hæc opinio.

429. Verius tamen, & probabilius alii doctores aſſerunt offenſam eſſe abſolutè finitam in ſe, & intrinſecè: ſolumque ſecundum quid extrinſecè, & objectivè infinitam. Hæc eſt opinio Scoti

in 3. dist. 2. qu. 1. n. 8. in 4. dist. 15. q. 1. n. 6. dist. 50. q. 6. n. 16. vers. *& quando*, qui ast ultimus ajus operis: & in 2. dist. 21. q. 2. n. 5. ubi appellat malitiam desumptam ex persona offensa accidentalem: expressius, & clarissime in 4. dist. 19. q. unica num. 13. sequuntur discipuli, præcipuè Faventinus in 3. dist. 19. q. unica disp. 44. num. 45. Pitigianis ibi art. 2. §. *Ad hoc argumentum*: & sequitur evidenter ex doctrina communiter ab Scoto, ejusque schola approbata, quæ asserit meritum Christi Domini non esse simpliciter infinitum.

Eamdem partem tuentur communiter Recentiores: Suar. tom. 1. in 3. p. disput. 4. sect. 7. §. *Nihilominus* in 2. editiona 2.2. tract. 5. disput. 2. sect. 3. num. 3. Vasq. in 3. p. disp. 2. cap. 2. 1.2. q. 87. art. 4. in Commentario n. 18. disp. 99. cap. 8. in fine disp. 143. cap. 2. num. 8. Ragusa 3. part. disp. 3. §. 3. & 4. ubi Cabrera disput. 4. §. 5. Becanus 2. part. Summæ tract. 2. cap. 2. qu. 6. n. 3. Bonacinas tom. 2. disp. 2. de peccatis q. 1. puncto 5. Granado tom. 2. in 1. 2. tract. 3. cont. 6. disput. 5. sect. 1. n. 7. tract. 9. disp. 4. n. 3. Cardinalis de Lugo de Mysterio Incarnationis disp. 5. sect. 3. à num. 25. Albertinus tom. 2. in primo principio, q. 18. Theologica dubitatione 1. Christophorus de Vega in Theologia Mariana palæstra 29. certamine 8. à num. 1748. innumeros refert, sequiturque Salas 1. 2. tract. 13. disp. 5. sect. 6. n. 35.

§. II.

Proponitur, & defenditur primum fundamentum.

430. NOn omnia proponenda sunt fundamenta, quibus hæc opinio probatur; præcipua tantum expendam. Primum est: præcipua ratio cur à doctoribus contrariæ sententiæ attribuitur offensæ ratio infinitudinis simpliciter, & intrinsecè, est rationa termini, quia scilicet offenditur Deus, qui est bonum infinitum: atqui hæc ratio tantum indicat infinitatem extrinsecam, & objectivam; ergo perperam illa ratione nixi doctores, attribuunt intrinsecam infinitatem peccati offensæ: Minor probatur, quia Deus, ut offensus concurrit velut objectum: sed objectum non concurrit formaliter intrinsecè malitiam afficiens, sed concurrit extrinsecè, tamquam materia circa quam; ergo non potest communicare peccato rationem offensæ infinitæ. Major ast certa: minor probatur, quia ex opposito charitas, & visio beata essent intrinsecè, & in sua entitate infinitæ, eo quod tendunt in objectum infinitum, hoc autem à contrariis non admittitur; ergo, &c.

431. Huic argumento, ut nostræ sententiæ fundamento, varias attribuunt contrarii solutiones. Respondent enim primo, Deum non concurrere ut objectum, sed ut subjectum morala, & offensam esse formam afficientem moraliter Deum: Ita respondet Cornejo num. 4. qui enim afficitur aliqua injuria, dicitur pati illam injuriam, unde cum Deus afficiatur moraliter illa injuria, injuriam patietur, & per consequens erit subjectum injuria affectum; injuria verò erit forma moralis Deum infinità aggravans, unde sequitur intrinsecè Daum asse affectum injuria, ex quo illa injuria, & offensa desumit infinitudinem intrinsecam, utpote intrinsecè afficiens Deum, velut subjectum, ut enim forma physica imposita subjectis gravibus devehitur in profundum, non minore pondere, quam feruntur ipsa subjecta; ita injuria Deo imposita & illata, rapitur in infinitam profunditatem offensæ.

Sed contra primo, quia Deus non potest esse subjectum morale intrinsecè aliqua affectum injuria, etiam moraliter; ergo solutio nulla. Antecedens patet, quia denominatio intrinseca moralis, fit à forma intrinsecè afficiente subjectum moraliter, moraliterqua subjectum informante: atqui injuria non afficit intrinsecè Deum; ergo Deus non est subjectum morale intrinsecè affectum, & offensum tali injuria: Major est certa, ut enim forma physica non denominat intrinsecè, nisi subjectum cui inhæret, seu intrinsecè afficit, ita nec forma moralis: minor etiam constat, quia offensa, & injuria non distinguitur moraliter à malitia cui inhæret, imo est de malitiæ intrinseca ratione ex dictis num. 386. malitia autem extrinseca est cum illi accidens in tempore de novo non adveniat, sive sit morala, siva physicum, aliter in Deum non solum obumbratio mutationis, sed vera mutatio cadetet.

432. Dices: Licet Deus non sit subjectum physicum, tamen est subjectum morala: cum anim morale sumatur ex communi hominum æstimatione, iuxta quam quando homines Deum offendunt, Deus æstimatur ut patiens, & recipiens injuriam, velut formam Deo adhærentem, quamquam physicè illa injuria Deo non adhæreat.

Sed contra, quia Deus intrinsecè non potest recipere illam injuriam, nec injuria cogitari posest, ut intrinsecè Deum afficiens, nisi intellectus singat aliquod ens rationis, fingens quod injuria Deum intrinsecè afficiat, cum tamen absque intellectus operatione Deum nec physicè, nec moralitar afficiat: hæc tamen fictio non est sufficiens, ut injuria intrinsecè dicatur infinita, cum absolutè, & à parte rei, sit extrinseca Deo, & ut sic participare non potest infinitatem aliquam: aliter, eodem modo philosophari liceret de amore Dei quem quispiam concipere poterit, ut formam intrinsecè Deum afficientem, & intrinsecè denominantem amatum, ac Deo omnem perfectionem attribuentem, non enim hæc fictio minus fundamentum habet, quam illa. Nec exemplum, quod numer. 431. afferunt formæ physicæ impositæ corporibus gravibus, alicujus ponderis est: namque forma physica, ideo à subjecti gravitata devehitur, quia illi subjecto inhæret, si anim subjecto non inesset, proculduhio eum ipso non raperetur: cum autem injuria sit extra Deum, nec Deo inhæreat, non potest Dei infinitatem accipere.

433. Ideo respondent secundo alii, Deum non esse subjectum morale injuria affectum, sed injuriam, sive offensam esse subjectum morale, Deum vero esse formam moralem impositam injuriæ, ex qua formæ impositione, injuria contrahit infinitatem intrinsecam: eo modo, quo forma terræ, reddit materiam gravem, & à cœlo distantem; ita Deus, quasi impositus injuriæ, injuriam reddit gravem, à Deo infinitè distantem. Ita respondet Petrus Hurtado de Incarnatione disp. 9. sect. 2. §. 10. sact. 7. §. 53. & in idem recidit multorum responsio apud Ariagam disp. 8. de anima sect. 4. subsect. 2. n. 93. quam videtur supponera Cardinalis de Lugo citata disp. 5. sect. 3. n. 41. quatenus docent, Deum, ut prohibet actum malum esse formam, quæ injuriam, & offensam afficit.

434. Sed contra primo, *forma denominans, non denominatur eadem forma, qua denominat*: non enim albedo alba, nec nigredo nigra denominatur: atqui Deus dicitur offensus per offensam; ergo Deus non ast forma seipsum offen-

ſum denominans, etiam extrinſeca, ſed eſt tantum terminus illius offenſæ; terminus autem non tribuit infinitatem intrinſecam: Deus enim terminus eſt maternitatis, amoris, & viſionis beatæ; & tamen nec maternitas, nec amor Dei, nec viſio beata intrinſecè ſunt infinita, ſed tantum extrinſecè ratione termini.

435. Dices Majorem non eſſe abſolutè veram; ſiquidem actus denominatur abſolutè liber ex indifferentia voluntatis, cum tamen ipſamet voluntas libera denominetur: notitia denominat ſe ipſam reflexe, & objectum directè. Sed contra, quia actus denominatur liber, non ab indifferentia voluntatis, ſed à propria libertate ſibi intrinſeca: de quo diſp. 1. num. 131. diſp. 2. à. num. 596. deinde voluntas non denominatur libera, ſed eſt libera; exemplum etiam notitiæ non ad rem, ſi quidem ibi datur diverſa ratio, & diſtincta rei denominatæ, & formæ denominantis.

436. Secundo impugnatur prædicta reſponſio: quia ſi Deus eſt forma afficiens offenſam, eamque reddens infinitam intrinſecè, jam offenſa conſtituitur ex Deo, tamquam ex parte eſſentiali; ergo, vel tota offenſa Dei, non eſt digna odio licito, vel Deus poteſt odio haberi licitè: disjunctiva hujus conſequentiæ, vera eſt: nam cum odio habeatur offenſa illa, vel tota digna eſt odio, vel Deus odio licitè perſequetur: hoc planum eſt, ſi quidem illa offenſa cunſtat eſſentialiter ex malitia ut ſubjecto, ex Deo, ut forma; ergo ſi tota digna eſt odio, Deus odio dignus erit; ſi tota non eſt digna odio, offenſa ſecundùm rationem formalem offenſæ, quæ eſt Deus, non erit odio proſequenda, nec pœnis addicta: qui enim odit totum, odit & ſingulas partes totius, ſi non odit ſingulas partes, nec totum odit.

437. Dices: Licet offenſa ex Deo ſit conſtituta, actus tamen odii liciti, ſive divini, ſive creati terminatur ad actum malum, ſive ad offenſam, non vero ad Deum. Sed contra, offenſa ut offenſa eſt, ſecundùm totam rationem offenſæ terminat actum odii; ergo omnes partes eſſentialiter offenſam conſtituentes terminabunt actum odii, cum totum à ſuis partibus conſtituentibus ſit indiſtinctum, & ſi totum terminat odium, etiam partes illud terminant; aliter ſi ad unam partem offenſæ terminaretur odium, non terminaret offenſa odium, eo quod pars offenſæ, non eſt offenſa; ergo ut offenſa odio proſequatur, debet proſequi ſecundùm omnia conſtitutiva offenſæ; tunc ſic, unum conſtitutivum, & formaliſſimum offenſæ, eſt Deus, ut ſupponitur; ergo vel Deus licitè odio poteſt proſequi, vel offenſa non eſt odio proſequenda.

438. Dices: Licet Deus non ſit malus, nec offenſa: tamen malitia, & offenſa ſimul ſunt mala, & offenſa; ergo licet non poſſint ſingulæ partes eſſe objectum odii liciti, poteſt tamen totum illud compoſitum eſſe dignum odio. *Sed contra*, quia numquam hæc doctrina applicari poteſt, eo quod Deus numquam poſſit eſſe objectum odii liciti, cum autem illa offenſa, qua offenſa eſt ratione omnium, quæ partes offenſæ ſunt, ſit odio digna, jam Deus, qui juxta contrarios, eſt pars conſtitutiva offenſæ erit odio dignus, & malum morale objectivum terminans actum odii; qui enim deteſtatur totam Dei offenſam, non poteſt unam partem deteſtari, & non alteram: aliter pars offenſæ ut bona, eſſet amanda, ſed de hoc argumento latius Chriſtophorus Vega citatus numero 1750.

439. Tertio impugno eamdem reſponſionem, ad cujus futilitatem impugnandam, admitto id quod contrarii aſſeverant, nimirum injuriam eſſe formam offenſæ, & Deum ſubjectum morale: vel Deum eſſe formam, & injuriam ſubjectum; quo dato, & non conceſſo: non ſequitur ex ea doctrina rationem offenſæ eſſe infinitam: quod non ſequatur oſtendo. Primo ad rationem offenſæ non ſolum concurrit Deus ut forma, vel ſubjectum, ſed etiam concurrit intellectus, & voluntas; ergo ex parte principii deſinet malitia eſſe infinita in ratione offenſæ: Major probatur, quia quanto quis diminuit in cognitione, tanto minuitur in ratione offenſæ, & adeo diminui poteſt cognitio, ut omnino tollatur ab actu malo ratio offenſæ, ſi nimirum homo operetur cum ignorantia invincibili, ex quo principio deducunt Theologi peccatum ex malitia eſſe magis offenſivum Dei, quam peccatum ex ignorantia: quapropter dato, quod offenſa creſcat ex dignitate perſonæ, non creſcit niſi ex dignitate perſonæ cognitæ: & ideo ſi quis Regem non cognoſceret, quia veſtibus plebeis, & vilibus indutus eſt, & eum ut ſic incognitum percuteret, non offenderet regiam Majeſtatem defectu cognitionis illius: & defectu plenæ cognitionis peccatum veniale circa materiam gravem, gravis offenſa non eſt. Cum ergo omne peccatum mortale ſemper fiat cum imperfectiſſima cognitione divinæ Majeſtatis, & dignitatis infinite diſtante à comprehenſiva Dei cognitione, ex hoc principio deſinet malitia eſſe infinita intrinſecè & formaliter; cum enim ex dignitate perſonæ, & ex cognitione illius pendeat tota ratio offenſæ, una deficiente, vel diminuta, deficiet, vel diminuetur offenſa, cum utraque partialiter concurrat ad rationem offenſæ in genere moris.

440. Secundo oſtendo non ſequi, quia bonitas, & malitia ex objecto ſolum communicatur actui, ſecundùm modum, quo potentia in illud tendit; ergo ſi potentia fuerit finita, licet objectum, in quod tendit, ſit infinitum, actus finitus erit. Antecedens probatur, quia ſi ſolum ex dignitate perſonæ; & non ex modo tendendi ſumitur ratio offenſæ, ſequitur quamlibet actionem, etiam venialem continere infinitam rationem offenſæ. Deinde ex hac ratione nulla noſtra actio poteſt eſſe bona infinitè, licet habeat pro objecto Deum infinitum, verbi gratia amor Dei, quia à modo tendendi potentiæ finitæ limitatur, & hac de cauſa ſpecies intuitiva Dei, ſive impreſſa, ſive expreſſa non eſt in ſua entitate infinita, quia licet illius objectum ſit infinitum, tamen principium intelligendi eſt finitum: ſimulque eſſentia divina, quæ de facto concurrit ad viſionem beatam, non producit viſionem beatam infinitam, quia viſio beata limitatur ab intellectu, qui eſt potentia finita: cum tamen eadem eſſentia divina ſit objectum divinæ cognitionis, quæ infinita eſt ſimpliciter, eo quod ad infinitatem actionum requiratur & objectum, & potentia infinita: & potius requiritur infinitas potentiæ, quam objecti, ut alibi diſſerendum eſt.

441. Quare hac reſponſione relicta, reſpondent ſecundo, ex eo rationem offenſæ, & injuriæ eſſe intrinſecè, & formaliter infinitam, quia hæc infinitas non deſumitur tantum ex dignitate infinita perſonæ offenſæ, ſed etiam ex principio offendente, ſive ex indignitate creaturæ offendentis infinitè vili; namque debet attendi injuria non ſolum ex parte offenſi, ſed etiam ex parte offendentis. Sed contra, quia homo, vel Angelus non ſunt abſolutè perſonæ infinitè viles: imò ſi ſancto-

rum PP. & Scripturæ sacræ oracula consulantur, maxima dignitate, & perfectione gaudent: suntque creaturæ adeo perfectæ, ut dignæ visæ sint divinæ Majestati, quod eis contulerit tot charismatum dona, perfectionumque penè infinitam multitudinem. Et si ad principia philosophica recurramus, adeo perfectum animal est homo, ut veluti infinitè excedat omnium specierum irrationalium perfectionem.

442. Dices: Licet absolutè homo, vel Angelus non sint personæ viles, tamen comparativè, & respectivè per habitudinem ad divinam Majestatem, distant infinito genere vilitatis à Deo. Sed contra, quia jam vilitas illa infinita non est intrinseca personæ creatæ; sed extrinseca, tota per ordinem ad Deum, ut ad terminum; ergo eadem ratione erit infinita secundum quid, & extrinsecè per denominationem desumptam à termino extrinseco personæ denominatæ: Consequentia optime procedit, quia denominatio extrinseca non potest intrinsecam tribuere infinitatem. Antecedens probatur, quia illa vilitas solum est per denominationem ad dignitatem Dei, quæ creaturæ extrinseca est. Et amplius patet, quia jam omnes creaturæ forent æquè viles, quod est falsum; nam creatura, quæ magis Deo assimilatur, minus à Deo distat, quam creatura, quæ minorem participat Dei similitudinem: Et licet unaquæque creatura infinitè distet à Deo, non tamen distat Arithmeticè, sed Geometricè ut subsect. sequenti explicandum est.

443. Tandem Ragusa, qui nostram sequitur sententiam citat. §. 3. propè finem, hanc rationem non approbat: ideo respondet tertio, diversam esse rationem, quia licet Deus concurrat, ut objectum ad actum bonum, & ad malum, ab utroque attingibile, quantum attingibile est, diverso tamen modo concurrit: nam ut per actum bonum attingatur Deus secundùm totam suam bonitatem, requirit summam perfectionem in potentia, propter summam objecti perfectionem, & ideo hoc modo à solo Deo amatur in tota sua latitudine: at malitia non potest attingi, nisi à sola voluntate, nec requirit summam potentiæ perfectionem, imò imperfectionem, quæ in voluntate datur.

444. Sed contra primo, quia quòd possit, vel non possit malitia à Deo attingi, non sequitur quod ratio offensæ in malitia sit infinita: nam etiam attingitur à Deo formica, & tamen non est infinita: & peccatum veniale à Deo fieri non potest, & non est Deo infinitè injuriosum. Secundo, quia supponit falsum, voluntatem creatam esse infinitè imperfectam. Tertio, quia illa offensa procedit à voluntate finito modo, præcedente cognitione limitata secundùm quam, & vires voluntatis, ac dignitatem personæ offensæ pensada est illa offensa.

§. III.

Proponitur secundum fundamentum de inæqualitate peccatorum.

445. SEcundum fundamentum desumitur ex inæqualitate peccatorum, & sic proponitur: Omnia peccata sunt inæqualia; ergo neutrum est infinitum: Anteced. est de fide, ut latè probant recentiores, inter quos videantur Pesantius 1. 2. qu. 73. art. 2. Valentia tom. 2. disput. 6. qu. 3. puncto 2. Vasq. 1. 2. disp. 99. capit. 2. Suar. 1. 2. tract. 5. disp. 1. sect. 2. Et patet ex Genesi cap.
Genes. 13. 13. vers. 13. *Homines autem Sodomitæ pessimi erant & peccatores coram Deo nimis.* & cap. 37. vers. 2. Ibid. c. 27.
Accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo: Ex Deuteronomio cap. 25. vers. 2. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Ioannis cap. Deut. 25. Ioan. 19.
19. vers. 11. *Propterea, qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*, & passim alibi. Videndi sunt ex PP. Hieronymus in cap. 9. Ezechielis, & in epistol. ad Celantiam, & August. epist. 29. ad Hieronymum. D. Hieron. S. August.
Consequentia probatur, quia si peccatum in ratione offensæ est infinitum intrinsecè, debet continere formaliter, vel eminenter omnem rationem offensæ, ut quodlibet meritum Christi Domini continet omnem valorem, quem aliud meritum continet, ex eo quod est infinitum, & inde est, quòd per quodlibet meritum Christus meretur omne præmium possibile, etiam collectivè: nec magis meretur unum, quàm alterum: nec omnia merentur magis quàm unum ex eo quòd sunt infinita, & quia infinita, æqualia, quòd latè docet ex doctrina Valentiæ Suarii, Vasquii, Ragusæ, & aliorum, Petrus Hurtado de Incarnatione disput. 63. sect. 6. §. 71. Ex quo sequeretur tantum demereri unum hominem per unum peccatum, quantum per omnia; & per unum demereri omnem pœnam debitam pro omnibus peccatis.

446. Respondet, primo, Pet. Hurtad. citata disp. 9. sect. 4. subsect. 1. §. 56. negando consequentiam, & ad probationem negat antecedens: Quia de ratione infiniti solum est, quòd careat termino, non verò quod contineat omnem perfectionem: si enim Angelus cognosceret homines possibiles, infinitos cognosceret, etiamsi unum excipias, quia licet non cognoscat omnes, ex eo tamen quod possibilitas hominum possibilium fine careat, infinita erit.

447. Sed contra primo, quia licet infinito quantitatis hæc ratio applicari possit, non tamen infinito perfectionis, quale est peccatum. Probatur, quia infinitum quantitatis est per carentiam termini intrinseci, & per hanc constituitur, id est, quia linea caret superficie, & alio termino, est infinita: at verò infinitum perfectionis constituitur per carentiam termini extrinseci, id est, per hoc, quod non possit excogitari aliquid perfectius illo: aliter, si illud infinitum per suam differentiam individuantem est determinatum, & super se habet aliquid perfectius, non apparet principium, cur dicatur infinitum: ut si homo contineret omnem possibilem perfectionem rationalis creaturæ, ita ut alia perfectior non esset dabilis, infinita diceretur. Exemplum illud de cognitione possibilium parum valet: tum quia talis multitudo habet rationem infiniti sincathegorematice, & non cathegorematice, & tale infinitum, absolutè finitum est; tum quia si illi infinito deest aliquid, non poterit esse infinitum; cum ergo peccatum in ratione offensæ sit infinitum, continebit omnem offensam, omnemque pœnam merebitur, non minus quàm quodlibet meritum Christi Domini continet omnem valorem omnium meritorum, & non majus meritum merentur omnia merita quàm unum.

448. Quare secundo respondet idem Hurtad. §. 57. & cum eo Cornejo negando consequentiam, ad probationem distinguunt anteced. Si peccatum in ratione offensæ est infinitum, debet continere formaliter, vel eminenter omnem rationem offensæ, in illo genere, concedo: in omni genere, nego: non enim infinitum continet formaliter, vel eminenter, quamlibet perfectionem, sed tantum perfectionem illius gene-

ris, in quo est infinitum: & ideo odium Dei continebit omnem offensam odii Dei, non tamen furti, vel aliorum peccatorum: eo modo quod si daretur calor infinite intensus contineret omnem intentionem caloris, non tamen omnem intentionem frigoris.

449. Sed contra primo, quia hic efficaciter urget, quod diximus de merito Christi Domini, jam enim contra eumdem authorem ex hac solutione sequeretur, unum meritum non continere valorem omnium meritorum, nec per unum actum misericordiæ tantum mereretur Christus, quantum per actum charitatis: nec per unum actum mereretur Christus, quod per omnia merita simul mereri potest. Secundo, quia etiam in illo genere peccatum, verbi gratia, odium Dei non continet omnem injuriam talis generis: nam odium magis displicet Deo, si scienter, quam si ignoranter committatur, si directè per illud intendatur non esse Dei, quam si solum interpretativè: ut enim malitia ex objecto aggravetur ex diverso voluntario, & circumstantiis, ita etiam injuria. Exemplum de calore pro nobis est, quia licet calor non contineat omnem rationem qualitatis, alias foret etiam frigus, vel gratia, continet tamen omnem intentionem caloris, ita ut non possit excogitari calor, aut frigus magis intensum, ut in simili fatetur idem Hurtad. §. 61. dicens, *Misericordia infinite intensa non potest esse minus intensione, quam charitas, at charitas nobilior est misericordia.* Certè quidem hic Author non sibi constans est, cum enim asserat injuriam à Deo desumi, modo in præsenti §. adstruit etiam desumi ex nobiliore virtute; cum igitur ista injuria sit infinita, & tota fundetur in contemptu Dei, qui ejusdem rationis est, optimè sequitur continere omnem illam perfectionem odii, ampliusque omnem injuriam.

450. Ad nostram confirmationem de operibus Christi Domini, respondet idem Hurtad. diversam esse rationem, quia opera Christi dignificantur, Verbo unito intrinsecè humanitati, ad quod simul cum bono opere terminatur complacentia Dei, quæ non respicit solum opus morale, sed præcipuè dignitatem personæ, quæ cum opere ex charitate facit complexum æquale illi, quo persona cum opere misericordiæ connectitur: ita disp. 9. sect. 4. subsect. 1. §. 61. additque disput. 65. sect. 4. subsect. 1. §. 50. & sect. 8. §. 60. quia aggregatum ex Deo, & uno actu, tantum valet, ac si aggregatum foret ex Deo, & pluribus creaturis; at vero injuria oritur ex displicentia Dei; quo ergo fuerit displicentia Dei major in peccato, major erit injuriæ, & inæqualitas injuriæ sequitur inæqualitatem malitiæ ex objecto, ita citat. §. 62. ac proinde peccata non accipiunt gravitatem, & injuriam à Deo formaliter, sed extrinsecè à displicentia Dei, ut à termino. Ita addidit prædictus Author citat. sect. 6. §. 80.

451. Attamen non multum subsistit iste Author, nec constanter suam tuetur sententiam, primo, quia ex ejus dictis disput. 9. sect. 2. §. 10. & sect. 7. §. 53. injuria desumitur à Deo, ut à forma, vel subjecto morali intrinsecè efficiente injuriam; ergo jam non sumitur solùm à displicentia, ut à termino extrinseco. Secundo, quia si opera Christi Domini, ex eo quod sumuntur conjuncta cum unione Verbi ad humanitatem sunt infinita, & æqualia, non propter bonitatem, sed propter dignitatem: similiter peccata erunt æqualia, non quoad malitiam, sed quoad offensam, quæ sumi non potest, nisi conjungatur Deo: ut enim datur complexum ex Verbo divino, & ex opere bono in Christo Domino, ita juxta eumdem Hurtad. datur complexum ex injuria & Deo: æqualiterque procedet argumentum ex meritis Christi Domini, ac ex peccatis. Tertio, quia illa ratio offensæ non oritur à displicentia, quin potius, ideo Deo displicet peccatum, quia illi est injuriosum, illiusque offensivum: qua ratione idem Hurtad. cit. disputat. 9. & subsect. 1. §. 62. negat æqualitatem peccatorum etiam in ratione injuriæ. Unde fatendum potius erat peccati offensam non esse infinitam intrinsecè quam propriæ doctrinæ contrariare.

452. Ideo alii respondent tertio, peccata esse inæqualia materialiter ratione conversionis ad objecta, quæ inæqualis est: non tamen formaliter ex aversione, sive ratione offensæ; qua ratione etiam merita Christi Domini inæqualia sunt materialiter, in bonitate morali, non tamen formaliter in ratione meriti: ita communiter Doctores contrariæ sententiæ. Expressius Cotoejo fol. 33. num. 14.

453. Sed hæc solutio facile rejicitur, quia omnia peccata in ratione injuriæ, sive offensæ, sunt etiam inæqualia: magis enim offenditur Deus per desperationem suæ infinitæ misericordiæ, quam per furtum: majorque injuria Deo irrogatur, per odium ipsius Dei, quam per homicidium, injuria namque quæ reperitur in peccato ex malitia, majorem injuriam infert Deo, quam illa, quę reperitur in peccato ex ignorantia: pluraque exempla afferre possem, ex quibus constaret majorem injuriam reperiri in uno peccato, quam in altero. Secundo, quia malitia ex objecto gravior, vel levior fit propter majorem potentię conatum, & propter aliquas circumstantias, sed ille conatus, & hę circumstantię dantur etiam in aversione Dei, & in ratione offensę; ergo, &c. Tertio, quia quo peccatum est gravius ex objecto, eo majorem Deo irrogat injuriam, etiam secundum hominum æstimationem: atqui peccata juxta contrarios, & principia fidei, sunt inæqualia ita ut ex objecto unum sit alio gravius; ergo etiam inæqualis erit ratio injuriæ.

454. Quod additur de meritis Christi Domini probabilius est, ea esse æqualia quia infinita simpliciter, ac proinde ille valor infinitus ita elevat actionem moralem, ut licet omnes operationes Christi Domini sint inæquales secluso illo valore, tamen posito valore, omnis proportio, & inæqualitas tollitur, manentque omnes actiones æquales; namque ille valor dicit de materiali actus ipsos, prout sunt aliquid illius personæ, & propria ipsius media, efficientia, aut unione aliqua, ratione cujus ipsa persona divina moraliter quasi forma intrinseca dignificat operationes illius naturæ, ob quam rationem theandriæ, sive divinæ dicuntur: persona vero offensa solum se habet per modum termini extrinseci, & objecti, à quo peccata talem denominationem minime sortiuntur: hæc doctrina est Magistri mei D. Andreæ de Almada emeriti primarii, de Incarnatione disp. 1. sect. 2. & disp. 3. sect. 1. Andreas de Almada.

§. IV.

Proponuntur cætera fundamenta pro nostra sententia.

455. TErtio probatur nostra sententia, ex eo quod si peccatum in ratione offensæ foret infinitum, mereretur pœnam infinitam. Ex quo fundamento apertè convincitur satisfactio.

nem Christi Domini non fuisse superabundantem, & sufficientem: posita ramen illa infinitate offensæ, non ita facilè salvatur, & superabundantia, & sufficientia meritorum Christi. Probatur, quia si unum peccatum habet vim demerendi infinitam, jam non esset major vis io operibus Christi Domini ad merendum, & consequenter Christus per unum meritum solum ad æqualitatem satisfaceret pro uno tantum peccato, quod est contra sacram scripturam, sanctos PP. insuperque tot merita necessaria essent in Christo Domino ad satisfaciendum, quot fuerunt peccata & cum in numero peccata excederent merita Christi Domini, nec superabundanter, nec sufficienter Christus Dominus pro peccatis generis humani satisfaceret.

456. Nec solvit argumentum, id quod communiter affertur, nimirum diversam esse rationem in meritis Christi Domini, ac in peccatis: quia merita Christi Domini ex eo quod ad illa Deus concurrat, non tantum extrinsece, sed etiam intrinsece per unionem in humanitate, sunt altioris ordinis: ad peccata vero concurrit Deus extrinsece, & ut objectum. Non, inquam, obstat. Primo, quia solutio est contra Authores contrariæ sententiæ, ex ea enim colligitur offensam tantum esse infinitam secundùm quid, & extrinsece, ideo enim merita Christi Domini habent vim merendi quodcumque præmium excogitabile, quia sunt infinita intrinsece; ergo si peccata sunt infinita intrinsece, habebunt vim merendi quamlibet pœnam, etiam infinitam: & consequenter quod nullius satisfactio pro illis acceptetur; etiamsi mereantur talem Dei Indignationem posita quacumque satisfactione. Secundo, quia peccatum est infinitum ejusdem ordinis cum infinito valore operum Christi Domini: nam malitia, & virtus sunt contraria, & tantum meretur virtus, quantum peccatum demeretur, ratio vero infinitatis in offensa utrobique est eadem, cum utraque juxta contrarios desumatur à Deo intrinsece moraliter afficienta.

457. Quarto, probatur ex eo quod ex opposito sequeretur peccatum veniale in ratione offensæ esse intrinsece infinitum: quod argumentum, licet parvi pendatur à contrariis, sua non caret efficacia: nam si peccato veniali aliquid obstaret, ne foret infinitum intrinsece, & simpliciter, esset, quia est levis offensa, quæ non simpliciter offensa est; hæc tamen ratio non obstat, quia ratio offensæ infinitæ simpliciter in peccato mortali tota desumitur ex eo quod peccatum mortale est forma denominans Deum offensum à quo illam participat infinitatem; ergo etiam peccatum veniale erit offensa simpliciter infinita, quia est forma denominans Deum offensum, à quo illam participabit infinitatem.

458. Dices cum Cornejo citato, illam denominationem infinitæ offensæ, non posse dari in peccato veniali, quia non est illius denominationis capax. Sed contra, quia tam peccatum mortale, quam veniale concurrit finito modo, & quantum est ex parte principij, ac objecti intrinseci, sunt infinita: si autem utrumq; consideretur præcise ex parte Dei offensi, à quo desumitur illa infinitas, nulla est disparitas in utroque: Deus enim utroque peccato offenditur, peccatum enim veniale etiam Dei offensa est, ut vidimus supra à num. 425.

459. Dices secundo: Infinitatem illam injuriæ non provenire ex solo Deo offenso, sed etiam ex gravitate peccati reperta in objecto, & cum objectum peccati venialis, non sit grave, nullam refundet infinitatem offensæ in ipsum peccatum. Sed contra, quia ex hac solutione sequitur evidenter, nec offensam repertam in peccato mortali esse infinitam; namque ut conceditur infinitas offensæ non provenit à solo Deo: deinde non provenit à sola malitia, hæc enim ex suo objecto finita est; non etiam provenit ex utroque simul: namque ex duobus *extremis, quorum nullum satis est ad infinitandum*, non potest sumi ratio infinitatis.

460. Dices tertio, totam infinitatem provenire à persona offensa, requiri tamen gravitatem peccati mortalis, tamquam conditionem sine qua non, ut Verbum divinum tribuit valorem infinitum operibus Christi Domini, dummodo sint facta cum libertate, si enim libera non fuerint, infinita etiam non erunt. Sed contra, quia hæc conditio liberè fingitur, sicut enim persona non præstat infinitatem simpliciter actui bono; nec etiam eamdem præstabit actui malo. Exemplum quod affertur, pro nobis est; quodlibet enim opus honestum Christi Domini, sive magis, sive minus liberum sit, eamdem infinitatem participat, & valorem à persona Verbi; ergo similiter quodlibet peccatum, sive magis, sive minus liberum sit; sive leve, sive grave, eamdem sortietur infinitatem, si forma tribuens eam infinitatem, fuerit eadem.

§. V.

Solvuntur argumenta contrariæ sententiæ.

461. PLura sunt argumenta, quibus contraria sententia nititur, & aliqua non carent difficultate. Primum sit illud commune & tritum argumentorum calculatorium. Quo persona quæ offenditur, est nobilior, eo offensa est gravior: sed Deus est persona infinitè nobilis, ergo etiam offensa erit infinitè gravior. Major communiter recipitur à Theologis, & traditur à Philosopho 1. Ethicor. cap. 5. ubi sic: *Is, qui magistratum gerit, & alium percutit, non est repercutiendus: at si quis Magistratum percusserit, non solum est repercutiendus, verum etiam supplicio afficiendus.*

Respondetur, distinguo Major. *Quo persona, quæ offenditur est nobilior, eo offensa est gravior*, Geometrice, concedo: Arithmetice, nego: Explico quid sit excessus Arithmeticus & Geometricus: excessus enim Arithmeticus, est quo quis in certa mensura cum alio commensuratur: ut si quantitas bipalmaris excederet Arithmetice palmarem, deberet excedere secundum dimidiam sui partem: excessus Geometricus est ille qui sumitur secundum habitudinem inter diversos terminos, ad quod sufficit quod actus, licet non excedat alium actum in certa mensura, quia tamen oritur ex nobiliori objecto, perfectior sit absolute omnibus aliis actibus, si cætera sint paria: quæ solutio recepta est apud Theologos, quando enim arguitur, visionem beatam esse infinitam ex hoc argumento, quo objectum est nobilius, eo perfectior est cognitio, sed Deus est objectum infinitum visionis beatæ; ergo visio beata est infinita: Respondent, excessum illum visionis beatæ esse Geometricum, & habitudinis, non vero Arithmeticum, & commensurationis, id est, illa visio est perfectior omnibus cognitionibus creatis, non tamen commensuratur objecto: idem respondent ad argumentum ex amore Dei: quare eodem modo peccatum erit majus, vel minus ratione injuriæ, non per excessum Arithmeticum, non enim tanta est offensa, quantus est Deus; sed

Geometricum, ita ut sit altioris ordinis, & excessus, non quidem per partes æquales, sed proportionales: & cum contrarii hac solutione utantur in peccato veniali, visione beata, amore beatifico, charitate, ac bonitate, eadem tenentur uti in peccato mortali.

462. Instabis tamen, quia non assignatur, quid sit ille diversus, & altior modus, ac excessus Geometricus, in quo offensa facta contra Deum, excedit offensas factas contra creaturas. Probatur, quia, vel ille altior modus est infinitus, vel finitus: si infinitus, habetur intentum: si finitus, jam poterit illa offensa satisfieri à pura creatura, cum Deus creaturam perfectiorem in infinitum creare possit: unde si sola persona simpliciter infinita satisfacere potest pro peccato mortali, necessario fatendum est talem offensam esse infinitam: eo modo, quo si detur pondus ita grave, ut ad sui elevationem, requirat virtutem infinitam simpliciter, tenemur fateri tali ponderi inesse gravitatem simpliciter infinitam; implicat enim, quod finitum à finito superari non possit.

Respondetur negando anteced. ad probationem, talem ordinem altiorem fundari in entitate, & perfectione essentiali peccati finita, quæ infinita est respective: & consistit hæc infinitas in eo, quod facta comparatione ad infinitas offensas personis inferioribus illatas longo intervallo superat illas omnes: & quantumvis illæ offensæ creaturis irrogatæ in infinitum augeantur, numquam pertingent ad æqualitatem offensæ Deo factæ: quod mirabile non est, cum eadem doctrina utantur contrarii in visione beata, ac amore beatifico, ac actu charitatis, & patet, nam inter Leonem, & Angelum possunt mediare propemodum infinitæ creaturæ corporeæ perfectiores Leone, quas omnes dum superat Angelus, est infinitus secundum quid, hoc est, habet entitatem omnibus illis creaturis æquivalentem, omnibusque illis perfectiorem.

Nec sequitur puram creaturam posse satisfacere pro illa offensa: Licet enim peccatum sit in entitate finitum, postulat tamen vim satisfaciendi infinitam, eo quod offensa sit infinita respective, & secundum quid, pura vero creatura semper esset finita, & finito modo operans, & cum satisfactio major sumatur ex majore dignitate personæ ope-
Aristot. rantis, ex Aristot. 1. Ethicor. cap. 4. & gravitas offensæ ex persona offensa, si offensa est infinita, & altioris ordinis, numquam poterit satisfieri à persona finita: nec verum est, possibilem esse personam in infinitum & infinitum perfectiorem, juxta ea quæ docuimus in cursu philosophico
Scotus. disputantes de possibilitate infiniti cum Scoto in 3. dist. 13. q. 4. n. 2. Theodoro Smising. tom. 1. de Deo tract. 3. disp. 7. n. 72. Et licet admittatur persona creata infinita simpliciter, semper foret alterius ordinis, multumque distaret à persona offensa, ejusque actus inferioris ordinis essent ab ordine offensæ, dummodo versarentur circa creaturas. Video hic plures involui difficultates, quarum solutio spectat ad materiam de Incarnatione, interim videatur Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 4. sect. 7.

463. Et ut omnis solutio adhibeatur, & causa cur à persona creata etiam infinita, non possit satisfieri pro offensa mortali, notandum est, peccatum habituale non solum consequi privationem gratiæ habitualis, sed gratiæ etiam substantialis increatæ, qui est Deus, quatenus ab eo per peccatum avertimur, ejusque amore privamur: & consequenter ad perfectam æqualitatem inter satisfactionem & offensam, debet concurrere ex parte personæ satisfacientis non solum gratia habitualis, sed etiam substantialis, & increata: & licet illud peccatum auferatur remittente Deo, & per gratiæ infusionem, quin concurrat ad satisfactionem persona increata, non tamen homo ille talis peccati remissionem meretur, hoc enim meritum personam infinitam, sive gratiam increatam postulat: quo notato claré constat à nulla creatura, etiam infinita satisfieri posse pro offensa illa quæ infinita est respective, talisque ordinis, ut solum à persona increata satisfieri possit.

464. Secundum argumentum est. Illud argumentum calculatorium concludit in operibus Christi Domini, nimirum, quanto persona operans est dignior, tanto meritum est majus: sed Christus est persona infinita simpliciter; ergo etiam meritum Christi Domini erit infinitum simpliciter; ergo etiam concludet in offensa peccati. Responderi potest primo, negando anteced. videlicet, non etiam concludere in operibus Christi Domini: si quis enim dixerit merita Christi Domini esse finita simpliciter, & secundum quid ac respective infinita, non multum deviabit à veritate: in qua opinione merita Christi Domini essent altioris ordinis, ad cujus perfectionem nulla creatura etiam de possibili attingere posset. Nec oppositum colligitur ex Scriptura sacra aut sanctis PP. tantummodo enim asserunt necessariam fuisse Verbi Incarnationem ad genus humanum redimendum, quodlibetque meritum Christi Domini sufficiens esse ad omnia delenda peccata: hæc enim vis procedit ex diverso ordine in quo est meritum Christi Domini.

465. Respondetur tamen secundo, negando consequentiam: Diversa ratio est, quia Christus Dominus habet se ut principium suæ operationis, & tota sua dignitate quodammodo illam informat, non quidem physice, sed moraliter, & ideo infinitum valorem confert suis operibus, dum sua opera, & se ipsum obtulit in obsequium: at vero offensa, nec informatur, etiam mediatè à Deo, nec illi unitur, & Deus tantum est terminus extrinsecus, qui non communicat peccato totam suam dignitatem. Aliquas instantias patitur hæc solutio, quas omitto, tum quia ex dictis satis solutæ manent: tum quia in materia de Incarnatione diffusius tractantur.

466. Tertium. Obligatio evitandi offensam, est infinita, id est, est obligatio supra omnem obligationem; non enim debet cōmitti pro rebus omnibus; ergo etiam offensa erit infinita. Respondetur primo, dato antecedente, non sequi consequentiam: aliter etiam in peccato veniali probaretur: simulque offensa majorem vim haberet ratione demeriti, quam opera Christi Domini ratione meriti, cum committendum non sit peccatum, sive mortale, sive etiam veniale pro omnibus operibus Christi. Secundo, distinguo anteced. Obligatio evitandi culpam, infinita est, id est, major & prima, concedo: repugnat enim esse peccatum, & non esse obligationem illud evitandi: id est, est infinita in se, nego antecedent, finita enim est: & jam dicitur illa obligatio major, quia in aliis obligationibus involvitur, qui enim obligatur ad amorem Dei, etiam ad non peccandum obligatur.

467. Quartum. Magis demeretur peccatum, quam meretur meritum Christi Domini: atqui meritum Christi Domini est infiniti valoris; ergo etiam peccatum infinitæ offensæ. Major probatur, quia si humanitas Christi Domini dimitteretur à Verbo, & peccasset, peccatum illud omnia

extingueret

extingueret merita Christi antecedentia; ergo ex eo quod tantum demereatur peccatum, quantum merita merebantur. Respondetur cum Lugo citato disp. 5. sect. 3. num. 51. negando majorem, ad probationem nego anteced. Nam cum meritum antecedens Christi Domini mereretur omne præmium possibile, etiam mereretur remissionem peccati statim faciendam: ut etiam merita antecedentia cujuslibet justi, qui lapsus est in peccatum, de congruo merentur, quod Deus illum moveat ad compunctionem, & pœnitentiam.

468. Quintum. Peccatum ex se, & ex sua natura est destructivum Dei; ergo est infinitè offensivum. Ant. patet, quia peccator quantum in se est vult destruere Deum, Deumque privare ratione ultimi finis; insuperq; potest peccator habere ex odio Dei affectum efficacem destruendi Deum. Respondetur negando antecedens: numquam enim peccatum potest habere vim destruendi Deum: Unde licet peccator habeat affectum destruendi Deum, cum illa destructio sit impossibilis, non contrahit tantam malitiam, quantam contraheret, si possibilis foret, ut si homo cupiisset ad destruendum orbem, solem è cœlo decidere, non tantam contraheret inde malitiam quantam si solem è cœlo deducere potuisset, & si quis haberet affectum dandi eleemosynam infinitis pauperibus, meritum non foret infinitum: ut nec etiam foret infinita malitia illius affectus, quo quis conferre vellet mortem infinitis hominibus. Ut etiamsi quis velit Deo tribuere omnem perfectionem divinam, si Deus illa careret, illa volitio non esset infinita. Quod adeo verum est, ut si per possibile, vel impossibile, quilibet horum affectuum reduceretur ad actum, adhuc non esset infinitus, cum infinitus actus non tantum desumatur ex objecto, sed etiam ex modo tendendi potentiæ, ex dictis à num. 439. quæ cum finita sit, finitum eliceret actum.

469. Instabis: Si Deus foret capax destructionis, & tristitiæ, peccatum Deo afferret tristitiam & destructionem infinitam. Respondetur, negando antecedens: peccatum non infert malum, nisi secundùm quid infinitum: Deus verò cum etiam data hypothesi foret simpliciter infinitus, vim malitiæ semper superaret. Præcipuè, quia etiam si peccatum esset infinitum simpliciter, cum Deus sit infinitum altioris ordinis, potiores vires Deo attribuendæ sunt, quam peccato: ut etiam in opinione contrariorum merita Christi Domini, quia altioris ordinis sunt, plus merentur quam peccatum demeretur.

§. VI.

Solvitur sextum argumentum de infinitate pœna.

470. Sextum argumentum specialem postulat locum, tum quia illi nimis fidunt adversarii, tum quia nimis in illo spatiatur Hurtado. Omnis dignitas ad pœnam simpliciter infinitam est conjuncta cum malitia simpliciter infinita in genere demeriti: atqui in peccato mortali est dignitas ad pœnam simpliciter infinitam; ergo etiam ibi erit offensa simpliciter infinita. Major est certa: Primo, quia effectus continetur in virtute suæ causæ adæquatæ: sed pœna est effectus offensæ, & est infinita; ergo etiam offensa infinita erit: aliter effectus excederet virtutem suæ causæ. Secundo, quia ideo meritis Christi Domini respondet præmium infinitum simpliciter, & non meritis aliorum hominum, quia illud est infinitum, & hæc sunt finita simpliciter. Min. antem probari solet variis modis. Primo, quia Deus poterat privare hominem unione hypostatica propter commissum peccatum, etiam si voluisset eam humanitatem assumere: sed illa carentia unionis hypostaticæ est infinita simpliciter, eo enim privatio est pejor, quo bonum privatum est melius, carentia verò unionis hypostaticæ privat ipso Deo. Secundo, quia peccatum est causa æternitatis pœnarum, tam damni, quam sensus: atqui hæc pœna non est ultra, sed citra dignitatem peccati; ergo peccatum habet demeritum condignum pœnæ æternæ. Tertio, quia peccatum meretur privationem omnium bonorum, etiam possibilium: atqui omnia bona possibilia sunt infinita; ergo, &c. Quarto, quia per peccatum mortale meretur homo infinita mala; ergo, &c.

471. Respondetur primo, negando majorem: Bene enim potest causæ finitæ correspondere effectus infinitus, dummodo effectus ab aliacausa etiam procedat: ut in sententia Aristotelis, Aristot. quilibet actus habet infinitas partes quoad distinctionem, & tamen potentia est finita, & in omnium sententia peccatum procedit à sola voluntate, quæ finita est: & tamen juxta contrarios offensa peccati est infinita: insuper si Deus ob solam justificationem hominum decerneret Christum venturum, & ejus etiam opera jam causa finalis incarnationis, & operum Christi Domini, quæ infinita sunt, causa finita foret. Quare ad primam confirmationem, nego consequentiam, quia offensa non est causa adæquata, sed inadæquata illius pœnæ, cum etiam Deus sit pœnæ causa, ac proinde licet in omnium serie causarum, quæ ad alicujus effectus infiniti productionem concurrunt, assignari debeat aliqua causa infinita, non tamen necesse est, quod omnes ejusdem effectus infiniti causæ sint infinitæ.

472. Dices: Peccatum solummodo est causa totalis demeritoria illius pœnæ infinitæ; ergo saltem in ratione demeriti, erit infinitum. Respondetur negando consequentiam: sufficit enim quod peccatum sit altioris ordinis, quam pœna, ad hoc ut ipsam pœnam etiam infinitam valeat demereri, etiam si finitum sit: qua solutione tenemur, utinam! etiamsi gratia in infinitum intendatur, numquam per illam remittetur culpa, sive culpa sit finita, sive infinita, eo quod culpa sit altioris ordinis ad quem pervenire non potest pœna etiam infinita, cum in ratione mali etiam peccatum veniale pejus sit quacumque pœna etiam infinita, quo etiam modo si calor in infinitum intendatur, numquam adæquabit ordinem ignis, qui ex sua natura est superior calore. Quapropter peccatum finitum, etiam in ratione offensæ, merebitur pœnam quamcumque etiam infinitam, quia culpa non commensuratur pœnæ arithmeticè, sed geometricè, nec ex hac solutione sequitur, pœnam non esse proprietatem culpæ, proprietas enim est, non quidem propriè ita ut ab illa emanet, sed impropriè, quia non datur pœna propria, quæ culpam non supponat; unde si admittamus de facto pœnam esse finitam, non tamen inde inferendum est culpam non esse dignam pœna infinita, cum juxta piam ac sanam Theologorum sententiam Deus puniat citra condignum, & præmiet ultra condignum; & hæc quidem responsio optima est: sed ne discedamus à communi sententia, nostram cum nostris defendemus Authoribus, ideo aliam adhibeo solutionem.

473. Respondetur enim secundo, negando Minorem: numquam enim assignabitur pœna in ratione pœnæ, quæ sit infinita simpliciter. Quare ad primam probationem respondetur negando minor. Licet enim illa privatio, sive carentia unionis hypostaticæ necessario consequatur peccatum, non tamen necessario consequitur ex peccato, tamquam ex causa: non enim actus est causa meritoria rei, quam secum affert: aliter actus mereretur suam ubicationem, & relationem necassario resultantem in ordine ad causam, & objectum; requiritur enim amplius ad hoc ut actus sit causa meritoria, quod sit in potestate præmiantis, vel punientis conferre, vel non conferre eam rem, quæ merito talis actus rependitur: cum ergo Deus non possit ponere unionem hypostaticam simul cum peccato juxta communem Théologorum sententiam, de qua videri possunt Petrus Hurtado de Incarnatione, disputat. 60. à §. 28. Ægid. de Coninch. de actibus disputat. 2. dub. 7. à numero 119. non erit carentia unionis hypostaticæ pœna condigna, ratione culpæ, sed impossibilitatis, quod quidem per accidens est pœna, & pœna per accidens non commensuratur culpæ, ut asserunt illi Doctores, qui asserunt peccatum veniale in inferno pœna æterna puniri, Quod si admittatur stare posse peccatum cum unione hypostatica, tunc huic instantiæ adhibenda est solutio, quam sequenti instantiæ adhibebimus.

474. Instabis: Peccatum cum gratia etiam de potentia absoluta stare non potest, ut communiter docent Doctores. Videantur Malder. 2. 2. quæst. 24. articul. 11. *conclus.* 5. Lorca ibi sect. 3. disputat. 22. Ægid. citatus disputat. 22. dub. 10. à numero 133. & tamen peccatum est causa demeritoria gratiæ; ergo licet peccatum non possit stare cum unione hypostatica, poterit tamen esse causa demeritoria illius. Respondetur primò, negando major. quod ut probabilius docet Herrice prima part. disputat. 17. cap. 2. numero 13. Respondetur secundo, negando consequentiam, quia licet non possit esse gratia cum peccato, tamen peccatum ratione suæ malitiæ tantum malum meretur, ut si posset gratia esse simul cum peccato, non esset ultra dignitatem peccati, quod Deus denudaret animam tali gratia: attamen, si per impossibile, vel possibile posset esse unio hypostatica cum peccato, non esset condigna pœna & debitâ peccato, carentia illius unionis, eo modo quo peccatum veniale pœnam meretur, sed non talem ut privet gratia habituali, quin potius admissa infinitate offensæ in peccato, non sequitur per illam mereri unionis hypostaticæ privationem, quia hæc privatio est altioris ordinis: qua de causa in una, & altera opinione asseritur, etiamsi merita Christi Domini, & offensa peccati sint infinita simpliciter, adhuc magis mereri Christum Dominum per merita quam homines demereri per culpam, quia scilicet sunt diversi ordines.

475. Ad secundam probationem, quod scilicet peccatum sit causa æternitatis pœnarum; Respondetur absolutè, concedo totum, namque æternitas illa pœnæ, non facit pœnam infinitam simpliciter, sed tantum secundùm quid ratione durationis. Unde pœna damni est finita, quia privat Deo finito modo participabili; pœna etiam sensus finita est in intensione, licet in extensione sit infinita: ac proinde licet pœnæ duratio sit æterna, tamen pœna in se finita est, & per consequens etiam offensa, pro qua imposita est. Explicatur exemplo meritorum, quæ juxta omnium sententiam finiti valoris sunt, & tamen merentur præmium in æternum duraturum, eo quod, licet duratio præmii sit infinita, tamen præmium ipsum finitum est.

476. Instabis primo cum Hurtado citata disputat. 9. section. 5. subsect. 3. à numero 24. Coninch de actibus disputat. 10. numero 5. si tota pœna, quæ per æternitatem est dispersa, daretur simul in uno instanti, esset infinitè intensa; ergo etiam offensa, pro qua datur, erit infinita cum pœna culpæ respondeat. Explicaturque instantia, si homo in instanti, quo ad ima inferni detruditur, pateretur dolorem ut duo, & cum eodem dolore in tempore sequenti pateretur, si ille dolor per illud instans, & tempus sequens, vel ut clarius loquamur, per duos dies dispersus ad unum diem reduceretur, ita ut pœna unius diei æquivaleret pœnæ duorum dierum: dolor unius diei, si foret intensus ut quatuor, adjunctus dolori alterius diei, foret intensus ut octo; ergo si ad eumdem diem dolor totius æternitatis reduceretur, proculdubio ille dolor esset infinitè intensus, & tormento æterno æquivaleret.

477. Sed meo judicio hoc argumentum etiam procedit contra peccatum veniale in opinione asserentium in inferno puniri pœna æterna: & multi etiam volunt etiam procedere contra nostra merita, quæ juxta determinationem Concil. Tridentin. sessione 6. cap. 16. & Canone 32. sunt absolutè finita, & tamen de condigno merentur vitam æternam: quod tamen stare non potest, si duratio illa æterna præmii postulat meritum infinitum cum merita finita sint. Quapropter, sicut meritis finitis correspondet præmium secundùm quid infinitum ratione durationis, ita etiam offensæ finitæ correspondebit pœna infinita secundùm quid, respectu scilicet durationis. Triden.

478. Nec mihi placet triplex responsio quam præsenti difficultati adhibet Hurtado: Prima est, quod per nostra bona opera meremur de condigno substantiam vitæ æternæ, quæ finita est, non verò æternitatem ipsam, eo quod hæc æternitas debeatur gratiæ finali, quæ sub meritum non cadit. Sed contra, primo, quia Trident. clarissimè nostris operibus, non solum substantiam vitæ æternæ, sed etiam ipsam vitam æternam nostris meritis esse promissam decernit, ita enim habet citato cap. 6. *Et vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam verè promeruisse censeantur.* Eademque habet citato canone 32. Secundo, quia quilibet in gratia existens vitam æternam meretur, & ideo eam debet sperare, si usque in finem perseveraverit, ut decernitur citato cap. 16. ubi: *atque ideo benè operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna.* Tertio, quia eodem modo dicendum esset per peccatum non mereri æternitatem, sed substantiam pœnæ, cum etiam æternitas ipsa pœnarum peccato finali tribuatur. Triden.

479. Secunda responsio est, homines in via non mereri vitam æternam, sed in patria. Sed contra secundo, quia ex hac responsione sequitur Beatos in patria mereri. Secundo etiam idem dicendum foret de peccatis, nimirum quod homines non mereantur pœnam æternam in via, sed in inferno, non enim assignari potest aliqua disparitatis ratio. Tertia responsio, quam præter Hurtado tradit Ægid. de Coninch. cit. num. 12.

est, quod opera nostra secundùm intrinsecam virtutem non merentur æternitatem vitæ, sed tantum adjuncta acceptatione Dei, & applicatione meritorum Christi, sine quibus talem vitam æternam non promererentur: at vero peccatum ex se meretur æternitatem illius pœnæ. Sed contra, quia si peccatum non ordinaretur ad pœnam, talem pœnam non mereretur.

480. Quare respondeo ad argumentum, negando antecedens: semper enim major est pœna infinitè intensa per breve tempus, quam finita per æternum, vel longum tempus: si quis enim febri laboret ut quatuor per unum diem, & per alterum diem febri ut octo laboret, major erit illa febris, & dolor ex ea sequutus: si quis etiam patiatur infinitos gradus pœnæ remissæ per æternitatem, magis torquebitur quam si omnes illos gradus simul patiatur. Deinde concedo, per peccatum mereri pœnam infinitè intensam temporalem, non tamen inde sequitur eam pœnam esse infinitam simpliciter: cum juxta contrarios major esset pœna æterna, etiam finitæ intensionis: ac proinde semper illa pœna sensus est finita ut expresse docuit D. Thom. 1. 2. q. 87. art. 4. in corpore, ubi: *ex parte autem inordinatæ conversionis* D. Thom. *respondet ei pœna sensus, quæ etiam est finita*: talis enim pœna infinita est impossibilis; & nemo dignus est mereri pœnam impossibilem: ex eo enim quod terminus relationis est impossibilis, impossibilis etiam est relatio: quod si admitteretur pœna sensus infinita, non ex hoc sequeretur culpam esse dignam tali pœna.

481. Instabis secundo: Malum pœnæ est minus malum, quam malum culpæ; ergo posita quacumque pœna, poterit Deus alia, & alia in infinitum acerbiori peccatorem punire: & consequenter si pœna infinita fuerit possibilis, debita erit tali culpæ. Respondetur, negando consequentiam, quia non est necessarium pœnam esse proportionatam culpæ, ita ut pœna adæquetur culpæ in ratione mali, sed requiritur quod adæquetur in ratione pœnæ juxta proportionem, quæ tanta censeatur, ut homines arceat à peccando; aliter si pœna in omni sua ratione adæquaretur culpæ, jam peccato veniali, quod majus malum est, quam malum pœnæ, deberetur infinita pœna.

482. Urgebis. Hæc solutio in pœna damni non habet locum. Probatur anteced. quia gratia, & gloria possunt esse infinitè intensæ, sed pœna damni est privatio gratiæ, & gloriæ; ergo rum illud peccatum privet omni gratia & gloria, etiam privabit omnibus gradibus gratiæ & gloriæ, qui infiniti sunt, & per consequens merebitur pœnam infinitam. Respondetur primo, negando anteced. Ad probationem, negando major. videlicet possibilem esse gratiam, aut gloriam infinitè intensam. Secundo, negando anteced. Ad probationem transeat major; distinguo min. Sed pœna damni est privatio gratiæ, & gloriæ, extensive, concedo: intensive, nego: Deus enim de facto videtur totus, sed non totaliter, id est, Deus totus videtur, quoad perfectionem, non tamen videtur totus quoad gradus perfectionis: non enim possibile est quod Deus participetur à creatura infinito modo, eo scilicet modo, quo est participabilis. Imo adderem peccatum non esse dignum privatione omnis gloriæ, quæ possibilis est communicari creaturæ: nam illa gloria non est debita nostris operibus de facto, & solum de possibili deberi potest posita Dei promissione, peccatum autem non est causa omnis privationis, sed tantum illius, cujus forma debita est.

483. Dices primo: Peccatum est dignum omni pœna sensus; ergo etiam dignum est privatione omnium graduum gloriæ. Probatur consequentia, quia major pœna est pati aliquem dolorem per totam æternitatem, quam per eamdem aliquo bono maximo, & altioris ordinis privari: dummodo hæc carentia solitariè sine tristitia accipiatur. Respondetur: transeat anteced. nego consequentiam: Ad probationem, nego anteced. aliter de facto privatio visionis beatæ foret pœna minor, quam pœna sensus, namque tristitia ex illo damno illata, pertinet ad pœnam sensus: & si duobus hominibus æqualiter peccantibus proponeretur, uni promissio gloriæ si non peccaret, alteri verò nulla illius promissio, primus peccator puniretur sola pœna damni, secundus verò sola pœna sensus, nam huic secundo carentia gloriæ debita non erat, & per consequens, nec privatio gloriæ foret pœna, in quo casu magis puniretur ille, qui careret gloria, quam ille, qui pœnam haberet sensus. Insuperque etiam peccato veniali respondet pœna sensus, & non damni, ex eo quod pœna damni major sit, quam pœna sensus.

484. Dices secundo: In eo casu major afflictio esset in eo, qui patitur pœnam sensus, quam in eo, qui pœna damni punitur; ergo illa pœna sensus major est quam pœna damni. Respondetur negando consequentiam, quia illa afflictio, non est major in ratione damni: damnum enim hoc, non pensatur solum ex afflictione, sed præcipuè ex bono, quo privat, ut si Deus foret forma informativa animæ, & tali forma homo per peccatum privaretur, ista privatio foret pœna omnium maxima; & non foret pœna sensibilis: Nec obstat, quod aliquis potius eligeret pœnam damni, quam pœnam sensus: non inquam, obstat, quia hoc provenit ex eo, quod vehementius movemur à sensibilibus.

485. Ad tertiam probationem argumenti principalis positi num. 471. de privatione totius boni possibilis; Respondetur negando majorem, nimirum peccatum mereri privationem totius boni possibilis, cum enim peccatum mereatur malum finitum, jam non demeretur, saltem negativè, omne bonum, cum carentia ulterioris mali, bonum sit. Insuperque omne bonum possibile, cum simul communicari non possit uni creaturæ, impossibile est quod illius carentia sit pœna: cum enim illud bonum esset indebitum creaturæ, carentia illius, quod est indebitum, non est pœna: inde est, quod homo non punitur, quia non est Angelus: inde etiam est, quod major pœna est, privatio cujuslibet gratiæ, quam privatio unionis hypostaticæ, quia unio est indebita: unde major pœna est negare homini centum, quæ ei debentur, quam ducenta, quæ eidem non debentur: quare pœna non sumitur ex quantitate, sed ex debito rei: qua de causa majorem pœnam habet Rex si à corona ad paupertatem redigatur, quam si quis à paupertate ad mendici statum: cum tamen mendicare gravius malum sit, quam paupertas, ratio est, quia status ille regalis erat magis debitus ipsi Regi, & necessarius, quam status pauperis.

SECTIO UNDECIMA.

De divisione peccatorum.

VArias assignant Theologi peccatorum divisiones. Prima est in peccatum carnale, & spirituale. Secunda, in peccatum contra Deum, contra nos, & contra proximum. Tertia, in peccatum cordis, oris & operis. Quarta, in peccatum per excessum & defectum. Quinta, in peccatum commissionis, & omissionis. Sexta, in peccatum mortale & veniale. Alias tradunt divisiones, nimirum secundum reatum pœnæ, & secundum circumstantias; ac in peccatum ex malitia, ex passione, & ignorantia: sed divisio secundum reatum pœnæ pertinet ad effectus peccati: secundum circumstantias ad accidentia peccatorum: secundum malitiam, passionem, & ignorantiam ad principia intrinseca peccatorum, ideo de eis infra disserendum est: in præsenti prædictæ divisiones singillatim sunt expendendæ.

SUBSECTIO PRIMA.

Exponitur prima divisio in peccatum carnale, & spirituale.

486. OMnia peccata carnis & spiritus sub hac divisione comprehenduntur, dari vero talia peccata aperte docet Apostulus 2. ad Corinth. cap. 7. vers. 1. *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus*: ergo non solum operibus carnis, sed etiam spiritus immunda redditur anima, cum ab inquinamento, id est, peccato carnis & spiritus emundari debeat anima, ut gratiam recipiat.

487. Quo pacto accipienda sit divisio non satis constat propter diversos modos, quibus carnalia opera, & spiritualia accipiuntur. Primo namque accipiuntur juxta diversum delectationis modum: quæ enim in delectatione carnali consummantur, id est, in tactu rerum materialium, quæ à sensibus apprehenduntur, peccata carnalia appellantur, qua ratione omnia peccata, quæ circa sensus versantur, & in tactu, ac delectatione objectorum materialium sunt consummata, dicuntur peccata carnalia, ut gula, luxuria, licet luxuria per antonomasiam appelletur ab Apostolo carnale peccatum, eo quod mentem omnino absorbeat: peccata, quæ in delectatione spirituali consummantur, appellantur spiritualia, ut avaritia, superbia.

488. Secundo, accipiuntur ex parte objectorum: in quo sensu pecata carnalia sunt omnia, quæ circa sensibile objectum versantur, quo sensu avaritia, quæ pecuniam habet pro objecto, dicitur peccatum carnis: spiritualia vero dicuntur ea peccata, quæ pro objecto habent aliquid spirituale, ut infidelitas.

489. Verum est, quòd juxta phrasim Apostoli, & Augustini, omnia peccata, tam quæ versantur circa sensibilia, quam circa spiritualia, dum sint quid creatum, appellantur peccata carnalia, sive opera carnis: ita Augustinus lib. 14. de Civitate Dei cap. 2. explicans illud Apostoli: *Caro concupiscit adversus spiritum*, ait; *cum opera carnis appellat Apostolus, eo loquutionis modo, quo etiam significatur à parte, ipsum hominem nomine partis intelligere.* Ita etiam cap. 5. explicat locum Apostoli. *Secundùm carnem vivunt*, quia, *deserto creatore vivere secundum creatum bonum, non est bonum, sive quisque secundum carnem, sive secundum animam, sive secundum totum hominem, qui constat ex anima, & corpore, eligat vivere.* Luculenter vero omnia opera mala appellat Augustinus opera carnis, & rationem prædictæ loquutionis reddidit lib. de continentia cap. 13. *Cupiditas in vitio ponitur, nec tantum est corporis, sed etiam animi: etenim, si cupiditas corporis est in fornicationibus, & ebrietatibus: numquid inimicitiæ contentiones, æmulationes, postremo animositas in corporis voluptatibus, ac non potius in animi motibus, & perturbationibus exercentur? carnis tamen opera, hæc omnia nuncupavit Apostolus, sive quæ ad animum, sive quæ ad carnem propriè pertinent: ipsum scilicet hominem, nomine carnis appellans: opera quippe hominis sunt, quæ non dicuntur Dei, quoniam homo, qui hæc agit, secundum se ipsum vivit, non secundum Deum in quantum hæc agit.* In quibus verbis Augustinus non solum approbat nostram divisionem, sed etiam reddit rationem, cur cum dentur peccata, quæ tantum pertinent ad spiritum, omnia dicuntur opera carnis; & ea est, quia sumitur hîc caro pro toto homine: quibus explicatis dubiola quædam supersunt breviter resolvenda.

490. Primum, utrum prædicta divisio sit essentialis. Respondetur negativè: quia vel accipipitur divisio per ordinem ad delectationem, vel ad objecta: Si primum, delectatio consequitur actum, & objectum; ergo non potest esse peccato essentialis: Si secundum, objecta per quæ traditur divisio, non sumuntur formaliter, ut specificativa sunt, sed materialiter; unde una, eademque virtus versatur sæpe circa materiale, & spirituale objectum: ut apparet in humilitate, quæ appetitum excellentiæ tam circa materialia, quam circa spiritualia moderatur.

491. Secundum, utrum hæc divisio sit adæquata. Respondetur affirmativè: nullum enim dari potest peccatum, quod vel non sit carnale, vel non sit spirituale. Primo, quia omne peccatum datur cum delectatione, nec ullum dari potest, si non delectat: quod sæpe tradit Augustinus lib. 2. de Genesi contra Manichæos cap. 14. *Ratio nostra deduci ad consensionem peccati non potest, nisi cum delectatio mota fuerit.* Lib. 22. contra Faustum cap. 28. *Quicquid est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur nisi ex illicita delectatione.* & sæpe alibi. Secundo, quia inter spirituale, & corporale, non datur medium; ergo utroque modo divisio explicata, adæquata est.

492. Tertium, utrum gravius sit peccatum spirituale, quam carnale. Respondetur cæteris paribus, affirmativè: est doctrina D. Thom. 1. 2. q. 73. art. 5. in corpore desumpta ex D. Gregorio Papa III. lib. Moral. cap. 31. Ratio est, quia peccatum carnale habet vehementius impulsivum, id est ipsum appetitum effrænem circa corporalia.

Dices: Adulterium est gravius peccatum, quam furtum, Proverb. 6. & tamen furtum est peccatum spirituale, cum sit peccatum injustitiæ; ergo. Respondetur, nego consequentiam, quia etiam adulterium est peccatum injustitiæ, & ex hoc capite spirituale; quod si juxta Patres diabolus plus gaudet de peccato circa carnalem concupiscentiam commisso, quam de spirituali, non est, quia hoc illo sit levius: sed quia homo inhonestus difficilius convertitur ad Deum, & summa cum difficultate avertitur à creatura.

493. Quartum, utrum peccatum carnale sit majoris infamiæ, quam spirituale. Respondetur affirmativè, quia licet homo per utrumque pec-

catum sibi acquirat infamiam, & ex cujuslibet commissione pudorem contrahat, tamen per carnale majori suffunditur rubore, majorique afficitur infamia, eo quod per illud magis à rationali natura degenerat, brutis assimilatur, & similis illis fit. Aliam rationem adducit Augustinus lib. 14. de Civitate Dei cap. 23. quia scilicet, cum circa spiritualia peccat, voluntas vincitur, sed à se ipsa; cum circa corporalia, vincitur ab appetitu; & infamia, ac pudor magnus est subjici, vincique à parte, quæ inferior est, & debet esse subjecta. Minus tamen pudet cum sibi animus ex vitiosis sibi partibus non obtemperat, quam cum ei corpus, quod alterum ab illo, atque infra illum est, & cujus sine illo, natura non vivit, volenti, jubentique non cedit.

SUBSECTIO SECUNDA.

Explicatur divisio peccatorum in peccatum contra Deum, contra nos, & contra proximum.

494. HÆc divisio communiter approbatur ab omnibus Theologis, eam comprobant adducentes, & sanctorum Patrum, & sacri textus varia testimonia, ego solum utor loco Pauli epist. ad Titum cap. 2. num. *Sobriè, justè, & piè vivamus*: id est, ut exponit S. Bernardus in libro sententiarum cap. 7. *Sobriè in nobis, justè ad proximos, piè ad Deum.*

Et explicatur prædicta divisio, quia licet Deus in omnibus peccatis offendatur, omniaque peccata sint contra Deum, specialiter tamen offenditur per illa peccata, quæ immediatè ipsum offendunt, & sunt speciales divini honoris læsiones, & contemptus, qualia sunt peccata opposita virtutibus theologicis, religioni, & pœnitentiæ: deinde plura peccata, quibus se ipsum immediatè ferit, & offendit, committit peccator quæ præcipuè consistunt in inordinatione passionum, & opponuntur temperantiæ, aut fortitudini: Tandem plura sunt peccata, quibus immediatè offenditur proximus, qualia sunt, quæ opponuntur justitiæ, vel misericordiæ.

495. Si quæras utrum dicta divisio sit essentialis. Respondent communiter Theologi affirmativè: Ratio est, quia ista divisio sumitur penes diversitatem virtutum: atqui virtutes essentialiter discriminantur; ergo divisio essentialis est.

Valent. tom. 2. disp. 6. q. 2. punct. 2. Sayro in clavi lib. 6. cap. 6. n. 2. asserunt prædictam divisionem esse accidentalem. Primo, quia peccatum immediatè contra Deum, est etiam contra proximum immediatè; ergo non distinguitur peccatum contra Deum essentialiter à peccato contra proximum. Antecedens probatur illo vers. 5. Psalmi 50. *Tibi soli peccavi*, ex quo constat, Davidem contra Deum immediatè peccavisse; atqui illud peccatum fuit etiam contra proximum immediatè; ergo, &c. Probatur minor, quia David commisit adulterium violans conjugem Uriæ, Uriam eamdem ob causam interfecit: atqui adulterium illud, & illud homicidium fuere peccata immediatè contra proximum, id est Uriam, & ideo opponuntur justitiæ; ergo, &c. Respondetur negando antecedens. Ad probationem nego, ex illo versiculo colligi illud Davidis peccatum fuisse immediatè contra Deum, cum fuerit immediatè contra Uriam, cujus & vitam abstulit, & conjugem violavit: dicitur autem David specialiter contra Deum peccasse, & illum solum offendisse, non quod non offenderit Uriam, & Deum solum offenderit, sed quia cum esset Rex, nullum in terra superiorem agnoscens, à quo ejus peccatum puniretur, Deo soli tanti criminis reservabatur punitio: ita exponunt Chrysostomus, Ambrosius, & plures Patres, & huic acquievit doctus Lorinus prædictum versiculum exponens, postpositis duodecim expositionibus.

Secundo, homicidium commissum contra proximum, & contra se ipsum est ejusdem speciei; ergo non distinguitur essentialiter peccatum contra nos, & contra proximum. Respondetur negando antecedens, diversæ etenim sunt virtutes, quibus unum & alterum opponitur homicidium: nam homicidium, quo quis scelerata desperatione se interficit opponitur charitati: homicidium verò quo quis proximum interficit, opponitur Justitiæ.

496. Tertio, qui peccat contra fraternam charitatem peccat in Spiritum Sanctum; qui ex infirmitate peccat, contra Patrem Æternum: qui autem ex ignorantia, contra Filium: atqui prædicta peccata etiam sunt contra nos, & contra proximos; ergo, &c. Respondetur negando antecedens, nam illa peccata non sunt contra tres Divinas Personas, eo modo, quo exposuimus peccatum contra Deum: sed tantum dicuntur contra Divinas Personas per appropriationem, cum amor Spiritui Sancto, fortitudo Æterno Patri, sapientia Filio attribuatur, ideo peccatum contra fraternam charitatem, in Spiritum Sanctum: ex infirmitate, contra Patrem; ex Ignorantia contra Filium dicitur commissum: ita Div. Thom. 2. 2. q. 14. art. 1.

SUBSECTIO TERTIA.

Expenditur divisio peccati in peccatum cordis, oris & operis.

497. HÆc divisio satis exposita est sect. 7. cum explicavimus peccati definitionem, ex qua deducitur evidenter, & ideo eam approbant universi Theologi, qui amplius eam ostendunt ex Psalmo 14. vers. 3. *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum*, in quibus verbis cordis, oris & operis peccata describuntur.

498. Tribus modis accipi possunt prædicta peccata. Primo ex genere suo, eo quod peccata cordis, in intellectu, ut hæresis, & in voluntate, ut odium; peccata oris, in ore, ut perjurium; peccata operis, in opere consummantur, ut homicidium. Secundo, accipi possunt hæc peccata distincta ex intentione operantis, dum ea limitat: ut si quis velit interius consentire tantummodo, quin ultra progredi habeat in animo: aut velit loqui turpia, non tamen ad opus turpe pervenire, qui si voluisset, opus peragere potuisset. Tertio, accipi possunt velut hominis nativitatem, progressum, & consummationem, ita ut peccatum cordis, sit nativitas; oris, progressus, operis consummatio.

499. Si quæras juxta prædictos modos, in quo sit divisio essentialis: dicendum in genere moris, divisionem esse essentialem primo modo acceptam, quia illa peccata ita differunt, ut ex genere suo causent diversas essentialiter difformitates. Non verò esse essentialem acceptam divisionem secundo modo, quia illo modo peccata accepta, conveniunt in eadem specie peccati, quam intentio operantis pro libito non potest diversificare, licet diversificet illa peccata nume-

ricè, propter interruptionem actuum, quos quando, & cum libuerit elicere potest.

500. Divisio tertio modo accepta, non est essentialis in genere moris, ex omnibus enim efficitur unum peccatum, cum quodlibet sit velut gradus incompletus ordinatus ad completum, & ideo ex omnibus unicum peccatum integratur: Explicatur exemplo hominis infantis, juvenis, & senis, qui unus cum sit, diversos subit status: ita peccatum, quod in corde, est infans, in ore juvenis, in opere senex est: ex qua doctrina sequitur eum, qui committit verbi gratia homicidium non teneri ad aperienda in confessione verba comminatoria, nisi aliunde diversam sortiatur deformitatem ad rationem. Dixi (in genere moris) nam in genere physico essentialiter distinguitur cogitatio à verbis, & verbum ab opere.

SUBSECTIO QUARTA.

Explicatur divisio in peccata per excessum & defectum.

501. DIvisio desumitur ex lib. 2. Ethicorum cap. 6. & solum reperitur quando eadem virtus duobus opponitur extremis, ut liberalitas avaritiæ, & prodigalitati: fortitudo timiditati & audaciæ; avaritia enim, & timiditas deficiunt in modo virtutis; excedunt autem modum, prodigalitas, & audacia: unde si virtus non habeat objectum extremum secundùm defectum, & excessum ratione medii, ut modicus cibus in virtute temperantiæ, dare quando, & cui oportet in liberalitatis virtute, vitia quæ illi virtuti opponuntur, non sunt secundùm excessum & defectum: qua de causa virtutibus Theologicis non opponuntur duo vitia extrema, sive per defectum, & excessum, eo quod Deus cum sit earum objectum, non est medium duorum extremorum, ideo nullus peccare potest per excessum amoris Dei.

502. Si quæras utrum prædicta divisio sit in duo membra essentialiter diversa. Respondetur affirmativè, cum D. Thoma 1.2. q. 72. art. 8. Ratio est, quia peccata discriminantur specifice juxta diversitatem objecti, & motivi: atqui duo vitia extrema, sive peccata secundùm excessum, & defectum habent motivum & objectum essentialiter & specifice diversum; ergo essentialiter distinguuntur. Probatur minor, quia peccatum intemperantiæ secundum excessum habet pro motivo delectationes carnales apprehensas ut bonas, & delectabiles: peccatum verò insensibilitatis, quod eidem virtuti temperantiæ opponitur: secundùm defectum, habet pro objecto odium delectationum, quæ ut malæ, & insuaves apprehenduntur.

503. Dices: Odium, & amor sunt causæ efficientes: atqui à causis efficientibus non desumitur distinctio essentialis peccatorum, si quidem ab eadem causa possunt elici peccata specie diversa, & à diversis causis efficientibus elici possunt peccata ejusdem speciei; ergo, &c. Respondetur, in præsenti casu, negando majorem, in eo enim odium, & amor se habent, ut objectum, & finis; hoc est, objectum secundùm defectum, sunt delectationes ut odibiles, secundum excessum, sunt delectationes, ut amabiles propositæ: ita Herrera de peccaris disp. 31. q. 9. §. *Secundo est notandum.*

504. Dices: Multoties in peccatis secundum defectum, & excessum non dantur diversa specie motiva, ut patet in mendaciis, in quibus aliquis intendit occultare veritatem; ergo non semper hæc divisio est in membra essentialiter diversa. Respondetur, distinguo antecedens, per se, nego: per accidens, concedo: defectus enim & excessus, quantum est de se, & de sua ratione formali postulant motiva essentialiter diversa; per accidens est, quod ob illa non fiant, tunc enim erunt ejusdem speciei.

505. Utrum prædicta divisio repetiatur in actibus bonis? Respondetur negativè: quia objectum formale actus boni, est attingere medium, uno & eodem modo: ut liberalitas postulat, quod detur, quando oportet, nec plus, aut minus detur: à quo medio si recedat, jam non erit actus virtutis liberalitatis, sed malus juxta modum, quo recesserit.

SUBSECTIO QUINTA.

Explicatur divisio peccatorum in peccata commissionis, & omissionis.

506. HÆc divisio magna ex parte explicata manet ex eis, quæ de omissione pura dixi disp. 1. sect. 2. tota subsect. 3. ubi difficultate prima, docui de essentia omissionis non esse actum: & difficultate secunda de facto dari posse omissionem puram, id est sine actu, qui sit ejus causa: nec ad prædictam omissionem habendam necessarium esse aliquod præceptum in omittente; ita difficultate tertia, quod tantum procedit in omissione absolutè, nam ad omissionem malam, quæ sit peccatum, necessario requiritur aliquod præceptum, cum peccatum ex sua essentia postulet esse contra legem, de quo supra sectione septima à num. 176. usque ad num. 196. difficultate quarta docui per se, & per accidens omissionem esse causam variorum eventuum, & ad eventus per se ortos ex omissione non requiri præceptum, requiri tamen ad eventus per accidens sequutos: at ut eventus per se sequuti ex omissione sint peccata, debent esse sub præcepto, ex ea communi ratione, quod omnia peccata sint contra legem: quæ doctrina satis exponit naturam, & essentiam omissionis voluntariæ, sed non satis declarat ejus malitiam, quæ variis difficultatibus obvoluta præsenti elucidabitur subsectione.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum divisio sit essentialis.

507. DIvisio peccati in peccatum commissionis, & omissionis desumitur ab Scriptura sacra: & explicatur, quia peccatum est contrarium alicui legi, quæ potest transgredi, vel operando quod illa prohibet, vel non operando quod præcipit: operatio actus, qui prohibetur, est commissionis peccatum: non operati autem, quod præcipitur, est peccatum omissionis: adæquata est ista divisio, cum non detur peccatum, quod sub uno ex his membris non includatur, ut expressis verbis docet Augustinus, lib. de perfectione justitiæ: ubi asseverat duobus modis fieri peccata: Primo, si fiant, quæ prohibentur: Secundo, si non fiant quæ jubentur. Primo modo peccata dicuntur commissionis. Secundo, omissionis, ut enim satis omnis bonitas exprimitur, si quis bonum faciat, & malum declinet: ita satis omnis malitia declaratur, si quis mala faciat, & bona declinet. His declaratis,

508. Est difficultas, an divisio peccati in pec-

catum commissionis, & omissionis, sit essentialis, ita ut commissionis, & omissionis peccata, licet eidem omnino victuti contrarientur, sint ex sua natura, specifice, & essentialiter diversa. Respondetur affirmativè. Ita Lorca tom. 2. in 12. disput. 15. §. *Alii*, Cutiel. 1. 2. q. 72. art. 6. dub. 2. §. 2. Cornejo tom. 2. tract. 7. disp. 5. dub. 2. Sayro in clavi Regia lib. 1. cap. 6. n. 6. Bonacin. tom. 2. disput. 2. q. 4. punct. 4. num. 1. Salas tract. 13. disp. 3. sect. 3. à num. 35. Granad. cont. 6. tract. 2. disp. 3. sect. 2. num. 14. Hanc sententiam insinuat Scotus in 2. dist. 37. q. 1. numer. 8. vers. *Ad primum*, & ex mente Scoti, eam tradit Herrera de peccatis disp. 31. qu. 6.

Probatur primo, quia peccatum omissionis est privatio, commissionis est affirmatio; ergo essentialiter distinguuntur: ita enim affirmatio, & privatio distinguuntur. Antecedens patet, quia per omissionem desinit homo facere quod justum est, eaque justitia, sive rectitudine actus privatur homo tempore quo debebat illam habere: per commissionem autem elicit actum, qui probibitus est.

Probatur secundo, quia licet peccatum omissionis, & commissionis sit contra eamdem virtutem, tamen utrumque diverso præcepto prohibetur, omissionis peccatum, præcepto affirmativo; commissionis, negativo: diversamque difformitatem habet ad rationem: quod manifestè apparet in peccatis omissionis, & commissionis contra charitatem, & fidem: odium enim Dei; quod est peccatum commissionis prohibetur semper, præcepto negativo de non habendo odio circa Deum: non diligere Deum qui est peccatum omissionis, prohibetur præcepto affirmativo, non semper, sed tempore debito, inde cum semper teneamur non prosequi odio Deum, non tamen tenemur Deum sēper diligere: inde majorē deformitatem habet odium Dei, quam omissio dilectionis Dei: dissensus positivus fidei, quid est peccatum commissionis, prohibetur præcepto negativo, omissio actus fidei, probibetur tempore debito, quo homo tenetur illum habere: majorem deformitatem habet dissensus fidei, quam omissio actus fidei, cum ille sit infidelitas, non tamen omissio.

509. Oppositam sententiam docuerunt Valenc. tom. 2. disput. 6. qu. 2. punct. 2. §. *Quarto, intelligitur.* Azor tom. 1. instit. moral. lib. 4. cap. 3. qu. 1. vbi adeo tenaciter hanc sententiam sequitur, ut asserat negari non posse: Suar. 1. 2. tract. disp. 3. sect. 2. num. 3. docent esse sententiam antiquorum Thomistarum, & Div. Thom. 1. 2. quæst. 72. articul. 6.

Primo, quia peccata commissionis, & omissionis conveniunt in eodem motivo, & fine; ergo non distinguuntur essentialiter: cum enim, quæ non conveniunt in eodem motivo, differant specie, seu essentialiter, quæ conveniunt, non different specie. Antecedens probatur exemplo Avari, qui ex eodem motivo avaritiæ, furatur alienum, & non dat eleemosynam, quando eam tenetur ex præcepto alicui præstare pauperi.

Respondetur, distinguo antecedens, peccata commissionis, & omissionis, conveniunt in eodem motivo essentiali, nego: accidentali, concedo: deinde nego consequentiam, & eodem exemplo solutionem expono: in quo commissio, & omissio conveniunt in eodem motivo avaritiæ, non quidem essentiali, id est operis, sed accidentali, id est operantis, apponit enim avarus idem motivum, quod est accidentale, scilicet operantis, per quod non aufertur diversum motivum essentiale, quod prædicta peccata ex fine operis habent; operari scilicet contra preceptum affirmativum, & negativum: ex quo motivo, essentiale illorum peccatorum desumitur discrimen, ab eodemque fonte manat, quod utrumque illud peccatum habeat diversam specie specificè, & essentialiter malitiam, eamdem verò specie malitiam accidentalem: cum enim finis operantis tribuat speciem actui, ex dictis disp. 3. à num. 467. & sit idem finis, unam, eamdemque speciem utrique actui pręstabit: & cum finis operis sit diversus specie, duplicem speciem essentialem conferet utrique peccato, ut confert; nam quando avarus furatur alienum ex motivo avaritiæ, est avarus accidentaliter, & essentialiter injustus, quia scilicet opponitur furtum justitiæ essentialiter: quando autem non dat eleemosynam ex eodem avaritiæ motivo, est accidentaliter avarus: & essentialiter immisericors, quia opponitur præcepto eleemosynæ: quare in illis peccatis commissionis, & omissionis præter duplicem speciem malitiæ, quam habent ex suo fine, sive motivo intrinseco, habent aliam speciem accidentalem malitiæ, quam præstat circumstantia accidentalis, finis nimirum operantis, quamquam hæc principalior sit, quia principalius est intenta, de quo disp. 3. à n. 535.

510. Instabis: Furtum, & omissio restituendi, secundùm idem motivum intrinsecum ex objecto, opponuntur eidem virtuti justitiæ; ergo jam peccata omissionis, & commissionis non distinguuntur essentialiter, si quidem habent eamdem specie malitiam injustitiæ. Respondetur primo, nego antecedens, quia furtum, quod est commissionis peccatum, privat hominem sola rectitudine actus: non restituere, quod est peccatum omissionis, privat hominem, & actu, & rectitudine actus, quę diversa sunt: ideo furtum, & non restituere, esse diversa essentialiter peccata, docent Herrera §. *Ad secundum.* Cornejo in fine; Salas citatus: unde si quis rem alienam ab alio furatam retineat invito domino, vel si quis bona fide possidens villam alienam, & postea sciat alienam esse, & nolit eam domino restituere, peccat peccato omissionis, distincto à peccato furti, cum neuter rem alienam furatus sit, sed solum rem alienam non restituat; & licet furtum, ac non restituere opponantur eidem virtuti justitiæ, opponuntur diverso modo, & diverso pręcepto cum diversa formalitate prohibeantur.

511. Respondetur secundo, distinguo antecedens, furtum, & omissio restituendi, consequens furtum secundùm idem motivum intrinsecum ex objecto, opponuntur eidem virtuti, concedo: furtum, & omissio, propriè, nego: dupliciter enim considerari potest peccatum omissionis: primo, quando consequitur ex commissione: Secundo, quando quis pręceptum affirmativum, quo specialiter prohibetur, transgreditur: primo modo, non est propriè omissio, eo quod consequatur ex transgressione præcepti negativi, & ideo ad malitiam repertam in peccato commissionis pertinet, ut non esse irrationale in homine, est idem cum rationali: hoc modo illa omissio (dato quod furtum & omissio restituendi sint cōtra idem pręceptum) non est propriè omissio, sed consequitur ex peccato commissionis, quod commune est omni peccato commissionis, ad omne enim positivum, consequitur ejus negatio: Secundo modo, propriè scilicet, omissio, & commissio distinguuntur essentialiter ex diverso motivo, &

fine, etiamsi opponantur eidem virtuti, quia opponuntur diverso modo, ideo talis modi diversitas aperienda est in confessione.

512. Objiciunt secundo: Ex eo peccata commissionis & omissionis distinguerentur essentialiter, quia peccatum omissionis præcepto affirmativo, commissionis negativo opponitur: atqui peccata non distinguuntur essentialiter penes præcepta, de quo infra à num. 685. ergo, &c. Respondetur, distinguo minorem, non distinguuntur essentialiter penes præcepta, tamquam à signo, nego: tamquam à forma specificante, concedo: licet enim præcepta formaliter diversa, non sint specificativa, sunt tamen signa distinctionis peccatorum, & ideo cum commissionis, & omissionis peccata opponantur diversis præceptis formaliter, distinguuntur essentialiter, quia talis diversitas præceptorum, licet non specificet peccata, ostendit tamen ea esse specie diversa: sed de hoc infra n. 686.

513. Tertio, peccata suam distinctionem essentialem ex objecto desumunt, ut infra à num. 688. dicetur: atqui in his peccatis datur idem objectum; ergo non distinguentur essentialiter. Minor probatur, exemplo furti, & non restituendi: medici propinantis noxiam medicinam, vel omittentis necessariam, odii Dei, & non dilectionis Dei; etenim tam peccatum commissionis, quam omissionis opponuntur eidem virtuti, & ab eadem rectitudine privant; ut enim furtum privat re aliena, medicina noxia vita, odium amore Dei; ita & carentiæ restitutionis, medicinæ necessariæ, ac amoris Dei, privant re aliena, vita & amore Dei. Respondetur, distinguo minorem, in his peccatis datur idem objectum materiale, concedo: formale, nego: peccata autem non per objecta materialia, sed per formalia specificantur, de quo disp. 3. num. 268. ideo licet illa peccata habeant idem objectum materiale, formaliter habent objectum diversum; diversum autem essentialiter objectum formale, specificam causat distinctionem, de quo eo loco: unde odium, diversum peccatum est à carentia amoris; mors inducta per noxiam medicinam, diversæ speciei moralis est, à morte per abstractionem medicinæ necessariæ inducta; furtum à non restituendo, loquimur de omissionibus propriis, non consequentibus, juxta dicta supra n. 585.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum omissio pura sit peccatum?

514. SUppono ex dictis disputatione prima, sect. 2. subsect. 3. difficultate secunda dari omissionem puram, quo supposito, quæritur an possit esse peccatum? & ex ibi dictis, ac difficultate tertia, constat resolutionem affirmativam esse veram; estque communis doctrina Theologorum: & patet, quia illa omissio est contra præceptum graviter prohibens; ergo est peccaminosa: de antecedente nulla potest esse dubitatio, consequentia ex eo collecta, est verissima.

515. Argumenta, quæ contra objiciuntur, non tam procedunt contra malitiam omissionis, quam contra ejus ab omni actu, qui sit illius causa, vel occasio, independentiam: hæc autem omnia soluta sunt illa disp. 1. sect. 2. & sect. 3. difficultate 2. & 3. duo tantum argumenta in speciali adduco contra malitiam omissionis. Primum, Carentia non privat actu honesto; ergo non est peccatum. Probo antecedens: Illa carentia, sive omissio solum privat actu necessario ad adimplendum præceptum absque actu honesto: atqui sæpe adimpletur præceptum absque actu honesto; ergo carentia illa sive omissio, non privat actu honesto. Minor ostenditur in eo, qui templum adit, & sacro assistit, die quo Missæ sacrosanctum sacrificium est sub præcepto, cum intentione mala, nimirum sollicitandi fœminam ad venerea, in eo casu homo satisfacit præcepto audiendi sacrum; & tamen actus, quo satisfacit, malus est, ex illa intentione mala. Respondetur primo, nego consequentiam: quia ad hoc ut carentia, sive omissio sit peccatum, satis est, quod privet debito ordine quem homo tenere debet in omnibus suis actionibus. In omnibus namque suis actionibus tenetur quilibet homo non solum operari bonum, sed etiam bene, non apponens aliquam circumstantiam, quæ actionem turpet. Respondetur secundo, distinguo antecedens: carentia, sive omissio non privat actu honesto ex parte Legislatoris, nego: ex parte operantis, concedo: semper enim illud præceptum, quantum est ex parte Legislatoris postulat adimpleri per actum honestum, ita ut si per actum malum adimpleatur, frangatur alia lex, quæ prohibet appositionem malarum circumstantiarum, & ideo semper illa carentia est peccatum, si non interveniat ignorantia invincibilis, hac enim interveniente, carentia illa erit carentia physica, non moralis.

516. Secundum: Non potest dari pura omissio honesta; ergo nec turpis. Respondetur primo, nego antecedens: ut latè docui disp. 3. à numero 699. ad n. 705. Secundo, negando consequentiam: quia plura requiruntur ad bonum honestum, quam ad malum turpe: bonum enim ex integra causa, malum ex quocumque defectu; & in nostri argumenti terminis, cum ad actum honestum requiratur intentio honestatis, & ad actum malum non requiratur malitiæ intentio, inde est, quod bonum sine actu positivo fieri non potest, potest tamen malum.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrum actus intervenientes, quando datur omissio peccaminosa, si sint causa, vel occasio omissionis, sint peccata?

QUamquam omissio fieri possit, & de facto fiat, absque ullo actu, qui sit illius causa, vel occasio, sæpius tamen fit medio aliquo actu voluntatis, aut intellectus, qui vel est causa, vel accipitur, ut causa, & occasio prædictæ omissionis, quæritur an ille actus sit peccatum?

517. Dico primo: Actus voluntatis, per quem directè volita est omissio peccaminosa, est peccatum. Hæc conclusio probatione non eget, clara enim est, omnis enim volitio libera objecti mali & prohibiti est peccatum: atqui illa omissio, ut suppono, est mala, & prohibita, ergo ejus volitio mala est, & peccatum.

518. Dico secundo: Omnis actus, qui est causa, vel occasio omissionis peccaminosæ, etiamsi sit de objecto honesto, ut studium, aut recitatio officii Divini, est peccatum. Conclusio communiter approbatur: eam tradit D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 1. ad 2. ubi omnes ejus discipuli, Suar. 1. 2. tract. 3. disp. 3. sect. 2. n. 2. Vasq. disp. 93. cap. 2. Sayro in clavi Regia lib. 2. cap. 6. n. 11. Zumel. q. 18. art. 5. disp. 3. conclusione secunda, Azor 1. parte lib. 4. cap. 5. q. 5. Lorca disp. 6. de peccatis sect. 4. §. *contraria*, Granad. cont. 7. tract. 2. disp. 3. sect.

3. n.

5. n. 20. Salas tract. 13. disp. 2. sect. 6. Becan. 2. p. Summæ cap. 5. q. 5. n. 2.

Primo, quia omnis actus liber, qui est causa peccati, peccatum est, ideo consulens peccatum, peccat: atqui ille actus est liber, & causa, sive occasio peccati; ergo est peccatum. Secundo, prædictus actus virtute opponitur præcepto affirmativo; ergo est peccatum. Probatur antecedens, quia quando Legislator aliquid hic & nunc faciendum esse præcipit, virtute prohibet omnes actus, qui incompossibiles sunt, & impediunt actum præceptum. Tertio, actus ex objecto bonus, ex malo fine, & modo redditur malus; ergo à fortiori malus erit apposito malo effectu: nec ad hoc, ut sit malus, requiritur effectus subsecutus in actu exercito, sed sufficit quod natus fuerit subsequi ex prædicto actu, hic & nunc exercito: unde, qui cum periculo non persolvendi divinum officium, se somno traderet, licet excitatus à somno illud reciter, peccavit, eo quod ex illo somno subsequi nata erat omissio officii divini.

519. Contrarium docuerunt Durand. Marsilius, & Hervæus locis citatis apud præfatos auctores. Primo, quia omne præceptum versatur circa materiam determinatam: atqui ex actibus, qui sunt causæ omissionis, multi non sunt certi, sed indifferentes; ergo circa illos non versatur præceptum, & cum non sint prohibiti, non erunt peccata. Minor probatur, quia omissio audiendi sacrum fieri potest, vel ratione somni, vel studii, vel alterius actionis cum auditione sacri incompossibili. Respondetur, Distinguo majorem, præceptum versatur circa materiam determinatam, si sit immediatè, & directè prohibita, concedo: si indirectè, nego: actus vero, qui sunt causæ omissionis, non sunt directè prohibiti, sed indirectè, prohibita enim omissione sacri, prohibetur simul quicquid causat talem prohibitionem: Verum est, quod licet illi actus sint indeterminati, & ut sic indirectè prohibiti: ut tamen sunt causæ omissionis prohibitæ, sunt materia certa, & ut causæ sunt, super eos directè etiam cadit præceptum.

520. Secundo, si quis illo tempore, quo urgebat præceptum audiendi sacri, Sacramentum extremè laboranti ministret, ita ut non audiat sacrum, non peccat administrans Sacramentum: & tamen, illa administratio Sacramenti, est causa omissionis peccaminosæ, qualis est omissio auditionis sacri; ergo non omnis actus, qui est causa omissionis malæ, malus est. Respondetur negando minorem, illa enim omissio auditionis sacri, non est mala, sed bona, non prohibita, *sed* præcepta in illo casu: nam *quando concurrunt duo præcepta, quorum unum solum servari potest, servandum est quod magis urget*: in præsenti casu concurrunt duo præcepta, unum audiendi sacrum, alterum succurrendi infirmo, quod magis urget, non est præceptum audiendi sacrum, sed charitatis, quod servandum est, eo quod illud aliud præceptum non obliget pro tunc: quare licet actus, qui est causa omissionis, sæpe sit bonus, tamen actus, qui est causa omissionis malæ, semper est peccatum.

521. Dico tertio, quando actus est compossibilis cum impletione præcepti, licet si eligatur secundum se, & absolutè non sit peccatum, electus tamen ut causa, & ut occasio omissionis, peccatum est: verbi gratia, oratio mentalis est compossibilis cum auditione sacri, & absque ullo peccato, si absolutè eligatur, tempore, quo audiendum est sacrum, non est peccatum, eo quod non est causa omissionis sacri, bene enim componuntur oratio mentalis, & auditio sacri: sive rò sit volita cum aliqua circumstantia incompossibili, nimirum ut occulta, arbitrisque remotis, tunc cum ad illam sit medium accommodatum manere domi, & in loco secreto, erit peccatum ex circumstantia occasionante omissionem sacri.

QUARTA DIFFICULTAS.

Utrum si actus sit incompossibilis operi præcepto, & tantum concomitetur omissionem, quin sit illius causa, sit peccatum?

522. DUplex genus actuum incompossibilium cum opere præcepto dari potest: unum eorum, qui sunt causæ, vel occasiones omittendi opus præceptum: alterum eorum, qui nec causant, nec occasionantur omissionem, sed statuens quispiam apud se omittere id, quod præceptum est, se applicat ad eos actus, cum quibus non compatitur opus præceptum; de primo genere actuum, dictum est superiori difficultate, de secundo genere actuum, qui concomitantes dicuntur, excitatur difficultas: Utrum sint etiam peccata, ex eo quod concomitentur omissionem malam. Respondetur negativè: ita Suarez num. 5. Becan. q. 4. n. 6. Vasq. §. *Mea sententia*, Salas disp. 2. sect. 6. n. 98. Raynaudus 1. part. operis moralis dist. 4. q. 5. artic. 2. numero 100.

Fundamentum est, quia posito primo opere incompossibili, quod est causa omissionis, verbi causa, volitione non audiendi sacrum, necessario ponitur omissio, & moraliter censetur facta; ergo reliqua opera, quæ sequuntur non pertinent ad omissionem, sed tantum concomitanter se habent, eo quod antecedenter sit omissio posita in rerum natura, omnino independenter à quocumque opere, sive incompossibili, sive compossibili cum ipsa omissione, quæ non minus existeret, si opus concomitans subsequeretur, quam si non subsequeretur. Exemplum sit, impediatur lux per occlusionem fenestræ, ita ut domus omnino luce careat, admoveantur postea impedimenta quæcumque, hæc nullum lucis ingressum impediunt, eo quod per occlusionem fenestræ lucis ingressus integrè & totaliter fuit impeditus, ita ut supervenientia impedimenta per accidens se habeant ad impediendam lucem.

523. Confirmatur primo, quia præceptum affirmativum non prohibet opus incompossibile cum re præcepta, nisi quatenus est impeditivum rei quæ præcipitur, & causa omissionis est: atqui omisso opere, & re præcepta, opus cum illa incompossibile, quod supervenit, non est impeditivum rei præcepræ, nec causa omissionis; ergo non prohibetur. Confirmatur secundo, si quis tempore, quo urget præceptum audiendi sacrum, statuat apud se manere domi, nec egredi foras propter frigus: & tunc toto illo tempore, quo urget præceptum, ne otiosus existat, studeat, legat, vel aliquod opus honestum faciat, non peccat ille homo in exercitio talium actuum, imo supposita efficaci volitione non audiendi sacrum, consulendi illi actus sunt, & licitè ab aliquo adjuvari in illis potest: qua de causa, si in illo tempore reciter officium divinum, aut solvat votum, satisfacit præcepto, & voto.

524. Esse illos actus concomitantes peccata, docuerunt Valent. disputat. 6. quæst. 5. punct. 4.

Lorca disputat. 6. de peccatis. §. *Vera ergo.* Granad. numero 20. Primo, quia etiamsi supponatur omissio facta, semper actus incompossibilis est causa omissionis; ergo peccatum. Probatur antecedens, quia si quis consulat homini parato ad exequendum efficaciter homicidium, occisionem, peccabit; ergo similiter etiam, si quispiam efficaciter velit omittere auditionem sacri, peccabit, si quando urget præceptum, opus cum opere præcepto incompossibile efficiat. Respondetur, nego antecedens: Ad probationem, nego consequentiam: Diversa ratio est, quia consulere malum, etiam abstrahendo ab omni causalitate mali; semper est malum, ut etiam approbatio mali: at opus incompossibile cum opere præcepto, si versatur circa objectum honestum, non est malum, nisi sit impeditivum operis præcepti.

525. Secundo, ex opposita sententia tria sequuntur absurda. Primum, hominem, qui votum emisit castitatis, & postea votum fregit, statuens apud se, à se tale votum non esse servandum, qua stante voluntate, nupsit; non peccare, cum nupsit. Secundum, sacerdotem obligatum recitationi divini officii, qui statuit recitare dictum officium dum foret in mare, & projecit Breviarium in mare, non peccare Breviarium cum projecit. Tertium non peccare hominem occidendo equum, verbi gratia, alienum, postquam apud se statuit firmiter à se non esse restituendum prædictum equum: hæc autem sunt absurda contra communem Theologorum doctrinam. Quod autem sequantur, patet, quia sicut studere, verbi gratia, tempore, quo urget præceptum audiendi sacrum, non est peccatum, eo quod licet studium sit incompossibile cum opere præcepto, tamen non est causa omissionis, quam supponit factam, & tantum subsequitur jam factam, & concomitatur; ita nec nuptiæ, nec projectio Breviarii in mare, nec occisio equi, erunt peccata, quia licet sint incompossibilia cum operibus præceptis, id est, nuptiæ cum voto castitatis, projectio Breviarii cum recitatione divini officii, occisio cum restitutione equi, tamen non sunt causæ illorum peccatorum, nimirum fractionis voti, omissionis officii divini, & equi non restituendi, sed tantum postquam homo statuit firmiter non servare votum, non recitare, non restituere perpetrata, & ideo concomitantur & subsequuntur jam illa peccata commissa.

5.6. Respondetur negando sequelam. Primo, quia licet ille homo nova peccata non committat, nuptias contrahendo, Breviarium projiciendo in mare, & equum occidendo: tamen peccat, eo quod per illa opera incompossibilia impotens redditus est ad votum servandum, ad recitationem divini officii, & ad restituendum equum, impotentia autem illa est peccatum, cum enim septies in die cadat justus, & resurgat, qui se impotentem reddit ad abstinendum à malo proposito, & ad observantiam divini præcepti, videtur Spiritui sancto resistere, & peccat, sed non distincto peccato, à peccato voluntatis, ex eo quod ex illo actu interiori, & exteriori unum constituatur peccatum in genere moris, de quo disputat. 3. à numero 927. ad numerum 939. & impotentia illa cum non sit specialiter prohibita, novam rationem peccandi non inducit: cum autem in actibus incompossibilibus præcisè non fiat homo inhabilis, & impotens ad audiendum verbi gratia sacrum, ab illis enim cum voluerit, potest abstinere, nulla est ratio cur esse peccata asseratur: ita respondet Ægid. Lusitan. in manuscriptis ad 1. 2. q. 6. art. 3. disput. 3. sect. 3. §. 4.

527. Secundo tamen, probabilius respondent Suarez à numero 5. Vasques §. *Ex quo sequitur.* Salas numero 100. Becan. numero 7. quibus subscribo, negando sequelam, ex eo quod homo in operibus incompossibilibus, de quibus in argumento, se reddit impotentem ad observanda præcepta, non tamen in illis operibus, qui ita concomitantur omissionem, ut quoties voluerit, possit reassumere novam voluntatem satisfaciendi præcepto, operibus illis postpositis: inhabilitas autem illa novam inducit rationem peccandi, cum sit resistere Spiritui sancto, quod spiritualiter est prohibitum, & ideo qui nupsit post firmum propositum non servandi votum, qui Breviarium in mare projecit, postquam firmiter statuit non recitare Officium divinum, equum occidit, cum decerneret non restituendum esse equum, de novo peccavit, novaque peccata commisit.

528. Ex qua doctrina, sequitur de novo peccare hominem, qui statuens non audire sacrum ut vitaret pluviam, & postea somno se tradidit, eo quod dormiens, impotentem se fecit ad observandum præceptum de audiendo sacro; de novo etiam peccare hominem illum, qui pecuniam consumpsit, postquam statuit non dare eleemosynam, quia se inhabilem reddidit: & sic de similibus: quare illa impotentia novam addidit malitiam, si hæc prius non præcessit, quando homo voluit, & statuit omittere, ut si quis apud se statueret non recitare Officium, & Breviarium projicere in mare, in eo enim casu præsupponitur, & non additur nova malitia, ut bene Vasques citatus Medina 1. 2. q. 71. art. 5. ubi Zumel disput. 5.

529. Tertio, ex eo dormire cum periculo non audiendi sacrum est peccatum, licet postea sacrum audiatur, quia opponitur sufficiens causa omissionis: atqui, qui tempore, quo urget præceptum exercet actus incompossibiles cum opere præcepto, sufficientem causam apponit omissionis; ergo erunt peccata. Respondetur, distinguo majorem, quia apponitur causa sufficiens omissionis, nego: prima, quæ sit omissionis causa, & occasio, concedo: non enim est peccatum apponere causam sufficientem omissionis, postquam per aliam causam omissio existit, & totaliter est causata.

QUINTA DIFFICULTAS.

Quo pacto discriminandi sunt actus, qui sunt causa & occasio omissionis ab actibus tantum concomitantibus omissionem?

530. Supposito actus incompossibiles cum opere præcepto, qui sunt omissionis malæ causa & occasio, esse peccata ex tertia difficultate, & ex quarta, actus incompossibiles cum opere præcepto, qui tantum concomitantur omissionem, non esse peccata, necessario discernendi sunt, & videndum, quando actus sunt omissionis causa, & quando non.

Pater Vasques 1. 2. disp. 91. cap. 2. §. *Sunt autem*, duas regulas statuit ad discernendos actus concomitantes ab actibus, qui sunt causa, vel

occasio omissionis: Prima est, quando actio per se eligitur, & secundum se stare non potest cum observatione præcepti, etiamsi eligatur post efficax propositum omittendi, est causa omissionis; exemplum apponit, verbi gratia, actio manendi domi ob frigus, jacendi ad ignem, sedendi, absque aliquo adjuncto, causæ sunt omissionis externæ, nam efficax propositum omittendi sacrum, non est solummodo causa omissionis, sed simul actua externua incompatibilia cum præcepti observantia, quo actu deficiente, efficax propositum non est causa omittendi: & licet in libertate maneat potestas eligendi quamlibet actionem, illa quæ eligitur etiam post propositum efficax, est causa omissionis, qui enim statuit non audire sacrum, virtute etiam statuit, una, vel altera actione sacrum omittere; ut qui proposuit occidere, liberè potest occidere, vel gladio, vel hasta, & instrumentum est causa omissionis.

531. Secunda regula est: Omnis illa operatio, quæ secundario eligitur, cum illa priori operatione externa incompossibilis cum opere præcepto, actus est concomitans, ut si quis statuit omittere sacrum, propter incommoda quæ experitur, & evitavit incommodum per actionem externam incompatibilem cum opere præcepto, ut sedens, vel jacens, si postea legat, recitet, aut aliud faciat, hæ actiones sunt concomitantes, quia secundario eliguntur post alias actiones incompossibiles cum opere præcepto: similiter, qui sacrum omitit ut iter faciat, non peccabit recitans in itinere Officium divinum.

532. Verùm ista duplex regula Vasquii deficit, nullaque recta est, nec rectè regulare potest actiones humanas, sub specie enim veritatis incedit, & multa secum falsa involvit. Primo, enim supponit non posse dari omissionem actus externi, sine aliquo actu externo positivo: hæc autem suppositio falsa est, ut demonstravi disp. 1. à num. 175. ad num. 185. Secundo, quia propositum efficax est causa illius omissionis; ergo quodlibet opus quod subsequitur, non causat omissionem, sed subsequitur, cum supponat omissionem jam factam.

533. Ideo statuendum est primo; Propositum efficax omittendi sacrum, esse causam totalem omissionis per se, & directè. Secundo, opus cujus amor & intentio excitat ad omittendum opus præceptum, esse causam finalem omissionis ad illam excitans, ut ad medium removens prohibens; unde, qui ex intentione studendi, sacrum omittit, studium est causa finalis omissionis. Tertio, quando intenditur aliquod bonum incompatibile cum opere præcepto, ad quod bonum comparandum, præter omissionem, necessarium est aliquod opus, tamquam medium, tale opus est causa omissionis: cum enim opus electum, sit causa boni intenti, & bonum sit causa omissionis, etiam illud opus electum, ut medium, causa est omissionis: ut si reus velit quærere asylum ne à ministris justitiæ inveniatur, intendit bonum se non inveniendi à ministris, ad hoc bonum comparandum non satis est omissio sacri, sed occultatio in loco secreto requiritur, hæc occultatio assumpta, ut medium ad illum finem, non est solum causa finis, sed etiam causa omissionis cum illo fine connexæ. Quarto, quando homo exercet aliquem actum, advertens esse, vel futurum esse impedimentum operis præcepti, etiamsi non præexistat aliquis actus incompatibilis cum opere præcepto, ille actus est causa omissionis: ut si quis tota nocte vigilet, vel historias legens, vel piscationem exercens, vel aliquid simile, advertens illam vigiliam futuram impedimentum audiendi sacrum, quia est occasio somni, illa vigilia erit causa omissionis subsequutæ. Reliqui actus, qui aliquo ex his modis non concurrunt ad omissionem; concomitantes tantum sunt, & non causæ omissionis.

SEXTA DIFFICULTAS.

Utrum prædicti actus, qui sunt causa omissionis, sint peccata commissionis, an omissionis?

534. Supponitur actus, qui sunt causa, vel occasio omissionis, esse peccata, ut patet ex difficultate quarta: inquiritur, quænam peccata sint, commissionis ne, an omissionis? Raynaudus 1. p. operis moralis dist. 4. q. 3. art. 2. n. 305. existimat quæstionem hanc esse de nomine, non sic aliis doctoribus visum fuit, qui inter se dissidentes, variè sentiunt.

535. Esse enim peccata omissionis, absolutè affirmant Suar. 1.2. tract. 3. disp. 3. sect. 3. num. 3. Vasq. disp. 93. cap. 3. à num. 10. Azor 1. p. instit. moral. lib. 4. cap. 3. à q. 3. Pesantius 1. 2. qu. 71. art. 5. disp. 2. Lorca disp. 6. de peccatis sect. 8. §. *Ad secundum.* Perez in Laurea Salmantina certamine 4. Scholastico q. 1. dub. 3. cap. 5. §. *Ad quintum*, Ægid. Lusit. in manuscrip. ad 1. 2. q. 6. art. 3. disp. 3. sect. 5. §. 5. Zumel 1. 2. q. 71. art. 5. disp. 4. Granad. cont. 6. tract. 2. disp. 3. sect. 2. n. 11. sect. 3. n. 17. & 21. Valent. disp. 6. q. 2. punct. 4. Becan. 2. p. Summæ tract. 2. cap. 3. q. 1. n. 2. Esse peccata commissionis docent plures Antiqui, quibus subscripsit Salas 1. 2. tract. 13. disputat. 2. sect. 8. num. 115.

536. Ut autem aperiam quod sentio, notandum est, duplex esse præceptorum genus: unum primarium, secundarium alterum: primarium est, quod obligat independenter ab alio præcepto antecedente, à quo oriatur, cum initium ducat ex ipsa honestate virtutis, quæ primario intenditur, si est affirmativum: nam negativum primarium, oritur ex propria malitia, quæ primario prohibetur: ut præceptum affirmativum audiendi sacrum; & negativum, non negandi fidem: præceptum secundarium est, quod ex alio præcepto antecedente oritur, non enim per se absolutè obligat, sed solum quatenus necessarium est exequi vel non exequi aliquod medium necessarium, ne primarium præceptum violetur: verbi gratia, præceptum affirmativum audiendi sacrum, & negativum non negandi fidem ex se obligant, & sunt primaria, quia independenter ab alio præcepto obligationem inducunt: præceptum orandi, quando instat periculum, vel non negandi fidem, vel non audiendi sacrum, est secundarium, quia ex se non obligat, sed obligat ex vi præcepti affirmativi audiendi sacrum, vel negativi non negandi fidem, si enim non instaret periculum frangendi prædicta præcepta, non esset obligatio pro tunc orandi: deinde præcepta negativa, non colloquendi cum fœmina, vel non venandi, præviso periculo fornicandi ex colloquutione, vel non audiendi sacrum ex venatione, per se primo non obligant, sed secundario ex vi præceptorum non fornicandi, & audiendi sacrum, de quorum fractione si non esset periculum, poterat homo licitè cum fœmina colloqui, & venationem exercere. Quibus notatis,

537. Dicendum est, actus intervenientes, ut causæ, vel occasio omissionis, esse peccata omis-

sionis: est communis sententia ut videre est supra num. 535. & in rigore metaphysico veram esse docet Raynaud. supra citatus. Fundamentum est, quia illi actus sunt contra præcepta affirmativa; ergo sunt peccata omissionis: consequentia est legitima, quia essentialis distinctio inter omissionis, & commissionis peccata, sumitur ex eo, quod omissionis peccata contrariantur affirmativis, commissionis, negativis præceptis; tunc enim frangitur præceptum affirmativum, cum omittitur, quod præcipitur; & tunc transgreditur negativum, cum committitur quod prohibetur: Antecedens probatur, quia studere, venari, dormire, & similes actiones incompossibiles, sunt peccata, quia contrariantur operi præcepto per præceptum affirmativum: probatur, quia ideo sunt peccata, quia sunt causæ omissionis: atqui dum causant omissionem, contrariantur operi præcepto; nam *qui est causa effectus contrarii alicui operi, etiam est causa illius contrarietatis*, & ratione effectus contrariatur operi; cum ergo omissio sit contraria, imo destructiva operis præcepti per affirmativum præceptum, & illi actus sint causa omissionis, contrariabuntur operi præcepto ratione omissionis.

538. Sed objiciunt Doctores allegati supra n. 535. pro opinione affirmante prædictos actus, esse peccata commissionis. Primo, quia dormire, studere, & venari, ac similes actus, ut sunt causa omissionis, opponuntur præceptis negativis; ergo sunt peccata commissionis, ista enim peccata ideo sunt commissionis, quia per ea fit id quod præcepta negativa prohibent. Antecedens probatur, quia urgente præcepto verbi gratia, audiendi sacrum, datur præceptum non efficiendi id quod causa est transgressionis præcepti: ideo enim tunc est peccatum venari, & dormire, quia urget præceptum non venandi, & non dormiendi. Respondetur, distinguo antecedens, opponuntur præceptis negativis primariis, nego: secundariis, concedo: deinde nego consequentiam: quia cum illa præcepta negativa secundaria, quibus prohibentur actus incompossibiles non obligent per se, & ex se, sed in virtute præcepti affirmativi, tota contrarietas illorum actuum, est contra opus præceptum per præceptum affirmativum, si enim hoc non urgeret, nec actus illi forent peccata, nec illa secundaria objecta obligarent, ne fierent.

539. Secundo, peccatum omissionis est carentia, & privatio: atqui illi actus sunt positivi; ergo non possunt esse peccata omissionis. Respondetur negando majorem, nam peccatum omissionis est illud, quod transgreditur præceptum affirmativum, & parum refert, sitne actus positivus, an carentia, dummodo præceptum affirmativum frangatur: exemplum sit, volitio omittendi id quod præcepto affirmativo jubetur, quæ cum actus sit positivus, est peccatum omissionis.

540. Verum est, quod ut isti actus sint peccata omissionis, debent in sua ratione formali semper involvere, vel formaliter, vel virtualiter carentiam actus præcepti: hæc est enim formalissima distinctio inter peccata commissionis, & omissionis: quod peccata commissionis, licet essent privationes, semper secum deferunt actum, cum sint actus, quibus committitur id, quod præcepto negativo prohibetur, & non debebat licitè fieri: peccata verò omissionis, licet sint actus positivi, semper secum deferunt carentiam actus præcepti, quem præcepto affirmativo efficere tenebamur.

SEPTIMA DIFFICULTAS.

Utrum illi actus, si fuerint ex objecto boni, habeant duplicem malitiam, quando sunt causa omissionis malæ?

541. UNum supponitur, & alterum inquiritur. Supponitur opus ex objecto bonum, nimirum studium, cum est causa omissionis, vitiari ex transgressione præcepti affirmativi, ut bene notavit Granado sect. 3. num. 22. tum quia virtus non contrariatur virtuti, nec bonum objectum, bono: tum quia virtus postulat, ut ejus actus fiat cum debitis circumstantiis, quod si fiat cum indebita, vitiatur: atqui illud opus, sive actus, qui est causa omissionis, contrariatur operi præcepto, quod est bonum, & in specie virtutis, fitque cum circumstantia indebita, temporis scilicet, & occasionis, qua frangitur præceptum.

542. Quod inquiritur est, utrum, tunc ille actus incompossibilis, qui est causa omissionis malæ, habeat duplicem malitiam, unam omissionis, quam habet ex eo, quod cum sit causa omissionis malæ, contrariatur præcepto affirmativo: alteram commissionis, ut opponitur propriæ virtuti; ut studium illo tempore electum, ut medium ne sacrum audiatur, virtuti studiositatis opponitur.

Respondetur negativè, unam enim tantum habet malitiam omissionis. Primo, quia licet in casu quo fit omissio, actus incompossibilis duplici opponatur præcepto, non duplicem contrahit malitiam, quia illa præcepta sunt materialiter, duo; formaliter unum; ergo ibi tantùm una dabitur obligatio; ergo & una malitia. Antecedens patet, illud præceptum negativum, quo tenemur non apponere illam circumstantiam temporis indebiti, occasionativam, & causativam omissionis peccaminosæ, est secundarium, ejusque obligatio pendet ex præcepto affirmativo, nec est diversa obligatio, sed eadem; ergo licet sint duo præcepta materialiter, sunt formaliter unum, cum eamdem omnino difformitatem habeant ad rationem, de quo infra à num. 686. & tunc malitia diversa, una tantum est, cum unum solum transgrediatur præceptum formaliter, malitiaque penes primarium præceptum affirmativum pensanda sit: ex quo sequitur non esse necessarium exponere in confessione, malitiam istius actus incompossibilis, qui est causa omissionis, cum non habeat ille actus diversam malitiam à malitia omissionis, sitque in genere moris, idem numero.

543. Secundo, quia præceptum virtutis studiositatis, verbi gratia, non extenditur, nisi ad ea, quæ intra propriam speciem continentur, de illis enim quæ virtuti sunt extrinseca, & materiæ propriæ per accidens conjuncta, virtus non tractat; ergo si actus intra speciem virtutis ordinatè tendat in objectum præceptum, vel prohibitum, non frangitur præceptum, nec virtus violatur: cum igitur studium electum, ut medium omissionis, tendat ordinatè in suum objectum, non erit contra virtutem studiositatis, ex eo quod assumatur, ut causa omissionis; hæc enim assumptio per accidens se habet, & extrinseca est virtuti studiositatis; & extra ea, quæ illi propria sunt intra propriam speciem.

544. Unde colliges, quatuor modis studium posse esse contra studiositatis virtutem. Primo, quando quis ex affectu studii minus utilis, retardatur ab studio necessario, & utili. Secundo,

si quis discat à quo discere non potest. Tertio, si quis appetat scite, habens pro ultimo fine ipsam cognitionem, non Deum. Quarto, si quis, propriis viribus nitatur cognoscere ea, quæ proprium ingenium excedunt: quod si quis aliter studio applicetur; non inordinatè, sed ordinatè procedet.

OCTAVA DIFFICULTAS.

Utrum quæ fiunt, aut omittuntur, quando jam non sunt in nostra potestate, sint peccata?

545. SUppono primo, omne peccatum esse liberum, & procedere à voluntate sub indifferentia operante: Secundo, quæstionem esse de omissionibus, & idem est, de commissionibus, quæ prævidentur futuræ, & non impediuntur tempore quo impediri possunt, utrum scilicet sint peccata, non solum in causa, quando prævidentur futura, & impediri possunt, sed etiam cum exercentur, & non est in potestate libera voluntatis ea impedire, Id est utrum posita voluntate omittendi vel faciendi, non solum omissio, vel effectus sequutus sit peccatum in causa, sed etiam in se formaliter, quando scilicet posita causa, jam omissio, vel effectus non est in nostra manu, sed necessario futurus est? vel utrum quando exercetur omissio, vel effectus, sit in se peccatum? Verbi causa, voluit quis omittere sacrum, ut dormiret; ex quo somno necessario omissio sacri sequenda erat, transeunte tempore, quo urgebat præceptum, cum dormiret, non andivit sacrum; quæritur, utrum illa omissio non solum sit peccatum in causa, cum scilicet prævidetur, & impediri potest, non tradente se homine somno, sed etiam in se, quando in somno transit tempus obligans, & fit omissio? Vel, imperavit homo servo, ut hominem occideret, non potuit tamen dominus revocare mandatum: eritne peccatum illa occisio, & omissio, cum exercetur, & non potest impediri?

546. Respondeo affirmativè, non solum enim illa omissio, & effectus sequutus, est peccatum in causa, cum prævidetur, & impediri potest, sed etiam est peccatum in se formaliter, quando executioni traditur omissio, aut effectus, etiamsi pro tunc non sit in nostra potestate; ita communiter Doctores. D. Thomas 1. 2. qu. 7. art. 5. *ad* 3. qu. 76. art. 4. *ad* 2. qu. 77. art. 7. Sequuntur discipuli, Ledesma, Soto, Medina, & alii, quibus relatis subscribunt Henriquez lib. 8. de Eucharistia cap. 51. num. 2. Sanchez lib. 9. de matrim. disput. 45. num. 28. Lorca disp. 7. de peccatis §. *Dico secundo*, Salas 1. 2. tract. 13. disp. 2. sect. 9. n. 109. Becan. 1. p. Summæ tract. 2. cap. 5. q. 6. n. 8. latissimè Ægid. Lusit. In *Manuscript.* ad 1. 2. qu. 6. art. 3. disp. 3. sect. 5. §. 5. probabilem esse docet Suar. t. 2. tract. 5. disp. 4. sect. 4. n. 8.

547. Probatur primo authoritate Philosophi lib. 3. Ethicor. c. 5. quo loco approbat legem, quæ duplici pœna in ebrios animadvertit, una propter ebrietatem, altera propter homicidium ex ebrietate sequutum; ergo ex mente Philosophi, non solum ebrietas, sed etiam homicidium, quando actualiter fit, est peccatum. Patet consequentia, quia solum peccatum pœnam meretur; cum ergo illud homicidium à Philosopho pœna dignum censeatur, erit peccatum: deinde idem Philosophus laudat Isicum statuentem majori pœna puniendos esse ebrios, cum percutiunt, quam sobrios; ergo ex eo, quod ebrii duplici culpa tenentur obnoxii, ebrietati videlicet & homicidio, sobrii verò unius tantum rei sunt, nimirum homicidii.

548. Probatur secundo, ex S. Ambrosio lib. de Helia, & jejunio cap. 5. ubi incestum, quod Loth commisit, non liberat à culpa, imo majorem esse docet, quam fuerit ebrietas: ita, *Fuit ebrietas Loth, ergo incestus, pessimæ generationis partus deterior.* Refertur in cap. *sexta die*, dist. 27. quæ est mens aliorum sanctorū Patrum, qui Loth à culpa non liberant in commissione incestus: supponunt enim prævisum fuisse, nec impeditum: Favet etiam huic sententiæ: Cap. *Si quis insaniens*, 15. q. 1. ubi imponitur pœna peccato in amentia facto: atqui incestus ex ebrietate sequutus, peccatum ab amente factum, post commissam ebrietatem, & amentiam incursam, non erant in potestate hominis, nec impediri poterant; ergo omissio, vel effectus sequutus, quando jam non est in potestate hominis, sunt peccata in se formaliter.

549. Probatur tertio; Ut aliquid sit capax malitiæ, satis est quod in sua causa fuerit in libera potestate voluntatis, quamvis ejus exequutio necessario fiat: atqui plura, quæ ab ebriis, & amentibus fiunt, libera fuerunt in sua causa, & prævisa, ut fatentur contrarii; ergo cum necessariò fiunt, erunt peccata. Major probatur, quia ex opposito sequeretur occisionem factam ab homine amissa sagitta, non esse formaliter peccatum homicidii. Sequela constat, quia licet emissio sagittæ foret in potestate hominis; emissa, jam revocari, & impediri non potest, occisioque necessario futura est.

550. Confirmatur: Illa actio externa, nimirum homicidium, non solum diversa pœna punitur, quam interior, ut dixi disp. 3. à n. 899. sed etiam primario est prohibita ex ibidem dictis à num. 943. & primario est peccatum per malitiam ab objecto desumptam, ex latè traditis eadem disput. 3. à num. 846. ergo in se est peccatum, etiam cum non est in hominis potestate. Probo consequentiam, quia si non foret pro tunc peccatum, nec volitio formalis occidendi ante incursam ebrietatem foret peccatum. Probatur, quia ista volitio suam malitiam desumit ab occisione externa; ergo si prædicta occisio non est peccatum, nec volitio, cum non habeat objectum à quo illam desumat malitiam.

551. Dices: Prædictæ confirmationis doctrinam esse veram, quando actio externa, sive illa occisio, est in potestate hominis, non vero quando necessario exequitur. *Sed contra* est, quia in nostro casu, illa occisio licet necessario exequatur, est moralis ex libertate, quam habuit in causa, & libere pro illo tempore, quo necessario exequitur volita fuit: aliter nec volitio erit mala, nam volitio illa, ut sit mala, debet specificari ab objecto malo, cum autem specificetur ab actione externa, seu ab occisione, hæc mala esse debet.

552. Dices, esse illam occisionem malam, sed non moralem. *Sed contra*, Ut volitio sit mala, & culpabilis, debet specificari non ab objecto in esse physico, sed morali, de quo disp. 3. à num. 268. cum igitur ab occisione specificetur volitio, debet occisio esse moralis; Dices, esse moralem illam occisionem, non quando exequitur necessario, sed quando prævidetur in causa. *Sed contra* est, quia illa occisio specificat volitionem non solum secundùm malitiam prævisam, sed etiam exequutam; ideo, si in intentione est moralis, etiam moralis erit malitia occisionis in exequutione. Antecedens probatur, quia illa occisio est

objectum volitionis, qua objectum est finis, non quidem *quod*, hic enim est mors, sed *quo*: atqui finis non solum movet secundùm esse, quod in intentione habet, sed etiam in secundùm esse quod in exequutione habiturus est; ergo non solum in intentione, sed etiam in exequutione mala, erit illa occisio moralis & mala.

553. Probatur quarto, quia ex actu interiori, & exteriori unum componitur peccatum, juxta dicta disp. 3. à num. 927. ad num. 939. ergo actus interior & exterior, vel unam, vel duas habebit malitias juxta varias sententias relatas illa disp. 3. à num. ergo illa occisio, vel actio externa, quando exequitur, habet eamdem, vel distinctam malitiam cum actu interiori, sive volitione occidendi.

554. Quinto: Sequitur eum qui, ne recitaret Officium divinum, Breviarium in mare projiceret, non peccaturum singulis diebus quibus non recitat, etiam ante retractatam voluntatem, ex quo lucrum reportaret ex malo.

555. Sexto: Si quis celebret matrimonium per procuratorem, illa actualis celebratio non est in potestate mandantis ne fiat: & tamen eo tempore, quo celebratur, in virtute illius procurationis, quæ jam non est in potestate, contrahentes recipiunt matrimonii gratiam, si tempore, quo contrahitur matrimonium, non ponatur obex. Similiter, si quis volens accipere Baptismum, & suam efficacem voluntatem declaret, si baptizetur, eum dormit, recipit gratiam; ergo à fortiori de actibus malis similiter asserendum est, peccare; & reddi dignos pœna, eos, qui in tempore, quo omittunt opus præceptum, etiamsi necessario omittatur, peccare: cæteris probationibus supersedeo.

556. Contrariam sententiam, quæ asserit tales eventus non esse in se peccata, nec peccare eos, eo tempore, quo extra illorum potestatem est impedimentum; docuerunt Azor 1.p.inst. moral.lib. 4. cap. 7. lib. 4. cap. 3. q. 4. Sayro in clavi lib. 5. cap. 6. num. 15. Zumel 1.2. disput. 30. q. 8. conclus. 6. Granad. contr. 6. disp. 3. num. 7. tenaciter Vasq. 1.2. disp. 7. cap. 9. num. 46. §. *Vt igitur*, disp. 94. cap. 3. disput. 117. cap. 2. cum Paludan. Majore, Cajet. Covas, Corduba, Arboreo, & Navarro, Pexantius 1.2.q. 71. art. 5. disp. 3. probabilem esse sentit Suarez citatus.

557. Probant primo ex Philosopho lib. 3. Ethicor. cap. 5. docente, actiones humanas, in quibus, & bonitas, & malitia reperitur, esse voluntarias in principio, medio, & fine, & dari aliqua opera, quæ solum in principio sunt in nostra potestate, ut ægritudo, valetudo, jactus lapidis, & similia, quæ non sunt actiones humanæ; ergo ex Philosopho, ea quæ non fiunt liberè, licet fuerint libera à principio, non sunt actiones humanæ, & per consequens nec peccata. Respondetur Philosophum, quando docet actiones humanas debere esse in principio, medio, & fine, liberas, loqui de actionibus elicitis ab ipsa voluntate, quæ sunt sub principio, & fine liberæ, non verò de actionibus imperatis, ad quas sufficit fuisse liberas in causa: & quod hæc sit mens Philosophi, apertè colligitur ex eo quod eodem loco docet, habitus virtutum & vitiorum esse voluntarios, quia licet sequantur naturaliter ex actibus, possunt objectivè esse virtutes & peccata.

558. Secundo, objiciunt Augustinum lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. ubi latissimè ostendit, neminem peccare in eo quod caveri non potest. *Quis peccat, ait, in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur: caveri igitur potest.* Et hæc est constans, & perpetua Augustini doctrina, quam tradit do contra Iansenium Yprensem in Anti-Iansenio lib. 1. & 2. Respondetur, doctrinam Augustini veram esse, loquitur enim de actibus, qui nullo modo caveri potuerunt, nec cum prævisi fuerunt.

559. Tertio: Actio, quæ non est moralis non est peccatum: atqui actiones absque libertate exercitæ, non sunt morales; ergo illæ actiones, quæ sine libertate exequuntur, morales non erunt, neo peccata. Respondetur, distinguo minorem, sine omni libertate, concedo: sine aliqua, nego: deinde nego consequentiam: quia licet non possit dari actio moralis sine libertate, ut latè ostensum est disputat. 2. sect. 10. non est tamen necessaria actualis, & formalis libertas, sed sufficit libertas in causa: cum autem illi eventus fuerint prævisi & liberè voliti in causa, sufficientem habent libertatem, ad hoc ut in tempore quo necessario fiunt, sint peccata.

560. Dices; Licet illæ actiones in ebrio procedant à causa libera, tamen fiunt & eliciuntur necessario: atqui ut essent peccata, debebant fieri liberè, quando eliciuntur, & non sufficit, quod tantum sint liberè in causa; ergo, &c. Probatur minor, quia si libertas in causa sufficeret ad denominandas illas actiones culpabiles, etiam sufficeret ad denominandas actiones bonas prævisas, meritorias: hoc autem est falsum; ergo, &c. Minor probatur, quia si libertas in causa satis esset ad honestatem meritoriam, sequeretur administrationem Sacramenti pœnitentiæ, & votum, eo tempore emissum, esse validum, & suum sortiri effectum, quod tamen negant Suarez tom. 3. in 3. part. disput. 13. sect. 3. conclusione 1. Sanchez lib. 1. Decalog. cap. 1. num. 6. Respondetur, negando minorem: Ad probationem, nego majorem; cum plus requiratur ad honestum, & meritorium, quam ad malum; hæc est communis solutio auctorum, cum quibus disputamus, qui admittunt omissiones malas, & inficiantur bonas: quare si quis prævideat ex sua actione honesta, quam facit, sequuturum bonum opus, si non sequatur, non imputabitur ad laudem.

561. Quarto: Arguitur ex absurdis, quæ sequuntur, sequitur enim primo, eum qui alicui venenum propinavit, toto illo tempore peccare, quo venenum durat. Secundo, eum qui ex nimio potu ciboque ægrotavit, peccare toto tempore quo cibus potusque digeritur in ventre. Tertio, eum qui sagittam emisit ut aliquem occideret, tamdiu peccare quamdiu sagitta movetur, vulnus infligitur, & mors succedit. Quarto, eum qui culpa sua incidit in morbum, ex quo omisit audire sacrum, & recitare divinum Officium, singulis diebus nova committere peccata. Respondetur, omnia quæ adducuntur pro absurdis, absurda non esse, sed esse veram doctrinam, quæ ex nostra sequitur.

562. Quinto: Ea, quæ procedunt à voluntate, ut à causa remota & mediata, non sunt voluntaria, ut probat Castro lib. 1. de lege pœnali conclusione prima, ex cap. *de occidendis* 23. q. 5. & ex aliis juribus: atqui tales omissiones, & eventus procedunt à voluntate remotè; ergo, &c. Respondetur, distinguo majorem: Si causa sit extrinseca effectui, concedo: si simul influat cū alia, nego: omissiones enim, & eventus procedunt à voluntate remotè, influente tamen simul in illos cum alia causa, à qua proximè procedunt: duobus enim modis accipi debet causa remota. Primo, quia inter ipsam, & effectum mediat aliqua causa,

ut animal rationale, est causa remota risibilitatis. Secundo, quia est extrinseca, ut animal respectu respirationis: primo modo est causa prima, si quidem non habet aliam priorem, & principalius influit in effectum, ideo enim voluntas est causa prima voluntarii in genere moris, refundique voluntarium in effectum, etiamsi causa, quæ mediat sit naturalis, ut patet in eo, qui feram objicit, ut occidat, homo media fera, quæ causa naturalis est, occiditur, & homo dicitur occisor: jura loquuntur de causa mediata secundo modo.

NONA DIFFICULTAS.

Utrum omissiones, & eventus sequuti quando non sunt in nostra potestate, sint peccata post retractationem & pœnitentiam de illis.

563. CUm ex superiori difficultate constet omissiones, & eventus factos tempore illo, quo non sunt in nostra potestate, esse peccata in se; quæritur utrum si revocentur, & retractentur, maneant verè, & imputabiter peccata. Respondetur negativè; ita Doctores citati num. 546. pro nostra sententia: accedunt Angles in floribus Theologicis in 2. dist. 37. q. 2. dub. 9. difficult. 7. Salas tract. 7. disp. 6. sect. 8. n. 55. & tract. 13. disp. 2. sect. 9. n. 11.

Probatur primo: Tales actiones, nec in se, nec in causa sunt liberæ; ergo nec peccata. Probatur antecedens, quia voluntas, in qua erant liberæ revocata est, nec in esse motis perdurat culpabilis, cum per pœnitentiam, & gratiam retractata sit, moraliterque in ratione voluntarii destincta; ergo licet sequatur ex ea effectus, est in quantum voluntas se habet ut causa naturalis, & determinata, non tamen, ut causa moralis: quia quamdiu voluntas perseverat moraliter, perseverat simul causalitas voluntarii liberi, & moralis; retractata verò voluntate, non permanet moraliter; & ideo, nec moraliter influit: declaratur exemplo illius, qui per procuratorem matrimonium contraxit, in quo prima volitio, qua voluit contrahere per procuratorem operatur, ut verba à procuratore prolata censeantur verba ipsius mandantis: quæ causalitas tollitur, si consensus retractetur antequam celebretur matrimonium, & erit irritum matrimonium contractum per procuratorem, retractato consensu mandantis.

564. Est tamen dubium, si illa retractatio non fuit ita perfecta, ut justificaretur homo, & remissionem peccati obtineret, an adhuc perseverent, & continuentur illa peccata. Respondetur negativè, cum Salas cit. num. 116. Ratio est, quia licet illa retractatio non sufficiat ad præteritam culpam expiandam, sufficit tamen, ne illa voluntas influat in effectum, omissionemve futuram: patet in eo qui adstrictus est voto castitatis simplici, vel alio impedimento non dirimente matrimonium, & voluit contrahere matrimonium absolutè per procuratorem, in quo actu peccavit contra votum, & si votum revocet sine vera contritione, priorem voluntatem revocavit, quæ retractatio quamquam non deleat præteritam culpam, influit tamen in actionem naturalem procuratoris; quod si iterum voluntatem revocet, votumque statuat, & confirmet per talem revocationem, irritum manebit matrimonium per procuratorem contractum, ut habetur cap. final. de procurat. in 6. ergo similiter quælibet retractatio licet non impediat effectum futurum naturaliter & physicè, nec præteritam culpam deleat, impedit tamen effectum moralem peccari.

565. Dices: Posita illa retractatione incurritur irregularitas, ut ex communi sententia docent Salas cit. Suar. tom. 5. in 3. p. disp. 41. sect. 3. num. 5. incurritur etiam excommunicatio, ut cum communi Theologorum sentent. docent Suar. supra disp. 45. sect. 2. n. 6. & Castro lib. 2. de lege pœnali: incurritur etiam obligatio restituendi, ut affirmat Vasques 1. 2. disp. 94. cap. 4. numero 17. atqui prædictæ pœnæ solum imponuntur propter culpam moralem; ergo retractatio non impedit culpam moralem. Respondetur negando minorem, quia ad incurrendas censuras, satis est præcessisse peccatum, in quo prævisæ fuerunt, & exequutam fuisse actionem, cui annexæ erant censuræ; licet enim hæc occisio, verbi gratia, revocata voluntate, non sit peccatum, est tamen conditio necessario requisita ad incurrendas censuras. Restitutio etiam fieri debet, quia justitia non tam culpam, quam damnum illatum respicit, ut ad æqualitatem reducat: hæc est communis solutio.

566. Sed mihi non displicet multorum sententia, quibus favet citatus Salas, asserentium excommunicationem, & irregularitatem solum incurri quoad effectus extrinsecos non recipiendi, nec administrandi Sacramenta, quoad obligationem non communicandi cum hominibus, & quoad suffragiorum privationem, ita ut peccet quisquis obtulerit suffragia pro homine mandante occidere clericum, si sequuta fuit occisio, post revocatam voluntatem occidendi, licet oblatio fortè prosit realiter excommunicato: quia nec in foro interno, & conscientia incurrit prædictas pœnas.

567. Quæ doctrina à fortiori practicari debet, si mandans occisionem clerici, non solum retractaverit voluntatem, sed etiam revocationem intimavit illi cui commissa demandataque est occisio, testans non velle quod clericus occidatur: in eo enim casu, si occidatur clericus non obstante contraria voluntate mandantis, non imputanda est mors mandanti, si quidem jam non ex ejus mandato, sed ex voluntate occidentis mors illa procedit. Idem dicendum de mandante, qui quantum in se fuit voluit intimare revocationem sui propositi, & non potuit, attamen antequam occisio fieret, dolore compunctus peccatum suum confessus est; hic enim nullam incurrit censuram.

Corollaria deducta ex octava, & nona difficultatis doctrina.

568. EX iis, quæ diximus circa omissiones, & eventus, qui sequuntur quando jam impediri non possunt; Colliges primo, nullam omissionem, aut eventum esse peccatum, quamquam prævisum fuerit in causa, si causa non fuit mala, & culpabilis. Ita D. Thomas 2. 2. q. 150. art. 4. quia quando causa non est mala, malus esse non potest eventus, aut omissio in ea prævisa: unde si quis plenè agnoscat à se dormiente homicidia patrari, si facta debita diligentia, ne sequantur, dormiat, & adhuc sequantur homicidia, occisio non erit peccatum, eo quod somnus non fuit causa culpabilis, nec volitus, ut homicidiorum causa; idem dicendum, de pollutione sequuta ex confessione, aut equitatione, dummodo neutra, ut pollutionis causa intendatur. Imo etiam pœna caret, hæc enim

solum imponitur pro culpa; ex quo capite, si quis inculpabiliter in ebrietatem incidat, & in eadem persistens, hominem occidat, nec incurrit excommunicationem, nec irregularitatem contrahit; de quo Covas in Clementina *Si furiosus*, 1. part. §. 5. num. 5. constatque hæc doctrina in regula *sine culpa* de regulis juris in 6. & ex lege *si putatur* ff. ad legem Aquiliam.

569. Colliges secundo, nullam omissionem, vel eventum, qui in somno, aut ebrietate contingit, esse peccatum in se, & formaliter, nisi formaliter, aut virtualiter practicè fit volitus, & intentus: verbi causa, si quis velleitate, sive amore, & desiderio simplici in somno velit, & desideret occidere, nulla tamen de illius occisionis executione facta deliberatione, nullaque causa applicata, nec somnum, aliquidve volendo, ut causam, non peccat etiamsi occidat, quia tunc practicè occisionem non vult, cum executio occisionis antecedenter nec in se, nec in causa sit imperata, in somno verò non potuit imperari; cum ergo quæ extra voluntatem fiunt, non sint voluntaria, nisi imperentur, illa occisio, non erit voluntaria.

570. Unde nocturna, sive in somnis pollutio, tantum simplici desiderata affectu, non est peccatum, quia cum non sit practicè imperata, nec procurata non est peccatum. Ita Cajet. 1. 2. qu. 154. art. 5. Soto in 4. dist. 1. 2. qu. 1. art. 7. Corduba in quæstionario lib. 2. qu. 23. dub. ultimo. S. Antonio. 2. part. titulo 6. cap. 5. & alii Summistæ.

571. Colligitur tertio, ea mala, quæ in somno, & ebrietate fiunt præter intentionem agentis, ex causa volita, quam illa mala per accidens comitantur, & in paucioribus, non esse peccata, quamvis causa in se ipsa peccatum sit: ut si quis experitur à se nullum fieri facinus, si incidat in ebrietatem, casu dum ebrius fuit, occidit hominem, hæc occisio non est peccatum: quia prædicta mala non sunt intenta formaliter, cum evenerint præter agentis intentionem: non virtualiter, quis non datur prudentia circa ea, quæ raro contingunt; ergo nulla instabat obligatio ea mala præcavendi: ut colligitur ex L. *Si fidejussor*, §. *Si cum debitor* ff. mandati: & ex cap. *Joannes*, de homicidio: etenim causa solum materialiter continet illum effectum, non formaliter, quia licet in se malitiam habeat, non tamen illam habet, ut est causa, cum sit causa per accidens.

572. Colligitur quarto, illa peccata, quæ fiunt quando jam sunt extra nostram potestatem, incipere, & cum ponitur causa, & cum executioni mandatur; quando enim primo ponitur causa fotori mali, culpa committitur, non simpliciter, sed in intentione, & in corde, quæ per executionem opere completur: quod ostenditur, quia tum primum datur peccatum, cum datur illius voluntas; sed cum primum datur voluntas ebrietatis, cum prævisione malorum, statim datur eorum voluntas, vel formalis, vel virtualis in causa; insuper ad peccatum illud, satis erat periculum cognitum, cui homo exponitur, causam apponens peccatorum.

SUBSECTIO SEXTA.

Explicatur divisio peccati in mortale, & veniale.

573. Hæc divisio notissima est apud omnes fideles, cujus etiam rustici rationem redduot, apud hæreticos non recipitur, ab scriptura tamen & sanctis Patribus approbatur, de fide enim est dari utrumque peccatum, & mortale, & veniale, mortale enim sæpe exprimunt scripturæ, cum mortem animæ minitantur illis, qui legem Dei non servaverint. Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Regnique Dei privationem iniquis, promittit Paulus 1. ad Corinthios 6. *Nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt.* Et sæpe alibi peccata hominum mortalia esse Scriptura sacra clamat: de venialibus est insignis locus in epist. S. Iacobi cap. 3. numer. 2. *In multis offendimus omnes:* quem locum intelligendum esse de peccatis venialibus, ille exactissimus Canticorum *Audite cœli quæ loquor*, &c. *Cantemus Domino*, &c. ac *Ego dixi in dimidio*, explanator, Magister meus P. Fr. Baltasar Paez, qui primus per conceptus morales docuit explanare sacrum textum, dum exponit prædictum versiculum Epist. canonicæ, ostendit ad fastidium accersitis sanctis Patribus, qui ita intellexerunt præfatum locum: ideo in materia adeo certa, non licet detineri.

574. Varii tamen fuerunt hæretici, qui prædictæ divisioni refragati sunt. Jovinianus enim & Stoïci asseruerunt omnia peccata esse æqualia. Pelagius docuit per quodlibet peccatum gratiam amitti, & justitiam, quæ deliria satis refutata videri possunt apud Vasq. 1. 2. disp. 142. Castro de hæresibus verbo *peccatum*, Bellarmin. lib. 1. de amissione gratiæ cap. 12.

575. Eorum fundamentum est, quia Scriptura sacra loquens de omnibus peccatis in genere, omnium mortem, stipendium esse affirmat, *Stipendium peccati mors*, ad Roman. 6. & omnes, qui omnia non servaverint mandata, maledictioni subjicit Deuteron. 27. ergo omne peccatum est mortale, non enim si veniale foret, maledictos, & morti obnoxios homines constitueret. Respondetur loca Scripturæ sacræ intelligenda esse de peccato mortali, quod deducitur ex pœna, cui subjicitur peccatum, de quo loquitur, quotiescumque enim peccatum pœna graviori mulctatur, ut expulsione regni cœlestis, vel detrusione in infernum, maledictione, aut igne; est propter peccatum mortale. Videatur citatus Bellarminus, nec enim ita judicandum est de misericordi justitia Dei, ut propter otiosum verbum, levemque risum, adeo in homines excandescat, ut eos à cœlo excludat, inferno tradat, maledictionibus addicat, igne, aliisque atrocioribus suppliciis affligat.

576. Dices: Durum hoc est, sed sic à Deo statutum, qui propter minimorum fractionem mandatorum protestatur homines è cœlo excludendos Matth. 5. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum*, id est excludetur: & Petro repugnanti ob humilitatem pedum lotionem, minatus est Dominus suæ societatis amissionem. Joannis 13. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Cui doctrinæ nixus S. Basilius in quæstionibus compendio explicatis q. 293. nullam agnoscit differentiam inter magna, & parva peccata.

Respondetur, si durum est, à Deo non esse statutum; aliter enim intelliguntur loca illa scripturæ, nam *mandata minima* non sunt, quæ obligant venialiter, sed quæ graviter, & sub mortali obligant: Siquidem loquebatur Dominus de aliquibus præceptis, quæ scribæ falsò interpretabantur, nimirum solos actus externos esse peccata, non verò internos, & quia præcepta de internis peccatis Dominus, ut sua asserebat, ideo mo-

destiæ

destiæ causa, minima appellabat. Ita exponunt Chrysostom. & Theophilact. apud Salmeron tom. 9. tract. 32. Locus Ioannis de lotione pedum, duplici explicatione nobis non nocet; Prima, quod illa comminatio à Christo facta Petro, de peccato veniali erat, ut Augustinus, & Bernardus exponunt, comminatur autem exclusionem Petri a regno cælorum pro veniali, quia ad illam exclusionem simpliciter disponunt venialia, & secundum quid excludunt, cum nullum coinquinatum in cælum intret, nullus cum veniali ad cælum ibit, & per veniale excluditur, quatenus dum non remittitur, non ingressurus est aliquis cælum. Secunda est, quia comminatio facta fuit Petro ratione obedientiæ, quam si Domino ita graviter præcipienti non præstaret, mortaliter peccaret. Ad locum S. Basilii, respondeo, dato quod illa auctoritas Basilii sit, docentis nullam dari differentiam inter peccata mortalia & venialia, sive inter magna, & parva, noluisse significare inter utrumque paritatem, sed voluisse cautos reddere fideles, ne contemnerent venialia: nam licet hæc non interficiant animam, ut mortalia, disponunt tamen animam ad mortem. Aliis circa certitudinem hujus divisionis supersedeo, certum etenim de fide est, utrumque peccatum dari, & mortale, & veniale: multa tamen se se offerunt discutienda, ex quibus utriusque quidditas constat, quæ sequentibus explicanda sunt difficultatibus.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum differentia inter peccatum mortale, & veniale solum ex voluntate Dei dependeat?

577. PLurium Hæreticorum nostri temporis error est, discrimen inter peccatum mortale, & veniale non desumi, nisi ex voluntate Dei, non imputante ad mortem unum peccatum, alterum imputante, ex quo errore, omne peccatum in prædestinatis esse veniale, in reprobis mortale docent; ita Calvinus: vel in renatis non dari peccatum mortale, sed omne esse veniale, sicut in non renatis omne peccatum est mortale, & hoc solum est peccatum infidelitatis, quam solum esse peccatum asseverant, ita cum Luthero, docent plerique hæreticorum; errorem vero tam Calvinus, quam Lutherus ex eorum infami Patriarcha VVicleпho acceperunt: Ex aliis principiis omne peccatum esse mortale, & veniale ex sola Dei voluntate, docuerunt aliqui Doctores catholici, ut Martinus de Magistris, Gerso, Almainus, Ruffensis apud Vasq. 1.2. disp. 141. n. 4.

578. Discriminari peccatum mortale, & veniale inter se, non ex Dei voluntate, sed ex ipsa natura peccatorum, est veritas, quam ex communi sanctorum Patrum, & Theologorum sententia tradit Salas 1.2. tract. 13. disp. 15. sect. 3. n. 14. Ratio est, quia in omni humana amicitia dantur offensæ leves, quæ amicitiam non dissolvunt, & graves, quibus amicitia dissolvitur; ergo à fortiori similes offensæ dabuntur inter Deum, & homines, cum plus tribuendum sit divinæ misericordiæ, & justitiæ, quæ attributa nos credere cogunt propter levissimas causas, quas non reputant homines sufficientes ad amicitiam humanam dissolvendam, non dissolvi Dei amicitiam, nec tormentis æternis à Deo fore homines mancipandos.

579. Confirmatur primo: Quia si ex Dei voluntate, & non ex sua natura mortale, & veniale peccatum distinguerentur, jam homines in angustissimas cogitationes, & magnas redigerentur angustias, eo quod nullum eis principium esset, ex quo scirent, quonam peccato Deus graviter, vel leviter offenderetur: nam divina voluntas nullo signo circa hoc punctum nobis manifesta est. Secundo, quia id quod ratione naturali constat, non potest ex arbitrio divinæ voluntatis dependere ratione autem naturali, constat alia esse peccata gravissima, alia levissima, etiamsi non interveniat divina voluntas; ergo illa major gravitas ex natura peccati est, non ex divinæ voluntatis illa arbitrio. Minor clarior est, quam ut probatione egeat, Sodomia enim, blasphemia, idololatria, patricidium & hujus farinæ scelera gravissima sunt, quamquam nulla Dei voluntas cōsideretur, immoderatus autem risus, jocus levis, furtum denarii, & similea actus, adeo levia sunt, ut gravia esse non possint; ergo ex se habent suam differentiam. Tertio, ex variis utriusque effectibus, peccatum enim mortale Deum ab homine separat, pœnam tam damni, quam sensus meretur æternam, gratiam destruit, amicitiamque divinam dissolvit: è contra peccatum veniale, non separat hominem à Deo, pœnam temporalem meretur, non gratiam amittit, amicitiam non solvit, sed amicitiæ fervorem, quæ omnia concedenda sunt, juxta Scripturas sacras, & sanctos Patres; ergo non ex voluntate Dei discriminantur hæc peccata.

580. Hoc tamen intelligendum est, de voluntate Dei consequente peccatum, seu peccatis jam commissis adveniente, nam postquam commissum est, qualitas, non Dei voluntas, peccata distinguit: nam antequam committantur illa peccata, quæ ideo sunt peccata, quia prohibita, dependent à divina voluntate ut peccata sint, cum enim peccata non sint, nisi prohibeantur, cum prohibere, sit actus divinæ voluntatis, ab ea, ut prohibeantur dependent: posita autem prohibitione, ex eorum natura sumenda est differentia: Ex quo sequitur, si Deus peccatum mortale ad pœnam temporalem, ad æternam veniale destinaret, neutrum ex se desineret esse tale, cum mortale semper Deo magis displiceat, & in eo casu uteretur supremo sui dominii jore: eo modo, quo nullum horum peccatorum posset Deus ad pœnam destinare; Ita Vasq. disp. 142. cap. 1. n. 8. 5. *Cæterum.*

581. Objicies primo, cum Doctoribus catholicis relatis n. 577. ex doctrina Augustini dicentis, venialia peccata simul collecta, esse causam damnationis, & ex D. Bernardo serm. 1. in conversione S. Pauli, ubi: *Nemo dicat in corde suo: Levia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum, si in his maneam venialibus, hæc est enim, dilectissimi impœnitentia, hæc blasphemia in Spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis*: Ergo si temporaliter puniuntur, & levia judicantur, ex Dei provenit misericordia. Respondetur D. Augustinum intelligendum de causa damnationis dispositiva, sunt enim venialia causæ dispositivæ peccati mortalis, & consequenter damnationis, quam mortale meretur, juxta illud, *quod est causa causæ, est causa causati*: eo scilicet modo, quo est causa. Ad D. Bernardum respondet Salas accipere peccata venialia pro illis mortalibus levioribus, quæ ex ignorantia fiunt, & faciliorem veniam habent. Verum alia est mens S. Bernardi, cum ibi loquatur de peccatis ex malitia, eaque appellat venialia: non tamen suo, sed peccantium sensu, cum enim talia peccata, cum sint blasphemiæ, peccata sint mortalia, venialia esse, peccantes ex sua existimant malitia, quasi Deum, cui pessimæ sunt manifestæ cogitationes hominum, fallere possent, dicunt enim de mortalibus, *levia sunt ista*: id est, quid sunt ista peccata, nisi parva, & venialia? illa autem mortalia sunt: quo sensu etiam sancti Patres apud Vasq. citatum disp. 142. cap. 1. num. 2. docuerunt, à primo

mulieré suum peccatum judicatum fuisse veniale.

582. Secundo, omne peccatum ex se est irremissibile; ergo omne ex sola Dei voluntate est remissibile. Antecedens patet, quia nullum peccatum sine gratia expelli potest. Respondetur, mortale, coocedo: veniale, nego: Ad probationem, concedo antecedeos: peccatum mortale cum tollat gratiam, irremissibile est positive, non veniale, quod gratiam noo aufert, oec gratiæ obicem ponit: & ideo positivè remissibile est, & solum negativè irremissibile dicetur, quateous secum gratiam non importat.

583. Instabis: Si homo io statu puræ naturæ incideret in veniale peccatum, oon daretur priocipium, per quod tale deleretur peccatum: & si cum illo, homo discederet, perpetuo foret damnandus; atqui hoc idem habet peccatum mortale, & oon amplius; ergo discrimen inter mortale, & veniale ex sola Dei voluntate desumenda est. Respondetur, oegaodo majorem: Primo, quia si homo in illo statu totam legem naturalem observaret, Deus venialia illi remitteret, vel propter oblatam satisfactiooem pœniteotiæ, vel ob retractationem venialium elicitam ex charitate Dei oaturali. Secuodo, quia si cum illo solo peccato mereretur, noo perpetuis suppliciis Deus illum puniret.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Vtrum differant essentialiter peccatum mortale, & veniale?

584. NOn procedit difficultas de differentia in genere physico, physicum enim geous consistit io entitate actus, qui malus est objectiuè, & ideo, in eo peccatum mortale, & veniale, non differuut esseotialiter, sed possunt esse sub eadem specie physica, ita Vasq. 1. 2. q. 82. art. 5. io dubio disp. 145. cap. 2. num. 5. Suar. 1. 2. tract. 5. disp. 2. sect. 61. num. 3. Salas 1. 2. tract. 13. disp. 16. sect. 19. n. 50. Granad. tract 2. dispotat. 2. sect. 4. n. 34. Becan. 2. p. Summæ tract. 2. cap. 2. q. 3. o. 1. & communiter. Probatur, qoia peccatum veniale, vel est veniale ex suo genere, vel defectu adverteotiæ, vel defectu materiæ: quocumque modo potest transire in mortale io geoere physico; ergo in eo genere ab eo non differt essentialiter. Probo minorem: oam veniale, ex suo geoere ex conscientia erronea, potest esse mortale; si quis verbum proferat otiosum, existimans esse peccatum mortale, & si postea consideret solum esse veniale, veoialiter peccabit: veniale defectu adverteotiæ, posita advertentia oon mutata physicè entitate, est mortale: veniale defectu materiæ, secundùm eamdem entitatem physicam potest esse mortale, veluti furtum magnum, & parvum; oam magoum, & parvum in geoere physico non variaot speciem.

585. Procedit ergo difficultas in genere morali, utrum mortale, & veniale io eo geoere essentialiter differant. Respondetur affirmativè; quam videntur tradere D. Thomas 1. 2. q. 72. art. 5. in corpore, Scotus in 4. dist. 21. q. 1. n. 4. vers. *Item peccatum docent,* Granad. citatus o. 33. Vasq. illa q. 82. art. 6. n. 16. Suar. n. 2. Becan. n. 4. eamque debent tradere doctrinam illi Doctores, qui oegant ex pluribus venialibus fieri posse unum mortale, de quibus infra difficultate 4.

586. Probatur primo, quia peccatum mortale ex suo genere est, quod gravem malitiam ex objecto habet, veoiale vero ex suo genere est, quod levem malitiam ex suo habet objecto: ut omnes Theologi fateotur. Peccatum veniale defectu materiæ, ut tale est, privationem fervoris dicit. & taotum inducit reatum pœnæ temporalis, è contra verò peccatum mortale, & privatiooem gratiæ, & reatum pœnæ æternæ importat. Privatio autem gratiæ, à privatione fervoris: pœna damni, & sensus debita peccato mortali essentialiter differunt: præcipuè, quia pœna debita peccato mortali, cum amplius includat vermem pœoæ æternæ, & desperationem de salute æterna, à pœna debita peccato veoiali essentialiter differt. Peccatum veniale defectu advertentiæ nullo modo capax est malitię mortalis; ergo in genere morali essentialiter differunt peccatum mortale, & veniale.

587. Secundo, illa differunt specie morali, quæ diversæ speciei deformitatem dicunt ad legem, & ad ratiooem: sed peccatum mortale diversæ speciei deformitatem dicit; ergo, &c. Probo mioorem, quia peccatum mortale secum affert gravissimam Dei injuriam, levem veniale: peccatum mortale est materia necessaria ad Sacrameotum pœoitentiæ, non veniale: peccatum mortale æterna pœna prohibetur, non veoiale; ergo peccatum mortale diversæ speciei deformitatem dicit ad rationem ab ea, quam dicit veniale.

588. Objiciea primo, Peccata venialia, & mortalia in geoere naturæ sæpe suor ejusdem speciei; ergo & in genere moris. Respoodetur, nego consequentiam, quia genus physicum sumitur ex entitate actus, qui si habuerit objectom formale specifice diversum, diversæ erit speciei; si noo habuerit, ejusdem: cum autem in genere physico, peccata mortalia, & venialia, habeaot idem objectum formale specificum, erunt sub eadem specie: at verò genus mortale sumitur ex diverso ordine ad rationem, & geous malitiæ moralis ex diversa difformitate ad legem; cum ergo deformitas ista, sit specie diversa, etiam peccata specie eruot diversa: siquidem specificè, est specificativum diversum.

589. Secundo, actus honestus deliberatus, & indeliberatus ponuntur in eadem specie virtutis; ergo etiam actus malus deliberatus, & indeliberatus. Respondetur, oegando consequentiam: quia actus honestus deliberatus, & indeliberatus habent conformitatem ad rationem ejusdem speciei, oon tamen actus malus deliberatus, & indeliberatus habet difformitatem ejusdem speciei ad legem, eo quod deliberatus legi oecessariæ ad salutem prohibeoti, vel præcipienti sub comminatione pœnæ æteroæ contrariatur; indeliberatus autem, legi utili sub commioatiooe pœnæ temporalis præcipienti, aut prohibenti.

590. Instabis: Quamvis crescat advertentia in peccato mortali, nunquam variabitur ejus species; ergo licet crescat io veniali, non variabitur ejus species. Respoodetur, negando consequentiam: diversa ratio est, quia sub quacumque advertentia, fit sub eodem motivo, & ratione, & per augmentum advertētiæ, ac libertatis augetur in eadem materia: veniale verò peccatum ex iodeliberatione per advenientem adverteotiam mutat difformitatem, & offensam, quia (ut inquit Suar. o. 4.) actus indeliberatus, & deliberatus, quasi genere differunt, & coosequenter malitiæ sunt quasi genere diversæ.

Loquor de peccato veoiali ex defectu deliberationis, de quo argumeotum procedit: nam de peccato veniali, sive ex genere suo, sive ex defectu materiæ, eadem est ratio, ac de peccato mortali, ut enim mortale sub quacumque adverteotia est mortale, & ejusdem speciei, ita peccatum veniale ex genere suo, & defectu materiæ sub quacumque advertentia erit veniale.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrum peccatum veniale possit transire in mortale, & mortale in veniale.

591. Ut in superiori difficultate difficultas processit in genere naturæ, & moris ita in præsenti: sed doctrina multum diversa est: namque constat in genere morali, non posse peccatum veniale in mortale transire, vel è contra: non enim idem, vel numero, vel specie peccatum veniale, ut veniale est, potest transire in mortale: ita deducitur apertè ex doctrina superioris difficultatis, in qua probatum est peccata venialia, & mortalia essentialiter, & specie distingui; ergo unum in aliud transire nequit: sicut una species in aliam non transit: ideo pro hac resolutione allegari debent Doctores citati supra num. 585. eam expressè docent Granad. controverf. 6. tract. 2. disp. 2. sect. 4. num. 39. Bonacinas tom. 1. dispur. 2. q. 3. punct. 5. num. 21. ex D. Thoma, Medina, Sayro, & Conrado, Suarius 1. 2. tract. 5. disp. 2. sect. 6. num. 18. Becan. 2. p. Summæ cap. 2. q. 5. num. 8. licet reclamet Vasq. 1. 2. disp. 143. cap. 2. num. 5.

592. Quæ resolutio amplius probatur: quia ex duplici capite transire potest peccatum veniale in mortale. Primo, si voluntas prius tenderet in objectum leve, & postea in grave. Secundo, si æqualiter tenderet in objectum grave, defectu tamen advertentiæ, peccatum foret veniale: atqui nullo ex isto duplici capite, veniale potest transire in mortale; ergo, &c. Probatur minor, quia non potest transire primo modo, cum enim mutetur objectum formale, & materiale, necessario etiam actus mutandus est. Non etiam secundo modo: si quidem perfecta libertas in genere moris saltem, diversificat actum: præcipuè quia ex perfecta libertate mutatur capacitas subjecti, cum actus deliberatus magis sit capax bonitatis, & malitiæ; ergo etiam peccatum mutabitur.

593. Procedit igitur difficultas de peccato veniali, & mortali in genere naturæ, utrum scilicet unum in alterum transire possit in eo genere: affirmativa resolutio est communis inter Theologos, quod sibi adeo persuasit Vasq. disp. 145. cap. 2. ut nullum Doctorem de hac conclusione dubitare asseveret.

594. Ego oppositum sentio, & sentire debeo ita, cohærenter enim loquendum est, cum enim disp. 1. à num. 127. ad 139. & disp. 2. à num. 217. ad 225. docuerim actum necessarium non posse transire in liberum: & disp. 3. à num. 675. non posse eumdem actum modo esse bonum, modo esse malum: & à num. 671. non posse actum bonum in non bonum, aut actum malum in non malum, nec non bonum in bonum, nec non malum in malum: ex hac doctrina sequitur evidenter nec peccata venialia in genere physico posse transire in mortalia: argumenta enim quæ prædictam doctrinam probant, si præsentem non probant, nihil probant. Primo probavi actum necessarium non transire in liberum; quia ut foret liber, debebant apparere diversæ rationes, quibus mutaretur objectum, quo mutato, etiam actus: in præsenti nova ratio apparere debet in objecto, si quidem ideo asseritur transire in mortale; ergo nova ratio declaratur in objecto, quod antea non apetiebatur, & adeo notabilis, ut materiam venialem reddat mortalem, non igitur erit actus subsequutus idem. Vide dicta disp. 1. num. 131. & disp. 2. num. 220. Secundo ostendi eumdem actum non posse esse bonum & malum successivè ex diversa tendentia, à qua exui non poterat actus, quia omnino indistincta; in præsenti actus venialis tendit in materiam levem, à qua tendentia exui non potest, quia indistincta: exui non potest; ergo persistet semper venialis. Vide disp. 2. num. 677. Tertio demonstravi, actum bonum non posse transire in non bonum, quia objectum formale erat diversum: in præsenti objectum formale peccati venialis diversum est ab objecto peccati mortalis. Vide disp. 2. n. 692.

595. Secundo, sic argumentor: Diversum objectum materiale, vel etiam formale, non potest specificare eumdem numero actum: atqui quando materia peccati venialis, vel objectum redditur tale, quod specificare potest peccatum mortale, & materiale, & formale objectum peccati venialis variatur; ergo nequit specificare peccatum veniale, & per consequens idem numero actus venialis, nequit esse mortalis: Major est axioma Philosophorum, etenim juxta diversitatem, vel unitatem specificativi accipienda est unitas, & diversitas specificati, unde *ex quacumque variatione specificativi variatur specificatum*, de quo citatis locis. Minor autem probatur, quia materia peccati venialis est diversa à materia peccati mortalis, & utriusque non solum materiale, sed etiam formale objectum, est diversum.

596. Tertio, confirmo prædictam resolutionem: quia verbum otiosum, ex se est peccatum veniale; ergo sine nova mutatione non potest esse mortale, aliter idem manens idem omnino non causaret idem, sed diversum: si autem datur variatio, jam est novum peccatum mortale, non vero veniale transit in mortale: peccatum defectu materiæ specificatur, sive individuatur per illam materiam, quæ ut est propria peccati venialis, nullo modo potest esse objectum peccati mortalis, præcipuè, quia actus individuatur essentialiter ex determinato objecto, & materia; ergo si hæc varietur, dabitur novus actus, & non ille numero actus venialis transiet in mortale. Vide disp. 3. num. 315. Si autem peccatum veniale est ex defectu deliberationis, accedens deliberatio ita variat, mutatque objectum, ut peccatum causet, & novum, & mortale: quæ omnia clarius constant ex dictis citatis locis, quæ repetere est supervacaneum.

597. Quarto, argumento, quo usus fui disp. 3. num. 577. ut probarem actum bonum, non posse transire in malum, quia vel variatur objectum peccati venialis, vel non: Si primum, jam non est idem numero actus: si secundum, non potest mortalis actus de novo advenire. Quinto, ex doctrina, quam approbant communiter Doctores supradati numero 593. quia veniale in esse moris, non potest transire in mortale; ergo nec in esse naturæ: hanc consequentiam demonstro, disp. 3. n. 679.

598. Sexto, quia si quis materiam levem existimet esse gravem, & circa eam, ut graviter prohibitam operetur, peccat mortaliter: atqui in illo casu veniale non transit in mortale, sed fit novus actus peccati mortalis, ut bene Sanchez lib. 6. Decalogi cap. 4. num. 3. Suarez de legibus lib. 3. cap. 28. num. 21. Becan. q. 5. Salas tract. 13. disp. 26. sect. 24. Bonacin. cit. n. 20. ergo sic de aliis dicendum.

599. Tandem utor argumento, quo iidem Doctores, contra quos disputo utuntur supra n. 593. ut ostendant peccatum veniale in genere mo-

ris essentialiter distingui à mortali: Vel perratum veniale rraosiet in mortale, si prius existat, & postea contiouetur idemmet oumeto, vel veniale transit in mortale, ita ut voluntas prius per pecratum veniale tendat in objectum leve, & post a per eumdem actum, qui est peccatum veniale, teodat in objectum grave, & maneat mortale: vel idemmet peccatum veniale, quia est indeliberatus actus, arcedenre deliberatione manet peccatum mortale: atqui neutro modo traosire potest actus venialis in genere naturæ ad actum mortalem; ergo, &c. Minor probatur, nam impossibile est, quod voluntas per eumdem numero actum etiam io genere natoræ tendat in objectum modo leve, modo grave: nam actus tendens in objectum leve est constitutus in suo esse individuali, specificator enim per illud objectum tale, & constituitur ejus esse in illa, & determinata tendentia, quæ absque destructiooe actus non potest destrui; stante autem illa tendentia, nequit voluntas tendere io aliud objectum diversum, vel enim tenderet per eamdem tendentiam, qua in objectum leve, vel per diversam: non primum, cum illa tendentia à tali objecto specificetur, sive individuetur; & non possit specificari, & individuari ab alio objecto: aliter teoderet ille actus uolca tendentia io duplex objectum, foretque duplex specificativum, & iodividuativum, & unum individuum: si per diversam tendentiam; ergo vel periit prima, vel perstit: si periit, jam destruitur actus ille, & novus succedit; si non periit, jam ille actus est simul peccatum veniale, & mortale, veoiale ex tendentia in objectum leve, mortale ex tendeotia in objectum grave; quod placere non potest veræ Theologiæ.

600. Et vero videri non aliud debeot velle Doctores, cum docent, quod peccatum veniale in geoere physico potest transire in mortale, quam quod idem objectum quod est objectum peccati veoialis, potest sine nova addiiione materiæ sæpe, & sæpe addita aliqua circumstantia esse objectum peccati mortalis: quod libenter fateor; cum videam objectum actus indeliberati, esse objectum actus deliberati: & actum venialem ex suo genere, addita nova circumstantia esse objectum actus mortalis: hoc tamen oon est actum venialem transire in mortalem, sed est destrui actum venialem, & succedere actum diversum numero mortalem, neque objectum actus venialis, ut illius objectum est, manet objectum actus mortalis, com objectum actus mortalis non fit sola entitas physica, quæ erat objectum actus venialis, sed est illa entitas, & vel nova additio materiæ, vel nova declaratio malitiæ, vel aliqua circumstantia: & tunc illud objectum actus venialis noo præcisè, sed simul, vel cum nova additione materiæ, vel com nova declaratione malitiæ, vel cum aliqua circumstantia foret objectum peccati mortalis: quæ doctrioa amplius fiet clarissima colligendo ea corollaria, quæ colligunt Theologi, ut ostendant idem peccatum veniale transire in mortale.

601. Et primo, in peccatis venialibus ex suo genere, docet Suarez 1.2. tract. 5. disp. 2. sect. 6. num. 8. cum aliis, non transire in mortalia, oisi addatur nova circumstantia, quæ mutet speciem actus: ut si quis loquatur verba jocosa, ut sunt venialia, postea existimet per cooscientiam erroneam ea esse mortalia, mortaliter peccat, si ab illis non desistit, eo quod illa circumstantia gravis per conscientiam erroneam, voluntaria est. Verùm hoc non est transire peccatum veoiale in mortale, sed est destructo veniali, committi novum peccatum, si quidem objectum, sunt illa verba apprehensa, ut mortalia, & oon præcisè, ut verba jocosa; quæ specificabant venialem actum.

602. Secundo, asserunt veniale transire in mortale ratiooe periculi, verbi gratia, si quis ita diligat objectum peccati venialis, ut præ illius amore exponatur periculo violandi legem divinam, est enim aliquis ita deditus verbis jocosis, & confabulationibus, ut ne illarum exercitium deserat, oegligit audire sacrum, Horas Canonicas recitare, & similes actus; hoc tamen non est transitus peccati venialis in mortale, sed est semper peccatum mortale, nam per illa verba jocosa, & confabulationes illas, non solum diligitur objectum peccati venialis, sed simul periculum, quod ponitur ex parte objecti, estque volitum ut objectum. Advertendum tamen est, illud periculum, ut cum verbis, & confabulationibus adjonctum, sit objectum peccati mortalis, debere esse proximum, si nimirum homo ita occasioni se exponat, ut experimeoto sibi constet, ex illis verbis ioduci ad mortale; unde numquam transit veniale io mortale, cum semper ille actus fuerit mortalis. Quod si quis in ipsis confabulatiooibus advertit imminere periculum, & continuat actum, non est idemmet actus, sed novus specificatos à verbis, & periculo: vel dicendum illum actum duplicem habere malitiam, unam venialem ex verbis, alteram mortalem ex periculo, non enim amittit actus suam venialem malitiam, sed superadditur mortalis: Verum cohæreotius dicitur periisse actum venialem.

603. Tertio, asserunt ratione deliberationis transire veniale io mortale, ut si quis indeliberate eliciat actum circa adulterium, erit peccatum veniale; posita advertentia, mortale. Sed sæpe diximus, ooo transire veoiale in mortale, sed posita advertentia periisse peccatum veniale, & incepisse de oovo mortale, ut in simili responsum est disp. 3. n. 694. & 695.

604. Quarto, asserunt peccatum veoiale ratione legis graviter obligantis traosire in mortale: potest enim superior levem materiam sub mortali prohibere, ut gravem sub veniali: inde est, quod si quis ante prohibitionem circa materiam levem peccabat veoialiter, si cootiouet actum posita prohibitione sub mortali, peccabit mortaliter, ut etiamsi circa materiam gravem peccabat mortaliter, posita levi, peccabit venialiter. Adduot, si à diverso Legislatore fuerit positum præceptum ab uno circa materiam levem sub veniali, ab altero sub mortali; in illo solum casu idemmet actus erit venialis, & mortalis: nam si ab uno tantum Legislatore mutatur materia, solum erit peccatum mortale. Admitto doctrinam, dummodo, si contiouetur actus, sit diversus omnino, & oon idemmet, perit eoim actus prior, & adveoit posterior, noo enim potest prior contiouari; eo quod vel advertit peccaos præceptum, vel non: Si primum, jam coosiderat materiam esso gravem, & non contiouat primum actum, qui esseotialiter versatur circa levem: sed de novo elicit actum: si non advertit, continuatur primus, sed non cum diversa malitia, si quidem prævisa non fuit. Vide disp. 3. n. 686.

605. Quinto, asserunt, transire peccatum veniale in mortale ratione scandali, quod intenditur, vel prævidetur: ita Suar. tom. 5. io 3. p. disp. 18. sect. 3. n. 17. Salas disp. 16. sect. 24. n. 70. Vasq.

disput. 115. cap. 2. sed falluntur, licet enim ille homo peccet mortaliter ratione scandali, quo quis, vel facto, vel dicto præbet occasionem ruinæ spiritualis alteri, quæ præberi potest per peccata venialia, ut si quis verba leviter lasciva coram multitudine proferat, vel verbum amoris alicui mulieri coram marito, ex qua rixa gravis prudenter timeri possit, non tamen transit veniale in mortale, sed ille actus duplicem habet malitiam moralem, venialem ex verbis, mortalem ex scandalo: vel est tantum peccatum mortale, si à principio prævisum fuit scandalum, quod tunc ponitur ex parte objecti.

606. Sexto, asserunt veniale transire in mortale ratione finis adjuncti, potest enim eligi peccatum veniale, ut medium ad consequendum finem mortalem, ut si quis lautè vivat, vel comitatus inutiliter incedat ad provocandam libidinem, & cum illud medium absolutè solum esset peccatum veniale, posito illo fine manet mortale. Verum illud medium, licet secundum se foret veniale ut medium, sic in ordine ad illum finem, est mortale, quæ culpa solum in eo actu reperitur, vel si mavis cum Suar. num. 18. Becan. n. 8. sentire, non veniale transit in mortale, sed actus circa illud medium duplicem habet malitiam; ex medio absolutè venialem, & ex fine mortalem, sicut cæteris mediis suam attribuunt fines malitiam, ac proinde habebit venialem ex objecto, mortalem ex fine.

607. Septimo, asserunt veniale transire in mortale propter contemptum. Octavo, asserunt veniale transire in mortale, quando in peccato veniali constituitur ultimus finis: quæ, an vera sint, videndum separatim est in duobus sequentibus dubiis.

PRIMUM DUBIUM INCIDENS.

Utrum peccatum veniale propter contemptum; transeat in mortale?

608. Respondent communiter Doctores affirmativè. Videantur Azor 1. p. Instit. moral. lib. 4. cap. 9. quæst. 10. & 15. Sanch. tom. 1. Decal. lib. 1. cap. 5. à num. 8. Salas tract. 13. disput. 16. sect. 18. Bonacin. tom. 2. disput. 2. q. 3. punct. 5. num. 6. ex ea ratione, quia licet, ut supponitur materia sit levis, contemptus tamen est materia gravissima; cum igitur possit quispiam levi mandato sui superioris non obedire, contemnendo sui superioris dignitatem, illa transgressio mandati levis, quæ futura erat venialis, transit in mortalem ob contemptum, spretamque sui superioris potestatem.

609. Non tamen recedendum est à semel tradita doctrina, quamvis enim sæpe ex contemptu facta transgressio legis, sit mortalis, nullo modo illa numero transgressio, quæ erat venialis, fit mortalis: sed in eodem actu physico datur duplex malitia, una ex fractione præcepti, altera ex contemptu: non quod ille actus prius sit venialis, postea mortalis, sed quia ubi primum fit, sub illa duplici specie, constituitur.

610. Pro quo, primo notandum est, ex citato Sanchez num. 9. peccatum contemptus, in sua ratione formali duo importare, primum est, actus ipse peccati, inobedientia formalis, sive voluntas non obediendi præcepto, quâ præceptum; secundum, est causa contemptus, minor scilicet æstimatio superioris. Secundo, duplicem esse contemptum, unum materialem, alterum formalem: materialis, est contemptus, quo res una aliis postponitur, & tunc indirectè contemnitur Legislator, quo pacto omnes peccatores contemptores Dei, ut Legislator est, dici possunt: formalis est, quando quis ex directa intentione vult contemnere, vel superiorem præcipientem, vel rem præceptam: nam hic contemptus, vel esse potest superioris, vel rei: contemptus quo quis spernit superiorem, illique non vult obedire, si superior est Deus, peccatum mortale est: etiam est peccatum mortale, si superior homo est, & contemnitur ut superior, ita ut etiam potestas parvi fiat, nam si superior ille contemnatur ut homo imprudens, & in materia levi, vel cum indignatione, erit peccatum veniale: contemptus rei præceptæ secundùm gravitatem materiæ, est vel peccatum veniale, vel mortale, dummodo non contemnatur res illa cum intentione ferendi injuriam Legislatori, aut cum errore contra fidem, existimando scilicet illam rem adeo parvam, non esse dignam pœna.

611. Ex qua doctrina, optime infert Bonacina cit. n. 7. diversum esse, non obedire ex indignatione, ex consuetudine, ac ex contemptu: nam inobedientia est actus, quo quis non vult obedientiam præstare superiori, ut superior est: qui ex indignatione non vult obedire, est quia superiorem solatio afficere non vult, non quia non vult se subjicere superiori, in quo casu cum illi indignationi non sit adjunctus contemptus, contemptus erit venialis, dummodo materia levis sit: idem dicendum de consuetudine, quæ non est inobedientia, si quidem consuetudo connotat multiplicitatem actuum. Quibus notatis,

612. Stando in resolutione posita num. 609. non plenè capio, quo pacto peccatum veniale transeat de veniali in mortale: vel enim actus circa materiam levem à principio sit cum contemptu, vel postea continuatur cum contemptu: Si primum, duplicem habebit malitiam ille actus, unam venialem contra præceptum, alteram mortalem ex contemptu, hæc illi subordinata, nec novum est, duplici, & multiplici malitia morali eumdem actum physicum vestiri, de quo disp. 3. à num. 407. usque ad 677. tunc enim datur in eodem objecto physico duplex malitia moralis objectiva, quælibet inadæquata, & utraque adæquata, à qua ille specificatur: Si secundum, perit primus actus, & fit novus cum illa duplici malitia, eo quod mutetur objectum, & mutato, necessario variandus est actus, ut dixi disput. 3. num.

613. Confirmatur, quia contemptus addit novam speciem malitiæ actui, ut docent Vasqu. disp. 168. cap. 4. num. 37. Valent. 1. 2. disp. 7. q. 5. punct. 6. Suar. de legib. 4. cap. 28. num. 23. ex eo quod superior per præceptum constituit actum in specie aliqua virtutis distinctæ à virtute obedientiæ, malitia autem contemptus est contra obedientiam: Unde si contemptus adveniat actui, quem nulla turpet malitia ex objecto, verbi gratia si transgrediatur præceptum regulæ, quæ non obligat ad culpam, actus ille solum habebit malitiam inobedientiæ, eo quod præceptum solum ad obedientiæ exercitium impositum fuit; ergo cum hac doctrina, quæ vera est, stare nequit, quod veniale transeat in mortale, cum ille contemptus non faciat de veniali mortale, sed addat malitiam mortalem veniali, sive ut iidem Doctores loquuntur, mutet malitiam actus, non quod veniale fiat mortale, sed quod detur malitia mortalis.

DUBIUM SECUNDUM INCIDENS.

Utrum veniale transeat in mortale, quando in peccato veniali constituitur ultimus finis?

614. AFfirmant communiter Doctores Vasq. disput. 145. cap. 2. Salas tract. 5. disp. 16. sect. 29. Suar. in tract. 5. disp. 2. sect. 6. num. 11. quia tunc constituitur ultimus finis in peccato veniali, ut docent Vasq. ad 1. 2. q. 88. art. 3. in Commentario num. 7. & art. 5. num. 12. §. *Hæ tamen*, Suar. 1. 2. tract. 5. disp. 2. num. 15. quando homo ad objectum peccati venialis ita afficitur, ut ab ejus prosequutione non desisteret, etiamsi prohiberetur sub mortali, nec pluris faciat Deum graviter offendere, dummodo à prædicti objecti dilectione non desistat, qui enim tali amore objectum illud venialiter culpabile prosequitur, convincitur in illo constituere ultimum finem: verbi causa, pompa solum venialiter est prohibita, si homo ab illa non desisteret, etiamsi sciret sub mortali esse prohibitam, peccat mortaliter sic incedens, ex eo quod in ea constituit ultimum finem: ergo peccatum veniale transit in mortale.

615. Doctrina vera est, sed non benè infertur transitus de veniali in mortale, legitimior consequutio foret; ergo in illo actu, vel datur una malitia mortalis, vel duplex; venialis ex objecto, mortalis ex fine: nam species malitiæ, quam tribuit illa major appretiatio finis, est distincta à malitie, quam habet actus circa objectum veniale, ut docet Suar. tom. 4. in 3. p. disput. 22. sect. 4. num. 11. & 1. 2. tract. 5. disp. 2. sect. 6. num. 16. ergo malitia venialis non transit in mortalem, sed veniali additur mortalis, si simul incipiant, vel de novo adveniat malitia mortalis juxta dicta supra numero 599.

616. Nota tamen primo, ut appretiatio illa addat malitiam mortalem, non sufficere, quod sit habitualis, vel virtualis, sed requiri actualem, non enim attenditur quid faceret, sed quid faciat homo. Secundo, illam appretiationem, vel posse esse explicitam, vel implicitam: si explicita fuerit, vel habet objectum veniale pro fine ultimo, estque peccatum infidelitatis: vel pro fine plene satiante appetitum, licet non pro ultimo, & est contra virtutem spei: si implicita, provenit ex transgressione præcepti, & non est novum peccatum, sed idem contra virtutem spei.

QUARTA DIFFICULTAS.

Utrum ex pluribus peccatis venialibus fieri possit unum mortale?

617. PRæsuppono ut veritatem certissimam id quod docuit D. Thomas 1. 2. q. 88. art. 3. in corpore, venialia ex genere disponere ad mortale ex genere: *Qui enim*, ait, *peccat venialiter ex genere, prætermittit aliquem ordinem, & ex hoc, quod consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordine non subjicere, disponitur ad hoc, quod & non subjiciat ordini ultimi finis.* Qua ratione Cajetanus in fine prædicti articuli admonet, ut à venialibus caveat, qui in mortalia incidere timet: unde, ut bene notat Sanchez lib. 7. Decalogi cap. 5. num. 4. mortaliter peccabit ille, qui intendit committere omnia venialia, propter proximum periculum incidendi in mortale, cui se per illam intentionem exponit, ut etiam religiosus, qui apud se statuit non servare regulæ, aut superioris præcepta nisi sub mortali obligent, advertente Bonacin. tom. 2. disp. 2. q. 3. num. 17. Hoc supposito,

618. Est difficultas, utrum adeo augeri possit venialium numerus peccatorum, ut constituant unum mortale. Respondetur negativè, est ferè omnium Theologorum sententia, ducibus S. Thoma 1. 2. q. 88. art. 4. in corpore, Scoto in 4. dist. 21. q. 1. n. 4. vers. *Etiam*, & præter discipulos Vasques disp. 146. cap. 2. Suar. 1. 2. tract. 5. disp. 2. sect. 6. num. 2. Sanch. lib. 1. Decalogi cap. 4. n. 9. Salas tract. 13. disput. 16. sect. 25. n. 74. Granad. contr. 6. tract. 1. disp. 2. sect. 5. num. 45. & plures ab eis relati; & merito dixit citatus Vasq. n. 3. hanc resolutionem esse manifestam. Primo, quia quamquam in infinitum una species accrescat non potest aliam constituere; cum ergo veniale & mortale essentialiter, & plusquam specie differant, omnia venialia unum mortale non constituent. Secundo, quia jam contra sanctorum Patrum dicta, & Conciliorum decreta, teneretur pœnitens omnia peccata venialia aperire confessori, ut certus ad minus fiat, an illa constituerent aliquod mortale. Tertio, quia jam homo non posset diu conservari in gratia, cum diu non possit non committere varia peccata.

620. Oppositum docuit glossa in cap. *Tres sunt* de pœnit. dist. 1. & probari potest primo auctoritate sanctorum Patrum. Augustini in expositione primæ epistolæ Ioannis propè medium, ubi: *Sed ista levia quæ dicis, noli contemnere: si contemnis quando appendis, expavesce quando numeras: levia multa faciunt unum grande, multæ guttæ implent flumen, multa grana faciunt massam.* Eamdem sententiam habent S. Isidorus Hispalensis lib. 2. de summo bono cap. 18. num. 3. S. Bernard. tract. de interiori domo cap. 45. Respondetur, illa & similia verba quæ videntur insinuare ex venialibus fieri unum mortale, intelligenda esse dispositivè, non formaliter, disponunt enim ad mortale, & non faciunt mortale; ita exponit S. Thomas citatus art. 4. ad 1.

621. Secundo, plura venialia dissolvunt amicitiam Dei; ergo constituunt mortale, hoc enim solum dissolvit Dei amicitiam. Antecedens ostenditur, quia inter homines non minus dissolvitur amicitia per plures offensas leves, quam per unam gravem; ergo etiam inter Deum, & hominem plures offensæ leves amicitiam dissolvent. Respondetur, nego antecedens, vel enim omnia simul dissolverent amicitiam, vel successivè: Si primum, est contradictio, quod sint simul venialia, & mortalia: Si secundum, ostendant certum numerum, & unde colligatur esse mortale: Ad probationem, nego consequentiam; nam cum inhumanum sit dissolvere amicitiam propter leves offensas, quæ vix evitari possunt, quamquam concedatur hominibus, Deo nobis suam offerenti amicitiam nullatenus est tribuendum.

622. Tertio, si quis singulis diebus per spatium totius anni denarium furetur in quolibet die, solum peccat venialiter, & tamen cum pervenitur ad quantitatem peccati mortalis, mortaliter peccat; ergo peccatum mortale fit ex pluribus venialibus. Patet consequentia, quia ideo ille homo peccat mortaliter, quia multa furta venialia commisit. Respondetur ex doctrina Suar. n. 5. Becani n. 4. Granad. n. 49. & aliorum communiter: distinguo minorem, peccat mortaliter, si advertat per illud ultimum furtum impleri sufficientem quantitatem ad peccatum mortale, concedo: si non advertat, nego.

623. Pro quo notandum est, si homo, qui di-

versis vicibus levia furta commisit, statim in principio apud se statuit magnam quantitatem surripere, eo tamen modo ut surripiat hodie unum denarium, mane alterum, &c. jam, ubi primum hoc statuit, & primum leve furtum committit, mortaliter peccavit, ex voluntate inferendi grave damnum; si verò solum statuit primo die furari denarium, non cogitans de majori damno, & sic furatus est denarium in singulis diebus, nec advertit per ultimum denarium constitui materiam gravem, non peccat mortaliter furando; licet peccet mortaliter non restituendo pecuniam, quam paulatim surripuit: si enim qui bona fide aliena possidens, postea agnoscens esse aliena, tenetur restituere, à fortiori, qui illam pecuniam venialiter peccando surripuit, tenebitur ubi primum sciverit, & adverterit esse restituendam, ad restitutionem, & ita communiter docent Doctores.

624. Instabis: Si homo in ultimo furto advertens esse materiam gravem peccet mortaliter, sequitur ex multis venialibus fieri unum mortale: Probo sequelam, illud ultimum furtum præcisè, & ab aliis separatùm, non sufficit ad peccatum mortale; ergo ex eo erit mortale, quia aliis venialibus conjungitur. Respondetur, nego sequelam: Ad probationem, concedo totum: non tamen sequitur, ex venialibus fieri mortale: si quidem illud ultimum furtum duplici ex capite mortale est: primo, ratione retentionis: secundo, ratione acceptionis. Ratione retentionis, quia illa retentio ratione actuum præcedentium, est damnum notabile, quod vult homo inferre invito domino, ut docuit ex Navarro Granado, numero 51. Ratione acceptionis, quia illud furatur, si enim retinere illum denarium est peccatum mortale, quia cum præcedentibus continuatur, etiam usurpare erit peccatum mortale propter præcedentia: hoc autem non est ex venialibus fieri mortale, sed quod advertit homo illud ultimum furtum esse conjunctum cum aliis, cum quibus jam materia facta est gravis, & damnum notabile, quo non obstante vult illud ultimum furtum, quod jam non est volitum præcisè, sed conjunctum cum præcedentibus, quæ simul sunt volita, & juncta moraliter, & cum ultimo constituunt materiam gravem, quæ est objectum specificativum illius actus.

625. Ex quo colliges primo: Si ille homo committat ultimum furtum sic circumstantionatum, cum animo tamen restituendi, ubi primum oblata fuerit opportunitas, erit peccatum mortale furti, non verò, non restituendi, sunt enim diversa præcepta, ut tetigi supra n. 510. & 511.

626. Colliges secundo cum Vasquio, si tres homines verbi causa, æqualem quantitatem levem furentur, ex qua simul constituatur materia gravis, & notabile damnum, unum quemlibet peccare mortaliter, non enim datur major ratio, cur hic & non ille, peccatum mortale committat: si verò unusquisque gravem surriperet quantitatem, & postea accedens quartus, parvam, & levem furetur quantitatem, ultimus iste non peccabit mortaliter.

627. Et pro solutione multorum argumentorum, præ oculis habendæ sunt duæ regulæ: quas tradunt Vasq. num. 3. Suar. num. 4. Granad. num. 51. Sanch. 1. Decal. cap. 4, num. 9. Bonacin. q. 3. punct. 5. num. 25. Prima est. *Quoties materia ultimi peccati venialis, cum materia præcedentium continuatur, est mortale*, quia præcedentia causaliter disponunt ad illud, suntque circumstantiæ volitæ, & junctæ cum illo moraliter. Secunda est. *Quoties ultimi peccati materia non continuatur, cum præcedentibus, non est peccatum mortale*: Ex qua regula sequitur: si quis promisit Virgini Matri singulis diebus pro toto suæ vitæ tempore recitare *Ave Maria*, & omittat per longum tempus ejus recitationem, peccare mortaliter, non tamen si promisit pro singulis Sanctissimæ Virginis festivitatibus in tempore certo. Diversa ratio est, quia primæ omissiones continuantur, non secundæ, ideo non constituunt unum integrum peccatum; obligatio enim respiciens certum tempus, temporis lapsu cessat, ut patet in obligatione recitandi Officium divinum, quod non obligat pro alio die, & ideo voluntas omittendi partem levem Officii divini per longum tempus, non est peccatum mortale, nisi ratione periculi, eodem modo, quo si quis per horæ quadrantem in diebus prohibitis opus servile operatur, non peccat mortaliter: peccabit tamen mortaliter, qui in eodem die plures partes leves divini Officii desinet recitare, aut in pluribus quadrantibus ejusdem diei serviliter operabitur.

628. Si quæras, utrùm si quis diversa vota pro eodem die emittat, promittens recitare pro singulis votis orationem Dominicam: vota non adimplevit, & promissis non stetit, peccet mortaliter. Respondetur affirmativè, supponendo materiam illam promissionis simul esse gravem. Ratio est, quia illa materia tota continuatur; ut etiam peccat mortaliter ille, qui diversis promissionibus summam grandem promisit, modicam pro singulis, contrariatur enim graviter justitiæ virtuti, si non satisfacit.

QUINTA DIFFICULTAS.

Quænam sint præcipua capita discriminis essentialis inter peccatum mortale & veniale?

629. Quamquam plura sint capita, in quibus peccatum mortale, & veniale discriminantur, non adhuc constat, quæ sint essentialia: pro quo suppono primo, peccatum mortale privare hominem gratia, & charitate, veniale autem fervore gratiæ, & charitatis: & quamvis istæ privationes sint signa distinctionis essentialis inter utrumque peccatum, non sunt tamen rationes formales, quibus differunt essentialiter prædicta peccata, cum sint effectus eorum. Secundo, peccatum mortale inducere reatum pœnæ æternæ, temporalis peccatum veniale: iste tamen reatus est pœna, non ratio distinctiva essentialis, licet possit esse indicativa.

Potest igitur difficultas locum habere in variis rationibus, quæ videntur distinguere hæc peccata: & inquirendum est quæ sit ratio distinctionis inter utrumque peccatum. Primo namque peccatum mortale est circa finem, veniale circa media. Secundo, mortale est contra legem: veniale aut contra consilium, aut præter legem. Tertio, materia peccati mortalis est gravis, venialis autem levis. Quarto, peccatum mortale avertit à Deo fine ultimo, non veniale, de quibus sigillatim disputandum est.

An peccatum mortale à veniali distinguatur, quia versatur circa finem, & est contra legem, & veniale versatur circa media, & non est contra legem?

630. Dico primo: Peccatum mortale non distinguitur à veniali, quia est circa

finem, & veniale circa media. Ita communis Doctorum ſententia; quam tradit Scotus in 2. diſt. 21. q. 1. num. 13. verſ. *Dico ergo*, latè defendunt Vaſques 1. 2. diſp. 143. cap. 3. Monteſin. diſp. 18. qu. 1. n. 34. & probatur apertè, quia utrumque peccatum verſari poteſt circa finem, & circa media: motus enim indeliberati infidelitatis, deſperationis, & odii Dei, peccata ſunt venialia, & verſantur circa finem ultimum, cum ſint contraria tribus virtutibus Theologalibus, quæ immediatè Deum reſpiciunt: furtum, adulterium, & ſimilia, quæ fiunt propter finem operantis, mortalia ſunt, & verſantur circa media; ergo penes finem & media non diſtinguitur mortale à veniale. Unde Cajetanus & Conradus oppoſitum ſentientes communiter reprobantur.

63'. Dico ſecundo: Peccatum mortale non diſtinguitur à veniali, quia eſt contra Dei legem, & veniale contra conſilium, aut præter legem: ita communis ſententia, quam tradidi ſupra à n. 118. ad numero 131. ubi probavi etiam peccatum veniale eſſe contra aliquam legem, eſſe enim contra legem eſt ratio conſtitutiva peccati in genere.

An peccatum mortale, & veniale eſſentialiter diſtinguantur ratione materiæ?

631. DIco tertio: Præcipuum caput diſtinctionis eſſentialis inter peccatum mortale, & veniale, eſt materia; namque materia peccati mortalis, eſt gravis: peccati venialis, eſt levis. Et probatur, quia diſtinctio, quæ ſumitur ex objecto eſſentialiter diverſo, eſt eſſentialis, ſpecificantur enim actus per objecta: atqui materia circa quam, eſt objectum peccatorum; ergo ſi materia utriuſque peccati fuerit eſſentialiter diverſa, etiam peccata per ordinem ad materiam illam erunt eſſentialiter diverſa. Tum ſic: Materia gravis, & levis in genere morali eſſentialiter differunt, ut ex ejus affectibus patet; ergo peccatum mortale, & veniale per ordinem ad illam materiam eſſentialiter diſtinguentur.

633. Major difficultas eſt, quo pacto diſcernenda ſit materia gravis à levi. Cui reſpondeo, cum communi conſenſu Doctorum: vel materia prohibetur lege poſitiva, vel non; ſi ſecundum, recurrendum eſt ad legem naturalem, & ſtandum judicio prudentis, & ſapientia viri: Si primum, & imponatur pœna gravis, erit ſufficiens ad peccatum mortale, etiamſi quis exiſtimet Legiſlatorem falli in librando materiæ quantitate, aut impoſitam fuiſſe illam pœnam ad terrorem, dummodo non conſtet de animo & errore Legiſlatoris.

634. Cum ergo pœnæ, quædam ſpirituales ſint, ut excommunicatio, ſuſpenſio, & irregularitas: excommunicatio major (nam minor pro veniali peccato imponitur) ſuſpenſio, & irregularitas quæ fuerint pœnæ, non verò inhabilitates tantùm, numquam apponuntur, niſi pro peccato mortali. Vide Suar. de cenſuris diſp. 25. ſect. 3. à n. 12. diſp. 28. ſect. 4. n. 6. diſp. 10. de legibus ſect. 9. n. 64.

635. De pœnis corporalibus dicendum eſt, ſi ſint graviſſimæ, ut mors, mutilatio alicujus partis corporis, & ſimilia, indicare materiam eſſe gravem, & leges, quæ tales pœnas ſtatuunt obligare ſub mortali, eo quod præſumendum ſit pro juſtitia legis, flagellatio autem, pœna pecuniaria, & infamiæ, non ſunt talis conditionis, ut oſtendant materiam eſſe gravem, legeſque obligare ſub mortali: ſi quis enim ad mortem condemnatus à carcere fugeret, non peccaret mortaliter, & tamen illi fugæ impoſita eſt lex flagellationis, Vide Vaſq. diſp. 159. cap. 3. Salas numero 67.

636. Cum ergo materia gravis ſit propria peccati mortalis, & levis ſit propria peccati venialis, adeo neceſſaria eſt materia gravis ad hoc ut præceptum obliget ſub mortali, ut non ſit in poteſtate Legiſlatoris ad peccatum mortale obligare, quando materia attentis omnibus circumſtantiis eſt levis: eſt certa, communiſque doctrina Theologorum in materia de legibus ubi videri poſſunt Salas diſp. 10. ſect. 6. diſp. 6. ſect. 2. Suar. lib. 3. de legib. cap. 23. Sanch. tom. 1. Decalogi lib. 1. cap. 4. num. 4. Vaſq. diſput. 15. cap. 4. cum enim debeat eſſe rationabilis, non poteſt pro levi culpa ad pœnam æternam obligare: quare ſuperiores advertant, ne in imponendis legibus pro materia levi velint ſub mortali obligare, ſibi enim, qui tales leges imponunt multum placentes, intolerabili jugo ſubditos premunt, quos redarguit Dominus Matth. 23. *Alligant onera gravia*. &c. talibuſque applicari debent verba Auguſtini lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 6. *Non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus, quod volumus, & quando volumus pro arbitrio noſtro, dicentes, Hoc grave, hoc leve eſt. ſed afferamus divinam ſtateram*. Unde ſi Prælatus præcipiat ſub pœna excommunicationis majoris, ſuſpenſionis, & ſimilium, ut reſtituatur leve furtum, ne verbum proferatur otioſum, ut detur denarius, tale præceptum eſt nullum, injuſtum, & invalidum.

637. Verum eſt, quod materia ſecundùm ſe levis, ratione finis, & circumſtantiarum fieri poteſt gravis, tuncque prohiberi poteſt ſub mortali, licet enim parvi ponderis, leviſque materia videatur, accedere ad aliquam domum ſæcularis, tranſire per talem plateam, colloqui cum tali perſona, ſi ſecundùm ſe ſpectentur, attentis tamen circumſtantiis poteſt eſſe materia gravis, quæ ſub mortali prohibeatur, vel propter bonum nomen religioſi, vel propter ſcandalum, aut periculum, de quo Sayro in clavi Regia lib. 3. cap. 7. n. 14. Bonum commune etiam eſt circumſtantia, quæ levem materiam in gravem mutare poteſt, ut aſſerunt Suar. Sanch. Salas ſupra citati, inde ſtudére tali, vel tali hora, non dare fruſtum panis, poteſt cadere ſub mortali obligatione: quis enim negabit ſi quilibet, & omnes religioſi verbi gratia quotidie donent fruſtum panis, non inde ſequi detrimentum commune, ut damnum notabile?

638. Quod ſi materia ſit gravis, & Legiſlator declaret ſe nec formaliter, nec virtualiter velle obligare ad mortale, illa lex non obligabit, cùm ad peccatum mortale requiratur, & materiæ gravitas & Legiſlatoris animus. Ita Suar. de legib. lib. 3. cap. 17. n. 7. Salas diſput. 10. ſect. 7. cum pluribus, quia obligatio ex intentione Legiſlatoris dependet, & actus agentium, eorum intentionem non tranſcendunt.

639. Dices cum Vaſques diſput. 158. cap. 4. num. 32. Legiſlator non poteſt prohibere materiam levem ſub mortali; ergo nec gravem ſub veniali. Reſpondetur, nego conſequentiam: quia plus requiritur ad obligandum, quàm ad non obligandum: Rex enim legem injuſtam apponere non poteſt, poteſt tamen legem juſtam auferre, loquimur de lege poſitiva, quæ ex voluntate Legiſlatoris dependet: quia cum legis naturalis obligatio dependeat ex rerum natura, ſemper materia

gravia

gravis obligabit sub mortali, non enim in ea intentio Legislatoris desideratur. De altero præcipuo capite distinctionis essentialis agendum est difficultate septima.

SEXTA DIFFICULTAS.

Quænam aversiones sint communes peccato mortali, & veniali?

640. PEccatum nihil aliud est, quam conversio aversiva, sive aversio conversiva, id est, conversio ad creaturam, & aversio à Deo, & hoc est commune omni peccato, per quodcumque enim homo convertitur ad creaturam, & avertitur à Deo, de quo latè Ægid. Lusit. tom. 1. de beatitudine lib. 1. de ultimo fine q. 5. art. 5. §. 1. num. 8. ubi ex plurimis locis Scripturæ sacræ ostendit nullum esse peccatum, per quod homo non convertatur ad creaturam, & à Deo avertatur.

641. Nec est necessarium, quod sit conversio ad creaturam explicita, satis enim est implicita, ut probat Suar. ex communi Theologorum sent. 1.2. tract. 5. disp. 2. sect. 1. à n. 3. & probatur primo, quia peccatum omissionis non est conversio explicita ad creaturam, sed implicita, & interpretativa, quatenus ille, qui opus præceptum omittit, censetur velle aliquid creatum. Secundo, qui elicit actum fugæ, non convertitur formaliter, & explicitè ad objectum, siquidem conversio formalis fit per actum prosequutivum, sed implicitè, dum, qui fugit, id operatur propter aliquod bonum creatum, cui afficitur. Tertio probatur in peccato Angelorum, cum enim juxta probabilissimam sententiam fuerit formaliter appetitio divinitatis, habebat pro objecto bonum incommutabile; & tamen erat conversio ad commutabile bonum, non explicita, & formalis, sed implicita, & virtualis, quatenus Angeli sibi ipsis divinitatem appetebant. Quarto, desperatio de bono consequendo, est formaliter aversio ab illo, virtualiter verò & implicitè conversio ad personam desperantem, cui desperatio bona videtur, nemo enim malum detestatur, nisi ex sui amore.

642. Conversioni autem adeo connexa est aversio, ut una sine alia dari nequaquam possit, ut latè docent Theologi, deduciturque ex variis sacri textus locis. Satis sit ille Ieremiæ cap. 2. n. 19. *Arguet te malitia tua, aversio tua increpabit te.* Ubi malitia est aversio, & aversio malitia, qua ratione cum homines per peccatum conversi ad creaturas, à Deo avertantur, per pœnitentiam dicuntur converti ad Deum; hoc enim postulabat Dominus à peccatoribus per Ioelem prophetam cap. 2. vers. 12. *Convertimini ad me.* Quæ quidem aversio, non est aliqua privatio, sed quid positivum, non enim conversio ab aversione distinguitur, cum eo modo, quo quis convertitur ad creaturam, avertatur à Deo, ideo dicitur conversio aversiva, sive aversio conversiva, quasi idem sit converti ad creaturam, & averti à Deo, de quo disp. 3. n. 115.

643. Ex quo sequitur aversionem non distingui à malitia peccati: sed cum multiplex sit aversio; nimirum à lege, à virtute, à gratia, à Deo fine ultimo, à virtutibus, quæ cum peccato esse non possunt: inquirendum est, quænam sit illa aversio essentialis communi rationi peccati. Et respondeo esse aversionem à lege. Hæc est enim eademmet conversio: cum enim peccatum sit concretum, debet habere rationem genericam, & specificam: generica est illa ratio voluntarii liberi, & conversionis ad objectum, in hoc enim cum omni actu morali convenit; specifica est conversio aversiva, id est, conversio ad objectum aversum à lege, sive legi contrarium: cum enim impossibile sit, rationem transgressionis dari sine ordine ad legem, ut impossibile est, rationem mensurabilis reperiri absque ordine ad mensuram, necesse est rationem formalissimam peccati esse aversionem à lege, ut docui supra à n. 183. & docuit Scotus non solum locis ibi citatis, sed expressius in 2. dist. 21. q. 1. n. 23. vers. *Dico ergo* dist. 37. q. 1. n. 3. 6. 7. & 8. dist. 41. n. 4. vers. *Ideo*, Vasq. 1. 2. disp. 96. cap. 2. n. 6. §. *Præterea*, Perez in Laurea. certam. 8. Scholastico disput. 2. dub. 1. cap. 4. dub. 2. cap. 2. dub. 3. cap. 3. Innuit Petrus Hurtado de Incarnat. disp. 9. sect. 2. §. 9.

644. Aversionem à lege necessario consequitur aversio à virtute, cui opponitur, qui enim à lege avertitur, consequenter, & necessario avertitur ab eo, quod præcipitur, & operatur id, quod prohibitum est; ista aversio est privatio, vel negatio, quam simul comitantur aversiones aliæ virtutum, quæ cum peccato esse non possunt: diverso quidem modo, in peccato veniali, ac mortali, nam in veniali sunt impropriè, & secundùm quid; in mortali propriè, & simpliciter.

SEPTIMA DIFFICULTAS.

Utrum aversio à gratia, & à Deo fine ultimo simpliciter, detur in peccato mortali.

645. NOn est difficultas circa aversionem à gratia, quam constat dari in omni peccato mortali, quod illa, omnibusque virtutibus gratiam comitantibus peccatorem privat, & hoc ita est illius proprium, ut veniali non competat: veniale enim simul cum gratia componitur, solumque peccatorem fervore gratiæ privat. Privatio gratiæ non est essentialis peccato mortali, siquidem in statu puræ naturæ daretur peccatum mortale, & non privatio gratiæ: & pro præsenti statu, de lege absoluta posset peccatum cum gratia permanere, est enim tantùm pœna peccati: eademque doctrina vera est, etiamsi peccatum in privativo constituatur; in ea enim opinione essentia peccati est privatio rectitudinis debitæ actui, non gratiæ, ut illius sententiæ Doctores tradunt supra n. 33. videndusque est Scotus in 2. dist. 37. q. 1. n. 5. privatio etenim gratiæ consequitur ordinem naturæ elevatæ.

646. Est ergo difficultas de aversione à Deo fine ultimo simpliciter: an sit de ratione essentiali peccati mortalis. Respondetur affirmativè, nullum enim dari potest peccatum mortale, quod peccatorem non avertat simpliciter à Deo fine ultimo: est certissima sententia Theologorum: D. Thomæ 1. 2. q. 71. art. 5. in corpore. q. 87. art. 3. in corpore. Scoti in 1. dist. 1. q. 5. n. 3. vers. *Quarto.* in 2. dist. 21. q. 1. n. 3. vers. *Dico ergo*, Vasq. disp. 96. cap. 2. num. 5. & 10. Suar. 1. 2. tract. 1. disput. 3. sect. 3. num. 11. & tract. 5. disput. 2. sect. 1. & 2. Latissimè Ægid. Lusit. tom. 1. de beatitudine lib. 2. de ultimo fine. q. 5. art. 3. n. 4. ubi n. 5. asseverat esse communem inter sanctos Patres doctrinam: & ut dogma fidei asseritur in prædictis Doctoribus.

647. Et probatur, quia averti à Deo fine ultimo, est constituere creaturam finem ultimum: atqui homo per peccatum mortale constituit creaturam finem ultimum; ergo per peccatum mortale avertitur homo à Deo fine ultimo. Major clara est, nam cum actio illa habeat pro termino creaturam tantum, in ea constituit ultimum finem, nam finis illius actionis vel est creatura, vel Deus: non Deus, cum potius per eam recedat homo à Deo: ergo creatura. Minor constat, quia in eo

sita est ratio aversionis à Deo fine ultimo, quod creatura plus diligatur, quàm Deus; in illa enim majori appretiatione constituitur: de quo supra num. 305. atqui per peccatum mortale plus diligitur creatura, quam Deus; ergo per peccatum mortale constituitur creatura ultimus finis. Minor constat ex sacro textu Ioannis 12. vers. *Magis, quam gloriam Dei.* Matth. 10. vers. *Qui amat patrem, & matrem plusquam me.* Et in hac appreciatione majori consistit etiam fruitio: ille enim fruitur creatura & utitur Deo, qui plus diligit creaturam, quam Deum, ex doctrina Augustini probatæ supra numero 305. Cum ergo qui fruitur habet rem qua fruitur pro fine ultimo, et qui utitur habet rem qua utitur, pro medio, & peccator fruatur creatura, quando eam plus diligit, quam Deum; optime sequitur, quod avertatur à Deo fine ultimo, & constituat creaturam finem ultimum: ex quo etiam infertur in omni peccato mortali esse contemptum Dei, de quo supra numero 386. contemptus enim mortalis est præferre creaturam Deo, quo sensu intelligitur illa querela apud Isaïam cap. 10. *Ipsi vero spreverunt me*, id est, dilexerunt plus creaturas, quam Deum factorem suum.

648. Adrianus communiter reprobatus asserit homines per peccatum mortale non averti à Deo fine ultimo. Primo, quia multi zelo indiscreto mortaliter peccantes existimant se obsequium præstare Deo, imo & ex ignorantia sæpius ita peccant, ergo non avertuntur à Deo fine ultimo. Patet consequentia, quia homines ex Dei amore peccant. Respondetur, distinguo consequens, formaliter, & explicitè concedo: virtualiter, implicitè, seu interpretativè, nego: duobus enim modis potest peccator constituere finem ultimum in creatura, ex doctrina Scoti in 2. dist. 21. quæst. 1. num. 5. vers. *Ad aliud*: primo expressè & formaliter, cum peccator judicat, & assentitur in creatura ponendum esse ultimum finem: secundo modo interpretativè, cum realiter opus facit, per quod Deus contemnitur, & divina lex frangitur, ut ametur creatura: primo modo, foret hæreticus homo, qui ita operaretur: secundo modo omnis, qui peccat mortaliter constituit creaturam finem ultimum, etiam ille, qui ex zelo peccat, vel ex nimia affectione, quam ad falsum habet, cui per superbiam adhæret, & hæc moralis interpretatio in ignorantia affectata fundatur; veluti si quis ex amore amici sagittam emitteret, sed ita iocantè, ut amicum occideret, sic ille, qui zelo peccat, ex amore Dei, ut volunt, Deum offenderet.

649. Secundo, multoties homo peccat circa creaturam, illam non solum non præferendo, sed postponendo & Deo, & aliis creaturis; ergo falsum hic non constituit creaturam ultimum finem. Probatur antecedens: Si quis peccaverit propter divitias, propter quas nec vitam, nec honorem amitteret, sed pro vita, & honore omnes divitias erogaret: Si quis peccet, ita paratus defendere fidem, ut pro illa & vitam, & honorem nihil faceret. Respondetur, negando antecedens: Licet enim ille peccatus videatur habere illam voluntatem, non est voluntas, sed velleitas: nam absolutè, & efficaciter creaturam magis diligit: cum enim peccator sibi non constet, & variis secum ipsemet affectibus belligeret, illud censendum est interpretativè magis diligi, cæterisque præponi, quod efficaciter desiderat, vel opere complet. Similiter, qui peccat spe veniæ, pro illo tempore quo peccat, creaturam plus diligit: imo si quis novem præcepta propter Deum observet, & amore amici unicum violet, plus diligit amicum, quàm Deum; & absolutè, ac simpliciter Deo præfert amicum: licet enim plus facias pro Deo, cum per illud unum præceptum violatum amore amici, divinam contemnat amicitiam, quæ non nisi integra præceptorum observatione permanet, & durat, plus diligit amicum, cujus ne amicitiam lædat, præceptum illud violavit, parum curans de divinæ amicitiæ amissione.

650. Tertio: Homo non potest simul intendere plures fines simpliciter ultimos: atqui potest simul plura peccata mortalia committere, & velle; ergo jam vellet plures fines ultimos. Respondetur negando consequentiam, quia vel illa peccata committuntur simul, vel successivè; si successivè, toties intendit mutare finem, quoties peccat, præcipuè si præcedenti peccato, subsequens sit contrarium: Si simul, tunc non convertitur peccator ad objecta talium peccatorum, ut ad fines ultimos totales, sed ut ad partiales tantum, ita ut aggregatum ex omnibus illis, sit unicus finis ultimus totalis, quem peccator constituit: qui enim fertur in plura, in nullo eorum quietatur, nulloque sigillatim fruitur, sed omnium aggregatione. Vide Vasq. 1. 2. disp. 5. cap. 3. §. *Cum vero*, Ægid. Lusit. tom. 1. de beatitudine lib. 2. qu. 5. art. 3. in 2. p. art. n. 37. Antequam ab hac aversionis doctrina avertamur, duo circa illam dubia sunt explicanda.

DUBIUM PRIMUM INCIDENS.

Quodnam sit illud bonum creatum, quod per peccatum constituitur ultimus finis?

651. Duplex est finis pro præsenti consideratione, *finis cui, & finis cujus*: ille est cui acquiritur iste: Dico primo, finis *cui*, est ipsemet peccator: in hac conclusione conveniunt omnes Theologi, ita testatur Ægid. Lusit. citato lib. 2. q. 5. art. §. 3. n. 20. & probatur, quia finis *cui*, est illud subjectum, cui finis *cujus* desideratur, ut apparet in illo, qui sanitatem sibi expetit: sed homo peccando sibi desiderat illud bonum, circa quod delectatur; ergo ipse est finis *cui*. Probatur minor à D. Augustin lib. 14. de Civit. Dei cap. 28. *Fecerunt itaque civitates duas, amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei: celestem vero amor Dei usque ad contemptum sui: denique hæc in seipsa, illa in Domino gloriatur.* Et radix hujus veritatis est, quia homo in omnibus suis actionibus, se ipsum amat amore amicitiæ; ergo omnia quæ appetit, sibi appetit, ut fini *cui*: cum verò peccando mortaliter nihil referat in Deum, quin potius Deum contemnat, omnia in se ipsum, ut in finem *cui* ultimum referre dicendus est.

652. Dico secundo, finis *cujus*, est illa creatura, sive creatum bonum, quod ut summum bonum diligitur: conveniunt etiam in eadem conclusione omnes Theologi teste eodem Ægidio Lusit. numero 21. & licet subtilis Doctor in 1. dist. 1. q. 5. vers. *Respondeo*, affirmet peccatorem solum frui se ipso, in quo videtur innuere, ipsum peccatorem esse finem *cujus*, loquitur de fruitione principali, & primaria, quatenus peccator ex amore sui, est radix peccati. Ostenditur primo ex Scriptura sacra, in qua venter dicitur Deus ad Philippenses 3. vers. *Quorum Deus venter est*, possessio pecuniæ, appellatur idolum, ad Ephes. 5. vers. *Quæ est idolorum servitus*: sed res, quæ est idolum, vel Deus, non diligitur, nisi ut summum bonum, imo quia diligitur ut summum bonum, Deus peccatoris appellatur; ergo diligitur ut ultimus finis. Secundo probatur, quia ita expresse

docuit Augustinus t. de doctrina Christiana cap. 23. Tertio, quia finis *cuius* diligitur amore concupiscentiæ, est semper per ordinem ad alterum; ergo peccator non est finis *cuius*, cum seipsum diligat amore amicitiæ, iste enim amor non terminatur ad bonum concupitum, sed ad seipsum.

653. Oppositum docuit Zumel 1. 2. q. 71. art. 6. disp. 11. conclusione secunda, & q. 87. art. 4. in dubio, ex Cajetano ibi, §. *Ad hoc dicitur*, asserente peccatorem in se ipso constituere finem *cuius*. Probat primo, quia peccator ex sui amore, ad ipsum amorem omnia refert; ergo ipse amor peccatoris, est finis ultimus. Respondetur negando antecedens: non enim amor proprius est finis, tantùm enim est causa, cur ipsi peccatori bonum ametur; est enim amor amicitiæ, ex quo oritur amor concupiscentiæ, quo diligitur bonum, ut finis *cuius* ad illudque omnia refert, simul & ipsum finem *cuius* ad finem *cui*.

654. Secundo, finis *cuius* non distinguitur à fine *cui*: atqui peccator est finis *cui*: ergo etiam erit finis *cuius*: Major patet, quia de ratione finis, ut finis est, est *cuius* gratia aliquid fit. Respondetur, nego majorem: Ad probationem explico antecedens, finis est cujus gratia aliquid fit, id est, cujus consequendi, vel perficiendi gratia aliquid fit, concedo: id est, tantùm consequendi, vel perficiendi, nego: licet enim uterque finis, sit cujus gratia aliquid fit, non tamen uterque est finis *cuius*, nam finis *cuius*, est cujus gratia aliquid fit, ut consequatur; finis *cui* est cujus gratia ille finis, *cuius* fit, ut perficiatur.

DUBIUM SECUNDUM INCIDENS.

Utrum aversio à Deo ultimo fine simpliciter, sit diversa malitia ab ea, quam peccatum mortale ex objecto habet?

655. Suppono aversionem à Deo fine ultimo simpliciter, esse circumstantiam generalem imbibitam in omni peccato mortali, nullum enim est, quod secum non deferat hanc aversionem à Deo fine ultimo. Secundo, hanc aversionem dupliciter considerari posse. Primo, ut est directè, formaliter, & per se intenta, ac volita. Secundo, ut est volita implicitè & ratione operis, in tantumque peccans vult illam aversionem, in quantum vult opus, quod est à Deo aversum: quibus suppositis ex communi doctrina Theologorum, quæ eadem est cum ea, quam tradunt circa circumstantias generales, de qua nos non pauca diximus disp. 3. à num. 460.

656. Dico primo, spectata ratione formali in malitia, quam peccatum mortale ex objecto, & ex aversione à Deo fine ultimo simpliciter habet, diversa omnino est: & patet evidenter, quia malitia ex objecto est specialis in quolibet peccato, & diversa specie secundùm diversas aversiones à lege, vel ab objecto à lege averso, aversio autem à Deo fine ultimo in omnibus generibus, & speciebus vitiorum est eadem omnino; ergo diversa est hujus aversionis à Deo fine ultimo simpliciter malitia, ab ea, quam ex objecto habet peccatum mortale.

657. Dico secundo, ad hoc ut conferat aversio à Deo fine ultimo specialem, & novam malitiam actui, diversam ab ea, quam objectum attribuit, debet esse per se, & directè intenta, ac volita: hæc conclusio deducitur ex iis, quæ tradidimus disp. 3. à numer. 460. circa circumstantias generales, nulla enim novam tribuit speciem, nisi ita intenta, volitaque sit. aliter in omni peccato daretur multiplex peccatum, specie distinctum, omne enim foret ingratitudo, inobedientia, odium Dei, cum nullum sit, quod secum non devolvat hos contemptus divini honoris; quare ut illa aversio novam conferat speciem malitiæ, debet esse per se intenta, & volita, tunc enim non est quælibet malitia, sed hæresis formalis, eo quod directè intendat, & velit, quod creatura, & non Deus, sit ultimus finis simpliciter; quod est hæreticum.

658. Dico tertio, Malitia, quæ est in aversione à Deo, est eadem cum malitia peccati mortalis, nullaque additur per illam aversionem malitia. Probatur, quia non magis peccat homo per aversionem à Deo fine ultimo simpliciter, quàm per aversionem à Deo Legislatore, & benefactore: atqui hæ aversiones non conferunt aliquam malitiam actui diversam, distinctamve ab ea, quam confert malitia ex objecto, ut dixi disp. 3. numero 461. Secundo, quod illæ circumstantiæ generales imbibantur in omni actu malo, & constituant illam malitiam, quæ non est alia, quàm eadem met, quæ ex objecto provenit.

659. Unde perperam P. Suarez t. 2. tract. 5. disp. 2. sect. 2. num. 3. docet malitiam aversionis à Deo fine ultimo pertinere ad odium Dei, sive ad vitium oppositum charitati, & nititur in eo, quod licet non habeant homines absolutè præceptum de diligendo Deo, illud tamen habent ex suppositione, supposito enim quod homo debet operari, tenetur in sua operatione Dei amicitiam non lædere.

Perperam tamen hæc doctrina asseritur, supponit enim dari diversam malitiam in aversione à Deo implicitè & virtute volitam, ab ea quam habet objectum: quod falsum omnino est: vel enim foret ejusdem, vel diversæ speciei: non primum, cum malitia ex objecto sit contra præceptum quod specialiter frangitur, aversio ut affecit., contra præceptum charitatis, cum autem sit duplex præceptum, quod frangitur, & quodlibet novam, & diversam essentialiter obligationem inducat, malitia, qua utrumque frangitur præceptum, non potest esse ejusdem speciei: non etiam diversæ. Primo, quia illa aversio non est speciale objectum specificativum malitiæ, aliter esset malitia hæresis. Secundo, quia aversio à Deo Legislatore, & benefactore, non addit diversam speciem nisi sit formaliter intenta, ut dixi disp. 3. n. 460. & supra n. 657.

660. Nec speciem veritatis habet, id quod addit idem Magister Suarez; quod scilicet in odio Dei directè volito duplex detur malitia, una contra finem ultimum formaliter, altera contra finem ultimum virtualiter intenta. Non hoc speciem veritatis habet, ut inquam; Primo, quia supponit malitiam odii Dei formaliter intenti, esse eamdem cum malitia aversionis à Deo ultimo fine: cum tamen odium Dei sit speciale peccatum ab eo, quod esset actus, qui immediatè, & formaliter pro objecto haberet aversionem à Deo fine ultimo. Secundo, quia si illa aversio est prohibita per idem præceptum, quo odium prohibitum est, numquam potest esse distincta malitia ab ea, quam habet odium, cum præceptum identicè sit idem: si enim actus contra præceptum naturale, & positivum circa eamdem rem, non inducit nisi unius tantum malitiæ incurrendæ obligationem, quo pacto unum & idem præceptum diversæ malitiæ transgressores reos faciet? Tertio, quia jam homo teneretur illam malitiam aperire confessori.

SEPTIMA DIFFICULTAS.

Verum aversio à Deo fine ultimo simpliciter, ita sit propria peccati mortalis, ut nullatenus competere possit veniali?

661. Notandum est primo, nihil aliud esse à peccatore constitui creaturam finem ultimum simpliciter, quàm creaturam præferre per amorem creatori: & hunc amorem esse fruitionem, est doctrina Augustini, de quo supra num 305. Secundo, finem simpliciter ultimum esse illum, qui non compatitur secum finem oppositum simpliciter ultimum, finem verò secundùm quid ultimum, esse eum, qui componitur cum alio fine simpliciter, cui opponitur: unde hæc est differentia inter finem malum simpliciter, & secundùm quid, quod ille ex se est destructivus finis simpliciter boni, eo quod præferatur bono, non tamen iste, imo cedit bono fini, cum hic illi præponatur. Tertio, ex duplici capite prænoscendum esse finem simpliciter ultimum: primum ex parte operis, si nimirum opus tale sit, ut dissolvat Dei amicitiam, jam enim si opus exequutioni mandatur, præfertur creaturæ amor, amori Dei, Deusque minus diligitur, quam creatura. Secundum ex affectu operantis, si ita opus exerceat, ut etiamsi transgrediatur lex, & Deus offendatur, non desistet ab opere. His notatis, ex quorum cognitione facilis est difficultatis resolutio;

662. Respondeo ex communi sententia Theologorum cum Div. Thoma 1.2. q. 88. art. 1. ad 3. Scoto in 2. dist. 2. q. 5. n. 3. vers. *ex tertio*, n. 4. vers. *Dico ergo*, averti à Deo fine ultimo simpliciter, ita esse proprium peccati mortalis, ut nullatenus veniali conveniat.

Fundamentum est, quia tunc constituitur creatura finis ultimus simpliciter, cum peccator fruitur creatura: atqui per peccatum veniale non fruitur peccator creatura: ergo per peccatum veniale non constituitur creatura finis ultimus simpliciter. Major est recepta ab omnibus Theologis, tum in 1. sentent. dist. 1. tum in q. 1. tradita ab Augustino sæpissimè, præcipuè lib. de doctrina Christiana ubi in fine capitis 22. & initio capitis 23. ita habet. *Hæc autem merces summa est, ut Deo perfruamur, & omnes qui eo fruimur, nobis & in ipso fruamur, nam si in nobis id facimus remanemus in via, & spem beatitudinis nostræ in hominibus, vel in Angelo collocamus.* Vide clarissima loca Augustini supra n. 305.

663. Minor verò inde patet, quia fruitio est amor creaturæ, non quilibet, sed adeo inordinatus, ut præferat creaturam creatori. Ita ex Augustino probavi supra num. 305. & explicavi n. 649. justus autem, sive homo committens peccatum veniale, non fruitur creatura, tum quia ita affectus est, ut si judicaret per tale peccatum perituram Dei amicitiam, non illud committeret: nec tale peccatum contrariatur consequutioni finis ultimi; cum ergo nec ex parte operis, quod cum gratia, & amicitia Dei persistit, nec ex parte peccatoris, qui illud opus non faceret, si reputaret esse Dei offensam gravem, quæ sunt duo capita, ex quibus constat constitutio finis ultimi simpliciter, non pereat Dei amicitia: Dicendum est per tale peccatum, id est, veniale, non constitui creaturam finem ultimum simpliciter.

664. Vnde non rectè expendit Vasq. loca Augustini, & D. Thomæ, dum 1. 2. disput. 5. cap. 3. §. *Restat igitur*, ex mente utriusque docet per peccatum veniale peccatorem frui creatura: quod etiam placuit Cornelio Yprensi in suo Augustino tom. 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 17. §. *Nec vero*: cum ratio fruitionis ab utroque constituatur in illa majori appretiatione creaturæ, ut locis datis num. 305. patet, & num. 307. quicquid tamen sit de hoc, certum est, creaturam non constitui finem ultimum simpliciter per peccatum veniale: nam si concedatur per illud frui peccatorem creatura, erit latiori vocabulo, quatenus est finis creatura, sed non propriè, defectu illius existimationis majoris.

665. Vtrùm per peccatum veniale constituatur creatura finis ultimus: est quæstio satis agitata. Negant omnes ferè Thomistæ teste Vasquio §. *Huic*: asserunt enim peccatum veniale habitu referri in Deum, vel quia, dum peccator vult peccatum veniale, ut quid commodum sibi, cum ipse referatur in Deum, in Deum etiam refertur peccatum: vel quia ut ait Cajet. peccatum veniale secum patitur habitum gratiæ, & sic explicant D. Thomam 1. 2. q. 88. art. 1. ad 3. dicentem. *Hominem referre peccatum veniale in Deum non actu, sed virtute.*

666. Verùm hæc sententia communiter reprobatur, & merito. Primo, quia indignum, & injuriosum divino bonori & bonitati videtur, asserere peccatum esse medium conveniens, ut Deus, tamquam ultimus finis consequatur; siquidem vel ista relatio esset habitualis, vel actualis formalis, vel interpretativa: habitualis non sufficit, cum non habitu, sed actu operando, possint referri actiones in Deum, & dato quod possent referri actiones, quæ actu referri possent, non tamen habitu referendum est peccatum, quod actu ab operante referri non potest: Nec recurras ad habitum gratiæ, velut ad causam universalem referendi omnia in Deum, quia prætec quod id sit falsum, applicari nequit hæc doctrina peccato veniali, si in statu naturæ puræ, vel sine gratia de facto eliceretur: Non est etiam relatio actualis, qua formaliter peccatum veniale refertur in Deum; quis enim adeo erit inverecundæ frontis, & sacrilegi ausus, qui audeat referre in Deum actionem, qua offenditur, & in ipsa offensa requirere complacere Deo, hoc est offerre Deo id, quod illi maximè displicet? Aliter etiam posset peccator referre peccatum mortale in Deum, si quidem hæc relatio tota est arbitraria, & ex peccantis libito dependens. Non etiam virtualiter, & interpretativè refertur peccatum in Deum, siquidem opus, sive peccatum actuale veniale, non potest referri formaliter; ergo nec virtualiter, illa enim quæ virtualiter, & interpretativè referuntur, sunt, quæ censentur referri, & possunt referri formaliter ab operante.

667. Quare dicendum est, per peccatum veniale constitui creaturam finem ultimum, non simpliciter, sed secundùm quid. Ita Suar. 1. 2. tract. 1. disputat. 3. sect. 4. num. 4. Vasq. cap. 2. §. *Verùm*. Ægid. Lusitan. lib. 1. qu. 5. art. 4. n. 59. Probatur, Illud peccatum ad nullum bonum refertur; ergo illius dilectio in ipso sistit: sed cum tale peccatum ex sua parte, sive ex se non avertat à Deo fine ultimo, sed tantum à fervore, & ex parte affectus, peccans paratus sit illud non elicere, si sibi constet posse esse causam, cur dissolvatur amicitia Dei: non est finis simpliciter creatura dilecta per peccatum veniale, sed secundùm quid.

668. Dices: Operans non potest intendere duos fines ultimos; ergo jam objectum peccati venialis non erit finis ultimus. Probatur conse-

quentia, quia operans est in gratia, & ut sic relátus in Deum finem ultimum, imo paratus omnia perdere, ne Deus finis ultimus sibi pereat. Respondetur, distinguo antecedens; duos fines simpliciter ultimos, concedo: unum simpliciter, alterum secundùm quid, nego: Amatur in hoc casu uterque finis diverso modo: finis simpliciter magis; minus finis secundùm quid; justus enim plus diligit Deum, quàm illud objectum peccati venialis, & in hoc sita est tota differentia istius aversionis ab ea, quæ est, in peccato mortali.

669. Instabis: Ratio finis ultimi simpliciter in omni genere ea est, ut operans se, & omnes suas actiones in illum referat: sed justus non refert peccatum veniale in Deum, ergo non diligit Deum ut finem ultimum simpliciter. Respondetur, distinguo majorem: ex intentione operantis, nego: ex debito, & postulantia ipsius finis, concedo: postulat enim ultimus finis, ut omnia ad ipsum referantur, & hoc debitum erat, si cum ea perfectione, quam requirit, appeteretur: non tamen obstat hæc postulantia, & debitum, quo minus simpliciter appetatur, etiamsi aliquid ad ipsum non referat operans, dum ipsi fini non sit contrarium, nec ejus consequutioni repugnet simpliciter, ita tamen, quod operans adhibeat media necessaria ad consequutionem finis simpliciter ultimi.

OCTAVA DIFFICULTAS.

Utrum in omni statu, quo quis potest peccare mortaliter, possit etiam peccare venialiter.

670. REspondeo affirmativè; ita Suar. 1. 2. tract. 5. disp. 2. sect. 7. n. 3. Vasq. disp. 149. c. 2. nam si voluntas potest inter diversitatem materiæ eligere gravem, nulla sufficiens ratio esse potest cur non possit eligere levem, qua electa, peccabit venialiter, suppono esse malam objectivè, & moraliter. Hic enim locum habet, *Qui potest minus, potest & magis*, cum & magis & minus sint sub potestate voluntatis, quæ non creata fuit cum indifferentia ad gravia, & non ad levia: Insuper illa creatura potest peccare mortaliter circa objecta ex suo genere mortalia; ergo etiam poterit peccare venialiter circa objecta ex suo genere levia.

671. Oppositum docuit Angelicus Doctor 1. 2. q. 89. tum art. 3. ubi docet hominem in statu innocentiæ potuisse peccare mortaliter, non venialiter, tum articul. 4. ubi idem affirmat de Angelis. D. Thomam cum discipulis latè defendit, Montesinos 1. 2. disp. 18. q. 8. & 9.

672. Primo, quia Angelus in quocumque statu, non vult quæ sunt ad finem, nisi propter ultimum finem; ergo circa ea, quæ sunt ad finem non potest peccare, nisi prius deficiat à fine ultimo: atqui hæc defectio est per peccatum mortale; ergo, &c. Respondetur, negando antecedens, quid enim obstare poterit, ne Angelus de ultimo fine cogitet? Quid ut diligat creaturam, vel ob bonum universi, vel ob delectationem solam, vel ob bonitatem ipsius?

673. Secundo, potest aliqua creatura peccare venialiter, & non mortaliter; ergo etiam poterit peccare mortaliter, & non venialiter. Antecedens probatur. Primo in motibus primo primis, ubi libertas solum ad veniale peccatum sufficit, & non ad mortale. Secundo, quia peccatum veniale est imperfectum, & ideo non requirit perfectam libertatem. Respondetur, negando antecedens: Licet enim cum illa libertate detur peccatum veniale, & non possit dari mortale, debet tamen supponere talem libertatem, quæ sufficiat ad mortale, sine hac, illa non satis est ad veniale, qua de causa pueri, & amentes; licet imperfectam obtineant libertatem, non tamen peccant venialiter, quia carent perfecta libertate ad mortale requisita.

674. Tertio, vel istud veniale peccatum foret ex subreptione, vel ex indeliberatione, vel ex levitate materiæ: neutrum dicendum est; ergo, &c. Respondetur negando minorem, ad minus, negari non potest, peccare posse ex levitate materiæ cum perfectissimo judicio: vel etiam cum inconsideratione circa res spirituales; nam peccatum subreptionis nec in eo statu, nec in Angelis locum haberet juxta communem doctrinam, de qua Salas 1. 2. tract. 13. disp. 17. sect. 3. n. 13.

675. Ex qua doctrina sequitur primo Angelos ut commiserunt peccatum mortale, etiam committere potuisse peccatum veniale: quod tamen intelligendum est, in statu puræ naturæ, vel elevato ad finem supernaturalem: nam ratione status, nullo modo possunt peccare, ut in gloria.

676. Sequitur secundo, in statu innocentiæ, absolutè ex vi naturæ, potuisse Adamum peccacare venialiter, vel edendo de lignis inordinatè, vel proferendo verba jocosa, leviaque mendacia.

677. Utrum verò de facto in illo statu daretur peccatum veniale? utraque resolutio est probabilis: negativa, quia auctoritate magni Augustini freti eam defendunt, Suar. cit. & lib. 3. de opere sex dierum cap. 3. Vasq. disp. 148. cap. 2. à n. 7. Granad. tom. 2. ad 1. 2. contr. 6. tract. 4. disp. 1. sect. 1. n. 5.

678. Affirmativam tamen præfero sententiam, defenditur ab Scoto in 2. dist. 21. q. 1. numer. 3. sequitur Salas citatus: non enim apparet aliqua ratio oppositum asserendi: nam felicitati illius status adeo decantatæ ab Augustino, & Patribus, non officit peccatum veniale; cum illi peccato nullus correspondere dolor, eo quod per actum charitatis remitteretur cum pœna simul debita ex doctrina D. Thomæ q. 7. de malo art. 11. docentis per actum charitatis remitti peccatum veniale, & quoad culpam, & quoad pœnam: vel illi peccatu daretur pœna levis, ut ait Scotus, vel reservaretur ad alteram vitam, juxta Salas n. 11.

Præcipuè, quia si libertas Adami indifferens mansit ad peccandum mortaliter, etiam ad peccandum venialiter, cum eadem omnino esset libertas: nec est necessarium recurrere ad specialem Dei manutenentiam, qua in veniale non laberetur primus homo: cum enim per illud peccatum non amitteretur status, quid mirum esset, quod ad exercitium plenissimum libertatis, homo ille, vel mortale, vel veniale peccatum committeret: imo si durante statu, ejus felicitas non repugnabat peccato mortali, cur veniali repugnaret?

Divus Augustinus, qui totus est in inculcanda illius optimi status felicitate, loquitur de statu ante omne peccatum, ut à Deo conditus fuit: præsertim, quia ex illo peccato veniali adeo tenuissimum foret detrimentum, ut pro nihilo foret reputandum: nec per illud peccatum produceretur habitus, impediret enim Deus suum concursum, quod non videtur mirum cum etiam denegaret causis secundis concursum generalem, ne interficerentur homines in illo statu, ut ex Augustino, & D. Thoma, docet Mulina de opere disp. 28. conclusione 6.

NONA DIFFICULTAS.

Utrum possit homo prius peccare venialiter, quàm mortaliter?

679. Respondetur affirmativè, ita communiter recentiores Theologi, inter quos Suar. 1. 2. tract. 5. disp. 1. sect. 8. numer. 8. Vasq. disp. 149. cap. 2. quia demus, licet non concedamus, hominem cum primò ad usum rationis pervenerit, teneri ad diligendum Deum super omnia, tamen illius præcepti executio, non in instanti, sed in tempore fieri deberet, & cum homo non teneatur summam adhibere diligentiam; posset ante illud tempus aliqua verba proferre jocosa, quæ essent peccata venialia. Deinde posito illo præcepto, nullus est ordo inter peccata mortalia, & venialia; ergo si pro tunc occurreret materia levis, peccatum solum erit veniale, imo homines frequentius venialiter peccant, tum quia facilius, tum quia objecta leviora frequentius occurrunt. Quid si homo invincibiliter præceptum ignoret, aut ex culpa venialiter non advertat sibi instare observantiam, sive adimpletionem illius præcepti, peccaret sine illius fractione culpabili, venialiter.

680. Ex quo sequitur posse esse peccatum veniale solum cum originali ut bene docent Suarez citatus, & tom. 4. in 3. p. disputat. 11. sect. 2. Lorca de peccatis disput. 63. Salas tract. 13. disp. 18. sect. 2. quia ex eo homo originali solum macula sordidus non posset primo peccare venialiter, quia adveniente usu rationis, illico teneretur Deum super omnia diligere: atqui hoc præceptum pro illo tempore gratis, & graviter imponitur; ergo, &c. Minor probatur, quia vel præceptum foret de conversione in Deum formaliter dilectum super omnia: vel de conversione implicita, vel de quadam conversione in bonum honestum in communi, id est, de proposito sequendi quicquid rectum fuerit: non primum, aliter Deus, cum vix ratio affulsit, hominem obligaret ad difficillimum mandatum, quod majori, imo maxima disciplina eget: præsertim, quia illud præceptum pro illa prima rationis luce invincibiliter ignoratur; ut omnes, si vera loqui debent, locupletes testes sumus: non secundum, quia licet homo teneatur, ubi primum expedita fuerit libertas, & ratio, operari honestè, hoc tamen non est ex obligatione speciali diligendi Deum super omnia, sed ex generali obligatione operandi honestè, si operetur. Non tertium, cum enim sit res magni consilii, non tenetur homo in primo instanti statuere de vita futura, nec statim ei venit in mentem totius vitæ honesta institutio.

681. Dices primo: Homo tenetur diligere Deum in aliquo tempore: atqui nullum aptius apparet, quam illud, in quo ei affulsit primus rationis usus, in quo homo liberè discernit inter honestum & turpe. Probatur minor, quia ex hoc mandato tota lex dependet. Respondetur, negando minorem: Imo ex probatione convincitur inconveniens esse, adeo necessarium mandatum illius temporis angustiis adstringere; in quo, vel semper ignoratur, vel numquam observatur; cum ergo hoc præceptum sit adeo fundamentale, ut ab eo tota lex dependeat. debet poni pro tempore convenientissimo, in quo observatur.

682. Quodnam sit tempus convenientissimum? Respondeo esse illud, in quo homo advertit sibi imminere obligationem diligendi Deum; & hæc advertentia, est veluti promulgatio illius præcepti, quod intra brevis temporis spatium tenetur adimplere: & multum conveniret, quod in aliquo die festo adimpleretur, ut monuit Scotus in 3. dist. 27. q. 1. numer. 18. vers. *Quantum*, quem sequuntur plures, quos eo in loco allegat Cavellus, asserens illud præceptum obligare pro die festo: quam obligationem non video, unde deduxerit Cavellus, cum si adimpleat præceptum, ubi primum de ejus existentia homo advertit, optima foret observatio.

SECTIO DUODECIMA.

De distinctione peccatorum.

Explicatis peccatorum variis divisionibus, indaganda est eorumdem distinctio, tam specifica, quàm numerica. Utraque tractatio necessaria quidem est, non solum ad essentiam peccatorum agnoscendam, sed etiam ad confessiones, ea integritate, qua fieri debent, conficiendas, cum juxta sacrum Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 6. can. 7. teneantur fideles suo declarare confessori, & species, & numerum peccatorum; qua de causa, & specifica, & numerica eorum notitia in præsenti sectione præstabitur.

SUBSECTIO PRIMA.

Unde desumatur specifica peccatorum distinctio?

683. Varia sunt principia, ex quibus potest oriri specifica peccatorum distinctio, quæ omnia, ad causas, leges, & objecta reducuntur; de causis materiali efficiente, & finali, constat non posse esse principia unde peccatorum specifica distinctio oriatur, siquidem subjectum recipit plura specie differentia peccata, una voluntas causa efficiens est omnium peccatorum, & propter eumdem finem verbi gratia, invidiam, & intemperantiam fieri possunt plura specie diversa peccata: de quibus Azor 1. p. inst. moral. lib. 4. cap. 2. §. *Octavo quæritur* Restant ergo tantùm duo principia, leges nimirum, & objecta, de quibus quæritur an ab illis desumenda sit specifica distinctio peccatorum?

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum à legibus accipienda sit specifica distinctio peccatorum?

684. Duobus modis accipi possunt leges, & præcepta: primo, materialiter, secundo formaliter: materialiter leges accipiuntur, quando solum sunt diversa ratione Legislatoris, non verò rei præceptæ, id est, cum sub eadem ratione formali, & conformitate ad rationem, eamdem rem, vel prohibent, vel præcipiunt, & solum differunt in eo, quod à diversis Legislatoribus latæ sunt, verbi gratia adulterium lege æterna, divina positiva, & humana prohibetur; hæ leges, ut suppono, adulterium prohibent, non additis novis pœnis, non sub aliqua diversa ratione formali, plures quidem sunt leges, quia à pluribus Legislatoribus latæ, hoc materialiter, non formaliter, quia omnia idem omnino, sine nova difformitate ad rationem adulterium prohibent: unde constat, quid sint leges formaliter diversæ, sunt enim eæ, quæ ex diverso motivo virtutis circa eamdem rem proferuntur, ut lex quædam prohibet furtum, alia idem furtum prohibet in loco sacro. His positis.

685. Dico primo: Specifica distinctio peccatorum non desumitur à legibus materialiter diversis. Ita D. Thomas 1. 2. q. 72. art. 1. ubi discipuli, & cum eis Curiel. art. 6. dub. 3. §. 1. Azor citatur §. *Quinto quæritur*, Valent. disp. 6. qu. 2. puncto 2. Suar. lib. 5. de voto cap. 6. numero 15. Vasq. disp. 98. cap. 2. num. 3. Becan. in Summa tom. 2. tract. 1. cap. 5. q. 2. numero 2. Cornejo tom. 2. tract. 7. disp. 5. dub. 8. Bonacin. tom. 2. disput. 2. quæst. 4. puncto 3. n 5. & plures, quos relatos sequitur Salas 1. 2. tract. 13. disp. 3. sect. 2.

Probatur, quia unum peccatum ejusdem omnino speciei est contra duplex præceptum, ut furtum, & cupiditas furandi, licet sint duo peccata numero diversa, sunt tamen ejusdem speciei: & tamen sunt contra duo præcepta Decalogi: *Non furaberis, & non concupisces*: idem omnino furtum, & homicidium, sunt prohibita lege æterna, naturali & positiva; ergo diversitas specifica peccatorum non desumitur penes materialem præceptorum diversitatem.

686. Dico secundo: Specifica peccatorum distinctio desumitur à diversitate legum formali, non formaliter, sed tamquam à signo: hoc est, diversitas formalis legum indicat peccata quæ prohibentur, esse specie diversa: ita præter Doctores citatos, Herrera disp. 3. quæst. 7. ex Scoto Raynaud. in opere morali tom. 1. dist. 4. q. 1. art. 4. Probatur, quia diversitas formalis legum sumitur ex diverso motivo, sive ex diversa formalitate objecti, seu virtutis, ut præceptum non furandi rem sacram, est duplex formaliter diversum, ex diversa formalitate objecti, & virtutis, eo quod cum illa res sit aliena & sacra, diversas virtutes violat, justitiam scilicet, quia furatur rem alienam, & religionem, quia res sacra; ergo quoties leges sunt formaliter diversæ, latæ scilicet ex diverso motivo virtutis, erunt signa distinctionis specificæ peccatorum.

687. Ex quibus colliges, diversa præcepta materialiter diversa, id est, quæ sine nova obligatione, aut diversitate motivi idem præcipiunt aut prohibent, esse unum tantum præceptum formaliter in genere moris, ut leges, æterna, naturalis, & civilia de cæde vitanda, de furto non faciendo, materialiter, & entitativè diversæ sunt, formaliter unum, cum omnes idem præcipiant, aut prohibeant, sine nova obligatione, & absque nova inductione virtutis.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum specifica distinctio peccatorum desumatur ab obiectis?

688. Respondetur affirmativè: ita D. Thom. 1. 2. quæst. 72. art. 1. ubi discipuli: sequuntur recentiores communiter. Videantur Suarez 1. 2. tract. 3. disp. 7. sect. 7. num. 8. Vasq. in notationibus ad articulum D. Thomæ, ubi etiam Curiel, & Lorca, Cornejo dub. 1. Azor 5. *Quarto quæritur*. Raynaud. supra. Probatur à priori; quia ordo ad objectum dissonum legi est essentia peccati, ut docui sup. à num. 96. ergo per ordinem ad objectum constituitur peccatum; ergo etiam per eumdem distinguetur, juxta illud principium, *Per idem res distinguitur, quo constituitur, sive idem est distinctivum, ac constitutivum*. Insuper confirmatur ratione Suarii, ideo velle furari est malum, quia furari objectivè malum est; ergo ex eo, quod ex malitia objectiva, desumitur formalis.

689. Notandum tamen est, non desumi malitiam formalem, nec distingui ex objecto materiali, sed formali, non enim actus malus est, quia tendit ad objectum, sed quia tendit ad tale objectum, dissonum scilicet legi: nam circa diversa objecta materialia versari potest idem actus, dummodo sint formaliter unum, habeantque eumdem respectum ad rectam rationem: sed de hoc latè egimus disp. 3. sect. 4. cum de bonitate objecti disseruimus, est enim eadem resolutio mutatis terminis; ideo omnes quæstiones, quas ibi circa bonitatem ex objecto disputavi, disputandæ forent de malitia ex objecto, cum utrobique eadem sit fere ratio, & ex resolutis pro bonitate resolvi omnes pro malitia poterunt, si enim aliquid malitia, aut bonitas speciale habet, explicatum est illa sectione.

690. Dices primo: Actus malus qua malus, specificari debet ab objecto malo qua malo: atqui hoc est impossibile; ergo, &c. Minor probatur, quia actus specificatur ab eo, quod per se intenditur in objecto: atqui malum qua malum, cum sit extra sphæram objecti voluntatis, non potest per se intendi; ergo, &c. Respondetur negando minorem: ad probationem, negando majorem: actus scientiæ distinguuntur per ordinem ad objecta formalia, quorum ratio formalis sub qua, non cognoscitur sæpissimè, eum tamen specificatio desumatur ex utroque objecto formali *quod sub quo* adjuncto: ita voluntas intendens rationem peccati *qua*, sive realem entitatem, quæ fundat malitiam *sub qua*, satis erit ad specificandos ejus actus, nec requiritur intendere per se malitiam sub ratione malitiæ, sed sufficit si intendatur actus cui est adjuncta malitia.

691. Instabis: Multoties, ratio *qua* non intenditur per se; ergo non datur objectum, quod specificet peccatum. Antecedens probatur, qui furatur rem sacram, dolens quod res sacra sit, committit sacrilegium: & tamen non intendit per se circumstantiam constituentem peccatum in genere sacrilegii; ergo, &c. Respondetur negando antecedens: ad probationem distinguo majorem, non intendit per se circumstantiam, voluntate simplici, concedo: voluntate efficaci, & absolutè, nego: eo enim modo, quo, ne quis naufragium patiatur, dolens projicit merces in mare, licet voluntate simplici projicere merces in mare nolit, voluntate tamen efficaci eas vult projicere, & projicit: quapropter semper illa circumstantia est intenta per se, licet minus principaliter.

692. Secundo, peccata ex fine distinguuntur; ergo non ex objecto. Respondetur, distinguo antecedens, ex fine motivo & impulsivo, nego; terminativo, concedo: nam finis, qui est motivum voluntatis, ut amor, odium, & similia, relinquit voluntatem indifferentem, cum eam moveat ad varias species peccati, inde non potest esse specificativus alicujus speciei: finis verò terminativus, cum sit idemmet objectum terminans voluntatem, & à voluntate volitus, specificat actum voluntatis, ad quem illam determinat: unde solùm illi actus, qui sunt motiva, possunt specificare actus, si sumantur ut objecta.

693. Quæ resolutio vera est, etiam in peccatis omissionis, saltem enim radicaliter specificantur ab objectis. Non loquuntur in terminis Doctores circa hanc conclusionem; eam tamen probo, quia omissiones ut privationes sunt, & distinguuntur per formas negatas, id est per actus, quibus voluntatem privant, & consequenter per rectitudines oppositas, ut rectè advertit Scotus in 2. dist. 37. q. 1. num. 9. & asserunt Doctores, qui

essentiam peccati constituunt in privativo; ergo etiam per objecta distinguuntur. Probo consequentiam, quia illæ rectitudines specificantur per objecta; cum ergo omissiones distinguantur per rectitudines, & rectitudines per objecta, per objecta radicaliter etiam distinguentur omissiones.

SUBSECTIO SECUNDA.

De distinctione numerica peccatorum.

694. SVppono primo, numericam distinctionem peccatorum non desumi ex præceptis numero, & materialiter diversis, ut constat ex dictis à num.684. circa distinctionem specificam; & apparet, quia unico, & individuali actu, possunt plura præcepta materialiter diversa satisfieri, ut si quis audiat sacrum, & recitet coronam ex voto: eodem etiam, & unico actu possunt transgredi, verbi gratia, si quis obligatus recitare Officium divinum triplici titulo, ordinis, professionis, & beneficii, si non recitet, unum tantùm erit peccatum numero: unde etiam prædicta præcepta unica omissione violari possunt, eo quod unica tantum in actu, quo privat detur numero bonitas.

695. Suppono secundo, desumi tamquam à signo distinctionem numericam ex diversitate præceptorum formaliter: quæ possunt transgredi unico actu, qui diversam in genere moris numericam habebit distinctionem: unde religiosi, qui tenentur jejunare omni sexta feria; si Ecclesiæ jejunium incidat in illo die, duplex committunt peccatum, unum ex præcepto religionis, alterum ex Ecclesiæ præcepto, propter scilicet violatam religionis virtutem ex voto, & temperantiæ ex præcepto.

696. Suppono tertio, diversitatem numericam peccatorum desumi à circumstantiis, dummodo hæc mutent speciem actus; nam si specie differt malitia ex objecto, & ex circumstantia, etiam numero distincta erit, ut bene Bonacin. tom. 2. disput. 2. q. 2. puncto 5. n. 4. quod si fuerint tantùm circumstantiæ aggravantes, non multiplicant numero malitiam actus, cum sint accidentia.

697. Suppono quarto, non desumi diversitatem numericam peccatorum ex diversitate subjecti; nam peccatum cordis, oris & operis, est in diverso subjecto, cum tamen unum tantùm sit peccatum: & in eadem voluntate dantur plurima numero peccata diversa.

Quibus suppositis duæ supersunt difficultates, quæ hanc individualem distinctionem explicabunt.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum peccata numero distinguantur ex interruptione actus?

698. EST difficultas, an si actus quidam interrumpatur, illa interruptio satis sit ad hoc ut actus interruptus sit duplex numero peccatum, aperiendum necessario in confessione? pro quo notandum est, dupliciter interrumpi posse actum: Primo absolutè, & simpliciter, quia cum aliquo exteriori continuetur. Secundo, ita ut continuetur primus cum actu exteriori, & cum eodem actu, operéve exteriori continuetur secundus, & sic cæteri actus subsequentes. Exemplum primi sit, si quis habeat animum occidendi Antonium: ex quo actu non prorupit ad opus externum, deinde iterum post temporis spatium habeat eumdem animum. Exemplum secundi sit, si quis habeat animum occidendi Antonium, ex quo actu Antonium quæsivit, extra moram dum scivit, equum præparat, iter arripit, extra lares Antonium quærit, diu non invenitur, sæpe ratificat primum actum, sæpe somno, vigiliaque interrumpitur: Hoc notato, Dico primo, Interruptio actus, qui non continuatur cum actu exteriori, satis est ad distinctionem numericam peccatorum; duplex enim cogitatio, & volitio non continuata duplex est peccatum numero distinctum: ita Vasq. t. 2. disput. 74. cap. 1. num. 1. & cap. 2. Suar. lib. 1. de voto cap. 6. num. 12. Raynaud. in opera morali tom. 1. dist. 4. qu. 1. art. 4. num. 68. Diana 1. p. tract. 4. de sacramentis resol. 95. Azor, Filliucius, & alii, quos allegatos sequitur Bonacin. tom. 2. disp. 2. de peccatis, q. 4. Nugnus tom. 2. in addit. ad 3. p. q. 9.

699. Probatur: si quis nunc odit fratrem suum, & post duas horas, odio eum prosequitur, ista posterior actio, nullo modo cum prima continuatur; sed utraque est peccatum perfectè, & completè; ergo unaquæque est distinctum numero peccatum: Probatur antecedens, quia illæ duæ cogitationes non continuantur in aliquo effectu utrique communi, cum nullus assignari possit; nec prima cogitatio perseverat; ergo ex prima illa cogitatione solum relinquitur macula peccati, qua homo dicitur peccator, & secunda cogitatio subsequens erit novum, & distinctum numero peccatum.

700. Opposita sententia tribuitur Cano, quam Vasq. & Nugnus falsissimam appellant; eam tamen à censura liberat citatus Diana, asserens non esse improbabilem, eo quod eamdem præter Canum, tueantur Ioannes de la Cruz, Petrus Fayni, Pitigianus & Homobonus. Verùm nullam tribuerem præfatæ sententiæ probabilitatem, motor ea ratione, quod si hæc peccata non sunt numero distincta, nullum esset medium distinguendi peccata, quæ circa eamdem materiam versantur; & sic non bona arithmetica mille peccata, sive cogitationes pravæ, pro una censerentur, quæ calculatio quam perniciosa sit fidelibus, & quam amplum iter aperiat cogitandi pravè, & prava, per se apparet. Insuper jam non teneretur homo suo aperire confessori, quot actus malos habuerit circa objectum malum, satisque foret, si eum pœniteret unius cogitationis, quamquam mille habuisset; hoc autem falsum est, inde censura, quam Vasques prædictæ sententiæ affixit, digna est ut recipiatur, equidem tanto auctore non est indigna.

701. Dices: Si quis apud se statuat habere tres delectationes venereas, omnes pro uno computabuntur peccato; ergo similiter, si quis semel & iterum statuat habere unam delectationem, unicum erit peccatum. Probatur antecedens, quia illa cogitatio continuatur in uno affectu imperante. Respondetur primo, negando antecedens. Ad probationem, transeat antecedens: Licet enim continuetur in affectu imperante, hic cum sit internus, non sufficit, sed requiritur aliquid exterius: & in casu argumenti nec hoc satis est, quia cum peccata distinguantur per objecta, & tres delectationes sint tria objecta numerica, tria specificabunt peccata numero distincta.

702. Respondetur secundo, negando consequentiam: diversa ratio est, quia interruptæ cogitationes circa idem objectum, & materiale & formale, sunt actus completi, & unus ab alio independens

dependens in suo esse; eo modo quo Theologi numerant actus sensuales, nam oscula, tactus & cæteræ immunditiæ cum ordinentur ad actum, pertinent ad idem peccatum, sive ad eumdem actum, quo completo, subsequentes immunditiæ pertinent ad sequentem actum, quia jam ille primus est completus: at verò cum una cogitatio aningit plures delectationes, si eas attingit per modum unius, omnes constituunt unum objectum, & inde actus ad illud tendens, unicum peccatum est. Quod si attingat singulas cogitationes præcisè per modum plurium, tunc erunt tot peccata, quot cogitationes, quæ solutio præferenda est, estque conformis doctrinæ traditæ disputat. 5. à numero 307. ad numero 310.

701. Dico secundo: Quando illæ cogitationes non sunt peccata consummata, sed licet interruptæ sint, continuantur in aliquo opere externo, sunt unum tantum peccatum: ita Vasquez citatus cap. 2. ex Navar. & Cajet. adde Azor tom. 1. lib. 1. cap. 5. q. 5. Bonacin. n. 6. & 8. Diana 2. p. tract. 16. & 2. Miscellaneorum resolut. 25.

Varias omitto rationes; quas affert Vasq. num. 6. illa optima videtur. Illa voluntas, & affectus adhuc perseverat confusè in effectu exteriori, ad quem ut ad finem ordinatur; ergo licet renovetur semel & iterum, idem censebitur peccatum: Patet consequentia, quia illa antiqua voluntas confusè perseverat, ergo solum intenditur, cum exprimitur: sed major, vel minor intentio non variat in genere moris numerum actionis; ergo erit eadem omnino moraliter. Antecedens verò probatur, quia illi affectus exteriores sunt tantum eligibiles propter finem, & ad consequendum finem, omnesque mutuo nexu inter se connectuntur, ut suppono; ergo si habent malitiam, est ex fine; ergo oriuntur ex illa voluntate finis, saltem confusa, quæ adhuc perseverat, non enim amaretur illa actio, nisi ad aliud, ad quod est utilis, ordinaretur; cum ergo non possit ad aliud ordinari, nisi præsens sit voluntas finis, signum est, quod illa perseverat voluntas, seu volitio: & quoquor in virtute illius fiunt, vel succedunt volitiones, idem sunt cum illa, sive ipsa expressa, & ratificata.

704. Ex qua doctrina colliges primo, omnes illos actus tam interiores, quam exteriores, donec non consummatur opus intentum, esse malos, non completè, sed inchoativè; eo modo, quo parietes, lignum, ac cætera requisita ad domus alicujus extructionem idem censentur opus artificiale, non aliter actus interiores & exteriores ordinati ad consequutionem alicujus finis, idem censentur opus morale.

705. Colligo secundo, contra P. Vasq. quamquam illæ cogitationes personarum interrumpantur per inconsiderationem naturalem, non esse diversa peccata, quia non obstante somno, & inconsideratione, potest manere illa voluntas confusa, & quod adhuc perdurat, manifestè patet ex eo, quod homo ille sine nova consideratione, & advertentia, mane surgat, media necessaria requirat, & ad exequendum opus tendat; ergo adhuc perseverat voluntas, & continuatur, quod etiam notavit Azor cit. q. 2.

706. Colliges tertio contra eumdem P. Vasq. si illæ cogitationes interrumpantur propter admixtionem aliarum rerum occurrentium, & quæ ex alio fine procedunt, adhuc ex eadem ratione esse unum peccatum, ut bene docet Diana cit. §. *Decendum est*, cum Aragon. Roiz, Maldero, Sayro.

707. Colliges quarto, si homo ille pœnitentia ductus, vel rerum multitudine turbatus, aut alia ex causa primum affectum retractaverit; & postea iterum similem assumat, talem affectum, & actum esse distinctum numero peccatum ab alio actu subsequente: & ratio est, quia primus affectus, ubi primum tractatus fuit, jam fuit completus, & consummatus, nihilque influit in opus exterius, cum hoc exequatur in virtute secundi affectus.

708. Colliges quinto, si quis statuit non restituere per totum annum, & non restituat in virtute illius primæ volitionis, hanc unum esse tantum peccatum, etiamsi sæpius renovetur, dummodo non retractetur: si tamen statuat apud se nolle restituere, & de novo id statuat; tunc erit distinctum peccatum, cum prima volitio fuerit completa.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum distinctio numerica peccatorum ab objectis desumatur?

709. AFfirmant Vasq. disp. 71. cap. 5. n. 10. §. *Sed objicies*. Azor tom. 1. inst. moral. lib. 4. q. 3. 4. & 5. Salas tract. 13. disp. 5. sect. 2. num. 9. Henriques, Iribarne, & Sayrus, quos refert, & sequitur Diana 3. p. tract. 4. resol. 174. §. *Sed quid*, & 1. p. tract. 7. resol. 17. ac 19. Sanch. & Lessius, quos relatos sequitur Raynaud. num. 72. qui omnes docent in eodem actu dari posse plures malitias numero distinctas. Idem docet Granad. 1. 2. cont. 6. tract. 2. disp. 5. num. 10. Mald. ibi q. 20. art. 4. disput. 99.

710. Primo, quia distinctio specifica ex objectis desumitur; ergo & numerica. Secundo, quia ex opposito, qui uno actu totam occideret familiam, in qua clericus aliquis foret, unum tantum committeret peccatum, hoc est falsum: nam cum ibi occidatur clericus jam non datur tantum homicidium, sed etiam sacrilegium; si ergo obtinet ille actus duplicem malitiam specie distinctam, à fortiori, & numero distinctam.

711. Negant tamen Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 22. sect. 3. Bonac. tom. 2. disp. 2. punc. 2. n. 1. Layman. & Magalla apud Dianam citatum. Primo, quia ex opposito, qui gregem ovium furatus esset, tot peccata committeret, quot oves furatæ fuissent; qui domum incendit, tot peccata committeret, quot essent partes domus: qui Bibliothecam surriperet, tot committeret peccata, quot libros surriperet, & sic de cæteris: Hoc autem est falsum; ergo, &c. Secundo, quia jam qui infinitis hominibus vellet mortem inferre, infinita committeret peccata.

712. Ut in concordiam utraque sententia redigatur, advertendum est primo, non posse esse quæstionem de actibus distinctis realiter circa propria objecta, certum enim est, quemlibet actum distingui ex proprio objecto, cum malitia numerica formalis actus, non sit aliud, quam tendentia actus in ipsum individuale objectum dissonum legi. Secundo, posse esse dubium de actu, qui versatur circa plura objecta, an multiplicetur in eo actu malitia, pro materiali multiplicitate objectorum? Tertio, vel objecta sumi posse per modum unius, vel per modum plurium: si per modum unius, posse amari, & esse volita per unicum actum; si per modum plurium ut plurium, non posse unico, & indivisibili actu amari; ut docui disputat. 5. n. 273. cum unum quodque sit adæquatum objectum sui actus: & pat se secundùm suam rationem forma-

lem attingatur, Quibus notatis.

713. Dicendum est: Si actus versetur circa illa plura objecta, ut objecta plura, ita ut quodlibet illorum sit objectum volitum per se, tunc esse plura peccata: si verò omnia sumantur ut integrantia unū objectum totale, & adæquatum, tunc esse unum numero peccatum. Utriusq; partis ratio est clara, nam prima constat, quia quodlibet objectum per se volitum, & ut objectum est, diversificat actum; cum ab eo actus speciem, & distinctionem sumat numericam. Secunda pars non minus apparet, quia tunc singula objecta non constituunt separatim actum, sed simul, & adæquatè, cum autem actus non specificetur per objecta inadæquata, sed adæquata, inde est, quod illa omnia objecta per modum unius volita, sunt unum tantum objectum, & ideo unum numero peccatum constituunt. Quomodo autem sumi possint per modum unius. Vide disp. 3. à n. 293.

714. Et in hoc sensu vera est doctrina Doctorum, qui n. 711. negant ex diversitate objectorū desumi distinctionem numericam peccatorum, intelligendi sunt enim de objectis inadæquatis, si nimirū sint plura, sed volita per modum unius, nec aliud probant eorum argumenta: nam furtum gregis, ovium & bibliothecæ, non multiplicatur in actu, qui ad omnes oves & libros tendit, juxta ovium, librorumve numerum, sed cum omnes oves appetantur per modum unius, ut etiam libri, unum tantum erit peccatum, quia unum tantum est objectum adæquatum: idem de eo qui destruit ædificium, licet enim destruat parietes, ligna & partes omnes, est per modum unius. Nec aliter de volitione occidendi infinitos homines, illa enim occisio est unum peccatum, & non adeo mala, ut est volitio occidendi unum hominem, quæ cum efficax possit esse, & non sit efficax volitio circa infinitorum mortem, pejor est, sed de hoc amplius. Vide disp. 3. à num. 358. ad 365.

715. Quod si illa numero objecta appetantur sigillatim, id est, volo occidere, & hunc, & illum hominem (nam simul per modum plurium unico actu attingi nequeunt; de quo disp. 1. n. 309.) asserendum est, in illo casu esse diversam numero malitiam, & diversum numero actum, quia objectum adæquatè terminat illam volitionem, & quilibet homo, verbi gratia, est objectum adæquatum volitionis: & in hoc sensu videntur loqui Doctores citati n. 709. Nec eorum argumenta amplius postulant: non enim negamus ab objectis desumi unitatem numericam, sed solum nego ab objectis inadæquatè, & per modum unius sumptis prædictam distinctionem sumi: & quod dicti Auctores loquantur in illo sensu, patet: Asserunt enim hominem volentem occidere totam familiam, in qua est clericus, ibi dari homicidium, & sacrilegium; fateor, sed in tali casu, occisio clerici, vel fuit prævisa, vel non. Si primum distinguat intellectus, planum est, actum circa clericum esse diversum, & per diversos actus voluntatis tota illa familia est volita occidi, cum concipiatur per modum plurium. Dices: Possunt in eodem actu dari plures species morales; ergo & individua, nego consequentiam: nam unum individuum morale potest constare pluribus speciebus, non individuis.

SECTIO DECIMATERTIA.

De inæqualitate, & gravitate peccatorum.

EXplicatis jam divisionibus peccatorum, & principiis, à quibus suam distinctionem desumunt, conferenda sunt inter se peccata, & videndum, an inter se paria sint, ita ut non plus unum, quam alterum peccatum Deum offendat: deinde unde peccatis adveniat major gravitas explicabitur.

SUBSECTIO PRIMA.

De æqualitate peccatorum.

716. INæqualia esse peccata, quædam aliis graviora constans est fidei veritas. Eam ex Scriptura sacra, & sanctis Patribus latè probant Pezant. 1. 2. q. 73. art. 2. ubi Valent. tom. 2. disp. 6. qu. 5. punct. 2. Vasq. disp. 99. cap. 2. Suar. tract. 5. disp. 1. sect. 2. & explicatur tam in opinione essentiam peccati constituente in aliquo positivo, quàm in opinione eamdem essentiam in privativo constituente: Nam si peccati essentia est quid positivum, non aliud est, quàm ordo, & tendentia actus in objectum; ergo quo objectum perfectiori legi fuerit contrarium, & excellentiorem virtutem destruxerit, erit objectivè pejus: atqui ex majori, vel minori malitia objectiva infertur major vel minor malitia formalis; ergo ubi objectum fuerit pejus, pejus erit peccatum: si autem peccati essentia est privatio, licet difficilè explicetur hæc inæqualitas, ut dixi sup. num. 58. aliqualiter tamen ostendi potest: quia cum privationes distinguantur per formas negatas, quo formæ negatæ fuerint perfectiores, eo privationes erunt pejores, inde quo majori virtuti fuerint oppositæ, majori bono subjectum privabunt: Licet enim omnes privationes sint æquales, in eo quod æqualiter privent subjectum forma, non enim unum subjectum plus privatum est, quàm alterum, tamen quia una privatio, perfectiori forma, seu virtute privat, dicitur deterior, inde cæcitas est privatio deterior surditate, quia forma, qua privat potentiam videndi, nimirum visio, est perfectior, quàm forma, qua privatur potentia audiendi, nimirum auditio.

717. Objiciunt tamen aliqui hæretici, ut Jovinianus, & Novatianus asserentes omnia peccata esse æqualia: Primo, Peccatum est transgressio legis; ergo æqualiter peccabunt illi, qui multum, atque illi, qui parum deviant à lege. Probatur consequentia. Præfigatur à judice linea, ea lege, ut ne quis eam transiliat, æqualiter legem illam frangeret, & qui multum, & qui parum illam transiliret; eo quod transgressio lineæ in indivisibili consistat. Respondetur negando consequentiam. Ad probationem nego primo antecedens, cum Vasq. cap. 8. num. 29. Secundo, admisso antecedente, nego consequentiam: diversa ratio est, quia linea in indivisibili consistit, nec virtuti alicui repugnat, nec subjectum virtute aliqua privat: peccata vero habent inæquales malitias objectivas, & inæqualibus virtutibus opponuntur: quin potius ejusdemmet præcepti transgressio ex circumstantiis, modo gravior, modo levior est.

718. Secundo: Nullum discrimen apponitur in sacro textu inter malos & malos, aut inter bonos & bonos, sed inter malos & bonos; ergo signum est, quod bona inter se, & mala inter se æqualia sint: nam si inæqualia forent, etiam discrimen fieret inter sola bona, & inter sola mala. Respondetur, negando antecedens, quod non foret operosum ostendere adducendo varia Scripturæ loca. Satis sit illud Joan. 17. vers. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*: Matth. 5. vers. *Omnis qui irascitur*, &c. Ex hac enim inæqualitate peccatorum, & virtutum, Beati in cœlo præmia inæqua-

lia, & damnati in inferno inæquales accipiunt pœnas.

719. Tertio, peccatum mortale habet malitiam simpliciter infinitam: atqui unum infinitum simpliciter est alteri æquale; ergo cum omnia peccata sint infinita, omnia erunt æqualia. Et confirmatur, quia ideo merita Christi Domini sunt æqualia, quia sunt infiniti valoris. Respondetur ex hoc argunento à nobis supra à numer. 185. ad 194. probatum esse, numquam posse offensam repertam in peccato esse infinitam simpliciter, evidenter enim ex ea infinitate concessa, videtur concedendam esse æqualitatem peccatorum, quæ ne concedatur, neganda est illa infinitas simpliciter in offensa, quæ reperitur in peccato.

720. Sed ne in materia fidei argumentum sine solutione relinquatur, transeat antecedens: quia solum infinitum simpliciter in omni genere, ita est infinitum, ut illo nullum possit esse majus: & quia licet in eodem subjecto, in quo reperitur infinitas, teste D. Thoma 3. p. qu. 10. art. 3. *ad tertium*, non possit dari majus, potest tamen in diverso subjecto. Respondetur tertio, distinguo minorem: unum infinitum est æquale alteri, materialiter, nego: formaliter, concedo: id est, in quantum peccatum formaliter sumitur pro illa offensa, cum sit formaliter infinitum, æquale est alteri; at vero accepto peccato pro sua malitia, quam ex objecto, & circumstantiis habet, est majus altero peccato; ut etiam merita Christi Domini, ut sunt quid suppositi divini, & secundùm illum valorem, quem à supposito accipiunt, infinita sunt, & omnia inter se æqualia, ut verò sunt bona moralia, finita, & inæqualia: licet enim valor sit æqualis, quia infinitus formaliter, non tamen bonitas, quia est materialiter infinita: per quæ etiam confirmatio soluta manet: an solvatur argumentum colliges ex dictis supra ab illo num. 185.

721. Quarto arguunt, Pœna debet proportionari culpæ: atqui pœna damni est æqualis in omnibus damnatis; ergo etiam culpa: Minorem tradunt Vasq. 1. 2. disp. 100. cap. 5. Salas in tract. 13. disp. 15. sect. 10. Respondetur, negando minorem, cum Scoto in 4. dist. 50. quæst. 6. num. 11. vers. *Ad primam*, quem inter alios sequuntur Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 13. sect. 2. n. 22, & 23. Herrera de peccatis disp. 32. q. 2. Sicut enim meritis inæqualibus, inæquale correspondet præmium, ita demeritis inæqualibus, inæqualis pœna essentialis, qualis est damni correspondet, aliter æquali pœna damni innocens in solo originali sordidus moriens, puniretur, ac Lutherus, & Calvinus; quæ solutio non solum vera est, quoad carentiam visionis, sed etiam, quoad positivum subsequens ex apprehensione status, nam si damnatus talia peccata non committeret, imo oppositis virtutibus, quas tenebatur habere, insigniretur, talem visionem haberet, qualem alius, qui illis virtutibus ornatus cœlū ingressus est, qua cum careat, etiam carentia est in illo inæqualis, ut foret visio beata, ut est in alio: tristitia etiam major est ex majori apprehensione, quam habet de defectu divinæ visionis: unde talis carentia illi damnato est magis involuntaria, ut loquitur Scotus, & ideo magis contristatur de illa.

722. Quinto arguunt, Verum & falsum in omnibus propositionibus necessariis sunt æqualia; ergo etiam bonum, & malum morale. Patet antecedens, quia nec vero quid verius, nec falso, quid falsius est. Respondetur, negando antecedens, quod etiam negat Philosophus 4. Metaph. cap. 4. docens, magis falsum esse dicere quatuor esse mille, quam esse quinque, quia licet privatio veritatis ubicumque sit æqualis, positivus tamen recessus ab eadem veritate, est inæqualis, cum unus plus recedat à veritate, quam alius.

723. Si quæras, utrum hæc doctrina de inæqualitate peccatorum, non solùm vera sit in peccatis, quæ lege naturali, & æterna, sed etiam, quæ lege positiva sunt prohibita? Respondeo affirmativè. Ita communis sententia. Videndi sunt Lorca 11. de peccatis disp. 18. Curiel. quæst. 72. art. 2. §. 3. Vasq. disput. 99. cap. 2. quia tales leges solum præcipiunt utile, & noxium prohibent: atqui etiam in bonitatibus utilibus, & in malis noxiis reperiuntur bonitates, & malitiæ inæquales objectivè; ergo etiam peccata erunt inæqualia.

724. Confirmatur: Obligationes illarum legum sunt inæquales, tanto enim strictius, & sub majori pœna obligat præceptum, quanto materia est gravior, & utilior: insuper propter respectus circumstantiarum ita aggravari possunt peccata, ut eis inæquales præscribantur pœnæ. Quare non bene Conrad. 1. 2. qu. 73. articul. 2. & Ferrar. 3. contra gentes cap. 139. oppositum docuerunt, putantes in peccatis, quibus leges positivæ transgrediebantur, locum habere doctrinam Stoicorum: licet non in peccatis, quæ lege naturali, & æterna prohibita sunt.

SUBSECTIO SECUNDA.

De gravitate peccatorum.

INæqualis cum sint peccata, quædam aliis graviora erunt, habent enim peccata suam quantitatem, & magnitudinem, quæ metaphoricè appellatur gravitas, eo quod sicut gravitate corpora à superiori loco ad inferiorem dejiciuntur, ita homo peccatis suis à Deo summo bono separatus, peccatorum pondere ad abyssum dejicitur miseriæ, quæ eo infima magis est, quo graviora sunt peccata: duplex autem est peccatorum gravitas, una essentialis, accidentalis altera; essentialis est primaria, & principalissima; accidentalis est secundaria, & advenit actui in essentiali gravitate constitutæ. In præsenti discutiendum est, unde utraque proveniat gravitas, & an accidentalis aliquando essentialem æquare possit?

PRIMA DIFFICULTAS.

Unde proveniat gravitas essentialis peccatorum.

725. REspondetur, gravitatem essentialem suam originem trahere ex objecto. Ita communiter Doctores cum sancto Thoma 1. 2. q. 73. art. 4. Fundamentum est, quia ab eodem fonte emanat essentialis gravitas, à quo profluit essentialis peccatorum differentia: atqui hæc emanat ab objecto; ergo ab eodem illa profluet. Major est certa, nam gravitas essentialis nihil aliud est, quam ille excessus malitiæ, quo unum peccatum pejus alio censetur; hic autem est ipsamet essentialis differentia.

726. Unde gravitas essentialis ex dignitate virtutis, cui peccatum opponitur, pensanda est; sicut enim, quo virtus est major, melius censetur objectum: ita quo peccatum opponitur majori virtuti & præstantiori objecto, pejus erit; opponitur autem ratione objecti in quod tendit, ideo actus tanto pejor erit, quanto, objectum pejus graviusque erit secundum oppositionem ad virtutem, & bonum, cui opponitur: ex quo oti-

tur, illa peccata esse graviora, quæ immediatè contra Deum fiunt, quia præstantiori bono opponuntur, ut infidelitas, desperatio, odium Dei, blasphemia, & similia: peccata vero, quæ immediatè contra hominem fiunt, graviora erunt secundum oppositionem majoris virtutis: homicidium gravius peccatum erit, quam sit furtum, quia furtum bonis, homicidium substantiæ hominis opponitur, inde majori bono homicidium hominem privat, scilicet vita, quam furtum, quod solum hominem privat fortunæ bonis.

727. Objicies primo: Infidelitas, & desperatio majus peccatum sunt, quam odium Dei: & tamen charitas, cui opponitur odium, perfectior virtus est, quam fides & spes, quibus & infidelitas, & desperatio opponuntur; ergo non est gravius peccatum, quod præstantiori virtuti opponitur. Respondetur negando majorem, rectitudo enim charitatis in Deum, inter omnes virtutes melior est, & consequenter odium Dei est pejus, quam infidelitas, & desperatio, imo pejus ipsa carentia divinæ visionis, cum privet voluntatem dilectione Dei, quæ nobilior, & melior rectitudo est.

728. Secundo, sequitur in rebus naturalibus, imperfectiorem qualitatem opponi perfectiori: atqui hoc est falsum; ergo, &c. Minor probatur, quia calor est inter omnes perfectissima qualitas, & tamen opponitur frigori, quod est etiam perfectissima qualitas. Respondetur, distinguo majorem, absolutè, nego: secundùm ordinem ad objectum, concedo: possunt enim absolutè duæ qualitates esse perfectissimæ, & una alteri opposita; sed per ordinem ad objectum, illa cui perfectissima qualitas opponitur, est imperfectior, ratione majoris boni, quo privat: ac proinde comparatio fieri debet per ordinem ad subjectum, & non absolutè, quo ordine ad subjectum spectato, quo una qualitas est perfectior subjecto, opposita eidem qualitati, imperfectior est: deinde nego minorem: ad probationem respondeo, utramque qualitatem, & calorem, & frigus absolutè, secundùm suas rationes formales perfectissimas esse, attenta tamen ratione mali, id est, disconvenientiæ ad subjectum, omnium imperfectior qualitas, est frigus, quia est majus malum per ordinem ad subjectum, quod perfectissima qualitate, nimirum, calore, privat.

729. Tertio, sequitur omissionem sacri esse gravius peccatum, quam homicidium; & furtum pejus esse peccatum, quam nefandum crimen. Sequela probatur, quia omissio sacri religioni, homicidium justitiæ, furtum justitiæ, nefandum crimen temperantiæ, opponitur: atqui religione est justitiæ virtus imperfectior, sicut perfectior est eadem justitia virtute temperantiæ; ergo, &c. Respondetur, distinguo sequelam, quoad malitiam, & gravitatem essentialem, concedo: quoad gravitatem totalem, essentialem scilicet, & accidentalem, nego: de quo difficultate tertia.

730. Advertunt hic communiter Doctores, cum in virtutibus detur latitudo, deberi comparari peccata secundum totalem virtutis destructionem, secundum quam pensanda est major gravitas peccati, nam si unum peccatum inferiori opposită virtuti, totam destruat virtutem, & alterum peccatum perfectiori virtuti oppositum tantum virtutis gradum destruat, tunc hoc peccatum, illo levius judicandum est: Verùm ego huic advertentiæ non acquiesco; quia licet peccatum oppositum inferiori virtuti, totam destruat; & oppositum superiori, gradum tantum destruat virtutis; tamen gradus ille specificus superioris virtutis, perfectior est totali virtute inferiori; gradus enim essentialis charitatis, perfectior est omni temperantiæ virtute: & ideo semper peccatum oppositum superiori virtuti, licet tantum ejusdem gradu privet subjectum, gravius peccatum est, quàm peccatum oppositum inferiori virtuti, etiam si totam destruat virtutem; quia privans subjectum illo gradu superioris virtutis, majori bono privat, quam privat peccatum destruens totam virtutem inferiorem.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Unde proveniat gravitas accidentalis peccatorum.

731. RESpondetur provenire ex circumstantiis. Operosum opus se offerebat, si ab eo non essemus liberati, dum disputatione 3. sect. 7. circumstantiarum numerum & officia erga bonitatem & malitiam exactissime explicavimus. Ex iis, quæ ibi disputavi, constat numerum circumstantiarum septenario claudi: ita tota subsectione prima: omnes esse accidentia actus humani in genere physico, & morali in specie, & in individuo, subsectione secunda: ab omnibus circumstantiis non solum augeri bonitatem & malitiam actus, ut ostendi subsectione quarta; sed etiam superaddi novam bonitatis, & malitiæ speciem: subsectione quinta, quamvis quæ superaddunt novam speciem, & malitiæ, & bonitatis, non maneant in ratione circumstantiæ, sed objecti respectu specierum quas superaddunt, quamquam veræ circumstantiæ sint, respectu speciei præsuppositæ in actu, ita subsectione sexta, & omnes etiam, quæ mutant speciem, esse accidentia, & augere accidentaliter bonitatem, & malitiam, quam in actu præsupponunt, ita subsectione septima: denique aliquam esse circumstantiam, quæ tribuit primam speciem bonitatis, & malitiæ actui, subsectione octava: quæ omnia necessario præ oculis habenda sunt ad præsentis difficultatis solutionem.

732. Ex quibus, dico primo gravitatem accidentalem multitudinis desumi ex circumstantiis addentibus novam speciem, sive mutantibus speciem: Probatur, quia quantitas multitudinis, est unus actus cum duplici specie malitiæ: atqui illa circumstantia addit novam speciem malitiæ actui; ergo multiplicat gravitatem accidentalem malitiæ, cum actus non apposita illa circumstantia, unum specifice foret peccatum: & quamvis respectu actus, ista gravitas sit essentialis, si quidem duplicem habat essentialem speciem, tamen eam appello accidentalem, quia comparata cum prima specie, est vera circumstantia, & accidens respectu illius; & ut sic accepta etiam aggravat illam primam speciem malitiæ, quam præsupponit, ut citata sectione 7. subsectione 7. probatum est.

733. Dico secundo: Ex omnibus circumstantiis provenit gravitas accidentalis peccatorum: Hæc conclusio latè probata est illa disp. 3. sect. 7. subsect. 4. nec erat cur de novo assumeretur novum probationis onus, cum omnia ibi latè discussa sint. Verùm, quia ex nova probatione plenior notitia datur de gravitate malitiæ, quam causant prædictæ circumstantiæ, noviter conclusionem probo discurrens per singulas circumstantias, ut citata subsect. 4. etiam processi.

Circumstantia quis *aggravat peccatum.*

734. CIrcumstantia *quis* significat personam tam offendentem, quam offensam: utroque modo, & mutat speciem, & aggravat peccatum. Quod mutet speciem probavi disp. 7. subsect. 5. numero 393. de persona offendente; de offensa constat, in eo qui clericum occidit; quod verò aggravet peccatum, ostendi ibi subsect. 4. num. 343. nam dignitas personæ offendentis multum aggravat peccatum, eo quod tales personæ possint facilè resistere tentationibus ratione auxiliorum, plusque Deo debent Princeps, Pontifex, religiosus, inde propter ingratitudinem specialem, graviori pœna mulctanda sunt eorum scelera. Optime S. Isidor. lib. 2. de summo bono cap. 19. *Tanto maius cognoscitur peccatum esse, quanto maior qui peccat habetur.* Vide Fagundes in quinque præcepta, præcepto 2. lib. 4. cap. 3. eodem modo crescit peccatum ex dignitate personæ offensæ, quamquam enim qui Regem, Episcopum, aut hominem sanctioris vitæ offendit, non faciat novum peccatum, aggravat tamen ex eo principio, quod *quanto persona est dignior, & communi bono utilior, tanto maior reverentia ei debetur.*

735. Quæ autem dixi circa gravitatem peccati ex circumstantia personæ offendentis, intelligenda sunt de peccato ex malitia, non verò de peccato ex subreptione, & infirmitate humana; cum enim homines constituti in dignitate sint magis solliciti in reprimendis vitiis, si aliqua eveniunt absque deliberatione, minus voluntaria censentur: nec etiam de peccato, quod est injuria proximi, nam quo vilior est persona, quæ injuriam infert, eo majus est peccatum, dum injuria sit facta immediatè contra personam, & non contra bona fortunæ. Vide Salas tract. 13. disput. 5. sect. 17. num. 192. è contrario verò, si persona dignior infert injuriam personæ vili, minus peccatum est, majus si bonis fortunæ inferat injuriam.

Circumstantia quid *sive nocumenti, aggravat peccatum.*

CIrcumstantia *quid* non personæ, sed materię qualitatem, ut si res est sacra; quantitatem, ut si furtum est grave, & nocumentum subsequutum significat.

736. Dico primo, Ex qualitate materiæ, sæpe additur nova species malitiæ actui, ut apparet in furto vasis sacri, & ostendi illa sect. 7. num. 394. quando verò non mutat materiam, nec addit novam speciem, reducitur ad quantitatem, aggravatque peccatum, sed non multum, ut si quis furetur vas, solum in æstimatione magnum de quo Suar. tom. 4. de relig. disputat. 22. sect. 5. numero 34.

737. Dico secundo, Quantitas materiæ non addit novam speciem actui; sed tantum gravitatem, ut si quis furetur centum aureos, quis dubitat majus, graviusque esse peccatum, quàm si aureum furatus fuisset? Vide numer. 344. disputat. 5.

738. Circa nocumentum, notandum est, aliud esse loqui de nocumento, ut est peccatum; aliud ut est, voluntarium tantum: nam quæ sunt tantum voluntaria, non requirunt pręceptum, sed sufficit, quod per se pręvideantur oriri ex causa ad hoc ut voluntaria sint, juxta ea, quæ latè disputavi disput. 1. à num. 226. ad 240. nam nocumentum quod per accidens pręvidetur futurum, nec physicè est voluntarium, ut ibi dixi à n. 241. ad num. 245. posito autem pręcepto, quo per se prævidentur oriri ex causa, sunt peccata, nisi impediantur, ut etiam quæ per accidens sine præcepto non erant voluntaria, posito pręcepto oriuntur jam ex causa, & voluntaria sunt, & peccata; ex eis, quæ eo loco tradita sunt à n. 240. ad n. 249. quo posito

739. Dico tertio, Nocumentum, quod in causa prævidetur futurum, & ex præcepto tenetur quis impedire, licet non intendatur per se & formaliter, sed solum indirectè, ac virtute in causa, vel est novum peccatum, id est, novam addit speciem malitiæ, vel gravitatem addit peccato; quia illud nocumentum est voluntarium, & prævisum; teneturque homo illud impedire ex pręcepto; ergo si non impeditur, peccat: verbi gratia, pręvidet homo, si incidat in ebrietatem, fore ut hominem occidat, & tamen non impedit causam ex qua homicidium illud sequendum est; ergo vult homicidium, quod cum sit prohibitum, & nova species peccati, proculdubio ebrietati addet illam speciem peccati: homo enim prævidens peccatum futurum, tenetur illud impedire, si possit sine majori damno, ideo non peccat, qui mutuum ab usurario petit, de quo Bonacin. tom. 2. disp. 2. q. 4. punct. 2. num. 22. quæ doctrina à fortiori locum habet in nocumento, quod per se & formaliter est volitum, & intentum.

740. Dices, Ex hac doctrina sequitur, si quis inducat fœminam ad peccatum, ob solam delectationem, non intendens ejus ruinam spiritualem, aggravare peccatum illud luxoriæ, si prævisa fuit ruina spiritualis: hoc autem est falsum; ergo, &c. Probatur minor, quia jam inducens fœminam ad peccatum, majus peccatum committeret, quam si eam occideret. Probo hoc antecedens, quia gravius peccatum est illa ruina, & mors spiritualis, quam corporalis.

741. Multum circa hoc argumentum spatiantur Doctores, ego ex communiori doctrina, quam tradunt Curiel 1. 2. q. 73. art. 8. dub. 5. Herrera disp. 32. qu. 17. concedo sequelam, nego minorem: ad probationem concedo antecedens: nec est inconveniens, imo verum, quod mors spiritualis, sive directè, sive indirectè prævisa, & non impedita, sit majus peccatum, quàm mors corporalis: nam si directè intenditur illa ruina spiritualis, pejor est morte corporali, eo quod non minus sit irreparabile malum, & majori virtuti opponatur, nimirum charitati; si indirectè intenditur, ut sic ruina spiritualis est objectum volitionis peccaminosæ, & pejus objectum, quàm sit mors corporalis, nam res non constituitur in ratione objecti propter modum quo fit, aut intenditur, sed propter malitiam, quam habet, & quæ apprehenditur: actusque ex quo sequitur voluntaria illa mors spiritualis, est idem in specie, ac si directè intenderetur; & per consequens non minus opponitur charitati, mors spiritualis indirectè volita, ac si directè intenderetur.

742. Dices: Si hæc doctrina vera est, duo sequuntur absurda. Primum, inducens ad peccandum venialiter, pejus peccaret quàm homicida: Patet, quia peccatum veniale majori bono privat, quàm mors, illud enim privat spirituali, hæc corporali bono. Secundum, interficiens plures homines levius peccaret, quàm si fœminam induceret ad actum illicitum. Respondetur negando sequi aliquod absurdum: non enim sequitur primum, si quidem magis peccaret homicida,

quàm inducens ad peccatum veniale, eo quod homicida peccat mortaliter, inducens ad veniale, tantum venialiter: ut communiter resolvunt Doctores. Videantur Vasq. 1. 2. q. 73. art. 8. disp. 1. 2. cap. 7. à num. 23. Bonacin. §. *unico*, num. 10. Licet enim inducens ad veniale, privet majori bono, quàm homicida, illud tamen bonum quo privat, nec strictè jubetur, nec causat aliquam inordinationem, homicidium verò, & prohibetur strictius & inordinationem causat: unde bonum, quo privat homo inducens ad veniale, est materialiter majus, & formaliter minus: eo quod major obligatio reperitur in peccato mortali, & homicidium majorem inordinationem causet, vita si quidem majus bonum est. Nec secundum est absurdum, plures si quidem homines homo interficiens, levius peccaret essentialiter, licet gravius accidentaliter, quoad moralem æstimationem.

743. Unde nocumentum, nec prævisum, nec intentum, si potuit, & debuit prævideri futurum, & defectu diligentiæ necessariæ contigit, culpabiliter sequitur, & attribuitur culpæ, ac si prævideretur: cum enim teneretur majorem facere diligentiam, non caruit culpa omittens necessariam, & debitam; dummodo nocumentum per se oriatur ex causa: nam si per accidens oritur, cum non contineatur in causa virtute, nullatenus attribuetur: Quare si quis emittens sagittam, putans se interficere feram & hominem interficiat, eo quod debitam non præstavit diligentiam, defectu cujus homo est interfectus, commisit homicidium: quod si circa illud nocumentum detur ignorantia inculpabilis, & inconsideratio, tunc non imputabitur homini ad culpam, de quo plura disput. 2. tota sect. 9. Viderique possunt, Salas tract. 13. disp. 15. sect. 16. Herrera disp. 32. q. 15.

744. Verum est quod non semper illa ignorantia culpabilis, est sufficiens, ut nocumentum attribuatur; nam si quis comedat, & ex comestione oriatur ægritudo, quæ nec prævisa fuit, nec intenta, non statim imputanda est culpæ: & si quis nocumentum evitare non potest absque gravi damno, sive honoris, sive vitæ, non tenetur illud evitare, nisi nocumentum tale sit, quod præferri debeat, & honori, & vitæ.

Circumstantia ubi *aggravat peccatum.*

745. SÆpe circumstantia *ubi*, est impertinens, quę ad malitiæ gravitatem nihil interest; quid enim interest, quod homicidium fiat in agro, an in villa? in domo, an in platea? sed multoties prędictæ circumstantiæ non sunt impertinentes, & sæpe variant speciem, pręsertim in tribus casibus, sive speciebus malitiæ, injustitiæ, & scandali, generalis, ad quod excitatur pusillorum trepidatio: est enim injustitia si fiat contra honorem, famamve: si fiat in loco sacro, est sacrilegium de quo disputat. 3. numero 394. non tamen omne peccatum factum in loco sacro est sacrilegium, ut eo loco numer. 395. dixi: quia, sacrilegium non causatur ratione loci sacri, sed prohibitionis Ecclesiasticæ, qua deficiente, peccatum in eo factum, non est sacrilegium: inde turpia verba, delectationes venereæ excusantur à culpa sacrilegii, quia non sunt prohibitæ speciali præcepto Ecclesiastico, non tamen excusantur ludi turpes, turpia spectacula, aut comœdiæ profanæ, si quidem prohibentur, in cap. *Cum decorem*, de vita, & honestate clericorum: nec rixæ, nec seditiones à tali sacrilegio excusari possunt, prohibitæ etenim sunt cap. *Decet*, de immunitate in 6.

746. Objicies cum Suario tom. 2. de relig. lib. 3. cap. 7. num. 10. Salas Azor, Pirigian. & Hortis. Omne peccatum externum in loco sacro factum habet rationem sacrilegii, ex eo solum, quod in eo loco sit factum. Probat antecedens ex Paulo 1. Corint. 11. apud quem comessationes in Ecclesia damnantur, & ex facto Christi erga mercaturas in templo exercitas: atqui pro tunc comessationes & mercaturæ erant per se licitæ; ergo sunt tantum malæ ratione loci sacri. Respondetur, negando antecedens: ad probationem distinguo minorem: formaliter, concedo: causaliter nego: actiones enim illæ malæ erant ratione effectus, quia scilicet impediebantur laudes divinæ, & ideo malæ erant, sed non sacrilegia defectu prohibitionis.

De circumstantia quibus auxiliis.

746. QVod hæc circumstantia, vel addat novam speciem peccati, vel tantum peccatum aggravet, dixi disputat. 3. num. 346. & 396. cum enim per circumstantiam *quibus auxiliis* significentur media ad consequendum finem: hæc media, vel sunt homines, vel res ab hominibus diversæ: si sunt homines, aut sunt tantù auxiliatores qui inducant ad peccandum, aut sunt instrumenta, quę assumuntur ad tertiæ personæ damnum inferendum: aliæ res, sunt illa instrumenta, quibus peccatum exequimur, ut arundine vulnus. His positis.

747. Dico primo: Quando quis utitur hominibus, ut auxiliatoribus tantum: non committit homo duplex, sed unum peccatum, idem scilicet, quod committitur ex malitia objectiva; quando autem inducit illos homines ad peccatum, intendens directè, vel indirectè peccatum illorum, tunc duplex committitur peccatum: unum speciale scandali activi, alterum ipsummet peccatum, ad quod inducit, qui enim est causa moralis per se peccati; est simul reus illius peccati, ut dixi disp. 5. num. 396. quod si inducens homines ad peccandum, simul peccet, novum committit peccatum, proprię scilicet personæ, etiamsi illud peccatum sine consortio fieri posset: ita Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 22. sect. 5. Bonacin. tom. 2. disput. 2. qu. 4. punct. 2. §. *Unico*, num. 5. Licet enim sit unus actus in genere physico, habet tamen plures deformitates, ut scandali oppositò charitati; & carnis, verbi gratia, oppositi castitati.

748. Sed quid dicendum est, si quis cooperetur, & inducat ad peccatum, quin proximi ruinam intendat, nec prævideat? Respondeo, si ruina per se sequatur, & detur ignorantia culpabilis, peccare talem hominem peccato scandali, de quo supra num. 743. non tamen si effectus per accidens sequatur, ut ibi notavi: si tamen homo, qui inducitur ad peccatum paratus sit ad illud peccatum faciendum, non committit inducens novum peccatum inductionis, ut bene Fagundes præcepto 2. lib. 4. cap. 5. n. 1. & 3. Soar. sect. 4. n. 18. & alii, quos sequitur Diana 1. p. tract. 7. resolut. 24. eo quod persona sine inductione ad peccatum faciendum parata erat, & fieret, etiamsi non daretur inductio.

749. De aliis rebus, quę ut instrumenta assumuntur; Dico secundo, si sunt prohibitę, novam addunt speciem malitię, eo quod novam ex prohibitione, & diversam deformitatem dicunt ad rationem ab ea, quam, dicunt peccata ex ob-

jectu: si verò non sunt prohibitæ, habentur tamen ex usu communi pro instrumentis maximum dedecus afferentibus, ut arundine, vel colo, mors, aut vulnus factum, aggravant peccatum. Vide disp. 3. n. 347.

De circumstantiis cur, quomodo, quando.

750. CIrca circumstantiam *cur* sive finis, nihil occurrit addendum, cum plenissimè disputatum sit non solum sæpe tribuere actui primam speciem, disp. 3. sect. 7. subsect. 8. sed augere, & mutare speciem malitiæ, tota sect. 8. disput. 3. idcirco

751. Transeo ad circumstantiam *quomodo*, remissionis scilicet, & intensionis actus, quam aggravare malitiæ speciem dixi disp. 3. num. 348. non enim intensio & remissio variant speciem actus, sed augent eamdem speciem actus, ut docent sancti Patres, apud Salas tract. 13. disputat. 5. sect. 5. num. 51. an aliquando mutet speciem actus hæc circumstantia? affirmavi disput. 3. numero 398.

752. Tandem circumstantia *quando*, cum vel significet tempus in quo exequi debet præceptum: vel actus durationem; hæc duratio solum auget malitiam peccati; de quo disp. 3. num. 399. Tempus si est præscriptum ad operandum, vel non operandum ex præcepto, tenemur juxta materiæ qualitatem illud observare, ut audire sacrum die festo, recitare Horas Canonicas quotidie. Cum ergo præceptum tempori affigatur, si tempus transeat, & non observetur præceptum, committitur peccatum, non enim obligatio pro illo tempore ad aliud transferri potest.

753. Si quæras, utrum ex eo, quod præceptum frangatur in tali tempore, nimirum in die festo, addatur nova species malitiæ peccato, quo frangitur præceptum: verbi gratia, si quis furetur in die festo. Respondetur negativè: est sententia D. Thomæ, & multorum, quos referunt & sequuntur Suar. tom. 1. de religione, tract. 2. lib. 2. cap. 18. & tom. 4. in 3. p. disput. 22. sect. 4. Vasq. tom. 4. in 3. p. q. 91. art. 1. dub. 4. Fagundez in quinque præcepta præcepto 1. lib. 1. cap. 6. n. 2. 1. præcepto, lib. 4. cap. 3. num. 26.

Probatur, quia præceptum de servando festo, solum prohibet opus servile, quod per mechanicas artes exerceri potest, & alia opera non servilia, ut forensia, mercaturas, & similia, à Suario citato loco de religione latissimè explicata, & ab Henriq. lib. 2. de Pœnit. cap. 6. atqui peccatum mortale, qua tale, non est opus servile, nec ex operibus per illud Ecclesiasticum præceptum prohibitis, ut constat ex cap. 1. de feriis; ergo ex eo, quod committatur peccatum mortale in tempore festo, non committitur novum peccatum.

754. Oppositum docuerunt Silvest. Major. Angelus, Adrian. Gabriel, Catharin. Cajetan. S. Antoninus, & Covar, quos allegat Fagundes citato præcepto 2. quia opus peccati est maxime servile juxta illud, *Qui facit peccatum, servus est peccati*; contrarium cultui divino, & ejusdem cultus impeditivum: atqui hæc opera prohibentur fieri die festo, ut constat ex cap. 1. de feriis, in quo prohibetur opus illicitum. Respondetur negando minorem, quia illo in cap. 1. de feriis, solum prohibentur opera corporalia, non mentalia, & spiritualia; homo autem cum dicitur servus peccati, non est, quia aliquod servile opus exequitur, sed quia per peccatum iterum in diaboli redigitur servitutem, & licet peccatum impediat finem præcepti, finis præcepti sub præceptum non cadit, juxta D. Thomam 1. 2. qu. 96. articul. 3. caput verò primum de feriis intelligitur de opere illicito servili.

755. Quæ resolutio adeò vera est, ut nec ex illo alio præcepto naturali, quo jubemur sancta sanctè tractare, sit novum peccatum, peccatum committere in die festo: quia tempus non violatur per peccatum; nisi peccatum violet actionem sacram; ergo non habet locum illud præceptum naturale in præsenti casu: Patet antecedens, quia tempus est quid successivum, & non aliter sanctificatur, quàm determinando actiones sacras, quæ in illo fieri debent, ideo non aliam habet sanctitatem, quam illarum actionum; ergo si hæ non violantur, non committitur peccatum novum.

756. Dices: Qui peccat in loco sacro, duplex committit peccatum, unum contra virtutem, cui immediatè opponitur peccatum; alterum contra virtutem religionis ratione loci sacri; ergo similiter duplex committit peccatum, qui mortale committit in die festo: unum contra virtutem cui opponitur malitia ex objecto, alterum diversæ speciei contra reverentiam debitam diei festo. Respondetur negando consequentiam. Diversa ratio est, quia locus sacer est quid permanens, & capax consecrationis spiritualis, & summæ venerationis, quem proinde violat, qui peccat, tempus est quid successivum, & dictæ consecrationis incapax.

DUBIUM INCIDENS.

Utrùm prædictæ circumstantiæ aggravantes malitiam actus, sint de necessitate confessionis?

757. AB hac quæstione, utpote, quæ materiam de pœnitentia spectat brevi me expediam, unum enim in illa supponitur, & alterum inquiritur: Supponitur, circumstantias mutantes speciem esse necessario confessario aperiendas, sic enim expressè definitur in Tridentino sess. 14. cap. 5. Inquiritur, utrùm eadem necessitate illæ circumstantiæ, quæ non variant speciem, sed aggravant malitiam actus, sint de necessitate confessionis?

758. Duplex est sententia extremè opposita: & una media. Prima docet esse necessario confitendas; ita ex antiquis Alensis, Altisiodorens. Major, Scotus, Victoria, Cajet. ex recentioribus Suar. Nugnus, Henriquez, Sanchez, Lhamas, Fagundes, Ægid. Bellan. Ioannes de Lacruz, Carrillus, Fabrus, Petrus Fay, & Silvius: quos refert Diana 1. p. tract. 7. resolut. 1. Lavorius, Estius, Rebellus, Guttierrez, & Maldonatus apud Dianam p. 3. tract. 4. resolut. 67. Samuel Lubblinus, Lopez, Torreblanca, Antonius Fernandez, Moure, Candidus, & Franciscus Feliz, quos refert noster Leander de sanctissimo Sacramento, in moralibus Theologicis quæstionibus, 2. p. tract. 5. & p. 8. q. 4. Villalobus in Summa tom. 1. tract. 9. dub. 36. n. 6.

759. Secunda sententia docet non esse circumstantias aggravantes necessario confitendas. Ita D. Thom. in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. q. 5. S. Bonavent. dist. 17. q. ultima, Durand. Gab. Paludan. Carthusian. Almainus, Ovandus, Herrera, Adrian. Turrecremata, Vigueirius, S. Antoninus, Covarruvias, Silvester, Angelus, Armilla, Summa Confessorum, Corduba, Medina, Navarrus, Alphonsus Regius, Vasques, Reginald. Valent. Lessius, Zanardus, Giprius, Ortiz, Ochogavia, Ioseph de ortu parochi, Ioannes Sancius, Putcanus,

Pezantius, Zerola, apud Dian. citata 1. p. tract. 7. resolut. 1. Becan. Granad. Naldus, Philiaraus, Molfedius, Tannerus, Catassam: apud eumdem Dianam 3. p. tract. 4. resul. 67. Cælestinus, Bartholomæus à S. Fautu, & Mancinus apud Dian. 3. p. tract 14. resol. 56. Turrian. Cardinalis de Lugo, Castro Palaus, Baunyus, & Trullens. quos refert, & sequitur citatus Leander, citata qu 41. Addo Richard. in 4. dist. 17. art. 3. q. 2. Perez de pœnit. disp. sect. num. Probabilem judicant hanc sententiam ex oppositæ opinionis auctoribus Henriques, Fagundes, Pitigianus, Fabrus, & Villalobos.

Refertur etiam Scotus in 4. dist. 17. num. 20. sed Scotus pro utraque referri potest, docet enim tutius esse, confiteri illas circumstantias, non tamen esse certum, an sit necessarium: Media sententia asserit non omnes esse necessario confitendas, sed solum eas, quæ notabiliter aggravant malitiam peccati.

760. Ego negativæ sententiæ subscribo, multo enim mihi probabilior est: ex duobus potissimum fundamentis. Primo, quia agens Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. de materia necessaria ad sacramentum Pœnitentiæ, statuit necessariam materiam, esse peccata mortalia, & circumstantias variantes speciem; ergo non alia est materia, non enim credi potest, quod idem Tridentinum se habuerit negativè, relinquens cujuslibet arbitrio materiæ necessitatem, ex qua dependet validitas sacramēti pœnitentiæ, & evitatio multorum sacrilegiorum, quæ fieri possunt, dum in confessione tacetur circumstantia aggravans peccatum, si enim necessaria est circumstantiarum cōfessio, invalidum erit sacramentum, & mille committentur sacrilegia, si earum confessio non fiat; ergo si non expressit earum necessitatem, proculdubio fuit, quia intellexit non esse necessariam: nam si aliter sentiret, nullatenus sub judice relinqueret talem necessitatem, ut non omisit exprimere, & peccatorum, & circumstantiarum variantium speciem peccati.

761. Secundo, quia vel probabilitas major sumitur ex ratione, vel ex auctoritate: Si primum, ratio est pro opinione negativa: cum enim tam magna, quàm parva quantitas, tam major, quam minor duratio & intensio actus, sub eodem præcepto prohibeantur, cum non detur præceptum de circumstantiis, sed de materia volenda, vel non volenda; satis erit confiteri id quod præceptum est, non verò necessariò confitendum erit id quod nec præcipitur, nec prohibetur; cum enim peccatum sit contra præceptum, & non circumstantiæ, non erunt peccata, nec prohibitæ, aut præceptæ: præcipuè, quia populus rudis nescit inter circumstantias distinguere, & quod magis est, ex opinione affirmativa ita redditur sacramentum pœnitentiæ odiosum, ut ne circumstantias turpes confiteretur quispiam, præcipuè si fuerit aliqua virgo, præ timore, sacrilegium committeret, ut experientia constat.

762. Deinde auctoritas est pro hac opinione negativa, sive numerum, sive qualitatem spectemus: numerus enim major est, ut legenti constabit. Magna auctoritas est Doctorum partis affirmativæ, satis ut judicetur probabilis: prævalet tamen auctoritas Doctorum partis negativæ. eo quod licet in cæteris detur æqualitas, Div. Thomas. D. Bonaventura, & Scotus tum ob eminentiam doctrinæ, tum ob approbationem sanctitatis, sine aliorum injuria præferri debent.

763. De media illa opinione non est cur agamus: improbabilis certe videtur ex eo quod arbitraria sit cum non detur diversa ratio, cur potius hæ, quam illæ circumstantiæ debeant confiteri: nam sicut aggravantes non impediunt sufficientem notitiam confessoris, ita nec notabiliter aggravantes, sicut enim satis est dicere, commisi mortale, ut confessor notitiam sufficientem habeat, si non confiteantur aggravantes circumstantiæ, ita etiam eamdem habebit, si nec notabiliter aggravantes confiteantur. Addo tamen, si confessori videatur, quod non plene est instructus de conscientia pœnitentis ex confessione peccati præscissi à circumstantiis, jus habere interrogandi quidquid ad ejus plenam instructionem est necessarium, & juxta interrogata à confessore, illi respondere debet pœnitens.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrùm adeo crescere possit gravitas accidentalis in peccatis oppositis virtutibus inferioris ordinis, ut superetur gravitas essentialis peccatorum, quæ opponuntur virtutibus superioris ordinis.

765. RESpondetur negativè, quantumvis enim in peccatis oppositis virtutibus inferioris ordinis crescat & augeatur gravitas accidentalis, & ex circumstantiis desumpta, numquam potest superare malitiam desumptam ex objecto opposito superiori virtuti: addantur injustitiæ quæcumque adminicula malitiæ, quæ ei addi possunt ex circumstantiis; tota illa injustitiæ malitia ex objecto, & circumstantiis conflata non æquabitur odio Dei: ita Vasq. disp. 79. art. 3. in commentario num. 21. art. 4. num. 28. ibi Curiel §. 1. Herrera disp. 32. de peccatis qu. 3. §. *Prima conclusio.* & certa redditur hæc conclusio, si circumstantiæ aggravantes non debeant ex præcepto, & necessitate aperiri in confessione, de quo supra à n. 757.

766. Probatur primo: Peccatum inferiori virtuti oppositum, vel inferioris speciei, est essentialiter levius, quàm peccatum oppositum superiori virtuti, aut superioris speciei; ergo licet peccatum inferioris speciei crescat in malitia accidentali ex circumstantiis, quæ non mutant speciem actus, semper in ratione peccati erit levius. Antecedens est etiam contrariorum: consequentia patet, quia essentia peccati semper est eadem, nec per quæcumque accidentia mutatur, nec gravitas accidentalis cum essentiali numerum facit, ut apparet in accidentibus naturalibus. Confirmatur: Ponamus duas species naturales, unam perfectioris ordinis essentialiter, alteram imperfectioris, etiam possibilium ornatu, imperfectior in essentia species, & perfectior solum suis insigniatur accidentibus: quæro, quæ ex illis speciebus erit perfectior, equus ne, an homo? sint hæ, illæ duæ species: certè homo, eo quod una species in infinitum ab alia censeatur distare, in quo principio fundatur illa doctrina, quæ docet cælum esse ignobilius formica: & quæ negans possibilitatem substantiæ supernaturalis, admittit intellectum lumine gloriæ illustratum, quacumque substantia esse imperfectiorem. Contra sentiunt Thomistæ, præcipuè Soto lib. 4. de justitiæ, q. 6. art. 3. lib. 5. q. 10. art. 5. ex quo ortum habuit querimonia illa Medinæ 1. 2. qu. 73. art. 3. ubi conquiritur de Thomistis, qui oppositum tuentur. Est communis inter recentiores. Suarez 1. 2. tract. 5. disp. 2. sect. 2. Lorca disp. 19. illi adeò tenaciter adhærente sententiæ, ut nostram temerariam, imo plusquam temerariam appeller.

768. Fun-

768. Fundamentum est, quia peccatum inferioris ordinis & imperfectioris speciei, sæpius graviori pœnæ subjacet, quàm peccatum speciei superioris; majori si quidem pœna mulctatur furtum grave, & urbis excidium apud Deum, & apud homines, quàm omissio sacri, ergo est majus malum. Respondetur, distinguo consequens: in ratione peccati, nego: culpæ concedo: diverso modo enim sumitur malum, ratione peccati, & ratione culpæ: nam peccatum dicit formaliter dissonantiam ad legem, culpa vero ordinem ad pœnam, ut exposui disp. 3. n. 108 n. cum Scoto, & explicat etiam Herrera de peccatis disputat. 32. q. 3. §. *secundo notandum*: ideo in ratione peccati majus malum est omissio sacri, quàm furtum, non tamen in ratione culpæ.

769. Instares: Ergo erit majus peccatum quoad essentiam. Respondetur, nego illationem, quia pœna non respondet rationi formali peccati, sed culpæ: nam peccatum sine pœna dari potest, nimirum si Deus peccatum non ordinet ad pœnam, culpa verò cum essentialiter sit respectus ad pœnam, semper eam pœna comitatur: ideo cum culpa sumatur ex tota malitia penès æstimationem hominum, & Dei; succedit, quod plus æstiment nocumentum accidentale factum hominibus, quàm malitiam essentialem: hinc videre est maximam differentiam inter naturale & morale individuum; illud enim semper sumitur secundùm suam naturalem, & specificam perfectionem: morale vero attendit & nocumentum, & hominum æstimationem, juxta quam pœna est major, vel minor, quia in ratione culpæ major videtur ex damno, & ex æstimatione, inde possunt dici talia peccata, quæ cum sint inferioris essentiæ, gravius puniuntur, majora, gravioraque ex judicio, non ex essentia.

770. Dices: Peccatum est majus secundùm majorem æstimationem, & ex judicio; ergo & absolutè in se. Patet consequentia: peccatum est quid morale; ergo secundùm moralem æstimationem est absolutè gravius. Probatur consequentia, quia æstimatio hominum commensurari debet essentiæ rei. Respondetur, nego consequentiam: ad probationem, nego consequentiam: & cum probatur, nego antecedens: Sufficit enim, quod commensuretur essentiæ, & accidentibus essentiam peccati aggravantibus: Non enim attendit illa æstimatio quod est in essentia, sed quod est in damno, & nocumento, & cum sæpissimè circumstantiæ tales sint, imo & talis qualitatis essentia peccati inferioris virtutis, ut majus damnum inferat reipublicæ, quam inferret gravitas peccati, quod opponitur superiori virtuti, ut apparet in eo, qui homines occidit, nefanda committit, inde est, quod plus ponderet culpa inferioris peccati, quàm superioris, ad effectum pœnæ.

771. Urgebis: Si quis habeat mille scuta aurea, & duo millia argenti, majoris valoris, & æstimationis erit summa argenti, quam auri, & tamen aurum, & argentum differunt specie, & aurum est superioris speciei, & perfectioris, quàm argentum; ergo licet superiori, & inferiori virtuti peccata opponantur, tantum poterit crescere peccatum inferiori virtuti oppositum, ut superet valorem superiori virtuti oppositi, peccati. Respondetur, distinguo majorem, secundùm essentialem perfectionem, nego: secundum quid, & quoad valorem, & æstimationem hominum, concedo: nam minima pars auri, in sua perfectione essentiali, adeo excedit argentum, ut universa argenti summa illam essentialem perfectionem non superet, nec ei adæquetur: eo modo, quo ab hominibus pluris fit gemma pretiosi valoris, quam equus, imo & quàm homo: equus etiam majori pretio emitur, quàm homo, & nemo potest dubitare gemmam equo imperfectiorem, ac hominem: & equum homine esse imperfectiorem.

SECTIO DECIMA QUARTA.

De causis intrinsecis peccati.

772. NOn agitur in præsenti de causa efficienti externa, de qua sectione sequenti, nec de causa formali intrinseca, quam constat esse illum ordinem actus ad objectum, quatenus dissonum est legi, ut videre est supra à numero 97. nec de causa finali: si enim est intrinsecus finis, non distinguitur ab objecto: si extrinsecus, est circumstantia cur, de qua latè disseruimus disputat. 3. à numero 192. ad numerum 315. & à numero 467. ad numerum 656. Nec de causa materiali agitatur difficultas, de hac enim sectione 16. disputandum est: procedit ergo solum de causa efficiente interna, quæ ex parte intellectus comprehendit ignorantiam, ex parte appetitus passionem, ex parte voluntatis malitiam: de singulis breviter hic agendum, cum sæpe de illis in superioribus actum sit.

SUBSECTIO PRIMA.

De peccato ex ignorantia.

773. TRipliciter sumi potest ignorantia pro præsenti instituto. Primo, ut est speciale peccatum contra fidem, de quo in materia de fide. Secundo, ut est causa, qua augetur, vel minuitur voluntarium, de quo nos latè, disputat. 3. sectione 9. Tertio, ut constituit diversum modum peccati, quàm est illud, quod causatur à passione, & malitia: de quo in præsenti agendum est, ut agunt Vasques 1. 2. disputat. 117. Azor tom. 1. lib. 1. cap. 12. Suar. 1. 2. tract. 2. disputat. 4. tom. 5. in 3. part. disputat. 4. sectione 10. Sanchez in Summa lib. 1. cap. 16. Salas 1. 2. quæst. 6. art. 8. tract. 3. disp. 4. sect. 1. Curiel 1. 2. q. 76.

774. Ne tamen, quæ exposita & probata sunt iterum repetantur, supponenda sunt multa, de quibus egi disputat. 5. sect. 9. Primum, ignorantiam ex parte objecti dividi in ignorantiam juris & facti: ita ibi numero 705. Secundum, ignorantiam ex habitudine ad voluntatem dividi in vincibilem & invincibilem: ita n. 704. & n. 706. explicata est ignorantia invincibilis; ut à numero 737. ignorantia vincibilis. Ad vincibilem requiruntur duæ conditiones. Prima, ut moraliter expelli possit: secunda, ut sit aliquo modo volita, eo scilicet quo est cognita, quæ licet sit voluntaria, non tamen est culpabilis, sed tantùm illa, quam sub præcepto tenemur abjicere, etenim absque culpa ignorare, quod scire non tenemur: inde ad hoc, ut vincibilis ignorantia sit culpabilis, requiritur primo, ut homo advertat quod ignorat, ad hoc ut excludatur ignorantia. Secundo, ut detur præceptum sciendi, vel absolutè, ut mysteria fidei, vel ex suppositione, videlicet propter exercitium alicujus muneris, supposito enim quod quis est

Episcopus, aut Lector, tenetur sub mortali scire quæ oportet ad tale munus sub mortali, inde peccato mortali maculantur omnes illi, qui officia acceptant, ad quæ sufficientes non sunt. Ad ignorantiam invincibilem sive inculpabilem, requiritur, ut non omittatur aliquid ex his, quæ moraliter fieri possunt ad excludendam ignorantiam: de quo latè illa sect. 9. à n. 706. quod intelligendum est de potentia proxima, non enim homo tenetur ad possibilem diligentiam, sed moralem; unde si in mentem non venit, vel si venit non intellexit esse medium aptum ad acquirendā scientiam, licet possibilis sit expulsio ignorantiæ, non tamen desinit esse invincibilis: qua de causa si defectu sacerdotis non publicantis in Missa, vel dies festos, vel jejunia, homines, nec festos observent dies, nec jejunent, non peccabunt: non etiam peccat infidelis, cui numquam in mentem venit, suam sectam esse falsam: non etiam peccat, qui ex consilio peritorum operatur.

775. Secundo, ignorantiam invincibilem dividi in antecedentem, & concomitantem, de qua citata sect. 9. à n. 711. ad 726.

776. Tertio, ignorantiam vincibilem dividi in ignorantiam ex electione sive affectatam, & ex negligentia: hanc in ignorantiam ex levi, & ex gravi negligentia: ignorantia ex levi negligentia non subdividitur, subdividitur tamen ignorantia ex gravi negligentia in crassam, & mortaliter culpabilem. Omnia illo loco exposui à n. 737. quibus suppositis, aliquot supersunt dubia, quæ specialem postulant discussionem.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum ignorantia culpabilis sit in se ipsa peccatum, an solum, quia adiungitur negligentia?

777. NOn est idem ignorantia vincibilis, ac culpabilis, hæc supra vincibilem, & voluntariam addit, ut sit prohibitum id, quod ignoratur, vel absolutè, ut mysteria fidei, vel ex suppositione exequendi aliquod munus, tenetur enim quis sub peccato mortali, non acceptare publicum munus, ad quod ritè exercendum sibi scientia deest; inde peccant semper qui Episcopatum, & qui Lectoria munus exercent, si ipsis deest scientia ad executionem muneris.

778. Quod detur ignorantia culpabilis probant Doctores, ex illo Psalm. 24. *Ignorantias meas ne memineris*, & 1. ad Corint. 4. *Si autem quis ignorat, ignorabitur*, id est, *reprobabitur*, ut communiter interpretantur locum sancti Patres. Videndus Curiel in Commentario art. 2. q. 76.

779. Deinde negligentia tribus modis sumi potest. Primo, pro omissione actus interni voluntatis, qua voluntas omittit velle scire ea, ad quæ tenetur. Secundo, pro actu voluntatis, quo positivè vult nescire. Tertio, pro omissione illarum actionum, quæ ex parte elicitarum potentiarum requirebantur ad scientiam, quæ præcipitur, comparandam, ut legere libros, adire Magistros. His præhabitis difficultati satisfacio duplici conclusione.

780. Prima: Ignorantia habitualis non est peccatum: ita Curiel q. 76. art. 1. dub. 1. §. 4. Lorca de peccatis disp. 3. Herrera disp. 35. q. 4. §. *Sexta conclusio*, & alii. Probatur, Ignorantia habitualis non est contra præceptum: ergo non est peccatum. Probo antecedens, quia præcepta non sunt de habitibus, sed de actibus, & de eorum omissionibus. Nec responderi potest, ignorantiam habitualem esse peccatum ratione negligentiæ; non, inquam, responderi potest: si quidem opus est, ut id, cui opponitur, sit præceptum, vel quod ipsa ignorantia objectivè mala sit, negligentia enim non est formaliter mala, & contra legem, nisi omissio ejus prohibita sit; cum ergo scientia habitualis præcepta non sit, nec illius ignorantia privative sit objectivè mala, nec etiam ratione negligentiæ, quæ nullam in terminis malitiam habet: non erit ignorantia habitualis peccatum.

781. Objicies: Negligentia in expellenda ignorantia habituali, est peccatum; ergo & ipsa ignorantia. Patet consequentia, Primo, quia negligentia est peccatum, sive prohibita ratione ignorantiæ. Secundo, quia malitia formalis voluntatis desumitur ex objecto; ergo prius objectum, id est ignorantia, debet esse malum. Respondetur, nego consequentiam: ad primam probationem, distinguo antecedens, ratione ignorantiæ actualis, concedo: habitualis, nego: cum enim qui vult negligere scientiam habitualem, etiam vult actus contrarios scientiæ actuali necessariæ ad salutem; inde est, quod licet ignorantia habitualis non sit peccatum, quia tamen est peccati effectus, id est, ignorantiæ actualis, negligentia ejusdem est peccatum, ex eo principio, *Qui negligit effectum, & causam negligit.* Exemplum sit, mors non est peccatum in se, sed effectus peccati, & tamen velle mortem injustè illatam peccatum est; unde negligentia ignorantiæ habitualis, peccatum est, sed malitia non desumitur immediatè ex ignorantia habituali, sed ex actuali, quia dum quis vult ignorantiam habitualem, vult etiam actualem. Ad secundam distinguo consequens: Ignorantia habitualis, concedo: actualis nego.

782. Instabis: Quando præceptum affirmativum obligat ad aliquid faciendum, etiam obligat ad dispositionem necessariam operi, quod tempore illo ratione præcepti debet fieri: sed præceptum obligat ad scientiam habitualem, & prohibet ignorantiam; ergo. Respondetur, nego majorem, obligat enim non ad dispositionem, sed ad causam dispositionis: obligat enim ad actus necessarios, sed cum isti non possint dari faciliter sine habituali scientia, ideo ratione illorum prohibetur: eo modo, quo præcepto audiendi sacrum, non prohibetur somnus, aut ebrietas, sed omissio voluntatis, ex qua prævidebatur posse præveniri somnum, vel ebrietatem: unde hæresis habitualis non prohibetur, sed actualis: non habitus prohibentur sed actus, hoc est immediatè, & sic ad alia, quæ opponi possunt, respondendum est.

783. Secunda conclusio. Ignorantia actualis est formaliter, & objectivè mala. Hæc conclusio est certa in opinione, quam defendi disp. 3. tota sectione duodecima, ubi latè ostendi actus exteriores, sive elicitum potentiarum à voluntate, non solum esse objecta actuum voluntatis, sed etiam esse actiones, & habere propria objecta: ita ibi subsect. 2. & ut actiones sunt, esse formaliter bonas vel malas: ita à num. 856. Cum ergo ignorantia sit actus intellectus, & objectum voluntatis, ut actus interpretativus, est formaliter mala; ut objectum, objectivè mala est. De negligentia dicendum est, quod sit formaliter mala, cum sit omissio, vel actus voluntatis, ex qua ignorantia vitiosa redditur ex Augustino 3. de lib. arbitr. cap. 24.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum peccans ex ignorantia duplex peccatum committat?

784. NOtandum est duobus modis homines obligari ad scientiam. Primu consequenter, quando obligantur immediatè aliquid facere, aut omittere, quod fieri non potest, nisi sciatur id quod fieri, aut omitti præcipitur. Secundo, formaliter, quandu non solum præcipitur observantia alicujus rei, sed etiam ejus notitia, ut apparet in fidei mysteriis, & in præceptis Decalogi, de quo Suar. 1. 2. tract. 2. disp. 4. sect. 5. numero 11. quo notato, est quæstio, utrum quando quia ex ignorantia peccat, non solum committat illud peccatum, cujus ignorantia causa est, sed etiam speciale peccatum? cui difficultati duplici conclusione respondeo.

785. Prima sit: Ignorantia primo modo, non est peccatum speciale, nec numero distinctum ab eo, quod ignorantiæ causa committitur, sed est ejusdem rationis cum illo: Verbi gratia, ignorat quis vincibiliter esse hominem, quem occidit, existimat enim esse feram, non committit duo peccata, sed tantùm unum, videlicet homicidii, quod incepit in negligentia culpabili sciendi esse hominem: est communis Theologorum sententia.

786. Probatur, quia peccatum, quod idcirco tantum est peccatum, quia est causa peccati; non habet diversam numero malitiam, à peccato cujus est causa; videlicet, quia ire ad domum ubi committitur peccatum, est etiam causa peccati, non est illud iter novum peccatum: atqui ignorantia in tantum est peccatum, in quantum est causa peccati; ergo, &c. Confirmatur, quia ex opposito gravius peccaret ille, qui ex ignorantia, quam ille qui ex malitia peccaret, cum peccans ex malitia, unum; peccans ex ignorantia duplex committeret peccatum: hoc autem est falsum, cum ut dicemus subsect. 3. peccatum ex malitia gravius sit, quàm peccatum ex ignorantia.

787. Negari tamen nun potest, in ignorantia inveniri peccatum generale, oppositum studiositati generali, quæ in omni præcepto includitur ad scienda ea, quæ pertinent ad talis præcepti observantiam, ut inubedientia generalis reperitur in omni peccato.

788. Secunda conclusio: Ignorantia secundo modo, est speciale peccatum. Probatur: Ista ignorantia opponitur duobus præceptis formaliter diversis; ergo ignorantia est speciale peccatum, actus enim, vel omissio est peccatum, quia prohibita, & cum sit prohibitio diversa ab ea, qua res præcipitur, erit etiam peccatum diversum. Antecedens patet, quia ignorantia mysteriorum fidei sine ullo respectu ad opus, est speciale peccatum: unde, qui non credit Deo, nec mysteriis fidei, committit peccatum infidelitatis oppositum affectui credendi Deo: & qui non vult adhibere diligentiam moraliter necessariam ad scientiam mysteriorum fidei, committit speciale peccatum oppositum virtuti intellectuali, & affectui credendi mysteria fidei, & hoc est speciale peccatum ignorantiæ.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrum ignorantia excuset à culpa?

789. DIco primo: Ignorantia invincibilis antecedens omnino à culpa excusat. Conclusio est certissima, de qua nullus Patrum, nullusque Theologorum dubitavit: ferè omnes recenset Salas tract. 13. disp. 8. sect. 5. Fundamentum est, quia est omnino involuntaria, nemoque reus tenetur culpæ, quam nec levi dubio prævidit, de quo latè disp. 1. à num. 711. Oppositum docuit Cordub. in quæst. q. 1. §. *Quædam est*, sed rejicitur communiter. Idem docet Cornelius Yprensis, contra quem ex doctrina Augustini ago in nostro Iansenio Yprensi convictu.

790. Hoc tamen intelligitur, quando tota malitia actus ignoratur invincibiliter, si enim pars malitiæ cognita sit, aut vincibiliter ignoretur, ea ignorantia invincibilis culpæ imputabitur, ut si quis hominem occidat, quem scit esse hominem, aut vincibiliter ignorat esse hominem, invincibiliter tamen ignorat esse clericum, non excusatur à culpa homicidii, quam vincibiliter ignorans incurrit, excusatur tamen à culpa sacrilegii, quam invincibiliter ignoravit. Et ratio est clara, quia vincibilis ignorantia est culpabilis, cum sit voluntaria, & consequenter effectus ex ea ortus: ignorantia invincibilis, quia involuntaria, inculpabilis est, & consequenter effectus ex eo ortus inculpabilis.

791. Dico secundo: Ignorantia concomitans invincibilis à culpa excusat. Si quis enim sagittam velit projicere, putans invincibiliter esse feram, illa interna volitio emittendi sagittam, sive externa hominis occisio, non habet culpam homicidii, nec ille homo dicendus est occisor hominis, quem re vera occidit, sed feræ, quam putabat à se occidi, etiamsi ita dispositus esset, ut si cognosceret illam feram, quam occidere tentavit, esse suum hostem, lubentiori animo, eum occidisset. Ita Vasq. Zumel, Medina, Salas, Lorca 1. 2. q. 76. art. 3. Suar. tom. 5. in 3. p. disput. 4. sect. 8. num. 8. & 12. tract. 2. disp. 4. à num. 16. Herrera de peccatis disput. 35. q. 18. & 19. Azor lib. 5. tom. 1. cap. 14. q. 4. Sanct. in Summa lib. 2. cap. 16. Curiel 1. 2. qu. 76. art. 3. §. 2, Layman. Valent. Reginald. Filiuc. quos refert & sequitur Bonacin. tom. 2. disp. 2. de peccatis q. 8. punct. 3. n. 34.

791. Fundamentum est, quia illa occisio cum prædicta ignorantia facta, non est voluntaria; ergo nec peccatum. Antecedens probatum est disp. 1. à num. 726. & patet, quia malitia homicidii nullo modo fuit cognita, imo invincibiliter ignorata; ergo non est voluntaria. Confirmatur, quia ut illud homicidium foret voluntarium debebat esse volitum, aut imperatum à voluntate: sed voluntas nequit velle aut imperare homicidium, quod invincibiliter ignoratur; ergo, &c. Accedit quod juxta triplicem dispositiunem in illo homine possibilem, quam explicat Curiel citatus §. 3. & nos explicavimus disp. 1. à num. 733. non potest ille homo homicidii reus haberi, ut eo loco videri potest: alios modos ibi à num. 735. transcurro, & juxta ibi dicta hujus quæstionis resolutio explicari debet.

793. Ex qua doctrina, primo non possum approbare Suar. Sanct. Azor, Salas, & aliorum doctrinam, quæ affirmat; cum homo dispositus est actualiter & lubentius hominem interficere, si sciret ibi esse, homicidii reum haberi, sive externi, sive interni: Ratio est, quia hi Auctores non satis præviderunt talem occisionem hominis, imo & volitionem, non esse voluntariam circa homicidium: quo pacto enim homicidium illud voluntarium esse potuit, si fuit invincibiliter ignoratum? Licet enim illa volitio occidendi hominem sit præsens, vel enim est conditionata, vel-

lem occidere hominem, si adesset; vel absoluta per hæc verba expressa, vellem jacere sagittam; ut occidam, vel feram, vel hostem, libentius hostem, si adesset: atqui emissio sagittæ non potest procedere à voluntate conditionata, cum ista sit inefficax, & per consequens à sola voluntate occideodi feram sagittatio illa procedit; non ab absoluta, quia voluntas non potest efficaciter velle id quod judicatur impossibile, aut invincibiliter ignoratur: cum ergo nec dubitativè intellectus advertat ibi esse hominem, aliter extra terminos quæstionis, foret ignorantia dubia, aut vincibilis; ergo, &c.

794. Secundo, non approbo id quod asseruot Vasq. Curiel, & alii Doctores, nimirum, si homo dispositus fuerit virtualiter, reum teneri homicidii, ut si quis antea proposuerit occidere inimicum, quacumque occasione oblata, si non retractata voluntate sagittam emittat, & inimicum occidat, ut homicidam judicandum esse: quomodo enim illa virtualis volitio occidendi hominem influere potest in homicidium, si nec in se, nec in effectu existit, cum nec etiam si existeret, causa foret, cum nec velle, nec imperare possit volontas, quod vel impossibile judicatur, vel invincibiliter ignoratur?

795. Dices primo. Philosophus 3. Ethicor. cap. 8. docet ea, quæ fiunt ex ignoratio, esse venia digna, non verò quæ cum ignorantia fiunt; ubi per ignorantiam intelligit ignorantiam concomitantem invincibilem: atqui in præsenti iste homo hominem occidit cum ignoratia invincibili concomitante; ergo, &c. Respondetur Philosophum loqui de ignorantia præsumpta, ut constat exemplo ebrii ab eo adducto.

796. Secundo: Ista ignorantia non est causa actus, sive interni, sive externi; non enim tollit scientiam, quæ si adesset, actum impediret, imo si scientia præsens foret ad actum homicidii impelleret; ergo non excusat à peccato. Probo consequentiam, quia illa ignorantia non aufert imputabilitatem, & malitiam; est enim causa per accidens & non per se actus. Respondetur: distinguo antecedens; non est causa actua, quoad substantiam actus, concedo: quoad malitiam, & imputabilitatem, nego: cum enim fit causa involuntarii, & tollat voluntarium illius actus, etiam tollet malitiam, quæ sine voluntario dari non potest, & ideo non per accidens, sed per se prædicti voluntarii causa est.

Multa ex dictis in hac subsectione colligenda erant, sed jam prædictæ doctrinæ corollaria dedi disp. 5. à num. 779. ad n. 799.

SUBSECTIO SECUNDA.

De peccato ex passione.

797. Suppono primo, peccatum ex passione, idem esse ac peccatum ex concupiscentia, in qua habet principium, movet enim, ac trahit voluntatem ad consensum, illiusque determinat voluntatem, cum unusquisque tentetur à concupiscentia sua illectus, & abstractus.

798. Secundo, appetitum, sive concupiscentiam debere vehementer, & intensè excitare voluntatem, ejusque consensum extorquere: nam si sit motus, aut passio appetitua sensitivi, nimirum remissa, ita ut parum, aut nihil rationem perturbet, aut voluntatem commoveat, consensus subsequutus non erit peccatum ex passione.

799. Deinde cum tota hujus subsectionis doctrina dependeat ex dictis disp. 5. ex ea suppono tertio dari passionem, sive concupiscentiam antecedentem, & consequentem: antecedens inclinat voluntatem ad actum, rationemque perturbat, consequens effectus est illius consensus, qui ex voluntate oritur, ita ibi n. 666.

800. Quarto, concupiscentiam antecedentem non causare involuntarium, imo augere voluntarium circa objectum, ut delectabile est, licet minuat illud circa objectum, ut malum est. Ita eo loco à numero 667. ad num. 699. quibus suppositis, una vel altera superest difficultas facilis explicatu, suppositis prædictis antecedentibus.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum peccatum ex concupiscentia levius sit, quam peccatum ex malitia?

801. Respondetur affirmativè. Ita iotuli disput. 1. num. 699. ex quo loco petenda est probatio, & amplius probatur. Peccatum ex passione est minus voluntarium, & minus liberum circa malitiam objecti; ergo etiam est minus malum. Antecedens probavi, disp. 1. num. 694. & n. 695. Consequentia optima est, quo enim actua minus habet de voluntario, & libero, minus habet malitiæ, majus malum enim est, magis voluntariè, & liberius fieri in malum, quàm cum minori voluntario, & libero.

802. Dices primo: Passio auget rationem voluntarii circa objectum ut jucundum est; ergo etiam illud auget circa objectum ut pravum est: Antecedens ostensum est disp. 5. à num. 682. Respondetur negando consequentiam, cujus major ratio eo loco data est, n. 694. crescit enim consideratio objecti, ut jucundum est; & decrescit ut malum est.

803. Dicea secundo: Concupiscentia, sive passio auget rationem voluntarii, ut jucundum; ergo etiam liberi, ut jucundum. Respondetur: nego consequentiam, de quo eo loco num. 695. & insuper visio beata auget voluntarium, & juxta communem sententiam omnem aufert libertatem indifferentiæ ad contraria, unde passio ita potest perturbare rationem, ut omnem auferat usum rationis, quo casu omnino à culpa excusabit, cum actus maneat naturalis, & involuntarius ex doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 77. art. 7.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum nullum sit peccatum, quod ex passione non sit?

Quæstio est, utrum omne peccatum, quodcumque illud sit, habeat principium in appetitu, ita ut nullum sit, ad quod concupiscentia non inclinaverit voluntatem. Respondeo, Regulariter, & ut plurimum, pro præsenti statu omne peccatum ex concupiscentia originatur: non tamen semper absolutè. Duas partes habet prædicta resolutio.

804. Primâ probatur, ex variis locis Scripturæ sacræ, & ex doctrina Augustini, & primo Iacobus in epistola cap. 1. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus: concupiscentia cum conceperit parit peccatum.* Ex quo loco duo habentur: primum, tentationes à concupiscentia provenire: secundum, peccatum fieri ex concupiscentia: in primo videtur S. Iacobus docere omnem tentationem esse à propria concupiscentia: nam cum docuisset Deum in tentatorem hominum esse, addit causam, à qua tentatio provenit,

nimirum concupiscentiam : si autem alia foret tentationis causa, illam profecto docuisset : in secundo videtur assumere similitudinem rerum naturalium cum nascuntur, non enim nascitur homo, nisi concipiatur, absquè conceptu nullus est partus, & ut voluntas pariat peccatum, necesse est quod illud concipiat, concipit autem ex concupiscentia : ex utroque rectè sequitur regulariter peccatum esse, pruriente, titillante, movente, & inclinante concupiscentia.

805. Locum ita exponit Augustinus, & primam partem versiculi lib. 1. de dono perseverantiæ cap. 6. ubi, *Quisquis in tentationem non infertur, profecto nec in tentationem sua mala voluntatis infertur. & qui in tentationem sua mala voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur, unusquisque enim tentatur à concupiscentia sua.* Secundam partem versiculi sic exponit lib. 6. contra Iulian, cap. 15. *Concupiscentia non parit nisi conceperit, non concipit nisi illexerit, hoc est ad malum perpetrandum obtinuerit volentis assensum; quod ergo adversus eam dimicatur, hoc agitur, ne concipiat, pariatque peccatum.*

806. Secundo, ex Matthæo cap. 5. illa enim verba; *Dimitte nobis debita nostra, & ne nos inducas in tentationem*, intelligit Augustinus de omnibus debitis, ac peccatis, & nil aliud à nobis peti declarat, nisi quod concupiscentia nos non teneat, & si tentat, ac peccamus, debita ex concupiscentia contracta, nobis remittat omnipotens Deus. Ita lib. 5. contra Iulian. cap. 4. *Quid est quod quotidie dicimus; Ne nos inferas in tentationem, nisi ut non tradamur concupiscentiis nostris? unusquisque enim*, &c. Lib. 6. cap. 15. *Dimissis itaque in baptismo peccatis omnibus, id est, omnibus concupiscentiis.* Et lib. 2. de peccatorum meritis cap. 4. *Et ne nos inferas in tentationem* . . . quod si fortè tentari cœperimus *à concupiscentia nostra, adjutorio ejus non deseramur.* Et lib. 2. ad Bonifacium cap. 4. *Sic ergo totum hoc, in tribus beneficiis positum breviter peti potest, ignosce nobis ea, in quibus sumus abstracti à concupiscentia : adjuva ne abstrahamur à concupiscentia : aufer à nobis concupiscentiam.*

807. Tertio probatur, ex insigni loco Augustini lib. 5. de Genes. contra Manichæos cap. 14. ubi per serpentem intelligit concupiscentiæ tentationes, per mulierem partem carnalem, sive appetitum : per Adamum partem spiritualem, sive rationem : & concludit non esse peccatum nisi tentante serpente, suggerente muliere, consentiente Adamo. *Sed tamen per mulierem decipit, non enim etiam ratio nostra deduci ad consensionem peccati potest, nisi cum delectatio mota fuerit in illa parte animi, quæ debet obtemperare rationi, tamquam rectori viro : etiam nunc in uno quoque nostrum nihil aliud agitur, cum ad peccatum quisque delabitur*, &c. quæ prosequitur.

808. Quarto; expresse Augustinus lib. de spiritu & littera cap. ultimo. *Hoc ideo elegit Apostolus generale quoddam, quo cuncta complexus est, tamquam hæc esset vox legis ab omni peccato prohibentis, quòd ait, non concupisces, neque enim ullum peccatum nisi concupiscendo committitur.* Ex qua doctrina intulit Augustinus, primo in cœlo ideo non futurum peccatum, quia ibi non tentabit concupiscentia : ita lib. 6. contra Iulian. cap. 15. secundo, nullum esse peccatum, quod delectatio illicita non præcedat : ita lib. 22. contra Faustum cap. 28. & serm. 6. de verbis Apostoli cap. 1. Ex his ergo manifestum est, regulariter, & ut plurimum, quo pacto ad minus debent intelligi sacer textus & Augustinus, omne peccatum originem suam trahere ex passione, & concupiscentia.

809. Secunda verò pars, quod absolutè, & aliquando dari possit peccatum, quod sine tali passione perpetratur, multa suadent. Primo, nonnulla genera peccatorum, quæ à concupiscentia nullam habent dependentiam, ut infidelitas, & desperatio; quæ omnino spiritualia sunt, peragique possunt nullis sensuum adminiculis, nulla concupiscentiæ suggestione.

810. Secundo, natura libertatis, quæ ad omnia objecta æquè indifferens, pro libito suo, & pro suo nutu, potest velle malum, ad quod non inclinat concupiscentia, stante enim perfectissimo judicio peccare potest : imo & committere peccatum solet voluntas, quin concupiscentia perturbet rationem, aut voluntatem inclinet, imo nec ad oppositum trahere voluntatem intentans, ut apparet in luxuriosis, & gulosis, qui illa vitia sæpissimè exercent, renitente, & contradicente appetitu.

811. Tertio, quia Adamus in statu innocentiæ absque ulla concupiscentiæ passione peccavit, solum quia voluit, suamque expertus est libertatem, ut non semel docet Augustinus; ergo eodem modo poterunt homines nunc peccare.

SUBSECTIO TERTIA.

De peccato ex malitia.

812. PEccatum ex malitia dicitur fieri, quando voluntas illicitis consentit, ex plenissimo suæ libertatis jure, absque ulla in appetitu passione, absque ullo in intellectu errore, nullaque causa extrinseca alliciente ad peccatum : non tamen ex eo ex malitia est, quia in malum, qua malum est, voluntas tendit; sed quia tendit in bonum delectabile, vel utile ex ipsa electione mali, tamquam ex principio, sive in illud tendit ex industria, ut loquitur sacer textus Iob 34. ideoque majus peccatum est, quàm malum ex ignorantia, aut passione, numquam enim liberius homo peccata committit, quàm quando ex sua libertate, absque ignorantia, aut passione peccat : in quo conveniunt omnes Theologi : Nec Scotus aliquando docuit; peccatum ex malitia tale dici, quia voluntas malum eligit sub ratione mali, licet enim quæstionem tractet in 2. dist. 42. q. 2. vers. *Si tenetur*, nihil tamen ibi resolvit, & oppositum expresse docet in 4. dist. 49. q. 10. vers. *ad secundum*, unde Curiel 1. 2. q. 78. art. 1. in dubio, cum aliis sinistrè Scotum deferunt in illum sensum.

813. Regulariter loquendo, & cæteris paribus, si ita comparentur hæc tria genera peccatorum, ex ignorantia, ex passione, ex malitia : peccatum ex ignorantia levius est, quàm peccatum ex passione, & peccatum ex malitia utroque gravius est : pro quo videri potest Curiel 1. 2. qu. 74. 77. art. 4. in Commentario, constatque ex cap. *Sciendum*, de pœnitentia dist. 2. ubi *gravius quidem infirmitate, quàm ignorantia, sed multo magis studio, quàm infirmitate peccatur.*

814. Dices : D. Augustinus solùm duo principia peccatorum agnovit, nimirum, ignorantiam, & infirmitatem, sive concupiscentiam; ergo nullum erit peccatum ex malitia. Antecedens tradit Augustinus variis in locis : lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. *Ignorantia igitur, & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.* In Enchirid. cap. 24. *Deinde etiam, cum nolentibus*

subintravit ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia noxiarum .... ex his morborum, non ubertatis, sed indigentia, tamquam fontibus, omnis miseria natura rationalis emanat. Et cap. 81. *Duabus ex causis peccamus, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus, quorum illud ignorantia malum est, hoc infirmitatis.* Respondetur Augustinum non latuisse principalem peccandi originem, libertatem scilicet, qua solum Adamus vsus est in sui facinoris exequusione: sed cum segulariter, & ut plurimum, homines vel ex ignorantia, vel ex infirmitate peccent, illa duo principia exponit, ut quæ sæpius, & quasi semper origo sint peccatorum: quibus explicatis una tantum superest difficultas, ex qua & hujus subsectionis & difficultatis secundæ in superiori subsectione agitatæ, resolutio clarior fit.

UNICA DIFFICULTAS.

Utrum stante perfectissimo iudicio rationis, tam universali, quàm particulari, possit voluntas peccare?

815. NOtandum est primo considerationem in universali tunc dari quando res, non secundùm aliquas rationes particulares, sed secundùm communem consideratur, ut si quis consideret furtum esse malum, non verò qualitatem, quantitatemve furti. Secundo, considerationem mali, vel esse speculativam, vel practicam: speculativa considerat furtum, ut in se est, nullo habito respectu ad operationem, vel exercitium: practica considerat idem furtum per ordinem ad operationem, utrum scilicet sit faciendum. Tertio, communiter doceri à Theologis posse voluntatem peccare, stante perfectissimo judicio speculativo; solum ergo est difficultas, utrum etiam peccare possit, stante perfectissimo judicio practico, tam in universali, quàm in particulari?

816. Respondetur affirmativè: Ita innuit Scotus in 3. dist. 36. q. 1 nom. 14. quem licet nitatur exponere Herrera disp. 36. de peccatis q. 1. in 3. corollario, de inefficaci, & debili judicio, oppositum colligitur ex eo loco, ut bene advertetunt Pitigian. ibi & Cavellus. Sequuntur Suar. in Metaph. disp. 19. sect. 6. n. 14. sect. 7. num. 10. 1. 2. tract. 5. disp. 1. sect. 1. num. 10. Curiel 1. 2. q. 77. dubio unico, §. 4. in ultima conclusione.

Probatur: Nullum judicium intellectus potest voluntatem determinare, & necessitare; ergo posito illo judicio, voluntas poterit repudiare objectum propositum cum omnibus convenientiæ rationibus. Antecedens patet, quia voluntas est potentia libera, quæ positis omnibus requisitis, potest agere, vel non agere, vel agere oppositum, in eodem etiam instanti in quo operatur; ergo posito illo judicio, liberè operabitur: quoties enim quisque videns meliora, probansque, deteriora sequitur? Hujus argumenti efficacia ex solutione argumentorum patebit.

817. Oppositum tuetur communiter Thomistæ cum Angelico Doctore 1. 1. qu. 78. art. 2. Lorca tom. 2. disp. 54. §. *Sed quamvis*, Vasq. disp. 128 Primo probat Vasques ex variis locis sacræ Scripturæ & Philosophi, quæ ostendunt, & docent omnem peccatorem esse ignorantem. Respondetur omnia illa loca posse explicari variis modis. Primo, quia homines regulariter non peccant, nisi ex aliqua ignorantia, quod autem regulariter contingit, universaliter profertur, sic explicatur locus ille Psalm. 115. vers. 2. *Omnis homo mendax.* Secundo de errore electionis, non quod intellectus erret in proponendo objectum, sed quia voluntas errat eligendo pejus; quis enim intolerabilior error, quàm ex perfectissimo judicio adeo malum eligere actum? Tertio, de errore consequente peccatum, eligens enim voluntas malum; intellectum divertit ab illo recto judicio, & convertit ad inquirenda media necessaria consequutioni finis mali: ideo ratione recti judicii, quo privatur intellectus, & pravi, quod de novo intellectus habet, dicuntur errare, & ignorantes agere, qui peccant: Ita Suar. sect. 7. citata num. 12. & prius Scotus loco citato.

818. Secundo arguit Vasq. n. 14. Sequitur hominem transire de tenebris ad lucem, & de luce ad tenebras. Probatur sequela, si quis peccans ex ignorantia, illico in eadem materia peccet ex malitia, habito perfecto judicio de actu malo, quem ex ignorantia agit, de tenebris, de ignorantia, scilicet ad lucem, sive scientiam transit: & cum ex peccato sequantur tot ignorantiæ, peccans cum perfecto judicio de luce ad tenebras transit. Respondetur, concedo antecedens: & probationem, nec incredibile est, ut visum fuit Vasquio, Imo necessario fatendum: cum enim peccatum ex malitia, fiat attento solo jure, & dominio voluntatis, consideratis omnibus circumstantiis clarum est, quod scienter peccat, & nullis tenebris ignorantiæ impeditus; hoc enim ipse Vasques q. 78. art. 2. in commentario docet, cum ibi illud esse sentiat peccatum ex malitia, quod quis scienter facit: estque modus loquendi Scripturæ sacræ, Lucæ enim cap. 12. vers. 47. dictus *Sciens vapulabit multis.* Verum est, quod etiam sub hoc judicio peccans, non rectè dicatur homo transire ad lucem, cum ex illo peccato tot sequantur ignorantiæ.

819. Tertio arguit idem Vasq. Qui ex malitia, aut consuetudine peccat, nullum dum peccat, conscientiæ sentit remorsum, ergo ex eo, quod malitia minuit cognitionem virtutis. Respondetur: transeat antecedens, nego consequentiam: alia ratio est, qua remorsum conscientiæ expellit; nimirum, cauterium ex tot habitibus, actibusque causarum in conscientia, quæ cauterisata nullos remorsus sentit; & hoc iidem contrarii testantur, nullus enim usque adeo asseruit, peccatum ex malitia fieri ex minori cognitione, quàm sit peccatum ex ignorantia, & ex passione.

820. Quarto: Illud judicium determinat voluntatem, ut eligat objectum propositum, ut hic & nunc eligendum; ergo stante tali judicio voluntas non peccabit. Respondetur, nego antecedens, quia ut bene Suar. citata sect. 6. n. 3. arguit, vel illud judicium determinans est necessarium, vel liberum: non primum, aliter jam voluntas necessario operabitur, non enim exercet suam libertatem circa judicium, imo à judicio determinatur; nec circa actum cum actus necessario ex judicio sequatur: si liberum, elicietur liberè ab intellectu, & imputabitur à voluntate: utrumque falsum, tum quia intellectus non est potentia libera, ut eliciat liberè judicium: tum quia si illud judicium à voluntate imperatur, actus quo imperatur, à quo est? si ab intellectu, procedemus in infinitum, cum etiam imperari debeat à voluntate: si à voluntate, jam voluntas libera est, non attenta ratione judicii.

821. Confirmatur hæc doctrina, simulque exploditur illud judicium determinans. Primo, quia

ad plurimum, solum objectum infinitè simpliciter bonum voluntatem determinat. Secundo, Deus ex duobus judiciis æqualiter propositis, unum potest eligere, vel etiam utrumque repudiare, quis enim dubitat Deo cum primo creationem mundi moliri tentaret, plures alios cœlos possibiles oblatos fuisse? Tertio, proposito optimo, & meliori medio, Deus illud bonum respuere posset, & aliud minus bonum eligere; deinde ut elegit ad salutem mundi medium optimum, poterat illud non eligere; non aliter ergo, voluntas proposito perfecto judicio, potest velle oppositum, si etiam proponatur, vel suspendere illud si velit.

822. Quinto arguit Lorca §. *His ergo*: Voluntas non potest velle objectum, nisi determinetur à judicio dictante hic & nunc illud esse eligendum, vel absolutè, vel comparatione alicujus boni, si plura offerantur; ergo ut voluntas peccet debet aliquis defectus dari in judicio. Antecedens probat ex D. Thoma, quia objectum voluntatis est bonum propositum ab intellectu; ergo voluntas velle non potest objectum, nisi proponatur ab intellectu esse volendum, & ratio cur volendum est. Respondetur, negando antecedens, ad hoc enim ut voluntas velit, solum requiritur, quod intellectus proponat objectum judicatis omnibus convenientiæ rationibus, non vero, quod proponatur necessario eligiendum. Hæc solutio traditur à S. Bernardo lib. de gratia, & libero arbitrio, ubi: *Est ratio data voluntati, ut instruat, non ut destruat: destrueret autem, si necessitatem ullam imponeret*, quominus pro arbitrio suo sese vellet: quapropter judicium illud determinat voluntatem, quoad objectum eligibile, non verò, quoad objectum necessario eligendum, ut in exemplis, quæ num. 821, ex divina petitis voluntate apparet: alioquin semper voluntas necessario operaretur, cum enim ex præfata Lorcæ doctrina, voluntas deberet eligere objectum secundùm rationem propositam ab intellectu, jam ab extrinseco foret libera, & non à se, nec à sua virtute, eo quod sequeretur rationem judicii, & secundùm judicii rationem liberè, vel necessario actum eliceret.

823. Nec contrarium docuit D. Thomas, imo nostra sententia ejus est, siquidem 1.2. q.9. art. 1. in corpore, docet intellectum proponere voluntati objectum, non tamen ita, ut necessitatem inferat voluntati: eadem habet *ad* 1. *& ad* 3. ubi docet voluntatem movere seipsam quoad exercitium actus, ideo nego cum probatur illud antecedens supra num. 822. esse doctrinam D. Thomæ; nego simul illud antecedens; intellectus enim proponit objectum sub omni ratione eligibili, & ita eligendum esse à voluntate dictat; voluntas enim cum sit libera, absolutumque ex se dominium habeat in suos actus, liberè velle potest objectum sic propositum, & quia liberè, simul oppositum velle, vel suspendere suum actum.

824. Instabis: Ex hoc sequitur judicium intellectus, quando proponit objectum voluntati esse indeterminatum. Probatur sequela, quia illud judicium non determinat voluntatem. Respondetur negando sequelam: ad probationem, nego antecedens: dupliciter enim accipiendum est illud judicium, vel ratione objecti, vel ratione voluntatis; ratione objecti determinatum est, siquidem est de objecto determinato, quod cum summam bonitatem non habeat, non potest determinare voluntatem, ut videre est in judicio, quod Deus habuit de mundi creatione, hoc enim fuit determinatum ratione objecti, sed non determinavit voluntatem, cum aliud creare posset, & repudiare objectum propositum: inclinat ergo judicium voluntatem, sed non determinat, nec tamen est indeterminatum respectu objecti; cum determinatè de eo judicium feratur.

825. Urgebis: Si intellectus unico judicio, unicum tantum proponat objectum, illud voluntas necessario amabit. Probatur antecedens, quia ex opposito voluntas in incognitum tenderet. Respondetur, negando antecedens, suspenderet enim voluntas in illo casu actum, & intellectum diverteret ad aliud objectum: ex quo jam voluntas fertur in objectum sibi propositum, illud non eligendo ex suæ libertatis dominio.

826. Resolutio tamen procedit absolutè: nam regulariter, & ut plurimum semper in intellectu præcedit aliquis defectus, varia enim occurrunt impedimenta, quæ intellectum ab eliciendo perfecto judicio divertunt: & sic perfectum datur judicium sæpius, & ferè semper voluntas objectum propositum amplectitur, licet illud repudiare possit.

SECTIO DECIMA-QUINTA.

De causa extrinseca peccati.

827. Diabolus, homo, & omnia sensibilia ab extrinseco hominem ad peccatum alliciunt: omnia enim sensibilia voluntati proposita, eam movent ut amentur, amatis sæpe voluntas eorum amorem Dei amori præfert: homo homini crudelis, hominem ad peccandum, vel inducit, vel tentat, sæpe prohibita persuadens, sæpe consulens, & quod pejus est, etiam auctoritate abutens, aut potentia impellens.

Diabolus ab initio homicida, sive invidia tabescens, sive superbia elatus, nihil intentatum relinquit, quominus homines perdat, & à recta vivendi ratione abducens in sibi paratam gehennam perducat: quod si omnes ad baratbra non deducit, potestatis est defectus, non voluntatis, ut enim optimè Augustinus advertit enarratione in Psalm. 61. *Diabolo potestas quadam est, plerumque tamen vult nocere, & non potest, quia potestas ista sub potestate est: nam si tantum posset nocere Diabolus, quantum vult, non aliquis iustorum remaneret*: Hic est indirecta causa omnium peccatorum, quæ ab initio usque ad consummationem sæculi futura sunt, quatenus primum ad peccandum incitavit parentem: causa autem est, non efficiens, sed persuadens, & proponens objectum malum, tot fucis delinitum, tanta suavitate copertum, ut sæpe non advertentes homines latens sub dulcedine malum, illud præferant suo auctori.

828. Non tamen omnia peccata ab hominibus commissa, ex suggestione, & tentatione Diaboli proveniunt, sæpe enim absque ulla diabolica arte, homines tentantur, vel à concupiscentia sua abstracti, vel à malitia sua perversi: quod eleganter admonuit Gregorius Nazianzenus lib. 1. Sententiarum sententia 52. *Quid nos omnibus in rebus, miserum hostem accusamus, eique noxas omnes nostras adscribimus, cum ipsi scelerata nostra vivendi ratione potestatem demus?* Verum est, quod insurgente in nobis tentatione, Diabolus sollicitus de nostra perditione, eam in finem perducere, non desistit.

Hæc omnia constant, nec alicui dubitandi locus relictus: quo pacto Deum à causalitate pec-

catorum liberum afferamus, difficile est, hoc in præsenti disputandum.

SUBSECTIO UNICA.

Deus non est causa peccati.

829. Nihil certius apud homines statuendum est, quàm Deum non esse nostrorum causam peccatorum, hoc enim, & fide divina, & humana ratione sancitum est. Dei bonitatem offendit qui Deum peccatorum auctorem esse existimat: Dei esse destruere nititur, qui Deo peccata hominum adscribit. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, exclamat regius vates Psalm. 5. vers. 5. non enim Deus iniquitatem vult, quin potius legibus suadet, pœnis terret, blanditiis allicit, beneficiis obligat, præmiis excitat homines ad viam veritatis sequendam: Non enim esset Deus, si iniquitatem vellet, sic ego dictum versiculum expono, si Deus vellet peccatum, Deus non esset, plus enim docet Propheta, quàm videatur, ex volitione siquidem peccati, non esse Dei infert, & rectè.

830. Verum non est ulla veritas adeò certa, quam homines, ut sequantur tamquam bruta animalia, desideria sua non revocent in dubium: ut enim gentes, illis, quos sibi ut numina finxerũt, mille scelera attribuere non erubescebant, ne de suorum immanitate peccatorum erubescerent, imo de suis peccatis gloriarentur, quorum participes erant ipsimet, quos imitari sibi summa gloria erat: sic post constitutam Ecclesiæ domum, plures inventi sunt, qui ut desideriis suæ carnis obedirent, & lubentius omni pudore amisso publicè Deum offenderent, Deum etiam peccatorum auctorem esse asseruerunt, inter quos primatum habuit Calvinus.

Et ut colore aliquo adeo immane scelus minueretur, elati in superbia mentis suæ, in Scriptura sacra, in sacra Theologia decerni Deum esse multorum causam peccatorum, catholicis persuadere tentarunt: summa capita attingam, nam hujusmodi errorem, jam plures Christianæ fidei acerrimi defensores expugnarunt: & præter eos, qui cum hæreticis decertarunt, videndi sunt Suar. 1. 2. tract. 5. disp. 5. sect. unica, Vasqu. disp. 129. Curiel q. 79. art. 1. in dubio, Herrera de peccatis disp. 35. Lorca tom. 2. in 12. disput. 26. Nos brevitati consulentes per sequentes difficultates prædictum expugnabimus errorem.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum ex aliquo loco Scripturæ sacræ, colligi possit Deum esse causam peccatorum?

831. Ad quatuor capita revocari possunt loca Scripturæ sacræ, quæ prima fronte videntur Deum facere peccatorum causam. Primum, eorum in quibus causalitas peccatorum Deo adscribitur, eo quod omnia etiam peccata non fiant, nisi Deo operante. Ieremiæ 20. vers. 23. *Scio Domine, quia non est in homine via eius:* Secundum ex locis, in quibus asseritur à Deo homines excæcari, obdurari, tentari, ac decipi. Excæcatio habetur Isajæ 6. vers. 10. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggrava.* Obduratio ad Roman. 9. vers. 18. *Quem vult indurat:* Tentatio Matthæi cap. 6. vers. 13. in oratione Dominica, *Et ne nos inducas in tentationem.* Deceptio Ezechielis 14. vers. 9. *Ego Dominus decepi.* Tertium eorum locorum in quibus expresse affirmatur, quod Deus facit, & operatur, ut homines peccent. Psal. 104. vers. 24. *Convertit cor eorum, ut odirent populum eius, & dolum facerent in servos eius.* Quartum eorum locorum, in quibus dicitur, quod Deus assumat homines, ut instrumenta ad peccandum, 2. Reg. cap. 16. vers. 10. *Dominus præcepit ei, ut malediceret.* Ad hæc, omnia loca quæ afferuntur contra Dei bonitatem, reducuntur: hæc difficilia videntur, *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? absit*; ait Apostolus ad Roman. 9. vers. 14.

832. Omnibus in unum locis collectis respondendum est, omnia illa loca intelligenda esse *permissive*: permittit enim Deus, quod homo incidat in peccatum, ut ex ea permissione aliquod bonum eruat in profectum prædestinatorum, cum enim sit auctor naturæ, non tenetur impedire causæ secundæ actiones, imo eis se attemperare, præcipuè quando causa libera est, quæ suo arbitrio relicta fuit, ut non necessitate, sed voluntate finem consequeretur æternum. Ita exponunt Augustinus de gratia, & libero arbitrio cap. 23. & Damascen. lib. 4. fidei orthodoxæ cap. 20.

Nec obstat huic solutioni, quod in prædictis locis videatur Deus se habere ut causa particularis, & non ut universalis, ipse enim Deus dicitur obdurare, excæcare, decipere, & similia: non inquam obstat, nam in Scriptura sacra actio, & præceptum sæpe permissionem tantùm designant juxta illud Matth. 23. vers. 32. *Implete mensuram patrum vestrorum*, Et Ioan. 13. vers. 27. *Quod facis fac citius*: id est, ego paratus sum ut vos adjuvem, quod si nolitis, permitto à vobis impleri mensuram patrum vestrorum: ego paratus sum ne moriar, & quantum in me est, tibi permitto, ut me tradas: intendit enim Deus per se effectum bonum ex peccato sequutum, non peccatum, sed cum videat hominis animum ad malum propensum, illud permittit, talibus tamen verbis, ut videatur facere, quia taliter permittit, ut infallibiliter sequatur: hæc solutio omnem exhaurit difficultatem.

833. Sed ut obstruatur os loquentium iniqua, singulis satisfaciendum est. Ad primum igitur respondeo: ex loco Ieremiæ nihil inferri. Verum est, quod viæ rectæ necessariæ ad salutem non sunt in manu hominum, cum omne opus meritorium vitæ æternæ egeat gratia, sine qua homo nec passum in itinere salutis dare potest, inde David aiebat: *Dirige gressus meos ne moveantur vestigia mea*: Si enim Deus nostras non dirigeret actiones, omnes ad naufragium nos perducerent; in manu igitur hominum sunt viæ ad malum, ad bonum autem non solum in manu hominum, sed etiam à Deo, à quo illuminari debet homo, ut non ambulet in tenebris, & pereat.

834. Ad secundum caput, in quo ex excæcatione, obduratione, deceptione, tentatione, ac similibus inferebatur Deum esse causam peccati: respondeo, causalitatem, quæ in prædictis locis attribuitur Deo, esse solum permissivam, omnia enim illa Deus permittit fieri ab hominibus, vel in bonum prædestinatorum, vel in pœnam peccatorum, ipsi tamen peccatores sunt, qui se excæcant, obdurant, tentant, ac decipiunt juxta illud Psalmi 94. vers. 6. *Nolite obdurare corda vestra*, Deus verò ob illas, & alias causas derelinquit, ut causa universalis, voluntates hominum operari, non eis largiens auxilia efficacia, quibus illa mala non fierent, & hoc justissimè; quia nec violentiam infert voluntati, cujus inclinationi actuali prævisæ se accommodat, nec injuriam infert,

dum

dum voluntatis actionem non impedit, tum quia ad id non tenetur, tum quia non illud beneficium hominum peccata merentur.

Quam sulutionem esse veram ex Augustino fiet planum. Et primo, quod hæc fiant à Deo non irrogante illas tenebras mentis, quibus excæcatio; & illam duritiam cordis, quibus obduratio; aut concupiscentiæ motus, quibus tentatio fit, sed tantùm deserendo, & negativè se habendo, non conferendo auxilia in pœnam præcedentium peccatorum, tradit tract. 53. in Ioan. *Sic excæcat, sic indurat Deus, deserendo, & non adiuvando.* Lib. 1. ad Simplicianum cap. 2. *Obduratio Dei est, nolle misereri, non ut irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum quo non fit melior.* A quo S. Isidorus hanc doctrinam ebibens eam docet, lib. 1. Sentent. cap. 5. *Obdurare dicitur Deus hominem non eius faciendo duritiam, sed non auferendo eam, quam sibi ipse contrivit.*

835. Secundo excæcationem Pharaonis sic exponit lib. de natura, & gratia cap. 22. *Et tamen per hanc pœnam, per cordis cæcitatem, quæ fit deserente luce sapientia, in plura, & gravia peccata collapsi sunt.* Excæcationem Iudæorum, quâ cæci Filium Dei occiderunt, ne sine culpa occisio fieret, sic explicat in quæstionibus super Matthæum qu. 24. *Quod si ita est, quis non insurgat in defensionem Iudæorum; ut eos extra culpam fuisse proclamet: quod non crediderunt? Propterea enim non poterant credere, quia excæcavit oculos eorum: sed quoniam potius Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri, aliis quibusdam peccatis, ita eos excæcari meruisse, qua tamen excæcatione non potuerunt credere.*

836. Tertio, clariori stylo circa obdurationem hanc expressit doctrinam, epist. 105. ad Sixtum. *Cuius vult miseretur, non iustitia, sed misericordia gratia: & quem vult obdurat: non iniquitate, sed veritate vindicta.* Et infra. *Quærimus meritum obdurationis, & invenimus: merito namque peccati universa massa damnata est, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam, quibus enim, non impertitur, nec digni sunt, nec merentur, ac potius, ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur.* Et lib. 1. quæst. 2. ad Simplician. *Ob hoc dicitur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit, ut peccent: eorum autem non miseretur, quibus misericordiam non esse præbendam æquitate occultissima, & ab humanis sensibus remotissima iudicat.*

837. Quarto, non obscurius hanc veritatem docuit, & exposuit lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 4. versans illum versiculum 25. Matth. cap. 6. *Et ne nos inferas in tentationem*, dicens: *Vel sicut nonnulli Codices habent, Ne nos inducas in tentationem: non quod Deus tali tentatione hominem tentat: sed quod si fortè tentari experimus à concupiscentia nostra, adiutorio eius non deseramur, ut in eo possimus vivere, ne abstrahamur illecti.*

838. Quinto, de his modis, & aliis, deceptione, seductione, & similibus, quibus Deus videtur fieri causa peccatorum; universalem hanc doctrinam tradit lib. de gratia, & liber. arb. cap. 21. *Ac per hoc quando legeritis in litteris veritatis à Deo seduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, ut iustè ista paterentur.* Et infra: *Malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab ipso Adam, aut crevit per propriam voluntatem.* Et cap. 5. *Quando ergo audistis quod ait Apostolus, cuius vult miseretur, & quem vult obdurat, in eo, quem permisit se duci, aut obdurari, mala eius merita credite.*

Quare per hæc satis responsum est ad secundum caput eorum locorum, quibus Deus esse causa peccati probabatur, simulque ad tertium & quartum, non enim majorem, aut diversam difficultatem habent, ideo ex eadem Augustini doctrinâ resolvantur, & explicentur. Si quis verò ampliorem desideraverit expositionem, adeat Ruiz tomo de voluntate Dei disp. 43. à sectione 1. ad 4.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Vtrum ex aliqua propositione Theologica inferatur quod Deus sit causa peccati?

Aliquæ propositiones apud Theologos circumferuntur, & à pluribus tuentur, quas alii non admittunt, eo quod ex eis infertur Deum esse causam peccati. Prima est opinio, quæ constituit essentiam peccati in positivo: cum enim nulla possit dari entitas, quæ participata non sit, & à Deo facta, si essentia peccati entitas positiva est, proculdubio participata à Deo est, & ab eodem facta. Secunda, consentiunt Theologi causam secundam nullatenus agere, nisi à prima motam: ex qua prioritate causalitatis, videtur inferri specialis Dei causalitas in peccatum: siquidem cum voluntas humana peccatum non eliciat, nisi à Deo moveatur, illa motio Dei prius attingit peccatum, & voluntatem movet: quod si ita est, cum voluntas ex sua motione asseratur causa peccati, non est ratio cur Deus propter suam motionem causa peccati non dicatur. Tertia est, quia plures Theologi asserunt à Deo prædefiniri actus malos, & peccata, hocque fieri etiam prædeterminante Deo humanam voluntatem ad peccatum: qua posita sententia, quid amplius desideretur ad asserendum, Deum esse peccatorum causam? Quarta, nonnulli Theologi, imo omnes docent, Deum ab æterno multa voluisse, quæ sine peccato fieri non poterant, ut exaltationem Ioseph & Martyrum: imo & pœnitentiam, quæ cum sine peccato fieri non possint, Deus talia volendo, consequenter voluit peccata, *Qui enim vult effectum, etiam causam necessario vult.*

His tamen non obstantibus dicendum est, nullam esse propositionem Theologicam, ex qua inferatur Deum esse causam peccati: quod si aliqua talis conditionis fuerit, quæ sine hac causalitate Dei explicari non possit, eam ut falsam, & Deo injuriosam rejiciendam esse constantissime affirmo: quid sentiendum sit de præfatis, sequentes indicabunt conclusiones.

839. Dico primo: Ex prima opinione constituente essentiam peccati in positivo, nullatenus infertur Deum esse causam peccati: hanc enim opinionem defendi ut veriorem in hac ipsa disputatione sectione quinta, & argumentum, quod contra objiciebatur de influxu Dei in peccatum, ita dissolutum est subsectione undecima, ut nullus alicui relictus sit locus asserendi ex illa opinione sequi Deum esse causam peccati: ideo pro hoc asserto necessario debet videri doctrina in illa subsect. 11. tradita.

840. Dico secundo: Ex motione qua causa secunda à prima movetur, non potest inferri Dei in peccata causalitas: pro quo supponendum est duobus modis explicari à Doctoribus prioritatem illam, qua Deus causam secundam movet: Primo, prædeterminante Deo per aliquam præviam qualitatem causam secundam ad operandum, ita ut sine illa prævia motione operari

non possit voluntas, quæ prius realiter movetur à Deo, quàm ipsa se moveat, imo ut se moveat, moveri prius debet à Deo. Secundo, concurrente Deo simul cum voluntara, ita ut simul utraque causa concurrat, sitque utriusque concursus simultaneus; non enim una causa alteram determinat, siquidem Deus non ideo operatur, quia voluntas eum determinat, sed quia ita cum voluntate decrevit ab æterno operari; voluntas etiam, non ideo operatur, quia Deus eam determinat, aut movet prævio aliquo additamento, sed quia vult & potest.

841. Ego hunc secundum modum probabiliorem esse sentio, ad quod me cogit argumentum de libertate humanæ voluntatis, quo pacto enim cum illa prævia motione consistat, planè, fateor, non intelligo, ut differens de libertate potentiali ostendam: nec enim facile explicatur, quomodo Deus non sit causa peccati: ex eo enim modo dicendi sequi Deum exercere specialem causalitatem in peccatum latè ostendit Ruiz de voluntate, à disputat. 27. ad 51. Nec ex hoc simultaneo concursu sequitur voluntatem humanam operari priusquam causa prima, aut independenter, cum enim duplex sit prioritas, una dignitatis, & independentiæ, altera operationis; Deus prius operatus, quam voluntas prioritate independentiæ, & dignitatis, cum semper voluntas operetur dependanter à Deo, non tamen Deus operatur prius voluntate prioritate temporis, & operationis: sed de his alibi.

842. Dico tertio: Ex tertia propositione, quæ docet à Deo prædefiniri actus malos, non præviso voluntatis humanæ consensu, quam defendunt ferè omnes auctores prædeterminationis physicæ, inter quos Bannez 1. p. qu. 14. art. 3. §. *Ad hoc respondetur.* Aluarez disp. 29. de auxiliis, videtur inferri Deum esse causam peccati: ita sentiunt omnes ferè Doctores, quibus illa prædefinitio, & prędeterminatio displicat. Videte Raynaud. tomo 1. operis moralis dist. 14. qu. 3. art. 4. num. 345.

Et ratio horum auctorum præcipua est, quia cum prędefinire, idem sit, quod amare efficaciter, si Deus prędefiniret materiale peccati, illud amaret efficaciter, amando efficeret, efficiens etiam formale causaret, quod materiali infallibiliter; & necessario prævidetur inesse, quomodo enim potest amari fundamentum necessarium malitiæ, quin ipsa malitia ametur? inde ut aiunt, jam Deus non prohiberet peccatum, quod prædefiniendo vult: hac enim ratione ductus D. Anselmus lib. de lib. arbitrio cap. 8. asseruit non esse reprehendendos peccatores, si ea agerent, quæ Deus prædefiniret.

843. Dico quarto: Ex ea propositione, quæ asserit Deum velle plura, quæ sine peccata effici non possunt, non sequi Deum esse causam peccati, si Deus præviso consensu voluntatis erga peccatum, quod illorum causa futura est, ea prędefiniat, & velit; videri tamen futurum causam peccati, si non pręviso peccato, illa prædefiniat: nam in primo casu Deus non cogitur assumere illa peccata, aut illa causare ut media necessaria ad finem, quin potius cum voluntatem determinatam prævideat ad peccandum, peccatis futuris bene utitur, peccata ordinans ad bonos fines, hoc autem nihil aliud est, quàm permittere peccata ob bonum finem: in secundo casu, Deus esset causa peccatorum, cum enim eadem sit voluntas finis ac medii, si absolutè, & efficaciter voluit Deus finem absque prævisione peccati, qui finis sine peccato consequi non potest, volens finem, necessario voluit medium necessarium ad finem efficaciter volitum, & intentum: sed de his in suis locis.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrum Deus ut causa specialis possit inclinare voluntatem ad graviter peccandum inclinatam ut levius peccet.

844. PRocedit difficultas de peccato intrinsecè malo: quod modo appellatur levius respectu alterius peccati gravioris, ut est fornicatio simplex respectu adulterii, & hoc stupro, & stuprum ratione infamis peccati.

Respondetur negativè, quia ille recessus à graviori peccato, ad quod faciendum inclinata est voluntas, ut supponitur, esset finis, quo honestaretur illa inclinatio, qua Deus inclinat voluntatem ad levius peccatum, & ipsum levius peccatum foret medium illius finis, nimirum recessus à graviori peccato: atqui ille finis non potest honestare inclinationem ad levius peccatum; ergo à Deo ita inclinari non potest voluntas. Consequentia optima est, siquidem Deus non potest inclinare homines ad peccatum, cum enim plus sit inclinare ad peccatum, quam velle peccatum, si non potest velle peccatum, nec etiam inclinare: Minor ostenditur, quia ille finis non potest auferre intrinsecam malitiam volitionis intrinsecè malæ: si enim quis, ne committat adulterium, fornicatione simplici exercetur, non ideo desinit peccare, quia eligit fornicationem ob adulterium vitandum, eodem enim peccato tenetur adstrictus, ac si absque illo fine recedendi ab adulterio, fornicationem committeret.

845. Et confirmatur ex doctrina Augustini, libro de mendacio, pręcipuè cap. 7. quo ostendit; non diverso peccandi genere, nec diversa culpa, peccare eum, qui absolutè mendacium profert, quam si illud ob evitanda majora mala proferret, nec etiam si proferret ob intuitu obtinendi bona, eo quod illi fines, nimirum recessus à majori malo, vel accessus ad bona, non possint exuere actum intrinsecè malum à sua malitia.

846. In qua quidem veritate fundatur alia non minor, quam disputat. 3. à numer. 590. ad numer. 615. docui, nimirum nullatenus eligi posse medium intrinsecè malum ob finem aliquem honestum; eo quod finis honestus, quilibet ille sit, non possit honestare actionem, sive electionem medii intrinsecè mali: ex qua doctrina, sic formo argumentum: si quis propter finem bonum & honestum eligit medium intrinsecè malum, peccat: atqui si Deus, ne homo gravius peccaret, eligeret medium intrinsecè malum, ob finem honestum, nimirum ob recessum à majori peccato, eligeret peccatum ob finem honestum; ergo peccaret.

847. Objicies: Potest licitè quisque minus malum consulere, ut majus evitetur; ergo etiam Deus voluntatem ad gravius peccandum inclinatam, poterit inclinare ad levius peccandum. Antecedens constat ex consilio, quod dedit Ruben fratribus, ut Ioseph potius mitterent in cisternam quàm occiderent: & quod eisdem dedit Iudas, ne mortem inferrent Ioseph relinquentes eum in cisterna, & consuluit fore, quod venderetur Madianitis. Respondetur, nego consequentiam, diversa ratio est, quia qui consulit minus

malum, non inclinat hominem ad peccatum etiam levius, sed solum intendit evitare majus peccatum: quod bonum est, ut illa venditio, & omissio circa Ioseph ex se non erant malæ, imo poterant esse bonæ, ex intentione servandi, & redimendi fratrem.

QUARTA DIFFICULTAS.

Vtrum Deus possit infundere voluntati creata actum peccaminosum, vel intellectui errorem?

848. Respondetur negativè, est communis sententia, quam inter alius tradunt Belanus de actibus supernat. disp. 10. dub. 2. numer. 28. & 29. Ruiz de voluntate disp. 28. sect. 7. disp. 71. sect. 1. n. 7.

Primo, quia Deus non potest esse causa specialis actus odii verbi gratia, quando simul concurrit cum causa creata; ergo à fortiori non potest se solo producere ut causa specialis prædictum actum odii: non enim aliqua ratio assignari potest diversa, nam ex eo implicat Deum simul cum voluntate producere ut causa particularis peccatum, quia Deus diceretur causa peccati, & volens peccatum: atqui Deus producens se solo peccatum, est causa totalis, & specialis peccati; ergo à fortiori non potest Deus, ut causa specialis, producere peccatum.

849. Secundo, dato, quod à Deo solo possit produci actus vitalis, non enim certum est à Deo solo produci posse actus vitales, numquam actus peccati, verbi gratia, odium Dei, à Deo solo produceretur: nam illa entitas peccati à solo Deo producta essentialiter tendit in objectum malum, & quantum ex se est, amplectitur destructionem ipsius Dei: atqui Deus non potest velle, & minus facere, quod aliquis eum odio prosequatur, cum hoc esset velle malum, quia malum est.

850. Tertio, vel actus, quem Deus poterat se solo producere, foret intrinsecè malus, vel malus quia prohibitus: de secundo, non est dubium à Deo posse produci, cum eo ipso, quod à Deo producitur, malus non sit ea de causa, quia aufertur malitia ablata lege, quam Deus ut supremus Legislator auferre potest: sed hoc non est intra terminos quæstionis, cum jam à Deo non producatur actus malus. Si intrinsecè malus, non potest Deus illum se solo producere, quia talis actus est contrarius divinis attributis, & Deus determinatus ad eum odio prosequendum, & lege prohibendum, qui enim aliquid determinatè amat, determinatè etiam odit, quicquid ei contrarium est; cum ergo Deus diligat determinatè veritatem, bonitatem, justitiam, puritatem, & alia sua attributa, determinatè odio prosequetur mendacium, odium sui, homicidium, stuprum, & similia; ergo non poterit producere se solo aliquem ex actibus, qui circa objecta intrinsecè mala versantur: nam si ullum produceret, foret ex volitione efficaci, & amore illius, cum autem amare non possit efficaciter actum contrarium alicui ex suis attributis, profecto nec ullum actum malum intrinsecè producere poterit.

851. Quarto, si homo talem actum eliciat, dignus est æterna pœna; ergo neutiquam Deus illum producere potest. Probo consequentiam, quia quicquid Deus absolutè velle potest, & facere, non est dignum culpa, non pœnæ addictum, non reprehensioni obnoxium, ergo si homo illud ipsum, quod Deus vult, & facit, faciat & velit, non erit dignus pœna; imo erit dignus laude, cum nulla major laus possit hominibus evenire, quam Deum imitari: & hic habet locum ratio S. Anselmi supra dati n. 842.

852. Tandem argumentor pro hac sententia: Si Deus potest infundere voluntati humanæ actum peccaminosum, etiam poterit infundere intellectui humano errorem, & mendacium: atqui si semel admittatur à Deo posse intellectui infundi errorem, & mendacium, actum est de fide catholica, omnisque fidei infallibilis veritas nutat, ac vacillat; ergo dicendum est non posse à Deo infundi actum peccati: consequentia certa videtur ex paritate rationis, non enim magis repugnat voluntati peccatum, quàm intellectui error, nec magis repugnat bonitati Dei peccare, quam fallere veritati Dei.

Minor autem probatur, quia tota fides nititur in eo, quod Deus sit summa veritas revelans, quæ nec fallere potest homines, nec ab hominibus falli potest, ut constat ex doctrina ab omnibus Theologis approbata in materia de fide: atqui si Deus potest infundere errorem intellectui humano, potest fallere homines; ergo jam ruit totum fundamentum, cui innititur fidei catholicæ ædificium: unde præclarè magnus Augustinus lib. contra mendacium cap. 8. jugulans jam oppositæ sententiæ phantasiam, ait: *Quomodo credendum est ei, qui putat aliquando esse mentiendum, ne fortè, & tunc mentiatur cum præcipit, ut credamus?* Quæ verba ultro arripiens, inquiro quo pacto credendum est Deo, cum præcipit ut ei credamus, si non solum putat posse homines mentiri, sed ipse facit, producens mendacium in eorum intellectibus, ut mentiantur?

853. Dices Deum infundere posse talem actum erroris, & mendacii, in pœnam peccatorum præcedentium, sicut in eumdem pœnam excæcat, obdurat, tentat, seducit, decipit: sed contra, quia horrenda sunt ista, si attribuantur Deo, ut attribuunt Doctores oppositi infusionem erroris. Namque infundens Deus errorem, positivè operatur, & facit ut homo erret, & error, quo homo decipitur actus est positivus solius Dei: at verò excæcatio, obduratio, & similia non fiunt à Deo, faciente cæcitatem, & inducente duritiem, ac tentante homines, sed non largiens auxilia efficacia, ut ex Augustino supra monstravi à n. 832.

Quod si semel admittatur in pœnam peccatorum infundi posse à Deo mendacium & errorem; quis nobis revelavit, quæcumque fuerunt dicta à Prophetis, scripta in utroque testamento, non fuisse mendacia in pœnam peccatorum scripta, & revelata, ut homines suorum scelerum pœnas luerent, dum mendaciis credentes, omnem salutis viam ignorarent? Si enim in uno casu hoc dici potest, cur non in omnibus? & si semel fallere Deus potest, cur non sæpe? & si sæpe, cur non semper?

854. Quare ego ita sentio de veritate summa Dei, ut quamquam mitiori calamo feriam aliquas opiniones duriusculas, imo quantum veritas patitur omnes à censura liberem, parcens hominibus Doctis, non tamen non acquiescam censuræ quam Ægidius de Coninch. sive Belanus citatus dub. 1. à num. 5. cum Vasq. Valent. & Turriano affixit contrariæ sententiæ, eam damnans, ut temerariam, & scandalosam. Optime Augustinus lib. 1. de Symbolo cap. 1. *Deus omnipotens est, & cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, & quod ait Apostolus, negare seipsum*

non potest : quam multa non potest. & omnipotens est, & ideo omnipotens, quia ista non potest.

855. Non desunt tamen Doctores, qui existiment à Deo posse infundi actum peccati in voluntatem humanam. Gregor. Almayn. Aliacens. Olcbot apud Ruiz de voluntate disput. 1. sect. 7. num. 13. & disput. 41. sect. 1. num. 6. qui omnes asserunt ex eo à Deo talem actum posse infundi voluntati humanæ, quia ille actus non est malus, quando à Deo solo fit, eo quod productus à Deo solo, non potest habere malitiam, cum hæc tota proveniat à libero arbitrio creato.

Probant primo, quia Deus potest in amentibus & ebriis causare se solo actum erroris, & mendacii, odii, & adulterii, similesque sine imputabilitate causæ creatæ; ergo etiam sine imputabilitate propria. Probatur consequentia, tum quia non datur major ratio: tum quia ideo non imputatur illorum actuum malitia, amentibus, & ebriis, quia deest eis principium à quo provenit malitia, nimirum libertas creata.

Respondetur negando consequentiam: ad probationem, primo datur diversa ratio, quia non imputaretur culpæ amentibus, & ebriis, defectu advertentiæ, & libertatis ad peccatum requisitæ; Deus verò si solus illos actus produceret, fores cum summa advertentia, & libertate, nullaque ratione excusari posset à culpa, si enim amentes, & ebrii haberent advertentiam & libertatem, eis imputarentur ad culpam. Secundo, quia libertas creata non est causa malitiæ, nec imputabilitatis, sed tantùm conditio, ut malitia actus imputetur; non enim ideo imputatur actus culpæ, quia est voluntas libera, aliter omnis actus liber esset culpabilis, sed quia actus malus est: de quo latè disputat. 3. à n. 856. inde cum Deus sit summè liber, si velit actum malum, culpæ imputandus est.

856. Secundo, Deus potest producere, & proponere intellectui speciem objecti absentis: atqui intellectus ex illa specie occasionem sumeret judicandi talis speciei objectum esse præsens; ergo etiam Deus poterit producere se solo illud judicium; ergo absolutè poterit infundere judicium falsum: si enim potest producere speciem, qua homo ad assensum falsum determinetur, cur non poterit producere judicium ex specie ortum? Respondetur, negando consequentiam: totus enim ille error est ex parte intellectus humani, qui imprudenter judicavit objectum esse præsens, cum species repræsentet objectum præsens objectivè, abstrahens à præsentia, vel absentia: Deus enim fuit occasio solum proponens indifferentes speciem, nec oculus tunc fallitur, sed intellectus.

857. Tertio, congerunt plura scripturæ loca, ex quibus videtur colligi, Primo, Deum loquutum fuisse falsa per Prophetas. Secundo, Deum tum per se, cum per alios fuisse causam, ut homines deciperentur. Tertio, plures Sanctos ex Dei voluntate fuisse mentitos. Non exprimo loca, satis sit sensus. Respondetur cum Belano citato dub. 2. à num. 20. negando aliquid ex allatis in argumento colligi ex locis Scripturæ sacræ. Primo namque, verba quibus ex præscripto Dei Prophetæ supplicia ventura prædixerunt, comminatoria tantummodo erant, & conditionalia, si nimirum pœnitentiam non agerent illi, quibus dicebantur. Secundo, quia falsum est decipi homines à Deo positivè, est enim solum permissio, ut bene ex Augustino dixi supra à num. 812. Tertio, quia falsum est aliquem sanctorum Patriarcharum ex Dei voluntate fuisse mentitum, de quo disput. 3. à num. 605. quod si admittatur Sanctos illos fuisse mentitos, quis dubitat ex suæ voluntatis defectu, repugnante Dei veritate, & lege ab eis fuisse mendacia prolata? *Deo enim, nec per somnium, nec per signa convenit decipere, nec per spectra.* ut optimè Dialogo de republica asseruit Plato, homo gentilis, à quo Doctores Christiani discant, quo pacto sentiendum sit de divina veritate.

QUINTA DIFFICULTAS.

Utrum saltem à Deo possit infundi voluntati habitus vitiosus?

858. Quæstio in duplici sensu excitatur, quem ego unicum esse judico. Primo, utrùm Deus se solo possit producere habitum vitii, vel erroris? Secundo, utrùm concurrens cum causa creata, ut causa specialis, possit illum producere? & in utroque sensu respondeo negativè. Ita Suarez in Metaph. disput. 44. sect. 13. num. 13. & 1. 2. tract. 4. disput. 4. sect. 1. num. 6. Turrian. 2. 2. disp. 3. dub. 4. Lorca 1. 2. quæst. 71. disp. 4. §. *Sed ex hoc*, Belanus de actibus supernat. disput. 10. dub. 2. num. 30. cum Vincentio, & Medina: Ruiz de voluntate Dei disputat. 41. sect. 1. num. 4. cum Azor, Aragonio, Aluarez Navarrete.

Primo, quia sequeretur Deum esse causam particularem vitii, vel erroris. Probatur sequela, quia ille habitus est causa per se, & directè inclinans, facilitansque voluntatem ad vitium, vel errorem, ex illo enim sequitur unicus, & immediatus effectus, vitium vel error; atqui *Quod est causa causæ, est causa causati in eodem genere causæ*; ergo si Deus foret causa specialis habitus, qui est causa vitii, vel erroris, simul foret causa vitii, aut erroris.

859. Secundo sequeretur, Deum esse tentatorem, cum tamen Deus intentator malorum sit, neminemque tentet. Probatur sequela, quia ideo Diabolo nomen tentatoris attribuitur, quia consulit, suadet, & movet voluntatem, ut peccatum velit: atqui plus movet habitus, quam consilium, suasio, vel alia similis motio moralis; cum habitus faciliter, inclinetque naturaliter potentiam; ergo si Deus produceret habitum vitii, vel erroris, fortiori jure diceretur tentator, quàm Diabolus dicitur.

860. Tertio, Deus voluntatem inclinatam ad gravius peccatum, non potest ad levius inclinare, ut ostendi difficultate tertia; ergo nec se solo, vel ut causa specialis, poterit producere habitum vitii, vel erroris. Probo consequentiam, quia per habitum illum inclinaret voluntatem neutiquam paratam ad peccandum, ad peccatum, habitus enim inclinatio est, qua potentia facilitatur, & propendet velut pondere in objectum: atqui pejus est inclinare ad peccandum voluntatem, quæ ad peccatum non inclinat, quàm inclinatam ad gravius, ad levius inclinare: Siquidem inclinare voluntatem non paratam ad peccandum nullum finem habet, quo colorari possit productio habitus; inclinare autem ad leve peccatum voluntatem ad grave inclinatam, habet finem, qui videtur honestus, recessus scilicet à graviori damno: ex quo diminuitur malitia; ergo si Deus non potest inclinare voluntatem ad leve peccatum, quamvis inclinata sit ad grave, minus poterit infundere voluntati habitum vitii, quo voluntas adhuc ad peccatum non inclinata, inclinetur ad peccatum.

861. Contraria sententia placuit Vasquio 1. 2. disput. 90. cap. 4. num. 11. 3. part. disput. 61. n. 59. Herrer. de peccatis disput. 35. q. 1. §. *Tertio est notandum*, Ripalda de ente supernaturali tom. 1. lib. 3. disp. 59. num. 5. cum hac tamen limitatione prædictam sententiam defendit, dummodo habitus versetur circa objectum contingens, requirit enim in objecto circa quod versatur ille habitus, veracitatem saltem possibilem, & alii apud Turrianum citatum.

Primo, Deus produxit appetitum sensitivum: atqui appetitus sensitivus inclinat ad peccatum; ergo similiter, licet habitus ille inclinet voluntatem ad peccatum, à Deo produci poterit. Respondetur, distinguo minorem: per se, & directè, ac determinatè, nego: indirectè, & indifferenter, concedo: non enim appetitus determinatè inclinat ad malum, sed indeterminatè, inclinat enim ad bonum delectabile, quod cum sæpe conjungatur cum malitia, inde inclinat etiam ad malitiam, habitus verò inclinat determinatè ad peccatum: & sic intelligitur doctrina tradita supra sect. 7. subsect. 1. de inclinatione naturali appetitus ad malum; ibi enim numer. 222. ostendimus ex eo quod Deus produxit appetitum sensitivum, qui naturaliter inclinat ad peccatum, non sequi, quod Deus sit causa peccati. Secundo, quia Deus producens hominem, & ejus potentias, est auctor generalis naturæ, teneturque producere omnia, quę tali naturæ conveniunt: in productione verò habitus, se habet ut causa specialis.

862. Secundo, posito habitu voluntas adhuc manet libera; ergo ad exercitium libertatis poterit Deus habitum vitiosum producere. Respondetur, nego consequentiam: aliter cum posito auxilio, & consilio, ac tentatione, voluntas adhuc maneat libera, Deus poterit tentare, consulere, omneque auxilium præstare ad peccatum, quod solus impius asseverare audebit.

863. Tertio, potest Deus, posito illo habitu, tribuere talia auxilia voluntati, ut voluntas vincat inclinationem; ergo jam Deus infundens habitum peccati, non inclinat voluntatem ad peccatum. Probo consequentiam, quia ad effectum operationis, ille habitus in illis circumstantiis est, ac si non esset: antecedens verò ostenditur, quia cum Deus det majorem propensionem ad bonum, poterit Deus infundere habitum, ut plus homo mereatur. Respondetur negando antecedens, quia semper Deus per illum habitum voluntatem inclinaret ad peccatum, quod enim *ex se est tale, semper tale est*: habitus autem ille ex se, & determinatè inclinat ad peccatum: & quamquam in illis terminis nulli periculo exponat Deus voluntatem, cui habitum infunderet, nec ex parte voluntatis repugnaret, repugnat tamen ex parte Dei, cujus summæ bonitati repugnat inclinare voluntatem ad malum; & veritati, inclinare intellectum ad errorem.

864. Quarto, dato quod Deus produceret homines absque ullo ordine ad legem, poterit Deus in eorum intellectu, & voluntate habitus vitii, vel erroris producere; ergo & modo. Respondetur primo supponi probandum, posse homines produci sine ordine ad legem, saltem naturalem, & æternam. Secundo, negando consequentiam, data enim suppositione, habitus non foret malus, cum non versaretur circa objectum prohibitum: eo modo, quo Deus potest producere habitum circa objectum, quod pro tunc non est prohibitum, licet antea prohibitum foret.

865. Quinto, Deus multoties offert, & proponit occasiones malorum; ergo & infundere poterit habitum vitiosum. Respondetur, distinguo antecedens: vel bonas, vel indifferentes ad bonum, & malum, concedo: determinatas ad malum, nego: deinde, nego consequentiam; quia habitus inclinat determinatè ad malum. Et hanc doctrinam veram esse existimo, etiamsi habitus incliner ad malum intrinsecè, licet invincibiliter esse malum ignoretur: eo quod Deus semper ex se ad bonum inclinat, etiam materialiter.

SECTIO DECIMA-SEXTA.

De causa materiali, sive de subjecto peccatorum.

Explicatis causis internis, & efficiente externa peccatorum, superest exponenda causa materialis, sive subjectum, in quo recipiuntur: & non est lis de supposito agente, cum constet hoc esse omnem creaturam intellectu & voluntate præditam, sed de potentiis, in quibus esse potest peccatum, cum enim omnes potentiæ circa peccata versentur, ut voluntas circa odium, circa hæresim intellectus, appetitus circa delectationem morosam, & circa objecta mala, omnes potentiæ etiam externæ; non est facile expedire, utrum peccatum in omnibus his potentiis recipiatur, quod per sequentia expedietur.

SUBSECTIO PRIMA.

In quibus potentiis recipiatur peccatum?

866. Dico primo, In voluntate est verè & propriè peccatum imputabile ad culpam, & cui respondet pœna, ita ut solus voluntatis consensus, etiamsi in exteriorem actum non exeat, est verè, & realiter peccatum. Conclusio est de fide: Videantur Suar. 1. 2. tract. 5. disput. 5. sect. 1. num. 2. Curiel quæst. 74. art. 2. in Commentario. Apertè traditur Matthæi 5. n. 28. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde*: Deducitur ab Augustino lib. de mendacio cap. 16. ex illo Ecclesiastici cap. 7. vers. *Noli velle mentiri*, quem locum sic exponit, *Vt etiam si quis mentiri velit, etsi non mentiatur, iam voluntas ipsa damnanda sit.* Ideo enim, ut ait, dicit noli velle mentiri, ut non solum intelligatur mendacium esse peccatum, sed etiam mendacii volitionem: constatque ex Psal. 65. vers. 18. *Iniquitatem si aspexi in corde meo*: inde nono & decimo Decalogi præcepto actus mere interni voluntatis prohibentur: & ex hoc fonte est, quod in Angelis fuit peccatum, cum solum esset in eorum voluntate. Unde Iudæi omnium hæresum sentina, pessimè erraverunt, dum solis actibus externis addixerunt malitiam & peccatum.

867. Dico secundo: In intellectu recipitur peccatum; ita Suar. sect. 1. num. 2. Montesi. disp. 6. quæst. 1. numer. 3. Becan. 2. p. summæ tract. 2. cap. 5. quæst. 1. num. 2. quæst. 2. num. 1. & communiter Doctores in materia de fide; quia plura sunt peccata specialia, quæ in intellectu consummuntur, ejusque actibus adhærent: primo ignorantia rerum, quas scire tenemur: secundo, error de objecto de se malo, ut hæresis, & infidelitas; ut enim scientia, & fides in intellectu recipiuntur; ita & ea quæ fidei ac scientiæ opponuntur, contraria siquidem circa idem subjectum versantur.

868. Dico tertio: In appetitu sensitivo datur peccatum mortale: est communis sententia, ut notavit Curiel 1. 2. quæst. 74. art. 3. dubit. 1. Be-

csn. quæst. 4. num. 4. Herteradisp. 33. de peccatis quæst. 4. in 6. conclusione: appetitus enim sub plenissima advertentia, & deliberatione intellectus, & voluntatis, potest elicere actum contrarium legi in materia gravi; ergo poterit peccare, cum actus ille ex imperio voluntatis eliciatur, & habeat pro objecto materiam graviter prohibitam: ex quo etiam peccatum veniale tam ex defectu materiæ, quàm ex defectu advertentiæ, dabitur in appetitu; cum eadem sit ratio.

869. Si quæras, cur D. Thomas 1. 2. quæst. 74. art. 3. dixerit in appetitu sensitivo dari, recipique peccatum veniale, non mortale: Respondeo, cum appetitus sit causa inadvertentiæ, defectus advertentiæ, ex quo peccatum veniale, appetitui ut causæ attribuitur principali, non voluntati: & cum peccatum mortale, vel etiam veniale, aut ex genere suo, aut ex defectu materiæ fiat sub deliberatione voluntatis, à voluntate ut à radice provenit, ideo voluntati ut causæ principali attribuitur: non quod in appetitu non sit mortale, aut veniale, sive ex genere, sive ex defectu materiæ, nec in voluntate non sit peccatum veniale ex defectu advertentiæ: sed quia hoc ab appetitu, illud à voluntate, & ratione, ut à radice proveniunt: consulite Montesin. disputat. 6. quæst. 4. num. 38.

870. Dico quarto: In omnibus potentiis externis, quæ imperio voluntatis subjiciuntur, recipiuntur peccata: ita omnes Doctores cum Magistro ad 2. sentent. dist. 42. & cum D. Thom. 1. 2. quæst. 74. videantur 1. 2. Vasq. disp. 105. cap. 4. Suar. tract. 5. dispur. 6. sect. 8. num. 2. Montesin. quæst. 3. Becan. quæst. 7. num, 2. etenim in plurimis Scripturæ sacræ locis damnantur multi actus potentiarum externarum, ut motus linguæ circa perjurium, mendacium, blasphemiam, convitia: motus brachii circa homicidia, mutilationes, & similia: in tactu, venerei contactus; in auribus, delectabilis, & obscœnus auditus, in oculis rerum visibilium variæ visiones ad peccatum allicientes, quæ omnia sub imperio, & advertentia voluntatis & rationis exercita, sunt peccata.

871. Dices contra omnes conclusiones, excepta prima: Malitia inhæret immediatè actui; ergo potentia non est subjectum peccati, & malitiæ formalis. Respondetur, distinguo consequens: immediatè, concedo: mediatè, nego: Licet potentia non sit immediata causa, est mediata ratione actus, quem immediatè recipit. Dices secundo: Sine libertate nullum datur peccatum: atqui sola voluntas est libera; ergo sola est subjectum peccati. Respondetur, distinguo minorem: secundum se, & formaliter, sive efficienter, concedo: denominativè, & imperativè, nego: Licet enim secundùm se, potentiæ externæ non sint liberæ, sunt tamen si imperentur à voluntate, cui subjiciuntur; ideo licet actus, verbi gratia, visus, non sit secundùm se, & remoto imperio, ac consensu voluntatis, peccatum, quia ut sic, non est liber, fit tamen liber, si à voluntate imperetur, & si non imperetur secundùm rationis regulas, erit peccatum.

Major difficultas erat, explicare modum, quo actus potentiarum, quæ à voluntate sunt distinctæ, sunt peccata? Sed de hoc latissimè actum est disp. 3. tota sect. 12.

SUBSECTIO SECUNDA.

Quo pacto sit peccatum in ratione superiori, & inferiori.

872. Plus decidendum est, quàm inquiritur: quæstionis resolutio parum difficultatis habet; nonnullam, expositio terminorum: non enim satis liquet, quæ sit ratio rationis superioris, & inferioris: distinxit enim Augustinus rationem in superiorem, & inferiorem: superiorem, appellavit sapientiam, quæ versatur circa res æternas, & incommutabiles: inferiorem, scientiam dixit, quæ versatur circa res temporales, & caducas: ita lib. 12. de Trinit. cap. 15. distinctionem approbaverunt omnes Theologi cum Magist. in 2. dist. 24. ubi Scot. q. unica, & cum D. Thom. 1. 2. q. 74. ab articulo 7.

In his rationibus existimet Augustinus cap. 12. repræsentari conjugium, quod celebratum fuit inter nostros primos parentes, respondente Adamo, ratione superiori; Hevæ, inferiori: sensualitatem autem comparat serpenti; sicut enim serpens Hevæ comestionem persuasit, & non Adamo, & Heva acceptavit, obtulitque Adamo: ita sensualitas offert rationi inferiori delectationem, & non superiori: acceptat ratio inferior delectationem, eamque offert rationi superiori, ut consentiat, & comedat per imperium in actum externum, ubi peccatum consummatur. His præsuppositis ex Augustino, ut mens Augustini rectè exponatur; aliquibus dubiolis, quid sint hæ rationes; apparebit.

873. Primum, quid intellexerit Augustinus per res æternas, & temporales? Variant Doctores, nam Vasques 1. 2. quæst. 74. art. 7. disp. 105. cap. 4. Montesin. disp. 6. quæst. 7. num. 79. Curiel in Commentar. dicti art. 7. ex doctrina Cajetani, docent intellexisse Augustinum per rationes æternas, illa, quæ fiunt secundùm legem æternam: per temporales, omnia quæ fiunt secundùm commoditatem, non attendendo ad rationem virtutis, vel vitii oppositi, unde commoditas est res temporalis, ratio virtutis secundùm legem æternam, æterna: inde peccatum factum attenta ratione virtutis, est in ratione superiori, attenta commoditate est in ratione inferiori.

Alii verò, inter quos sunt D. Thomas, citato art. 7. in corpore §. *Manifestum*, Scotus in 2. dist. 42. quæst. 4. num. 2. & num. 4. & verius, intellexisse Augustinum asserunt, per rationes æternas, ipsas res æternas, & divinas, nimirum voluntatem, & legem æternam, secundùm quas consulit intellectus: per res verò temporales illa quæ versantur circa naturalia etiam habentia rationem virtutis, & vitii: Nec de hac expositione dubitandum erat, siquidem Augustinus citatus cap. 13. ita has rationes exposuit. Unde cum Augustinus generaliter in omnibus hominibus has duas rationes consideret, non est admittendus Lorca, dum disp. 25. de peccatis, eas in infidelibus & rusticis non admittit: rationem enim superiorem etiam prædicti obtinent, ut bene notavit citatus Montesin. num. 82. Licet enim expressè non distinguant rationem superiorem, ac legem æternam, implicitè tamen illam attingunt, cum nullus sit adeò hebes, & insipiens, qui invincibiliter ignoret esse Deum, esseque legem æternam primam, ad quam, ut ad mensuram cæterarum recurrendum est.

874. Secundum dubium, in quibus potentiis considerentur ratio superior, & inferior. Res-

ponderur, in voluntate, intellectu, & memoria considerari rationem superiorem, & inferiorem. Ita expressit Scotus num. 2. estque de mente D. Thom. 1. 2. qu. 15. art. 5. ad secundum, art. 7. ad primum. Et proculdubio hæc est mens Augustini, quippe qui in ratione superiori, & inferiori, sanctissimæ Trinitatis imaginem agnoscit, quam simul in tribus illis potentiis recognoscit: unde sicut intellectus considerans res æternas, dicitur ratio superior; & inferior, dum temporales considerat: ita memoria, ut conservat principia intelligendi res æternas, appellatur ratio superior, & inferior conservans principia intelligendi res temporales: similiter voluntas consentiens rationi dirigenti secundùm rationes æternas, dicitur superior, & inferior dum consentit eidem rationi dirigenti secundùm rationes temporales.

875. Tertium dubium: Vtrùm voluntas, intellectus & memoria dicantur simul ratio superior, & inferior. Respondetur affirmativè cum Scoto num. 3. ut enim arguit, vers. *Et dico*, ad eamdem potentiam pertinet cognoscere principium ad quod, ut ad primam mensuram operatur agens secundùm rationem superiorem: & temporalis se habet ut conclusio deducta ex illo principio; ergo ad eamdem potentiam spectabit cognitio rerum æternarum, & temporalium, sive principii, & conclusionum, sive ratio superior, & inferior.

876. Quartum dubium: Vtrùm omne peccatum, quod in ratione superiori, & inferiori reperitur, oriatur à sensualitate. Respondetur affirmativè regulariter, non tamen absolutè: ut supra resolvi sect. 14. subsect. 2. difficultat. 2. à numero 804.

877. Quintum dubium: Vtrùm consensus in actum ad rationem superiorem; in delectationem, ad inferiorem rationem pertineat? Notandum duplicem esse delectationem, unam operis, alteram cogitationis: illa est simul cum opere, & ex opere nascitur: hæc oritur ex cogitatione operis, & allicit voluntatem ut opus fiat. Respondetur, consensum in actum, sive in delectationem quæ datur cum opere, & ex opere oritur, pertinere ad rationem superiorem; consensum verò in delectationem, quæ oritur ex cogitatione operis, & ad opus allicit voluntatem, pertinere ad rationem inferiorem. Ita Augustinus citatus, & ex eo omnes Theologi. Ratio est, quia causæ ultima determinatio, & decisio ad supremum tribunal spectat: atqui ratio superior est ultimum tribunal, & judicatorium; ergo cum consensus in actum, sit ultimus consensus, & ultimum judicium; & consensus in delectationem præambulum ad actum, ille ad rationem superiorem, ad inferiorem iste spectabit: si quis tamen cogitet de opere ob solam delectationem, tunc ista delectatio ad rationem superiorem spectabit, tunc enim est ultima, & consensus ejus ultimus.

878. Dices: Sicut homo advertens ad rationes temporales potest in delectationem consentire, ita etiam secundùm easdem potest in opus consentire; & è contra sicut advertens ad rationes æternas potest consentire in opus, ita & secundùm easdem potest in delectationem consentire; ergo in una, & alia ratione, & actus, & delectationis consensus reperitur. Respondetur, distinguo antecedens: secundùm rem, & absolutè, concedo: appropriative, nego: Verum enim est, quod indiscriminatim unus & alter consensus reperitur modo in ratione superiori, modo in inferiori, tamen appropriativè dicitur consensus in opus pertinere ad rationem superiorem, & ad inferiorem consensus in delectationem, ut licet potentia, sapientia, amor absolutè pertineat ad unamquamque personam, appropriatur tamen potentia Patri, sapientia Filio, & amor Spiritui sancto.

879. Sextum dubium est, in quo directè respondetur titulo difficultatis, nimirum: Vtrùm peccatum reperiatur in utraque ratione. Respondetur affirmativè: Probatur primo de superiori, quia hæc secundum regulas æternas temporalia gubernat; ergo si in illo regimine deviat à prædictis regulis, peccabit. Probatur secundo de ratione inferiori; quia si illi offeratur objectum de se malum sub plena deliberatione, & advertentia, & consentiat in delectationem propter rationes temporales, peccabit: simulque peccat ratio superior, non solum si deliberatè, & formaliter consentiat, sed etiam si tantùm negativè se habeat, quia cum possit, & teneatur consulere rationes æternas, si eas non consulit, peccat: unde qui offendit proximum, etiamsi non advertat esse offensam Dei, peccat, quia cum teneretur advertere, non advertit.

SECTIO DECIMA-SEPTIMA.

De effectibus peccati.

NOn loquimur de primo, & capitali effectu, peccato scilicet originali; de quo tertia parte hujus disputationis est agendum, fuit enim specialis effectus primi peccati actualis, quod noster primus parens commisit: & causa sive radix omnium peccatorum, quæ postri Adami commiserunt: igitur tractatio est de effectibus illorum peccatorum actualium, quæ quisque hominum commisit; quos quidem effectus, si individuare cogeremur, magnitudine deforme hoc volumen prodiret; ideo solum explicandi sunt speciales effectus, qui ad tria capita reducuntur; primum, peccatum habituale; secundum, reatus pœnæ; tertium, ipsamet pœna: de quibus in sequentibus.

SUBSECTIO PRIMA,

De principali effectu peccati, id est de peccato habituali.

890. POstquam quisque, actuali peccato divinam majestatem offendit, peccator nominatur, etiam actuali illo peccato transacto, quia licet actu Deum non offendat, illum tamen læsit, & ex illo relicta est in homine macula, per quam verè dicitur, & est peccator, qua quidem persistente macula, diaboli est mancipium, Dei inimicus, gehennæ reus, dignusque ut cælesti regno privatus, in tartara, igne æterno cremandus, detrudatur: hæc enim macula est præcipuus effectus peccati actualis, adeo tamen obstrusa est prædicti effectus natura, ut difficillime explicetur; faciam tamen, ut quicquid de illa dixerim, & Ecclesiæ, & sancto Augustino sit conformius; quod claritatis gratia per sequentes præstabo difficultates.

PRIMA DIFFICULTAS.

Quæ sententiæ sint circa essentiam peccati habitualis.

891. HÆc quæstio, cum ferè coincidat cum quæstione de essentia peccati originalis, quæ de peccato originali sententiæ circumferuntur, ferè omnes applicantur quæstioni de essentia peccati habitualis, cum enim peccatum

originale sit habituale Adami, & idem cum illo; quæ de uno dicuntur, ferè videntur de alio dici. Prima igitur sententia est, peccati habitualis essentiam consistere in qualitate quadam morbida relictâ ex peccato actuali: ita quam plures Scholastici referendi in hac disp.n.1193. qui peccati originalis essentiam in illa qualitate morbida constituunt.

892. Secunda sententia docet peccati habitualis essentiam constitui in habitu vitioso relicto ex peccato actuali: tribuitur Gregorio Ariminensi in 1. dist. 30. qu. 1. eo quod ibi peccatum originale constituat in habitu vitioso.

893. Tertia sententia docet peccati habitualis essentiam collocandam esse in obligatione ad pœnam: ita sentire Durandum, Ochamum, Tarteretum, Aquilam, Gabrielem, Guillielmum Parisiensem, Olchot, Almainum, asserit Vasq. 1. 2. disp. 39. cap. 1. num. 4. à quorum numero excipit Salas t. 2. tract. 13. disp. 14. sect. 3. n. 9. Durandum, & Medinam; sed immerito, cum expresse prædictæ suffragentur sententiæ.

894. Quarta sententia, affirmat peccatum habituale consistere in privatione gratiæ sanctificantis: ita D. Thom. 1. 2. qu. 86. art. 1. sequuntur discipuli, quibus relatis accedit Montesin. disput. 16. qu. 4. num. 69. Eamdem sententiam ex ea parte, quod privatio gratiæ, sit de essentia peccati originalis, tuentur Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 9. sect. 3. num. 13. & in 1. 2. tract. 3. disp. 8. sect. unica num. 15. Bonacin. tom. 2. disp. 2. punct. 1. num. 2. Azor 1. part. institutionum moralium lib. 4. cap. 8. quæst. 8. & 9. Sayrus in clavi lib. 2. cap. 13. num. 4. Becan. 2. p. Summæ tract. 2. cap. 7. num. 5. Lorca t. 2. disp. 21. sect. 3. n. 3. disp. 36. sect. 6. Salas tract. 13. disp. 14. sect. 1. & major recentiorum pars.

895. Quinta sententia docet peccatum habituale esse idem peccatum actuale moraliter in homine perseverans. Ita Medina, Zumel, Bassolis, Soto, Stapleton, & Corduba, quos relatos sequitur Granad. in contr. 6. tract. 8. disp. 1. sect. 2. a num. 2. Ægid. Bellan. de sacramentis tom. 2. d. sp. 2. de pœnit. dub. 10. n. 91. Cardinalis de Lugo de pœnitentia disp. 7. sect. 4. n. 48. Perez de pœnit. disput.

896. Sexta sententia docet peccatum habituale consistere in privatione gratiæ, & in actuali peccato perseverante per modum habitus. Ita Vasq. 1. 2. disp. 139. cap. 3. Suar. tom. 1. in 3. part. disput. 4. sect. 8. tom. 4. disp. 9. sect. 4. n. 14. 22. & 23. & in 1. 2. n. 3. dispot. 8. sect. unica num. 15. tom. 3. de gratia lib. 7. cap. 13. num. 15. Lorca 1. 2. disput. 50. §. *Quinta & vera*. Herrera de peccatis disp. 41. qu. unica, §. *Tertia conclusio*. Becanus 2. p. summ. tract. 2. cap. 7. n. 2. Bonacin. supra numer. 2. latissimè Zribaine in 4. sentent. Scoti dist. 14. qu. 1. disp. 1. sect. 8. & plurea quos relatos sequitur Salas t. 2. tract. 13. disput. 14. sect. 4. Cardinalis de Lugo de pœnit. disp. 7. sect. 5. num. 41. Herice 1. part. tract. 2. disput. 17. num. 2. 17. & 28.

897. In explicando tamen quid sit istud peccatum actuale moraliter perseverans, mirum est, quantum varient prædicti Doctores: quidam enim docent peccatum actuale moraliter perseverans, esse idem ac peccatum non retractatum: quidam esse idem, ac peccatum non remissum: alii quatenus reddit hominem Deo exosum, ut Cardinalis de Lugo, prius Herice citatus, Granad. & Vasq. cit.

898. Ultima denique sententia est, peccatum habituale constitui in reatu culpæ seu pœnæ. Ita Gerson, Altisiodorensis, Hervæus, D. Antoninus, Capreol. Anteol. Sotus, Zumel, Valentia, & alii relati à Salas citato tract. 13. disp. 14. num. 12. Probabilem dicit Azor 1. p. moral. institut. lib. 4. cap. 24. qu. 3. defendit Bassol. in 4. dist. 14. q. 2. art. 1. §. *Quantum ad præsentem*: nec alia videtur mens Durandi in 2. dist. 42. qu. 3. & in 4. dist. 14. q. 1. ad 4. estque celebris sententia Scoti locis infra citandis.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Quid sentiendum sit de prædictis sententiis.

NOn est facile judicium proprium ferre, arcana enim est peccati habitualis cognitio, nostræ menti omnino impervia, quæ ut aliqualiter reveletur, de unaquaque sententia ferendum est judicium, & quæ probabilior fuerit amplexanda: quod aliquibus conclusionibus præstandum est.

PRIMA CONCLUSIO.

Peccatum habituale, non est ulla qualitas morbida,

899. EST omnium Doctorum contra primam sententiam, quæ omnino improbabilis est: ut lentiori calamo ostendam hac disputatione à num. 1201. & interim, quia demus non produci à peccatore illam morbidam qualitatem: erit ne homo ille peccator? Quis hoc neget: nam verè ille homo peccatum commisit; ergo non est illa morbida qualitas essentia peccati habitualis. Confirmatur, quia vel illa qualitas producitur simul, & æquè cum peccato actuali, vel transacto: non primum, quia jam peccatum actuale, non erit causa habitualis peccati; cum causa debeat esse prior aliqua prioritate: non secundum, nam in illo instanti, quo peractum est peccatum, ante considerationem cujusque qualitatis productæ peccator est maculatus.

SECUNDA CONCLUSIO.

Peccatum habituale non consistit in habitu vitioso.

900. ITa communiter Doctores contra secundam sententiam: & ex professo Scotus in 4. dist. 14. qu. 1. num. 6. vers. *Dico ergo*: & probatur, quia demus justificari magnum peccatorem; justificatus non caret habitibus vitiosis; experimur enim peccatorem post justificationem inclinari maximè in eos actus peccaminosos, ad quos ante justificationem inclinabar: atqui per justificationem aufertur peccatum habituale; ergo cum non auferantur habitus vitiosi, clarum est, quod in eis non sit constituta ratio formalis peccati habitualis. Confirmatur, quia gratia, & peccatum de facto non sunt simul: atqui gratia de facto est cum habitibus vitiosis, ut dixi hac disputatione à num. 240. ergo habitus vitiosus non est peccatum habituale: Vide Salas tract. 13. disp. 14. sect. 3.

901. Dices primo, Augustinus docet peccatum habituale esse habitum tom. 7. lib. de perfectione justitiæ quæstio 4. ubi: *Qualitas secundum quam malus est animus, etiam quando nihil agit*: atqui qualitas, est habitus ille, cum non aliud appareat, & per eam animus est malus, cum non agit, & solum per peccatum habituale dicitur malus, quando non agit; ergo juxta Augustinum in habitu collocatur essentia peccati habitualis. Respondeo: Augustinus

Augustinum intelligendum esse de malitia causali, non formali, non de eo, per quod est malus animus formaliter, sed causaliter, pro causa cur malus fuit, nimirum pro habitu inclinante ad peccandum.

902. Secundo, habitus vitiosus est disconveniens animæ rationali, ut rationalis est; ergo est peccatum: Probatur consequentia, quia peccatum in illa disconvenientia consistit. Respondetur negando consequentiam: Ad probationem, nego antecedens; non enim omnis disconvenientia est peccatum, sed illa quæ liberè, & contra legem elicitur: cum autem habitus sint necessarii, & non sint prohibiti, aliter in justificatis forent peccata, non erit illorum disconvenientia, illa in qua collocandum est peccatum, defectu libertatis, & prohibitionis: sunt tamen pravæ dispositiones, inclinantes ad peccatum, eo modo, quo dicitur concupiscentia peccatum, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.

TERTIA CONCLUSIO.

Peccatum habituale non consistit in obligatione ad pœnam.

903. Ita communiter Doctores contra Auctores tertiæ sententiæ. Probatur primo, quia videtur expressum in Concilio Tridentino: quod discrimen facit inter culpam, & pœnam, ac reatum pœnæ: nam sess. 6. cap. 14. docet necessaria esse opera meritoria post sacramentum confessionis, *Non quidem pro pœna, quæ sacramento, vel sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali.* Et Canone 31. *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum pœnæ æternæ deleri dixerit, &c.* Ecce expressè inter culpam, & pœnam, ac inter culpam, & reatum pœnæ discrimen constituit sacrum Concilium; ergo non potest esse utriusque una, & eadem ratio formalis.

Secundo à priori: obligatio, & destinatio ad pœnam præsupponit culpam: atqui non actualem realiter, & physicè existentem; ergo habitualem; ergo hæc ab ipsa ordinatione, & obligatione discriminatur: Minor probatur, quia peccatum actuale transiit, & non existit; ergo aliquid debet intercedere per quod homo ille censeatur peccator ac maculatus, Deo infensus & injuriosus: atqui quod intercedit est culpa; ergo hæc erit peccatum.

904. Dices manere illam ordinationem ad pœnam, sed contra primo, quia illa ordinatio, & obligatio fundatur in illa culpa; ergo non est ipsa culpa, aliter idem sui ipsius foret fundamentum, & causa. Secundo, illa obligatio est objectum bonum; ergo non est peccatum. Probo antecedens, quia illud objectum antequam sit in peccatore nostro intelligendi modo, est à Deo volitum, & per divinam volitionem causatum: Probatur, quia ideo resultat in peccatore illa relatio Dei ordinantis hominem ad pœnam æternam, quia Deus vult punire illud peccatum, si enim nollet punire, non resultaret: præsertim, quia velle pœnam peccatori, est bonum, & justum; ergo etiam velle ordinare peccatorem ad pœnam; ordinatio siquidem ad pœnam, non potest vitiari ex peccato, quod supponit, sed bona redditur ex termino, si est bonus, qualis est pœna. Tertio argumento Scoti citati: illa obligatio, & ordinatio non potest esse relatio realis extrinsecus adveniens, cum sit terminus divinæ volitionis ordinantis peccatorem ad pœnam, non relatio rationis, ex eodem fundamento. Confirmantur omnia: Si Deus statueret non punire peccatorem, peccator persistens in peccato habituali non ordinaretur ad pœnam; ergo nullo modo illa ordinatio potest esse id in quo consistat peccatum habituale, cum peccatum habituale possit non solum considerari, sed etiam persistere sine illa ordinatione. Vide Vasq. cit. disp. 139. cap. 2. Salas sect. 5. Losca de peccatis disput. 50. sect. 4. Montesin. disp. 16. q. 3. à num. 60. Zribarne tom. 2. in 4. sentent. Scoti dist. 14. q. 1. disput. 1. sect. 7. §. *Dicendum ergo*, quo pacto autem hæc sententia possit habere bonum sensum; Vide numer. 906. & 965.

905. Objicies primo cum Doctoribus tertiæ sententiæ: Qui offendis regem, transacto actu, & offensa, solum habet reatum pœnæ, sive obligationem ad pœnam; ergo & qui Deum offendit. Respondetur negando antecedens: semper enim remanet vel injustitia, vel inimicitia erga regem, quem offendit.

Secundo, Meritum habituale, non est aliud quàm ordinatio passiva ad præmium; ergo etiam peccatum habituale, non aliud erit, quàm ordinatio ad pœnam. Respondetur, transeat antecedens, de quo alibi: nego consequentiam, major ratio est, quia meritum non opponitur peccato, sed demerito; & sicut meritum consistit in ordinatione passiva ad præmium, ita & demeritum in ordinatione passiva ad pœnam.

906. An vero dici possit, & debeat peccatum habituale reatus culpæ & pœnæ? Respondeo affirmativè. Moveor primo, quia ita loquuntur Scripturæ appellantes peccatum reatum. Exod. 32. vers. 35. *Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.* Deut. 21. vers. 8. *Et auferetur ab eis reatus sanguinis.* Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra.* Ad Corinth. 1. cap. 11. *Reus erit Corporis & sanguinis Domini.* Astipulatur Ecclesia in Hymno ad Laudes in Communi unius Martyris. *Tuo precatus munere nostrum reatum dilue.* Et in Hymno Dominicæ ad Laudes, *Ut reos culpæ miseratus.* Et in Sabbato ad Laudes. *Mentis reatus corruat.* Secundò, quia ita loquitur Innocens. 3. in cap. majores de baptismo, & ejus effectu: ubi dicitur, eum qui cum mortali moritur, in gehenna esse cruciandum propter reatum.

Tertio, quia ita asserunt sancti Patres. Dionysius Areopagita cap. 4. de divinis nominibus. *Puniri non est malum, sed fieri pœna dignum*: id est explicante Becano 1. part. Summæ cap. 8. q. 1. num. 5. malum culpæ saltem in radice. S. Augustin. variis locis, quæ coegerit Salas tract. 13. disp. 14. sect. 1, à n. 14. Solemnis locus habetur lib. 1. de nuptiis cap. 26. *In eis ergo qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiant prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus, hujus, licet adhuc manentis concupiscentiæ remittatur, ut in peccatum, sicut dixi non imputetur: nam sicut eorum peccatorum, quæ manere non possunt, quoniam cum fiunt prætereunt, reatus manet; tamen & nisi remittatur in æternum manebit, sic illius quando remittitur, reatus aufertur: Hoc enim est non habere peccatum, reum non esse peccati: Si quisquis verbi gratia fecerit adulterium, etsi deinceps nunquam faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur*: Ex quo doctissimus Taperus 1. tom. art. 1. de peccato originali fol. 44. ait: *Idem sunt esse reum, & esse in peccato secundum beatum Augustinum*: Hoc etiam fatetur Vasq. 1. 2. disp. 133. cap. 1. n. 7. S. Bernardus tract. de interiori domo cap. 4. *Conscientia rei sim-*

q. v in pœna est. Vide tract. de præcepto, & dispensatione.

Eidem loquendi modo assentiuntur Gerson, Altisiodorensis, Hervæus, Capreol, Ocham, Sotus, Zumel, Valentia, & alii, quos refert Salas citatus n. 1e. & probabilem esse existimat, ut etiam Azor 1. p. lib. 4. cap. 24. q. 3. defendit Bassolis in 4. dist. 14. q. 2. art. 1. §. *Quantum*, & hæc videtur sententia Scoti, de quo infra, Taperi, & Durandi.

Explicari tamen debet modus loquendi, pro quo notandum est: Primo, reatum nihil aliud esse, quam hominem manere reum criminis, & dignum pœna. Secundo, peccatum dici reatum culpæ intransitivè; hoc est, peccatum est reatus, qui est ipsa culpa, eo modo, quo materia prima dicitur appetitus formæ, per quod designatur ipsa materia prima; quæ est appetitus formæ, non vero aliquid à materia distinctum: qui modus loquendi est usitatus etiam apud Iurisperitos, ut videbimus num. 965.

Tertio, reatum pœnæ esse idem ac esse dignum pœna, cum accipitur ista dignitas radicaliter, est idem ac esse peccatorem: quibus notatis, peccatum habituale est reatus culpæ intransitivè, id est, est ipsamet culpa præterita, coinciditque hic modus dicendi cum nostra sententia probanda à num. 913. est reatus pœnæ, non formaliter, sed radicaliter, & nihil aliud est, quam ipsa culpa, quæ hominem dignum pœna constituit, nam formaliter est quid saltem ratione culpam supponens. Vide num. 996.

Ex quibus evanescit fundamentum, quo P. Suarez 1. 2. tract. 5. disp. 8. sect. unica à num. 4. Vasq. disp. 139. cap. 2. num. 7. Montesin. disp. 16. q. 5. §. 63. & alii opponuntur: Licet enim dignitas pœnæ sit passio consequens peccatum, in præsenti sermo est de reatu culpæ: & licet sit de reatu pœnæ, optimè dicitur peccatum reatus pœnæ. Primo, quia est inseparabilis passio, ut homo rectè dicitur risibilis. Secundo, quia non accipitur formaliter, ut passio, sed radicaliter, ut objectivè homo præsupponitur ad pœnam, quia illa dignus est.

Dices: Reatus est dignitas culpæ, vel pœnæ; sed hæc dignitas est ordo ad culpam, vel pœnam; ergo nullo sensu verum est dicere, quod peccatum sit reatus. Respondetur negando minorem in præsenti; non enim dignitas culpæ sumitur transitivè, sed intransitivè, nec dignitas pœnæ sumitur formaliter, sed radicaliter.

QUARTA CONCLUSIO.

Peccatum habituale non consistit in privatione gratiæ.

907. EST contra Doctores quartæ sententiæ: & explicetur, quia vel illa privatio gratiæ est physica, vel moralis: non est privatio physica, ut fatetur Suar. locis citatis: Licet enim affirmet in statu naturæ elevatæ peccatum habituale etiam consistere in privatione gratiæ, statim se exponit dicens, intelligendum esse, si fuerit moralis, & voluntaria: & Vasq. 1. 2. disputat. 132. cap. 10. num. 41. propè finem. Probatur primo, quia peccatum habituale in statu puræ naturæ non induceret privationem gratiæ; ergo privatio gratiæ non est ratio constitutiva peccati habitualis. Antecedens negat Vasquez 1. 2. disputat. 96. cap. 2. numer. 5. disputat. 139. cap. 5. numer. 20. disputat. 207. cap. 2. admittitur tamen à Doctoribus communiter. Suarez tom. 4. in 3. part. disputat. 9. sect. 3. numer. 9. disputat. 21. sect. 2. numer. 8. Salas 1. 2. tract. 13. disputat. 4. sect. 4. numer. 31. Zumel 1. 2. quæst. 113. artic. 2. disputat. 2. Zribarne cit. §. *Quarta*. In statu naturæ elevatæ peccatum habituale non pugnat ex se cum gratia: Antecedens licet negetur à Vasq. tom. 1. in 1. 2. disputat. 91. cap. 2. numer. 3. Lorca de peccatis disputat. 1. sect. 3. numer. 5. disput. 36. sect. 6. Granad. cont. 8. tract. 8. disputat. 5. tamen admittitur ab Scoto, eumque sequuntur communiter recentiores. Videatur Suar. tom. 4. in 3. part. disputat. 9. numer. 8. Ægid. Bellan. de actib. supernat. disp. 11. dub. 8. n. 102.

908. Secundo probatur in opinione quæ docet peccatum habituale remitti posse sine infusione gratiæ, quam latè docet Suar. cit. sect. 4. Granad, sect. 2. & stare posse cum gratia, de quo citatus Suarez sect. 3. & tom. 3. de grat. lib. 9. cap. 19. Bellan. citat. ergo dicendum est non consistere peccatum habituale in privatione physica gratiæ. Probatur consequentia, quia sicut absente forma negata introducitur privatio, ita præsente forma, destruitur, ut enim per absentiam lucis introducuntur tenebræ, ita præsente luce destruuntur: ergo si peccatum habituale persistit cum gratia, non est privatio gratiæ; nam impossibile est, quod forma negata, & ejus carentia simul existant.

909. Tertio, privatio physica gratiæ est pœna; ergo non est culpa. Probatur antecedens, quia homo propter peccata gratia privatur; & quia peccavit dignus est carentia gratiæ: præcipuè, quia Deus est causa totalis prædictæ privationis: unde omnia argumenta, quæ Vasq. disputat. 139. cap. 4. congerit contra obligationem ad pœnam, contra privationem gratiæ, habita proportione, fieri possunt. Dices, esse pœnam peccati actualis, non habitualis. Sed contra, esto sit peccati actualis pœna; ergo non est peccatum habituale, siquidem hoc non potest non esse culpa, & pœna, quia pœna non potest esse culpa, cum à Deo volita sit: Vide quæ dicam hac disputatione, loquens de peccato originali numero 1231.

910. Quarto probat Lugo citatus sect. 2. numero 12. ex eo quod omnia peccata forent æqualia, eo quod omnes peccatores æquè privantur gratia, caret enim peccator gratia ob graviora delicta, ipsa tamen privatio non est major ob illa graviora delicta. Quinto, probat num. 12. quia sequeretur hominem committentem plura peccata actualia, non habere plura habitualia, cum solam unicam privationem gratiæ habeat, licet ex pluribus radicibus ortam. Sexto probat n. 1? quia peccatum veniale actuale non consistit in carentia gratiæ.

911. Verùm hæ tres probationes, non videntur urgere: non prima, quia responderi potest, idem argumentum fieri posse de pœna damni, cum enim sit privatio gloriæ, & omnes damnati careant gloria ob sua peccata, omnes erunt æquales in pœna damni, cum ejusdem formæ sit privatio in omnibus, quod tamen communiter negatur, ut videbimus in hac disputat. numer. 1787. Quod si quis dicat, non esse pœnam damni carentiam gloriæ absolutæ, sed acquisibilis; Respondebimus, etiam privationem gratiæ, non esse carentiam gratiæ absolutæ, sed acquisibilis per proprios actus, & cum poterat acquiri major gratia, per hunc actum, qui non punitur ob peccatum, & major per illum, etiam carentia erit inæqualis: sed de hoc infra à n. 965.

912. Non secunda, quia responderi pote-

rit, dari diversa peccata habitualia, quia licet unica sit privatio gratiæ, est unica totalis, conflata ex pluribus privationibus partialibus, ita ut pro quolibet peccato sit una privatio gratiæ partialis, ex qua, & aliis componatur una totalis; cum enim privationes distinguantur ratione formæ negatæ, non absolutæ, sed acquisibilis, aut determinatæ, ut apparet in aëre, quod non unam habet privationem lucis, licet habeat privationem lucis absolutæ; inde hæc pars aëris, quæ obscurior est illa, habet majorem privationem, quàm habeat illa minus obscura, quia licet quælibet illarum privationum privet partem aëris omni luce absolutè, tamen una privat majori luce determinatè, quæ est doctrina D. Thomæ, & communis de qua infra à n. 1138. similiter, licet hoc peccatum actuale, qua habituale est, sit privatio gratiæ, & privet omni gratia absolutè, tamen hoc peccatum privat tali gratia, & illud majori, & illud aliud majori, secundùm suam diversitatem; & patet apertè: quia primum peccatum privat prima gratia, secundum determinatè privat augmento gratiæ, & illud aliud majori augmento, sicut enim in gratia datur status primus, & augmentum, ita & in privationibus.

913. Non tertia: nam constans Theologorum doctrina est, quod peccatum veniale non privat gratia, sed fervore charitatis: nec obstat illa disjunctiva, qua utitur Lugo, quod vel privat fervore habituali, vel actuali: non habituali, quia cum intensissimo habitu potest esse peccatum veniale: non actuali, tum quia carentia fervoris potest esse sine peccato veniali: tum quia Deus potest remittere illud veniale, non conferens talem fervorem: non, ut inquam, obstat: quia respondere poterit, quod non est sermo de privatione amoris, ut sic physicè, sed ut moralis, & hunc esse sensum Doctorum, qui privationem gratiæ dicunt esse peccatum habituale: & tunc privat fervore actuali, qui tolli non potest, nisi voluntariè ille fervor sit volitus: unde licet hoc argumentum non convincat peccatum habituale non consistere in privatione morali, convincit tamen non consistere in physica.

914. Probandum superest an consistat in privatione morali, hunc enim sensum exprimunt plerique Doctores, relati pro quarta sententia, & ab omnibus intenditur: sed nec etiam in privatione morali consistere docent reliqui Doctores, ex professo Ioannes de Medina de pœnit. tract. 1. q. 7. §. *Quicquid sit*, Granad. cont. 6. tract. 8. disp. 1. sect. 2. num. 9. Bellan. de sacramentis disp. 1. de effectu pœnit. dub. 10. num. 91. & de actibus supernat. disp. 11. dub 8. num. 105. Herrera de peccatis disp. 41. q. 1. §. *Secunda conclusio*, Pezantius in 2a. q. 113. disp. 1. Vasq. disp. 96. cap. 6. disput. 139. cap. 5. Valent. tom. 2. disput. 6. q. 2. punct. 1. Cardinal. de Lugo cit. & alii. Probatur argumentis factis contra privationem physicam gratiæ.

915. Quibus respondent, dupliciter accipi posse privationem gratiæ. Primo, physicè: secundo, moraliter: primo modo consideratur secundùm suam naturam: secundo modo consideratur per ordinem ad causam: & argumenta procedere contra privationem, primo modo sumptam; non secundo: hæc est communis solutio ex doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 86. art. 2. ad 3.

Quid autem intelligatur, per illam moralitatem, non constat inter prædictos auctores, cum enim constet apud eos esse ordinem ad causam, variè explicatur natura istius ordinis: quidam enim docent, privationem esse moralem, nihil aliud esse, quàm dicere ordinem ad peccatum, propter quod privatio illa fuit introducta: Hic tamen dicendi modus facilè reprobatur à Suarez tom. 4. in tertia part. disputat. 9. sect. 3. num. 12. ex eo quod jam privatio, ut est pœna à Deo inflicta habuisset rationem culpæ, non enim tantum est effectus Dei ut pœna est, sed etiam ipsius peccati, ut enim præmium, & Dei, & meriti effectus est, ita & privatio, Dei & peccati effectus est. Confirmari potest hæc ratio, quia illa privatio, ut est pœna, necessariò dicit ordinem ad culpam, pœna enim, qua pœna, supponit culpam, & cum ordine ad culpam datur, ideo major pœna imponitur majoribus peccatoribus, nec Deus punit peccatorem privans eum gratia, nisi quia peccavit.

916. Ideo alii docent, illum ordinem esse per modum habitus, quatenus scilicet illa privatio voluntaria est ratione actus præteriti: hic est communis modus explicandi moralitatem privationis gratiæ, ad hoc, ut censeatur peccatum habituale. Eum expressè tradunt Suarez citat. numer. 15. in 12. tract. 5. disputat. 8. sect. unica numero 13. Montesin. disput. 16. quæst. 4. à n. 74. Bonacin. supra citatus tom. 2. disp. 2. punct. 2. n. 2. & alii.

Sed hic modus non potest placere. Primo, quia illi videtur repugnare Trident. sess. 6. cap. 7. docens, non esse idem sanctificationem, & remissionem peccatorum, cum sanctificatio fiat per infusionem gratiæ. Secundo, quia non habet locum in homine peccante in statu puræ naturæ, ut bene vidit Suar. loco citato 12. num. 10. & tamen ibi homo esset per peccatum habituale sordidus, & maculatus.

Tertio, quia sequeretur omnem pœnam habere rationem culpæ; fingi etenim poterit, inferni cruciatus, ipsamque carentiam beatæ visionis esse pœnam respectu Dei, culpam respectu peccatoris volentis saltem interpretativè illam carentiam, & cruciatus, qui enim vult causam ex qua necessariò sequitur effectus, vult etiam effectum: nam voluntas causæ, est voluntas effectus necessariò connexi cum causa, cum autem hoc modo dicatur, quod peccator vult gratiæ privationem, & ideo esse peccatum, quia licet physicè sit pœna, moraliter est culpa, quia illa pœna fuit voluntaria.

917. Respondet Suar. loco citato ad 3. p. n. 14. de ratione pœnæ esse quod non sit voluntaria, ideo pœnas inferni, & purgatorii non esse voluntarias, quia habent rationem pœnæ: sed contra: Primò, quia licet de ratione pœnæ foret, quod non esset voluntaria in se, & primario, tamen non est contra rationem pœnæ, quod sit voluntaria in causa, & in alio, hoc enim modo voluntaria est privatio gratiæ, quam tamen constat esse pœnam: imo magis voluntaria est carentia visionis beatæ, quàm carentia gratiæ, eo quod magis repugnat visio beata peccato, quàm gratia; ergo si pœnæ suum principium habent à voluntaria culpa, & quia voluntariè permanent, sunt peccata, peccatum erit omnis pœna. Secundo, quia ante privationem gratiæ, in homine peccatore est peccatum; ideo enim homo privatur gratia, quia actualiter peccavit, & ideo perseverat illa privatio gratiæ, quia peccatum habituale perseverat: non enim hæc est vera, ideo peccat, quia non habet gratiam, sed è contra: nec hæc est vera, ideo est in peccato, quia non habet gratiam, potest

enim Deus infundere gratiam, non remittendo peccatum juxta Suarii sententiam: & in statu puræ naturæ esset peccatum, quin introduceretur privatio gratiæ, & remitti peccatum, quin infunderetur gratia.

918. Tandem, quia distinctio peccati habitualis sumenda est per ordinem ad peccatum actuale, & non per ordinem ad privationem gratiæ. Probatur, quia tot sunt peccata habitualia, quot actualia fuerunt: & non tot sunt peccata habitualia, quot sunt privationes gratiæ; sive quia, ut aiebat Lugo, unica est privatio gratiæ, sive quod certius est, si Deus non privaret hominem gratia, etiamsi peccaret sæpe sæpius, homo ille tot haberet peccata habitualia, quot actualia commisit, & nullam haberet gratiæ privationem. Confirmatur, quia ab eo quod est constitutivum, sumenda est prima distinctio: atqui prima distinctio & essentialis in peccatis habitualibus sumitur ex actualibus peccatis; ergo etiamsi à privationibus gratiæ etiam daretur distinctio, non foret prima, non essentialis, sed à posteriori, & ut ab effectu.

919. Per quæ argumenta, etiam rejicitur modus dicendi quorumdam, qui asserunt privationem gratiæ non esse totalem rationem formalem, in qua sita est essentia peccati habitualis, sed partialem: omnia enim probant nullo modo habere rationem culpæ. Et confirmatur, quia quicquid est in peccato habituali est peccatum, & tota ejus essentia est peccatum, ac culpa: atqui tota privatio gratiæ, non est culpa, cum præter illum ordinem, quem dicit ad peccatum, sit volita à Deo, & non esset volita si foret culpa. Dices: Solus ille ordo est constitutivus partialiter peccati habitualis: Sed contra, quia redit argumentum, de eo, quod omnis pœna esset culpa: Secundo, quia jam non privatio gratiæ erit pars constitutiva peccati habitualis, cum ordo ille non sit privatio. Tertio, quia ordo ille est quid commune, & applicari poterit, omnibus privationibus consequentibus peccatum, & connexis cum ipso peccato, & jam mille forent partes constitutivæ peccati habitualis. Alia omitto.

Solvuntur argumenta pro opinione constituente essentiam peccati in privatione gratiæ.

920. OBjiciunt Doctores illius quartæ sententiæ. Primo, peccatum originale consistit in privatione gratiæ sanctificantis; ergo & nostrum habituale. Antecedens traditur à doctoribus communiter, consequentia ostenditur; quia sicut peccatum originale est illud quod fuit in Adamo habituale, & denominat pueros licet actualiter non peccent, peccatores, ita & peccatum habituale est quod fuit actuale, & denominat hominem actualiter non peccantem, peccatorem. Respondetur negando antecedens, de quo latissimè tertia parte hujus disputationis à numer.

921. Secundo, per peccatum habituale aufertur splendor ille, illeque nitor animæ, quem conferebat gratia; ergo inducit privationem gratiæ; ergo in prædicta privatione consistet. Respondetur primo, ex lege Dei, & in statu naturæ elevatæ, concedo: ex vi sua, & formaliter, nego: potest enim peccatum simul esse cum gratia, potest esse sine privatione gratiæ, ut constat ex dictis: Non enim formaliter opponitur peccatum gratiæ, aut hominem illa privat, tantum est enim causa demeritoria gratiæ, ita Deo disponente, ut spolietur gratia homo, qui divinam lædit majestatem. Secundo, distinguo antecedens; per peccatum habituale aufertur formaliter nitor animæ, quem confert gratia, nego: alius nitor, concedo: quæ autem macula inducatur per peccatum habituale, dicam n. 1131.

922. Tertio, gratia est conversio hominis in finem supernaturalem: atqui peccatum est aversio à fine supernaturali; ergo in privatione gratiæ erit constituta essentia peccati habitualis. Probatur consequentia, quia aversio à fine supernaturali, opponitur immediatè, & formaliter conversioni ad finem supernaturalem; ergo & gratiæ, siquidem gratia est illa conversio; ergo idem est aversio à fine supernaturali, ac privatio gratiæ. Respondetur primo, gratia est conversio hominis in finem supernaturalem, formaliter, nego majorem, potest enim homo esse aversus à Deo fine supernaturali; & esse in gratia, si Deus peccatori non auferat gratiam: antecedenter, & causaliter, concedo majorem: ideo enim gratia dicitur conversio hominis ad finem supernaturalem, quia est principium dilectionis Dei. Respondetur secundo, negando minorem, peccatum enim habituale est injuria Deo facta.

923. Dices: Videtur hæc solutio contrariari Concilio Tridentino sess. 6. cap. 4. ubi describens justificationem impii, ita habet. *Quibus verbis, justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur primi Adami, in statum gratiæ*: atqui hæc translatio fit à privatione gratiæ in gratiam; ergo status peccati habitualis, est habere privationem gratiæ. Respondetur, Concilium loqui de secunda, non de prima translatione peccatoris: duplex enim status est peccatoris, primus quo denominatur injuriosus Deo, Deoque odibilis: secundus est consequens illum statum: quo denominatur homo privatus gratia: primus est essentialis, ideo non fit per privationem gratiæ, cum gratia compatiatur cum illo peccato, si Deus simul gratiam cum illo peccato conservet: Secundus fit per illam privationem gratiæ, tamquam per effectum actualis peccati, qui conservatur per habituale, ideo enim datur illa privatio, quia homo peccavit, non è converso: in justificatione ergo impii duplex dari debet transmutatio, secundùm duplicem statum: prima est de statu essentiali, in statum, quo homo maneat sine peccato: secunda de statu accidentali, quo homo recipiat illum nitorem gratiæ: prima translatio fit per formam destructivam formaliter peccati habitualis, qualis non est gratia: secunda fit per gratiam, & de hac loquitur Concilium.

924. Instabis: Peccatum habituale est injustitia & iniquitas: atqui gratia est justitia, & æquitas; ergo est forma negata peccati habitualis; ergo peccatum habituale, erit gratiæ privatio. Respondetur primo, distinguendo majorem, est omnis injustitia, & iniquitas, nego; est aliqua, concedo: deinde distinguo minorem. Gratia est omnia justitia, & æquitas nego: aliqua, concedo: quod gratia non sit omnis justitia ex eo patet, quia in actibus bonis elicitis à peccatore invenitur justitia, & tamen non invenitur gratia.

QUINTA CONCLUSIO.

Peccatum habituale est idem ac peccatum actuale præteritum.

925. HÆc conclusio asseritur à Doctoribus quintæ sententiæ, & ex parte à Doctoribus sextæ sententiæ, quatenus docent peccatum actuale præteritum esse de ratione formali peccati habitualis. Probatur primo, quia ab actibus virtutum præteritis homines liberales, & virtuosi appellantur, quin ab illis actibus nullus producatur habitus; ergo similiter ab actibus malis, & à peccatis actualibus præteritis homines denominabuntur peccatores, etiam postquam actus mali præterierunt physicè. Confirmatur, quia in pluribus rebus humanis denominatio fit ab actibus præteritis moraliter permanentibus, dum non retractantur, ut patet in taxatione pretii, & in eo, qui cum aliquo amicitiam contraxit, qui dum illam non retractat, licet actus non repetat, dicitur amicus ex solo actu præterito; ergo etiam ab actibus peccatorum moraliter perseuerantium, denominabitur homo peccator, dummodo non retractentur, nec remittantur.

926. Probatur secundo, quia ut injuria deleatur non sufficit præteriisse actum physicum, sed amplius requiritur, remissio, & condonatio injuriæ, vel etiam satisfactio offendentis; ergo quamdiu homo se non disposuerit ad satisfactionem, & remissionem obtinuerit, non delebitur culpa; ergo in eo constituenda est ratio peccati habitualis denominantis peccatorem, quod quis antea Deum offenderit, & peccatum permaneat. Confirmatur, quia si homo commisit actuale perjurium, non denominatur habitualiter latro, sed pejurus, ergo ut dicatur perjurus, debet existere perjurium, non existente enim forma denominante non potest existere denominatio: atqui non existit perjurium actuale physicè; ergo necessario debet existere moraliter, non enim esset perjurus habitualiter, si perjurus prius non foret actualiter.

927. Objicies primo: Effectus à sola causa distinguitur; sed peccatum habituale est effectus actualis peccati; ergo ab actuali peccato distinguitur: ergo non est idem peccatum habituale, ac actuale. Respondetur distinguendo minorem. Peccatum habituale est effectus peccati actualis, proprie, nego: improprie, concedo: verum est, quod communiter appelletur peccatum habituale effectus actualis peccati, non tamen ex eo, quod à peccato actuali per verum, & proprium influxum fiat, sed quia, si non fuisset peccatum actuale prius in voluntate, in ea non daretur pecatum habituale, quod solum est denominatio moralis desumpta à peccato actuali, quæ à pœna denominante non distinguitur, nisi solum, secundum modum dicendi, & existendi. Deinde concessis adhuc majori, & minori; nego consequentiam, quia peccatum habituale est idem cum actuali, secundùm moralitatem, non secundùm entitatem physicam, quæ distinctio sufficit ad hujuscemodi causæ distinctionem.

928. Objicies secundo: Si peccatum habituale foret idemmet ac actuale moraliter perseuerans, sequeretur remitti non posse nisi per formam negatam oppositam; suppono peccatum actuale esse quid privativum, sed hoc est falsum, cum peccatum sæpissimè per dilectionem Dei cum Sacramento remittatur; ergo, &c. Sequela patet, quia priuationes solum per formas oppositas expelluntur à subjecto. Respondetur negando sequelam, ad probationem distinguo antecedens: priuationes physicæ, concedo: morales, nego; nam priuatio moralis, per aliquid morale remitti potest, & debet expelli, non per physicum actum; peccatum vero habituale, in illa opinione, priuatio est, non physica, sed moralis.

TERTIA DIFFICULTAS.

An peccatum habituale sit idemmet ac peccatum actuale, secundum omnia, quæ peccatum actuale constituunt?

929. IN peccato actuali multa considerantur à Theologis. Primum auersio à lege, & à recta ratione: Secundum: auersio ab objecto præcepto, sive consono legi, & rectæ rationi: Tertium; conversio ad objectum dissonum legi: Quartum, contrarietas ad virtutem: Quintum, læsio divinæ majestatis, sive offensa Deo facta, eique irrogata injuria. Sextum, dignitas pœnæ: Septimum, variæ priuationes, sive gratiæ creatæ, sive increatæ, & donorum supernaturalium: Octavum, esse odibile Deo, & reddere objectum Deo odiosum; hæc omnia reperiri in peccato, concors est doctrina Theologorum: ex quibus apparet ratio difficultatis: si enim peccatum habituale est idem quod actuale, videtur, quod omnia, quæ inueniuntur in peccato actuali reperiri debeant in peccato habituali.

930. Respondetur tamen primo, non omnia quæ in illo peccato actuali præterito reperiuntur reperiri in peccato habituali: quod facilè ostenditur. Primo, quia si peccator cosde contritus Deum super omnia diligat, suumque, ex illo amore peccatum detestetur, & legem, quam fregit, amplexetur, rationi, quam respuit, conformetur, proculdubio talis homo, nec à Deo auersus, nec ad creaturas conuersus, nec contrarius legi, rationi, aut virtuti erit; & tamen adhuc permanebit in peccato habituali, etenim illud Deus non remittit, cum hæc satis non sint, ut remittatur peccatum, aliter quispiam poterit pro suo peccato mortali satisfacere, quod iure negant Theologi in materia de Incarnatione, & pœnitentia; ergo illa non constituunt peccatum habituale, cum constitutum dari non possit sine partibus constituentibus, foret enim constitutum, & non constitutum: constitutum, quia adhuc maneret peccatum habituale; non constitutum, quia destructis illis partibus, quæ peccatum constituerent, non posset constitui.

931. Secundo probatur, quia illæ privationes gratiæ sanctificantis, ac increatæ, aliorumque, donorum sunt pœnæ peccati, & non ipsum peccatum, ut latè dixi à num. 470. & dicendum est tertia parte hujus disputationis à num. 1254. ergo in illis non constituitur peccatum habituale.

932. Respondetur secundo, consistere peccatum habituale in læsione divinæ majestatis, & offensæ Dei: Probatur primo, quia stante hac ratione, peccatum persistit & ablata perit; ergo in illa constituenda est ratio peccati habitualis: juxta regulam, *quando aliquid destruitur ad ablationem alterius solius, & ad eius solius positionem ponitur, per illud constituitur: licet aliqua alia rejiciantur, quibus vel positis, vel ablatis non aufertur;* Antecedens ostenditur: quia licet retractentur omnia quæ sunt in peccato actuali, si adhuc perseueret illa ratio offensæ, & injuriæ Deo factæ, adhuc homo est in peccato habituali, ut dixi num. Et si auferatur ratio offensæ, non censetur esse in

illo, quia per ejus ablationem remisit Deus peccatum, & deletur; nam ubi primum homo nec Deo est injurius, nec divinæ majestatis offensivus, nullum jus habet Deus, ne remittat peccatum, imo aufertur jus, quo poterat illud non remittere; ergo idem est deleri offensam, ac delere peccatum.

933. Secundo, si Deus remittat, & condonet injuriam, & offensam sibi factam, statim auferetur peccatum; ergo in illa constituebatur. Tum sic, Vel Deus potest condonare offensam illam sine retractatione peccati, vel non: & si non, vel posita retractatione tenetur Deus condonare peccatum vel non: si sine retractatione potest Deus remittere offensam, ut docent Valent. tom. 4. disp. 7. quæst. 3. punct. 2. Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 9. sect. 2. Vasq. 12. disp. 207. cap. 8. Cardinal. de Lugo de pœnit. disp. 7. sect. 8. Perez de pœnit. disp. sect. quicquid alii reclament, de quo in materia de pœnitentia, quæro; an ille homo censendus sit peccator, Deo odibilis, indignus gloria, dignusque pœna? Profecto non: ita data illa opinione omnes fateri debent. Fatentur qui, illam tuentur: & tamen manent cætera, quæ erant in peccato actuali, ut conversio ad creaturam, aversio à recta ratione, contrarietas ad virtutem, & cætera; ergo in illa sola offensæ ratione, qua homo redditur Deo odibilis, constituenda essentia peccati habitualis: deinde admissa opinione, quæ non probat sine retractatione peccatoris remitti peccatum: quæro, an per solam retractationem remittatur? Negant communiter omnes doctores, ex quo sic arguo, Posita illa retractatione, aufertur peccatum quoad aversionem à Deo, conversionem ad creaturam, & sic de aliis, ut vidimus n. & tamen adhuc manet peccatum habituale; ergo ex eo, quod non aufertur injuria facta Deo; & illa ratio offensæ, ac læsionis divinæ majestatis.

934. Tertio, quia amicitia requirit utriusque amici amorem, ideo non nisi inter duos dari potest, qui se mutuo diligant, deficiente namque mutuo amore, erit amor, non amicitia: quando autem offendimus Deum, reddimur inimici Dei, & Deus noster inimicus formaliter, non quidem per nostram offensam, sed per actum proprium Dei, sive per odium, quo Deus nos prosequitur, eo quod illud peccatum nos reddidit Deo odibiles, unde illud peccatum inducis privationem amoris increati, sive gratiæ increatæ: ex quo licet retractemus nostrum peccatum, & detestemus actum illum Deo injuriosum contra Deum commissum, si Deus per actum amoris erga peccatores eliciti, non desinat nos odio prosequi, adhuc Deus nobis erit inimicus, nec offensa censebitur deleta, aut remissa: ergo in illa læsione divinæ majestatis includente privationem divini amoris, constituenda est ratio peccati habitualis, siquidem illa ablata aufertur peccatum, & persistit, dum non aufertur: & in his terminis defenditur hæc doctrina ab Ægidio Bellano de sacramentis disp. 1. n. 22. & 33. disp. 2. dub. 10. n. 91. videtur amplecti à Granado in 12. cont. 6. tract. 8. disp. 1. sect. 1. n. 4.

935. Ex quibus explicatur sententia illa asserens peccatum actuale esse idem quod actuale: illius enim sensus est: quod esse hominem in peccato, sit idem, ac peccatum actualiter commisisse; si enim non peccasset homo actualiter, non haberet peccatum habituale, hoc tamen non satis est, aliter nec Deus remittere posset peccatum habituale, cum non habeat potentiam ne præteritum non sit præteritum: nec homo unquam posset desinere esse in peccato: requiritur ergo, quod peccaverit actualiter, & quod illud peccatum perseveret moraliter, non quidem adæquatè, secundùm omnia, quæ includit, sed tantùm secundùm eam partem, qua Deus offenditur, qua divina læditur majestas, qua reddit hominem Deo odibilem, & indignum amore increato.

Explicatur in offensa habituali contra aliquem Principem facta: demus crimine læsæ majestatis ab aliquo inferiori, Principem offendi, iste inferior permanet aversus à Rege, dignus pœna, & indignus amore Regis, Principique odibilis, ac proinde traditor censetur; sed Princeps cognita traditione, & culpa hominem illum dilexit, & offensam condonavit: Quæro an ille homo sit inimicus Regis, & dicendus sit offensor & traditor? Respondendum est deletam esse offensam, eo ipso quod à Principe diligitur, nam si diligitur culpa condonata est: & ex illo actu amoris sequuta condonatio offensam delevit, & crimen remisit: si tamen homo ille faciat quantum in se est, retractans offensam, adhuc censebitur offensor, & esse in offensa Principis, quousque Princeps hominem diligat: similiter in præsenti.

936. Dices primò: Quilibet Princeps efficere potest, ne quolibet actu offendatur, etiamsi contra ejus committatur voluntatem; ergo etiam Deus hoc facere poterit. Tum sic: ergo dabitur offensa, quin detur illa injuria, quia *volenti, & consentienti nulla fit injuria*: Respondetur; Nego consequentiam: quia Princeps humanus potest licitè consentire quod eum offendat subditus, non tamen quod Deum offendat. Deus verò non potest consentire suam offensionem, cum non possit velle quod homines peccent, si ergo peccant, necessario Deum offendent, & illi injuriam irrogabunt: potest tamen facere, ne homo, qui illum offendit puniatur, aut alicui pœnæ obligetur.

937. Secundò: Posita gratia sanctificante creata, Deus manet hominis amicus; ergo non in amore increato, sed in gratia consistit amicitia inter Deum, & homines. Antecedens patet, quia per gratiam fiunt homines Deo grati. Respondetur primò distinguendo antecedens, secundùm præsentem rerum ordinem, & dispositionem à Deo statutam, concedo: absolutè, nego: Nam de potentia Dei absoluta juxta vulgatem sententiam potest homo esse in peccato, & gratia, qua data opinione, homo non erit Dei amicus. Respondetur secundò, & melius, distinguendo antecedens, causaliter, concedo: formaliter nego: idest, gratia est amicitia causaliter, quia est effectus amicitiæ formalis, infusio enim gratiæ procedit ab amicitia formali, quæ est amor Dei: nam amicitia formalis, & inimicitia formalis, non est gratia, aut privatio gratiæ: sed sunt actus odii, & amoris, ut videre est in hominibus, in quibus beneficia non sunt amicitia; nec damna illata, inimicitia, licet sint effectus, & signa amicitiæ, & inimicitiæ.

QUARTA DIFFICULTAS.

Quo pacto perseveret illa ratio constitutiva peccati habitualis, quæ est eadem, quæ fuit in peccato actuali.

938. DIximus peccatum habituale esse idem ac peccatum actuale, non adæquatè, sed inadæquatè secundùm eam rationem, qua injuriosum, & offensivum est Dei, inducens privationem gratiæ increatæ, sive amoris divini;

quæritur quo pacto perseveret? Ratio dubitandi est, quia actus ille præteritus, etiam secundùm eam rationem prætesiit, ergo non perseverat: Respondetur perseverare moralites, & prætesiisse physicè: non enim aliquid physicum peccati actualis persistir, sed taotùm moraliter illa satio, & omnes aliæ dum non retractantur.

Sed de boc est quæstio: quid sit ista perseverantia moralis? non enim apparet quid sit. Pro solutione ootandum est primò, causam pure moralem esse illam, quæ nihil physicum influit in effectum, de quo disp. 2. sect. 18. nom. 242. Secundò, effectum vel esse mixtum ex morali & physico, vel esse putè moralem: Ille est in se quid physicum à causa physica procedens, à morali tamen causa imperatus: hic nullam io se habet entiiatem physicam, quamquam illam supponat, ut obligatio orta ex voto, dominium ortum ex coosensu conjugum, valor rerum ex lege taxante & cætera de quibus citato loco à num. 269. Tertiò, hæc moralia entia sumi posse, vel formaliter, vel fundamentaliter: formalitec sunt quid extrinsecum existens à parte rei per ordinem ad prudentum hominum existimationem: Fundamentaliter est illud fundamentum, quod bominibus datur existimandi prudenter; ita illa moralia entia esse, ac præstare suos effectus, acsi realiter, & actu physicè existerent, de quo ibi nom. 271. His notatis,

939. Dico primò, Illa perseverantia est purè moralis, quin aliquid physicum babeat. Probatur, quia actus peccati noo potest producere nisi habitum vitiosum, quale non est peccatum, ut dixi num. 900. deinde transacto illo peccato nihil est in peccatore physicum, per quod denominetur peccator, ergo nihil physicum est io peccato habituali.

940. Dico secundo, Illa perseverantia formaliter nihil aliud est, quàm moralis ordo ad peccatum præteritum, & ad hominum prudentum existimationem, judicantes, illum homioem eo ipso quod peccavit, complacere sibi de peccato: utroque enim opus est ad hanc moralitatem: nam si noo datur peccatum præteritum, impendens existimatio foret, imo foret vana præsumptio, & temeritas; si non datur existimatio, erit quidem peccatum habituale, non tamen formaliter: verum, ut mihi videtur, hæc moralitas parum facit ad peccatum habituale, nec enim talis est, ut illud constituat, cum ante existimationem prudentum bomionm sit; & sæpe fallantur prudentes bomioes: quare quod explicandum est, est illa perseverantia moralis fundamentalis, hoc est enim peccatum habituale.

941. Dico tertio, istud fundamentum, sive ista perseverantia non est, peccasse, & non retractare peccatum: quasi idem sit perseverare peccatum actuale, ac illod noo retractare; quasi ideo sit in peccato actuali, quia adhuc vult peccatum actuale, & dum hoc non retractat censeri esse in peccato actuali; sive esse peccator habitualiter. Probatur evidenter, quia posita retractatiooe, adhuc homo est in peccato, & censetur esse in peccato, ut dixi num. 930. ergo perseverare peccatum non est retractare peccatum, & licet admittatur, à Deo nuo posse remitti peccatum habituale, nisi com retractatione illius, tamen dici non potest, posita retractatione teneri Deum remittere peccatum; ergo cum posita retractatione peccati, adhuc homo sit peccator, & perseveret peccatum, proculdubio perseverare in peccato, & esse in peccato habituali, non est non retractare peccatum. Siquidem retractato peccato adhuc perseverat, & denominat hominem peccatorem; aliter homo posset remittere offensam. Unde quando disp. 1. sect. 2. subsect. 3. n. 189. explicavi rationem actus interpretativi per hanc noo retractationem voluntatis, fuit juxta opinionem probabilem, & ut de facto contingit, posita enim retractatiooe efficienti & sufficienti voluntate, sequitur ex institutione remissio peccati.

942. Probatur secundo: Vel ista non retractatio est de essentia peccati habitualis, vel conditio sine qua non potest subsistere: non primum, vel enim est tota essentia, vel pars essentialis: non tota, alites posita retractatione remitteretur necessario peccatum: non pars, ex eodem enim capite, deleretur pars essentialis peccato, & tunc maneret peccatum sine parte essentiali; si est conditio, quod Doctores requirentes nun retractationem ad peccatum habituale videntur innuere, vel est logica, vel physica: si logica, idem currit argumentum, ac de parte essentiali, cùm ideo logica sit conditio, quia impossibile est auferri non ablata essentia, cum auferatur non retractatio, & non destruatur peccatum non erit conditio logica: Si physica, parum interest ad rationem formalem peccati habitualis.

943. Dices: Illud dicitur manere habitualiter, quod censetur perseverare quamdiu non retractatur: atqui peccatum actuale manet moraliter; ergo quamdiu non retractatur: ergo non retractatio est essentia peccati habitualis. Majorem probant exemplo sacerdotis, qui initio diei habuit intentionem consecrandi, ex vi cujus sine alia oova actuali voluntate consecrat, & ita perseverat quamdiu non retractatur illa voluntas. Respondetur negando majorem: ad probationem, diversam esse illam voluntatem, à voluntate habituali perseverandi io peccato.

Pro quo suppono ex doctrina certa, & communiter tradita à Doctoribus, voluntatem virtualem, habitualem, & moralem esse diversas: nam voluntas virtualis est illa, quæ actu perseverat in aliquo effectu, licet desierit intentio, quæ intentio noo interrumpitur per somnum, vel aliquid perseverans; sed durat, dum non retractatur voluntas. De quo latè disp. 3. sect. 12. subsect. 1. a. in secunda difficultate: habitualis voluntas est, quam habuit homo de opere faciendo, sed ex vi illius nihil elegit, aut operatus est, & licet illam non revocaverit, tamen præteriit etiam à memoria, de quo citato loco num. 962. moralis datur ex vi alicujus actus, quo quis se alicui obligavit, aut promisit aliquid, aut injuriam ei fecit, aut beneficium: licet enim revocetur voluntas, vel per oblivionem excidat, adhuc censetur perseverare, unde sine voluntate virtuali, vel habituali reperiri potest voluntas moralis.

Proponitur communiter exemplum in voto religionis: verbi gratia, vovit quis religionis ingressum: postea illam non revocavit, illius tamen omnino oblitus est: habet quidem voluntatem habitualem, & in ea censetur esse, si ex vi illius accessit ad conventum, ut postulet habitum religionis, quam vovit, habet voluntatem virtualem: voluntas autem illa qua vovit, & se obligavit semper moralites manet, donec à superiori tollatur obligatio: idem videre est in homine, qui decrevit injuriam irrogare Petro, si ex vi illius voluntatis nihil elegit, aut operatus est, habet voluntatem habitualem, si ex vi illius instrumenta quæsivit, ut injuriam irrogaret, habet voluntatem virtualem: voluntas autem moralis est illa

prima qua irrogare voluit Petro injuriam: hæc autem semper manet, quamdiu non tollitur à Petro condonante injuriam, unde potest stare sine voluntate habituali, & virtuali: Si nempe, qui vovit, retractavit votum, adhuc manet voluntas moralis, si à superiori non tollitur obligatio: & si superior abstulit obligationem, etiam nesciente vovente, iste non manet moraliter obligatus licet habeat voluntatem habitualem: similiter etiam si homo retractet voluntatem irrogandi injuriam Petro, moraliter est offensivus Petri, si Petrus injuriam non condonet, eo quod non potest retractare voluntatem quoad eam partem: etsi Petrus non retractante vel retractante homine illam voluntatem, condonet injuriam, non manet illa voluntas moralis, licet maneat habitualis.

Qua doctrina supposita, & diversitate exposita: Respondeo, diversam esse voluntatem moralem, qua homo offendens Deum, moraliter censetur velle offendere Deum, & esse in illo peccato, à voluntate illa virtuali, qua sacerdos consecrat, nam ista est habitualis, si solum fuit intentio pura, quæ non satis est ad consecrationem, vel virtualis, quæ satis est, si non retractetur, de quo citato loco num. 965. & 970. ideo non sufficiunt istæ voluntates virtualis, & actualis ad explicandum voluntatem moralem repertam in peccato habituali; quippe quæ est alterius generis, & etiam posita revocatione, & retractatione non delетur, ut apparet in voluntate morali voventis, quæ solum per superiorem auferri potest, etiam per Deum auferri poterit illa voluntas moralis reperta in peccatore.

944. Dico quarto: Ista permanentia moralis est læsisse Deum, & est reddidisse hominem Dei inimicum formaliter: Probatur, quia quando homo actualiter peccavit, voluit illud peccatum quoad omnia, quæ in illo sunt, si non formaliter, saltem interpretativè; ergo voluit lædere Deum, & esse Deo injuriosum, ac odibilem; atqui hæc voluntas, est voluntas moralis, qua homo se obligavit, & adstrinxit ad incurrendum illud Dei odium: ergo in ea censetur constitui peccatum habituale, cum enim hoc non sit aliud, quam peccatum actuale perseverans in eo effectu, quo homo redditur injuriosus Deo, & Deo odibilis, profecto perseverabit moraliter, donec tollatur à Deo, & dum non remittitur, erit peccatum habituale.

945. Dico quinto: Ista perseverantia est per modum actus primi, & habitus. Ita expresse Herrera de peccatis disp. 42. quæst. 1. §. tertia conclusio, Zribatnc in 4. sent. Scoti dist. 14. quæst. 1. disp. 5. sect. 8. §. ultimo dico. Probatur quia modus actus secundi est raptim transire, modus actus primi, est per modum quietis, & permanentiæ: sed peccatum habituale permanet, quousque remittatur, ergo est per modum habitus.

946. Dico sexto: Ista perseverantia moralis est per modum termini: ita Doctores citati. Probatur, quia sicut ex calefactione in genere physico manet calor, ut terminus, ita ex actuali peccato relinquitur peccatum habituale in genere morali, ut terminus: unde voluntas est causa physica, simul & moralis actus peccati; actus verò peccati, sive peccatum actuale, est solum peccati habitualis causa moralis.

QUINTA DIFFICULTAS.

Utrùm illa perseverantia moralis, sive peccatum habituale, sit voluntaria?

947. CErtum est ad hoc ut illa perseverantia in peccato sit culpa, & imputetur culpæ, quòd debet esse voluntaria, in tantum enim aliquid est culpa, & peccatum, in quantum est voluntarium, inde Theologi ut defendant peccatum originale esse verè peccatum, fatigantur in explicanda ratione voluntarii reperti in illo peccato, nam si semel non salvetur illius voluntarium, corruit doctrina Catholica de peccato originali; quare cum constet debere peccatum habituale esse voluntarium, difficilis videtur explicatu ratio voluntarii in illa reperti.

Ratio difficultatis est, quia peccatum habituale ubi primum retractatur, non manet in ratione voluntarii; ergo nec peccati. Probo antecedens, quia retractato peccato non est voluntarium: ut apparet in eo, qui servo suo præcepit occisionem alicujus hominis, quam voluntatem contritus retractavit, & quantum in se fuit intimare voluit servo, sed non potuit, quia servus non apparuit, & antequam Dominus retractatam voluntatem manifestaret, occidit hominem, ista occisio non attribuitur domino, nec ei fuit voluntaria, ex eo, quod antequam fieret, voluntatem sufficienter retractavit: ergo similiter peccatum habituale, vel non erit peccatum, vel peccatum non erit voluntarium; non erit peccatum, quia post retractationem non est voluntarium, & peccatum non est, si voluntarium non est: non erit voluntarium, quia post retractationem manet peccatum, & non voluntarium.

948. Respondeo peccatum habituale necessario esse voluntarium, ut sit peccatum, nec de hoc aliquis est locus dubitandi; cum si liberum, & voluntarium non sit, peccatum esse non possit, ut latè ostendi in Iansenio convicto p. 1. lib. 4. c. 3 & oppositum, est error Calvini, & sequacium.

Pro decidenda ratione dubitandi, notandum est, posse unum actum manere voluntarium, & involuntarium quoad diversos effectus: ut videre est in eo, qui emisit votum religionis, postquam voluntatem, & votum retractavit: illi enim involontaria est voluntas, qua votum emisit, & votum, ita ut dispositus sit affirmare tale votum non esse bonum; & tamen est voluntarium quoad obligationem, siquidem dum non tollitur, vel dispensatur à superiori obligat voventem acsi non retractaretur, & est vere votum, votum autem non esset, si voluntarium non foret: Hoc notato cum Cardinali de Lugo n. 115. disp. 7. de pœnitentia,

Facile expeditur ratio difficultatis: nego enim antecedens, quod scilicet peccatum habituale non maneat post retractationem voluntarium; ad probationem, nego antecedens; est enim verè peccatum, & verè voluntarium: retractatio enim involuntarium reddet actum præteritum, quoad aversionem à Deo, à lege, à ratione, non tamen quoad illum effectum quo injuriam irrogavit: & iden quoad illa non manet voluntarium, quoad hoc voluntarium persistit. Ratio est, quia retractatio potest involuntarium reddere id, quod auferre potest: potest autem quoad illas aversiones auferre actum, quia sine gratia fieri potest actus bonus oppositus illi actui: non potest tamen auferre actum quoad illum effectum constituendi peccatorem inimicum Dei formaliter, & Deo odiosum; cum sit quid mere morale, independens

dens à voluntate peccatoris quoad remissionem, & ideo voluntarium manet, ut etiam voluntarium factum fuit, prævisa hac impossibilitate auferendi etiam per retractationem, rationem illam voluntarii, ut in voto manifestum est. Ad exemplum adductum n. 947. Respondeo diversam esse rationem: nam illa voluntas fuit virtualis, & retractari potuit, ne homicidium ei imputaretur, ac proinde cum ante homicidium foret retractata, homicidium ei imputari non potest, siquidem jam non existebat voluntas, quæ influeret in homicidium, nec physicè nec moraliter: Et ideo huic voluntati non æquiparatur voluntas merè moralis perseverandi in peccato: æquiparatur tamen alia voluntas merè moralis, qua voluit illam injuriam irrogare Petro, verbi gratia.

949. Dices: Ergo ille homo post retractationem adhuc manet peccator, & confirmatur similiori exemplo sacerdotis projicientis Breviarium in mare, cum non esset aliud in navi per annum navigatura, demus, quod prædictus sacerdos retractavit actum illum per actum contritionis, jam tunc in illo instanti periit peccatum illud; & tamen impossibile erat recitare officium divinum, ut suppono; ergo etiamsi homini impossibile sit auferre illum effectum, quo redditur Deo odibilis, & injuriosus, actus quoad illum effectum manebit involuntarius. Respondeo, quoad illam voluntatem pure moralem, eamdem esse rationem, quod si post retractationem non manet voluntarius, est ex institutione Dei instituentis delere peccatum, posita illa contritione; vel etiam attritione cum sacramento, nam non admissa illa institutione Dei, adhuc maneret peccatum quoad illum effectum voluntarium.

SEXTA DIFFICULTAS.

Utrum non satisfactio sit de conceptu formali peccati habitualis?

950. PRæter hoc, quod est hominem peccasse, datur in peccatore negatio satisfactionis, cum enim persistat in peccato, & peccatum deleri non possit nisi digne satisfiat injuria Deo irrogata, manet peccatum, dum non datur illius satisfactio: ideo cum non satisfactio sit comes individua peccati habitualis, est difficultas, an illa negatio satisfactionis sit aliquid intrinsecum, sive essentiale peccato habituali.

Respondeo negativè: & ratio est, quia satisfactio condigna tam ex parte Dei, quam ex parte peccatoris, est impossibilis, nisi Deus velit satisfactionem acceptare. Probatur antecedens communiter à Doctoribus in materia de Incarnatione: quamquam enim Deus thesauros suæ omnipotentiæ expendat, numquam poterit tanta, & talia dona conferre peccatori, ut ipse possit satisfacere condigne pro suo peccato mortali cujus rationem dedi disp. 4. 0. 465. Tum sic. Quando formæ negatæ appositio est impossibilis, non est negatio formæ illius, constitutiva alicujus quod est possibile: atqui forma negata non satisfactionis, id est satisfactio, est impossibilis, & peccatum habituale est possibile, ergo non satisfactio, non est pars constitutiva peccati habitualis. Majorem probo, discurrens per similes negationes, quia non equus, non leo, non lapis in homine sunt negationes formæ impossibilis respectu hominis: impossibile enim est hominem esse lapidem, vel leonem; & tamen nulla barum negationum constituit formaliter hominem; ergo à simili, nec negatio satisfactionis constituet formaliter peccatum habituale.

951. Confirmatur primo, quia ideo talis non satisfactio foret pars essentialis peccati habitualis, quia per formam negatam posset auferri peccatum habituale: atqui forma negata est impossibilis; ergo per eam non potest auferri. Secundo, negationes quæ affigitur essentiæ, quia illi est impossibilis forma negata, non constituunt essentiam, sed naturali consequutione resultat, ut apparet in non lapide respectu Dei, & hominis, eo enim ipso, quod est Deus, est impossibile quod sit lapis, & quod non sit non lapis: atqui hæc negatio satisfactionis condignæ consequitur peccatum habituale, naturali consequutione, eo enim ipso quod est peccatum habituale, est impossibile, quod sit satisfactum, & quod non sit non satisfactum; ergo illa non satisfactio est negatio naturalis consequens essentiam peccati, & non ejus pars constitutiva.

Tertio, nulla essentia totaliter destrui potest, manente aliqua parte ejus: atqui peccatum habituale totum & totaliter destruitur manente non satisfactione; ergo non satisfactio non est pars essentialis peccati habitualis. Major est certa, quia si manet pars essentialis, non destruitur totaliter totū: Minor probatur, quia hoc quod est non satisfieri peccatum, etiam perseverat destructo peccato, siquidem, impossibile est, quod illius detur condigna satisfactio: inde cum formæ negatæ appositio, sit impossibilis, etiam destructio illius negationis est impossibilis, siquem id negatio aufertur per formam negatam: Quod verò destructo peccato destruatur negatio illa, est quia destruitur ejus fundamentum, sine quo subsistere non posset: ut si tenebræ sint in aëre, licet Deus non apponat lucem, si aër destruatur, destruuntur tenebræ in eo positæ.

952. Ex quo iterum confirmo hanc resolutionem, quia peccatum habituale est fundamentum istius negationis; ergo ista negatio non ingreditur peccati habitualis essentiam. Probo antecedens, quia negationis destructio solum fieri potest, vel per appositionem formæ negatæ, vel per remotionem fundamenti: hæc negatio non aufertur per appositionem formæ negatæ, cum hoc sit impossibile; & aufertur per remotionem peccati habitualis; ergo peccatum habituale est illius negationis fundamentum; ergo illa negatio non est peccati habitualis pars essentialis: ut patebit discurrenti per alias negationes.

953. Tenaciter oppositum docuit Cardinalis de Lugo de pœnit. disp. 7. sect. 6. quod prius docuit Suar. lib. 7. de grat. c. 23. n. 15. & hodie communiter docetur. Probat Lugo 1. n. 68. quia homo de condigno potest satisfacere pro peccato veniali; & tamen in peccato habituali veniali non satisfactio ingreditur rationem formalem illius. Respondetur, concedo antecedens, nego consequentiam: & hæc consequentia non valet, potest introduci calor in frigore; ergo negatio caloris constituit frigus: solum enim sequitur: ergo negatio, latè loquor de negatione, habet pro fundamento frigus: ut etiam hæc consequentia non valet, de facto potest homo retractare suum peccatum; ergo non retractatio est pars essentialis peccati.

954. Secundo, eodem n. 68. supposito quod natura humana personata Verbo Divino applicat sua merita pro peccato, fortasse à se committendo, si à Verbo dimitteretur: Tunc sic; Si natura illa peccasset, jam satisfactum per illa merita condignè foret: sicut enim de condigno mereri poterat remissionem peccati, ita etiam satisfacere. Respondeo primo, suppositionem esse falsam, & à multis negari propter implicantiam terminorum. Secundo, ad-

missa suppositione, non esse argumentum in terminis, in quibus loquimor, est enim de persona, quæ est Filius Dei, & tunc peccatum habituale non est illa non satisfactio, nec non satisfactio pars essentialis peccati habitnalis, sed est quædam negatio, quæ comitatur physicè peccatum illius personæ, cum tamen logicè comitetur peccata alterius personæ ceeatæ, ut negatio caloris in frigore comitatur physicè frigus, & in Angelo logicè, quin sit illius pats essentialis.

955. Tertio, n. 75. Peccatum habituale snpra actuale, solum addit perseverantiam moralem in ordine ad odium Dei contra peccatorem; ergo quicquid pertioet ad constitutionem persevetātiæ illius, pertinebit ad constitutionem essentialem peccati habitualis; ergo cum non satisfactio pertineat ad constitutionem perseverantiæ, etiam pertinebit ad constitutionē peccati. Probatur hæc consequentia, quia perseverantia constituitur ex omnibus, quæ fundāt judicium prudentū, qui judicant etiam nunc Deum rationabiliter odium habere adversus peccatorem eatione peccati, ac si foret præsens: atqui illa non satisfactio est fundamētum prædicti judicii. Probatur major, quia prudentes homines ex negatione satisfactionis cōdignæ, moveri possunt prudenter ad illud judicium habēdum. Probatur hoc antecedens, quia ex eo, quod peccatum fuit commissum, & non satisfactum condignè, possunt moveri ad asserendū rationabiliter moveri Deum contra peccatorem.

Respondetur hoc argumētum destruere seipsum: concedo enim antecedens, & primam consequentiam, quod scilicet quæ constituunt perseverantiam moralem, constituunt peccatum habituale, nego ultimam consequētiam, qund non satisfactio concurrat ad constitutionem perseverantiæ moralis: cum probatur concedo majorem negando minorem, quod scilicet prudentis illius judicii sit illa non satisfactio fundamentum. Ad probationem, nego antecedēs, quod ex non satisfactione moveantur prudentes ad judicandū hominem illum esse aversum. & odiosum Deo: Deinde nego probationem, quia oppositum judicinm tenere, & facere debeo, quod scilicet ille homò non debet ex eo censeri odio dignus, quia commissum est peccatum, & non fuit satisfactum, cum enim satisfactio sit impossibilis, tam ex parte Dei, quàm ex parte hominis, imprudenter censebitur homo odiosus Deo, quia non satisfecit, id quod sibi, & Deo impossibile erat: ut nemo prudēter judicabit hominem esse Regl odiosum, quia cum contra Regem peccaverit, non facit id, quod sibi est impossibile, & Regi, verbi gratia quia non assumit alas ad volandum: nec Deus potest rationabiliter moveri cōtra peccatorem, quia non satisfacit condignè, cum hoc sit homini impossibile; sed movetur rationabiliter, quia peccavit.

956. Dices, etiam moveri potest rationabiliter, quia homo vidēs se non posse satisfacere, peccavit: sed contra, primn, quia multi sine aliqua advertētia ad satisfactionem peccant. Secundo, quia alind est non satisfacere, aliud videre se non potuisse satisfacere: odio prosequetur Deus hominem, quia prævidens suam ad satisfaciendum impotentiam, peccavit: sed non, quia peccando, non satisfacit condignè.

Quapropter illa non satisfactio nullo modo pertioet ad essentiam peccati habitualis, sed est tantum negatio quædam consequens peccatum habituale: ut negationes consequuntur essentiam: inde infeen falsò appellari conditionem, ad hoc ut detur peccatum habituale, siquidem conditio illa est impossibilis, cum impossibilis sit appositio formæ negatæ.

SEPTIMA DIFFICULTAS.

Vtrùm non condonatio sit de essentia peccati habitualis?

957. CUm peccatum habituale sit perseverantia peccati actualis, quod licet prætetierit, ita reddit hominem odiosum Deo, ut censeatur manere moraliter, ac si præsens & actu existeret quoad illum effectum; & cum peccasse absolutè non possit esse illud peccatum sic perseverans, nam peccasse tolli non potest, perseverantia potest auferri: & perseverantia illa, non sit non retractatio, nec non satisfactio, quæritur utrum sit non condonatio.

Pro solutione notandum est primo, ex peccato habituali duplex jus resultare in Deo adversus peccatorem: primum odii, secundum pœnæ: eo enim quod homo peccavit, jus acquirit Deus odio prosequendi peccatorem, & puniendi culpam: utrique autem juri Deus cedere potest; & cedit quando condonat peccatum: non tenetur autem Deus, qsoties uni juri cedit, cedere alteri juri, sed potest cedere iuri, quod habet ad odium, & non ad pœnam, vel è contra, ut optime citatus Lugo à n. 79. Hoc posito

958. Respondeo non condonationem peccati non esse aliquam partem constituentem peccatum habituale in ratinne peccati habitualis. Probatur, quia peccatum habituale, qua peccatum habituale est, est Deo odibile: atqui noo condonatio non est Deo odibilis; ergo non ingreditur essentiam peccati habitualis.

Respondet Card. de Lugn citatns n. 55. illam non condonationem non esse Deo odibilem, quia Deus non prosequitūr odio omnia quæ in peccato habituali sunt, & quæ ingrediuntur ad denominationem peccati habitualis, ut habituale est: habet enim odio peccatorem propter peccatum actuale præteritum, quod modo dicitūr habitoale ob negationem condonationis: siquidem Deos non pnnit hominem ob perseverantiā moralem, sive habitualitatem peccati, alitee, quo plus bomo perseveraret in peccato, plus puniretur, & plus odio dignus foret peccator, plus perseverans: quapropter non displicet homo, quia est in peccato, sed quia peccavit, non propter habitualitatem, & perseveeantiam, sed ob peccatum actuale, quod in se fuit formaliter liberum, & culpabile.

Tria tamen asseruntur, quæ cum vera Theologia stare non possunt.

959. PRimo, non omnia, quæ sunt de essentia peccati ut habituale est, esse Deo odibilia. Secundo, perseverantiam moralem, sive habitualitatem non esse Deo odibilem. Tertio, non puniri à Deo perseverantiam illam, sed tantum peccatum actuale.

At ut verum fateor omnia ista dubia sunt, & minus probabilia. Primum, quia ut fatetur Lugo n. 58. illa non condonatio reddit hominem Deo odibilem; ergo ipsa est odibilis. Probo consequentiam, quia *propter quod unum quodque tale, & illud magis*: atqui propter illam non condonationem, homo est odibilis; ergo & non condonatio.

Dices, non condonationem esse conditionem, ut sit odibilis homo, non tamen motivum: quæ verò sunt conditiones, non sunt odibiles, licèt sint causæ cur subjecta sint odibilia: refert exemplum de eo, qui amat Petrum quia est bonus, & quia amoe ille non probibetur; nam non prohibitio est conditio ut ametur, non verò est motivum, ideo si detur præceptum non amandi Petrum, Petrus non est mihi licitè amabilis, ablato præcepto, est amabilis, quia ablata est conditio, qua stāte non esset amabilis, non tamen prohibitio est motivum ne ametur, sed con-

ditio, quæ reddit Petrum objectum non amabile: ideo non est odibilis prohibitio, quia licet reddat Petrum non amabilem, est ut conditio, non ut motivum.

Sed contra: Primo, quia exemplum non est ad rem, nam præceptum, sive prohibitio non ingreditur rationem formalem, nec est pars essentialis constituens Petrum non amabilem, sed est causa efficiens per quam mutatur illud objectum & posita mutatione objecti, objectum est odibile, quia prohibitum; numquam tamen præceptum ingreditur rationem formalem malitiæ, sed est ratio mutans objectum: inde solum objectum est odibile: at verò in præsenti non condonatio non mutat malitiam, sed facit, & constituit, ut pars illius essentialis: pars autem constituens est odibilis, nihil enim constituit odibile ut odibile, si odibile non est. Secundo, quia lex, vel mutat objectum, vel supponit, & supponit, quia prohibitum, vel quia intrinsecè malum: si mutat, est de bono in malum; si supponit, non addit novam malitiam, sed indicat: & nullo modo est pars essentialis malitiæ: quæ omnia non condonationi applicata, ostendunt diversum esse exemplum, & contra id, quod intenditur: tum quia non condonatio non mutat actum de bono in malum: tum quia si supponit actū malum, non est pars illius essentialis, sed tantum signum.

Secundo, ad summum exemplum probat, quod peccatū sub illa non condonatione est odibile: non tamen, quod non condonatio sit pars essentialis peccati: imo sicut præceptum non est pars essentialis malitiæ, ita nec non condonatio erit pars essentialis peccati.

960. Confirmatur, quia non condonatio, vel non mutat objectum, vel mutat; si mutat, ergo vel de bono in malum, vel de malo in pejus: non de bono in malum, ut constat; ergo de malo in pejus, nam addita parte essentiali variante, & mutante objectum, addi debet ejus essentia: atqui essentia peccati est mala; ergo si ei addatur aliqua pars essentialis, pejus erit peccatum. Tum sic: Est pejus, ergo non condonatio est mala: nam ideo est pejus, quia additur non condonatio: atqui si non est mala, non potest reddere pejus: sola enim malitia superaddita, reddit actum pejorem, quo dato tota perit doctrina præfati Cardinalis.

961. Dices addere perseverantiam, sive habitualitatem, quæ Deo non est odibilis, nec mala: istud est secundum assertum sup. n. 958. sed contra, quia illa perseverantia est duratio actus præteriti; ergo est circumstantia peccati, & non est ipsummet peccatum; nam circumstatia temporis, non est peccatum, sed circumstantia; ergo illa circumstantia est mala, siquidem circumstantiæ peccatorum, malæ sunt; ergo cum non condonatio sit bona, non addit habitualem illam perseverantiam, quæ mala est, utpote circumstantia.

962. Dices esse circumstantiam peccati actualis, non tamen habitualis: sed contra, Primo, quia circumstantia circumstat peccatum cujus est circumstantia: atqui illa duratio non circumstat peccatum actuale, ut actuale, quia jam præteriit; ergo habituale, ergo habitualis peccati est circumstantia. Secundo, illa circumstatia est peccati; ergo aggravat peccatum; ergo est odibilis & mala. Tertio, non condonare non circumstat peccatum actuale, nec est respectu peccati actualis, sed habitualis: nam Deus non potest condonare hoc, quod est esse præteritum: sed id quod ita perseverat, ac si esset præsens.

963. Tertium quod asseritur minus habet probabilitatis, quia Deus punit id, quod condonat, juxta Lugo: non condonat peccatum ut actuale, cum sit impossibile; ergo habituale. Secundo, licet Deus puniat peccatorem quia peccavit, non punit ratione peccati, ut actuale, sed ut habituale est, & perseverat voluntariè.

Contra resolutionem harum trium difficultatum objicitur communiter à contrariis: Illud quo posito aliquid ponitur, & quo ablato aufertur, est constitutivum: atqui posita retractatione, vel condonatione, aut etiam satisfactione ponitur peccatum habituale, ablata aufertur; ergo quælibet est constitutiva. Major patet, nam ideo rationale est constitutivum hominis, quia posito datur homo, & ablato, perit essentia hominis. Minor ostenditur, nam semel retractato peccato desinit homo esse peccator, & dum peccatum non retractatur, peccator existit. Idem argumentum fit de satisfactione, vel condonatione: & ratio est, quia si homo retractat peccatum, jam non est voluntarium, si satisfacit, nihil debet: si condonatur, nihil superest.

964. Respondetur primo, negando majorem: namque posito libero, & morali, actus fit bonus, vel malus, & ablata ratione liberi, vel moralis, non potest actus esse bonus, vel malus, & tamen nec liberum, nec morale est ratio constitutiva bonitatis, aut malitiæ: Deinde ad positionem, vel ablationem termini, ponitur vel aufertur relatio, & tamen terminus non est ratio constitutiva relationis: ad positionem, vel ablationem objecti ponitur, vel aufertur cognitio, quæ in objecto non consistit: ac proinde sæpissimè illa, quibus ablatis, vel positis aliquid ponitur, vel aufertur, sunt conditiones essentiales, sive logicæ, quæ supponunt rem constitutam, vel consequuntur, vel etiam requiruntur extrinsecè ad rationem constitutivam.

Respondetur secundo, negando minorem: nam posita retractatione, non destruitur peccatum, satisfactio poni non potest: condonatio est tota ex parte Dei; inde non retractatio, non est ratio cur persistat peccatum, cum posita retractatione adhuc duret, de quo n. 941. non satisfactio est consequens peccatum, & cum ejus forma sit impossibilis homini, non est nisi quid consequens necessariò: non condonatio cum sit bona, non potest constituere peccatum.

OCTAVA DIFFICULTAS.

Utrùm peccatum habituale dicendum sit macula?

965. QUid vulgarius apud sanctos Patres, & Theologos, quam per peccatum induci maculam in peccatoribus: ab omnibus enim peccatores, sordidi, maculati, & inquinati dicuntur, ut etiam per remissionem peccati, ablui, lavari, & mundari peccatores affirmatur: quam veritatem ex variis sacræ Scripturæ locis, ac sanctorum Patrum dictis probant Theologi. Videantur Suar. tract. 5. in 1. 2. disp. 8. sect. unica n. 5. Becan. 2. p. Summ. tract. 2. cap. 7. q. 1.

An verò peccatum habituale sit propriè macula, est facilis difficultas, affirmativè resolvenda: nam macula est quædam animæ turpitudo: atqui homo existens in peccato, propter peccatum est turpis; ergo peccatum est turpitudo, sive macula. Minor constat, quia propter peccatum, homo est aversus à recto ordine ad Deum, sine nitore, splendoreque tam naturali rationis, quam supernaturali gratiæ; ergo est turpis: quid enim turpius, & deformius, quàm membrum capiti non cohærens, nec ordinem rectum ad caput dicens? quid turpius, quàm splendore rationis & gratiæ carere?

Quam quidem turpitudinem optimè explicamus in ipso peccati nomine. Equidem peccatum

habituale est reatus : & reatus si loquendum est magis linguæ latinæ Doctoribus conformius, est macula; nam apud illos, reatus est illa illuvies, & sorditas, quam carceribus inclusi contrahebant: Martianus lib. 2. *Si det iniqua tibi fortuna reatum: squallidus barebo, pallidusque reo* : Et Calepinus verbo *reatus*, ita reatum explicat. *Reatus est status, & conditio rerum, id est habitus demissus, pannosus* : Ex quo eleganter Iurisconsultus, *Si divino tempore aliquis in reatu fuerit, aliquatenus pœna eius sublevanda erit.* Quare cum explicemus peccatum habituale per reatum, ut diximus num. 906. & reatus sit macula, negari non potest peccatum habituale esse propriè maculam. Quod etiam verum est; licet peccatum sit veniale, de quo Vasques disputat. 159. cap. 4. à 5. *Præterea*, vere enim homo ille pollutus est per veniale, & emundari debet, eo modo, quo maculatus est, quod etiam tradit D. Thomas 3. part. q. 87. art. 5. *ad tertium.*

966. Sed cum plures reperiantur maculæ in peccato, quot enim aversiones in peccato considerantur, tot maculæ asseri possunt, & distinctæ juxta aversionum diversitatem, de quibus numer. 944. & num. 919. Sed quia apud Auctores præcipuè *macula* sumitur pro privatione gratiæ, in hoc sensu peccatum veniale non est macula, ut benè D. Thom. 1. 2. qu. 89. art. 1. non enim privat animam gratia: nec in eodem sensu est de essentia peccati habitualis esse maculam: nam plurimi docent, peccatum esse posse simul cum gratia, de quo supra numero 907. & absolutè in statu naturæ puræ daretur peccatum, & non induceret privationem gratiæ: in eo verò sensu, quo macula accipitur pro illa læsione divini honoris, de quo à n. 386. in eo casu erit essentialis peccato.

ULTIMA DIFFICULTAS.

Explicatur difficilis mens Scoti circa essentiam peccati habitualis.

967. PLerique recentiorum gravissima censura dignam esse judicant opinionem Scoti, quæ asserit peccatum habituale consistere in obligatione ad pœnam. Primo Vasques 1. 2. disp. 139. cap. 2. num. 1. docet damnatam esse hanc Scoti opinionem à Pio V. & Greg. XIII. eo quod damnaturnt propositiones Michaëlis Baii, quarum 53. erat, *Transeunte actu nihil manet, nisi reatus, sive obligatio ad pœnam* : Et quamquam non omnes propositiones Baii condemnassent absolutè, eas tamen omnes condemnarunt in sensu à Baio intento, quem sensum Scotus intendit. Ita Vasques absurdam opinionem esse affirmat: Montesinos 1. 2. disput. 16. qu. 3. n. 60. errorem esse tradit Suar. 3. p. tom. 4. de pœnit. disp. 11. sect. 2. num. 12. plusquam falsam esse dicunt Medina, Zumel, & alii, quos relatos sequitur Salas disput. 14. sect. 3. num. 10. licet absolvant Scoti sententiam à rigida censura Patris Vasquii, ex ea ratione, quia illa propositio Baii non fuit damnata, nisi prout asserebat per sacramentum baptismi solum reatum sive obligationem tolli; ego credo hos Doctores, & plerosque recentiores hallucinatos fuisse, & non penetrasse mentem Scoti, nec ejus sensum fuisse assequutos; ideo ne doctrina sana, & vera, qualis est Scoti, temerariè damnetur, nec posteriores recentiores nimium creduli fallantur, expendo sententiam Scoti.

968. Scotus in 4. dist. 14. q. 1. n. 6. per totum docet essentiam peccati habitualis consistere in obligatione ad pœnam: inquirit enim n. 3. quid manet in peccatore transeunte actu, à quo dicitur peccator? Et respondet n. 6. non remanere aliquid reale absolutum, vel relativum: & eodem numer. vers. *Ex isto*, docet: *Sequitur quod nihil aliud est post actum peccati cessantem, offensa, macula, & reatus nisi ista relatio rationis, scilicet ordinatio ad pœnam* : Et dist. 16. q. 2. n. 6. vers. *Si etiam*, ubi: *Ergo post actum transeuntem, tantum remanet anima obligata ad pœnam propriam correspondentem illi culpæ commissæ, & ista obligatio dicitur reatus ille qui manet in anima, postquam transit actus peccati, intrinseci, & extrinseci.* Et num. 16. vers. *Ad argumenta*, ait. *Illa culpa transeunte sola manet obligatio in isto, ut est obiectum secundarium voluntatis divinæ.* Et dist. 22. q. 1. num. 5. vers. sic igitur, *Peccatum remanet post actum quia non nisi obligatio ad pœnam* : Ecce sententia Scoti, & ut sic proposita, notatur à recentioribus. Videamus an juste.

Proponuntur quædam pronuntiata Scoti ad eius mentem illustrandam.

969. INter plura, quæ docuit Scotus de peccato habituali, præcipuè docuit primo, dari duplicem ordinationem ad pœnam, unam passivam, alteram activam: passivam positam ex parte peccatoris ordinati ad pœnam; activam positam ex parte Dei ordinantis peccatorem ad pœnam: Passiva dicitur reatus, activa offensa: ita in 4. dist. 14. q. 1. n. 7. vers. *Confirmatur*, ibi. *Propter peccata transeuntia, nihil est aliud abiectio istius, nisi reprobatio, vel repulsio in voluntate divina, & in peccatore relatio rationis, ut abiecti, vel reprobati, ad talem, vel talem pœnam reprobati.* Et vers. *Et isto*, ibi: *Ut autem est obligatio formaliter ad illam pœnam, dicitur reatus: ut est actus voluntatis divinæ, in qua est tota ista realitas per quem actum ordinatur ad talem pœnam: dicitur offensa, nihil enim aliud est offensa, vel irasci in Deo, quam velle vindicare ista pœna.* Et dist. 16. q. 2. vers. si etiam. *Et ista obligatio dicitur reatus ille, qui manet in anima, postquam transiit actus peccati intrinseci & extrinseci.*

770. Secundum, ordinationem passivam, esse relationem rationis, habentem pro extremis, peccatorem ordinatum ad pœnam, & Deum ordinantem: ita expressit in 4. dist. 14. q. 2. n. 6. vers. *Quicumque*, vers. *Istud*, vbi: *Ergo ipsum remanere in peccato post actum transeuntem, nihil aliud est, nisi ipsum Dei voluntate ordinari ad pœnam condignam illi peccato, obiectum autem intellectus, vel voluntatis, ut intellectum, vel volitum, non habet nisi relationem rationis.* Eadem habet dist. 16. q. 1. n. 6. vers. *Quicumque*. qu. 2. n. 6. vers. *Ex hoc* in reportatis ad 4. dist. 16. n. 10.

971. Tertium, post peccatum actuale, sive præterito peccato actuali, nihil remanere reale positivum, absolutum, vel relativum, aut privativum, quo homo dicatur peccator nisi illam relationem rationis: ita in 4. dist. 14. q. 1. nam n. 3. vers. *Hic sunt*. tria proponit resolvenda, quorum primum est, quid manet in peccatore actuale à quo dicitur peccator? Et respondet n. 6. *Dico ergo, quantum ad istum articulum, quòd nihil reale, absolutum, vel relativum, est in aliquo: cessante omni actu peccati, à quo ille dicatur peccator.* Et vers. *Quicumque*, ait: *Non est ergo ibi aliquid absolutum, vel relativum positivum, vel privativum à quo dicatur peccator à tempore cessationis actus, usque ad pœnitentiam, sed tantummodo quædam relatio rationis*, &c. Vide omnia loca citata, & reportata in 4. dist. 14. q. 1. n. 7. & dist. 16. q. 2. 19.

972. Quartum, licet non maneat aliquid reale & actuale positivum, sive privativum, *manere*

tamen injustitiam habitualem, & relationem rationis, sive ordinationem ad pœnam. hoc secundum de relatione rationis, sive ordinatione ad pœnam, habet omnibus locis citatis: primum in 4. dist. 16. q. 2. n. 6. vers. Si etiam ibi: *Sup. dist. 14. q. 1. art. 1. ubi: Ostensum est quod post actum transeuntem interiorem, & exteriorem, præter injustitiam habitualem, quæ est carentia gratiæ, & unica in una anima, non remanet aliqua injustitia actualis propria, à qua dicatur peccator tali peccato*: & in reportatis dist. 14. quæst. 1. num. 3. vers. *De primo* & vers. *Non solum*, utrumque autem, & injustitiam habitualem, & obligationem manere docet. In 4. dist. 21. quæst. 1. num. 3. vers. *contra*, ibi: *Ex hoc igitur sequitur verum esse illud, quod dictum est ibi, quod post actum peccati transeuntem, nihil præter injustitiam habitualem, id est carentiam gratiæ, manet in anima, nisi obligatio propria ad pœnam correspondentem culpæ actuali*: & in reportatis n. 4. dist. 16. q. 2. n. 9.

973. Quintum, injustitiam habitualem esse peccatum, ita in reportatis in 4. dist. 16. quæst. 2. num. 9. ibi: *Nec video per expulsionem culpæ aliquid positivum in anima, ut maculam à se relictam, sed tantum carentiam gratiæ, vel peccatum ut argutum est: igitur in justificatione impii, est tantum unica mutatio, expulsio privationis gratiæ, per introductionem, & infusionem gratiæ, quia eadem mutatione, qua ab anima expellitur culpa, & privatur fœditate peccati, ponitur sub habitu gratiæ*: Quod verò obligatio ad pœnam sit peccatum docet Scotus omnibus locis supra citatis.

974. Sextum: Hominem sub culpa præsentari à divino intellectu, & sub ea ordinari ad pœnam: *Eadem volitione antiqua, qua voluntas divina Petrum præsentari à divino intellectu sub culpa, ut sub culpa ordinat ad pœnam, ut inimicum, eumdem ut præsentatum, at non sub culpa, sed sub pœnitentia, & contritione ordinat ad non pœnam*: ita in reportatis ad 4. dist. 26. q. 2. n. 27.

975. Septimum, & in idem recidit, hominem ideo ordinari ad pœnam, quia est in culpa: sive, quia manet in culpa. Ita in 2. dist. 37. quæst. 2. num. 12. explicans enim, quo modo dicatur pœnam ordinari à culpa, respondet: *Ex quo Deus non vult culpam auferre, non potest melius, sive ordinatius anima culpabilis esse, quam quod sit sub pœna, quæ non est tantum malum formaliter, quantum est culpa, quia naturam manentem sub culpa ordinat*. Eamdem doctrinam habet in 4. dist. 14. quæst. 1. num. 9. vers. *& licet*, ibi: *Pœna est ordinativa culpæ, ita quod non potest relinqui in universo aliqua culpa, cui non correspondeat pœna ordinativa, & simpliciter melius est peccatorem non correptum, esse in pœna, quàm sine pœna, quia in primo est aliquid boni, scilicet, correspondentia justa pœnæ ad culpam: Sed in secundo esset tantum malitia, scilicet culpa, & impunita*: Non aliter dist. 50. quæst. 3. num. 6. vers. *De tertio*, ubi loquens de peccato habituali damnatorum, & de gaudio quod circa pœnas eorum habent beati, ita habet. *Gaudent enim propter justitiam, in quantum natura existens sub culpa* (Ecce culpa habitualis) *ordinatur ad pœnam*. Et ex hoc capite discrimen facit inter esse dignum pœna, & puniri: in 4. dist. 16. q. 2. num. 12. appellatque peccatum habituale debitum pœnæ, dist. 21. q. 1. à n. 6.

Obligatio ad pœnam juxta Scotum non est essentia peccati habitualis.

976. EX qua doctrina, manifesta est mens Scoti: quam per sequentes explico conclusiones. Prima est juxta Scotum: Ordinatio ad pœnam, non est solum peccatum habituale: Hæc conclusio est solis luce evidentior: quia, præter illam ordinationem ad pœnam datur carentia gratiæ habitualis, quam etiam appellat peccatum. Vide n. 973. ergo non sola ordinatio. Dices: Scotus datus num. 971. docet nihil reale positivum, aut privativum mansisse in peccatore post transactum actuale peccatum: atqui privatio gratiæ, est quid privativum reale, cum sit privatio à parte rei formæ realis: ergo. Respondeo Scotum loqui de novo reali positivo, aut privativo, non vero de privativo, aut positivo, quod jam inerat: cum autem per peccatum actuale, illico deperdita fuerit gratia, non fuit nova carentia de novo introducta, sed eadem omnino persistens.

977. Secundo: Scotus non constituit essentiam peccati habitualis, nec etiam partialiter, in ordinatione ad pœnam: Hæc conclusio æquè clara est, ac prima, in doctrina Scoti: Primo, quia peccator prius intelligitur à Deo esse in peccato quàm ordinetur ad pœnam, ut enim ordinetur ad pœnam præsentatur sub culpa: ita Scotus. Vide num. 974. & num. 975. ergo non pertinet ordinatio illa ad essentiam culpæ. Probo consequentiam, quia prius est homo peccator, & in culpa, quàm ordinetur ad pœnam; cum prius sit intelligi peccatorem esse sub culpa, quam velle peccatorem punire; ergo consequitur ordinatio illa culpam, & non constituit. Cum ergo Scotus doceat hominem existentem in culpa præsentari intellectui divino, ut ordinetur ad pœnam, prius erit esse in culpa, quam ordinari.

Secundo, quia ordinatio illa, illaque relatio rationis potest separari à culpa habituali; ergo ordinatio vel relatio rationis non potest esse pars essentialis constitutiva culpæ: Patet consequentia, quia essentia non potest persistere, & separari à sua parte constituente: antecedens vero est subtilis Doctoris in 4. dist. 14. quæst. 1. quæsivit enim quid remaneret in peccatore, à quo dicatur peccator, post actum peccati actualis, & respondet num. 7. vers. *Dico ergo*, solam mansisse ordinationem ad pœnam, sive relationem rationis; Quærit insuper, an hæc ordinatio possit deleri à Deo? Respondet num. 8. posse deleri, & de facto deleri: Quærit deinde, an semper fiat remissio peccati per ablationem illius ordinationis: respondet num. 9. de lege ordinaria affirmativè: licet de potentia absoluta possit remittere culpam, & non pœnam: & assignat rationem, in qua expressè asserit ordinationem ad pœnam non esse de essentia culpæ, *quia ex quo non est idem essentialiter, Deum remittere culpam, & punire eam, ut patebit ex illa quæstione distinctionis decima sexta de expulsione culpæ, & infusione gratiæ, videtur quod Deus posset unum separare ab altero*: Ecce expressè Scotus docet de essentia culpæ, non esse relationem illam rationis, sive ordinationem ad pœnam.

Tertio, quia expressè Scotus affirmat ex doctrina sanctorum Patrum diversam esse remissionem culpæ, à remissione pœnæ in 4. dist. 21. q. 1. Quæsivit enim an peccatum veniale hic non dimissum, possit dimitti in alia vita? & respondet n. 7. affirmative. *Quia nihil aliud est culpa venialis remissio, quàm solutio pœnæ temporalis debita pro ea*, numero autem 8. vers. *sed si*, respondet secundo negative: *Quia videntur sancti Patres distinguere inter remissionem culpæ cujuscumque, & pœnæ, & maxime inter remissionem culpæ, & solutionem pœnæ debitæ illi culpæ*: Ecce aperte culpam ab illa ordinatione subtilis discriminat Doctor.

Quarto, quia Scotus expresſè aſſerit eſſentiam peccati habitualis conſiſtere in peccato præterito, ut dicam infra num. 985. Quinto quia expreſſè diſtinguit malitiam habitualem à reatu in 2. diſt. 22. num. 20. verſ. *Ad aliud.* Quærens enim an redeant peccata dimiſſa ſemel; Reſpondet. *Hac tamen redit culpa dimiſſa per contritionem*, neque inquam, tedit, *quantum ad malitiam, nec quantum ad reatum:* Sexto, qoia ut dicam num. 981. ideo non admittit relationem realem manentem poſt ceſſationem peccati, quia Deus foret ejus cauſa, & conſequenter peccati: atqui juxta Scotum in 4. diſt. 16. quæſt. 2. num. 19. verſ. *ſed ſi*, illa ordinatio ſit à Deo; ergo non poteſt eſſe juxta Scotom idem io quo conſiſtit habituale peccatum. Septimo, quia expreſſè docet peccatum habituale eſſe idem ac actuale continuatum de quo num. 988.

Solvuntur quæ contra Scotum proferunt Recentiores.

978. OPpones tamen primo, pro illis Recentioribus, qui exiſtimant ab Scoto conſtitui eſſentiam peccati habitualis in obligatione ad pœnam, illa loca, illamque doctrinam conſtanter aſſeram ab Scoto, quod poſt actum peccati actualis; ſive ceſſante peccato actuali, nihil aliud remanet in anima, niſi ſolam obligationem ad pœnam, ut videre eſt ſupra num. 968. & 969. Reſpondeo ut ſupra num. 976. dixi, non aliud in illa excluſione docuiſſe Scotum, quam contrarii docent, docet enim nihil reale poſitivum, ſive abſolutum, ſive relativum, aut etiam privativum manere: Vide num. 926. & hoc de novo, quod attinet ad privativum, quod veriſſimum eſt, & communiter receptum: Non enim Theologi admittunt aliquid reale relictum ex peccato præterito, à quo peccator talis denominetur; & hinc oritur difficultas exponendi hoc habituale peccatum; nam ſi, ut communiter dicitur, in privatione gratiæ per ordinem ad peccatum præteritum conſiſtit peccatum habituale: hoc admittit Scotus, ut vidimus num. 972. cum quo ſtat; quod de novo nihil reale, etiam privativum datur in anima præterito peccato, quia licet ſit illa carentia gratiæ in anima, illa carentia non eſt alia nova, præter illam, quæ fuerat in peccato actuali, ex quo non ſolum verum, ſed etiam communiter approbatum eſt id, quod Scotus addit, ſcilicet, nihil aliud manere præter obligationem ad pœnam poſt peccatum, ſiquidem nihil novum, & de novo reperitur in homine peccatore, niſi eſſe obligatum ad pœnam: Verè enim homo manet obligatus, quæ obligatio, ut bene ait Scotus, eſt relatio rationis poſita in peccatore, ut ordinato ad pœnam, quæ neceſſario conſequitur peccatum ex lege Dei, ſive de potentia ordinaria.

979. Oppones ſecundo, Scotum non ſolum docere nihil de novo advenire peccatori, niſi illam ordinationem, ſed etiam ſolam hanc ordinationem eſſe peccatum. Reſpondeo nullibi hoc aſſeruiſſe Scotum, ſolum enim aſſeruit nullum poſitivum reale, vel poſitivum, vel privativum manere in peccatore, à quo dicatur talis, ſed ſolum dari de novo illam ordinationem ad pœnam, quæ dicitur reatus, & tollitur per ſacramentum, ut ex ipſis verbis Scoti citatis apparet: Quando enim ait, nihil aliud eſt macula, reatus, offenſa, non ita intelligendus eſt, quaſi non aliud ſit in peccatore, ſed quod non eſt aliud, excepto actu peccati motaliter perſeverantis, & eis, quæ ipſum comitabantur, aliter non diceret, manere præter obligationem injuſtitiam actualem; hominem ſub culpa ordinari, hominem manentem in culpa præſentari divinæ voluntati, ut illum ſic manentem in culpa ordinet ad pœnam, diverſam eſſe remiſſionem culpæ à remiſſione pœnæ: culpæ remiſſionem à pœnæ remiſſione poſſe ſeparari: quæ omnia adeo manifeſte oſtendunt nun conſtituiſſe Scotum eſſentiam peccati à quo homo dicitur peccator, in illa obligatione ad pœnam, ut non immerito dixerim hallucinatos fuiſſe Recentiores in exponenda mente Scoti.

Expenditur cenſura Patris Vaſquez.

980. SEd non deſinam admirari cenſuram Patris Vaſquez, quem doctiſſimum, & inter Theologos maximum habere locum recognoſco: aſſerit enim, citata diſput. 139. cap. Primo opinionem Scoti cum propoſitionibus Michaëlis Baji eſſe damnatam, nam in eodem ſenſu, quo Bajus ſuam 53. propoſitionem aſſeruit, in eodem aſſeruit Scotus. Ita num. 7. *Hanc tamen propoſitionem non docuit ille* (Baius) *in alio ſenſu, quam Scotus, & quam verba ipſa ſonant.* Secundo, ex hac doctrina ſequi Deum eſſe auctorem peccati, eo quod ſit auctor, & cauſa totalis illius obligationis ad pœnam, quæ eſt ipſummet peccatum, ita num. 8. Tertio, Scotum docuiſſe nil aliud deleri per juſtificationem impii, niſi illam relationem rationis, ita cap. 1. n. 1.

981. Verùm quam longe à veritate, & à ſententia Scoti fuerit Pater Vaſquez, non poteſt non videri à quolibet docto, qui opinionem Scoti leviter etiam legerit, & contra primum. Propoſitio Michaëlis Baii (quæ non eſt 53. ut refert Vaſquez, ſed 57. & 58. apud Ripald. contra Baianos ſive tom. 3. diſp. 1. parum hoc refert; cum non ſit quæſtio circa arithmeticam) aſt damnata in ſenſu ab eo intento, ſenſus intentus à Baio, ut cælum à terra, diſtat à ſenſu intento ab Scoto. Primo, quia ex eo Baius docet non manere niſi reatum, ut doceat per ſacramentum Baptiſmi, vel pœnitentiæ non mundari, vel abſolvi peccatores à culpa, ſed tantum à pœna: ita enim habet, ut bene tranſcribit ipſe Vaſquez. *In peccato duo ſunt actus, & reatus: tranſeunte autem actu, nihil manet, niſi reatus, ſive obligatio ad pœnam, unde in ſacramento baptiſmi, aut ſacerdotis abſolutione proprie reatus dumtaxat tollitur, & miniſterium ſacerdotum ſolum liberat à reatu:* Ergo Baius non aliud omnino manere in peccatore exiſtimavit, quam ſolam obligationem ad pœnam, nec privationem gratiæ, nec peccatum perſeverans in peccatore: ex quo inferebat, non tolli niſi reatum, ſive obligationem ad pœnam, per ſacramentum baptiſmi, & pœnitentiæ: Ecce propoſitio, ecce ſenſus Baii: quænam doctrina Scoti? Oppoſita: quia præter illam obligationem docet manere carentiam gratiæ. Vide num. 772. manere verè culpam, diverſam ab obligatione pœnæ. Vide num. 977. & cum ſit oppoſita doctrina errori Baii; ex ea Scotus etiam conſequentias oppoſitas illationi Baii collegit. Primam, in ſacramento pœnitentiæ verè ſacerdotem abſolvere hominem à culpa, & non ſolum à pœna. Ita ex profeſſo in 4. diſt. 14. q. 4. à num. 6. Secundam, duplicem dari mutationem in juſtificatione impii, unam realem, alteram rationis: realis, eſt per quam infunditur gratia; rationis per quam deletur ratio culpæ, quæ non eſt realis, ſed rationis; quia nihil reale deletur, cum nullum reale ſit

peccatum habituale, sed deletur aliquid rationis, obligatio scilicet ad pœnam. & ejua fundamentum; ergo perperam Vasques & absque veritatis examine confundit sententiam probabilissimam Scoti, cum Baii erroribus: ex quo constat falsò asseruisse Patrem Vasques non aliud deleri per sacramentum juxta Scotum, quam relationem rationis.

982. Contra secundum, est, quia Scotus in eadem quæstione 1. dist. 14. in qua tractat quæstionem præsentem, ex eo ait peccatum habituale non consistere in relatione reali, quæ sit obligatio ad pœnam, quia si daretur, Deus esset illius causa: *Nec potest ista obligatio dici terminus actionis divinæ immediatus, quia nulla anima præcisè dicitur peccatrix, ab illo, quod est terminus actionis divinæ:* ita num. 5. vers. *Quod.* & vers. *secundum*: ex eo talem excludit relationem, *Quia si esset maxima talis obligatio, non posset fingi in esse, nisi à Deo immediatè, & ita per istam formaliter non esset anima peccatrix, cum Deus non sit causa peccati per se, sed solum permissivè*: ergo juxta Scotum non est illa obligatio relationis peccatum habituale, cum enim sit à Deo, tum Deus esset causa peccati, ut esset si relatio foret realis: Confirmatur, quia quærens in 4. dist. 21. quæst. unica, utrum sit possibile idem peccatum numero redire? respondet posse redire sumptum pro obligatione ad pœnam, non pro culpa, ita num. 4. vers. *Probatio.* Qua propter aliud vult Scotus, asserens obligationem ad pœnam esse peccatum, & posse redire per divinam omnipotentiam, quin Deus sit auctor peccati: vult enim non obligationem activam, sed passivam esse peccatum, & non ut formaliter accipitur, sed pro fundamento: Quod est idemmet peccatum transactum, ut dicam à n. 965.

Proponitur vera sententia Scoti de essentia peccati habitualis.

983. NOn una, eademque est mens discipulorum, quidam enim, ut Hyquæus in 4. dist. 14. quæst. 2. num. 23. duo docent. Primum in 4. dist. 14. quæst. 2. docuisse Scotum peccatum consistere in obligatione ad pœnam, quin præter illam obligationem aliquid sit peccatum etiam moraliter & dici peccatum manere solum ratione effectus: Secundum ab Scoto revocatam fuisse sententiam in eodem 4. dist. 22. quæst. 1. vers. *Sed iste modus.* dist. 50. quæst. 6. §. *ad argumenta.* dist. 46. quæst. 4. art. 2. & in 2. dist. 7. q. unica §. *Potest.* Cavellus in 4. dist. 14. quæst. 1. in scholio num. 6. similiter duo docet. Primum ab Scoto constitui essentiam peccati in actu præterito moraliter permanente, non remisso, & idem habet dist. 16. quæst. 2. in Scholio num. 6. dist. 21. q. 1. in Scholio. num. 8. Secundum, si quis proterve dicat, sententiam constituentem essentiam peccati habitualis in obligatione ad pœnam, esse Scoti, parum interesse, quia est satis probabilis; cum sequantur hanc sententiam Rubion. Gabriel, Medin. Ocham. Bassolis.

984. Quod attinet ad probabilitatem sententiæ, ego semper à censuris abstineo; sed non videtur tutum solam obligationem ad pœnam esse maculam peccati, ut ostendi supra: & quæ opponit Hychæus pro hac sententia soluta sunt suprà à num. 905. Quod verò hæc sententia de obligatione ad pœnam aliquando fuerit Scoti, falsum est, & miror doctissimum Hyquæum adeò vacillantem in sua doctrina fingere Scotum, ut doctrinam, quam tradidit in 4. dist. 14. & 16. revocaverit in eodem 4. dist. 22. 46. & 50. ac in 2. dist. 7. & 28. quod vero addit Hychæus relatus num. 983. ab Scoto in secundo senten. mutatam esse sententiam, quam tradiderat in 4. ex eo quod Scotus ultimo scripsit in 2. falsum est, siquidem in 2. dist. 23. Scot. se refert ad ea, quæ scripserat in 4. unde ratio Hychæi nulla est, nam loco 2. non se allegat in 4. cum tamen in 4. dist. 45. q. 4. num. 6. se allegat in 2. Ideo non erat cur improperaret Scotistis quasi deserentibus Scoti doctrinam de obligatione ad pœnam, cum ex Schola Scoti non videatur, qui Scoto illam imponat sententiam: Quod licet jam demonstratum sit, tamen adhuc non constat de Scoti sententia circa peccatum habituale, quam per sequentes conclusiones expono.

985. Dico primo: Peccatum habituale est idem peccatum actuale commissum, non remissum: Prima pars constat, primo ex celebri loco Scoti in 2. dist. 28. num. 7. inquirens enim, an homo sine gratia possit vitare peccatum actuale? Respondet peccatum actuale sumptum pro actuali elicito, vitari posse; non tamen si peccatum sumatur pro habituali, *sive* pro macula, quæ remanet post actum elicitum, sive pro reatu permanente, quousque peccatum fuerit *deletum per pœnitentiam.* Et ratio est, *quia anima sine gratia, aliquo peccato maculatur, vel originali, vel actuali, a quo non liberatur nisi per gratiam.* Ecce ex mente Scoti anima maculatur peccato, quod commisit, sive est habitualiter maculata, quia commisit peccatum, quod quidem permanet. Secundo, quia expresè appellat peccatum habituale, peccatum commissum, est expressus locus in eadem dist. 28. & q. unica n. 8. vers. *Ad aliud* ibi: *Sed non posset caveri* (peccatum) *stando in peccato prius commisso*; expressus etiam locus est ex reportatis in 4. dist. 16. q. 2. n. 26. vers. *Dico*, ibi: In quorum uno, est peccator per peccatum dimissum: est: expressus etiam locus habetur in 4. dist. 14. q. 2. n. 10. vers. *Ad illam* & vers. *sic*; ubi docet, actum pœnitentiæ versari circa objectum, quod est *peccatum commissum*: ergo stare in peccato prius commisso est esse peccatorem, & per consequens ab ipso denominatur homo peccator, & cum peccatum prius commissum non sit ordinatio ad pœnam, contra Scotum asseritur ordinationem ad pœnam esse id in quo essentialiter consistit peccatum habituale.

Secunda pars, quod scilicet sit peccatum habituale, idem ac peccatum commissum, non remissum, constat ex eodem Scoto expresè id asserente in 4. dist. 21. quæst. 1. num. 3. vers. *Sed ad aliud non est ita certum, scilicet de peccato hic non dimisso.* vers. *Dico*, ibi: *Non de peccato mortali; quia pro ipso non dimisso pœna debita est pœna damnationis*, & vers. *contra* utraque pars expresè traditur simul ab Scoto in 4. dist. 46. q. 4. n. 6. ubi peccatum habituale describens ita ait: *Culpa continuata sine remissione.* Vide n. 988.

986. Dico secundo: Peccatum habituale, est idem ac peccatum commissum, non remissum, perseverans moraliter, juxta Scotum: quia Scotus docet non manere injustitiam actualem propriam, in 4. dist. 16. q. 2. vers. *Si etiam* sive non propriè, ut loquitur dist. 22. n. 3. vers. *contra*: atqui hoc est manere impropriam injustitiam, sive impropriè; ergo moraliter, nam nihil aliud potest esse, quam manere, sed non physice.

987. Dico tertio, istud perseverare moraliter, nihil aliud est juxta Scotum, quàm ita manere,

ac si esset præsens, & de eo præterito ita judicati, ac si præsens foret: ita in 2. dist. 32. n. 15. vers. *Respondeo:* est textus celebris, ideo illum transcribo. *Respondeo, sicut meritum cum transit in se, manet tamen in scientia & acceptatione divina, quia ita præmiat pro eo, ac si esset præsens, ita cum demeritum transit, quantum ad actum, manet tamen in scientia divina, quia ita punit pro eo, ac si jam esset præsens.*

988. Dico quarto, hæc præsentia moralis, nihil aliud est, quam continuata colpa voluntaria: ita Scotus in 4. dist. 4. q. 4. num. 6. vers. *de secundo,* ubi celebri loco explicat essentiam peccati habitualis. *Prima pœna scilicet culpa continuata sine remissione, quæ continuatio potest dici obstinatio ipsa, non habet Deum pro causa positiva.* Ecce essentia peccati constituta in ipsomet peccato actuali continuato, sive perseverante, *Sicut enim culpa quando committitur, in quantum culpa non habet causam positivam, sic nec in quantum continuatur ut culpa,* quid clarius pro constituendo peccato habituali in eodem actuali continuato? *Hæc autem culpa ut continuata, est à Deo, ut causa negativa, scilicet, non remittente, nec tamen est prima causa negativa, sed ipsa voluntas voluntariè continuans, est causa demeritoria ejus quod est non remittere.* Ecce illa culpa est voluntaria, & voluntariè volita, inde peccatum habituale est esse præsens, esse præsens est voluntarie continuari culpam, quæ præteriit, *Vel saltem ipsa voluntas quando commisit hæc demeruit, licet non semper post actum illius peccati continuet.* Ecce excludit retractationem, nam licet retractetur voluntas, non necessario Deus remittet culpam, quia cum peccavit, hoc meruit. Æqualis locus habetur in eadem quæstione num. 7. ubi explicans justitiam, qua Deus æternaliter punit damnatos, ita habet: *Iuste enim derelinquit, vel non remittit, sive quia voluntas voluntarie continue male vult: sive quia usque ad terminum viæ permansit in peccato, sine pœnitentia,* &c. Quæ subtiliter prosequitur: clarè enim, & expressè peccatum habituale constituit in culpa præterita continuata voluntariè, & sic permanente, ac si præsens foret realiter, quam cum posset retractare, noluit; & licet retractaret, non satis esset; quia se posuit voluntariè in illo statu.

989. Dico quinto, peccatum habituale perseverat moraliter per modum habitus, & termini: ita Scotus in 2. dist. 32. num. 11. vers. *Propter;* ubi docet peccatum habituale quiescere in anima, comparat enim peccatum originale, non actuali elicito à voluntate, sed habituali, quiescenti in anima ut originale. *Magis comparatur peccato, quasi quiescenti in anima post actum transeuntem:* Quod vero quiescit in anima, est per modum habitus, non actus.

990. Dico sexto, juxta Scotum gratiæ carentia, & ordinatio ad pœnam dicuntur etiam peccatum habituale: Patet de carentia gratiæ, num. 965. de ordinatione ad pœnam n. 969. non quod sint formaliter peccata, & formæ à quibus homo denominetur peccator: nam in statu naturæ puræ esset peccatum, & non gratiæ carentia juxta Scotum in 2. dist. 28. q. 7. & potest Deus de possibili auferre ordinationem ad pœnam, manente peccato juxta Scotum in 4. loco citato supra. n. 977.

991. Dices, Scotus, & carentiam gratiæ, & ordinationem ad pœnam, appellat peccatum; ergo sunt verè, & formaliter peccata. Nego consequentiam, quia peccatum sumitur, vel propriè pro peccato ipso formali imputabili culpæ, vel impropriè pro effectu ipsius peccati, ut contra Iansenium ex doctrina Concilii Trid. & Augustini probo in Iansenio convicto, tom. 1. lib. 1. cap. 9. & lib. 2. à n. 264. inde est, quod S. Paulus appellavit concupiscentiam peccatum, quia ex peccato est, ut explicat Tridentinum: cum ergo, & carentia gratiæ, & ordinatio ad pœnam, sint effectus peccati, dicuntur ab Augustino peccata impropriè, quia scilicet ex peccato sunt: est enim modus usitatus Scripturæ sacræ appellare effectus peccatorum, peccata. Levit. 22. *Custodiant præcepta mea, & non subjaceant peccato,* id est, supplicio. Genes. 22. *Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Deo,* id est, obligati ad pœnam. 3. Regum cap. 1. *Erimus & ego, & filius meus peccatores,* id est, puniemur. Huic vulgari modo loquendi Scripturæ, & Sanctorum Patrum, se accomodavit Scotus.

Sciendum tamen est ex dictis num. 969. duplicem esse ordinationem, passivam, & activam; hæc est ex Deo, ideo bona: illa ex peccato, ideo mala; & fundamentaliter est ipsamet culpa perseverans in illo, non enim ille effectus præscindit à culpa, cum necessario illam supponat, & ex conservatione culpæ dependeat; ideo enim homo ordinatur ad pœnam, & est dignus pœna, quia peccavit, & dum non remittitur peccatum est ordinatus ad pœnam, perseverante culpa, moraliter, juxta modum, quo explicavimus hanc perseverandam supra à n. 758.

992. Quapropter, ut concludam, non invenio causam, cur Recentiores adeo acerbè notaverint sententiam Scoti: certè inadvertenter actum est ab eis. Primo, quia si est communis opinio, de qua supra à n. 896. peccatum habituale consistere in privatione gratiæ cum respectu ad peccatum commissum, clarissimè Scotus docet privationem gratiæ esse injustitiam habitualem ob peccatum incursam: hoc ergo satis erat, ut Scotus sentiret cum communi sententia, & ne notaretur ejus sententia.

Secundo, quia si peccatum habituale est peccatum commissum non remissum, ut magis probabile est, certe, hoc asserit Scotus; ergo non erat, cur singulari nota, ejus de peccato habituali devenustaretur sententia.

Tertio, quia si illa ordinatio ad pœnam fuit causa, cur illam censuram subiret opinio Scoti: antequam proferrent sententiam, merebatur adeo eximius doctor, ut judices ejus causam examinarent: & non, vel testium relatione, qui sæpe falsi sunt, & fallunt, dum falluntur: vel ex cortice verborum, quæ non continent sensum doctoris, illico judicare: si enim præcessisset examen, viderent primo Scotum nullo modo illam ordinationem ad pœnam expostulare, ut essentiam peccati; vide à num. 976. sed ut effectum, causaliter, & consequutive appellari juxta modum loquendi sanctorum Patrum peccatum, vide num. 991. Viderent secundo, constitui peccati habitualis essentiam ab Scoto in peccato commisso perseverante moraliter, per modum habitus. Vide à num. 985.

Tandem, etiamsi his Recentioribus concedamus Scotum constituisse essentiam peccati habitualis in ordinatione ad pœnam, quod tamen longe ab ejus doctrina est: viderent duplicem esse ordinationem, unam formalem & activam ex parte Dei ordinantis, alteram passivam, & hanc vel formalem, vel fundamentalem: de activa non loquitur Scotus, cum sit à Deo, de quo supra num. 981. Loquitur ergo de passiva ex parte animæ: si est formalis, nihil aliud est quam relatio rationis, resultans ex peccato, eo enim, quod homo peccavit, ordinatur

ordinatur ad pœnam, & hæc est effectus, & non essentia peccati, supponit tamen illud: si est fundamentalis, est ipsamet culpa, quæ supponitur perseverare, si enim non perseveraret peccatum, non ordinaretur ad culpam homo, ac proinde radicaliter, & fundamentaliter illa ordinatio est culpa: Hæc sufficiant pro explicanda mente Scoti, ad alia transeamus.

SUBSECTIO SECUNDA.

De secundo effectu peccati, qui est pœna.

993. POena, culpæ comparata, malum exiguum est, cum ne levis culpa committatur omnia mala mundi debeant tolerari, nec malum pœnæ, pœna foret, si pro patente culpam non haberet, sed cum adeo pravam originem habeat, est malum ex necessitate culpæ, quæ necessario postulat puniri, de hoc igitur effectu nobis est in præsenti sermo.

PRIMA DIFFICULTAS.

Quid sit reatus pœnæ, & pœna?

PRæambula est hæc difficultas, ex ea enim dependet, & resolutio & intelligentia sequentium: Pro quo notandum est primo, pœnam esse nomen æquivocum, commune pœnis, quæ vere, & propriè sunt supplicia, & aliis, quæ sunt cruciatus, & effectus torquentes. Secundo, pœnam propriè, & in rigore esse illam, quæ supponit culpam, & ordinatur à Deo in vindictam peccatorum; quæ autem irrogatur à Deo, quin culpam supponat, non est formaliter pœna, sed tantum pœna dicitur materialiter; ut sunt tormenta, cruciatus, labores, & omnia quæ Deus confert justis; quibus remissa est omnis pœna, pro peccato debita: hi enim cruciatus, hæ torturæ, quæ pœnæ materiales sunt, potius ad coronam, quàm ad vindictam disponuntur: & propriè non sunt pœnæ juxta illud Augustini 3. de libero arbitrio cap. 18. *Omnis pœna, si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur, cum ergo hi cruciatus non disponantur à Deo in pœnam peccatorum, non sunt propriè pœnæ.*

Tertio, plures effectus peccati, imo & peccatum appellari à sanctis Patribus pœnas: nimirum fœditatem ipsam peccati; remorsum conscientiæ, & quicquid peccatum actuale consequitur: non quod sint propriè pœnæ, sed quia consequuntur peccatum necessario, ut proprietates, concomitantur enim omne peccatum. Quarto, obstinationem, & obdurationem, ac cæcitatem dici pœnas, & esse pœnas peccati, non quidem positivas à Deo inflictas, sed negativas, deserente Deo peccatores, quoad aliqua auxilia, quibus suppositis;

Cum de pœna propriè sermo sit, ut scilicet effectus peccati, definitur, *Malum naturæ, vel voluntati inflictum, eo fine, ut culpa vindicetur.* Dicitur malum secundum quid, respectu patientis, non simpliciter; hoc enim si est morale, est malum culpæ, si physicum, est negatio: pœna verò est quid bonum, & à Deo factum, ac ordinatum: dicitur contrarium naturæ, vel voluntati, quia potest esse conveniens voluntati, non naturæ, ut pœnitentia, & passiones voluntariè susceptæ, quæ naturæ sunt incommodæ, non voluntati illas acceptanti.

994. Triplex est pœna: prima medicinalis, secunda satisfactoria, tertia propria, sive illa, quæ debetur peccato: pœna medicinalis duplicem respectum dicit, unum ut pœna; alterum ut medicina: Ut pœna, dicit respectum ad culpam, quippe supponit culpam; cum enim, ut pœna malum sit, pro hoc statu culpam supponere debet, eo quod juxta Augustinum, peccatum omnium nostrorum malorum causa sit: ut medicina, dicit respectum ad aliquod bonum à Deo intentum, quia medicina, ut medicina, habet rationem boni utilis: inde pœna medicinalis fieri non potest per detrimentum bonorum spiritualium, eo quod horum bonorum privatio impediat, ne homo bene operetur, & potius foret destructiva, quàm medicinalis.

Pœna satisfactoria, etiam supponit culpam, vel in se, vel in alio, non enim satisfactio habet locum, nisi detur debitum: solutio enim, alicujus est solutio; & satisfactio alicujus est satisfactio: satis tamen est debitum alienum, pro quo satisfiat, ut apparet in Christo Domino, qui tot pro alienis culpis tormenta sustinuit: debet tamen esse voluntaria, nam si voluntaria non est, satispassio erit, non satisfactio.

995. In omni igitur peccato, datur reatus pœnæ, sive obligatio ad pœnam: quæ de formali, dicit respectum ad Deum vindicantem, & ad peccatorem, de quo sumenda est vindicta; iste respectus est relatio rationis, ut cum Scoto probant Valent. tom. 2. disp. 6. q. 17. puncto 1. Becan. 2. p. summæ tract. 2. tract. 8. q. 1. n. 2. Salar. tract. 13. disp. 15. sect. 1. quod non est aliud, quam denominatio extrinseca moralis, non physica; sive est debitum resultans ex peccato, quod jus tribuit Deo vindictam sumendi pro peccato: non reperitur in eo, qui voluntariè sine culpa obligatur ad pœnam satisfactoriam; ex hoc enim capite Christus Dominus, quatenus fidejussor extitit pro satisfactione peccatorum, debitor fuit pœnæ, non reus pœnæ, eo quod esse reum pœnæ, nihil aliud sit, quàm hominem posse puniri propter culpam à se commissam. Duplici reatu est homo astrictus, ubi primum peccavit mortaliter, uno damni, altero sensus: ex primo habet Deus jus privandi hominem aliquo bono, sibi, si non peccasset, promisso, ut visione beata; ex secundo, habet Deus jus non solum privandi hominem bono debito, sed etiam infligendi varios cruciatus: hic reatus pœnæ sensus, adhuc duplex est, vel reatus pœnæ æternæ, debitæ peccato mortali: vel temporalis debitæ peccato veniali.

996. Non est idem reatus pœnæ, & pœna: sed à culpa, & pœna diversus, mediat scilicet inter pœnam, & culpam: antecedens pœnam, supponens culpam, ut causam ex qua, potest separari & à culpa, & à pœna: nam sæpe manet reatus pœnæ temporalis, remissa culpa; & cum quis peccat mortaliter, fit reus pœnæ æternæ, qua sæpissimè non punitur: pœna, & reatus sunt effectus peccati, sed diverso omnino modo: namque reatus necessario, & inseparabiliter consequitur culpam, & ex culpa est, ita ut non possit homo peccare, quin illico sit reus pœnæ, dignusq; puniri: pœna vero est effectus Dei, & bona moraliter, & physicè; physicè, quia est ens: moraliter, quia semper bonum aliquod importat, & ut bonum à Deo fit: ex quibus apparet difficultatis resolutio circa quidditatem pœnæ, & reatus.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum peccatum possit esse, vel sit pœna peccati?

997. HÆc quæstio adeò inter quosdam agitata, plus de modo loquendi, quàm de re ipsa est, etenim in re omnes conveniunt, solum in modo loquendi est differentia. Tria igitur considerari possunt in quolibet peccato: pri-

mum, ipsa malitia peccati formaliter: secundum, aliquid antecedens, nimirum permissio peccati, vel auxilii efficacis substractio; tertium aliquid concomitans, & subsequens, ut remorsus conscientiæ, molestiæ, infamiæ, & quid simile.

998. Dico primo: Peccatum, qua malitia est, non habet rationem pœnæ propriè, est communis doctrina, quam tradunt. Vasq. disp. 140. cap. 2. n. 6. Suar. tract. 5. in 12. disp. 7. sect. 2. Montesin. tom. 2. in 1.2. disp. 17. q. 1. n. 4. Granad. contr. 6. de peccatis tract. 9. disp. 5. num. 3. qui omnes conveniunt in eo quod hæc sententia sit D. Thomæ, & certa, ut de fide esse doceat Suarius citatus. Probatur primo, quia Deus vult pœnam, vult enim vindictam sumere de peccatore: atqui non vult, nec velle potest malitiam formalem peccati, aliter foret causa specialis peccati: Secundo, Deus complacet sibi de pœna, cum si sibi non placeret vindicta, & pœna, non toties peccatores de illa admoneret, nec toties se illius auctorem esse declararet. Tertio, si peccatum, qua malitia est, esset pœna, jam Deus imprudenter faceret, sumens vindictam per id, quod est æquale injuriæ vindicandæ, & sibi satisfactionem faciens de peccato per aliud peccatum.

Dices cum Magistro, peccatum esse pœnam, ut recipitur in voluntate, & non ut ab illa egreditur. Sed contra: quia illud peccatum ut recipitur, est culpa; ergo si non est pœna, ut egreditur à voluntate, quia ut egreditur est culpa, etiam ut recipitur in voluntate, non est pœna, quia ut recipitur est culpa, aliter cum recipitur non foret homo peccator; siquidem peccatum ut egreditur, jam nun est, sed tantum ut recipitur: Deinde peccatum ut recipitur, recipitur liberè, & voluntariè, ergo non est pœna vindicativa, de cujus ratione est, quod sit involuntaria.

999. Dico secundo: Peccatum pro eo, quod antecedit ejus existentiam, est pœna peccati: hæc conclusio est communis. Primo, quia Deus permittit hominem incidere in peccatum, ob peccata commissa, cum enim nihil fieri possit, nisi vel Deo volente, vel Deo permittente, cum peccata fiant, & non volente Deo fieri possint, fient Deo permittente; atqui hæc permissio licet habeat optimos finea, etiam fit ob vindictam peccatorum: ergo. Secundo, quia peccatores sæpe obdurantur, & excæcantur à Deo: atqui hæc obcæcatio, & obduratio fit subtrahente Deo auxilia specialia propter culpam hominum antecedentem: ergo illa obduratio, & gratiæ abstractio est pœna, & vindicta peccatorum. Minorem tradit Augustinus variis in locia lib. 1. ad Simplician. q. 2. tract. 53. in Ioan. lib. de perfect. justitiæ cap. 19. in Psalm. 147. q. 14. in Matth. lib. de nat. & grat. cap. 51. cont. advers. legis cap. 8. & sæpe alibi unde in expositione quarumdam propositionum in epistola ad Rom. n. 62. *Sic excæcat, sic obdurat Deus, deserendo, & non adjuvando, quod justo iudicio facere potest, iniquo non potest.* Et tract. 53. in Ioan. *Absit, ut sit iniquitas apud Deum, sive quando adjuvat, misericorditer facit, sive quando non facit, iustè facit.* lib. de perfectione just. cap. 19. *Hinc excæcantur, hinc obdurantur, quia negando divinum adiutorium, non adjuvantur,* quæ non ita intelligi debent, quasi non maneat auxilium sufficiens, quo obdurati possint bene agere, & vitare malum, sed quia tenuissimum gradum illius auxilii Deus confert, ut dogmaticè, & verè exposui in Anti-Iansenio tom. 1. lib. 3. cap. 5. Quod autem hæc substractio auxilii sit pœna, & vindicta peccatorum, tradit Augustinus in Psalm. 147. *Ut de ista sola loquamur pœna, obscuratio cordis, excæcatio mentis, parva est pœna.* Sententiam Augustini & catholicam expressit optime S. Isidorus Hispaniarum doctor lib. 2. de summo bono cap. 19. num. 4. *Pœna peccati, peccatum admittitur pro merito cuiuscumque peccati: Deo deserente in aliud peccatum deterius itur.*

Ratio optima est illa Scoti in 2. dist. 37. q. 2. num. 25. sæpe Deus permittit peccatum, & hominem derelinquit in sua obstinatione, subtrahendo concursum ne resipiscat à peccato: sed hoc potest ordinari à Deo propter bonum tam commune quàm peccatoris ut electi cautiores fiant, peccatores humiliores: deinde ut divina justitia ostendatur.

1000. Dico tertio: Illa, quæ concomitantur, & consequuntur peccata sunt pœna peccati: Est doctrina catholica, quam omnes Theologi approbant ex illo Sapient. 5. num. 7. *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.* Præclarè Augustin. lib. 1. confess. cap. 12. *Iussisti, enim, & sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.* Et ratio est optima illa Scoti in dist. 37. q. 2. n. 22. anima dum peccat, majori bono se privat, nimirum, justitia sibi conveniente; ergo in labore, tristitia, infamia, & aliis potest Deus intendere correptionem, ut si homo consideret mala illa, quæ sibi ex peccato advenerunt, peccator odio se ipsum, quia peccavit prosequatur, & peccatum detestetur, ita tamen, illa, quæ considerantur in peccato, peccati pœnæ sunt, ut non sint absolute volitæ à Deo, sed volitæ ex suppositione, eo quod præcessit peccatum.

Vindicatur sententia Scoti à Recentiorum calumniis.

1001. Mirabilis expositor Scoti est sapientissimus P. Vasques, qui circa essentiam peccati habitualis Scotum ita exposuit, ut sub ejus expositione doctrina Scoti non esset cathòlica, ita modo si vera est expositio Vasquii, multum à catholicis doctoribus deviat Scotus: ut ergo & calumnia, & veritas appareat, videndum est quid Scotus senserit, & quid Scotum sensisse asserat P. Vasques.

Vasques igitur tom. 1. in 1.2. disp. 140. cap. 2. ex doctrina Scoti affirmat primo, peccatum, secundùm ejus malitiam esse pœnam peccati. Secundo, hoc affirmari ab Scoto sob distinctione, considerat enim Scotus malitiam, quæ est in peccato active, & passive: qua active accipitur, habet rationem colpæ, quia ipsa culpa intelligitur, ut active à voluntate procedens; qua ratione voluntaria est: qua passive considerata, & inhærens voluntati, non est voluntaria, ut sic enim, non est in potestate voluntatis, in illius enim potestate est solùm quatenus ad eam, ut ad principium refertur, & ut sic non est voluntaria, & potest esse pœna, quando propter prius peccatum incurritur.

1002. Cap. 3. addit Vasques tertio, Magistrum docuisse peccatum secundùm ejus malitiam non posse esse pœnam peccati., & falso allegari ab Scoto pro sua sententia. Quarto, causam, cur deceptus fuerit Scotus, fuisse doctrinam Magistri dist. 35. cap. ultimo, ubi dicit boni corruptionem in nobis passive esse pœnam; peccatum vero, ut peccatum est, non esse pœnam: *Verum ipse Magister perspicue se ipsum explicat: inquit enim, peccatum non esse pœnam, sed causam effectricem privationis boni, quæ est pœna ... quibus verbis deceptus videtur Scotus, ut*

putaret Magistrum in sua, quam supra retulimus sententia fuisse, at vero Magister non utitur illa distinctione peccati in se ipso, quam Scotus comminiscitur, ita ut malitiam moralem peccati, dupliciter, ut Scotus, consideret, sed loquitur de effectu peccati, hoc est, de perturbatione quam secum affert: Hanc eamdem censuram per omnia transcripserunt Montesin. tom. 2. in 1.2. disp. 17. q. 1. n. 6. Granad. contr. 6. de peccatis disp. 5. n. 4.

Quinto, cap. 4. n. 15. docet ab Scoto in dicta dist. 37. q. 2. §. *sed iste modus*, impugnari doctrinam D. Thomæ 1.2. q. 87. art. 2. dicentis peccatum esse pœnam peccati, ratione substractionis auxilii. Quasi Scotus asserat peccatum non posse esse pœnam peccati, ex eo quod Deus peccatoris denegat auxilium actuale gratiæ.

1003. Verùm deceptus est P. Vasquez, & damnat in Scoto quod Scotus numquam asseruit, merito enim accommodari potest, illa querela Augustini, lib. 6. cont. Iulian. cap. 7. *& quod plus est, fingis me dicere quod non dico; concludere sicut non concludo; concedere quod non concedo, & concludis tibi ipsi, quod renuo:* quod aperte convinco.

Et primo docet Vasquez, ab Scoto doceri peccatum secundùm suam malitiam moralem esse pœnam: ubi hoc dicit Scotus? in 2. dist. 37. q. 2. §. *ad quæstionem*: ita ne? Sed ibi solum asserit unum peccatum esse pœnam alterius: non vero secundùm malitiam moralem, unum peccatum esse pœnam alterius: quod autem unum peccatum sit pœna alterius, est doctrina Augustini, & Angelici Doctoris & ipsius Vasq. ut apud eumdem Vasq. cap. 4. videre licet: ergo non est cur explicet Scotum diverso modo, quo Augustinum, & D. Thomam explicat.

Deinde aperiè convincitur Vasquez falsitatis; quia duobus modis potest peccatum unum, alterius esse pœna, juxta Vasq. Primo, ratione permissionis, & denegationis auxilii: Secundo, ratione infamiæ, dedecoris, cruciatus, & damni, quod ex peccato nascitur, sive ratione effectus. Ita Vasq. cap. 4. Atqui Scotus non aliter admittit unum peccatum esse pœnam peccati; ergo eadem est sententia Scoti.

Minorem probo primo, quia in illo §. *Ad quæstionem*, sive n. 22. ideo Scotus docet peccatum esse pœnam peccati, quia causat privationem boni, nimirum privat justitia, quod malum est, & pœna: *sed non tantum malum formaliter, quantum est culpa*; ut Scotus concludit; ergo solum ratione effectus, est pœna, licet loquatur de eodem actu peccati, ad quod adducit auctoritatem Augustini, quam ita explicat Vasquez.

Secundo, quia n. 25. quærens Scotus quomodo *peccatum sit pœna, cum omnis pœna sit à Deo* respondet, vers. *Ideo*, dari duplex genus pœnæ, unum privativum, alterum positivum: hoc esse à Deo efficiente: illud à Deo *nec deficiente primo, sed tantum propter demeritum voluntatis in actu peccati, non coagendo voluntati nunc ad illud bonum habendum, ad quod operatus fuisset quantum est ex se: talis ergo pœna est à Deo, non infligente, vel efficiente, nec deficiente primo, sed deserente, id est, naturam, quæ deficit, relinquente in suo defectu & in omnibus defectibus consequentibus ad illum defectum: ubi includuntur mala carentia perfectionum convenientium tali naturæ; sic ergo pœna, quæ est peccatum, non est à Deo efficiente, vel deficiente primo, sed tantum est à Deo deserente voluntatem, ratione primi demeriti, quæ deserta à Deo cadit in secundum demeritum.* Ecce sententia plana, & clara Scoti, quæ eadem est cum sententia sanctorum Patrum, & communi & ipsius Vasquii.

1004. Secundo docet Vasquez ab Scoto doceri peccatum consideratum activè non esse pœnam, sed consideratum passivè: certè hoc est puta, putidaque calumnia, tantum enim abest, ut Scotus hoc asserat, quod asserit contrarium: Cum enim Scotus num. 22. dixisset peccatum esse pœnam peccati: ratione scilicet effectus, n. 24. vers. *Et objicitur*, opponit: *Quomodo potest eadem carentia iustitiæ esse formaliter culpa, & pœna formaliter?* Cui quæstioni primo opponit solutionem Magistri: *Respondet Magister distinguendo carentiam, in quantum est privatio boni activè, vel passive: primo modo est culpa, secundo modo est pœna:* & declarat quo modo possit exponi, dicens. *Hoc potest sic exponi: quod ipsa culpa est à voluntate activa, sed tamen deficiente, & ipsa pœna est in voluntate sicut in subiecto quod per culpam privatur bono conveniente:* Quem modum & doctrinam Magistri refutat ibi num. 24. vers. *Sed iste modus*, ibi: *Sed iste modus, ut videtur, est difficilis.* Quo rejecto explicat, quo modo peccatum sit pœna, ut supra vidimus num. Ex quo apparet falsitas tertii asserti, quod scilicet Scotus falso allegaverit Magistrum pro sua sententia: Nescio quo sese divertit Vasquez, cum hæc scriberet, si Scotus impugnat Magistrum, quo pacto Magistrum assumit, & adducit Scotus pro propriæ opinionis patrono?

1005. Ad alia properemus. Addit Vasquez, nunquam Magistrum docuisse unum peccatum secundùm suam malitiam formalem, esse pœnam alterius peccati: *sed solum dist. 35. cap. ultimo, boni corruptionem in nobis passive esse pœnam, peccatum vero, ut peccatum est, non esse pœnam, sed causam effectricem privationis boni, quæ est pœna:* Et hæc verba fuisse causam, cur deciperetur Scotus, *At vero Magister non utitur illa distinctione peccati in se ipso, quam Scotus comminiscitur, sed loquitur de effectu peccati, hoc est de perturbatione, quam secum affert, quam omnes fatemur pœnam esse, nam qui irascitur, aut invidet, ipso affectu iræ, aut invidiæ cruciatur, & ipse se explicat dist. 36. cap. 7.* Ita Vasquez.

1006. Pace tamen Patris Vasquis, deceptus fuit ipse, non Scotus: deceptus est Vasquez primo, dum asserit Magistrum non uti illa distinctione peccati active, & passive accepti in se ipso: oppositum enim constat ex textu Magistri dist. 35. cap. *Quæri potest.* sive ultimo, ubi quærit. *Vtrum pœna sit privatio boni?* & respondet; *Diximus supra privationem, vel corruptionem boni accipi activè, vel passive, id est secundùm efficientiam, vel effectum, ideoque privatio, vel corruptio boni, dicitur, & peccatum, & pœna, sed peccatum secundùm efficientiam, quia privat, vel corrumpit bonum, pœna autem secundùm effectum, id est, secundùm passionem, quæ est effectus peccati:* Ecce verba, quibus deceptum esse Scotum affirmat Vasquez: sed amplius ex tota dist. 36. inferre poterat Vasquez, optime ab Scoto adductum Magistrum, nam licet illum sensum tradat, quem intendit Vasquez, quod peccatum sit passive peccati pœna, in quantum causat passionem, sive privat bono, tam naturali, quam gratuito, ut videre est dist. 36. cap. *& ideo*, ubi expresè ait: *Passio, & pœna, non est essentialiter ipsum peccatum per quod fit, sed ideo peccatum dicitur, quia per peccatum illico, ut peccat homo, fit in homine illa corruptio:* tamen

cap. *Sed eum* objicit ex verbis Augustini sequi, *Ea qua peccata sunt, essentialiter esse pœnas peccati:* Et primo respondet esse intelligendum non essentialiter, qua peccatum, sed ut causat illam corruptionem, attamen capite *in nullo*, asserit etiam, *ipsa eadem, qua peccata sunt essentialiter, ut ita dicam esse pœnas, id est punitiones peccatorum precedentiam, qua iusta sunt, & à Deo sunt, nec tamen, in quantum peccata à Deo sunt, pœna peccati sunt, & tamen in quantum peccata sunt, privationes boni sunt, sed ut supra dictum est, causaliter, & active dicuntur privationes.* Ecce verba, quæ Scoto occasionem dederunt, postquam enim dixerat peccatum esse pœnam peccati, inquirit Scotus; *Quomodo carentia iustitia posset esse formaliter culpa, & formaliter pœna*, & adducit responsionem Magistri: est enim eadem responsio Magistri; an calumniosè imposita Magistro? Calumniosus est Scoto, qui hoc testimonium illi imponit: namque, non est minus carentia essentialiter, ac carentia formaliter. Magister illa dist. 36. cap. *in nullo* asserit peccata essentialiter esse pœnas: ergo & formaliter: qua doctrina Magistri supposita, quærit Scotus, quomodo eadem carentia, id est peccatum, possit esse formaliter, sive essentialiter culpa, & formaliter, seu essentialiter pœna? & adducit, non comminiscitur distinctionem Magistri, ex dist. 35. cap. ultimo, ad quam se refert cap. *in nullo*, cap. *potest*, & cap. *quæri*.

1007. Et mirur, quod P. Vasq. ut Magistrum liberet, explicet illum terminum, *Passive, de passione quam adducit peccatum, qualis est perturbatio, invidia, ira & similes passiones, quia ita se exponit Magister* dist. 36. cap. *Præterea*: Hæc Vasquez; sed, ut inquam, admirari non desino, quam contra mentem Magistri, hoc asseratur: Magister enim illa dist. 36. postquam latè disputavit, an peccatum foret pœna peccati; qua peccatum est essentialiter? & asseruit peccatum essentialiter esse pœnam: cap. *Præterea* incipit agere de aliquibus peccatis, quæ sine quæstione erant pœnæ peccatorum, ut ira, & invidia: iste enim est titulus prædicti capitis, *De quibusdam, quæ sine dubio peccata sunt, & pœna, ut ira, & invidia.*

1008. Quarto loco docet Vasquez relatus numero 1002. impugnari ab Scoto doctrinam D. Thomæ docentis substractionem auxilii, esse pœnam peccati. Veneror Patrem Vasq., sed nescio quo jure hoc imponit Scoto: namque Scotus illo vers. *Sed iste modus*, sive num. 24. hoc non impugnat: sed, *quod in aliquo actu elicito carentia rectitudinis possit esse ex parte Dei, non causantis propter demeritum alicujus peccati.* Hoc est quod ex professo impugnat, non vero quod substractio auxilii non sit pœna peccati, cum denegationem auxilii esse pœnam peccati expressè asseveret n. 25. vers. *Ideo potest*. Verba retuli supra num. 1003. Quare somnium est, asserere ab Scoto denegari substractionem auxilii, esse pœnam: eum expressissimè contrarium asserat: aliud ergo intendit, cum enim illa expositio Magistri contineret carentiam rectitudinis debitæ, esse pœnam peccati, eo quod Deus denegaret suum auxilium ad illam rectitudinem ponendam in actu, sicut denegat ad gratiam habendam, cujus privatio est pœna peccati: Scotus valde difficilem hunc modum solvendi esse ait, §. *Sed iste modus*, sive num. 24. ex eo, quod ille homo, deficiente auxilio sufficiente, de quo loquitur, non posset ponere rectitudinem in actu, & consequenter non posset resurgere à lapsu quod videtur inconveniens, ut, inconveniens esse docent omnes Theologi, quid ergo contra Scotum? aut quid Scotus contra D. Thomam? Non enim negat substractionem auxilii efficacis esse pœnam, cum pœnam esse asserat n. 25. sed esse inconveniens, quod Deus deneget auxilium sufficiens: Mitto cætera, etenim omnia argumenta, quibus Vasquez convincere tentavit Scotum, eadem sunt, quibus utitur Scotus. Vide Herreram de peccatis disp. 41. q. 1.

Sententia Scoti non differt à Communi.

1009. EX dictis constat calumnia, qua Pater Vasquez sine causa prosequutus est subtilem Doctorem: nunc videndum est sententiam Scoti à communi non differre. Primo docet unum peccatum esse alterius pœnam in 2. dist. 37. q. 2. num. 22. vers. *Ad quæstionem*: Hæc conclusio est communis Theologorum, ut etiam fatetur ipse Vasquez. Vide n. 999.

1010. Docet secundo peccatum, ut culpa est, esse pœnam, eo quod privat rectitudine debita, quæ voluntati inesset, si non haberet peccatum: & plurium perfectionum defectum incurrit, quæ necessario connectuntur cum peccato. Ita in 2. citato loco distinctionis 37. Vide verba supra num. 1003. Hoc est quod malè receptum est, sed quia noluerunt intelligere doctrinam subtilis Doctoris: qui in hujus asserti doctrina cum communi convenit.

Quia pœna de qua loquitur est impropria, de qua supra n. 993. quia sumpta pro effectu, & fœditate peccati: quo sensu apertè S. Augustinus ab eodem Scoto relatus, & S. Gregorius, ac Angelicus Doctor juxta eumdem Vasq. cit. disp. 140. cap. 4. n. 13. affirmant culpam esse pœnam peccati: Secundo, quia non est pœna inflicta à Deo pro vindicta peccati, sed est pœna derelicta: ita expressè Scotus citato loco secundi, præcipue num. 25. vers. *Ideo*, & in 4. dist. 46. q. 4. num. 7. *Prima quidem pœna non est inflicta, nec posset iustè infligi, cum sit formaliter culpa, sed est pœna derelicta, sicut dicit Augustinus super Psalm. 5. vers. 4.* Cum punit Deus peccatores, malum suum non infert, sed suis malis malos relinquit. *Quod intelligo de illa prima pœna, qua est culpa derelicta.*

1011. Si quæras, quid sit culpam esse pœnam derelictam, non inflictam? Respondeo esse permittere Deum peccatum, ac deserere peccatorem in suo peccato: ita citato loco quarto. *Et culpa derelicta, sive non remissio, vel desertio peccatoris in tali culpa.* Quod fit à Deo, non ut à causa positiva infligente, sed *ut causa negativa scilicet non remittente*, hoc est denegante auxilium efficax, & permittente peccatum, ut optime se explicat Scotus in 2. dist. 37. vide verba relata n. 1003.

Hæc autem doctrina vera est: & nihil aliud in illa docet, quàm obstinationem, esse illam pœnam, ut habet in 4. dist. 46. q. 4 n. 6. *Prima pœna, scilicet culpa continuata sine remissione, qua continuatio potest dici obstinatio ipsa, non habet Deum pro causa positiva.* Quæ doctrina est nostra secunda, & tertia conclusio posita à n. 999. estque communis Theologorum: expressaque Augustini relati ab Scoto in 2. dist. 37. quæst. 2. num. 22. & à nobis supra num. 1000. unde concludit Scotus numero 25. vers. ad 2. *Secundum peccatum est pœna inflicta à voluntate peccante, & à Deo tantum, ut deserente*: Dices, Pœna non potest esse culpa, aliter Deus puniret hominem per injuriam, quam

vindicare vult; Respondetur, ita esse, si sermo sit de pœna propriè à Deo inflicta, non verò de pœna, quæ necessario est culpa, & fit à voluntate, non à Deo, nisi permittente, & deserente: quæ est pœna derelicta, non inflicta: & ideo non est propriè pœna, siquidem à Deo noo iofligitur positivè.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Vtrùm aliquis pœna propria, & punitiva, possit puniri propter alterius peccatum.

1012. SUpponendum est primo sermonem esse de pœna rigorosa puoitiva, quæ supponit culpam, oam pœna impropriè, qualis est satisfactoria, irrogari potest pro aliorum peccatis; hoc enim de fide est, verificatum in Christo Domino, qui cum omnis omnino peccati immunis esset, omnium peccata delevit, pro omnibus satisfaciens. Secundo, certum esse, posse imponi pœnam uni, pro aliorum peccatis debitam, dum liberè, & voluntariè acceptetur, eo animo, ut pro aliis satisfaciens, eos à debiti solutione liberet, ut videre est in multis, qui satisfaciunt pro pœna debita peccatis eorum, qui io Purgatorio puniuntur. Hoc supposito,

1013. Respondeo: Nemo pœna puoitiva propriè spirituali & æterna puniri potest pro culpa alterius: potest tameo puniri pœna temporali, dummodo sit crimine proprio infectus. Utramque partem tuetur Augustinus in qq. super vetus testamentum lib. 6. in Iosue qu. 8. quo loco hanc proponens quæstionem, ita solvit. *Nec tamen credendum est, etiam pœnis, quæ post mortem irrogantur, alium, pro alio posse damnari; sed in his tantum rebus hanc irrogari pœnam, quæ finem fuerant habituræ ..... pœnas vero invisibiles, quæ non nisi nocent, & prodesse non possunt, ita nullus, Deo judice pro alienis culpis, luit.* Cum Augustino sentiunt communiter Doctores. Videantur Suar. in 1. 2. tract. 5. disp. 7. sect. 1. numero 10. Salas in 1. 2. tract. 13. disput. 15. sect. 14. numer. 87. & 88. Herrera de peccatis disputat. 42. quæst. 5. §. *Prima conclusio.*

Prima pars ostenditur primo, ex illo Ezechielis cap. 18. vers. 20. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: iustitia iusti super eum erit, & impietas impii, erit super eum:* Et ex illo Sapientiæ 12. vers. 15. *Cum ergo sis iustus, iustè omnia disponis, ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare exterum æstimas à tua virtute.* Et ratio est, quia pœna spiritualis maximum damnum est: ergo non debet ioferri innoceoti: ex quo nomquam Deus homines pœna æterna puniret, si peccatum originale non contraherent, non enim satis foret peccatum Adami, sine transfusione ejusdem peccati in posteros.

Secunda pars manifesta est ex textu sacro: nam peccatum Chan in ejus filio Chanaan punitum fuit. Genes. 9. in Sodomitarum filiis peccatum parentum Genes. 22. Heli sacerdos ob filiorum peccata fuit punitus 1. Reg. 2. Et ob David Regis peccata, multa millia Israëlitarum perierunt 2. Reg. cap. 4. Etenim Exodi 20. ait Deus: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem:* Et ratio est, quia si habent proprias culpas, tunc Deus respiciens proprias culpas, & partum, propter proprias, & propter culpas patrum filios punit, quos oon puniret, si propria non haberent peccata, & hac de causa dicuntur implere mensuram suorum patrum.

1014. Ex quo sequitur primò, quòd quando Deus punit innocentes in eversione civitatum, vel in morte filiorum innocentum, apparet, non esse pœnam punitivam, sed medicinalem, ut innocentum pœna sit aliorum medicina, qua ad meliora ferantur, & à propria culpa resipiscant peccatores.

1015. Secundo, si non sint crimine infecti, regulariter non puniri, juxta illud Ezechiëlis 18. vers. 19. *Et dicitis: quare non portavit filius iniquitatem patris, videlicet, quia filius iudicium, & iustitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, & fecit illa, vita vivet.* Et ita est regulariter, licet aliquando, ut majorem pœnam habeant peccatores, in filiis, vel in personis, quæ magis diliguntur, puniuntur à Deo. Vide Suar. disput. 7. sect. 1. Becan. 2. p. Summæ cap. 8. q. 3. Bonacinas tom. 2. disput. 2. de peccatis q. 8. puncto 8. Unde advertant judices tam Ecclesiastici, quam sæculares, ne pro crimine alieno aliquem puniant, licet oon destituturum esse, in imitaodo patre cognoscant. Vide Covas variar. cap. 8. n. 9. Salas disp. 15. de legibus sect. 12.

1016. Tertio, optime posse filios innocentes pro pœna parentum puniri in bonis fortunæ, iodirectè, & consecutivè, dum nimirum pro crimine patrum, omnibus bonis spoliantur, eo quod omnia parentum bona, fisco addicaotur, de quo Suar. de fide disp. 21.

TERTIA DIFFICULTAS.

Vtrùm pœna infinita debeatur peccato mortali, & veniali finita?

1017. SUppono differentiam inter peccatum mortale, & veniale, de qua supra sect. à num. 580. Et quæro quænam pœna uni, & alteri peccato correspondeat? Quod ut resolvam; prius aliqua notanda suot.

Separantur certa ab incertis.

CErtum est primo, de facto culpæ veniali correspondere tam intensivè, quam extensivè pœnam temporalem. Secundo, certum est de fide, homines morientes in peccato mortali non remisso quoad culpam, puniendos esse in alia vita, pœna æterna, sive quoad durationem infinita, ita sacra Scriptura, & sancti Patres apud Suar. 1. 2. tract. 5. de peccatis disputat. 7. sect. 3. numer. 7. Salas tract. 13. disput. 15. sect. 3. Definitum est io Concilio Lateranen. sub Innocentio III. relato in cap. *Firmiter* de Summa Trinitate, & fide Catholica, in Epistola Sophronii approbata in 6. Synodo act. 11. in Tridentino sess. 6. cap. 14. & Canon. 25. ac 30. & sess. 14. Can. 5.

1018. Ex qua catholica doctrina, reprobatur communiter Origenes, quasi assereret pœnas omnium damnatorum, etiam Dæmonum, esse temporales, & finem habituras esse aliquando: sed cum Origenes Homil. 14. in Ezechielem, & Homil. 14. super Iesu Nave, constanter doceat æternas esse pœnas damnatorum, videtur hic error, vel à discipulis, vel ab adversariis Origenis, insertus ejus operibus; ut ita circa aliqua capitalia dogmata contigisse suis libris ipse conqueritur Origenes Epistola ad Alexandrum. Videri possunt, Pamphilus Martyr, & Rufinus, in Apologia pro Origene. Eumdem errorem, quidam malevoli imposuerunt S. Hierooymo, à qua ipsemet se

purgat calumnia, multis argumentis convincens in Epistola ad Avitum, damnatos pro suis culpia sine fine esse puniendos. Reprobatur etiam error Hæreticorum nostri temporis, qui docent fidelium peccata tantùm temporaliter esse punienda, de quo videatur Perez in Laurea Salmantic. certamine 9. expositivo, & Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 43. sect. 3. Tertio reprobatur, hæresis asserentium per descensum Christi Domini ad inferos, omnes animas in inferno detentas ab omnibus pœnis fuisse liberatas; quem errorem profligavit Augustinus lib. de hæresibus cap. 79. Videantur Perez, & Suarez citati; ex quo quando Augustinus epistola 99. dubitavit An Christus animas inferni pœnia addictas liberaverit, intelligitur de animabus Purgatorii.

1019. Tertio, certum de fide etiam est, homines, qui cum mortali peccato personali mortui sunt, pœnam æteroam damni, & sensus esse passuros. De pœna damni loquitur Paulus 1. ad Corinth. 6. vers. 9. *Iniqui regnum Dei non possidebunt*, id est, peccatores gloria, sive visione beata privabuntur: de pœna sensus loquitur Christus apud Matthæum cap. 25. vers. 4. *Discedite à me maledicti in ignem aeternum.* Quam veritatem ex variis testimoniis sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum probant recentiores: ratio est Div. Thomæ 1. 2. quæst. 87. articul. In peccato datur conversio ad creaturam, ut finem ultimum; & aversio à Deo, ut à fine ultimo; conversioni respondet pœna sensus; æquum enim est, ut qui se ad creaturam convertit, à creatura aliquid patiatur: aversioni correspondet pœna damni; equidem justum est, ut qui sponte se à Deo avertit, invitus à Deo maneat aversus.

1020. Hæc tamen ratio explicanda ita est, ut conversioni respondeat pœna sensus, & aversioni pœna damni; non quod una pœna, uni parti; altera alteri correspondeat; totum enim peccatum utraque pœna punitur; & quælibet pars utriusque pœnæ, debitrix est; nec enim conversio ab aversione separari potest: sed per accommodationem respondet pœna sensus conversioni, & damni aversioni, ut inter alios notaverunt Valent. disputat. 6. quæst. 17. puncto 4. Salas tract. 13. disputat. 15. sect. 3. num. 29. Montesin. disp. 27. qu. 2. n. 32. His notatis,

1021. Quarto, notandum est, pœnam posse dici infinitam intensivè, & extensivè: pœna infinita intensivè est, quæ in se est infinita, & continet omnem pœnam, vel possibilem, vel illius generis, in quo est pœna; juxta aliquorum doctrinam: pœna infinita extensivè, est in se finita, & tantum infinita duratione, quia durat per æternitatem, & est idem, ac pœna æterna. His notatis de utraque est difficultas, quam breviter expediemus, quia satis expedita est supra sect. 21. subsect. 6.

Resolvitur difficultas de pœna infinita intensivè.

1021. Dico primo: Pœna correspondens peccato mortali non est intensivè infinita: ita omnes Doctores, qui asserunt peccatum in ratione offensæ esse simpliciter finitum, ducibus D. Thom. 1. 2. q. 87. art. 4. Scot. in 4. dist. 46. q. 4. à num. 20. dist. 49. q. 6. dist. 50. in fine. Et primo, quia malitia in ratione offensæ est finita; ergo & pœna. Antecedens probavi sect. 11. subsect. 4. à num. 455. quod amplius confirmo. Primo, quia de facto pœna non potest esse infinita intensivè, nam cum Deus puniat citra condignum, ut dicam à numer. 1057. & non appareat hæc diminutio in extensione, cum duret per æternum, erit in intensione: atqui de facto non datur tota intensio pœnæ; ergo pœna non est infinita intensivè de facto, siquidem illi deest illa intensio, quam Deus misericorditer condonat.

1023. Secundo, quia peccatum mortale ex se non meretur omnem intensionem pœnæ, aliter Christus non satisfaceret pro omni pœna etiam possibili superabundanter, ut discutio citato numer. 455. Tertio, quia non tantum meretur unum peccatum, quàm aliud, ex quo inæqualitas peccatorum de medio tolleretur, ut latè discussi supra à num. 445. Argumenta, quibus aliqui recentiores, præcipuè Bellanus & Petrus Hurtado, probant pœnam esse infinitam, soluta sunt citata sect. 11. subsect. 6.

Resolvitur difficultas de æternitate pœnæ.

1024. Cum constet de facto pœna æterna puniri peccatum mortale, est quæstio an hæc æternitas sit pœna condignè peccato mortali correspondens; an aliunde proveniat? Respondeo conformiter nostris principiis, & doctrinæ traditæ supra à num. 475. æternitatem pœnæ deberi peccato mortali: est communis doctrina recentiorum. Videantur Amicus tom. 3. disp. 23. sect. 5. à num. 157. Arriaga in 1. 2. tom. 1. disp. 54. sect. 4. Fundamentum est: quia diversa pœna ex condignitate utriusque correspondere debet peccato veniali, & mortali: atqui peccato veniali correspondet pœna temporalis; ergo mortali correspondebit æterna.

1025. Dices primo, satis esse ad hoc discrimen, ut pœna intensivè respectu peccati mortalis sit gravior, & venialis levior, nec esse necessarium, quod extensivè sit æterna: sed contra, quia infinita peccata venialia non possunt pervenire ad gravitatem unius peccati mortalis, ut dixi sect. 12. subsect. 6. difficultate 4. & tamen possunt excedere pœnam in intensione taxatam pro mortali; nam cum cuilibet debeatur pœna levis, & infinitis infinita pœna, sive si hoc non admittas, pluribus, maxima pœna, hæc excedet pœnam debitam uni peccato mortali, & per consequens, non excedet gravitas peccati mortalis, illorum venialium gravitatem, imo superabitur ab illis; ut ergo excedat gravitas malitiæ mortalis, gravitatem malitiæ venialis, necessarium erit, quod ejus pœna extensiva sit æterna.

1016. Dices secundo, diversam rationem esse, quia peccatum mortale est irremissibile, veniale remissibile; & ideo non respondet pœna æterna gravitati peccati, sed irremissibilitati ejus: quæ ratio est D. Thom. 1. 2. quæst. 87. art. 4. *Ad tertium*. art. 3. *Ad secundum*, sed contra est: quia non magis, meritum meretur vitam æternam, quam culpa pœnam æternam: imo plus merebitur peccatum, propter rationem offensæ: atqui æternitas gloriæ non respondet remissibilitati, sed ipsimet merito, quod non solum meretur gloriam, sed etiam gloriæ æternitatem, sive perpetuitatem; ergo etiam peccatum quoad suam gravitatem, & quoad suum demeritum, merebitur pœnam æternam; sive etiam æternitatem pœnæ. Confirmatur deinde, quia licet cum peccato veniali maneat gratia, quæ est principium, quo homo possit satisfacere pro peccato, hoc juxta communem sententiam, non potest esse de condigno; atqui de congruo, etiam homo in peccato existens mortali, potest satisfacere.

1017. Dices tertio, & coincidit cum solutio-

ne superiori, diversam rationem esse: quia culpa mortalis in æternum durat, ac proinde non respondet gravitati culpæ, sed durationi; dum enim durat culpa, durat & pœna: & cum in æternum duret culpa, æternum durabit pœna: quæ ratio est D. Thom. 1. 2. qu. 87. art. 4. ad 3. & Scot. in 4. dist. 46. qu. 4. à num. 20. sed contra faciunt rationes allatæ.

Et insuper: Primo, quia jam permanentiæ respondebit pœna æterna, non culpæ; & enim si nullatenus permaneret, pœna non foret æterna: Hoc autem est falsum, nam etiamsi per instans duraret peccatum mortale, non temporalem pœnam mereretur, aliter jam foret veniale, & non mortale. Secundo, quia juxta opinionem, quæ docet peccatum veniale puniri pœna æterna in inferno, ratione conjunctionis cum mortali, sequitur, quod non aliter debeatur peccato mortali pœna æterna, quam veniali; Probo sequelam, quia neutrius peccati gravitati deberetur, sed utriusque durationi, & permanentiæ; si enim non permaneret in inferno veniale peccatum, non puniretur pœna æterna, sicut si peccatum mortale remitteretur in vita, & non permaneret in inferno, ei non correspondetet pœna æterna. Tertio, quia non videtur repugnare remissionem culpæ, manente dignitate ad pœnam æternam: ut non repugnat, imo de facto contingit, remitti veniale, non remissa pœnæ temporalis dignitate, vel mortale, pœnæ etiam temporalis non remissa dignitate.

1028. Dices quarto, diversam rationem esse, quia homo cum peccat mortaliter, peccat æternaliter, non quidem secundùm continuationem actus, quasi per totam vitam duret; sed quia hoc ipso, quod homo finem in peccato constituit, voluntatem habet peccandi æternaliter; voluisset enim sine fine vivere, ut sine fine potuisset in peccatis permanere, & ideo justum est, ut ille, qui in suo æterno contra Deum peccavit, in suo æterno puniatur: quæ diversitas rationis est apud Div. Thom. 1. 2. quæst. 87. articul. 3. ad 1. desumpta ex sancto Gregorio lib. 4. Moral. cap. 4. & 44.

Sed contra, quia ut bene urget Scotus citatus in 4. dist. 46. q. 4. n. 20. sæpe homines peccant cum proposito pœnitendi; ergo nec explicitè, nec implicitè in voto æternaliter peccant: Dices, peccare æterno esse exponere se perpetuitati manendi in æternum in peccato, ut explicat citatur Scotus vers. *Respondeo*. Sed contra, quia eodem modo se exponit, qui peccat venialiter: Deinde ex hoc sequitur æternitatem pœnæ, non peccato, sed permanentiæ deberi, & redeunt omnes rationes supra factæ contra solutiones datar à n. 1025.

1029. Si quæras rationem à priori, eam trado cum Doctoribus nostræ sententiæ, ex eo æternitatem pœnarum esse pœnam condignam gravitati peccati; quia est offensa Dei, quæ licet sit finita, est tamen talis, ut sit major omni pœna, & proportionem habeat cum pœna æterna.

1030. Objicies primo Augustinum lib. 21. de Civitate Dei cap. 11. ubi loquens de pœnis quibusdam in civitate mortali inflictis, ita habet. *Nonne pro huius vitæ modo, similia videntur pœnis æternis, ideo quippe æterna esse non possunt, quia nec ipsa vita, quæ his plectitur porrigitur in æternum.* Ex quibus videtur asserere Augustinus, sicut homines merentur excludi à civitate ciuili, & pœnæ intensio correspondet culpæ, intensio autem est per accidens finita, quia scilicet vita est finita, ita homines per peccatum mortale merentur excludi à civitate cælesti, & ideo exclusio est perpetua, quia vita cum culpa est perpetua. Respondeo non esse hunc sensum Augustini, sed planè in eo loco stare pro nostra sententia; convincit enim eos, qui injustum esse existimabant peccata brevi tempore facta, æterna pœna esse punienda: affertque exemplum de civili regimine, in quo non metiuntur pœnæ tempore, quo fiunt peccata, sed gravitate culpæ; & ait, si justum est crimina, quæ brevissimo tempore perpetrantur punire per totius vitæ tempus, & punirentur æternè, si vita non foret finienda; cur injustum erit puniri pœna æterna culpas, in illis, quorum vita futura est æterna? & concludit. *Nec quisquam extitit, qui censuerit, tam cito nocentium finienda esse tormenta, quàm cito factum est, vel homicidium, vel adulterium, vel sacrilegium, vel quodlibet aliud scelus: non temporis longitudine, sed iniquitatis, & impietatis magnitudine metiendum.* Potest puniri pœna æterna peccatum brevissima morula factum, quia pœna respondet non tempori, sed culpæ: ex quo Augustinus nobiscum sentit.

1031. Objicies secundo: D. Gregorium relatum supra num. 1028. asserentem ideo Deus punire in æternum homines, quia homines in suo proposito peccant æternaliter, & si potuissent in æternum vivere, in æternum voluissent permanere in peccato; ergo juxta S. Gregorium, illa æternitas responder perpetuitati manendi in peccato, non gravitati peccati. Respondeo rationem S. Gregorii, esse ex superabundanti, non à priori, & est sensus, regulariter tanta pertinacia peccant homines, ut vellent in æternum vivere, & in æternum persisterent in peccato: ideo licet culpa ex se non postularet æternitatem pœnæ, justè puniri poterat æterna pœna, quia justum erat, ut qui voluit peccare in æternum, puniretur in æternum.

1032. Tertio, Deus potest taxare pœnam adeo intensam, ut sufficiat ad hoc, ut sit condigna culpæ, etiamsi illa posita, natura foret annihilanda; ergo quod sit æterna, non est de condignitate culpæ. Respondetur, transeat antecedens quoad intensionem; nam quoad extensionem, non esset adhuc satis ad culpę satisfaciendum, nisi illa pœna forer intensè infinita, tunc enim major foret, quam finita per æternitatem, ut dixi supra n. 480. & compensaretur infinitas extensionis, per intensionis infinitatem.

1033. Quarto, meritum non est condignum æternitate gloriæ, nec meretur gloriam, qua æterna est; ergo nec culpa est condigna culpa æterna, nec meretur pœnam, qua æternam. Respondetur primo, nego antecedens: cum D. Thom. 1. 2. q. 5. art. 4. Secundo, transeat antecedens: cum Scoto in 4. dist. 49. q. 6. num. 18. & nego consequentiam. Major ratio est, quia quod opus bonum, sit meritum gloriæ, & perpetuæ gloriæ, non solum est ex ipso valore operis, sed simul ex acceptatione, promissione, & dispositione Dei, hæc enim est complementum condignitatis; at verò condignitas pœnæ, est solum ex ipsa ratione culpæ, & cum culpa habeat offensæ rationem, quæ simpliciter est altioris ordinis, quam pœna, inde condignè ejus æternitatem meretur.

1034. Quinto: Pœna sensus respondet conversioni, ut pœna damni aversioni: atqui conversio ad creaturam, est finita; ergo illi correspondere nequit pœna extensivè infinita. Respondetur primo, distinguo antecedens: conversioni præcisè respondet pœna sensus, nego antecedens: ut est aversiva, concedo: Licet enim communiter dicatur, quod pœna sensus respondeat conversioni,

est per accommodationem, non verò quod illi, ut abstractæ, & præcisæ ab aversione correspondeat, cum enim peccatum essentialiter sit conversio aversiva, ut explicavi à num. 113. omnis pœna respondet aversioni conversivæ, & conversioni aversivæ, ex quo si nullo modo averteret ille actus creaturam à Deo, non foret culpa, non enim est culpa, quia est conversio ad creaturam, sed quia est talis conversio, quæ avertit à Deo.

1035. Sexto: Illa est condigna pœna, quæ proportionatur gravitati culpæ: atqui grauitas culpæ, nec est quoad intensionem, nec quoad extensionem infinita, nam actus est finitæ intensionis, & brevi tempore perpetratus; ergo. Respondetur, nego consequentiam: nam gravitas culpæ non sumitur ex finita intensione actus, aut ex finita extensione temporis, aliter peccatum veniale majori intensione factum, & longiori tempore durans, gravius esset quocumque peccato mortali; sumitur ergo, ex eo quod est offensivum Dei, cui rationi inest tanta gravitas, & magnitudo, ut mereatur æternæ pœnæ supplicium.

1036. Septimo: Deus punit citra condignum, & ultra condignum præmiat: atqui, si data pœna, est culpæ condigna, Deus non puniet citra condignum; ergo, &c. Minor probatur, quia Deus punit pœna æterna; ergo jam non est citra condignitatem pœnæ, quoad extensionem: deinde quoad intensionem, pœna est finita, & Deus pœna finita punit; ergo nullo modo punit citra condignum.

DUBIUM INCIDENS PRIMUM.

Vtrum Deus puniat citra condignum, & præmiet ultra condignum?

1037. Ratione ultimi argumenti, excitatur præsens dubium, cui respondeo affirmativè: est enim constans apud Theologos, Deum citra condignum punire, & ultra condignum præmiare: ita Magister in 4. dist. 46. cap. *sed quæritur:* ubi D. Thomas q. 2. art. 2. in solutione primæ quæstiunculæ: Scotus q. 4. à num. 14. Bonavent. art. 2. q. 1. Richard q. 3. Paludan. q. 4. art. 3. conclus. 3. Durand. q. 3. art. 2. Argentin. q. unica art. 4. Carthusian. qu. 3. Aureol. qu. unica §. *Hæc propositione.* Gabriel. q. 1. dub. 5. Alliacensis in 1. q. 9. artic. 3. punct. 3. §. *Ex quo*, litt. o o. Holchot. in 2. qu. 1. litt. ll. §. *Ad secundam.* Abstineo à citatione recentiorum, omnes enim nullo excepto hoc docent, estque apud illos axioma Theologicum, ut advertunt Amicus tom. 3. disp. 23. sect. 5. num. 148. Ripalda contra Baianos sive tom. 5. de ente supernaturali lib. 1. disp. 1.

Et cum hoc dependeat ex voluntate Dei manifestata per Scripturas, nullum firmius fundamentum erit, quam quod ex textu sacro desumitur. Probatur ergo ex Psalm. 102. *Non secundùm peccata nostra fecit nobis. neque secundùm iniquitates nostras,* Psalm. 44. *Miserationes eius super omnia opera eius*, quem locum de misericordia extensa usque ad damnatos, explicat Genebrardus; ex quo illud Iacobi in sua Epistola Canonica cap. 2. vers. 13. *Superexaltat misericordia iudicium*, quem locum eleganter noster Pater Paez explicat pro hac thesi in expositione litterali illius loci.

1038. Ratio D. Thomæ est: Deus est agens, patiens est creatura recipiens, & quanto agens superexcedit patientem, convenit, ut etiam elatio receptionem, quæ est proportionata recipienti, excedat: ergo convenit, ut majus bonum, quam meretur recipiens, dare, & minus malum similiter infligere possit.

Hanc rationem non approbat Scotus citatus num. 15. vers. *Contra*: qui ex illo Iacobi 2. aliam tradit rationem, quia in punitione, & præmiatione, debet Deus concurrere perfectissimè: perfectius concurrit, si opus sit à justitia simul, & à misericordia, quam si sit solum à justitia, quanto enim ad aliquod opus plures concurrunt virtutes, tanto opus est perfectius: inde perfectum opus esset, à sola justitia: sed si remittatur aliquid ex misericordia illius supplicii, quod infligendum esse dictat justitia, perfectius est, & ratione perfectionis repertæ in opere, dicitur, *Quod misericordia superexaltat iustitiam*, quia perfectius est id, quod fit ex misericordia & justitia, quam id quod fit ex sola justitia: ex qua ratione apparet, etiam in omni opere Dei, inveniri misericordiam, & justitiam, juxta illud Psalm. 24. *Universæ viæ Domini misericordia, & veritas.* Vnde Cassiod. in Psalm. *Hæ duæ res in viis Domini, semper adiunctæ sunt.*

1039. Recentiores, imo & antiqui, docent hoc proloquium desumptum esse ex doctrina Augustini, verum nullum fundamentum est, ut hoc asseratur: Augustinus enim abstrahit ab hac quæstione, non curans an damnatorum pœna sit aliquando levior, vel citra condignum; dummodo sit æterna: ita in Enchiridion. cap. 112. ubi disputans, an aliquando sint pœnæ damnatorum finiendæ; refert quorumdam errorem, qui nixi auctoritate Psal. 76. *Non obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas,* quam, ait, intelligendam esse de prædestinatis, *Aut si hoc ad omnes existimant pertinere, non ideo necesse est ut damnationem opinentur finiri posse eorum, ... sed pœnas damnatorum certis temporibus (si hoc his placet) aliquatenus mitigari*: Ecce sensus, non est Augustini, sed aliorum. Eodem modo loquitur lib. 21. de Civitate Dei cap. 24. adducens eumdem locum Psalmi, & errorem admittit ex mente aliorum extendi posse misericordiam Dei ad damnatos, dummodo non finiantur pœnæ. *Sed quibus placet istam sententiam usque ad illa impiorum tormenta protendere, saltem sic intelligant, ut manente in eis ira Dei, quæ æterne est prænuntiata supplicie, non contineat Deus in hac ira miserationes suas, & faciat eos; non tanta, quanta digni sunt pœnarum atrocitate cruciari, ut eas pœnas, vel numquam subeant, vel aliquando finiant: sed ut eas mitiores, quam merita sunt eorum, levioresque patiantur, sic enim & ira Dei manebit, & in ipsa ira suas miserationes non continebit: quod quidem non ideo confirmo, quia non resisto.* Ubi vides, quod illa assertio de punitione culpæ citra condignum, non est Augustini, sed aliorum, quod non approbat, nec reprobat: imo se ab illa assertione alienum esse vult, dum addit, ab eo non confirmari, licet ei pro tunc non resistat: nec scio locum ubi hoc nostrum axioma tradat; nam aliqua testimonia, quę adducuntur manifestè loquuntur de præsenti statu viæ.

1040. Est tamen axioma Theologicum desumptum ex sacro textu, quod non licet negare, cum maximè deceat bonitatem Dei, nec in aliquo repugnet: explicanda tamen est materia supra quam cadit illa remissio pœnæ, sivè illud citra condignum. Pro quo noto primo, pœnam esse finitam intensivè, & infinitam extensivè: & circa intensionem pœnæ, posse dari varios gradus cruciatuum. Secundo, cum Holchot in 2. qu. 1. litt. C.

litt. C, quando dicitur quod Deus operatur omnia justè, terminum *justè* tripliciter accipi posse. Primo, quia operatur sicut debet, & tenetur operari: ut dicitur quod aliquis homo justè operatur, quia operatur id quod debet, & ad quod tenetur ex officiu. Secundo, quia operatur æqualiter in distribuendis præmiis, & pœnis, ita ut proportionetur præmium merito, pœna culpæ. Tertio, quia operatur sicut decet Deum, & est conveniens creaturæ; & hoc est idem, ac operari ut vult: convertuntur enim, hoc est justum, & hoc vult Deus: unde multa quæ dicuntur fieri à Deo secundùm unum modum, possunt dici non fieri justè secundum alium. Quarto notandum est in virtute justitiæ considerari diversos gradus, medium enim justitiæ, non est indivisibile, sed suam latitudinem habet: extra quam si Deus puniret, justitia non oteretur, quod notabile habet additio Scoti in 4. dist. 46. qu. 4. n. 18. Quibus notatis,

1041. Explico proloquium. Dicitur Deus punire citra condignum & justè: non primo, nec secundo modo, sed tertio: non primo modo, quia Deus non debet, nec tenetur ex justitia, punire minus quam postulat culpa, imo per ordinem ad decreta, quibus se obligavit Deus, punit juxta condignum, quia talem pœnam taxavit, quæ attenta ratione pœnæ, & culpæ præcisè posset esse major, ut bene Aliacensis in 1. qu. 9. littera OO. Non secundu modo, quia non proportionatur pœna culpæ cum plus meretur; est ergo tertio modo, quia Deus vult, quod non reddatur æqualis pœna culpæ: tanta est ejus bonitas.

Inferes: Ergo non servatur justitię ratio. Respondeo: Licet non servetur justitiæ ratio secundum proportionem punctualem, servatur tamen secundùm suam rationem: nam justitia non postulat, ut quisque tantum puniatur, quantum debet, sed ut puniatur intra latitudinem graduum sui medii: ideo si excedatur medium, erit injustitia. Dices: Ergo si omnino remittat pœnam, erit injustus. Respondetur, non bene dici esse Deum injustum, sed non esse justum primo & secundo modo, cum quo stat, quod foret justus tertio modo.

Quare Deus justè punit citra condignum non remittens omnino pœnam, sed gradum aliquem pœnæ, & hoc quia misericorditer voluit, nam attenta præcisè ratione culpæ, minor est pœna, quæ datur, quam quæ merita fuit: Et licet nihil de pœna extensivè remittatur cum sit æterna, remittitur tamen aliquis gradus intensionis, per quod solvitur argumentum positum num. 1036. ratione cujus hæc disputavimus: & melius salvatur hoc axioma asserendo pœnæ æternitatem esse condignam culpæ, quam ex alio capite; nam si propter Dei bonitatem hoc axioma est receptum, quo pacto æternitatem, quam non meretur culpa, teneretur homo subire? Solum ex accidenti, & ex voluntate Dei, qui aliter disponere potuisset, hoc autem est Deum facere circa pœnas minoris ponderis mitissimum, & circa principalem, satis rigorosum. Infra ostendam, cui debeant damnari hoc beneficium.

QUARTA DIFFICULTAS.

Utrùm annihilatio sit pœna condigna peccato mortali?

1042. Respondetur negativè. Ita Aliacensis in 1. quæst. 9. litt. OO. Fundamentum est, quia culpa meretur pœnam condignam; atqui pœna condigna non potest ex diametro esse opposita, & incompossibilis cum alia pœna condignè debita eidem culpæ, non enim una culpa meretur duas pœnas sibi repugnantes, & incompossibiles; ergo non meretur annihilationem; nam annihilatio opponitur æternitati, imo est opposita omni pœnæ: annihilato enim peccatori nullum potest supplicium infligi: cum ergo ex se postulet æternitatem pœnæ, ex se non potest postulare annihilationem, quæ non potest cum illa pœna consistere.

1043. Scio contrariam sententiam esse communem Doctorum, eam enim tradunt D. Thom. in 4. dist. 46. quæst. 2. articul. 2. in solutione quæstiunculæ 1. *ad* 4. Scot. in 4. dist. 46. quæst. 4. numer. 21. vers. *Pro hoc.* Accedunt. Vasq. 1. 2. disputat. 142. cap. 2. numer. 9. §. *Ex dictis*, Arriaga 1. 2. tom. 1. disputat. 54. sect. 2. numer. 10. §. *Ad secundam*, Ripald. tom. 3. de ente supernatural. sive contra Baianos lib. 1. disputat. 12. sectione 13. n. 119. & communiter Doctores.

1044. Fundamentum est, quia offensa, quæ reperitur in peccato mortali, est saltem secundùm quid infinita, & majus malum, quam sit omnis pœna; ergo merebitur annihilationem. Confirmatur, quia majus est æternis cruciari peccatorem tormentis, quam annihilari, ut dicam infra numer. 1075. ergo si culpa meretur de condigno æterna pœna puniri, à fortiori merebitur quod annihiletur peccator. Huic argumento satisfactum est supra, dum disputavi de infinitate offensæ, ex eis namque, quæ ibi tradidi à num. 473. ad numer. 485. sufficienter solvi potest.

Respondeo tamen, concedo antecedens, nego consequentiam, aliter enim probaret per quamcumque culpam mortalem mereri homines omnem omnino pœnam, quæ à Deo infligi potest, siquidem omnis pœna possibilis est minor in ratione mali, quam sit quælibet culpa etiam venialis, quare non debet inferri ex excessu, quem habet malum culpæ supra pœnam, à peccatore mereri omnem pœnam: unde sicut non meretur omnem pœnam, non merebitur etiam annihilationem.

Ad confirmationem, nego consequentiam: Nam majus est privari hominem gratia, quàm scientia, & tamen privatio scientiæ, in renatis ad minus, non est pœna; non enim annihilatio desinit esse pœna ratione gravitatis, majus enim est & gravius, cruciari pœna æterna, sed ratione impossibilitatis, quia impossibile est, quod debeatur peccato, ut pœna est, annihilatio, & æternitas pœnæ: vel enim unum debet postulare, vel aliud, nam utrumque est impossibile; cum ergo postulat æternitatem pœnarum, non postulabit annihilationem: poterit tamen Deus commutare pœnam æternam cum annihilatione, & annihilare hominem justè, sed hoc non est, quia annihilatio sit pœna debita, sed quia est minus malum, quod Deus potest misericorditer velle; & tunc justè oteretur suo dominio, annihilans creaturam, quæ ingrata suo auctori, vitam, qua Deo servire tenebatur, obsequiis diaboli mancipavit: hoc tamen ex aliis capitibus, non verò ex condignitate culpæ ad pœnam.

QUINTA DIFFICULTAS.

Utrùm Deus possit relinquere omnia peccata impunita?

1045. Non loquimur de potentia ordinaria, sed absoluta, est enim quæstio de

peccatis pro alio rerum ordine, quem Deus statuere posset, si vellet; de facto enim omnibus peccatis constituta est pœna juxta eorum qualitatem, sicut enim Deus nullum meritum impræmiatum esse decrevit, ita ullum peccatum impunitum esse statuit, ideo opera sunt, quæ homines post hanc vitam mortalem, ut comitea sequuntur, nihil aliud ex hac vita deportantes, nisi bona ad vitam, mala verò ad mortem æternam.

Non loquimur etiam de pœna debita peccatis post terminum hujus vitæ: justè enim statutus est terminus suppliciorum pro peccatis, sicut etiam statuit terminum meritis, quapropter peccata, quæ à damnatis fiunt (quæ multa sunt, & gravissima) nullo modo puniuntur, tanta est nostri Dei benignitas, quæ patitur sui offensam quin de offensis aliquod sumatur supplicium. Quo posito,

Datur locus quæstioni: Utrùm de possibili posset Deus relinquere omnia omnino peccata impunita? Ratio dubitandi ex una parte est, quia cum Deus sit supremus, & absolutus creaturarum dominus, ac legislator, sicut potest ordinare peccata ad pœnas, ita illa potest non ordinare, liber enim est: ex altera parte, videtur repugnare legi æternæ, quæ necessario punienda esse peccata dictat, cui legi Deus tenetur conformari, ne contra suæ sapientiæ dictamen operetur.

1046. Respondeo, Impossibile Deo esse, omnia peccata relinquere impunita: hæc sententia est Subtilis Doctoris in 4. dist. 17. qu. 1. numero 7. vers. *Ad rationem.* ubi: *Concedo quod ista est nota lumine naturali, vel saltem, valde consona propositioni notæ, quod reus est indicandus, quia nullum debitum relinquendum est impunitum in universo, si est unus rector universi justus, quod est notum naturaliter, vel valde consonum noti naturaliter.* Cum ergo juxta Scotum in 3. dist. 37. qu. 1. a. 5. Deus non possit dispensare in iis quæ sunt de lege naturæ, optime sequitur, quod neque relinquere omnia peccata impunita. Accedit, quia in 4. dist. 46. qu. 4. numer. 17. versic. *Contra*, docet esse contra justitiam, non vindicare. Eamdem sententiam sequitur Moraïnes in disputationibus de Hæresi Ianseniana lib. 1. disputat. 13. sect. 12. numer. 108. eam amplector, quia est expressa sententia Augustini variis in locis. Primo, in Psalm. 44. *Puniendum est peccatum, si puniendum non esset, nec peccatum esset: convertere ad punienda peccata tua, quia impunita peccata esse non possunt.* Et in Psalm. 58. *Iniquitas omnis, parva, magnave sit, puniatur necesse est. non potest impunitum relinqui peccatum.*

1047. Respondet Ripalda tom. 3. de ente supernaturali, sive contra Baianos disputat. 12. sect. 12. numer. 137. quando Augustinus docet, non posse peccata impunita manere, accipere verbum *non potest, non pro impossibili, sed pro difficili, ut vulgaris modus loquendi est Augustini, & sanctorum Patrum.* Sed contra, quia licet verbum *non potest*, ab Augustino sæpe accipiatur pro impotentia morali, & difficili, ut ex eo, dixi in Iansenio convicto part. 1. lib. 3. de gratia sufficiente cap. 5. à numer. 380. attamen casui præsenti aptari non potest prædicta expositio. Primo, quia illud *non potest*, quando significat impotentiam moralem, cadit supra vires creaturæ, & numquam cadere potest supra vires Dei, cui nihil difficile est, si enim non potest, non est, quia difficile est aliquid fieri à Deo, sed quia res fieri non potest: si enim fieri potest, non est difficile Deo, id facere, *Ipse dixit & facta sunt, quæcumque voluit fecit.* Secundo, quia si significat difficile fieri, id quod non posse fieri dicitur, absolutè fieri non potest: atqui hoc repugnat verbis Augustini, siquidem ideo ait, non posse manere peccatum impunitum, quia destrueretur ratio peccati, *Quod si puniendum non esset, non foret*; ergo repugnat non puniri peccata & esse.

Secundo, quia existimat Deum injustum futurum, si non puniat peccata. In Psalm. 80. *Et erunt impuniti peccatores? Absit ut sibi tantum de Dei misericordia blandiantur, ut sibi etiam injustitiam eius polliceantur.* Et in serm. ad populum, sermone in die cinerum. *Si peccatum impunitum remaneat, injustum est, ergo sine dubitatione puniendum.* Respondet Ripald. citat. numer. 139. loqui de supplicio æterno, bene: hoc solum volo non manere peccata impunita: aliter Deus injustus foret: de qualitate supplicii illico disputabo.

Tertio, quia existimat Deum fore iniquum si peccata non puniat. Lib. de decem chordis cap. 3. de cogitantibus, *Deus det omnibus indulgentiam, ignoscat omnibus, neminem mittat in gehennam*, ita ait: *Iam quia iniquus es, iniquum vis esse Deum; vult te Deus facere similem sui, & tu conaris facere Deum similem tui ..... perversus es, & talem vis esse Deum, qualis es, non qualis est.* Et lib. 8. de Genesi ad litt. cap. 14. illud pronuntiat proloquium: *Quid tam iniquum est, quam ut bene sit, desertori boni? neque ullo modo fieri potest, ut ita sit.*

1048. Secundo, non solum est doctrina Augustini, sed omnino conformis rationi: quia Deus statuere nequit aliquid contra suam legem æternam: atqui lex æterna præcipit punire peccata; ergo peccata impunita esse non possunt. Major est Augustini lib. 26. contr. Faustum cap. 3. *Contra illam vero summam naturæ legem, à notitia remotam, sive impiorum, sive adhuc infirmorum, tam Deus nullo modo facit, quam contra seipsum non facit*: Minor etiam est S. Augustini lib. 22. cont. Faust. cap. 27. *Lex æterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans*: Hunc ordinem perturbant peccata, ex Augustino ibi cap. 70. & lib. 26. cap. 3. quæ perturbatio non vetatur nisi per pœnas, quæ ordinent illam perturbationem, & ad eumdem statum reducant, ut rectè Augustinus lib. 22. cont. Faustum cap. 78. ubi docet Deum esse *Ordinatorem peccatorum ut ea, quæ peccata non essent, nisi contra naturam essent, sic judicentur, ut ordinentur, ne universitatis naturam turbare, vel turpare permittantur, meritorum suorum locis, vel conditionibus deputata.* Et lib. de Nat. boni cap. 7. *Peccata in suppliciis ordinantur.* Lib. 26. cont. Faustum cap. 3. *Sed nec ipse homo contra naturam quicquam facit, nisi cum peccat, qui tamen supplicio redigitur ad naturam, ad naturalem quippe justitiæ ordinem pertinet, ut aut peccata non fiant, aut impunita esse non valeant*: Ex quibus præmissis consequentia est legitima.

1049. Respondet Ripald. cit. num. 142. argumentum non valere, quia loquitur de lege æterna necessaria Dei, non vero de lege æterna libera Dei, impunitatem autem esse contra legem liberam, non contra legem necessariam: Quare impunitas secundùm unam legem potest esse ordinatissima, non secundùm aliam; esset ordinatissima secundùm necessariam, non secundùm liberam: hoc enim accidit omnibus Dei decretis liberis, quæ sicut unum ordinatissimum decernunt; si Deus voluisset, poterat aliud oppositum, etiam

ordinatissimum decernere: ut sicut Incarnatio decreta est, ut ordinatissima; etiamsi Deus voluisset, posset decernere ordinatissimè non incarnari: nam ut aliqua actio sit ordinatissima, sufficit esse conformem alicui Dei attributo: inde impunitas, licet non conformetur divinæ justitiæ, satis est ut quod sit bona, quod divinæ bonitati, & misericordię conformetur.

Sed hæc responsio non enervat argumentum, quia supponitur probandum dari legem naturalem liberam; nam uti Deus aliquid decernere debet circa res intrinsecè malas, necessariò tenetur conformari legi æternæ, hæc enim lex necessitatem Deo imponit operandi secundum ejus præscriptum, ut docui supra disputat. 2. sect. 3. à numero 35. cum juxta Ripalda lex æterna necessaria decernat non esse justum manere peccata impunita, necessario Deus tenetur hoc statuere, si creaturas velit creare, & suis legibus gubernare: quare illa lex ęterna libera, fictitia est, cum sit vere necessaria: nec id, quod adducit de decretis liberis est ad rem: quia non versantur circa res intrinsecè malas, sed circa bonas, quarum sicut Deus decernere potest unam partem, potest statuere aliam: & non capio, quomodo possit à Deo decerni aliquid suis oppositum attributis; fallitur enim qui existimat illud, quod à Deo fit secundùm misericordiam, esse contrarium attributo justitiæ: æquè enim Deus determinatus est ad sua amanda attributa; & non diligit plus unum, quàm alterum, sed omnia operatur in pondere, & mensura secundùm rationem suæ sapientiæ, quin in aliquo, aliquid contra unum attributum operetur, ne contra seipsum operari Deum sentiamus: quapropter cum lex æterna, juxta Ripalda, statuat punienda esse peccata, non potest à Deo sanciri non punienda esse peccata, ne aliquid statuens contra legem æternam, contra seipsum illud statuere cogamur affirmare.

1050. Tertio, probo hanc resolutionem, quia si Deus omnia peccata impunè esse sineret, licentiam daret, ut verecundiæ repagulis amotis, liberè grassarentur ejus offensæ, ordo confunderetur universi, nulla haberetur de justitia Dei consideratio, & perturbato rerum ordine, non esset per quid ad suum reduceretur statum, etenim solum propositis suppliciis homines detinentur, & per supplicia hi errores corriguntur, ut belle Augustinus lib. 3. de liber. arbit. cap. 9. *Corruptio voluntaria, quæ in peccato fit, turpis affectio est, cui propterea pœna adhibetur, ut ordinet eam, ubi talem esse non turpe sit, & decori universitatis congruere cogat, ut peccati dedecus emendet pœna peccati.*

Respondetur contrariis argumentis.

1051. PAter Ripalda citatus, eo ardore, quo justissimè contra Baianos, sive contra Iansenium, disputabat (etenim Iansenius tom. 2. lib. 3. de statu naturæ puræ, cap. 2. hoc argumentum versat contra fidei veritatem) affirmavit à Deo omnia peccata posse relinqui impunita: quippe cum argueret Iansenius, non esse possibilem statum naturæ puræ, ex eo quod Deus non possit non punire peccatum, illi satisfaciens Ripalda, inter solutiones adhibitas, affirmat à Deo posse relinqui peccata impunita. Verum aliquid dandum est contrariis, dummodo non sit adversum decretis Apostolicis, aut unanimi Theologorum consensui, ut non est asserere Deum non posse non omnia punire peccata: ita est, Deus non potest omnia peccata impunita relinquere; ergo non est possibilis status puræ naturæ: quæ est hæc consequentia? ejus extortam consequutionem ostendam in Iansenio convicto, tom. 2. lib. 7. de statu naturæ puræ; nunc verò satisfacio argumentis, quibus Ripalda probat non esse Deo impossibile relinquere omnia peccata impunita.

1052. Primo, Deus potest negare meritis præmia ipsis condigna; ergo etiam peccatis condigna supplicia. Antecedens ostendit Ripalda à n. 124. ad num. 129. ex doctrina sanctorum Patrum: & primo, quia de facto merita Christi Domini fuerunt condigna altioribus præmiis, quàm ea, quæ reipsa eis concessa fuere, eo quod à Deo majora præmia disposita non fuere. Secundo, Deus seclusa sua promissione potest denegare gloriam, quin alicui irroget injuriam, tota enim ratio, cur Deus tenetur dare gloriam, est Dei promissio: Consequentia vero constat, quia sancti Patres ad eamdem legem, & necessitatem providentiæ revocant merita præmiis remunerare, & peccata suppliciis punire.

Respondetur. Transeat antecedens: nego consequentiam, diversitatem rationis cum communi Theologorum nobis suppeditat ipse Ripalda. Prima est, quia ideo Deus potest relinquere merita justorum præmio gloriæ irremunerata, quia meritis à promissione seorsim non est debita, ita num. 130. atqui pœna necessariò est debita peccatis; ergo si illa ratio valet, ex eadem non poterit Deus relinquere peccata impunita, siquidem supplicia debita sunt peccatis. Secunda de meritis Christi, etiam non fuerunt illis promissa majora præmia, & ideo nec debita fuere, quia debitum dependebat ex dispositione divina, ut ipse ait n. 124. ex quo si fuissent disposita, & ratione dispositionis debita, teneretur Deus illa majora præmia conferre: cum ergo debitæ sint pœnæ peccatis, tenebitur Deus supplicia culpis inferre.

Tertia, quia præmia numquam possunt esse debita meritis nisi intercedente promissione, vel dispositione Dei, eo quod multis titulis tenentur homines obsequi Deo, eique servire, quin de Deo non remunerante conquerantur creaturæ, ac proinde non est meritis debitum præmium, nisi accedat Dei dispositio, ut tom. 1. in 12. sive in disputationibus selectis de principio naturali, & supernaturali actuum humanorũ loquens de merito, dicā: atqui sine aliqua dispositione Dei, supplicia sunt debita peccatis; ergo diversa est ratio circa merita, & circa peccata: nec de meritis ad peccata valet consequentia de possibili; licet de facto eadem videatur ratio prudentiæ circa utraque, eo quod meritis omnibus accessit dispositio, & promissio Dei, qua posita, manet æqualis ratio de utrisque; de meritis scilicet & peccatis.

1053. Instabis: Ut meritis de possibili potest abesse promissio, & dispositio, quæ additur de facto, ita poterit abesse peccatis; ergo æqualis ratio est. Nego antecedens, quia Deus circa meritorum præmia liberè omnino se habet, quia cum quicquid faciant creaturæ, sit debitum Deo titulo creationis, pertinent omnia opera servorum Domino, & de illis disponere potest pro suo arbitrio, sine aliqua creaturarum injuria: at vero, ut puniat peccata, non est liber ex suppositione, liberè enim poterit creare creaturas, liberè tales creare poterit, quæ non peccent. sed si creare voluerit creaturas, & tales, quæ possint peccare, non potest non prohibere & vetare sub pœnis illa peccata, quæ fuerint intrinsecè mala: ut dixi supra disp. 2. sect. 3. à num. 35. quare cum sit libera di-

positio circa merita, ratione dominii, tam jurisdictionis, quàm proprietatis, poterunt esse merita irremunerata: & cum circa peccata sit necessaria, non poterit liberè de eorum suppliciis absolutè disponere.

1054. Dices: Ergo Deus necessariò disponet circa supplicia singularia, & non poterit non punire peccatum mortale nisi pœna æterna, & veniale nisi pœna temporali, siquidem peccato mortali pœna debita est æterna, & veniali temporalis. Respondetur negando antecedens, ut dicendum est infra à num. 1061. aliud enim est disponere de suppliciis absolutè, aliud de hoc, vel illo supplicio: circa supplicia absolutè, & in communi, necessario se habet Deus; at verò circa supplicia in individuo, hoc vel illud liberè omnino: sed de hoc loco citato.

1055. Arguit secundo num. 134. Deus velle potest peccatori remissionem culpæ & pœnæ; ergo velle potest absque remissione culpæ, omnem remissionem pœnæ: consequentia est legitima, quia majus beneficium est remittere culpam, & pœnam, quam solam pœnam: antecedens constat in justificatione impii, in qua & culpa, & pœna remittitur. Respondetur, negando consequentiam, quia aliud est remittere pœnam, manente culpa; aliud remittere pœnam, remissa culpa: primum repugnat legi æternæ Dei; non secundum. quia sicut dictat punienda esse peccata; etiam dictat, decere divinam bonitatem remittere offensas, & pœnas pro eis debitas; si enim potest humanus Princeps, eumque decet multoties remittere crimen contra ipsum commissum & pœnam, multo magis decebit Dei summam bonitatem, & misericordiam, & crimen, & pœnam debitam remittere: & sicut non decet Principem humanum, imo est contra ejus majestatem, regimen, & providentiam, non prohibere crimen læsæ majestatis, ita & multo plus dedecebit divinæ majestatis sapientiam, ac providentiam, non prohibere crimina, quæ committere homines possunt.

Ad probationem consequentiæ, respondeo, verum esse, quod sit majus beneficium remittere culpam, & pœnam simul, quàm solam pœnam, sed repugnantia non est ex parte beneficii, sed ex contrarietate cum lege æterna, & divina providentia. Quod sit majus, vel minus beneficium, per accidens est: exemplum palmare sit, plus est remittere culpam, & reatum pœnæ, quam solum reatum pœnæ: & tamen Deus potest auferre, & culpam, & reatum pœnæ: non verò reatum, sive dignitatem pœnæ, si non destruat prius peccatum, ut communiter resolvunt Doctores.

1056. Tertio, arguit numer. 135. Punitio peccati, est actio libera Dei; ergo Deus illam potest prætermittere; aliter non esset libera: Antecedens probat, quia illa punitio est actio creata: atqui omnis actio creata, est actio libera Dei; ergo. Respondetur, distinguo antecedens, absolutè concedo: ex suppositione, nego: Licet enim liberum sit Deo, vel non creare creaturas, vel non permittere peccata, non potest non punire peccata. Nec obstat quod sit actio creata, nam etiam conservare creaturas est actio creata, & tamen eo ipso, quod eas vult existere, tenetur conservare.

1057. Dices: Deus non cogitur ad punienda peccata ex malitia peccati; malitia enim plus cogit ad non remittendam offensam, quam ad castigandam, & tamen Deus non cogitur ad non remittendam offensam: non ex honestate punitionis, cum enim sit creata, nulla bonitas creata Deum cogit: non apparet aliud; ergo Deus omnino liber est in punitione peccatorum. Respondetur negando minorem: dummodo verbum *cogitur* in sano sensu accipiatur pro *necessitatur*; non potest cogi, potest tamen necessitari, non ab alio, sed à se, à sua nimirum lege æterna, ut dixi disputat. 2. sect. 3. num. 35. secundùm quam si operari vult, operaturus est, cætera ex sequentibus constabunt.

SEXTA DIFFICULTAS.

Utrùm Deus possit unum, vel alterum peccatum mortale impunitum relinquere?

1058. Respondeo affirmativè, ita à fortiori omnes Doctores, qui docent posse à Deo relinqui omnia peccata impunita, & expressè Moralios citatus n. 108. & probatur, quia si aliquid obstaret, foret, vel lex æterna dictans punienda esse peccata, vel regimen creaturarum, vel dignitas culpæ: Neutrum obstat, quo minus Deus unum, vel alterum peccatum relinquat impunitum; ergo major includit quicquid afferri potest pro asserenda impossibilitate remissionis, sive non ordinationis culpæ ad pœnam, consequentia est optima.

Probo minorem circa legem æternam: nam licet dictet punienda esse peccata, & necessitet Deum ad omnium punitionem, non tamen ita arctat divinæ misericordiæ, & bonitatis objecta, ut in particulari casu non possit aliter disponere, nulla enim est lex, quæ pro casibus particularibus non relinquat Epicheæ locum, aut liberum disponendi modum Legislatori, quæ est celebris doctrina Scoti in 1. dist. 44. num. 5. vers. *Advertendum.* Patet in Legislatore humano, qui non potest sine sapientiæ, & justitiæ, ac majestatis vilipendio statuere, ne omnia crimina læsæ majestatis puniantur; & tamen hoc non obstante, potest pro casu particulari ex eadem providentia, & sapientia statuere, si à tali persona committatur, ne pœna aliqua mulctetur: similiter in Legislatore divino, vel pro suæ misericordiæ ostensione, vel pro alicujus creaturæ confusione, vel ad ostendendum suum dominium, poterit Deus relinquere pœnam impunitam: quæ ratio etiam valet circa regimen creaturarum, quia licet impunitas omnium peccatorum ex diametro opponatur Dei regimini, majestati, ac dominio, tamen idem regimen potest postulare, ut in hoc, vel illo casu, non puniatur peccatum. Dignitas etiam culpæ non obstat: nam potest Deus remittere, & de facto remittit culpam & pœnam, & punire peccatum mortale, pœna temporali; & omnia citra condignum; ergo etiam poterit non punire: Deus enim auferendo pœnam, non aufert rationem culpæ, aut dignitatem illam ad pœnam, semper enim homo dignus est pœna, dum non remittitur culpa, sed potest esse dignus pœna, quin puniatur, ut de facto, non statim puniuntur peccatores, qui tamen digni sunt supplicio.

1059. Dices primo: Non datur major ratio, cur Deus non puniat hoc peccatum, quàm illud; ergo poterit non punire omnia peccata. Respondetur, nego consequentiam. quia pro casibus particularibus est Deus omnino liber circa punitionem peccatorum, & pro regula suæ sapientiæ poterit peccatum quodlibet impunitum relinquere, cum non contrarietur ejus legi æternæ: at verò circa omnium peccatorum impunitatem non est liber absolutè, imo necessitatur

ex lege æterna, sapieotia justitia ac regimine creaturarum.

1060. Dices secundo. Non minus est debita pœna omnibus peccatis, quam singulis; ergo si non obstante debito pœnæ hujus peccati, potest impunitum relinqui; etiam, non obstante debito omnium peccatorum, poterit Deus illa non punire; Nego consequentiam, quia debitum non necessitat Deum ad hoc, ut necessario justiria illi commensuretur, aliter citra condignum non puniret: ideo ex patte debiti æqualia sunt, & non magis proptee debitum implicat non punire hoe singulare peccatum, quàm omnia: ex alio ergo capite est implicantia, ex sapienria, justiria, regimine, sive ex lege æterna, quibus omnibus adversatur omnimoda omnium peccatotum impunitas, & conformatur non punire hoc vel illud.

SEPTIMA DIFFICULTAS.

Vtrum peccatum mortale pœna temporali possit Deus punire?

NOtandum est primo de facto peccato mortali debitam esse pœnam æternam, veniali temporalem, ideo quæstionem procedere de possibili: Secundo peccata, vel esse venialia, & mortalia ex sua natora; vel ex lege positiva Dei, ut aoties dixi in hac disputatione: Hoc posito

1061. Dico primo: Peccata mortalia intrinsece mala, quæ ideo prohibita sunt quia mala, ut odium Dei, blasphemia, idololatria, mendacia, & reliqua, potest Deus punire pœna temporali: ita commuoiter Doctores, quia Deus de facto, mutat pœoam æternam, quam mereotur peccata mortalia, in temporalem; ergo absolutè poterit statuere, ne in æternum puniantur. Antecedens est de fide; etenim ubi primum homines resipiscunt à suis sceleribus, Deus eorum scelera remittens, simul æternitatem pœnæ remittit; aliter si quis postquam surrexit à peccato, discederet in gratia, in æternum puniretur. Consequentia est optima, quia, si Deo liberum est pœnam statutam peccato mortali mutare; liberum etiam ei erit, non statuere pœnam æternam, sed tantom temporalem; minus enim est non statuere legem, qua puniantur æteroè, quam statutam revocare: sive statuero legem, ut si resipiscant peccatores non puniantur pœoa debita.

Confirmatur, quia lex æterna dictans punienda esse peccata, non dictat esse punienda hoc, vel illo modo, sed liberam relinquit legislatori pœnarum taxationem; ergo Deos de pœnis, pro suo arbitrio statuere poterit, quod voluerit. Antecedens patet, quia si taxatio pœnarum ex ætetoa Dei lege dependeret, profecto non posset Deus, aliud, quam illa dictat, statuere; atqui statuit Deus circa pœnas, quod sibi placet, nulla condigne puniens, æternam in temporalem mutans, ergo lex æterna non dictat taxationem pœnarum.

1062. Dices: Licet lex æterna, non dictet taxationem pœnarum, tamen ipsa peccata postulant æternam pœnam; ergo Deus non poterit statuere contra id, quod peccatorum natura postulat. Respondetur, nego consequentiam, quia Deus est supremus dominus & legislator, qui naturæ rerum non adstringitur, quin potius contra earum postulantiam operari potest, & de facto ita operatus est, cum ignis, nec tres pueros, nee rubum combussit, cum sol, in horologium Achaz, descendit, & ad vocem Iosue steiit; & plura alia: ac proinde, licet debeatur pœna æterna peccato, mortali illud debitum non cogit Deum, ne pœna temporali puniatur. Dico secundo: Peccata, quę ideo sunt mala, quia prohibita, possunt solum puniri pœna temporali, & non æterna: Hęc conclusio est certissima, non ex ratione, qua superior probata est, sed qoia illa actio non erat ex se intrinsece mala, sed mala fuit, quia liberè prohibita; ergo sicut ex voluntate Dei depender quod sit mala, ita etiam depeoder pœna, qua punienda est: ut enim liberum fuit Deo actionem malam constituere, ita etiam sub tali pœna prohibere.

OCTAVA DIFFICULTAS.

Vtrum Deus peccatum veniale possit pœna æterna punire.

1063. SUppono primo, peccato veniali oec de facto, nec de possibili esse debitam pœnam æternam; imo signum differentiæ inter mortale, & veniale esse, quod temporali veniale, æterna lethale peccatum puniatur: Secundo, non esse quæstionem de facto, constat enim sola temporali pœna puniri homines solum venialiter peccantes: an saltem ratione subjecti possit puniri pœna æterna peccatum veniale; dicam difficultate 11. sive à num. 1094. Tertio, in duplici sensu excitari quæstionem: Primus est, an peccatum veniale possit puniri pœna æterna propriè, & rigorosè, ita ut sit actus justitiæ vindicativæ inflictus in vindictam! Secundo de pœna, quæ tantum materialiter est pœna, quia supponit causam, est enim solum tormentum, cruciatus, & afflictio.

Dico primo: Non potest etiam de potentia absoluta à Deo puniri peccatum veniale pœna æterna, quæ sit verè, & propriè pœna. Videtor sententia Scoti in 4. dist. 29. q. 1. num. 25. ubi docet justitiam punitivam non respicere indivisibilem correspondentiam, sed medium rectæ rationis, ultra quod pœna major non imponitur, & dist. 46. q. 4. num. 17. vers. *Cont. Inferre malum ultra debitum, est contra justitiam.* In eadem sententia videtur esse Pater Vasq. 1. 2. disp. 142. cap. 2. num. 9. 6. *ex dictis*, ubi docet, si Deus annihilaret peccantem venialiter, non esse illam annihilationem pœnam inflictam propter culpam, sed impropriam ratione supremi dominii. Idem docent Amicus tom. 3. disp. 23. sect. 1. num. 18. Vega in Trid. lib. 14. cap. 16. faciuntque pro hac seorentia, quæ infra num. 1068. ex Seneca adducemus. Si enim punire supra modum est crudelitas, omnem modum excedit, levem culpam pœna æterna punire. Deinde

Probatur, quia propria pœna supponit culpam; & io vindictam culpæ infligitur; ergo pro culpa levi, & quæ ex sua natura tantum postulas pœnam temporalem, infligi non potest æterna. Probo consequentiam, quia licet justitia Dei sit infinita, non tamen potest transilire medium, in quo consistit, aliter jam recederet à ratione justitiæ: medium autem justitiæ, licet non sit indivisibile ut bene advertit citatus Scotus, tamen ultra illud progredi, est non habere justitiam; atqui, qui pœna æterna, culpam, quæ solum temporalem meretur, punit, transgreditur medium, & ultra illud progrediens, excedit; ergo injustus foret Deus, si ita puniret peccatum veniale.

1064. Confirmatur, quia actus justitiæ punitivæ, sive electio vindictæ, est cum displicentia, & minus voluntarius, electus non absolutè, sed

propter culpam: ergo noo debet adeo excedere, ut pro pœna temporali, æternam inferat, aliter ex fe eligeret, & eum voluntate, ac voluptate. Deinde ut bene ootat additio Scoti io 4. dist. 46. q. 4. num. 53. verf. *Aliud*, noo negandum, quod electio magna vindicandi, magis fit crudelitas, quàm vindicta: crudelis ergo foret Deus, fi adeo levem offenfam, ætetna pœua puoiret, cum per temporalem pœnam, fatis effet illa culpa fatisfacta.

1065. Verùm contra hanc refolutionem ftant noo ignobiles Theologi. Vide inter alios Amicum tom. 3. dist. 23. fect. 2. num. 18. licet enim exprefsè non affirment culpam venialem mulctari, ex illorum principiis id evidenser infertur, & primo hoc docent, Gerfoo, Almainus, & Roffenfis apud Vafques disp. 142. cap. 1. num. 4. quatenus doceot, differentiam peccati mortalis, & veoialis ex voluotate Dei defumendam effe, licet eoim detur de facto veniale, tale eft ex mifericordia Dei, qui illud ad æternam pœoam poterat deftinare. Secundo, alii, qui affirmant juftos poffe æternis tormentis deputari, quin aliquid committaot contra Deum, etiam venialiter. Hi funt Holchot in lib. 1. q. 1. litt. I. Suar. opufc. de juft. Dei fect. 5. num. 10. tom. 4. in 3. p. disp. 3. fect. 31. num. 6. Lorin. in Sapientiam cap. 12. verf. 12. latiffimè Ripald. tom. 3. de ente fupernaturali, five cont. Baianos lib. 1. difp. 12. fect. 13. Tannerus 1. 2. disp 4. q. 10. dub. 6. num. 125. quibus opiniooibus fuppofitis, fequitur, quod Deus poffit imponere peccato veoiali pœnam æternam: nam prima id aperte docet, cum pœnam temporalem, qua veniale punitur, reducat ad folam voluntatem Dei, qui ficut mifericorditer temporali, ita juftè, æterna pœna poffet veniale punire.

1066. Ex fecunda fic argumentari licet: Poteft Deus innocentem, & hominem oullo peccato maculatum æterna pœna punire; ergo à fortiori peccatum veniale: cum jam detur ratio, cur Deus puniat, nempe offenfa. Antecedens probant ferè omnes, primo ex dominio Dei fupremo, quia pro fua voluntate poteft difpooere de creaturis quicquid voluerit, non enim eft folum domioium jurifdictioois, ut regat, præmiet, & viodicet: fed etiam proprietatis, ut creaturis utatur, ficut homo libro fuo. Secuodo, arguit Ripalda num. 48. Deus poteft juftum in æternum confervare cum omnibus cruciatibus, quos Deus illi dare poteft temporaliter; ergo etiam cruciatibus æternis addicere, eædem enim caufæ, quæ juftificant Deum tormentis temporalibus juftum torquentem, juftificant etiam, fi eumdem juftum pœnis æternis addicat.

Tertio arguit num. 539. Plus mali eft annihilatio, quam æternus cruciatus: Deus poteft aonihilare juftum; ergo etiam in æternum torquere juftum poterit. Quarto arguit num. 550. quia Deus poterit facere, ut ille juftus eum ardeoter diligat, & fumma obedientia illos fubeat æternos cruciatus: quos augmentum gratiæ, & exercitatio virtutum, honeftabit. Quinto, num. 152. pro amore proximi Moyfes & Paulus defideraverunt privari gloria Dei; ergo & pro amore Dei; ergo Deus id quod licite defideratur, jufte poterit cooferre. Sexto, n. 153. juxta aliquos Patres, dolores, quos Chriftus paffus eft pro nobis, comparantur doloribus inferni, ergo Deus facere poteft, ut homines eofdem pro ejus patiantur amore. Tandem adducit auctoritatem Marci Eremitæ feoioris Homil. 15. ubi, *Deus fui juris eft, & quod vult facit, ita ut fi vifum fit ei per potentiam fuam mittere poffit juftos in gehennam, peccatores autem in regnum cælorum, licet hæc minime velit, nec ei gratum fit.*

Refpondeo primo, nego confequentiam, non enim fequitur, poteft Deus torquere cruciatibus æternis, juftos, fine aliqua injuftitia, ergo etiam punire peccatum veniale pœna æterna: nam pœna, qua pœna, fuppoolt culpam, & relationem dicit ad culpam, & non poteft imponi nifi ratione culpæ, ut bene viderunt Vafques citatus & Suar. citato loco de pœnitentia, five tom. 4. & cum in præfenti non attendatur fupremum domioium Dei, fed Dei juftitia vindicans culpam, non poteft juftitia poftulare: ut pro adeo levi culpa, æterna pœna impooatur: ita refpoodet Holchot in 2. q. 1. litt. R.

An Deus poffit punire innocentem pœna æterna?

1067. SEd quia etiam attento fupremo dominio Dei, illa doctrina noo videtur vera; Dico fecundo: Pro levi culpa non poteft Deus torquere homines pœna æterna: five, Non folum, æternus cruciatus non poteft effe pœna rigorofa, ut inflicta à juftitia vindicativa, fed nec materialiter pœna accepta qua malum eft, poteft iofligi à Deo, ut fupremus Dominus eft, jure fui dominii. Ita Scotus in 1. dist. 41. q. unica num. 11. verf. *Secundum*: ubi: *Videtur enim effe crudelitatis punire aliquem non præexiftentem in culpa*, & dist. 21. q. 5. Certè hæc conclufio oftendit bonitatem, juftitiam, & mifericordiam, ac dominium Dei: contraria fententia omnia hæc evertit, & non plenè percipio fapientiffimum Magiftrum Suarium, quando tom. 4. de pœnitentia docet, *Deus habet fupremum dominium in hominem, ergo pro fua voluntate poteft hominem ad æterna tormenta deftinare fine aliqua caufa.* Et in fine §. addit. *Etiam fi illud primum de divino dominio fatis alienum videatur à divina benignitate, & bonitate, efte non fic omnino contrarium*: Si alienum eft, fatis eft, ne à Deo fiat; demus quod non contrarietur Deo, quod illi alienum eft, etenim concedere Deo actiones à divina bonitate alienas, eft Deo adfcribere, quod ejus noo decet bonitatem.

1068. Probatur tamen primo auctoritate facræ Scripturæ cap. 12. libri Sap. verf. 15. *Ipfum quoque, qui non debet puniri, condemnare exterrum æftimas à tua virtute.* Id eft à tua potentia, & dominio, ac omnipotentia, ut ex communi expofitorum fenfu docet Lorinus ibi: & facit hunc fenfum, contrarium, & alienum effe à Dei potentia, fine culpa homines damnare, per quod evertitur illatatio deducta à dominio Dei: Dominus equidem eft Deus omnium, & bonorum, & perfonarum; ergo poteft fine caufa damnare in perpetuum, refpondet Sapiens, hoc effe à fua potentia alienum.

1069. Secundo ex expreffa doctrina Auguftini, qui apertè docet, non poffe æternis pœnis damnari innocentes à Deo, fine ejus bonitatis, & juftitiæ detrimento: & primo effe contra juftitiam docet, difputans cum Manichæis lib. de duabus animabus cap. 12. *Conveniat igitur mihi cum illis, animas aliquas divina lege, judicioque damnari: at hæ, fi bonæ funt, quæ illa juftitia eft?* Ergo nulla Deo erit juftitia, fi bonum fine caufa æterna pœna condemnet, & malum hoc inferre innocenti, contrarium effe divinæ juftitiæ exprefsè fatetur lib. 12. cap. 21. *Cuilibet occurrit, & verum eft, atque manifeftum juftitiæ ipfi effe contrarium ut nullo præcedente merito, hoc ipfum in quemquam Deus*

damnet; quod in eo ipse creavit.

1070. Secundo esse contra divinam bonitatem, imo esse imponere in Deo iniquitatem, asserere posse ab eo damnari homines nulli obnoxios peccato, tradit epist. 106. *Pie namque, & veraciter creditur Deus nocentes, atque impios justificando, à pœnis debitis liberare: quamquam vero immeritum, & nulli obnoxium peccato, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Et infra Deum punire pœna æterna innocentem, *absurdissimum & à justitia Dei penitus alienū*, esse clamat.

1071. Tertio, quia absolutè pronuntiat non posse à Deo innocentes pœna æterna flagellari. Ita lib. 3. cont. Iulian. cap. 18. in fine, *Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, non potest quemquam sine malis meritis damnare.*

Responderi poterit, S. Augustinum loquutum fuisse de hoc rerum ordine, supposito decreto de non damnando innocente, & non peccatore. Sed contra, quia verba sunt generalia, & non possunt illi responsioni aptari: non locus ex libro de duabus animabus relatus num. 1069. nam etiamsi Deus aliter disponeret, in Deo foret justitia, admissa contraria sententia: Decreta enim Dei non auferunt divinam justitiam, si oppositum decerneretur: at Augustinus docet nullam futuram justitiam si semel animas innocentes in perpetuum damnaret. Locus ex lib. 11. de Genesi relatus eodem num. 1969. idem omnino convincit: ita enim Deus disposuit suæ justitiæ leges, ut si aliud statuisset, non foret illi contrarium; Augustinus tradit, si Deus æterna pœna damnaret innocentes, quod aliquid contra divinam justitiam statueret. Locus ex epistola 106. loquitur de parvulis, vult enim Augustinus probare infantes sine baptismo decedentes æterna morte puniri ob incursum peccatum originale, nam si hoc carerent, iniquus foret Deus, si illos illa pœna puniret; quod deducit ex illa universali, *Iniquus esset Deus, si nulli obnoxios peccato homines in perpetuum damnaret.* Atqui peccato deficiente originali, nulli obnoxii sunt peccatu infantes; ergo iniquus foret Deus, si eos perpetuo condemnaret: quare illa major est universalis, & non pro hoc rerum statu, sed pro omni, tradita est: insuper, Deus, si aliquid statueret contra decreta in præsenti rerum ordine, nec injustus, nec iniquus esset; cum per sua decreta non sibi manus ligaret, nec est aliquis legislator, qui suis legibus ita sit adstrictus, ut in singulari casu non possit aliter disponere. Iam vero locus ex lib. 3. contra Iulian. nullatenus potest intelligi, nisi de possibili; eo quod si loqueretur de præsenti rerum ordine, poterat in eo, sine bonis operibus homines liberare à pœna æterna, quod præsenti rerum statui est contrarium, quapropter negari non potest hanc sententiam esse Augustini.

1072. Unde non desinam admirari Patrem Arriagam, sive ab Augustini lectione alienum, sive Cardinali Bellarmino injuriosum. Duo enim docet citato loco num. 9. Primum non invenisse in epistola Aug. 106. aliquid, quod distincte nostram sententiam asseveret, & libros Augustini de libero arbitrio, non esse Augustini, eo quod ibi tradiderit sententiam contrariam. Secundum, ob hanc rationem Cardinalem Bellarminum in Cathalogo de Scriptoribus Ecclesiasticis negasse libros de libero arbitrio esse D. Augustini: utrumque autem est à veritate alienum. Primum, quia in epistola 106. expressè docet homines nulli obnoxios peccato, sine iniquitate non posse à Deo damnari, de quo supra num. 1071. Libros de libero arbitrio, omnes Theologi, imo & hæretici attribuunt Augustino, mirum est videre quanta facilitate Arriaga inficietur illos libros esse Augustini, cum nullus usque adhuc dubitaverit, an illius essent, præsertim, cum Augustinus eos agnoscat pro sui intellectus legitimo partu in libris retractationum: nec ratio, qua movetur, vera est; cum Augustinus illo libro 3. de libero arbitrio, nec leviter insinuet à Deo posse puniri innocentes pœna æterna, ut videre est: Secundum est injuriosum Cardinali Bellarmino, quia nec in illo cathalogo, nec alibi Bellarminus asseruit libros de libero arbitrio non esse Augustini, imo in controversiis de gratia, & libero arbitrio lib. 5. cap. 27. ad hoc ut probet indifferentiam nostræ voluntatis, utitur testimoniis ex libris de libero arbitrio.

1073. Tertio, probo hanc doctrinam auctoritate Senecæ, sive sit Christianus, sive Gentilis, eâ enim & Augustinus, & D. Thomas utuntur sæpissimè, non enim Senecam adduco ut convincam, sed ut ostendam, meliorem suum fecisse principem, quàm à contrariis videatur considerari Deus. Primo lib. de clementia cap. 11. hoc apponit inter Regem & tyrannum discrimen: *Quod tyranni voluptate saviunt, Reges non nisi ex causa, ac necessitate*: Quo pacto ergo, sine causa, & solum voluptate sæviet Deus? Secundo, lib. 2. cap. 4. ubi differentiam statuit inter feritatem ac crudelitatem: Feritas est, quæ non habet causam, & versatur in torquendis innocentibus, quia vult: *Possumus dicere, non esse hanc crudelitatem, sed feritatem cui voluptati savitia est.* Crudeles vero appellat eos, *qui puniendi causam habent, modum non habent*, sicut in Phalari; quem aiunt, non quidem in homines innocentes, sed supra humanum, ac probabilem *modum savisse*: atqui Deus, ut supponitur, sæviret in innocentes sine aliqua causa & supra humanum modum; ergo juxta Senecam censebitur ferus, & crudelis. Denique faciunt omnia argumenta, quibus ostendi levem culpam æterna pœna puniri, non posse à n. 1067.

1074. Ultimo, ostendo hanc sententiam evertendo fundamentum oppositum. Ideo Deus potest tormentis æternis addicere homines justos sine causa, quia est eorum supremus Dominus: atqui ex hac ratione, hoc non potest efficere; ergo. Probo minorem: Vel illud supremum dominium Dei, seorsim accipitur, & separatum à divinis attributis, vel accipitur cum illis conjunctum: si primum, fateor quod ratione solius dominii, potest Deus disponere de hominibus, quicquid sibi placuerit, perdere, annihilare, tormentis, & cruciatibus æternis addicere, hoc tamen est concipere Deum, ut regem, & gubernatorem, cui pro ratione est voluntas, pro justitia crudelitas, pro dominio tyrannis: si enim quis non advertens nisi ad potestatem, gubernet, omnia perdet, & dissipabit, omnia ei licebunt, quia licèt non de jure, de facto tamen in suos grassabitur subjectos: nullus adeò ferox inventus est, qui aliqua quali quali ratione non gubernaret, & adhuc ut tyrannus, habitus est:

Est ergo secundum, atqui dominium Dei, ut suis conjunctum est attributis, non potest facere, nisi quod rectissimæ Dei rationi est consonum, & conforme, ut optime D. Thom. 1. p. q. 21. art. 1. ad 2. *Impossibile est Deum velle, nisi quod ratio sua sapientia habet, qua quidem est, sicut lex justitia, secundum quam eius voluntas recta, & justa est:* Ergo non poterit ita disponere de creaturis, ut volunt Doctores contrarii. Probatur hæc consequen-

sia: quia recta ratio, sive ratio divinæ sapientiæ, dictat ne aliquid fiat contra bonitatem, justitiam, & misericordiam, atqui si justi æternis pœnis adjicerentur, operatur Deus contra hujusmodi attributa; ergo non poterit taliter diponere de justis.

1075. Minor probatur primo, quia est contra bonitatem; bonitas enim est diffusiva sui, ad illamque pertinet elargiri perfectiones creaturis, ut optime D. Thom. 1. p. q. 21. art. 3. in corp. ergo eam non decet, mala, & tormenta sine causa elargiri; quod enim est bonorum origo, non potest esse malorum principium: quis enim divinam bonitatem, quæ tota in creaturarum bonum diffunditur, considerabit causam tot cruciatuum?

Secundo, est contra divinam justitiam, sive distributivam, sive punitivam, eo modo, quo in Deo consideratur: nam distributiva est quæ tribuit unicuique creaturę secundùm suam dignitatem, ex D. Thom. 1. p. q. 21. art. 1. in corp. hæc irrogatio tormentorum non potest esse secundùm dignitatem creaturæ, licet enim creaturæ dignitas, Deo omnino sit subjecta, non tamen, ut Deus sine causa miserabiliter eam torqueat; hoc enim crudelitatis, non justitiæ species est: sicut si quis animal in quod omne dominium habet, vivum comburat, vel in partes minutissimas partiatur, crudelis censebitur; multo magis Deus, qui, quo plus habet perfectionis, & bonitatis, eo plus consulere debet suis creaturis. Iustitia punitiva in præsenti non habet locum, cum enim sit vindicativa, debet supponere culpam, quam vindicet, & puniat.

Tertio non potest esse juxta misericordiæ attributum; hoc enim ideo Deo attribuitur, quia propter si bonitatiaperfectionem, defectum, & miseriam expellit à creaturis, juxta D. Thom. 1. p. q. 21. art. 3. in corp. in præsenti non expellitur si miseriis, & æternis cruciatibus Deus suas torqueret creaturas.

1076. Respondetur nunc secundo argumento proposito num. 1066. nego antecedens, ut probatum est. Ad primam probationem ex dominio Dei, respondeo, dominium Dei non esse accipiendum absolutè & seorsim à suis attributis, sub quibus implicat exerceri circa innocentes æternorum cruciatuum torturas; imo quia omnia potest, non potest nisi id quod non est externum à sua bonitate: si enim in creaturas ratione dominii ita grassaretur, non esset creator, sed destructor; non dominus, sed tyrannus; non justus, sed crudelis: imo quo dominium est magis absolutum, eo est magis rationi conforme: cum enim ex dominio possit Deus pro sua voluntate disponere de creaturis, impossibile est, quod velit, nisi secundùm suæ sapientiæ rationem ex D. Thom. relato num. 1074. Ratio sapientiæ postulat ne Deus innocentes pœna æterna flagellet: nec obstat, quod sit dominium, & jurisdictionis, & proprietatis, nam etiam homines in aliquot bruta habent dominium proprietatis, & si quis lento igne vivum aliquod per decem dies comburat, erit crudelis, & iniquus.

1077. Ad secundam probationem relatam num. 1066. nego antecedens, nam cruciatus, quibus Deus temporaliter potest affligere justos ob aliquod bonum à Deo intentum, cum spe retributionis justificantur, at vero æternitas cruciatuum nollo fine infligi potest, cum nulla possit esse causa talis, quæ Deum liberet crudelitate, & iniquitate.

1078. Ad tertiam relatam num. 1066. respondeo negando antecedens, juxta illud Christi Domini: *Melius ei erat, si non fuisset natus homo ille*: Ex quo loco, apertè constat, melioris conditionis esse hominem, qui annihilatur, quam qui in æternum cruciatur: licet enim non esse, sit malum simpliciter, tamen in existimatione, majus malum est æterno cruciatu torqueri, quam non esse: inde sæpe contingit, quod plures homines non sufferentes etiam labores temporales, mortem optant, ut illorum remedium, qui à fortiori non esse optarent ne in æternum acerbissimos paterentur dolores: *Quanto enim non nasci melius fuit, quam numerari inter publico malo natos?* ait Seneca de Clement. lib. 1. cap. 58. Quæ resolutio procedit de omnibus malis negativis, hæc enim poterit Deus inferre, etenim non sunt adeò atrocia comparatione cruciatuum ceterorum. Potest etiam respondéri, nego consequentiam; & ratio diversitatis est, quia creare, sicut & dare beatitudinem, actus liberalitatis est, & non fit creaturæ injuria, si iterum in nihilum abeat, at verò torquere, est crudelitatis signum: per quod solvitur etiam quinta probatio relata. n. 1066.

1079. Ad quartam relatam num. 1066. respondeo, nego consequentiam, nam quod creatura diligat Deum, & ita, ut desideret pati tormenta inferni pro Dei amore, amor eximius Dei est, attamen illico quicquid potest honestè expetere creatura, potest Deus exequi: quia potest esse honesta illa expostulatio, & nun executio: hoc enim erat credelitas: quid enim crudelius, quam servum domini sui ardentissime dilectorem æternis cruciare tormentis? nec ille amor, illa gratia, illa paticotia à Deo concessa illi innocenti, satis sunt ad hoc, ut Deus conferat illos cruciatus, imo opponuntur voluntati illos præstandi, quo enim homo foret magis amicus Dei, major indecentia consideraretur in Deo inferendis illi æternis cruciatibus, cum illata essent amico ardentissimè amanti; ego certè, non invenio genus crudelitatis, & inhumanitatis majus, quàm hominem, qui plus diligit, plus torqueri ab amato: quàm dare à Domino amorem, et det dolores: Hoc enim solum fieri possit à Deo, ut de facto facit, eo nimirum fine, ut illos cruciatus justis præmiis remuneret.

1080. Ad sextam relatam num. 1066. transeat, quod dolores Domini æquipollerent pœnis æternis inferni, nego consequentiam. Ratio est multum diversa, quia in Christo vindicabat Deus omnium hominum peccata, & pro illis acceptata fuit à Christo satisfactio, ideo nulla fiebat injuria Christo Domino, & in Deo maxima relucebat misericordia, & voluntas salvandi homines, quippe qui poterat illam non acceptare satisfactionem: at vero in nostro casu, homines sunt innocentes, & nec pro suis, nec alienis culpis satisfacerent, sed tantum paterentur, quia sic volebat eorum creator.

1081. Ad auctoritatem Marci Eremitæ, relatam n. 1066. respondeo, loquutum fuisse de dominio Dei, attenta seorsim ab aliis attributis ejus potestate: nemo enim potest dubitare, tàtam esse, ut de creaturis possit facere quod voluerit, quis enim ejus volūtati, & potestati resistere audebit, aut poterit? non vero de dominio, ut exerceri debet; regulato per rationem Sapientiæ, & justitiæ: ideo addit, quod nunquam Deus volitursus sit tale exercitium dominii, ut consideretur seorsim, nec ei unquam gratum futurum; ergo si non potest esse gratum, est, quia consideratur absolutè dominium, quo non potest Deus uti, cum nunquam operetur id quod sibi non est gratum, nec sine regula rectæ rationis, quæ est ipsemet Deus.

1082. Nec

1082. Nec ex prædicta resolutione inferant Ianseniſtæ, & Baiani, impoſſibilem eſſe ſtatum naturæ puræ: ducti eo argumento, quod Deus non poteſt addicere pœnis æternis innocentem, nam ad probandam impoſſibilitatem ſtatus naturæ puræ præfatum argumentum tractat Ianſenius tom. 2. lib. 3. à cap. 1. Sed ego non video quomodo, ex illo antecedente inferri poſſit. Proponamus argumentum, Deus non poteſt damnare in perpetuum innocentem; ergo neque poteſt condere naturam in puris naturalibus, nego conſequentiam, ſed illam probat Ianſenius. Si Deus crearet hominem in ſtatu naturæ puræ, iſte ignorantiam, & concupiſcentiam, morbos, & mortem, labores, & afflictiones ſubiret; ergo jam flagellaret innocentem, & hominem nulli obnoxium peccato puniret, quod ejus bonitati & juſtitiæ repugnat: non enim major ratio dabitur, cur repugnet æternitas cruciatuum, & non cruciatus ipſi repugnent?

Sed facilè reſpondeo: Primo, nego conſequentiam: quia aliud eſt pati defectus, qui naturam conſequuntur, aliud à Deo infligi ex ſua voluntate, & ad oſtenſionem ſui dominii tormenta, & cruciatus innocentibus, hoc repugnat Dei bonitati & juſtitiæ, illud nullatenus poteſt repugnare, nam defectus, qui neceſſario conſequuntur naturam, non ſunt pœnales, nec à Deo infliguntur, niſi dum creat naturam talibus defectibus obnoxiam: hinc Beatiſſima Virgo Mater omnes habuit defectus, qui extra indecentiam conveniunt naturæ humanæ, ut etiam Chriſtus Dominus: ac proinde cum illa natura in illis puris naturalibus conſtituta poſtularet illos defectus, nulla indecentia eſſet, nec ulla injuria fieret creaturæ, ut etiam de facto, ſi Deus ordinaret naturam ad finem ſupernaturalem, licet non peccaret, mortem ſubirent homines, ſi Deus non ſtatueret ne homines morerentur: cum ergo aliud ſit infligi à Deo cruciatus, qui non ſunt naturales, aliud pati creaturam defectus, quos naturaliter poſtulat, poteſt Deus creare creaturam ſubjectam illis defectibus; & non poterit infligere cruciatus naturæ innocenti: & conſequenter nullum eſt argumentum, nec ex noſtra reſolutione poteſt inferri impoſſibilitas ſtatus naturæ puræ, ut infert Ianſenius, contra quem diſputabo 2. p. in Ianſenio convicto lib. 7.

An ſaltem cruciatibus, vel gravibus, vel levibus poſſit Deus punire innocentem?

1083. Sed adhuc quærendum ſupereſt, utrùm ſaltem poſſit Deus inferre temporales cruciatus naturæ innocenti? Pro ſolutione, noto, non eſſe quæſtionem de facto, Deus enim ad coronam temporales cruciatus infert juſtis, ſed de poſſibili: & intelligi poteſt, vel de natura, quæ elevetur ad finem ſupernaturalem, vel in ſtatu naturæ puræ: ſive de cruciatibus, qui ſint præmia, vel qui ſolum ſint manifeſtatio divini dominii, & omnipotentiæ: quo poſito cenſeo, ſi natura ſit elevata ad finem ſupernaturalem, & cruciatus ſint, ut vita mereatur æterna, vel ut aliquo præmio compenſentur, poſſe à Deo infligi: nam tantum abeſt, quod ex illa tortura ſequatur indecentia in Deo, vel aliqua ſpecies tyrannidis, ut mirificè divina bonitas appareat, ſi elevat illos cruciatus ad præmia ſupernaturalia, & pro momentaneo labore, & dolore, æterna elargitur præmia.

1084. In ſecundo caſu, nimirum, quando Deus infligeret cruciatus temporales, ſolum ob divini dominii oſtenſionem, anceps hæreo, nam ex una parte conſidero abſolutum dominium Dei, & omnes labores temporales non eſſe magni momenti, ſi creatura conſideret per amorem naturalem ſe premi à potenti manu Dei, qui ſi eam voluiſſet annihilare, poſſet; ex altera parte non poſſum, fateor, conſiderare dominium Dei, niſi beneficum, & bona ſuis creaturis attribuens, & licet non ſint æterni labores, ſunt labores, & magni: ſi magni, non felix eſſet ſubditus, qui à tali rectore regeretur, qui pro libito ſuæ voluntatis inferret graves dolores, & cruciatus innocenti: hic enim videtur habere locum illud Senecæ de clementia lib. 1. cap. 3. *Peſtifera vis eſt, valere ad nocendum*: & nollem melius exiſtimaſſe Gentilium doctiſſimum, de Dei bonitate, quàm Chriſtianor, de illa etenim dixit Seneca epiſtol. 95. prope finem. *Nunquam ſatis profectus erit, niſi qualem debet Deum mente conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem: quæ cauſa eſt aliis benefaciendi? natura: errat, ſi quis putat illos nocere velle: non poſſunt: nec accipere injuriam queunt, nec facere: lædere enim, lædique conjunctum eſt*: Si ergo Deus pro ſua voluntate, & voluptate, graviſſimos cruciatus, licet non æternos inferret creaturis ſine cauſa, nocere, lædereque poſſet, quod à Dei bonitate doctus ille Gentilis exiſtimat alienum, imo non ſolum crudelem, ſed ferum à nobis fingi Deum putaret, cum feritas ſit apud ipſum in innocentes pro voluptate ſævire. Vide ſupra num. 1073. quapropter inclinarem in hanc partem, licet non determinem, alii judicent, judicium majoribus ſubmitto.

1085. Sed quid de levibus cruciatibus? ſine cauſa poterunt infligi à Deo? non video cauſam, cur hoc non poſſit à Deo fieri: multum de Dei omnipotentia credendum eſt: ita affligi homines, nec feritas, nec crudelitas eſt, illa ſævire debet in innocentes, hæc ſupra modum premere: hic crudelitas non habet locum, cum ſupponatur non eſſe magnos cruciatus; nec etiam feritas, cum circa levia non verſetur ſævitia: aliunde Deus habebit aliquem finem, quo honeſtetur illa innocentum afflictio.

NONA DIFFICULTAS.

Utrùm pœna remiſſa poſſit iterum redire?

1086. HÆc quæſtio non eſt propria hujus loci, ideo breviter illam expediam, pertinet enim ad materiam de pœnitentia, & eſt, utrum poſtquam Deus, & culpam, & pœnam remiſit, poterit illa pœna iterum redire, & poſſit Deus punire peccatorem, cui culpam, & pœnam remiſerat? Notandum eſt eſſe quæſtionem, vel de facto vel de poſſibili: de facto, conſtat apud omnes Theologos redire non poſſe: an de poſſibili? eſt difficultas: quæ adhuc poteſt procedere, vel de homine qui iterum peccavit, divinamque majeſtatem offendit; vel qui non peccavit: & circa unumquemque ſtatum reſpondendum eſt.

Primo, ſi homo poſt remiſſam culpam, & pœnam iterum peccavit, poteſt redire eadem pœna. Eſt ſententia Scoti in 4. diſt. 22. qu. unica à num. 3. ubi Cavellus in ſcholio, Hyquæus n. 6. & Faventin. diſp. 41. Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 13. ſect. 2. n. 14. Henriquez de pœnit. cap. 32. Belanus de pœnit. diſp. 2. dub. 18. Amicus tom. 7. diſp. 7. ſect. 2. n. 37. Peres de pœnit. diſp. 21. ſect. 4. n. 6. Cardinalis de Lugo de pœnit. diſp. 10. ſect. 2. n. 31. Valentia tom. 3. diſp. 7. q. 5. puncto. 1.

Et probatur, quia Deus poteſt condonare pœnam ſub conditione, ſi iterum non peccet, hoc enim nullam involvit repugnantiam, imo de facto apparet in Regibus, qui multoties ſubdiʒis pœnam

pro aliquo delicto remittunt, cum ea conditione, ne iterum relabantur in culpam; ergo si homo iterum peccaverit, peccantem sequetur non solum pœna debita pro novo peccato, sed etiam pro remisso: licet enim fuerit condonatum debitum, fuit sub conditione, qua posita, iterum rediit pœna: & confirmari potest exemplo meritorum: licet enim de facto reviviscant, posset Deus facere ne reviviscerent, & quod reviviscant, est ex pacto Dei: ergo similiter, licet modo pœnæ non reviviscant ex Dei misericordia nolentis repetere pœnas pro culpis jam remissis, poterit tamen culpas ita remittere, ut si iterum peccent homines, reviviscant: non enim acceptatur pœnitentia peccatoris, si novum commiserit peccatum.

Confirmatur ratione Scoti, quia voluntas mea potest primo ordinare ad pœnam, & secundo non ordinare, si nimirum hominem culpæ pœniteat, cum conditione tamen, quod iterum non offendat, ordinans ad eamdem pœnam, si offendat: apparet in casu textus 12. q. 2. cap. *Episcopus*, ubi servus manumissus propter ingratitudinem, iterum pœnæ servitutis subjicitur.

1087. Oppositum docent Vasques 3. p. q. 88. art. 1. dub. unico n. 73. Gaspar Hurta. de pœnit. disp. 2. diffic. 20. & alii. Primo quia illa pœna iterum potest redire; ergo non est, omnino destructa, & remissa. Patet consequentia, quia id, quod omnino destructum est, sine nova actione reproductiva, redire non potest. Respondetur: Distinguo consequens, pro omni tempore, concedo: pro illo, in quo ponitur conditio, nego: illud debitum, sive illa pœna est destructa pro omni tempore, quo non peccaverit homo, non pro illo quo peccaverit: sub hac enim conditione remissa fuit; dum non peccat homo, est pœna ac si non foret, & si è vita discederet in cælum iret, & si peccaverit inferni pœnas subibit, si nimirum eum sui sceleria non pœniteat.

1088. Instabis primo. Quod est physice destructum, sine nova actione non redit; ergo nec quod est moraliter destructum. Nego consequentiam: diversa ratio est, quia sicut res physica destruitur per physicam actionem, ita & ponitur, ita ut si fuisset impossibilis reproductio, non poneretur: at vero morale debitum, sicut destruitur, quin aliquid de novo fiat per aliquam actionem, si nimirum remittatur solum per condonationem intrinsecam, ita potest poni sine aliqua nova actione: cum enim dependeat remissio à sola voluntate Dei, & modus remissionis ab ea solum dependebit; & sicut Deus potuit remittere sine conditione redeundi, potest & cum illa conditione, quæ cum solùm pendeat à Deo, si peccet peccator; redit iterum pœnæ obligatio, ac si remissa non foret.

1089. Instabis secundo: Ergo pœnæ debitum sopitum, & suspensum mansit, non verò deletum, & remissum. Probo antecedens, quia ideo merita per peccatum manent sopita & suspensa donec fiat pœnitentia, quia facta pœnitentia iterum reviviscunt: ergo ex eadem ratione debitum pœnæ non erit extinctum, sed sopitum, donec apponatur conditio. Respondeo, concedo illationem: dummodo ille homo, si moriatur, antequam peccet, nullum detrimentum patiatur ex pœna remissa sub conditione, ita enim operatur, ac si non esset; & ideo dicitur extinctum, quia licet sit mortificatum, & possit per novum peccatum redire, dum tamen non committitur peccatum, est ac si non esset, & sic optime respondent Lugo n. 31. Amicus n. 59.

Secundo arguunt, Homo remissa culpa, non est amplius dignus pœna; ergo cum remissa sit culpa, & hæc non redeat, ut suppono, non manebit dignus pœna. Respondetur negando antecedens, ut de facto omnino remittitur culpa, manet tamen debitum pœnæ temporalis, pro peccato mortali, vel veniali remisso.

1090. Respondendum est secundo quæstioni, potest à Deo auferri culpa, & non pœna absolutè, etiamsi homo iterum non incidat in peccatum, nec cum respectu ad subsequens peccatum: Ita Scotus citatus & Doctores superius allegati: ratio est clara, quia hæc numero pœna liberè imponitur à Deo pro culpa; ergo poterat hoc numero peccatum nulla pœna punire, si nimirum non ordinaret peccatum ad pœnam; ergo etiam potest remittere culpam, & non pœnam, simulque statuere, ut post determinatum tempus redeat pœna jam remissa: punire enim est actus liber Dei, qui sicut ponitur absolutè, ita potest poni cum determinatione; hoc est, sicut Deus potest statuere, ut remissa culpa, non remittatur pœna, vel remittatur totaliter pro omni tempore, ita potest statuere, ut pœna remittatur pro certo tempore, & redeat finito illo tempore: hoc enim potest fieri ab homine, cur non à Deo.

Dices: Vel fieret remissio culpæ per gratiæ infusionem, vel per condonationem extrinsecam: si primum, non poterit redire eadem pœna. Primo, quia gratia reddit hominem dignum gloria, & homini justificato debetur gloria æterna; ergo non potest manere dignus pœna æterna: qui enim habet jus ad vitam æternam, non potest simul ad mortem æternam habere jus. Secundo, quia per infusionem gratiæ Deus totaliter, & amicabiliter convertitur ad peccatorem; ergo nullum jus ad puniendum hominem debet sibi reservare; quatenus enim illud jus manet, non manet Deus totaliter amicus peccatoris pœnitentis: si secundum, adhuc non potest redire, quia cum ille reatus sit denominatio extrinseca nixa in peccato, si hoc omnino remittitur, non potest manere ille reatus pœnæ, cum essentialiter à fundamento dependeat.

Respondeo, in præsenti argumento tangi difficultatem celebrem ex materia de pœnitentia: An peccatum deleatur per infusionem gratiæ, & possit sine illa deleri? A qua modo abstraho: etenim, quocumque modo fiat, semper Deus poterit facere, quod redeat pœna, non redeunte culpa: Ad argumenta quibus probatur, si fiat remissio culpæ per infusionem gratiæ, non posse redire pœnam, quæ sunt Cardinalis de Lugo, & Perez: Respondeo ad primum, nego antecedens de possibili: nam licet gratia reddat hominem dignum gloria, & conferat ad vitam æternam jus de possibili, poterat non conferre tale jus, aut dignitatem, non enim gloria essentialiter connectitur cum gratia, & posset Deus ordinare hominem ad gratiam, non ad gloriam. Ad secundum, nego antecedens: nam amor potest stare cum debito pœnæ ut de facto stat, & potest stare perfecta remissio pœnæ, cum reditu ejusdem, vel sub conditione futuræ, vel per determinatum tempus; namque, dum durat amicabilis conversio, non datur pœna; totaliter enim quoad effectum imputabilitatis, ablata est obligatio, nec per illam, quæ futura est, denominatur homo absolutè obligatus, aut ei potest esse in causa, ne gloriā consequatur, si nimirum, vel non iterum peccet: vel ante tempus, pro quo remissa fuit pœna, moriatur.

Ad argumentum quod est Vasquis, si fiat remissio per extrinsecam condonationem, respondeo, reatum pœnæ æternæ separabilem esse à reatu culpæ: licet enim possit dari reatus pœnæ æternæ, si non

præcedat culpa, cum reatus pœnæ essentialem respectum dicat ad culpam: tamen potest dari reatus pœnæ æternæ post culpam contractam, si nimirum culpa remittatur, non pœna; quod de facto videre est in remissione totali culpæ, cum tamen maneat reatus pœnæ temporalis; qui licet dari non possit, nisi præcedente culpa, remissa tamen culpa, potest manere: eo modo quo homo offensus, potest remittere culpam, non pœnam, nisi pro tempore determinato: quare culpa est fundamentum pœnæ; quia nisi præsupponatur culpa, non potest esse pœna, non tamen est fundamentum, quod postulet actualem existentiam, cum sufficiat extitisse, ut perduret.

1091. Dico ultimo, si Deus absolutè remittat culpam, & pœnam, non potest pœna iterum redire. Ita omnes doctores citati, expresse Lugo, Perez, & Hyquæus: & probatur, quia, vel esset pœna peccati præcedentis, vel subsequentis: non secundum; quæstio enim est, an si novum subsequatur peccatum, non solum sit puniendum, sed etiam primum? non primum, quia hoc est remissum quoad culpam & pœnam; ergo non datur aliquid cujus sit pœna. Confirmatur: si creditor humanus absolutè, & nulla apposita conditione remittat debitum, non potest illud repetere; ergo à fortiori Deus, dona enim Dei sunt sine pœnitentia.

Dices, Deus potest punire illum hominem pœna æterna, etiamsi remissa fuerit culpa. Respondeo, nego antecedens ex late adductis à num. 1067, non enim Deus justè innocentem damnaret. Secundo, cum Hyquæo citato dist. 22. quæst. n. 18. & Perez n. 8. transeat antecedens, tunc enim non reddit, ut pœna propriè, & rigorosè, quæ auferatur pro culpa; sed ut tormentum, & cruciatus illatus, ad ostendendum divinæ majestatis supet creaturas dominium.

DECIMA DIFFICULTAS.

Utrum Deus propter peccatum infallibiliter futurum possit anticipata pœna hominem punire?

1092. Suppono primo, certò & infallibiliter à Deo prævideri opera bona & mala antequam sint, & bonis præmia, malis autem supplicia decernere. Secundo, de facto propter usum futurum liberi arbitrii neminem puniri à Deo anticipata pœna, ut contra Semipelagianos disputat Augustinus lib. de prædestinatione sanctorum à cap. 12. asserebant enim, ideo infantes morientes sine baptismo, damnari, quia Deus prævidens eorum futura peccata, eos damnabat: quibus suppositis datur locus quæstioni, utrum possit Deus antequam homo actualiter peccet, illum pœna actualiter punire? Verbi gratia, prævidet Deus infallibiliter à Iuda tradendum esse Christum Dominum, quæritur utrum pœna illa, illico, ut prævisa à Deo fuit, potuerit Deus Iudam castigare? Respondetur negativè, & est communis sententia Doctorum, quam expressit Alarcon 1. p. tract. 4. disp. 3. sect. 3. à n. 9.

1093. Probatur primo, quia ita expresse docent S. Hieronym. Dial. 3. contra Pelagia. Augustinus lib. 11. de Genes. ad litt. cap. 17. Greg. 27. Moral. cap. 2. qui licet possint explicari de facto, non de possibili, tamen eorum verba generalia sunt, cum absolutè tendant ad probandum non damnare Deum peccata antequam sint: ex quo desumunt argumentum, ad probandum de facto propter malum usum futurum neminem detrudi in gehennam, quia Deus neminem antequam peccet, damnat: quæ ratio facilè refutaretur ab hæreticis, si semel Deus id facere posset; dicere enim possent, posse puniri à Deo peccata antequam fierent, eo quod infallibiliter futura erant; quia Deus potest punire peccata antequam fiant, & non erat auctoritas, quæ cogeret id negare, ubi semel nullam in Deo considerabant indecentiam: cum ergo asseverent, ideo à Deo non puniri peccata futura, quia Deus non damnat culpam antequam existat, evidenter supponunt non posse culpam futuram anticipata pœna puniri.

Et licet quæstio Augustini cum Semipelagianis foret circa peccata, quæ nunquam futura erant, propter quæ asserebant à Deo damnari infantes, quia scilicet præsciebat, quod si pervenissent ad ætatem iuvenilem, peccaturi essent, & propter illa peccata, quæ facturi erant, si diu vixissent, fuisse damnatos; ut constat ex Augustino lib. de prædestinatione Sanctorum præcipuè à cap. 12. unde cap. 13. *Sed quia hominum futura, quæ non sunt futura, proculdubio nulla sunt merita, & hoc videre facillimum est*, tamen etiam loquuntur de peccatis, non solum conditionatè à Deo prævisis, sed etiam absolutè futuris, ut apparet ex Augustino lib. 11. de Genes. ad litt. cap. 27. *Numquid prius Deus ultor, quam damon peccator? Absit: neque enim Deus damnat innocentes.* Bene prævidetat divina Sapientia infallibiliter peccatum dæmonis futurum, prævisum, quærit Augustinus, an puniat, & non expectet peccati realem existentiam? & respondet, *Absit* quod Deus antequam actu existat peccatum, puniat, expectavit ejus existentiam, ut puniret. Ad mentem Augustini explanandam, adduco illud à Paulo toties repetitum, *Numquid iniquitas est apud Deum? absit*, Est enim apud Paulum verbum *absit* peremptorium, & interemptorium, longe esse à Deo declarans iniquitatem, ita ut tanquam à quodam detestabili peccato cavere debeamus, dicere esse in Deo, vel apud Deum iniquitatem. Cum ergo Augustinus, quærens an Deus dæmonem antequam peccatum committeret, puniret? respondeat, *Absit*; & afferat rationem, quia Deus innocentes non damnat: evidens est, quod existimavit detestandum, & abominandum quid attribui Deo, si de illo dicatur, quod puniat peccatum prævisum infallibiliter, antequam verè, & actualiter existat.

1094. Probatur secundo ratione, Deus non habet per quid moveatur ad puniendum; ergo non potest punire. Antecedens probo, quia culpa adhuc non est, ergo non movet Deum ad ejus punitionem: Deus ex se non movetur ad infligendam pœnam, ut pœnam, quia hæc necessariò supponit culpam, actualis actualem, futura futuram.

1095. Oppositum docuit Adam Goddam in 3. dist. 13. q. 6. dub. 3. ex eo fundamento, quia Deus meritum futurum sæpe remuneratur; ergo etiam culpam futuram puniet. Antecedens patet in Christo Domino, & in Beata Virgine: Consequentia apparet à paritate rationis. Respondet Alarcon citatus disp. 3. cap. 3. n. 13. & cap. 4. n. 61. antecedens esse verum solum de merito infinito, quale fuit meritum Christi Domini, & cum omnis culpa, & meritum sit finitom, nec meritum futurum mereri potest anticipationem præmii, nec culpa pœnam anticipatam.

Verum hæc solutio non videtur vera, quia non negatem merita Beatissimæ Virginis meruisse antequam existerent plura bona: ut conservationem gentis Hebræorum, multorum reparationem hominum, ut facile ex sanctis Patribus probare possem, qui ultra progrediuntur: quidam enim mundum ob Virginem creatum; alii ob ejusdem,

merita primos Parentes fuisse adductos ad pœnitentiam, asseverant: quare merita Virginis illam solutionem excludunt. Deinde si vera foret sententia, quæ asserit, peccatum in ratione offensæ esse infinitum; sequeretur, quod Deus hominum prævisa peccata posset anticipata pœna punire, non verò prævisa merita præmiare.

Quare nego consequentiam: major ratio est: Primò, quia merita habent vim movendi Deum, non tamen culpa ante existentiam: Secundo, quia cum Deus pronus sit ad præmiandum, [illegible] se moveri potest ad præmiandum meritum, antequam meritum existat, cum verò ex se non inclinetur ad puniendum, eo quod punire sit Deo involuntarium juxta dicta disp. 1. à n. 803. ad n. 814. non habet à quo moveatur.

UNDECIMA DIFFICULTAS.

Utrum peccatum veniale in inferno puniatur pœna æterna.

1096. PRæsuppono [illegible] peccatum veniale esse condignum [illegible] pœnæ temporalis, ut de fide sancitum est: ideo quæstio procedit de homine moriente cum peccato mortali, & veniali, utrum scilicet, non solum homo ille puniatur in æternum propter peccatum mortale, sed etiam propter veniale 1. Hujus difficultatis triplum posse esse sensum: primum de peccato veniali, quod nec quoad culpam, nec quoad pœnam est remissum: Secundum, de peccato veniali remisso quoad culpam, non quoad pœnam: Tertium, eamdem quæstionem esse de peccato mortali remisso quoad culpam, non quoad pœnam temporalem, in quam commotata est pœna æterna: Tertio, vel quæstionem procedere de pœna per se debita peccato veniali, ratione nimirum propriæ gravitatis, vel per accidens debita, respectu alicujus. His præsuppositis,

Referuntur varia sententiæ; & notatur Pater Arriaga.

1097. VAriè respondent doctores, & prima sententia est eorum, qui affirmant per se puniendum esse peccatum veniale pœna æterna: ex eo quod omnia peccata sunt de se æterna pœna digna, sive levia sint, sive gravia, & licet de facto mortalibus æterna; venialibus temporalis pœna debeatur, hoc est ex misericordia Dei, qui ita taxavit pœnas, non ex natura peccatorum, quæ postulant pœnam æternam. Auctores hujus sententiæ allegavi supra n. 1065.

1098. Secunda sententia, quam refert, & impugnat Maironius in 4. dist. 21. q. 1. §. *alii dicunt*, est quod peccato veniali debeatur per se pœna æterna, per accidens tamen, quia conjugitur gratiæ, fieri temporalem, & ideo si ille homo moriatur sine gratia, pro peccato veniali puniatur pœna æterna: & licet nullum allegem doctorem, eam tamen Colonia citandus attribuit Alensi.

1099. Tertia sententia docet, peccato veniali, deberi per se pœnam temporalem, sed per accidens pœnam æternam, ratione scilicet peccati mortalis, cui conjungitur; ex quo si quis decedat cum peccato veniali, quod nec quoad culpam, nec quoad pœnam sit remissum, pœna æterna puniendus est pro illo peccato veniali, per accidens tamen ratione peccati mortalis, cum quo simul moritur. Ita communis sententia præeunte D. Thom. de malo q. 7. art. 10. in 4. dist. 21. qu. 1. art. 2. in solutione 3. quæstionis in corpore, & *ad* 2. dist. 22. qu. 1. art. 1. *ad* 5. 1. 2. qu. 87. art. 5. *ad* 2. S. Bonavent. in 2. dist. 42. art. 2. qu. 2. Altisiodorensis in 4. sent. tractatu, sive cap. 6. qu. 2. in fine. Capreol. in 4. dist. 21. qu. 1. art. 1. concl. 2. ubi ejus compilator Soncinas qu. 1. concl. 2. Richard. ibi qu. 3. Holchot. in disquisitione de imputabilitate peccati ad 2. principale litt. P. ad 11. Durand. in 4. dist. 21. qu. 2. cito dist. 19. qu. 3. art. 4. Accedunt omnes commentatores D. Thomæ ex ejus schola ad 1. 2. qu. 87. art. 5. ut Caietan. Medina, Conrad. Curiel luculenter, Azor tom. 1. lib. 4. cap. 1. qu. 5. Montesin. 1. 2. qu. 87. art. 5. disp. 17. qu. 3. à num. 5. Sayro in Clavi regia lib. 2. cap. 3. num. 11. Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 11. sect. 2. num. 2. & 10. disp. 37. sect. 2. num. 10. in t. 2. tract. 5. disp. 7. sect. 4. num. 7. Granad. in 1. 2. controv. 6. de peccatis tract. 9. disp. 4. num. 4. Bonacinas tom. 2. disp. 2. qu. 1. punc. 1. num. 3. Petr. Hurtad. de Incarn. disp. 9. sect. 3. subse. 5. num. 39. Salaz. 1. 2. tract. 13. disputat. 15. sect. 11. num. 70. Tanner. disp. 4. qu. 10. dub. 4. Lugo de Incarn. disp. 5. sect. 7. num. 129. Vasquez disp. 141. cap. 2. in 1. 2. Amicur tom. 3. disput. 23. sect. 6. num. 188. Ex Schola Scoti Herrera de peccatis disp. 41. q. 5. Angel. in floribus, de sacramento pœnit. art. 5. pag. 185.

1100. Quarta sententia docet peccato veniali, nec per se, nec per accidens deberi pœnam æternam, & ideo in inferno nullo modo puniendum esse pœna æterna. Hæc est celebris sententia Scoti in 4. dist. 21. qu. 1. num. 17. *Ex tertio.* disput. 21. qu. 1. num. 6. quam communiter sequuntur discipuli: in 4. dist. 21. Bassolis qu. 2. Rubianis qu. 2. art. 2. concl. 2. Mayronius q. 6. 2. *ideo dicit* Mayor. qu. 1. Fataretus in reportata ad dist. 21. q. 1. Petrus de Aquila, sive Scotellus, q. 2. sive §. ad 1. *quæstionem* Ioan. de Colonia in qq. Magistralibus q. 294. Cauellus ad locum Scoti dist. 21. qu. 1. in scholio num. 6. Ytibarne in 4. dist. 21. qu. 1. disp. 19. sect. 5. Gerson. lib. 1. de vita spirituali alphabeto 6 litt. C. Almain lib. 3. moral. cap. 23. Gabriel in 4. dist. 16. qu. 5. art. 3. dub. 2. Michael de Colonia in 4. disp. 21. qu. 2. art. 3. in fine, sive §. *Ad hoc dico.* Medin. Codice de pœnit. tract. 2. cap. de venialium confessione. Vega in Trident. lib. 14. cap. 16. Navarrus de pœnit. dist. 6. cap. 5. num. 27. Bellarus, sive Aegid. Coninch. de Sacramentis disp. 10. de satisfactione dub. 6. n. 49. Arriaga in 1. 2. tom. 1. disp. 53. sect. 4. subsec. 1. numer. 15. Bellarmin. lib. de pœnit. cap. 1. §. *Rursus.* Amicus tom. 3. disp. 23. sect. 6. n. 192.

Sed inter prædictos auctores non constat de remissione pœnæ, manente culpa: Utrum scilicet manente culpa veniali in inferno necessarium sit ut remittatur culpa, ad hoc ut remittatur pœna? An manente culpa veniali perpetua remittatur pœna? Quidam enim, inter quos est Gerson, existimant remitti etiam culpam: & est quinta sententia. Alii existimant non remitti culpam, sed ea non remissa, remitti pœnam; & hæc est Scoti in 4. dist. 21. q. 1. n. 6. versic. *Dico ego.* & discipulorum ejus, ac omnium, quos pro ea sententia citavimus, excepto Amico, qui omnes loquuntur etiamsi peccatum veniale quoad maculam maneat: quod à fortiori judicant de pœna temporali, quæ comitatur damnandum, postquam remissa fuerunt in via mortalia peccata, eorumque pœnæ mutatæ fuerunt in temporales, & hæc sit sexta sententia, quam probabile esse docet Suar. in 1. 2. tract. 5. disp. 7. sect. 4. n. 3.

1101. Dubium tamen adhuc est, quæ sit sententia Angelici Doctoris; licet enim locis citatis asseveret peccatum veniale in inferno puniendum

esse pœna æterna per accidens ex conjunctione cum peccato mortali, dubitatur an D. Thomas loquatur solum de pœna temporali debita peccato veniali, si perseveret in inferno illud peccatum, & non de pœna temporali, quæ remanet post remissum peccatum mortale, & veniale? Intrepide P. Arriaga citatus §. *Triplex*. numer. 14. docet D. Thomam asserere peccatum veniale, cujus culpa perseverat in inferno, puniendum esse pœna æterna, non tamen pœnam temporalem peccati venialis, vel etiam mortalis remissi quoad culpam in via, & solum manentis in reatu pœnæ: invehiturque sine aliqua formidine Arriaga in doctissimos Suarium, & Vasquium, eo quod allegant D. Thomam quasi docentem, sive remittatur culpa venialis, sive non, semper in inferno puniendam esse ejus pœnam in æternum: nititur primo, quia D. Thomas in 4. dist. 22. q. 1. artic. 1. *ad* 5. expressè docet peccata jam remissa etiam in damnatis non puniri in æternum. Secundo, quia D. Thomas 1. 2. quæst. 87. attribuit æternitatem pœnæ soli irremissibilitati culpæ, supponens si fuerit culpa remissa, puniendam esse ejus pœnam temporalem pœna æterna.

1102. Verùm non erat, cur P. Arriaga adeo acerbè notaret Patres Suarium, & Vasquium, qui in lectione D. Thomæ versatiores, & doctiores ipso Arriaga extiterunt, ideo fallitur Arriaga in sententia D. Thomæ; ea enim est ipsamet, quam D. Thomæ attribuunt non solùm Suarez, & Vasques, sed etiam omnes Doctores, & præ cæteris videre poterat Cajetanum 1. 2. quæst. 87. art. 5. & certè miror Arriagam non legisse loca, in quibus D. Thomas apertè asserit pœnam temporalem remissi peccati puniendam esse pœna æterna, quod illi erat necessarium, priusquam inveheretur in adeo præstantes Doctores.

Igitur D. Thomas expressè docet, etiamsi peccatum veniale vel mortale sit in via remissum puniendam esse ejus pœnam temporalem pœna æterna, ita de malo quæst. 7. artic. 10. *ad* 6. cum enim ei opponeretur, *Contingit quandoque, quod aliquis in peccato mortali moriens, pœnitet de aliquo veniali commisso, mutans in hac vita voluntatem suam, quam habuerat de peccando venialiter: sed in eadem voluntate remanet anima in qua de hoc corpore exit; ergo non erit in eo, qui sic decedit, peccatum veniale post mortem; non ergo pro eo æternaliter punietur.* Ecce objectio, qua volebant aliqui pœnam peccati remissi quoad culpam in via, non puniendam esse pœna æterna: Videamus quid respondeat D. Thomas. *Ad sextum, dicendum quod peccatum, postquam transit actu, potest manere reatu quem non tollit qualibet mutatio voluntatis, sed solum illa, quam charitas operatur.* Et in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 2. ad 3. quæstionem. *In illis autem, qui damnantur, non potest aliqua culpa dimitti, nec aliquis reatus tolli, cum careant charitate, per quam & culpa purgatur, & reatus tollitur: Et ideo culpa venialis in eis semper manebit; vel reatus eius, si etiam ante peccatum mortale, veniale dimissum fuisset, quantum ad culpam manenti reatu, & propter hoc æternaliter damnati de illis venialibus punientur.* Et ad 2. *In justo est gratia, cuius virtute culpa eius purgatur, vel reatus, qua carent damnati, & ideo eorum culpa, vel reatus per pœnam expiari non potest:* Ecce expressa sententia Div. Thomæ.

1103. Nec illa duo, quæ adducit Arriaga, illum aliquo modo juvant; non primum ex 4. dist. 22. q. 1. articul. 1. *ad* 5. Nam ibi Angelicus Doctor loquitur ex aliorum mente. Ait enim, *Et ideo aliqui dicunt quod pœna cuius est aliquis debitor post culpam dimissam in æterno punietur temporaliter.* Deinde quia in illo loco solum reprehendit D. Thomas similitudinem desumptam ex pœna debita peccato veniali non remisso, respectu pœnæ debitæ peccato mortali remisso, & ait D. Thomas. *Sed hoc non videtur simile, quia veniale ideo in inferno æternaliter punitur, quia semper manet, cum non sit ibi aliquid, quod culpam delere possit, sed pœna ex hoc ipso, quod solvitur expiatur.* Et est mens D. Thomæ, licet in inferno pœna temporalis debita veniali non remisso puniatur in æternum, non sequitur puniendam esse pœnam temporalem peccati mortalis jam remissi æternaliter: nam in veniali duplex est causa, perseverantia culpæ, & status non satisfactorius: in residuo pœnæ debitæ peccato mortali remisso, est una tantum causa, status non satisfactorius, ac proinde licet concedatur, non esse necessarium statum, quia soluta pœna expiatur: & ideo possit deleri pœna: non tamen hoc valet pro peccati venialis non remissi pœna, siquidem adhuc remanet culpa, & dum remanet, remanere debet pœna, & ita explicat citatus Cajetanus Angelicum Doctorem.

Non juvat etiam doctrina ex 1. 2. quæst. 87. ubi semper D. Thomas irremissibilitati culpæ attribuit rationem pœnæ, quia non intelligit solam irremissibilitatem culpæ quoad culpam, sed etiam quoad reatum: Verùm enim est irremissibile defectu principii, cum enim ut ex dictis locis Div. Thomæ relatis num. 1002. non possit reatus tolli sine charitatis motu, ex carentia charitatis irremissibilis est pœnæ reatus. Quare Div. Thomas, quem sine aliqua formidine Arriaga adducit pro sententia, quæ docet pœnam peccati remissi solum temporaliter plectendam esse in inferno, est pro opposita.

Septima sententia docet peccati venialis non remissi quoad culpam, pœnam in inferno per accidens futuram æternam: peccati verò venialis, vel mortalis remissi pœnam futuram esse temporalem, hæc est sententia Durandi citati, quam à fortiori tuentur, & expressè docent Doctores pro quarta sententia citati, & in hoc sensu solùm defenditur ab Amico, in eodemque sensu probabilem esse docent Salas tract. 3. disputat. 13. sect. 11. conclus. 4. Tannerus 1. 2. disputat. 4. quæst. 10. dub. 4. His sententiis fideliter relatis præter recentiorum morem, superest præstare de omnibus judicium.

Præfertur quarta, sexta & septima sententia affirmantes peccatum veniale, etiam non remissum quoad culpam, non puniendum esse pœna æterna.

1104. De prima & secunda sententia non ago, utraque enim improbabilis est, & communiter reprobatur à recentioribus, solum impugno tertiam sententiam communiorem, & assero peccatum veniale nondum remissum quoad maculam culpæ, sed perseverans in puncto, quo aliquis discessit in peccato mortali, puniendum esse, non tamen pœna æterna, etiam per accidens ratione subjecti, & peccati mortalis, sed pœna temporali, cujus solutio finita, non amplius pro illo peccato puniatur ille damnatus; licet pro mortali puniendus sit æternaliter: ita Doctores quartæ sententiæ, quod à fortiori dicendum est, si remissa fuerit culpa, ut iidem Doctores, & Doctores septimæ asserunt sententiæ.

1105. Primum fundamentum desumo ex Sco-

to in 4. dist. 51. quæst. 1. num. 5. vers. *Ad rationem*, Deus semper punit citra condignum; ergo non punit peccatum veniale pœna æterna. Probo consequentiam, (nam antecedens est Theologorum axioma de quo supra à num. 1037.) quia illud *citra* quo Deus punit peccatum veniale, non potest esse extensio, cum æternitas pœnæ non sit condigna pœna peccati venialis, imo contra rationem illius, & ita contraria, ut de potentia Dei absoluta non possit Deus peccatum veniale punire pœna æterna, ut cum aliquibus ex contrariis dixi supra in octava difficultate: non potest etiam esse intensio, quia supponamus intensionem debitam esse ut duo, & quod Deus puniat ut unum, tum sic: Illa pœna debita ut duo, uno anno, suppono, finienda est, cum sit temporalis; ergo si, ut unum per æternitatem punitur, excedit pœna culpæ debitum; nam in infinitum plures gradus intensionis pœnæ patietur, si in æternum puniatur, quàm si illos duos gradus pœnæ, per unum annum pateretur.

1106. Respondent communiter ex doctrina D. Thomæ, per se puniri peccatum citra condignum, quia non punitur ea pœna, quam meretur, per accidens verò ratione peccati mortalis, cui adjungitur veniale, puniri pœna æterna: & ideo per accidens est, quod ultra id, quod meretur, puniatur, nam per se punitur citra condignum.

Sed contra, quia illa conjunctio peccati venialis cum mortali, non auget malitiam peccati venialis; nec reddit peccatorem dignum pœna æterna: non enim peccatum est gravius, quia est conjunctum cum aliis, sed ex sua specie habet suam gravitatem: Deinde si quis in via peccet, vel venialiter, vel mortaliter, & postea per confessionem remittantur peccata, pœna temporalis deletur per pœnitentiam impositam, etiamsi illa pœnitentia fiat postquam rursus homo recidit in peccatum mortale, ut est communis sententia doctorum: ergo sicut pœna satisfieri potest in peccato, quin conjunctio impediat satisfactionem, ita deleri poterit pœna, etiamsi peccatum sit conjunctum: insuper *id quod est per accidens non potest esse magis, quam id quod est per se*: sed pœna per se debita, est temporalis; ergo pœna per accidens debita, non est æterna.

1107. Respondet Suarez tom. 4. in 3. p. disput. 11. sect. 2. difficult. 2. num. 13. & communiter, verum esse quod illa conjunctio non reddat culpam graviorem, facit tamen ut puniatur æternè culpa venialis, quia est occasio impediens, ne persona expellat culpam venialem; qua non expulsa, deleri non potest pœna, & sicut culpa manet in æternum, ita manebit pœna.

1108. Sed contra arguo primo, quia hic petitur alia quæstio. Utrùm scilicet possit ipsa culpa venialis in inferno remitti? Affirmat Scotus citatus dist. 21. num. 7. vers. *De secunda.* & vers. *Sic patet*, quicquid contra Magistri mentem, doceant Cavellus in scholio num. 6. Yribarne in 4. dist. 21. q. 1. disput. 19. sect. 5. §. *Dico primo*, & non reprobat Ægid. Bellan, numer. 50. & ratio illius; quia si Princeps humanus videat satis pro culpa actum esse ab offensore, potest illi remittere culpam; ergo à fortiori Deus videns satispassum esse à peccatore, id quod pro veniali debebat; quid implicat, ne condonet culpam? demus tamen non remitti culpam in inferno, quod non minus probabile est.

1109. Secundo, impugno prædictam solutionem: Nullum inconveniens est, quod Deus remittat pœnam, & non culpam; ergo licet perseveret culpa, poterit remitti pœna: Antecedens patet primo; quia juxta communem sententiam poterit Deus non ordinate hominem peccantem ad aliquam pœnam, ut contrarii fatentur supra dati in octava difficultate, & docet Suar. tom. 4. in 3. p. disputat. 11. sect. 1. numer. 6. in fine: ergo haberet peccatum, sine pœna: Secundo, Deus potest remittere reatum culpæ, sive culpam, non remisso reatu pœnæ, sive pœna, & de facto hoc docent communiter Theologi duce D. Thoma 1. 2. q. 87. art. 6. in corp. & *ad* 1. patetque in animabus purgatorii, quarum culpa dimissa fuit, non pœna: & licet dignitas, sive reatus pœnæ, sit passio culpæ, deleri poterit non remissa culpa, quia *plus dependet passio ab essentia*, cum sit quid posterius, *quam essentia à passione*; Cum ergo possit in re motali, passio esse sine essentia, id est reatus pœnæ sine culpa, etiam essentia poterit esse sine passione, id est, culpa, sine reatu pœnæ. Tertio, si remitteretur peccatum veniale quoad culpam in via, & sine pœnæ debitæ satisfactione discederet, talis pœna finienda esset; ergo jam pœna temporalis in æternum non duraret, quod est contra contrarios; præcipuè Suar. Antecedens patet, quia ratio, cur non deletur culpa, non est sola conjunctio cum peccato, sed perpetuitas culpæ, quæ dum durat, debet durare pœna, ut ait Suar. citatus supra: atqui in præsenti casu, non datur culpa; ergo pœna non punietur in æternum, quod negat Suar. & cum eo ferè omnes contrarii. Quarto, pœna non respondet durationi culpæ, sed gravitati, ut docent contrarii, & probatur, quia non majorem pœnam meretur, qui post viginti vel decem annos commissi delicti, punitur, quàm qui in eadem hora, qua delictum commisit.

1110. Secundum fundamentum desumitur ex eodem Scoto dist. 15. quæst. 1. num. 17. vers. *Ex tertio*, & dist. 21. q. 1. num. 6. vers. *Dico ergo.* Si homo moriatur cum duobus peccatis mortalibus, quorum unum sit remissum quoad culpam, & non alterum: punietur pro peccato remisso temporaliter, cum remisso peccato pœna æterna fuerit in temporalem commutata; ergo similiter pœna temporalis pro peccato veniali debita, finietur in inferno: Consequentia optime infertur ex antecedente, ut advertit citatus Suar. disput. 37. sect. 5. assert. 2. num. 10. Antecedens probat latè Ægid. Bellanus cit. dub. 5. num. 39. Probatur, quia sequeretur peccatum remissum quoad reatum pœnæ, iterum tunc redire, quod est contra communem Theologorum sententiam, quam defendit Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 15. sect. 1. & 2. & expressit Gelasius Papa relatus cap. ultimo de pœnit. dist. 4. *Divina clementia remissa peccata in ultionem ulterius venire non patitur.* Et videri potest Ægid. Bellanus disp. 2. dub. 18. ergo peccatum remissum non redit quoad pœnam; ergo non punitur æternè pro illa pœna temporali; aliter rediret, & non minus puniretur peccatum remissum, quàm non remissum, siquidem pœna quoad intensionem est eadem, cum per remissionem peccati sola æternitas pœnæ remissa sit, manente pœna, satisfacienda in tempore: quoad extensionem, etiam est eadem, cum utraque sit æterna: & quod sit æterna per accidens, vel per se, parum refert, cum tantum puniatur, & tam æternè unum peccatum, quàm alterum.

1111. Respondet Suar. cit. disput. 11. sect. 2. n. 5. negando puniri peccatum remissum pœna temporali: Ad probationem negat redire peccatum: quia Deus non imponit novam pœnam peccato

remisso, sed homo illam temporalem per accidens facit æternam, dum per peccatum mortale se ponit in statu, in quo satisfacere non potest.

Sed contra primo, quia hoc est ludere verbis: quid enim interest, imponat Deus novam pœnam, an non imponat, ne remissa peccata redire dicantur si taliter rem statuit, quod si moriatur homo cum impœnitentia finali, omnium peccatorum pœnæ redeant, & in illis peccata in æternum puniantur? Secundo, Deus non puniret citra condignum, & cum statuerit punire citra condignum, taliter hoc statuit, ut punitio foret ultra condignum, puniens æternaliter, id quod solum temporaliter erat puniendum. Tertio, quia non solum citra condignum non puniret, sed ultra: & injustitiæ argueretur, dum plusquam ad æqualitatem, pœnam condignam culpę requireret; & non solum æqualem, sed in infinitum majorem non acceptaret: & quod non videtur tutum, sequitur, quod si homo moriatur sine satisfactione pœnę temporalis debitæ, hominem peccatis mortalibus remissis, plus pro illis decuplo puniendum esse, quàm pro uno peccato non remisso, imò si unum peccatum remissum majorem pœnam postularet, pro illo puniendum esse gravius hominem, quàm pro non remisso. Quarto, sequeretur centum peccata venialia gravius punienda esse, quam unum mortale, si nimirum quodlibet veniale puniretur ut unum, & mortale ut decem, quod tamen est contra communem sententiam doctorum asserentium multo majorem esse pœnam debitam peccato mortali, quàm omnibus venialibus simul junctis, de quo argumento Ægidius dub. 6. n. 45.

1112. Tertium fundamentum, quod multum torquet adversæ opinionis Doctores, est, quia potest homo habens solum peccatum originale, peccare venialiter, & quin peccatum mortale committat, illico mori: quæro ad quem locum iturus esset ille homo? Quatuor tantum loca fides post vitam hominibus assignat, Cœlum, Purgatorium, Lymbum, & Infernum; Non ad Cœlum, ad quod nihil coinquinatum tendit; non ad Purgatorium, cum peccatum originale illius igne non purgetur; non ad Lymbum, obstat enim peccatum veniale pœna sensus puniendum, quam in Lymbo non patiuntur discedentes cum originali; non ad Infernum, cum solum pro mortali culpa præparatus sit; ergo non habet, quo tendat, & necessariò fatendum est, purgandam esse maculam peccati venialis pœna temporali.

1113. Thomistæ negant suppositionem, nimirum hominem cum solo peccato originali posse peccare venialiter tantùm. Sed hæc solutio non est certa, imo communiter recentiores sentiunt contrarium, & nos sentimus supra sect. 12. subsect. 6. difficult. 8. Viderique possunt Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 11. difficult. 2. à numer. 14. Vasq. 1. 2. disput. 149. cap. 2. quare admisso casu, variè varii respondent, quorum frivolæ responsiones etiam contrariis displicent, ut videre est in Suar. cit. Montesin. 1. 2. disp. 17. quæst. 29. à num. 54. præ cæteris illa solutio videtur magis accedere ad veritatem, quæ recurrit ad divinam providentiam taliter statuentem, ut numquam eveniat casus, in quo homo discedat cum peccato originali, & veniali tantùm: nam in articulo mortis tenebitur homo ad Deum converti, & elicere actum amoris Dei, quod si non faciat, & se exponat periculo, peccabit mortaliter.

Si instes, Demus quod ille homo antequam advertat se teneri ad eliciendum actum amoris, morte repentina sit mortuus: respondent non permissurum esse Deum illam mortem: ita Suar. num. 59. Vasq. num. 10. Montesinos num. 57. sed hoc est recurrere ad miracula, quando habemus ordinarium remedium: hinc enim fingi similiter possent alia miracula, nimirum hominem, qui semper vixit secundùm præcepta, certò ire ad cœlum, etiamsi subitò moriatur, quia Deus non aliud permissurus esset, & similia: quapropter tantum abest, ut mihi placeat prædicta solutio, ut ea firmius me assertæ opinioni tenaciter faciat adhærere.

1114. Ultimo tandem sic arguo: Non apparet principium, cur illud peccatum quoad pœnam non remittatur: vel enim foret conjunctio venialis cum mortali; vel perseverantia culpæ; vel status non satisfactorius propter defectum gratiæ; vel defectus acceptationis divinæ, quæ non fit nisi cum subjecto grato: atqui nullum ex his principiis obstat: non primum & secundum, ut dixi in primo fundamento: conjunctio enim peccati venialis cum mortali, non aggravat malitiam peccati venialis: & ille reatus pœnæ potest separari à culpa.

Non tertium & quartũ, defectus nimirum gratiæ, & status non satisfactorius: Nam licet ad satisfactionem meritoriam requiratur gratia, non tamen ad solvendum debitum: pro quo noto, diversum esse satisfacere debitori, & solvere debitum: nam ad satisfaciendum, est necessaria redditio voluntaria, & quod sit in gratia, ut communiter docent Theologi; ad solvendum debitum satis est satispassio involuntaria, æqualis ad æquale: ita Scotus in 4. dist. 15. quæst. 1. num. 5. vers. *De primo*: ut animæ Purgatorii non satisfaciunt, sed satispatiuntur, non satisfaciunt, quia non merentur, nec voluntariè patiuntur: Sed satispatiuntur, quia reddunt id, quod debent, & reddendo æqualiter, quod debent satispatiendo solvunt debitum, quin illis prosit aliquis motus charitatis elicitus in Purgatorio. Optime D. Thom. de malo q. 7. art. 11. ad 9. *Remissio peccati venialis in Purgatorio quantum ad pœnam, est ex parte Purgatorii, quia homo patiendo exsolvit quod debet, & ita cessat reatus.* Et in 4. dist. 21. q. 1. art. 3. in solutione secundæ quæstionis. *Quicumque debitor alicuius, per hoc à debito absolvitur, quod debitum solvit: & quia reatus nihil aliud est, quam debitum pœnæ, per hoc quod aliquis pœnam sustinet quam debebat, à reatu absolvitur:* Exemplum etenim S. Doctoris convincit, satis ad solvendum debitum satispati, sive reddere pœnam debitam, *Eo enim ipso, quod aliquis pœnam sustinet quam debebat, à reatu absolvitur.*

1115. Dices primo, Etiam ut solvatur debitum, & remittatur, requiritur status gratiæ, & non satis est satispassio. Sed contra, convincit oppositum exemplum D. Thomæ, cum enim satispassio tantum attendat æqualitatem pœnæ ad culpam, non dignitatem operantis, quam etiam attendit satisfactio, ubi primum redditur æquale, solvitur debitum, sive homo sit in gratia, sive non: Nam si debitor exsoluit quantum debet, non manet jus in creditore ad requirendum plus: licet sit inimicus debitoris, aliter licitum foret judici humano torquere reum, quamdiu in ejus odio foret, quod tamen nemo sanæ mentis dicet.

1116. Dices secundo, requiri pœnam esse voluntariè acceptatam. Sed contra primo, quia de ratione pœnæ, qua pœna, non est quod sit voluntaria, aliter pœnæ in inferno non forent veræ pœnæ. Secundo, quia necessarium esset ad

hoc, ut justè puniretur reus, illum tormentis compellere ad voluntariè acceptandum pœnam, & posset affligi donec fateretur à se voluntariè acceptari pœnam. Tertio, quia illa voluntaria acceptatio pœnæ, habet locum, quando pœna est medicinalis, execrans scilicet vitia, & acquirens virtutes; non verò quando est purè punitiva, & vindicativa: inde pœnæ damnatorum involuntariæ sunt, quia procedunt à justitia purè vindicativa: mors pœna est involuntaria punitiva, propter peccatum originale, & mors repentina non attendit curationem vitiorum, nec virtutum acquisitionem, ut etiam in Purgatorio, in quo nec vitia timentur, nec virtutes acquiruntur, pœna non postulat acceptationem voluntariam, quæ est doctrina Suar. tom. 4. in 3. p. disput. 48. sect. 2. num. 15. solum ergo in illa pœna purè vindicativa attenditur æqualitas pœnæ, non voluntaria acceptatio: hæc enim ad satisfactionem necessaria est, non ad satispassionem: quare sententia Scoti, & quarta verissima est.

Solvuntur argumenta contrariorum.

1117. OBjicies primo: Culpa venialis est irremissibilis; ergo & pœna. Patet consequentia, quia non est æquum manere culpam, & non pœnam. Antecedens probatur, quia vel remitteretur ex liberalitate, vel ex justitia: non ex liberalitate, quia liberalitas solum exercetur circa subjectum gratum: non ex justitia, quia vel fieret propter meritum, vel propter satisfactionem æqualem: non propter meritum, tum quia gratiam supponit, tum quia est extra statum merendi homo in inferno constitutus: non propter æqualem satisfactionem, quia satisfactio non fit nisi sit subjectum gratum, ut ostenditur in materia de pœnitentia, & latè docet Suar. citatus in loco 12. n. 4. & tom. 4. in 3. p. disp. 37. sect. 3. assertione 3. n. 11.

Hoc argumentum est D. Thomæ 1. 2. q. 87. art. 5. *ad* 2. ergo utitur Suar. citato loco in 12. Respondetur primo, negari posse antecedens: ut negat Scotus datus n. 1103. nec quod opponitur aliquid valet, & primo poterat remitti ex liberalitate, hæc enim non postulat subjectum gratum; erantne enim subjecta grata homines, cum quibus exercita est eximia illa liberalitas divini amoris, qua Deus tradidit Filium suum? Non hoc, ait, Paulus, sed cum inimici essemus, Deus pro nobis passus est: sunt ne grata subjecta, damnati, quibus Deus ex liberalitate dimittit partem pœnæ, puniens citra condignum? ergo poterat remitti ex liberalitate: sed non fuit nisi ex justitia vindicativa, quæ non postulat nisi æqualitatem pœnæ, sive fiat per satisfactionem, sive per satispassionem: ad quam non requiruntur Christi merita: Nam quando Trident. sess. 14. cap. 8. requirit Christi merita ad remissionem culpæ, est ad illam, quæ fit per satisfactionem, non per satispassionem.

1118. Respondetur secundo, concedo totum: non enim illa pœna remittitur, sicut nec culpa: sed tantum solvitur, quia redditur æquale, licet enim satisfactio requirat id quod in argumento assumitur; non tamen satispassio, nec solutio debiti; satis enim est reddere quod debetur: & illi, qui sic solvit, nulla fit remissio: quid enim remittitur ei, qui debet centum aureos, si centum solvat, aut centum annos pœnæ, si centum annis patiatur? profecto nihil, si nihil, non remittitur pœna, sed solvitur.

1119. Instabis: Culpa tamdiu meretur puniri, quamdiu perseverat, sed illa culpa perseverat æternaliter; ergo æternaliter punietur. Probatur major, quia domini justè servos puniunt, donec emendentur. Respondetur, distinguo majorem, culpa actualis, concedo: habitualis, nego: ad minorem distinguo: culpa habitualis, concedo: actualis, nego: & nego consequentiam, culpa enim actualis meretur puniri, dum est, non vero habitualis, aliter qui in peccato habituali diutius vixisset, plus puniretur, sive majus mereretur supplicium: Ad probationem distinguo antecedens, si servi possint & teneantur emendari, concedo: aliter, nego: aliter si servus furtum faceret, per quod puniri deberet, & impotens redderetur ad restituendum, quia consumpsit rem, quam furatus est, toto decursu vitæ puniretur: non enim in omni pœna attenditur emendatio vitiorum, & virtutum acquisitio, cum detur pœna purè vindicativa, ut in damnatis, ideo eorum actualia peccata commissa post damnationem, non puniuntur, sed de hoc supra n. 1115.

1120. Objicies secundo: Peccatum est injuria voluntaria; ergo non nisi per pœnam voluntariam remitti potest: ita Suar. citato loco 1. a. & 3. part. Vasq. disp. 141. cap. 5. num. 4. Respondetur primo, concedo totum: non enim remittitur pœna, sed solvitur. Respondetur secundo, nego consequentiam, dummodo Verbum *remittitur*, sit idem atque solvitur, parum enim refert, quod sit pœna voluntaria, quando agitur de justitia vindicativa, cum solum attendatur æqualitas pœnæ cum debito, ut in republica solvitur pœna, etiamsi homo, qui punitur, impatienter pœnam sufferat, quod etiam fatetur Suar. tom. 4. in 3. p. disput. 9. sect. 3. num. 14. asserens de ratione pœnæ non esse, quod sit voluntaria.

1121. Instat Vasques magnum discrimen intercedere inter divinum, & humanum judicem: nam judex humanus solum attendit pœnam, sive satisfaciat, sive non, Deus verò semper requirit satisfactionem: Et ratio diversitatis est, quia ex opposito, sequeretur, & viatores in via, & damnatos in inferno per labores, & pœnas, quas impatienter ferunt, liberari à pœna suis debita peccatis. Respondetur, distinguo antecedens: semper, nego: aliquando, concedo: Licet enim Deus semper requirat voluntariam satisfactionem in peccatoribus, dum sunt in via, & eorum emendationem, quod non attendit judex humanus; tamen si Deus pure utatur justitia vindicativa, non attendit hunc finem, ut patet in illis qui cum peccato originali moriuntur, vel in eis, qui morte repentina moriuntur, in quorum punitione non attendit emendationem vitiorum, nec acquisitionem virtutum, de quo supra n. 1114.

Ad rationem diversitatis, respondeo, negando antecedens: nam damnati in inferno merentur pœnam æternam: viatores verò impatienter patientes pœnas, plus peccant, & cum Deus in via attendat emendationem vitiorum, non possunt illæ satispassiones esse sufficientes, nisi patienter tolerentur: imo patienter tolerati labores non satis sunt, nisi detur dignitas patientis: nam labores in vita tolerati, etiamsi quasi infiniti fuerint, non excedunt pœnam unius horæ quæ in inferno patitur, ideo deficit æqualitas pœnæ cum debito, quæ omnino necessaria est ad satispassionem: præcipuè, quia illi labores, si non sunt ob conditionem naturæ, sunt ob pœnam peccati originalis: quare hoc argumentum nullum est: non enim quæritur de patientia pœnarum, sed utrum

utrum in statu damnationis pœna temporalis debita veniali solvatur, ut notavit Bellan. dub. 5. n. 57.

1122. Objicies tertio, sequeretur etiam malitiam peccati mortalis secundùm conversionem, puniri pœna temporali, & finiri ejus pœnam in inferno: sed hoc est hæreticum: ergo, &c. Sequela probatur, quia illa malitia conversionis ex suo genere, & specie, est ejusdem rationis cum malitia peccati venialis. Ita arguit Suar. citato loco t. 2. num. 5. quod desumpsit ex D. Thom. 1. 2. qu. 87. art. 4. in corpore. Respondetur negando sequelam, non enim conversio peccati mortalis est diversa ab aversione, essentialiter enim peccatum est, conversio aversiva, de quo supra n. 642. ut etiam Amicus citatus affirmat.

1123. Objicies quarto, qui peccat venialiter, vult manere in illo peccato perpetuò, saltem virtualiter; ergo in æternum, dum perseverat, punietur, ideo enim qui mortaliter peccat, eternaliter punitur. Respondetur primò, negando antecedens, ut etiam plures ex Auctoribus contrariis affirmant, præcipuè Salas num. 77. non enim qui peccatum veniale committit convertitur ad creaturam, ut ad finem ultimum, nec avertitur à Deo, ut à fine ultimo. Secundo, dato antecedente, nego consequentiam. Ad probationem nego antecedens, non enim illa est ratio, sed quia gravitati culpæ debetur pœna æterna.

1124. Quinto, sequeretur hominem existentem in peccato mortali, satisfacere posse pro pœnis sibi à confessore impositis, sed hoc est falsum; ergo, &c. Respondetur primò, negando sequelam, quia cum illa pœna non sit æqualis debito, non acceptatur, eo quod subjectum non sit gratum; & insuper Deus in illa impositione pœnæ, attendit emendationem vitiorum; quam in inferno non expectat. Secundo, negando minorem, quam negat Scotus in 4. dist. 15. q. 1. n. 17. & plures Doctores relati à Cavello in Scholio, quos sequitur Vasq. tom. 4. in 3. p. q. 94. art. 2. dub. 5. n. 8. & ex parte Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 38. sect. 8. quatenus docet ex vi sacramenti auferri pœnam impositam: licet non habeat ablatio effectum, nisi postquam peccator fuerit in statu gratiæ.

1125. Sexto, damnati habent complacentiam de peccato veniali commisso; ergo non possunt solvere pœnam ei debitam; Probatur consequentia, quia pœna ordinatur ad hoc, ut corrigatur, & emendetur peccator. Respondetur, nego consequentiam, quia illa complacentia non addit gravitatem peccati, sed est novum peccatum, quod Deus non punit, aliter puniret damnatos pro peccatis in inferno commissis, quod est falsissimum; nec complacentia potest esse causa cur puniatur peccatum, de quo sibi complacent damnati, alias etiam punirentur in inferno peccata in via remissa quoad culpam, & quoad pœnam, cum eorum habeant damnati complacentiam. Ad probationem respondeo, in via regulariter sic esse, non tamen in inferno, de quo supra n. 1124. imo mors repentina non est ut corrigatur peccator, sed ut puniatur.

DUODECIMA DIFFICULTAS.

Utrum pœna damnatorum sit æqualis?

1126. DUplex est pœna, una damni, altera sensus: pœna sensus sunt tormenta, quibus animæ, & corpora damnatorum cruciantur, simulque conscientiæ vermis: pœna damni est carentia visionis beatæ: de pœna sensus nulla est quæstio, constat enim esse inæqualem, juxta illud Apoc. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, & luctum.* Et Deuteron. 25. *Pro mensura delicti, erit & plagarum modus.* Circa pœnam damni est difficultas, quia cum sit privatio, in omnibus erit æqualis: nam privatio totalis, qualis est hæc, omnem removet formam, ut apparet in morte, quæ æquè privat vita: & in absentia solis, quæ æqualiter privat luce.

Pro solutione notandum est primo, duobus modis accipi posse privationem gloriæ; vel absolutè ut privat gloria, & ut tantum est privatio: vel ut privat gloria cum relatione ad actus meritorios, aut ad peccata: etenim illa pœna est carentia gloriæ, ut acquisibilis, non enim est tantum carentia gloriæ absolutè, sed simul, est carentia gloriæ, ut acquisibilis per nostros actus. Secundo, etiam posse accipi privationem totaliter, & non totaliter, privatio totalis, dicitur puta, & nihil relinquit de forma opposita, & potius consistit in corruptione, quàm in corrumpi, ut privatio vitæ, sive mors: privatio non totalis, est quæ relinquit aliquid de forma, & habitu opposito, & potius consistit in corrumpi, ut ægritudo, sive privatio sanitatis: ut benè more solito D. Thom. 1. 2. q. 73. art. 2. in corp.

1127. Dico primo, pœna damni, ut est carentia gloriæ, absolutè æqualis est in omnibus damnatis; in hac conveniunt omnes Doctores, ratio est illa, quam posui pro ratione dubitandi, quia privatio gloriæ tota gloria privat, cum nullus gradus gloriæ in damnatis maneat, quo pacto privatio gratiæ, tota gratia; privatio vitæ tota vita privat; & sic de aliis.

1128. Dico secundo, pœna damni, ut est privatio gloriæ acquisibilis per nostros actus, est inæqualis: ita Scotus in 4. dist. 50. q. 6. à num. 12. sequuntur Bassolis ibi qu. 2. art. 2. Angles de Sacramento pœnit. art. ultim. diffic. 1. Suar. disp. 4. sect. 1. §. 4. Lorca disp. 54. & alii, quos relatos sequitur Montesin. t. 2. q. 73. art. 2. disp. 5. n. 5. & est conformis doctoribus, qui supra à n. 721. docuerunt peccatum habituale consistere in privatione gratiæ, & esse in peccatoribus inæqualem, non absolutè, sed per ordinem ad causam à qua resultat.

Probatur primo, quia pœna damni, est principalis, & major quàm sit pœna sensus; tantaque ut ea solum puniri possent peccatores sine detrimento justitiæ; ergo si peccata fuerint graviora, & inæqualia in uno peccatore, debent gravius puniri. Secundo, estque confirmatio prædictæ rationis, si unus homo decedat à vita cum originali, & uno mortali: alter verò solum cum unico peccato mortali; ille acerbius, & gravius puniendus est, quam iste: atqui pœna sensus est eadem, cum in utroque unum sit peccatum mortale, cui debetur illa pœna; ergo diversitas, & inæqualitas pœnæ, pensanda est juxta inæqualitatem pœnæ damni. Tertio, præmia essentialia saltem in individuo inæqualia sunt; ergo & pœnæ.

1129. In quo tamen sit constituta ista inæqualitas, non est facile discernere: plures modos explicandi prædictam inæqualitatem impugnat Vasq. 1. p. disp. 142. cap. 2. 1. 2. disp. 100. à cap. 1. usque ad 4. & Montes. citatus n. 51. quibus omissis, duobus modis potest explicari. Primo, peccatum vel consistit in privatione rectitudinis debitæ actui, vel in tendentia ad objectum dissonum legi: tam privatio, quàm tendentia est inæqualis: nam si est privatio, privat rectitudine, quæ vel est major, vel minor, nobilior, vel ignobilior; eo modo privatio, quo nobiliori, vel ignobiliori rectitudine privat, est major, vel minor, & per consequens juxta inæqualitatem rectitudinis, inæqualis est privatio: si est tendentia, potest esse minus, vel magis

recta, nobilior, vel ignobilior, facundùm respectú, quem dicit ad nobilius, vel ignobilius objectum; ad objectú pejus, vel minus malum: ex quo magis demerituria est, vel privatio, vel tendentia; privatio, quatenus privat nobiliori rectitudine; tendentia, quatenus tendit ad objectum pejus, sive difformius rectæ rationi, & legi: ex quo sequitur demereri majorem pœnam, & carentiam gloriæ: nam meretur carentiam gloriæ non absolutè, sed quæ mereretur per actum oppositum, cum autem si major, & melior rectitudo daretur in voluntate, plures gradus gloriæ mereretur, quàm illa, quæ foret minor, etiam privatio gloriæ inducta per privationem talis rectitudinis merebitur carentiam non solum gloriæ, sed tantæ, vel tantæ gloriæ secundùm inæqualitatem rectitudinis, qua privat, vel secundùm inæqualitatam tendentiæ ad objectum disSonum legi ac rationi.

1130. Hanc explicatiooem sibi aliquando placuisse asserit Granado cont. 6. de peccatis tract. 9. disp. 2. num. 7, sed postea displicuisse: primo, quia actus rectus non est meritorius finis supernaturalis, nisi eliciatur à subjecto grato; ergo nec etiam erit meritorius determinati gradus gratiæ. Respondetur negando consequentiam, quia loquimur de actu recto elicito à subjecto grato, quo sensu procedit Scotus. Secundo, quia supponamus, id quod non semel accidit, duos actus meritorios procedere à duobus principiis, unum ab uno cum minori gratia, alterum ab altero cum majori gratia: quo supposito; iterum suppono, actum nobiliorem procedere à minori gratia: & tune arguo, actus ignobilior elicitus à subjecto magis grato, est magis meritorius, quàm nobilior elicitus à subjecto minus grato; ergo actui ignobiliori respondebit major gloria, & opposito, carentia minoris gloriæ; ergo inæqualitas carentiæ gloriæ, sive pœnæ damni non est attendenda penès actum bonum, sed penès subjectum. Respondetur, nego ultimam consequentiam, quia est extra terminos quæstionis, quæ procedit cæteris paribus, dummodu scilicet subjectum sit æquè gratum.

1131. Tertio, Vasques disput. 100. citata cap. 2. impugnat eamdem explicationem, quia peccatum non consistit in privatiooe. Respondetur, transeat, & nego consequentiam, in omni siquidem opinione procedit axplicatio. Quarto, licet peccatum consisteret in privatione, non habet explicatio locum in peccato omissionis. Probatur, quia omissio est privatio actus, non rectitudinis. Respondetur negando antecedens: Ad probationem, nego consequentiam, quia omissio est privatio actus, non absolutè, sed meritoriè, & quo magis meritorius fuerit, majorem inferet privationem gratiæ, & gloriæ.

1132. Quinto, peccata ex parta privationis non possunt esse inæqualia. Probatur antecedens, quia multa peccata specie diversa opponuntur eidem virtuti. Respondetor, hoc argumentum procedere contra æqualitatem peccatorum, secundùm Doctores constituêtes essentiam peccati in privatione; adhuc tamen, nego antecedens: Ad probationem, distinguo antecedens, opponuntur eidem virtuti, formaliter, nego: materialiter, concedo: in eadem virtute datur latitudo, ita ut, quatenus opponitur uni peccato, secundùm eamdem rationem non opponatur alteri; prodigalitas enim & avaritia opponuntur liberalitati, sed unaquæque secundùm diversam rationem: nam prodigalitas opponitur secundùm excessum; avaritia, secundùm defectum. Vide Montesin. disp. 3. q. 3. & 4.

1133. Sexto, Lorca disp. 54. in 1.2. reprobat eamdem explicationem, quia data inæqualitate peccatorum ex parte privationis, peccata opposita virtutibus moralibus, non sunt privationes meriti: Probatur antecedens, quia meritú ultra rectitudinem actus, requirit gratiam. Respondetur, nego antecedens: Ad probationem, nego consequentiam, quia rectitudo est necessaria omnino ad rationem meriti, ideo qui privat actum rectitudine, indirectè privat merito, dum paccando se in illo statu constituit, in quo mereri non potest.

1134. Secundo, explicatur per respectum ad graviora peccata, est communis, tradita à D. Thom. 1.2. q. 85. artic. 1. *ad* 3. & primú à se invantam esse hanc explicationem ait Montesin. disp. 5. q. 5. n. 62. qua posita, ille qui majora, & graviora peccata commisit, magis impeditus est ad habendã gloriam, quam ille, qui unum peccatum, & levius perpetrauit: & inde est, quod privatio gloriæ, sit major in eo, qui gravius, sive majus impedimentum posuit. Explicatur exemplo D. Thom. citati, loquens enim de macula peccati, ait: *Simile est de umbra, quæ est privatio luminis ex objectu alicujus corporis, & secundùm diversitatem corporum diversificantur umbræ*: Ponamus duas partes aëris magnis tenebris obscuras, unam ob plura corpora opaca interposita, alteram, ob unum corpus minus opacum, quis dubitat, privationes lucis esse inæquales ob impedimentum oppositum?

Respondet Vasq. disp. 12. q. 139. cap. 4. n. 15. tales privationes esse diversas, sed ab alio principio, & non à corpore interposito petendam esse earum diversitatem; à diversis nimirum formis, quæ illis partibus responderent. Sed contra, quia eadem omnino lux erat forma illarum partium; quare si privatio est ejusdem formæ, erit ejusdem speciei; sed diversa propter majus, vel minus impedimentum, quia causa unius est diversa; quod in moralibus majorem locum habet, ut dixi sect. 11. subsect. 6. §. 3. qui omnino videndus est.

ULTIMA DIFFICULTAS.

Utrùm Deus de facto dispensaverit in lege de æternitate pœnarum?

VNum inquiritur, & aliud supponitur, supponitur Deum posse dispensare in lege pœnali circa æternitatem: non anim adeo indispensabilis est illa lex, quod non relinquat locum privilegio, *Cohibetur limite nullo conditor, & liber omnia vult, & agit*, ut optime noster doctissimos Gaguinus tractatu de Conceptione; satis siquidem est pro ratione Dei voluntas. *Ita omnipotens voluit, ita omnipotens disposuit, qui in cœlo, & in terra omnia fecit quæ voluit; voluntas Dei naturæ ordine non regitur, sed pro arbitrio voluntatis Dei, ordo naturæ dirigitur, nec dicendum est extra naturæ cursum fieri, quod dominus naturæ ita decrevit fieri*; ut benè Franco Abbas, habetur in editione nova Bibliothecæ Patrum tom. 6. pag. 457. quod majori jure videtur dicendum in dispensatione æternitatis pœnarum, quæ licet sit condigna pœna, tamen justitia Dei latitudinem habet, & secundùm ordinem suæ sapientiæ potuisset non punire omnia peccata in æternũ; & si potuit, à fortiori potest dispensare in ea pœna. Equidem dicitur secundùm Aristotelem 5 Ethicor. *quod leges non dantur sic universaliter quin casibus in particularibus cadat exceptio. Summus enim imperator propter minorem causam, quam propter honorare matrem* (erat quæstio an dispensare potuisset in lege de incursu universali peccati originalis) *mutavit leges naturæ & etiam Scripturæ: naturæ, cum propter*

Josue solem fecit stare ; propter Ezechiam retrocedere ; & tres pueros in igne , contra naturam ignis servavit : similiter contra legem Scripturæ , cum in utero materno Ieremiam & Ioannem Baptistam sanctificaret , & Enoch , & Heliæ temporalem paradisi reddidit hæreditatem. Verba sunt Raulini serm. 2. de Conceptione : ac proinde etiam in hac lege de æternitate pœnarum dispensare potest , quod suentur Suar. tom. 2. in 3. p. disput. 33. sect. 3. §. *Nihilominus.* Perez in Laurea Salmantina certatione 9. cap. 13. n. 119.

1136. Hoc supposito , datur locus quæstioni , an de facto dispensaverit ? Notandum est primo , duplici motivo posse supremum Legislatorem procedere ad concedendum alicui hoc privilegium : primò propter suam summam bonitatē, ac clementiam : secundo ob preces alicujus. Secundo , duplici modo posse fieri , primo per anticipationem , si nimirum antequam aliquis moriatur , auxilia ei præstentur , ne in finali impœnitentia decedat , vel si aliquis moriatur , & antequam in locum damnatis præparatum detrudatur , decernat Deus , ne ille ad infernum tendat , sed resurgat , & pœnitentiam agat de suis culpis. Secundo , si ubi primum homo in peccato mortuus fuerit detrudatur ad infernum , & postquam in inferno fuerit ac actualiter cruciétur , ab illo loco in quo impatienter illas pœnas patitur, extrahatur. Quibus notatis.

1137. Respondetur propter suam clementiam , etiamque ob alicujus Sancti preces dispensatum esse à Deo in æternitate pœnarum , sive loquamur de aliquo adhuc non detruso in locum damnatorum ; sive de aliquo qui jam in illo loco inclusus suorum scelerum pœnas luit ? Quod attinet ad primum , res est certa, certitudinemque demonstrant tot historiæ , ex quibus constat multos in sceleribus , imo & in infidelitate mortuos , iterum , vel Deo volente ex sua clementia , vel ab aliquibus sanctis rogato , ad vitam redeontes , pœnitentiam egisse , qua peracta , ad divinæ gloriæ conspectum , sunt assumpti , hos autem jam damnatos esse , licet non fuerint in infernum detrusi, ad minus affirmandum est : nec de hoc Theologi dubitant.

1138. De secundo modo est majus dubium & quidem communis , & probabilior sententia negat aliquem jam in inferno existentem , & pœnis æternis addictum, fuisse ab illo loco extractum , & ab illis pœnis absolutum : & aliqui Doctores oppositum saltem temeritatis nota inurunt : verum non censeo esse dignum censura asserere eum aliquibus jam æterno carceri mancipatis , fuisse dispensatum. Primo , quia id affirmant graves Doctores , Anastasius Antiochenus in suo Itinerario. Nazianzen. orat. 42. in Pascha , Salmeron tom. 4. in epistolas Canonicas disp. 26. Augustinus epist. 99 sequutus est Mendoça, in Viridario lib. 2. problem. 5. num. 37. Benzon. in Psalm. 86. cap. 32. Secundo , quia Platonem à Christo descendente ad inferos liberatum esse , traditur in quibusdam Patrum historiis ; ut refert Nicetas in Commentario ad orat. 42. Nazianzeni , non reprobant Salmeron , & Mendoça citati. Tertio , quia anima Trajani ab inferno extracta fuit , postulante S. Gregorio Magno , de qua historia licet aliqui dubitent , ut videre est in Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 33. sect. 3. tamen veram esse docent cum S. Ioanne Damasceno , plures , quos refert , & sequitur Mendoça citatus numer. 37. eamque à calumniis defendit Perez in Laurea Salmantina , certamine 9. num. 119. Nec hoc est incidere in errorem asserentium omnes damnatos descendente Christo ad infernum fuisse liberatos à pœna æterna , quod enim paucis , vel uni ex privilegio conceditur, non est pro omnibus ampliandum.

DUBIA INCIDENTIA.

De patrocinio Virginis Matris circa pœnas debitas nostris peccatis.

O Domina mea , amor , spes , & refugium meum , Sanctissima Virgo MARIA , nihil mihi dulcius , nil suavius , & utilius est , quàm tuam eximiam supra omnem etiam possibilem creaturam , virtutem prædicare , quoties enim occasio sese obtulerit , non cessabo laudare nomen tuum : & ingratitudinis reus essem , si supplicia, quæ tam vivi , quàm mortui tuis precibus evitant, reticerem : Tu enim , ô dulcis Virgo MARIA , habes claves vitæ , & mortis , ut aperias cœlum & infernum claudas tibi fideliter servientibus : imo ut infernum ipsum aperias ex illo educens animas æternis pœnis addictas , ut ad cœlum revoces: imo quicquid levaminis in pœnis habent Purgatorii animæ , vel minus quam par erat , in inferno , damnati patiuntur , tuæ misericordiæ , & clementiæ deberur : quod an ita sit in rigore Theologico examinandum est.

DUBIUM PRIMUM.

Utrum quicquid patiuntur animæ citra condignum sive in Purgatorio , sive in inferno adscribendum sit purissimæ Virgini Matri ?

1139. Suppono doctrinam traditam supra numer. 1037. quod Deus præmiet ultra condignum , & citra condignum puniat : quo supposito , quæritur utrum meritis , & precibus Sanctissimæ Virginis illa diminutio supplicii adscribenda sit ? Respondeo affirmativè : Hæc resolutio est certissima , tradita à sanctis Patribus. Fundamentum est, quia nullum beneficium collatum est alicui creaturæ , quod Sanctissimæ Virgini non debeatur: atqui diminutio ista supplicii, est magnum beneficium , collatum animabus , sive damnatis , sive existentibus in Purgatorio ; ergo adscribendum est meritis , & precibus Sanctissimæ Virginis MARIÆ.

1140. Major , quæ sola eget probatione , est axioma sanctorum Patrum : S. Bernardus serm. de Nativitate Virginis. *Totius boni plenitudinem posuit in MARIA , ut proinde , si quid spei in nobis est , si quid gratiæ , si quid salutis , ab ea noverimus redundare.* Et infra. *Hæc est voluntas eius , qui totum nos habere voluit per MARIAM.* Et serm. 3. in vigilia Nativit. *Nihil Deus nos habere voluit , quod per manus MARIAE non transiret.* S. Germanus in encomio 1. in adorationem venerandæ Zonæ sanctissimæ Deiparæ. *Nemo est , qui liberetur à malis , nisi per te ô purissima ; nemo est , cui donum concedatur , nisi per te ô castissima ; nemo est, cuius misereatur gratia , nisi per te ô honestissima.* S. & doctus Idiota. *Per ipsam & in ipsa , & cum ipsa , & ab ipsa , habet mundus , & habiturus est , omne bonum.* S. Philotheus Patriarcha in Mæneis Græcorum die 16. Iulij. *Ad Virginis Dei genitricis votum , summa quæque dona fidelibus communicat Deus.* S. Theophanes in eisdem Mæneis die 17. Ianuarii. *Ex ipsa donorum nobis cælestium, quæ mentem humanam excedunt , scaturigo promanat.*

1141. Nec est cur in referendis sanctis Patribus immoremur , cum omnes conspirent tan-

tam fuisse gratiæ plenitudinem in Virgine, ut ab ea quicquid gratiæ & boni est in creaturis, promanet: Patres dedi lentiori calamo in examine veritatis pro immaculata Virginis Conceptione lib. 2. cap. 1. sect. 3. toto §. 7. qui necessario videri debent; & solum pro coronide addendi sunt Albertus Magn. in Missus est. q. 147. ubi: *Beata virgo propriè dicitur porta cœli, quia per ipsam exivit quicquid gratiæ unquam creatum, vel increatum in hunc mundum venit, vel venturum est. omnium enim bonorum Mater est, & Mater gratiæ, & Mater misericordiæ: & etiam ipsa gratia increata, tamquam aqua dulcis exivit ab ipsa, & venit in mundum. Item per ipsam intravit, quicquid unquam boni de cœlis in terram descendit, & è converso.*

Expressè, ac circa pœnas animarum Purgatorii habetur in revelationibus S. Birgittæ lib. 6. cap. 10. *Ego sum Regina cœli . . . . . Nulla etiam pœna est in purgatorio igne, quæ propter me non remissior erit, & lenior ad ferendum, quam aliter esset.* Circa animas vel Purgatorii, vel Inferni idem docuit Carthusian. lib. 3. de Laudib. Virg. cap. 1. *Nec aliquis est ita damnatus in inferno, nec tam graviter puniuntur in Purgatorio, quin propter me, minor sit pœna illius*, qui hoc tradit ex eisdem revelationibus S. Birgittæ.

DUBIUM SECUNDUM.

Utrum propter merita Virginis Matris, sæpe dispensetur in pœnis Purgatorii?

1142. NOn est dubium, magnum levamen conferre animabus Purgatorii patrocinium sanctissimæ Virginis. Ita habetur lib. 1. Revelationum S. Birgittæ cap. 16. *Tu es Mater mea, tu Mater misericordiæ, tu consolatio eorum, qui sunt in Purgatorio.* Dionys. Carthus. lib. 3. de Laudib. Virg. cap. 30. *Et quoniam vident humanitatem filii mei in Deitate glorificatam, animæ quæ in Purgatorio sunt, gaudent nomine meo audito, quemadmodum æger jacens in lecto, cum audit verbum solatii.*

Quæritur, an propter virginis merita dispensatum sæpe sit in earum pœnis? Respondetur affirmativè: ita enim expressit S. Bernardin. Senens. tom. 4. serm. 3. de glorioso nomine MARIÆ art. 2. cap. 3. *In regno Purgatorii dominium habet . . . . . & ab iis tormentis liberat Beata Virgo maximè devotos suos, & hoc est, quod ait, & in fluctibus maris ambulavi. scilicet visitans, & subveniens necessitatibus, & tormentis devotorum meorum: imo & omnium, qui ibi existunt, quia filii eius sunt, cum sine filii gratia*: quod accepit à S. Anselmo, quem refert Carthus. lib. 3. de Laud. Virg. art. 53. *Fœmina mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, per quam homines salvantur, animæ Purgatorii liberantur.* S. Vincentius Ferrer. serm. 2. de Nativit. Virg. *Fuit, & est, sanctissima Virgo Mater, bona animabus de Purgatorio, quia per eam habent suffragium.* Hæc sancti Patres; & verè, non enim de sanctissimæ Virginis pietate incomprehensibili dubitari potest, quod sæpe sæpius ex Purgatorio liberet plures animas: præcipuè suorum devotorum, quas non diu in illis tormentis existere patietur.

1143. An aliquando omnes omnino animas ex Purgatorio extraxerit, ita ut nulla in eo remanserit? Respondet Gerson ita factum fuisse in die, quo Virgo Mater assumpta est in cœlum. *Pie creditur, Dei privilegio in Virginis assumptione evacuatum esse Purgatorium, dum enim Princeps coronatur, aperiuntur carceres, quanto magis in coronatione Deiparæ?*

1144. Utrùm verò in omnibus diebus Virgini sacræ dicatis plurimas, & in magno numero Virgo Mater eripiat à pœnis Purgatorii? Respondeo affirmativè: Nam in festo Nativitatis Domini & nocte proxima Dominicæ Resurrectionis, Virgo Mater descendit ad Purgatorium, indeque plurimas educit animas, ut ex quadam revelatione testatur Carthusian. sermone 2. de assumptione. *Beatissima Virgo MARIA singulis annis in festo Nativitatis Christi ad Purgatorii loca descendit, & multas inde animas eripit, ... & proxima nocte Dominicæ Resurrectionis solet descendere ad Purgatorium, pro eductione animarum.* In die vero Assumptionis plusquam centum millia animarum educere quotannis S. Virginem ex Purgatorio, testatur S. Petrus Damian. lib. 3. epist. 10. quo loco referens miraculum, & apparitionem cujusdam animæ, quæ propter merita Beatæ Virginis liberata fuit à pœnis Purgatorii in die Assumptionis, addit ab illa anima dictum fuisse: *Verùm hodie Regina mundi pro nobis preces fudit, meque cum multis aliis de locis pœnalibus liberavit, tantaque multitudo per interventionem eius, hodie est de tormentis erepta, ut numerum totius Romanæ plebis excedat.* Numerus Romanæ plebis excedit plusquam centum millia hominum: Quare non est locus cur dubitemus, de aliis diebus festis, in quibus pie credo descendere Virginem ad Purgatorium.

1145. Et ne historias omni fide dignissimas accumulemus, quæ passim reperiuntur in Auctoribus, ex quibus constat speciali protectione sanctissimam Virginem Matrem de liberandis animabus Purgatorii tractare; unum certum est, sæpe sæpius, propter Virginis Matris preces animas à Purgatorii tormentis ereptas fuisse: extra dubium enim est, id quod dicit Bernardus ad MARIAM respicere sicut ad Medium, *& qui in cœlo habitant, & qui habitant in inferno*: id est in Purgatorio, ut explicat Ioannes Herolt, sive discipulus, sermone 161. respiciunt autem illi, qui sunt *in inferno ut eripiantur*: unde pro certo haberi debet, quamcumque devotionem erga Beatissimam Virginem magni ponderis esse, ne pro tanto pœnarum tempore animæ in Purgatorio patiantur: quod satis perspectum est animabus Purgatorii, quæ audito nomine MARIÆ sanctissimæ, illico genua flectunt, & venerantur juxta illud S. Bernardi serm. 2. de Adventu, *In nomine MARIAE sicut in nomine IESV omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum*: Et Arnold. Carnotensis tract. de Laudib. Virg. *Quicumque IESV curvat genua, pronus quoque supplicet MARIAE*: præcipuè, quia ut ex Revelation. S. Birgittæ refert Carthusian. lib. 3. de Laudibus Virgin. cap. 30. diu cruciata sit quædam anima propter leves culpas, de quibus non fecerat in confessionibus conscientiæ remorsum: *quarum una extitit, quod audito hoc nomine IESV, aut nomine MARIAE, non inclinavit reverenter cum capite*: Omnes ergo fideles, & qui nomine Christi insignimur, ut sanctissimo nomini IESV exhibemus reverentiam, etiam sanctissimo nomini MARIÆ reverentiam summa cum submissione exhibeamus: utinam, ne debita reverentia sanctissimo nomini MARIÆ paulatim abeat in oblivionem, decernatur, quod nulla mulierum tanto nomine appelletur; nominis enim hujus communicatio non minimum peperit contemptum.

DUBIUM TERTIUM.

Verùm interveniente sanctissima Virgine Matre dispensatum sit in æternitate pœnarum?

1146. REvocandus est in memoriam ille triplex modus liberandi damnatos, de quibus supra num. 1136. Primo, desperatis occurrens, ne in impœnitentia finali moriantur. Secundo, occurrens mortuis ne in infernum detrudantur. Tertio, occurrens mortuis jam damnatorum carceri addictis: & asserendum piè, omnibus his modis dispensatum esse à Deo in æternitate pœnarum propter merita Virginis Matris; ita ut si intercessio Virginis deesset, viventes in impœnitentia finali decederent: mortui æternarum pœnarum carcerem ingrederentur: ingressi illum carcerem, in æternum in illo puniti forent. Singula percurramus.

1147. Et primo plurimi, ne impœnitentes morti solverent tributum, pœnitentiam egerunt ob Beatæ Virginis patrocinium: Hæc conclusio adeò certa est, ut nisi non temerè inficiari possit. Eam probo primo, quia ut dixi n. 1140. nulla gratia nullumque bonum sanctissima Trinitas decrevit concedere hominibus nisi mediante sanctissima Virgine Matre: atqui revocare desperatos, & in sua vita pessima perseverantes, ac malitiam velut aquam bibentes, quin sentiant aliquem remorsum conscientiæ, lætantesque, cum & quia malè fecerint est maximum divinæ misericordiæ bonum, ac gratia; ergo hoc adscribendum est Virgini Matri.

1148. Secundo, quia id unanimi consensu attestantur sancti Patres. S. Germanus in encomio de Zona Beatæ Virginis. *Nos qui sumus condemnati, & non audemus intueri ad cœli altitudinem, tuis interpellationibus, & intercessionibus, efficis familiares, & das salutem, & ab æterno liberas supplicio.* Petrus Damiani sermon. 1. de Nativitate Virginis. *Data est tibi omnis potestas in cœlo, & in terra, & nihil tibi impossibile, cui non impossibile est desperatos in spem salutis revocare: quomodo enim illa potestas potentiæ tuæ poterit obviare, quæ de carne tua, carnis suscepit originem? accedis enim ad illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed etiam imperans, domina, non ancilla.* S. Bernard. in deprecatione ad Virginem, si illius est: *Tu peccatorem, quantumlibet fœtidum non horres, non despicis, si ad te suspiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit; tu illum à desperationis barathro pia manu retrahis, spei medicamen aspiras foves, non despicis quousque horrendo judici miserum reconcilies: famosum hujus benignitatis testimonium, per te Theophilus restauratus gratiæ.* S. Ioannes Damascenus in Canticis Ecclesiæ Græcorum. *O refugium hominum desperatorum.* S. Bonavent. in stimulo divini amoris p. 3. cap. 19. *Non est in hac vita sic desperatus, sic miser, cui non impetres misericordiam salutarem, si ad tuum reclinabit regimen.* S. Birgitta lib. 3. Revel. cap. 30. *Ad omnes extendit misericordiam suam, etiam ad pessimos.* Et lib. 6. cap. 10. ait sanctissima Virgo. *Ego sum Regina cœli .... nullus est adeo maledictus, qui quamdiu vivit, careat misericordia mea, quia propter me levius tentatur à dæmonibus, quam aliter tentaretur.* Dionys. Carthus. lib. 3. de Laudib. Virgin. *Nullus demum in vita hac, est tam frigidus ab amore divino, quin si invocaverit nomen meum cum integro proposito pœnitendi, statim diabolus ab illo recedat.* Ita ex iisdem revelationibus doctissimus discipulus serm. 162. *Numquam ullum peccatorem quantumcunque perditum dedignatur: unde Anselmus, MARIA, tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu amplecteris: nec deseris eum, quousque Deus per te placatus, ipsum sua gratia reformaverit.*

Hæc certè Virgo Mater est, *quæ nobis cœno infixis, data est à Deo peccatorum remissio*, teste S. Germano in oratione 1. de Præsentatione: *Hæc est anchora spei nostræ*, ut benè Adam Abbas in sermone de Assumptione Virginis: ideo ut benè prosequitur: *Ne diffidas reus, ... si propter culpam desideras veniam; respice in MARIAM confidenter, & misericordiam obtinebis.* Hæc est, ut ait Carthus. lib. 1. de Laudib. Virg. cap. 1. *Salvatrix mundi, innumerabilium quoque perditissimorum reparatrix, ac reductrix ad gratiam.* Hæc est *tabernaculum unionis inter nos, & Deum. Levitici 26. Ponam firmiter tabernaculum meum in medio vestri ..... quia communis est, & non abjiciet vos anima mea.* Albert. in Biblia pauperum, ad Leviticum num. 5. & ad 2. Reg. num. 3. *Hæc est Mater conservationis, quæ tamdiu peccatores fovet, usque dum ipsis gratiam Dei impetret.* Et ad Hester. num. 5. *Hæc est interventrix, & revocatrix desperatorum.* Et ad lib. Iob. num. 7. *Hæc est liberatrix vociferantium peccatorum.* num. 8. *Hæc est relevatrix cadentium.* num. 9. Hæc est *peccatorum errorum ductrix.* Et ad lib. Cant. Cant. num. 12. concludit. *Quid tibi negabitur, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus revocare? .... nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare*, quæ sunt verba Bernardi dati hoc eodem. §.

1149. Secundo principaliter probatur, dispensari à Deo in pœnis æternis propter merita Virginis Matris occurrentis mortuis, antequam damnentur, vel si damnentur, antequam detrudantur in locum inferni: quod ante damnationem, mortui delati ad divinæ justitiæ tribunal, suis sceleribus meritam non sustineant sententiam, quin potius detur eis locus redeundi ad corpus, ut peracta pœnitentia deducantur ad cælum propter merita, & intercessionem Virginis Matris, negari nequaquam potest, nisi negentur omnes historiæ, & miracula, quæ communiter afferuntur, & videri possunt in speculo exemplorum dist. 3. cap. 46. & in Discipulo in exemplis, sive miraculis de Beata Virgine.

1150. Quod verò attinet ad aliam partem de jam damnatis ad infernum, & jam æterno damnatorum carceri addictis, apud me certum est multos liberatos esse, & reassumptis corporibus acta pœnitentia æternæ beatitudinis præmia meruisse propter instantes preces Sanctissimæ Virginis Matris: Hic enim habet locum illa demonstratio: Quicquid alicui Sanctorum concessum est, Virgini denegari non potest, ut est proloquium sanctorum Patrum, & Theologorum, de quo supra n. 1140. Sed intercessio Sanctorum hanc efficaciam habuit, ut homines jam damnati, iterum redirent ad corpus, ut satisfacientes per pœnitentiam evolarent in cælum, ut constat ex dictis num. 1138. ergo impium erit hoc patrocinium Virgini Matri denegare, si semel alicui Sanctorum concedatur.

1151. In quo igitur potest esse difficultas, est in tertio modo dispensandi in æternitate pœnarum, liberando nempe damnatos qui jam carceri dæmonum addicti, æternas patiebantur pœnas, utrùm scilicet ab illo aliquos eduxerit Virgo Mater, & Mater Misericordiæ? Ego pie sentio, ita factum fuisse, multa me movent. Primò, quia locus ille non addit vel minuit, quantum ad nu-

nus dispensandi, nam difficultas est in eo quod jam sint damnati, & prolata sit sententia, quid interest patiantur ne in inferno, an extra infernum? infernus erit locus, ubi fuerint damnati: atqui ut patet ex num. 1149. damnati jam possunt eximi, & de facto liberati sunt à pœnis æternis interveniente sanctissima Virgine MARIA; ergo si fuerint jam in inferno liberari possunt, & de facto ita fieret interpellante Matre misericordiæ, & Domina cælestium, terrestrium, & infernorum.

1152. Secundo, quia Virginis Matris patrocinium adeò efficax est, ut si efficaciter velit animam ex inferno educere, possit hoc beneficium obtinere: atqui potest velle, & non est ratio conveniens ne aliquando id velit: ergo piè dici potest, id aliquando voluisse, & ejus interventione aliquam animam ab inferno fuisse eductam.

1153. Major oritur in modo, quo piissima Mater postulat, non tantum jure meritorum, sed etiam jure naturali, quia Mater, ut bene S. Antonius tom. 4. summæ titulo 15. cap. 17. §. 4. explicans differentiam inter orationes Sanctorum, & sanctissimæ Virginis. *Oratio Sanctorum non innititur alicui iuri ex parte sui, sed tantum ex parte Dei: Oratio autem Virginis innititur gratia Dei, iuri naturali, & iustitia Evangelii, nam Filius, non tantum tenetur audire Matrem, sed & obedire: iuxta illud Apostoli: Filii obedite parentibus vestris, quod etiam est de iure naturæ, quod ipsa videtur innuere in modo orandi, non enim usa est obsecratione simplici, sed insinuatione dicens: Vinum non habent* Joannis 2. *dicit autem Hugo de sancto Victore, quod nobilissima species orationis est insinuatio, exemplificans in dicto verbo, vinum non habent: & sic oratio eius erat nobilissimus modus orandi, tum quia habebat rationem iussionis, & imperii*, &c. quæ verba refert ex Alberto Magno, & individualiter habentur q. 51. *in Missus est*. Eadem est doctrina antiquorum. S. Petri Damiani, cujus verba retuli supra num. 1148. ex quo modo petendi sequitur, si Virgo Mater velit postulare efficaciter eductionem animæ, à pœnis inferni, educendam fore: siquidem quicquid mater Filium efficaciter postulaverit, efficiat. Ita continuè S. Antoninus. *Impossibile erat, eam non exaudire, iuxta illud quod in figura huius dixit Salomon matri suæ Bersabeæ, cum aliquid petere vellet: Pete inquit mater mea, neque enim fas est ut avertam faciem meam.* 3. *Reg.* 2. Quæ verba in individuo habentur in Alberto Magno citata q. 15. super *Missus est*, & prius sub eisdem verbis hanc efficaciam orationis Virginis, tradidit Hugo de sancto Victore ab utroque citatus. Dionys. Carthus. lib. 3. de laudibus Virginis art. 13. S. Anselmus lib. de conceptu Virginali cap. 12. *Scimus Beatam Virginem, tanti esse meriti, & gratia apud Deum, ut nihil eorum, quæ velit efficere, aliqualiter effectu careat.* S. Bernardus apud Discipulum serm. 161. *Data est tibi omnis potestas in cælo, & in terra, ut omnia quæcunque volueris valeas impetrare.* S. Germanus orat. 1. in dormitionem MARIÆ. *Quicquid ab eo postulas concedit, ut Filius Matri indulgens.* Goffridus in omni festivitate Virginis: *MARIA apud omnipotentem Filium orando potest quicquid desiderat: cæteri siquidem sancti Dominum Deum orant, & orando impetrant, sed honorabilis Virgo MARIA si illum, ex eo, quod Deus, & Dominus est exorare merito creatur, ex eo tamen, quod homo est, & natus ex ea, quasi quodam Matris imperio, apud ipsum impetrare quicquid voluerit, pia fide non dubitatur.* S. Amedeus Episcopus Homil. 7. de laudibus Virginis. *Sanè obtinebit quod volet Parens charissima, per cuius castissima viscera Verbum venit ad nos.* S. Bonavent. serm. 3. de Beata Virgine MARIA: *MARIA tanti apud Deum est meriti, ut non possit repulsam pati, cum sit digna in omnibus exaudiri.* Inde Albertus Magnus in Biblia pauperum ad 3. Reg. num. 2. *Pete fiducialiter pro omnibus Mater mea mundissima, mihi obsequiosissima, ac super omnem creaturam charissima, neque enim fas est, nec coram me, nec coram Angelis, ac omnibus Sanctis ut avertam faciem tuam, te pro quacumque re postulantem non exaudiendo.*

1154. Minor verò, quod scilicet sanctissima Virgo possit velle, & velit aliquando, probatur ex S. Bonavent. serm. 2. de Beata Virgine, *Quando misereri non poterit Mater omnipotentia? quando misereri noluerit Mater misericordia?* Et cur non poterit non misereri? Certè ex eodem titulo, quem habet, ne illi aliquid denegetur, quia scilicet est Mater Dei. Audiamus Discipulum serm. 161. *Virgo gloriosa iure iurando tenetur, & obligatur nobis peccatoribus misericordiam & gratiam exhibere, ut etiam nullo modo valeat à nobis continere misericordiam suam etiam si vellet: sed iusto Dei iudicio convincitur oportere nobis gratiam dare: & hoc triplici ratione: primo convincitur nobis gratiam exhibere propter ipsius gratia inventionem, humanum enim genus in lapsu primorum parentum gratiam perdidit, quam Angelo attestante MARIA invenit: sic enim ait Angelus, ut habetur Luca 1. invenisti enim gratiam apud Deum: iustum est tam in iudicio Ecclesiastico, quàm civili, ut qui rem alterius invenit, ei restituat cuius erat: & sic per istam sententiam cogitur MARIA nobis peccatoribus gratiam restituere, velit, nolit: secundo cogitur nobis misereri propter maternum affectum*, & cætera quæ prosequitur: quæ verba individualiter habentur in Hugone Cardinali, Ludolpho Carthusiano, Iacobo de Voragine, quæ refero in examine veritatis pro immaculata Conceptione Virginis MARIÆ lib. 2. cap. 1. sect. 4. §. 1. *Quomodo enim*, ait Albertus in Biblia pauperum ad librum Hester num. 6. *in nomine Virginis: sustinere potero necem, & interfectionem populi mei, cum possim, & sciam, & velim ipsos liberare per te!*

1155. Tertio probo conclusionem principalem: quia Deus omnia Virgini possibilia donavit: hoc beneficium est possibile; ergo illud Virgini donavit. Majorem probat Anselmus citatus lib. de excellentia Virginis cap. 12. *Rogamus ergo te Domina per ipsam gratiam, qua te pius & omnipotens sic exaltavit, & omnia tibi secum possibilia esse donavit:* Ex qua concessione teste S. Bernardino feria 3. post Dominicam Olivarum serm 52. cap. 3. *MARIA facit de Deo quicquid sua placet voluntati: cum Deo pro nobis faciat, quicquid tuæ placuerit voluntati.*

1156. Et hîc videtur habere locum illud toties decantatum Chrysostomi dictum. *Tu enim fuisti electa ab omni æternitate Mater Dei, ut ille quem Deus ex mera iustitia salvare non posset, tua pia intercessione salvus fieret.* Si enim justitia Dei attendatur, nihil reperitur in illo damnato ut liberetur: sed quia injustitia Deo non debet adscribi, infinita Dei pietas, & misericordia medium invenit, quo juste liberaretur; MARIAM scilicet, quæ adeo digna est, & adeo magna, quia Mater Dei, ut justè Filius ei nihil denegare valeat, cum jure naturæ teneatur Filius Matrem exaudire: & tunc non attenditur malitia damnati, sed oratio Matris postulantis, & ideo ait Theophilus Alexandrinus lib. de Incarnatione Verbi. *Gaudet Filius orante Matre, quia omnia quæ nobis precibus sua genitricis*

captivos donat, ipsi Matri se donare putat, & accepta ab illa sine patre humanitatis vices reddere. Agnoscis certè Filius, quantum debeat Matri, & tali Matri, gaudet se factum esse talis Matris debitorem, exsolvere exoptat debitum, gaudet quod Virgo Mater postulet, ut exaudiens exsolvat: ô Mater piissima mei recordare.

1157. Quare si de justitia Dei dubium est, respondet Richardus à S. Laurentio lib. 4. de laudibus Virg. loquens de omnipotentia Virginis, sive cap. 30. apud Albertum, (liber enim utrique Auctori attribuitur.) *Qua autem justitia, vel quo jure, ipsa salvet damnabiles, & sine pœnitentia defunctos, quis sufficiat enarrare? Constat autem, quod & ita facit; & ad hujus rei evidentiam, dicitur ipsa fons signatus, Cantic. 4. nam sic exuberans fit ipse fons misericordiæ, quod semper fluunt miserationes ejus, integro tamen, & illibato sigillo justitiæ; quia sic ingeniose scit facere misericordiam, quod non frangit justitiam.* Tanta equidem pollet sapientia, Virgo Mater, ut pro liberandis captivis, omnia prius prævideat, ne læsæ justitiæ petitioni deferatur, ad quod meo sensu satis est donare Matri, quod peccator non meretur.

1158. Solùm videbatur obstare lex de æternitate pœnarum ipsaque irrevocabilis, & immutabilis ratio prædestinationis, ac reprobationis, quæ omnia variantur, si semel Virgo Mater aliquem ab inferno liberat damnatum: attamen nullum horum obstat: non æternitas pœnarum, sive lex de earum æternitate, in suo enim vigore persistit, eo quod in omni lege privilegia singularia habent locum, nullaque adeò est communis, quæ privilegii, & dispensationis beneficium non admittat; ut communiter tradunt Doctores, & nos latè diximus in examine veritatis pro immaculata Virginis Conceptione p. 1. lib. 4. cap. 5. præcipuè quia illa sententia non est ultimò lata, sed ad tempus, quo sanctissima Virgo Mater Filium exoret, quod plenissime Deus intelligit, sciens illam orationem futuram, & tempus, quo futura est: ex qua doctrina, quæ communis est, sequitur non etiam obstare rationem prædestinationis, & reprobationis, siquidem homo, qui liberatur, non fuit finaliter reprobatus, nec reprobatus, sed fuit absolutè prædestinatus, prævidente Deo medium illud orationis suæ sanctissimæ Matris, per quam consequuturus erat gloriam.

1159. Quapropter non mirum hoc videri debet. Majora protulit Gotfridus Abbas serm. 7. de Purificatione: habetur tom. 12. Bibliothecæ sanctorum Patrum p. 2. *Piissima apud piissimum Filium suum obtinebit, ut nullus illorum pereat, pro quibus vel semel oraverit: nec mirum quia universum suis precibus mundum salvare potest, si ipsa voluerit.*

1160. An verò in ipso die, quo Virgo Mater assumpta est in cœlum, aliquod levamen, quale quale illud sit, habuerint illi miseri in suis pœnis? Nulla ratio apparet, cur hanc gloriam denegemus sanctissimæ Virginis triumpho: plus dixerunt, & plus ausi fuere duo sancti Patres S. Ildefonsus, & S. Odilo: ille sermone 5. de Assumptione Virginis, non solùm pro die, quo Virgo Mater assumpta est in cœlum, sed pro simili die currente ab illo felici actualis assumptionis, nostram expressit cogitationem. *Dicam aliquid plus, sic audeo, dicam fideli præsumptione, dicam pia temeritate: totus mundus hodie condigna jubilatione lætatur, & gaudet, tartarus tantummodo ululat, fremit, & submurmurat, quoniam gaudium, & lætitia hujus diei claustris infernalibus inclusis aliquod remedium, & refrigerium præstat, non audens, ut opinor, ministri tartarei hodie attingere suos captivos, quos redemit redemptor illius sanguine, qui pro mundi salute est dignatus nasci de Virgine.* Hic, nimirum S. Odilo Abbas Cluniacensis eandem sententiam habet per eadem omnino verba, quæ non sunt intelligenda eo sensu, quo vulgo ab aliquibus accipiuntur, quasi nihil pœnarum illo die afflixerit animas damnatorum, hoc enim non docent, sed tantùm aliquod levamen habere in tanta pœnarum acerbitate, & non parvum est, non torqueri, nec attingi à dæmonibus.

DUBIUM QUARTUM.

Utrùm qui speciali devotione sanctissimæ deservit Virgini, æternis pœnis possit addici?

1161. Quæstio est, utrum omnis devotus Virginis Matris sit prædestinatus? Respondeo affirmativè, est communis doctrina sanctorum Patrum. Et primo profero expressum sanctæ Birgittæ testimonium lib. 1. revelat. cap. 50. ubi sic: Servator noster suam alloquitur Matrem. *Omnis qui invocaverit nomen tuum, & spem habet in te cum proposito emendandi commissa, ista tria dabuntur ei, insuper & regnum cæleste.* Secundo S. Ioannes Chrysostomus apud Discipulum 1. part. serm. 163. *O dulcis Virgo non est fas, te posse illum deserere, qui suam spem fiducialiter in te ponit.* S. Anselm. lib. de miraculis Beatæ Virg. *O felix MARIA omnis peccator ad te conversus, & à te respectus, impossibile est ut pereat.* S. Petrus Damiani lib. 2. epistol. 14. *Nec ad æterni judicis poterit perire conspectum, qui genitricis ejus sibi providerit auxilium:* Et infra ex quadam revelatione refert dixisse diabolis Virginem Matrem. *Licet hic homo, ut asseritis, vestra per pravitatem operis fuerit possessio; & impiè, sive carnaliter vixerit, nunquam tamen piissimus, & clementissimus Filius meus ac Dominus patietur eum vestris fieri crudelitatibus subditum, quem sub mei famulatus obsequio cernis in peregrinatione defunctum.*

1162. Adstipulantur alii sanctissimi viri, Albert. Mag. in Biblia pauperum ad Isaiam Prophetam num. 50. *Qui servierint ei non peribunt*, Richardus à S. Laurentio lib. 2. de laudibus Virg. *Servire Dei genitrici debes dum vivis, post mortem vivere si vis.* S. Bonavent. in Psalterio: *Pax multa diligentibus te Domina, anima eorum non videbit mortem in æternum.* Adamus Abbas Persenniæ serm. 2. de partu Virginis. *Felix via, quam qui tenuerit non errabit: Felix MARIA, quam qui perseveranter amaverit, non peribit.* Cecinit hoc etiam encomium de Virgine Beatus Hermannus in Hymno ad Virginem:

Te, qui bibit, non peribit:
Te qui quærit, nunquam perit.

1163. Tertio ostenditur, quia qui serviunt Beatæ Virgini, ejusque servos se esse cognoscunt, Reges dicuntur, & beati in hac vita: ut doctissimus, & vigilantissimus Virginis servus Hypolytus Marracius ostendit in notis ad Mariale Leonis Imperatoris ad orationem 2. de præsentatione Virginis num. 4. ex Leone S. Anselm. Richard. à S. Laurentio, S. Antonino, Alano, & Iacobo Nigido; & ratio est, continua assistentia, & protectio, quam de servis habet Beatissima Virgo Mater, ne cadant in vitia; ne cadentes perseverent; ne perseverantes, in perseverantia decedant; ne decedentes ultima sententia damnentur, sed revertantur ad corpus, ut faciant pœnitentiam.

1164. Quarto, quia ut bene advertit piissimus

Marracius in notis ad Mariale Adæ Abbatis ad sermonem. 2. de partu Virg. n. 5. in Scriptura sacra exprimitur hæc felicitas servorum Virginis. Primo, quia ideo Deus Philisthæos arcam Dei tenentes non punivit, ut punivit Hebræos, quia erant devotissimi arcæ: ita Abulens. in lib. 1. Reg. cap. 5. qu. 1. *Erant nimis devoti circa venerationem arcæ, quod patet, quia impenderunt ei maximum honorem, quem impendere poterant, scilicet, quia posuerunt eam in loco sacratissimo totius terræ suæ, scilicet in templo Dei Magni Dagon.* Morte dignus erat Abiathar, ut ad eum dixit Salomon. 3. Reg. 2. *& quidem vir mortis est*, sed ei vita donata est, quia portavit Arcam: multi docent Ozam salvum fuisse, quia juxta Arcam periit. Arca figura expressa est sanctissimæ Virginis Matris, ut passim sancti Patres affirmant; ergo quicumque fuerit hujus fœderis arcæ devotus, non punietur à Deo, & qui ejus jugum, sive devotionem subierit ab infantia sua, mortem non gustabit in æternum, imo licet variis sceleribus implicetur, si non deserat Virginis servitium, liberabitur.

DUBIUM QUINTUM.

Utrùm qui indevotus fuerit Virgini, pœnas debeat subire æternas?

1165. QUæstio est, utrum ille, qui non est Virginis devotus, sit reprobus? Respondetur affirmativè; & evidenter deducitur ex superiori dubio; nam si devotus Virginis est prædestinatus; ergo qui non fuerit devotus, erit reprobus. Patet deinde primo, quia ita asserunt sancti Patres. S. Anselm. lib. de miraculis Virg. *O felix MARIA sicut omnis peccator à te aversus, & à te despectus necesse est ut intereat, ita ad te conversus, & à te respectus impossibile est ut pereat.* S. Ildefonsus lib. 2. de virginitate MARIÆ cap. 14. *Veni mecum ad hanc Virginem, ne sine hac properes ad gehennam: veni abscondamur sub velamento virtutis ejus, ne induaris confusione, sicut diploide.* Albertus Magn. in Biblia pauperum ad Isaiam num. 20. *Gens enim, & regnum, quod non servierit tibi, ô Mater mea, peribit,* Glossa *in dictis tuis; ergo qui servierunt tibi, non peribunt.* S. Bonavent. in Psalterio Virgin. *Qui digne coluerit illam, justificabitur; qui autem neglexerit illam, morietur in peccatis suis.* Adamus Perseniæ Abbas in fragmento 7. *Periculosum est ergo ad punctum ab illa discedere, apud quam nostræ suavitatis delicia reponuntur.* Deinde ostenditur manifestè, quia sine gratia nemo ire potest ad cœlum, & qui se separat à via, qua ad Patriam tenditur, perit: atqui omnis gratia, omneque bonum per manus MARIÆ hominibus donatur: ipsaque est via qua pergitur ad Patriam; ergò miser ille, qui MARIAM non colit, invius errabit in via, & per varia peccata præceps ad tartara labetur: quare rationem hanc attingens Beatus Hermannus in Hymno ad Beatam Virginem ait:

Languet mea mens ægra,
Nihil est valens, te non habens,
Perit vadens, mali labens,
Gaude Virgo nunquam arens,
Aret autem tui carens.

DUBIUM SEXTUM.

Utrùm devoti Beatæ Virginis aliquo signo cognoscantur in cœlo, & indevoti in inferno?

1166. REspondeo affirmativè: tantùm apud me valet illa dignitas, qua pollent servi Beatæ Virginis, ut mereantur agnosci, & venerari in cœlo aliquo signo, sive nota speciali: Perbelle enim Seraphicus Doctor in Psalterio Beatæ Virginis: *Qui acquirit gratiam eius, agnoscetur à civibus paradisi, & qui habuerit characterem nobilitatis nominis eius, annotabitur in libro vitæ.* Si quæras quodnam sit hoc signum, quo agnoscendi sunt in cœlo servi Beatæ Virginis? Penitus ignoro, plene agnoscens, magnæ dignitatis, gloriæ, & honoris signum esse: duplex tamen esse existimo, unum exterius, alterum interius: exterius est nomen sanctissimæ Virginis scriptum in frontibus servorum Dominæ nostræ; quo signo, frons ita radiabit, ut in se oculos Beatorum convertat, ita ut omnes Beati propter illud signum specialiter venerentur, & diligant servos Beatissimæ Virginis, quibus ea obtigit felicitas, ut sibi pro tessera accederet sanctissimum MARIÆ nomen: Si enim servi diaboli exterius in fronte habebunt scriptum characterem bestiæ, per quem agnoscantur, cur sanctissimæ Virginis Matris servi tamquam oves virgineæ non habebunt illud sanctissimum nomen in fronte scriptum, pro sui mancipii, & devotionis signo?

1167. Signum interius, erit cognitio, & amor: servi enim Virginis præ cæteris cognoscunt plures perfectiones Virginis Matris, & perfectiori modo, & consequenter eam majori diligunt amore, quam illi, qui non ita specialiter in via servierunt sanctissimæ Virgini Matri: Ut enim intellexerunt privilegia Virginis, & plus dilexerunt Virginem peregrinantes in mundo, ita regnantes in cœlis plus cognoscent, ac diligent sanctissimam Dei Genitricem: quam cognitionem, & amorem, videbunt cæteri beati, ut servos Virginis majori prosequantur amore.

1168. Ex quo infero, etiam in inferno speciali signo notandos esse illos miseros, qui singulariter indevoti fuere sanctissimæ Virginis MARIÆ: adeo enim ignobile, & impium est, tam misericordem Virginem non amare, ut merito debeant, & interius, & exterius nota aliqua inuri, qua agnoscatur à dæmonibus, fuisse indevotos Virginis Matris, ut in eos acerbius animadvertant. Signum ergo exterius erit in fronte scriptum nomen *Anti-Maria*, vel simile, quod adeo odiosos faciet illos miseros, ut etiam ipsi dæmones eos abhorreant, & detestentur, sic Deo permittente in vindictam tanti sceleris: interius signum erit mens omnino obnubilata circa Virginis excellendiam, & speciale odium in Virginem.

PARS TERTIA DISPUTATIONIS.

De peccato originali?

1169. VLtima malitiæ tractatio, malitię universę radix est; & quod prima universi mali labes fuit, nunc ultima censetur; etenim cum sit malorum origo, adeo difficiles causas habet ut non nisi per effectus valeant explicari; ut enim peccato *originali, nihil est ad prædicandum notius, ita nihil eo est ad intelligendum secretius*, teste August. lib. 1. de morib. Eccles. cap. 22. ideo, ut aliqualis hujus peccati notitia haberetur sine formidine, prius erant ejus effectus exponendi.

SECTIO DECIMA-OCTAUA.

Utrum detur peccatum originale?

DAri peccatum originale in omnibus Adami posteris in dubium revocarunt Hæretici aliqui nostri temporis, quibus solemne fuit, nulli fidei

fidei veritati parere, licet summa cum expressione in sacro textu contineretur, absolutè, & pertinaciter negaverunt Pelagiani, quos ita debellavit Augustinus, ut usque ad nostra tempora, nullus ausus fuerit existentiam peccati originalis denegare.

Et ex eis, quibus Augustinus probat existentiam peccati originalis pauca seligam, & solum primis labiis degustabo, lentiori, & vero calamo scripta reperientur apud Bellarmin. lib. 4. de amissione gratiæ cap. 2. Vasq. disp. 33. cap. 1. & 3. qui tam ex veteri, novoque testamento, quàm ex sanctis Patribus hanc esse fidei catholicæ præcipuam veritatem demonstrant.

Et primo ex sacro textu satis sit ille Pauli locus ad Roman. 5. vers. 12. *Propterea sicut per unum hominem, peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et vers. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obedientiam, justi constituentur multi.* Nec movere aliquem debet illud verbū *multi* quasi Apostolus non omnes filios Adami, sed tantùm multos contrahere peccatum originale nos doceat, nam verbum *multi* pro omnibus sumitur in sacro textu: ut ex utroque loco Pauli inter se collato, constat: & cum scriptura doceat Abrahamum futurum Patrem multarum Gentium. Genes. cap. 17. cap. 18. in ejus semine benedicendas esse omnes Gentes affirmat.

Secundo, quia hæc veritas definita est tempore Augustini in Concilio 2. Arausicano cap. 2. & Milevitano cap. 2. nostro tempore in Concilio Tridentino sess. 5. in decreto de peccato originali canone 2.

Tertio, ex universali Christi redemptione: est enim Christus omnium redemptor hominum, sive adultorum, sive infantium, juxta illud Pauli 2. ad Corinth. 5. *Christus pro omnibus mortuus est*, quæ redemptio non solum pro Prædestinatis, sed etiam pro reprobis facta est, ut de fide ostendam in Anti-Iansenio. Sed Christus mortuus est, ut redimeret homines à peccatis; ergo cum infantes unius diei, nullum actuale habeant peccatum, à quo redimantur, proculdubio redempti sunt à peccato originali.

Quarto ex necessitate Baptismi: Baptismus institutus fuit à Christo in remedium originalis peccati, ut probat de fide D. Thom. 3. p. q. 66. viderique potest Suar. de sacramentis disp. 19. imo in lege naturali, & in scripta, adhibitum fuit remedium pro peccato originali expiando, ut tradunt communiter Theologi, atqui non solum Baptismus institutus est pro adultis, nec illud remedium solum pro adultis erat, sed pro parvulis, & pro omnibus; juxta illud Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*; ergo datur peccatum originale in omnibus filiis Adami.

1170. Plures Hæretici peccatum diffitentur originale, cujus perversi dogmatis inventores fuerunt Pelagius, & Celestius, dicentes peccatum primi Parentis solum imitatione transfundi in posteros, non contractione, eo quod adulti peccantes, primum imitentur Parentem: nec frustra baptizari parvulos, quia effectus baptismi non erat remissio peccatorum, sed januæ cælestis apertio. Ita refert Augustinus lib. 2. de peccato originali à cap. 1. ad 22. & lib. 1. cont. Iulian. cap. 1.

Fundantur primo quia opponitur contractio originalis peccati Ezechielis cap. 18. vers. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris*: Respondetur explicando antecedens. Si nec imitetur filius patrem, nec constituatur in ejus voluntate, non ab eo portari iniquitatem patris: Si autem filius peccando imitetur patrem, vel sit particeps peccati patris, ex eo quod cum patre censeatur peccasse, tunc portare potest patris iniquitatem; filii autem Adami portant ejus iniquitatem, non quia Adamum peccatorem imitantur, sed quia in Adami voluntate constituti erant, quando peccavit.

1171. Secundo, quia de omnibus peccatis reddenda est ratio coram supremo judice in universali judicio: atqui solum hæc reddenda est de operibus quæ quisque egerit in proprio corpore, id est ex propria sua voluntate; ergo nullum datur peccatum originale; cum hoc nullus hominum ex propria egerit voluntate. Minor probatur ex Paulo 2. ad Corinth. 5. vers. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Respondetur negando minorem: Primo, quia satis est quod peccata fiant voluntate, sive hæc aliena, sive propria sit. Secundo, quia locus Pauli intelligendus est de adultis, ut bene Suar. 1. 2. tract. 5. disp. 9. sect. 1. n. 9.

1172. Tertio, plus prodest gratia, quam destruit peccatum: sed gratia Christi solum credentibus proficit, & non prodest non consentientibus; ergo etiam peccatum Adami solum consentientibus nocebit. Respondetur, concedo totum; omnes enim consenserunt in fractione pacti eo quod omnes continebantur in Adamo, ut in capite, ratione pacti cum Adamo ìnito, de quo infra à n. 1304.

1173. Quarto, jam matrimonium non foret licitum. Probatur antecedens, quia matrimonium est licitum ratione prolis generandæ: Sed proles, & generatio non est bona: ergo nequit reddere matrimonium licitum. Minor patet, quia non potest intendi illa generatio, quin simul intendatur peccatum, cum vehiculum peccati, sit generatio. Respondetur, nego antecedens, ad probationem nego minorem: cum probatur, nego antecedens: Licet enim peccatum originale transfundatur, non tamen intenditur, non enim peccatum originale transfunditur ex eo, quod proles nascatur ex conjunctione viri, & fœminæ, sed ex eo quod propagatur proles ex natura in primo capite vitiata: hoc autem per accidens omnino est respectu matrimonii, ut etiam defectu pacti, in filios non transfundunt parentes peccata sua actualia.

Quinto, ad verum & proprium peccatum ac culpam requiritur liberum, & voluntarium: atqui in parvulis nec liberum, nec voluntarium datur; ergo nec verè, propriéque peccatum. Respondetur huic rationi duplici difficultate, & dubio.

DUBIUM PRIMUM.

Utrùm peccatum originale sit verè & propriè peccatum?

1174. Respondetur affirmativè: est de fide, definitur enim peccatum originale esse verè & propriè culpam, in Concilio Arausicano can. 2. Tridentino sess. 5. can. 5. & de fide esse probant, quotquot contra Hæreticos scripserunt: præcipue videantur Bellarmin. lib. 4. de amissione gratiæ cap. 2. Vasq. disp. 131. etenim Scriptura sacra sæpe peccatum originale appellat immunditiam, iniquitatem, Deique inimicitiam, propter quam etiam infantes iram Dei meriti sunt; ideo pœna damni, si in peccato originali moriantur, puniendi sunt. Accedit, quia cum Paulus de peccato agit originali, talibus phrasibus utitur, quæ falsitatis arguerentur si peccatū originale non foret verè culpa, appellat

enim Apostolus peccatum originale, peccatum, inobedientiam, prævaricationem, & injustitiam: quæ solum sunt de essentia culpæ, sive ipsamet essentia culpæ.

1175. Peccatum originale non esse verè, & propriè culpam attribuit Catherinus opusculo de peccato originali cap. 6. Durando in 2. dist. 30. q. 1. eamdem opinionem attribuit Vasquius disp. 131. cap. 1. non solum Durando, sed etiam Ruardo Tapero art. 2. de peccato originali, §. *ex his videmus*: etiamque Catherinus censuram Vasquii non effugit, ait enim Vasq. cap. 1. à Catherino negari peccatum originale esse verè, & propriè peccatum.

*V*erùm nimius in reprobandis Doctoribus catholicis est doctissimus Vasques, & quod intolerabile est, eos sæpe nota hæresis ferit, quin Doctorum, quos notat, sensum, mentemque perspectam habeat: ut in præsenti contigit: nullus enim prædictorum auctorum negavit peccatum originale esse verè, propriéque peccatum, & culpam, imò ut fideles, & docti oppositum asseruerunt.

1176. Durandus namque loco citato q. 1. in qua citatur de hoc puncto nihil agit: q. 2. proponit pro titulo: *Verùm aliquis defectus in nos per originem transiens possit habere rationem culpæ?* ad cujus resolutionem ait prius resolvenda esse duo dubia: primum est, *utrum in nobis sit originale aliquod peccatum, vel aliqua culpa?* & respondet, *Tenendum est indubitanter, quod in nobis est per originem aliquod peccatum, vel aliqua culpa: & dicere oppositum est error Pelagii & Iuliani, hæreticorum*: Insuper addit peccatum originale non esse tam propriè peccatum, ut actuale, quia non est voluntarium voluntate propria, sed aliena: concludens tamen: *Semper tamen fatendum est in parvulis esse peccatum originale, seu culpam*. Quare falsò allegatur à Catherino, Vasq. Lorca, Zumel, Medina, & aliis.

1177. Ruardus Taperus in eo articulo, & §. nihil aliud fatetur, quam peccatum originale esse verè, propriéque culpam, ac peccatum: solumq; fol. 45. à principio, appellat peccatum originale, mortem animæ, quæ est privatio gratiæ; in qua constituit peccatum originale; mors animæ non est pœna, sed culpa: & licet pœna foret, cum satis expresse doceat peccatum originale esse culpam, quid interest quod appellet mortem animæ cum ita appelletur ex effectu? Catherinus meruit reprehensionem Vasquii, quia injustè Durandum reprehendit, verùm Doctissimus Vasquez ex eo quod Catherinus docet peccatum originale consistere in reatu, perperam infert, negari à Catherino peccatum originale esse culpam.

1178. Pro hoc tamen errore, objicies primò Aristotelem 3. Ethic. 5. docentem neminem esse vituperandum, aut laudandum de eis actionibus, quæ in sua potestate non sunt: atqui peccatum originale non est in hominum potestate; ergo non erit dignum vituperio, & per consequens non erit peccatum. Respondetur cum Durando citata q. 2. n. 11. Philosophum loquutum fuisse de peccato actuali, non de originali, (hoc enim non agnovit) sic enim respondet Vasquez citata disp. 131. cap. 3. quasi respondeat Durando, à quo objici contra nostram sententiam hoc argumentum existimat, cum tamen Durandus argumentum dissolvat eadem solutione, qua Vasquez

1179. Instabis: Nemo peccat in eo, quod vitari non potest, nec in eo, cujus actus non est in nostra potestate: atqui infantes vitare non possunt peccatum, nec est in eorum voluntate illius contractio; ergo non peccant, & per consequens peccatum originale erit pœna, non culpa. Respondetur; distinguo majorem, actualiter, concedo: originaliter, nego: aliud est enim peccare actualiter, aliud originale peccatum contrahere: peccatum actuale est personale, dicitque defectum in operatione, vel omissione personæ: contractio verò peccati dicit defectum naturæ, quam contraxerunt parvuli.

1180. Objicies secundo Philosophum 3. Ethicor. cap. 5. ubi: *Nullus improperat illi, qui cæcus natus, vel ab alio factus est, sed potius miseretur*: atqui peccatum originale est cæcitas, cum qua nascuntur infantes, & à peccato Adami, quod extrinsecum est, originem, & principium habet, ergo non erit culpa. Respondetur Philosophum loquutum fuisse de eis, quæ naturaliter eveniunt infantibus, & quæ ex utero matrum naturaliter trahunt, ut cæcitas, deformitas, morbus, quæ absque ulla culpa infantium in illis sæpe videntur, & sunt: non vero de eo, quod eis moraliter accidit, & voluntate aliena, in qua voluntas infantis continebatur, factum est, quale est peccatum originale, de quo nullatenus loqui potuit philosophus, cum illius peccati omnimodam habuerit ignorantiam.

DUBIUM SECUNDUM.

Vtrùm in peccato originali detur voluntarium, & liberum sufficiens, ut verè dicatur culpa?

1181. SEd contra præteriti dubii resolutionem, & contra existentiam peccati originalis præcipua insurgit difficultas, cui nimium fidentes Pelagiani, non semel eam Augustino opposuerunt: & sic formatur: Si originale foret verè proprieq; peccatum, foret liberum, & voluntarium: atqui in parvulis adhuc in utero matrum existentibus non datur liberum, & voluntarium; ergo nec peccatum originale. Majorem probabant ex Augustino lib. de vera religione cap. 14. *Vsque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non est voluntarium, & hoc ita manifestum est, ut nulla indoctorum turba dissentiat.* Et infra: *Quare, aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi.* Minorem probant Pelagiani apud Augustinum lib. 3. cont. Iulianum cap. 5. *In parvulis non est delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest.* Et in opere imperfecto contra Iulian. fol. 70. *Nihil est peccatum in homine, si nihil propriæ voluntatis, vel assensionis, hoc mihi hominum genus, quod vel leviter sapit, sine dubitatione consentit.*

1182. Confirmatur hæc ratio: Ad peccatum requiritur necessario voluntarium, & liberum; atqui peccatum originale nullo modo potest esse infantibus voluntarium & liberum: ergo nullo modo eis imputari potest. Minor ostenditur, quia vel foret voluntarium, & liberum voluntate propria, vel aliena: non propria, cum infantibus pro tempore, quo originale peccatum contrahunt, non detur usus rationis: non voluntate aliena: quia tribus modis potest aliquid esse voluntarium voluntate aliena: Primo commissione, cum aliquis alicui vices suas committit: Secundo, ex ratihabitione, quando, licet à principio non commiserit aliquid, tamen postea ratum habuit, quod alius fecit. Tertio, permissione, quando quis potest, & tenetur impedire quod alius facit, non tamen impedit: cum autem infantes nullo ex his modis contrahant peccatum, dicendum est nullo modo contrahi peccatum originale, nec tale peccatum dari.

1183. Fateor hoc argumentum capitale esse & præcipuum, quo Pelagiani utebantur, ut peccatum originale negarent: non tamen adeò efficax est, cui non respondeatur evidenter, ea solutione, quam eidem argumento adhibuit Augustinus, nimirum dari voluntarium, & liberum, non quidem voluntate propria, sed aliena, quia scilicet omnes Adami posteri peccaverunt, cum Adamus peccavit, & voluntarium, ac liberum, quo Adamus peccatum illud commisit, satis esse, ut originale peccatum censeatur voluntarium, & liberum.

Audiamus Augustinum lib. 6. cont. Iulian. cap. 10. *Ea commemoras, quæ penè omnia prædicamus & nos, & de quibus nullo modo dubitandum esse censemus, usque adeo, ut etiam illud, quod dicis, sine opere liberi arbitrii nullum hominis esse posse peccatum, verum esse fateamur: non enim & hoc esset peccatum, quod originale traheretur, sine opere liberi arbitrii, quo primus homo peccavit.* Videndus cap. 9. lib. 3. cap. 5. & in opere imperfecto contra Iulian. lib. 2. fol. 226. & 310. & passim omne voluntarium, & liberum, quod in originali datur, estque sufficiens ut sit culpa, refundit in voluntatem primi hominis, in qua omnes peccaverunt voluntariè, & liberè, non quidem voluntario, & libertate propria, sed aliena, idest Adami.

1184. Quo pacto autem imputetur ad culpam id, quod non est liberum, & voluntarium parvulis, satisque sit voluntarium, & libertas Adami? quæstio est agitata ab Augustino, & à Pelagianis proposita, sub eo inconvenienti, quod jam culpæ deputaretur infantibus, quod nascantur, quod moriantur, unde, & nativitas, & mors, forent peccatum: respondet tamen Augustinus lib. 2. operis imperfecti contra Iulian. fol. 284. *Non præcipitur homini, quomodo nascatur, sed præceptum est, quo modo ille viveret, præceptumque violavit, à quo parente peccatum originale deducitur.* Ex quo loco deducitur præceptum impositum Adamo, fuisse impositum pro se, & posteris ejus, & cum non foret impositum præceptum nascendi, vel moriendi, sed rectè vivendi, cum Adamus voluntariè & liberè noluerit rectè vivere, ideo fregit præceptum: noluerunt etiam rectè vivere posteri Adami, ideo in Adamo idem præceptum fregerunt: lib. 3. contra Iulian. cap. 18. *An vero nec sic tandem respicis, illud primitus in paradiso datum, possibile ac facilè fuisse præceptum, quo contempto, atque violato, omnes ex uno homine, tamquam in massa originis commune illud habere peccatum?* 1. retract. cap. 15. *Cur ergo parvuli tenentur rei? respondetur, quia ex eius origine tenentur, qui non fecit quod facere potuit, divinum, scilicet servare mandatum*: Ex qua doctrina optimè sequitur, non solum ea de causa parvulos contrahere originale peccatum, quia Adamus liberè peccavit, sed simul, quia in ea voluntate Adami continebantur.

1185. Responsio igitur Augustini est, dari voluntarium, & liberum sufficiens in peccato originali, ad hoc ut sit, & censeatur culpa, licet enim non sit voluntarium, & liberum voluntate propria, est tamen liberum, & voluntarium voluntate aliena, nimirum Adami, in quo omnes peccaverunt: cum enim continerentur omnes filii ab Adamo generandi, in eo, ut in capite non solum physico sed morali, omnes eorum voluntates computabantur pro una Adami voluntate, ita, ut quod ille nomine omnium egisset, ipsi egisse censerentur; & hic modus voluntarii in alio, & in capite, satis est ut censeatur opus voluntarium, per quod satisfactum est argumento, & dubio proposito: cætera, quæ desiderantur ad probationem hujus doctrinæ tradenda sunt postea.

SECTIO DECIMA-NONA.

Quid sit peccatum originale?

1186. Hoc est præcipuum hujus partis punctum, & difficultas inter majores Theologiæ computanda, scire in quo constituatur originalis peccati essentia? In cujus difficultatis enodatione, illud magnum magni Augustini ingenium adeo desudavit, ut certus de existentia peccati originalis, circa ejus essentiam mirum est quanto fluctuaret: sed inter varios fluctuantis mentis fluctus, non passus est ullum naufragium, imo solus quid peccatum sit originale nos edocuit, ut videbimus.

SUBSECTIO PRIMA.

Rejiciuntur Hæreticorum errores circa essentiam peccati originalis.

Inter errores præcipuos tres communiter circumferuntur. Primus est Melanchthonis, & nonnullorum ex fæce Pelagiana, qui asseruerunt dari peccatum originale, hoc tamen nihil aliud esse, quam actuale parvulorum.

Hunc errorem reprobat satis textus ad Rom. 9. vers. 11. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, Iacob dilexit Esau autem odio habuit*: Ergo, cum odium illud, solum pro objecto potuerit habere peccatum; non aliud, quàm originale fuit; cum sit antequam ex utero nascerentur, non potest peccatum originale, esse actuale peccatum parvuli; siquidem illud odium versatur circa Esau antequam aliquid mali egisset personaliter. Videatur Augustinus 1. de peccatorum meritis à cap. 34. prædicti erroris impugnator acerrimus: & pro Recentioribus Bellarmin. lib. 4. de amissione gratiæ cap. 9.

1187. Secundus error, similis præcedenti, vel idem diverso modo explicatus, fuit Origenis, ut testatur Turrianus epistola de peccato originali; asserebat enim peccatum originale in parvulis, non esse aliquid ex Adamo tractum, sed aliquid selictum ex peccato actuali, quod anima, vel antequam corpori infunderetur, vel in instanti, quo infundebatur, committebat.

Hic error variis scatet erroribus, quos jam Ecclesia damnavit. Primo supponit contra fidem, animas prius creari, quàm corporibus uniantur, & ante unionem peccare: Supponit secundo, contra fidem, peccatum originale non esse traductum per veram generationem ex Adamo in prolem. Tertio, quia implicat in terminis, nam si est quid relictum ex actuali peccato à puero commisso, est peccatum habituale, quod relinquitur ex actu, ut semper evenit, non vero originale, quod postulat originem, & generationem ut viam per quam contrahatur.

1188. Tertius error, est Matthæi Illirici, assentis peccatum originale, esse quamdam substantialem imaginem diaboli, per quam homo constituitur ad vitia proclivis, & ad virtutes ineptus; qua posita, excluditur forma Dei, quæ erat in homine, per quam reddebatur homo beatitudinis capax, theologus, divinus.

Verum hic error, non eget impugnatione; ipse

enim sua absurditate se destruit: atrocior enim error est, quàm Manichæorum, isti enim ne Deum facerent auctorem peccati, effinxerunt alium Deum malum, qui causa illius peccati foret; ille Deum esse bonum confitetur, & non erubescit Deum facere causam specialem peccati, dum solus causa est illius formæ diabolicæ: ratio deinde naturalis convincit prædictum errorem; dictat enim, non esse substantiam ex se malam, nec substantiam posse transfundi in aliam. Dices: Substantia illa, quę peccatrix est, difformatur legi; ergo est peccatum. Respondetur, distinguo antecedens, ratione sui, nego: operationis, concedo: operatio est peccatum, non vero subjectum in quo est operatio. Pro confutatione hujus erroris videndi sunt Valent. 1.2. disp. 6. qu. 12. punc. 1. Suar. tract. 5. disp. 9. sect. 2. Becan. 2. p. summę tract. 2. cap. 9. q. 1. Salmeron in epistolam ad Roman. cap. 5. disp. 45.

1189. Quartus error docet concupiscentiam in actu primo quatenus inclinat ad peccatum, esse formaliter originale peccatum, ideo per baptismum non deleri originale peccatum, sed manere quoad culpam in renatis, & solum non imputari ad pœnam.

Hunc errorem ex professo impugnant non solum doctores, qui ex professo contra hæreticos nostri temporis scripserunt, præcipuè Bellarminus lib. de amissione gratiæ, & statu peccati: Stapletonius in controversiis lib. 3. sed etiam Theologi. Vasq. disp. 132. cap. 1. Suar. cit. num. 2. Becanus in manuali controversiarum hujus temporis ad finem opusculorum lib. 1. cap. 14. q. 1. Lorca de peccatis disp. 43. §. *Tertia sententia.*

Eumdem errorem damnavit Tridentin. sess. 5. in decreto de peccato originali canone 5. ibi: *Si quis dixerit per gratiam, quæ in baptismo confertur, non tolli totum id, quod propriam rationem peccati habet, sed tantum radi vel non imputari, anathema sit: manere autem concupiscentiam in baptizatis, hæc synodus fatetur; quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus non valet.* Ecce, Concilium auferri docet in baptismo, quicquid veram rationem peccati habet, manere tamen affirmat concupiscentiam ad coronam legitime certantibus donandam; ergo concupiscentia non est verè, & propriè peccatum; si tale foret, tolleretur per baptismum, cum per baptismum auferatur quicquid veram rationem peccati habet: unde cum Concilium doceat totum quod peccati rationem habet, tolli, non vero radi, aut non imputari; planum est damnari à Concilio, eos qui asserunt concupiscentiam formaliter esse peccatum originale, radi, & non tolli, non auferri, sed manere, dummodo non imputetur ad pœnam.

Quàm doctrinam prius tradidit Augustinus, cui hæretici plus credunt, quàm Ecclesiæ, ut sic suis falsis interpretationibus, illudentes doctrinæ Augustini, nec Ecclesiæ, nec Augustino credant; libro, enim de continentia cap. 7. affirmat in baptismo auferri omnia peccata, non tamen concupiscentiam. *Languorem istum* (idest concupiscentiam) *culpa meruit, natura non habuit, quam sanè culpam, per lavacrum regenerationis, Dei gratia fidelibus iam remisit, sed sub ejusdem medici manibus adhuc natura cum suo languore confligit:* quo loco nihil clarius. Concupiscentia illa effrænis de qua loquitur, ut supra num. 1013. dictum est, languor est naturæ, iste tamen languor culpa non est, sed culpa illum meruit; adveniente baptismo, culpa, idest, peccatum originale remittitur, & non aufertur concupiscentia, quæ bellum indicens spiritui, relicta est ad exercitium virtutum. Et lib. 6. contra Iulian. cap. 16. loquens de justificatis, docet carere omni peccato, sed non omni malo: omni peccato carent, sed non omni malo: quia carent originali, & actualibus peccatis, non vero concupiscentia, quæ licet malum sit, peccatum proprie non est.

Apertius lib. 14. de Trinit. cap. 17. ubi docet in Baptismate omnia remitti peccata, sed non sanari naturam, relicto languore, sive concupiscentia, quia Deus voluit removere causam languoris, & rebellionis, non sanare. *Quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est, revalescere: itemque aliud est infixum telum de corpore demere; aliud, vulnus quod eo factum est, secunda curatione sanare; ita prima curatio, est causam removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum: secunda, ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus imaginis:* ubi sicut distinguit febrem ab infirmitate, telum à vulnere; ita, & peccatum à concupiscentia, sive languore. Cum igitur juxta Augustinum, febris non sit infirmitas, sed ejus causa; telum non sit vulnus, sed vulneris causa, ita peccatum non est concupiscentia, sed causa concupiscentiæ, ideo cum tollantur omnia peccata, non tollitur, sed remanet concupiscentia, ut paulatim curetur, cujus curatio in Patria perficietur, ut passim docet Augustinus.

1190. Accedit celebris doctrina Augustini, quam approbavit Tridentinum citato loco; in qua docet, concupiscentiam dici ab Apostolo peccatum, non quod in se peccatum sit verè, & propriè, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Ita s. retract. cap. 15. & exprimens quo sensu peccatum dicatur lib. 1. de nuptiis cap. 23. ex vulgari modo loquendi exponit sensum illius appellationis. *Quia peccato facta est, cum iam in regeneratis non sit ipsa peccatum, sicut vocatur lingua, loquutio quam facit lingua, & manus vocatur scriptura quam facit manus; itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit; sicut vocatur frigus, pigrum, non quod à pigris fiat, sed quod pigros faciat* ex quo sive dicatur concupiscentia peccatum, quia est effectus peccati, non magis est peccatum, quàm scriptura, manus: sive dicatur, quia est causa peccati, non aliter dicitur, quam frigus appellatur pigrum; sed de hoc puncto latè egi in Anti-Iansenio lib. 1. & lib. 2. n. 302.

1191. Deinde probatur ratione, quia concupiscentia, in qua hæretici constituunt essentiam formaliter originalis peccati, vel est potentia in actu primo; vel in actu secundo; vel, ut ejus effrænitas: non primum, cum sit potentia naturalis à Deo indita creaturæ, de quo supra à num. 214. simulque peccatum originale est actus, seu unitio actus. Non secundum, quia vel præveniunt rationem, quo sensu non sunt peccata: vel non præveniunt, sed resistit voluntas, & tunc non sunt peccata, sed conducunt ad meritum: vel etiam consentit, & sunt peccata, ex imperio tamen voluntatis: Non tertium, quia cum Augustinus loquitur de concupiscentia, eam appellans peccatum, & mortem, intelligendus est de effræni concupiscentia, sive de effrænitate concupiscentiæ, ut dixi num. 213. effrænitas autem illa, non est ipse appetitus, sive concupiscentia in actu primo.

1192. Hæretici tamen, aliquibus sacræ Scripturæ locis, & D. Augustini testimoniis suffulsi, adeo manifestæ veritati non acquiescunt: omnia vero asserunt concupiscentiam esse peccatum, quod à primis parentibus transfunditur in prolem; esse

malum, iniquitatem & similia, quæcumque enim dicuntur de originali peccato, de concupiscentia docet Augustinus.

Quibus omnibus simul respondeo. Primo ex illis locis & aliis, quæ afferri possent, non probari concupiscentiam esse verè, & propriè peccatum originale: sed solum dici posse peccatum, & malum. Primò, quia est effectus: secundo, quia est causa peccati. Ita se exposuit Augustinus supra n. 1190. Secundo, quando Augustinus attribuit concupiscentiæ attributa omnia, & omnes appellationes, quibus significatur originale peccatum, loqui de concupiscentia cum reatu, sive de reatu, ut infra à num. 1244. videndum: singula autem loca Augustini non expendo, tum quia ex duplici illa interpretatione satis liquet eorum sensus, sive quia id præstitum absolutissime est in Anti-Jansenio disp. 15. sect. 4. ab Antonio Moyraoes, sive revelata facie.

SUBSECTIO SECUNDA.

Referuntur sententiæ de essentia peccati originalis.

1193. Uniformiter omnes Theologi, docentes dari peccatū originale, quod nec est substantia, nec concupiscentia, aut actuale parvulorum peccatum, maximè dissident, quid sit illud, in quo formaliter consistit essentia originalis peccati: præcipuas sententias suo ordine propono, ut post, vel reprobentur, vel amplectantur.

Prima asserit, peccatum originale esse quamdam morbidam qualitatem animæ, quæ provenit ex alia morbida qualitate carnis; ex qua anima, cum primò carnem tetigit illam qualitatem contraxit. Ita Magister in 2. dist. 31. Gregor. Gabriel, Guilliel. Altissiodorens. & Driedo, apud Vasques disput. 132. cap. 4. Suar. tract. 5. disput. 9. sect. 2. num. 1. Salas disput. 11. sect. 2. accedit Henricus noster quodlib. 1. q. 11. quodl. 5. q. 23. agnoscunt, enim prædicti auctores, quibus nonnulli ex Thomistis subscribunt, in corpore, qualitatem quamdam in ipso generationis puncto, à qua alia qualitas morbida producitur in anima parvulorum cum corpori unitur, tamquam lepra, à lepra.

1194. Secunda sententia docet, peccatum originale consistere in ipsomet peccato actuali Adami, à quo parvuli cum concipiuntur peccatores denominantur extrinsecè. Ita Albertus Pighius controvers. de peccato originali, Catherinus in opusculo de casu hominis, Salmeron in epist. ad Roman. cap. 5. disp. 45. & 46.

1195. Tertia sententia asserit, essentiam peccati originalis consistere in reatu pœnæ. Sententia hæc tribuitur à Recentioribus, Magno Augustino, quorum dux fuit Vasq. citatus cap. 5. eam, ut iidem volunt, sequuntur Hugo Victorin. lib. 1. de sacramentis p. 7. cap. 27. & Roffensis art. 2. contra Lutherum: explicant verò prædicti Recentiores, formalitatem hujus reatus, per meritum, & dignitatem pœnæ, ita ut sensus sit quod peccatum originale, non aliud sit, quàm dignitas pœnæ.

1196. Quarta sententia pluribus Recentioribus plausibilis, docet peccatum originale consistere in quodam concursu morali, quo postea concurrunt ad violationem pacti: & ex iis Doctoribus, quidam docent prædictum concursum esse indistinctum à peccato Adami: quidam vero ab eodem esse distinctum.

1197. Quinta sententia communis docet peccatum originale consistere in privatione justitiæ originalis. Ita uterque Magister communis: Angelicus 1. 2. q. 82. art. 3. Scotus in 2. dist. 3. q. 2. n. 2. dist. 32. q. unica num. 7. vers. *Quoad* 1. Alensis, Bonavent. Gabriel, Argentin. Richardus, Ægid. Roman. Bassolis, Angles, Palatio, Azor, S. Antonin. Ferrariens. Bellarmio. Sotus, Stapletonius, & Valent. quos refert, sequiturque Granado controv. 6. tract. 8. disp. 3. sect. 1. num. 1. Cordubensis, Franciscus Turrianus, Cajetan. Conrad. Taperus, Marsilius, Ocham, Bunderius, quos relatos sequitur Vasq. disp. 132. cap. 4. Eamdem sententiam docent Suar. t. 2. tract. 5. disp. 9. sect. 2. num. 15. & prologomeo. 4. de gratia cap. 8. num. 12. Becan. 1. p. Summæ tract. 2. cap. 9. q. 6. & in Manuali controversiarum ad finem Opusculorum lib. 1. cap. 14. q. 1. num. 9. Didacus Aluarez t. 2. disp. 129. §. *Secunda conclusio.* Salas disp. 11. sect. 2. à numer. 37. Salazar de Conceptione Virginis cap. 1. §. 1. num. 6. Lorca de peccatis disp. 43. Bonacinas tom. 2. disput. 2. quæst. 1. punct. 2. numer. 2.

1198. Forma tamen negata hujus privationis maximū inter prædictos Doctores excidium excitavit. Constat enim esse justitiam originalem: sed cum variè accipiatur ista justitia originalis, juxta modos diversos, quibus accipitur, variant Doctores: unde & fit sexta sententia Vasq. cap. 8. Suarez lib. 6. de gratia cap. 2. num. 2. & locis citatis, & communiter Recentiores docent peccatum originale consistere in privatione justitiæ originalis in actu primo: id est, gratiæ sanctificantis: & hic est unus communior explicandi modus, quo defenditur, essentiam peccati originalis esse privationem justitiæ originalis, acceptæ in actu primo, id est, pro gratia sanctificante.

1199. Alii, & fit septima sententia, asseverant illam privationem justitiæ originalis esse privationem justitiæ originalis secundùm omnia, quæ amplectebatur status innocentiæ in Adamo. Ita D. Thomas 1. 2. q. 82. art. 1. in corpore, & ferè omnes antiquiores, ut Alensis, Bonavent. Richard. & alii apud Cavellum ad 2. sentent. dist. 32. num. 7.

1200. Nonnulli, & est octava sententia, asseverant privationem justitiæ originalis, in qua formaliter consistit essentia peccati originalis, esse privationem divinæ benevolentiæ. Denique plures Doctores, & fit nona sententia, defendunt privationem justitiæ originalis, quæ est essentia peccati originalis, esse privationem justitiæ originalis in actu secundo, id est, esse privationem justitiæ, ut actualiter subjiciebat mentem Deo, quod explicatur per privationem rectitudinis debitæ, ita ut rectitudo debita actui sit forma negata privationis illius, in qua consistit originale peccatum. Ita Scotus.

1201. Ultima, & vera sententia docet peccatum originale consistere in reatu culpæ: hæc est proculdubio sententia Augustini, ut infra probandum est: Ut tamen veritas constet, singulæ opiniones expendendæ sunt, & quæ mihi verior visa fuerit, approbanda.

SUBSECTIO TERTIA.

Reprobatur prima sententia de morbida qualitate.

1202. Et quidem prima sententia relata, num. 1193. constituens essentiam peccati originalis in morbida qualitate animæ, producta ab alia qualitate corporis, omnino improbabilis est. Primo, quia vel illa morbida qualitas, quæ est in anima, producitur à Deo specialiter; vel ab illa qualitate physica, & ex natura rei: non pri-

mum, aliter jam Deus foret causa specialis, & sola peccati originalis, quod nec Manichæi ausi fuesunt affirmare, cum Deus nec se solo immediatè, nec medio instrumento operans ut causa specialis possit esse causa peccati, de quo supra 829. non secundum, quia illa qualitas residens in corpore, sive in concupiscentia, est corporalis, ut probat subjectum ipsum, cui inest; ergo nequit producere illam qualitatem spiritualem: Probo consequentiam, quia corpora non habent virtutem operandi spiritualia, non enim spirituale in virtute causæ alicujus continetur ex natura rei: Quod verò qualitas illa existens in anima sit spiritualis, constat, quia subjectum in quo existit, est spirituale, nimirum anima, ideo sæpe separata anima à corpore, habet peccatum originale quod contraxit, ut apparet in animabus quæ decedunt, quin per aquas baptismi ablutæ, à peccato originali fuerint liberatæ.

1203. Secundo, quia peccatum Adami debuit esse prima causa, quæ qualitatem corpoream produceret: non enim alia apparet: atqui à peccato Adami produci non potuit illa qualitas corporea; ergo fictitia est talis productio qualitatum. Minor ostenditur, quia peccatum Adami non existit; ergo non potest esse causa physica, hæc enim sui existentiam physicam requirit, ut conditionem logicam: de quo in libris physicorum.

Dices existere moraliter Adami peccatum, existentiamque moralem satis esse, ut causa physicè operetur. Exemplum afferri potest de causalitate physica sacramentorum, verba enim non existunt physicè, sed moraliter, & tamen cum existentia morali censentur causæ physicæ gratiæ: Sed contra, quia cum effectus sit physicus, debet existere id, à quo profluit, si enim non est, non causat: exemplum nihil probat: tum quia ex eodem capite negandum est sacramenta causare physicè gratiam, ut negat verior sententia: tum quia dato, quod sacramenta causent gratiam physicè, non destituuntur existentia physica, cum enim in eodem instanti, quo proferuntur verba, producatur gratia, adhuc censentur permanere verba.

1204. Tertio, quia peccatum Adami, vel est privatio, vel aliquid positivum: Si primum, non potest producere illam qualitatem in semine, qua producatur alia qualitas, sive peccatum in anima: non enim negationes sunt causæ physicæ alicujus positivi. Si secundum, redit idem argumentum de inexistentia peccati: & dato, quod non requiratur existentia logicè ad productionem physicam, non potest dubitari rem non existentem physicè solum per divinam omnipotentiam potuisse operari: si ita est, impossibilis est productio illius qualitatis, cum impossibile sit, quod Deus utatur sua absoluta omnipotentia ad productionem peccati; cum autem juxta contrarios, illa qualitas sit peccatum originale, cum non possit produci ab Adami peccato, nisi Deus omnipotentia sua vires suppeditet, ut peccatum Adami prædictam qualitatem producat, proculdubio impossibile erit, quod peccatum Adami illam producat.

1205. Objiciunt primo, quia ita sensit Augustinus; qui peccatum originale qualitatem morbidam appellavit lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 25. *Non enim substantialiter manet, sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio quadam mala qualitatis, sicut languor.* Ergo est qualitas morbida. Respondetur D. Augustinum in eo, & aliis locis, quæ afferuntur intelligendum esse de concupiscentia effrænata, quæ cum sit tot vitiorum parens, tot motuum radix, & omni justitiæ originalis dono carens, morbida dicitur, ut ex contextu Augustini patet, & amplius patebit sect. 20. num. 1287. cum de traductione peccati originalis sermo fuerit, & ita intelligit D. Augustinum S. Thomas 1. 2. q. 82. art. 3. cum enim art. 1. docuisset peccatum originale esse habitum corruptum, se explicavit docens, ita verum esse de materiali peccati, id est de concupiscentia.

SUBSECTIO QUARTA.

Rejicitur secunda sententia constituens essentiam peccati originalis in actuali peccato Adami.

1206. Secunda sententia docens, peccatum originale esse idemmet actuale Adami, nihilque intrinsecum inesse hominibus, quod habeat rationem peccati originalis, eum omnes posteri Adami extrinsecè denominentur peccatores ex peccato, quod commisit Adamus, est improbabilis.

Primo, quia Paulus ad Roman. cap. 5. comparat peccatum originale ex Adamo contractum, cum justitia à Christo data hominibus: atqui homines dicuntur, & sunt justi formaliter per gratiam, quæ in ipsis est, & non per illam gratiam, quæ est in Christo; ergo etiam iidem homines constituentur formaliter injusti, non per actuale Adami, sed per proprium peccatum.

Secundo, quia oppositum expresse definivit Tridentinum sess. 5. can. 3. *Si quis hoc Ada peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium, vel per humana natura vires,* &c. tria enim hic definiuntur. Primum, peccatum originale inesse singulis, & inde unicuique esse intrinsecum. Secũdum, propagari, & transfundi: propagatio autem & transfusio, cum fiat per multiplicationem, jam peccatum non erit unum numero in omnibus hominibus. Tertium, peccatum originale esse in nobis per propagationem, & non tantum per imputationem: atqui ex illa sententia sequuntur tria opposita his tribus dogmatibus hic definitis; ergo expresse definit Concilium peccatum originale non consistere in peccato actuali Adami. Minorem probo primo, quia peccatum actuale Adami, solum infuit animæ Adami, & ad plurimum denominare potest homines peccatores extrinsecè, non enim est forma intrinsecè afficiens homines, quos peccatores denominat; ergo jam non est peccatum originale intrinsecum unicuique nostrum. Secundo, illud numero peccatum Adami non transfunditur, nec propagatur: aliter idem numero peccatum, quod fuit in Adamo, foret in posteris, quod nec auctores hujus sententiæ docent, nec philosophia admittit. Tertio, quia cum denominentur homines peccatores ab illo peccato Adami, erunt peccatores imitatione, non propagatione.

1207. Ex quo sequitur, illam opinionem esse eamdem cum errore Pelagianorum, qui tantùm imitatione, non verò propagatione admittebant dari in hominibus peccatum originale: & ita sentiunt Vasq. disp. 132. cap. 2. §. *Verum.* Valent. disput. 6. quæst. 12. puncto 1. Suar. 12. tract. 5. disput. 9. sect. 2. num. 1. Bellarmin. lib. 4. de amissione gratiæ cap. 16. & alii apud Salaz. disput. 11. sect. 2. n. 11.

Ego autem, sententiam in sensu explicato eadem ferio censura, nego tamen in eo sensu prædictæ sententiæ Doctores fuisse loquutos; in bo-

no enim sensu à pluribus Doctoribus exponuntur, nimirum à Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 9. Becano 2. p. Summæ cap. 9. q. 5. conclusione 1. Salaz. cit. num. 23. solum etenim asserunt parvulos pollui ex actuali peccato Adami, hoc autem non ideo asserunt, quia peccatum originale in parvulis non insit intrinsecè, & solum denominentur extrinsecè peccatores, sed quia originale peccatum ex actuali Adami peccato, ut ex radice, in qua radice peccaverunt, eo quod cum omnium voluntates in una Adami voluntate fuerint constitutæ, censentur idem peccatum cum Adamo commisisse: juxta illud ad Roman. 5. *In quo omnes peccaverunt*, & illud Oseæ cap. 6. vers. 7. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum*, cui expositioni, & benignæ interpretationi favet maximè Augustinus 1. retract. cap. 11. & In Enchiridion. cap. 36.

1208. Quod amplius patebit ex Doctorum prædictæ sententiæ fundamentis. Arguunt enim primo. Peccatum originale prius fuit in Adamo, quàm in posteris; ergo peccatum actuale Adami, fuit originale posterorum. Antecedens patet, quia peccatum originale ex Adami peccato derivatum est; ergo prius in Adamo fuit. Respondetur hoc argumento solum probari, peccatum originale, prius fuisse in Adamo causaliter, non formaliter cum enim peccatum Adami fuerit actuale, & personale, in posteris sit originale, peccatum habituale à peccato actuali Adami causatum, non potest esse idem numero, sed diversum, & in omnibus, intrinsecè actuale in Adamo, & in posteris originale: quæ est doctrina expressa S. Augustini lib. 2. de nuptiis cap. 26.

1209. Secundo, peccatum Adami non fuit originale, & nostrum; ergo nobis non potuit nocere. Respondetur hoc argumento solum probari, peccatum Adami fuisse nostrum causaliter, non formaliter: cum autem fuerit causa, cur posteri incurrerint peccatum originale nobis necessariò nocuit: quia & fuit nostrum, & alienum: nostrum dum fuit causa: alienum quia fuit personale, & proprium Adami.

1210. Tertio, voluntas Adami, fuit voluntas omniũ peccatorum, ideo enim peccaverunt, quia in Adamo constitutæ fuerunt omnium nostrûm voluntates; ergo etiam peccatum Adami, fuit peccatum omnium posterorum. Respondetur, hoc argumento solum probari, peccare originaliter posteros Adami, quia Adamus peccavit, non tamen idem numero peccatum, quod Adamus commisit contrahi à posteris, sed diversum numero. Ratio clara est, quia Adamus peccavit actualiter, & voluntate propria, posteri originaliter, & voluntate aliena: non contraherent originale, si Adamus non commisisset actuale; quare peccatum Adami, ut actuale, non fuit proprium posterorum, nisi tantum causaliter.

1211. Quarto, eidem numero culpæ, eadem numero pœna correspondet, eo quod juxta culpæ mensuram, erit plagarum modus: atqui pœna peccato Adami imposita, fuit omnibus posteris ob contractionem peccati originalis communis, & eadem; ergo, & peccatum erit commune. Respondetur hoc argumento solum probari, & peccato actuali Adami, & originali posterorum eamdem impositam fuisse pœnam; non tamen idem numero esse peccatum, cur autem pœna sit eadem, & non culpa, est quia culpa originalis procedit à culpa actuali Adami, & eamdem cum illa habet difformitatem, sed in specie, non in individuo.

SUBSECTIO QUINTA.

Exploditur tertia sententia, quæ constituit essentiam peccati originalis in reatu pœnæ.

1212. Supra num. 1195. retuli tertio loco sententiam, quæ constituit essentiam peccati in reatu pœnæ: quæ sententia omnino improbabilis est. Primo, quia reatus pœnæ, non est culpa, sed ex culpa resultat, estque medium inter culpam, & ipsam actualem pœnam: cum enim nihil aliud sit reatus pœnæ, quàm meritum, & dignitas pœnæ, prius præsupponi debet culpa, quàm meritum pœnæ, & præsupponi debet meritum pœnæ, sive reatus, ipsi pœnæ. Exemplum sit in merito operis boni, quod est medium inter bonitatem operis, & præmium.

Secundo, quia hæc est vera, ideo posteri Adami habent reatu pœnæ, sive pœnam merentur, quia contraxerunt originale; ergo ille reatus pœnæ, non est peccatum originale. Patet consequentia, quia quando unum ex alio oritur, non est formaliter idem cum eo à quo oritur: sed reatus pœnæ oritur ab originali peccato; ergo reatus pœnæ non est idem cum originali peccato.

Tertio, quia ille reatus pœnæ, sive obligatio ad pœnam ex voluntate Dei dependet; ergo non est culpa; non enim culpa immediatè, & specialiter à Dei voluntate dependere potest, immò contra Dei voluntatem fit. Antecedens est certum, quia licet omnis culpa digna sit pœna, potest tamen Deus utens sui supremi dominii potestate, nolle, quod culpa puniatur, in quo casu, dabitur culpa absque illo reatu.

1213. Falluntur autem illi Doctores, quos allegavi num. 1195. dum hanc sententiam magno imponunt Augustino: qui licet constituat essentiam peccati originalis in reatu, non est tamen reatus, in quo illam constituit, reatus pœnæ, sed culpæ, ut explicandum est cum eodem Augustino infra num. 1244.

1214. Objicies, tamen difficilem Augustini locum, ex lib. 6. contra Iulian. cap. 19. ubi docet reatum illum non in animo hominis peccantis, sed in mente Dei punientis existere: ex quo clarè sequitur reatum illum, non esse culpam, sed pœnam: nam si foret culpa, non in mente Dei, sed in hominis existeret voluntate: ita habet. *In occultis legibus Dei, quæ conscripta sunt quodammodo in mentibus Angelorum, ut nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis Mediatoris expiaverit: cujus signo crucis consecratur unda baptismatis, ut ea diluatur reatus tamquam in chirographo scriptus in notitia spiritualium potestatum, per quas pœna exigitur peccatorum*: Hoc loco convictus Vasq. citatus, non dubitavit gravissima nota infigere Augustinum, quasi doceret reatum pœnæ esse id, in quo Augustinus constituerat essentiam peccati, ex qua, ut ait, *cogimur incidere in sententiam Pelagii*, quia talia feret? Nimia fuit ista licentia, & non minima temeritas, qua usus, flagellum, & profligatorem hæresis ad Pelagianorum partes detulit.

Locus ergo ille, sive intelligatur de reatu pœnæ, sive culpæ, cum de eodem intelligi possit, perperam affertur ad probandum ex mente Augustini originale peccatum constitui in reatu pœnæ.

1215. Pro quo notandum est primo, inter Iulianum & Augustinum aliquale dissidium fuisse, ortum ex illis verbis, quibus Augustinus dixerat, concupiscentiam manere actu, præterire reatu:

quod reprehendit Iulianus, affirmans potius peccata præterite actu, & manere reatu: & uterque accipiunt reatum illum pro reatu culpæ, cum talem reatum, impietatem unus, & alter appellet; ut eo capite 19. videri potest.

Secundo, phrasim esse Augustini, appellare objectum conscientiæ, vel animi, esse in animo, esse in conscientia, quasi illud cujus memoria recordatur, aut mens intelligit, sit in memoria, & in mente, ac in conscientia objectivè, non formaliter: ita lib. 16. cont. Faustum cap. 5. docet veritatem esse in animo nostro; quod si ab eo per oblivionem excidat, in legibus veritatis, *prius inveniatur in animo nostro, cum id verum scimus*: Ecce esse in animo, est verum scire, sive veritatem, agnosci, & esse objectum animi: Et lib. 9. de Trinit. cap. 5. *Mens quæ se novit, & amat; in amore & notitia sua est: & amor amantis mentis, seseque scientis, in mente, notitiaque eius est.* Ecce, esse in memoria, notitiaque, est esse objectum memoriæ, & notitiæ. Tertio, oppositum fuisse à Iuliano præteriti peccati *reatum manere in conscientia eius, qui deliquit*, id est, hominem esse conscium sui peccati, ut intellexit Augustinus addens: *Ergo in subjecto est, hoc est in animo eius, qui deliquit se meminit.* Quibus notatis ex non bono Auctore, sed legitimè adductis,

1216. Facilis est explicatio loci Augustini, convenit enim cum Iuliano in eo, quod reatus ille sit in animo delinquentis, quamdiu illius recordatur, quod si oblitus fuerit, non perire peccatum, sed adhuc manere in legibus Dei, & in mentibus Angelorum, non quidem subjectivè, & formaliter, sed objectivè, id est, licet obliviscatur peccator suæ culpæ, non obliviscitur tamen Deus, nec obliviscuntur Angeli, apud quos permanet ut objectum peccatum illud, ad effectum supplicii de eo sumendum; verè enim in delinquente est subjectivè, sive sit reatus culpæ, sive pœnæ, etiamsi obliviscatur: nam hæc oblivio, non aufert impietatem, videlicet reatum culpæ; nec pœnæ obligationem, nimirum reatum pœnæ, siquidem semper præsto sunt, ut objecta Dei, & Angelorum intellectibus, ut de eo sumatur supplicium: *Vt nulla sit iniquitas impunita nisi quam sanguis Mediatoris expiaverit.* Iniquitas ergo est ille reatus, qui manet in legibus Dei, & mentibus Angelorum, ut puniatur: iniquitas autem non est reatus pœnæ, sed culpæ: quod clarius exprimunt verba sequentia. *Cuius signo crucis consecratur unda baptismatis, ut ea diluatur reatus*: ergo per baptismum diluitur ille reatus: quis autem reatus est ille, quem diluit vnda baptismatis? Quis? peccatum originale; ergo ille reatus non est pœnæ, sed culpæ.

1217. Demus tamen esse reatum pœnæ; ergo in eo constituit Augustinus essentiam peccati originalis. Procul hæc consequutio ab homine docto: quo pacto inferri hæc sententia potest ex prædicto loco? ego non video: solum enim inferri potest, etiamsi homines sibi persuadeant, dum culpæ, vel pœnæ obliviscuntur, quod præscripta sit pœna debita culpæ, & deleta ipsa culpa; falli in eo, nam oblivio illa non aufert culpam, nec absoluit à pœna, cum adhuc maneat culpa, & obligatio pœnæ, quæ si hominum memoriam effugiunt, non tamen à Dei mente vel ab Angelorum mentibus longè sunt, cum sint objecta & Dei, & Angelorum mentibus patentia, & suo tempore vindictæ reservata.

SUBSECTIO SEXTA.

Reiicitur quarta sententia de concursu morali.

1218. **Q**Uarto loco numer. 1196. retuli opinionem quorumdam Recentiorum asserentium nihil aliud esse peccatum originale, quam concursum moralem, quo concurrimus ad violationem pacti cum Adamo; duplici tamen modo defenditur. Primo, posterorum concursum esse omnino eumdem cum Adami actione, ita ut eadem omnino actio Adami à nobis fuerit operata, dicique proprium cujusque peccatum per connotationem ad peccatum ipsum contrahendum in propria persona: & hic est sensus Ægidii, ac Valentiæ: Secundo, nostrum concursum non esse eumdemmet Adami, sed distinctum denominantem unumquemque posterorum, peccatorem; sunt enim tot concursus morales, quot peccata originalia, sive quot posteri Adami futuri sunt; qui omnes concursus perseverant moraliter tantum, velut peccata habitualia, & hic sensus est Suar. Lugo & aliorum,

Hæc tamen sententia quocumque ex his modis explicata, est valde difficilis: & primo, quoad primum modum ita acriter impugnatur à Salaz, de Conceptione cap. 1. §. 4. ut propter eam non vereatur asserere Ægidium incidisse in errorem Pelagianorum, quæ censura non ex animo prolata fuit à Salazar cum diversa sit mens Pelagianorum, ut dicam numero 1268. & benè ostendit Saavedra in sacra Deipara vestigatione 2. disputat. 11. numero 444. sed ex ita concepta contra Ægidium ob censuram prolatam contra Vasquium.

1219. Et multis omissis, convincitur de improbabilitate præfatus modus, quia jam in instanti, quo Adamus peccavit, contraherent actu posteri Adami peccatum originale, essentque homines non existentes, sed futuri, (imo possibiles juxta dicenda à num. 1528. actu peccatores, Deique inimici, quo nihil absurdius. Probatur, quia illa actio, sive peccatum Adami, est immanens; ergo in eodem principio, à quo elicitur, recipitur juxta legem, & naturam actionum immanentium vitalium; cum ergo actu illa actio eliciatur à voluntate Adami, & posterorum, actu recipietur in Adami, & posteriorum voluntate: & sicut Adamus denominatur peccator actualiter denominabuntur posteri Adami peccatores. Confirmatur, quia quado Adamus peccavit, adhuc voluntates posterorum Adami non erant existentes; ergo nec operantes, & consequenter non poterant elicere illam actionem. Probatur antecedens, quia operatio supponit actualem existentiam, & operari hic & nunc, supponit actu hic, & nunc principium operans existere.

1220. Dices hoc verum esse, si actio procederet personaliter à posteris Adami, non vero si procedat originaliter. Sed contra primo, quia vel procedere originaliter illam actionem à posteris Adami, est solam voluntatem Adami influere in illam actionem; vel ideo operari voluntates posterorum, quia continentur in Adamo. Si primum, jam actio illa non procedit à voluntatibus posterorum. Si secundum, jam omnes actiones Adami à posterorum voluntatibus procederent: est ergo, illam actionem esse nostram, non quia à nobis elicitur, sed quia nostra censetur propter alligationem, & conjunctionem nostrarum voluntatum, cum voluntate Adami ex vi pacti: censeri autem actionem nostram, & elici

elici à nobis, diversum est, actio enim censeri potest nostra, quin sit à nobis: quæ omnia benè prosequuntur Basilius Pontius variatum disputat. part. 1. relect. 5. §. *Atque.* Saavedra, & Salazar citati: & faciunt etiam contra hunc modum defendendi prædictam sententiam, omnia, quibus secundum modum impugnabimus.

1221. Secundo ergo improbatur secundus modus. Primo, quia hic modus dicendi tacitè admittit id quod ejus patroni negant, nimisum omnia futura realiter & actu coexistere æternitati Dei, quæ doctrina adhuc si vera foret, non posset deservire præsenti, quia licet res futura realiter coexistat æternitati, hæc coexistentia deservire non potest ad hoc ut voluntas sub tali existentia sit principium operationis.

1222. Secundo, vel illa actio est voluntaria, & libera posteris Adami voluntate propria, vel non: non primum, quia liberum & voluntarium supponit principium intrinsecum cognoscens singula: atqui nostrum omnium voluntates non erant cum actu elicita fuit illa actio ab Adamo; ergo: Secundo, jam peccatum originale esset propria voluntate factum, non aliena: quod est contra Patres & Theologos, communiter asserentes peccatum originale non esse factum voluntate propria nostra, sed Adami.

1223. Dices primo, à Deo suppletum fuisse defectum existentiæ nostrarum voluntatum; sed contra primo, quia defectus principii vitalis, & actionis immanentis suppleri non potest à Deo. Secundo, licet posset suppleri, non tamen hic defectus, cum sit ad actum peccaminosum, quem Deus hoc casu potius eliceret, quam nostra voluntas, itaut Deus diceretur causa illius actionis peccaminosæ, siquidem foret illius causa specialis, & principalis, cui potius attribueretur actio illa peccaminosa, quam voluntatibus, quorum defectum Deus suppleret.

1224. Dices secundo, ad concursum physicum liberum & voluntarium requiri principium existens cognoscens singula, non vero ad moralem; quia est concursus per æquivalentiam solùm secundùm æstimationem, qua putatur voluntas influere, ac si physicè existeret, & afferunt contrarii exempla. Primum est voluntas pupilli constituta à Rege in voluntate tutoris, ita ut pupillus censeatur facere quidquid tutor effecerit. Secundum, suffragium latum à Senatoribus repræsentantibus civitatem, quod ab illis procedit, ac si à tota civitate esset. Tertium, homines transferunt suas voluntates in procuratorem, ita ut gestum censeatur fieri ab eo, ac si ab aliis fieret.

1225. Sed contra primo, quia non satis est illa æquivalentia, ut dicamur ita agere, ac si physicè ageremus, aliter peccatum originale personale foret. Secundo hoc dato, non potest aptari huic casui: nam sequerentur plura absurda. Primum, Beatos in cœlo eodem modo se habere, ac si caverent omnia peccata, & tamen non dicuntur evitasse omnia peccata. Secundum, puerum assumptum ad Cardinalatum cum privilegio antiquitatis quinquaginta annorum, eodem modo se habere, ac si quinquaginta annos haberet, & tamen non dicitur extitisse ante quinquaginta annos, & similia.

1226. Secundo, quia falluntur prædicti Auctores, dum existimant, idem esse participare damnum, vel commodum alicujus rei, ac eam effecisse, ut illius causam, sive moraliter, sive physicè: est enim diversum omnino: diversum enim est à me elici actionem, ac censeri illam actionem meam: Nam ad primum requiritur physica dependentia à mea voluntate, non ad secundum; requiritur efficientia, quia sine illa, non competit mihi virtus, aut vitium; inde nulla virtus, aut ullum vitium alienum à me elicitur, si ad illam aut ad illud non concurro: possum tamen alterius virtutis aut vitii participare fructum, quin concurram,

Quod manifestè apparet in exemplis allatis numero 1224. nam facta à tutore non censentur valida, quia ad illa concurrit pupillus moraliter, sed quia princeps, ut supremus dominus rerum, dominia transferre potest, eo enim modo quo transfert, præscribit tempus ad bonæ fidei possessionem, quandoquidem transfert dominium pupilli per gesta facta à tutore, quin pupillus concurrat, imo sæpe renitatur.

Non secundum, cum potius approbet nostram doctrinam: censetur enim suffragium Senatorum, proprium civitatis; non quod elicitivè sit à civitate, sed quia civitas alligavit suum consensum, vel dissensum voluntati Senatorum; inde omnia gesta in comitiis censentur fieri à civitate, quin à civitate fiant, imo sæpe renititur, & reclamat; præter quod civitas concurrit per voluntatem in illud suffragium, cum voluntariè transtulerit suum consensum, vel dissensum in Senatorum voluntatem: & idem est de tertio exemplo, quod in præsenti casu non datur.

1227. Tertio, improbatur ille modus, quia omnis propositio, ut sit vera de præterito, debet prius verificari de præsenti, & futuro: ergo hæc propositio, Omnes peccaverunt in Adamo, quæ est de præterito, debet verificari de præsenti, & futuro: ergo si propositio illa fuit vera in tempore quo peccavit Adamus, dandum est tempus, in quo sit vera de præsenti: ita ut antequam peccaverit Adamus, nos actu & personaliter peccaremus, & necessario asserendum omnes tunc maculatos esse: Hanc rationem latissimè, & doctissimè prosequitur Pennalosa in vindiciis Deiparæ de peccato originali disp. 1. cap. 2. §. 4. ubi reprobat hunc modum ex Conciliis, & Patribus.

1228. Objicies primo Augustinum variis locis docentem, nos tunc extitisse, & peccavisse cum Adamus extitit & peccavit: ita lib. 4. contra duas epistulas Pelagianorum cap. 4. lib. 3. de peccatorum meritis cap. 7. lib. 16. de Civitate cap. 27. ibi: *Quia parvuli non secundùm vitæ suæ proprietatem, sed secundùm communem generis humani originem, omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt;* Et hic est modus vulgaris, quo sancti Patres docent, à nobis contractum esse originale peccatum, quia scilicet omnes eramus in Adamo, cum ille peccavit.

Respondetur longè aliter interpretandos esse sanctos Patres, numquam enim Augustinus, aut aliquis sanctorum Patrum dixit, homines ideo peccasse in Adamo, quia morali influxu concurrimus ad eliciendam illam Adami actionem: solum enim asserunt, nos tunc extitisse quando ille peccavit, & fuisse omnes unum in illo uno; quod libenter fatemur: extiterunt enim posteri Adami physicè in illo secundùm originem, ut ait Augustinus, & quia sic erant in Adamo virtute, generandi per seminalem generationem, alligavit Deus omnium nostrum voluntates in voluntate Adami; ut quod faceret Adamus tantum circa vio-

lationem pacti, censeretur factum à filiis ejus; ex quo nullo modo inferri potest filios ejus per proprium influxum, & concursum concurrisse ad illam actionem.

1229. Instabis: Illa præpositio, *in*, denotat hunc concursum: Probo antecedens, non denotat continentiam virtualem: Primo, quia jam sine pacto inito cum Adamo poterat contrahi originale. Secundo, quia Deus, sicut constituit Adamum caput nostrum, poterat constituere filium Adami, caput nostrum; non significat solum alligationem nostrarum voluntatum; aliter, si in Adamo non essemus secundùm virtutem seminalem, adhuc contraherent posteri Adami peccatum originale, quod sanctis Patribus adversatur.

Respondetur præpositionem *in* significare utramque conjunctionem, & naturalem, & capitis: cum ex hac duplici conjunctione fuerit factus Adamus caput omnium ad transfundendum peccatum, & gratiam: ideo nihil aliud est peccare in Adamo, quàm Adamum esse causam meritoriam transfusionis peccati: & idem valet ac *per*, unde peccare in Adamo, est peccatum Adami censeri nostrum, quia ille fuit causa meritoria, per quam peccatum nobis inest juxta illud Pauli, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*: quæ phrasis vulgaris est in Scriptura. Ad Galatas 2. *Justificati in Christo* dicimur, id est meritis Christi de quo multa Salmeron Prolegomen. 16.

1230. Quare ab hoc peccato ablegandus est omnis noster concursus, ut ablegavit Innocentius III. cap. *Majores* versicul. *Verum*. de baptismo. *Originale peccatum, quod sine concursu contrahitur*; ablegarunt Patres asserentes, peccare homines originaliter, non quia aliquid egerunt, sed quia ex mala primi parentis voluntate, in quo secundùm seminalem generationem continebamur, factum est: ita Augustinus 1. retract. cap. 13. lib. 3. de liber. arbitr. cap. 19. sermon. 14. de verbis Apostoli; epistol. 23. & 89. lib. 6. contr. Iulian. cap. 4. in Hypognosticon ad articul. 2. in Enchiridion. cap. 26. & sæpe Cyrillus Alexand. advers. Antromorphitas cap. 8. Bernard. sermone in illa verba Iob *In sex tribulationibus*, S. Maximus sermon. de Assumptione: & concludens, ideo Paulus non dixit, nos cum Adamo peccasse, sed in Adamo, ut excluderet nostrum concursum, & significaret continentiam virtualem & alligationem nostrarum voluntatum in voluntate Adami.

SUBSECTIO SEPTIMA.

Impugnatur opinio communis constituens essentiam peccati originalis in privatione originalis justitiæ quocumque modo explicetur.

1231. SUpra numero 1197. retuli quinto loco sententiam communem constituentem, essentiam peccati originalis in privatione justitiæ originalis, variosque modos, quibus defenditur, & explicatur: verum salva communioris sententiæ reverentia, ea numquam mihi placuit, ut nec etiam placuit Vigueiro in institutionibus cap. 58. §. 5. de peccato origioali, versic. 1. & Granad. contr. 6. tract. 8. disputat. 3. sect. 1. numero 14. & absolutè impugno hanc sententiam, quia peccatum originale est simile habituali, quod fuit in Adamo, & ejusdem speciei: atqui peccatum habituale non est aliqua privatio ut dixi supra à num. 907. ergo nec originale peccatum.

1232. Deinde singulos modos, quibus defenditur, impugno: Et primum relatum num. 1198. de privatione gratiæ sanctificantis non posse subsistere, probo primo, quia non potest Deus conferre gratiam, quin remittat peccatum originale: nulla enim apparet ratio, cur hoc impossibile judicetur; ergo peccatum originale non est privatio gratiæ, cum dari non possit peccatum originale, quin subjectum sit gratia privatum.

1233. Secundo, nullus committit speciale peccatum, nisi speciale præceptum transgrediatur: atqui non fuit impositum aliquod præceptum speciale conservandi gratiam sanctificantem; ergo qui gratiam sanctificantem non conservaret, non committeret aliquod speciale peccatum; ac proinde ille, qui se voluntariè gratia sanctificante privat, specialiter non peccat; nec privatio illa gratiæ, est aliquod peccatum: Minorem probo, quia ex opposito sequeretur, quotiescumque unum frangitur præceptum duplex peccatum committi specie diversum, necessariò in confessione aperiendum. Sequelam probo, quia cum quis aliquod præceptum frangit, verbi gratia, non furandi, frangeret etiam præceptum conservandi gratiam, cum homo priveretur gratia per cujuslibet præcepti gravis transgressionem, & tunc esset peccatum furti, & privatio gratiæ; illud oppositum justitiæ præcepto, hoc præcepto conservandi gratiam; hoc autem absurdum est; ergo & illud ex quo sequitur.

Tertio, quia peccatum non solum est operatio humana, secundùm libertatem, sed etiam secundùm rem volitam: atqui privatio gratiæ, non est operatio hominis, sed Dei; ergo non est operatio humana secundùm rem volitam, & per consequens nec peccatum.

1234. Quarto, privatio gratiæ est pœna; ergo non potest esse culpa: Antecedens probatum est supra à numero 907. hoc enim argumento, eo loco ostendi privationem gratiæ sanctificantis non esse peccatum habituale: & amplius ostendo illud antecedens. Primo, quia propterea Deus primum parentem, & ejus posteritatem gratia sanctificante privavit, quia primus parens, & in eo omnis ejus posteritas peccavit. Secundo, Deus statuit privare gratia Adamum, & ejus posteritatem futuram, si præceptum de ligno vetito frangeretur; ergo illud peccatum, quod Adamus commisit, frangens præceptum, fuit peccatum, quod contrahit ejus posteritas; ergo non fuit privatio. Probo consequentiam: quia illa privatio gratiæ, fuit imposita pro pœna, & talis pœna taxata fuit pro illo peccato, ex libera Dei voluntate proveniens, quia sine tali privatione poterat aliam diversam pœnam imponere pro eodemmet peccato. Tertio, talis privatio à Deo solo fuit, & est facta; ergo non potest esse peccatum. Probatur antecedens, *Causa quæ est causa totalis formæ negatæ, est causa totalis privationis*: sed Deus solus est causa totalis gratiæ, quæ est forma negata; ergo etiam est causa totalis privationis.

1235. Huic argumento, occurrunt contrarii, præcipuè Vasq. cap. 10. num. 45. & Suar. ad locum 1. 2. num. 3. respondentes, privationem gratiæ physicè, & secundùm suum esse, esse pœnam, & non culpam: moraliter verò, ut voluntaria est, esse culpam, & non pœnam: in præsenti autem accipitur privatio moraliter, & non physicè.

Hoc tamen effugium, quo usi jam fuerunt, cum de peccato habituali sermo fuit, ibi à num. 914.

reprobatum est: & ulterius illud impugno, primo. Nullus imponit pro culpa pœnam, quæ sit injuria æqualis illi, propter quam pœna merita fuit, ut contrarii confessi sunt illo loco num. 998. sed illa privatio quæ imponitur ut pœna, est simul culpa; ergo erit pœna æqualis culpæ, & injuria, quæ causa extitit moralis pœnæ. Secundo, Deus sibi complacet de tali pœna; ergo non potest, quocumque modo sumatur, esse culpa: Probo consequentiam, quia illa pœna essentialiter est culpa; ergo Deus de illa, ut est pœna, sibi non poterit complacere, quin sibi non complaceat de ea, ut culpa est: cum privatio gratiæ physica, non separetur à privatione gratiæ morali.

1236. Tandem ostendo quinto privationem non posse esse peccatum originale: Illa privatio gratiæ in parvulis, non potest esse pœna, si est culpa; ergo cum sit pœna, non erit culpa. Probatur antecedens: Pœnæ debet præexistere culpa, ideo enim quis punitur, quia est dignus pœna; ergo dignitas illa est prior, etsi dignitas pœnæ est pejor, à fortiori culpa, quæ dignum pœna peccatorem constituit, erit prior ipsa pœna, quod ingenuè fateri tenetur Vasq. utpotè qui cap. 3. n. 15. fatetur dignitatem pœnæ, esse ipsa posteriorem. Tum sic, Nihil datur prius in parvulis, quàm peccatum originale; ergo si hoc est privatio gratiæ, illa privatio non potest esse pœna: aliter esset prior, & posterior seipsa.

1237. Dices cum Vasq. cap. 10. num. 41. privationem gratiæ non esse pœnam respectu peccati parvulorum, cum hoc sit posterius ipsa dignitate pœnæ, sed respectu peccati primi parentis, respectu cujus est posterior: ita ut dignitas pœnæ sit prior peccato parvulorum, respectu cujus non est pœna: & posterior peccato primi parentis, respectu cujus est pœna. Hæc tamen evasio potius corrigenda, quàm admittenda videtur. Primo, quia jam parvuli punirentur, non ob proprium cujusque peccatum, sed ob peccatum primi parentis: quod falsum est, & contra Tridentin. sess. 5. can. 2. ubi æqualiter decernit ab Adamo transfusum fuisse peccatum, & pro posteris suis gratiam, & sanctitatem perdidisse. Secundo, quia dato, quod Adamus in aliquem ex posteris non transfudisset peccatum, adhuc parvulus ille puniretur, quamquam nullum contraheret peccatum. Patet, quia pœna non fuit imposita pro uniuscujusque peccato (ita asserit Vasques) sed pro Adami peccato: atqui Adami peccatum extat; ergo & pœna, licet non extet proprium peccatum.

1238. Objicies primo, pro hoc modo explicandi opinionem communem juxta Concilium Arausicanum & Tridentinum: Peccatum originale est mors animæ: atqui mors animæ est privatio gratiæ; ergo hæc erit peccatum originale. Respondetur primo, Explico antecedens, peccatum originale est mors animæ causaliter, concedo: formaliter, nego; id est, licet peccatum originale non sit formaliter illa mors animæ, qua anima privatur gratia, est tamen causaliter, quia demeritoriè causat illam privationem. Respondetur secundo, distinguo minorem: mors animæ, est privatio gratiæ, tantum, nego: etiam, concedo: ut enim corpus non moritur solo uno mortis genere, cum multæ sint causæ, quæ corpori mortem afferre possent: ita animæ obvenire potest mors, non solum ex una causa, scilicet ex privatione gratiæ, sed ex aliis; major enim causa est, ut moriatur anima, ipsum peccatum, quam privatio gratiæ; cum enim mors animæ sit separatio animæ à Deo; cum peccatum separet animam à Deo, dum eam à Deo fine ultimo avertit, illa aversio erit potior causa cur anima sit mortua: plus enim anima moritur dum à Deo avertitur, quam dum privatur gratia, gratia enim potest esse cum aversione à Deo, & privatio gratiæ cum amore Dei, veluti si Deus contrito deneget gratiam.

1239. Secundo, peccatum originale in nobis est simile habituali: atqui habituale consistit in privatione gratiæ; ergo & originale. Respondetur, negando minorem: ut latè probavi supra à n. 907. ad n. 919.

1240. Tertio, idem est remittere peccatum originale, ac sanctificare parvulum: ergo idem erit contrahere peccatum originale, ac carere gratia sanctificante. Probatur consequentia, quia si infusio gratiæ est expulsio peccati, privatio gratiæ erit contractio ejusdem peccati. Respondetur negando antecedens, imo remissionem peccati originalis, ac infusionem gratiæ, esse quid diversum, constat ex Tridentino distinguente remissionem peccati ab infusione gratiæ, sess. 6. cap. 7. *Justificatio ipsa consequitur, quæ non est solum peccatorum remissio, sed etiam sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ:* Et loquens de donis gratiæ, spe & charitate, quæ in sua justificatione homo recipit ita habet; *Unde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo.* Et Canone 11. *Si quis dixerit homines justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia*, &c. Ergo ex doctrina Concilii Tridentini habetur, diversum esse remittere peccatum, ac tollere privationem gratiæ.

1241. Secundum modum explicandi opinionem communem relatum num. 1199. de privatione justitiæ originalis secundùm omnia, quæ constituebant illum statum, impugnant Doctores primi modi quos retuli num. 1195. sed rationes, quibus utuntur, nec urgent, nec veræ sunt: nam Suar. citatus num. 19. ex eo arguit hunc dicendi modum, quia gratia, est quæ primo, & per se est necessaria, ut homo sit verè & simpliciter conversus ad Deum, ac amicitiam cum illo conservet, cætera verò dona, sunt ornamenta illius status; ergo privatio gratiæ, & non simul privatio cæterorum, quæ complent justitiam originalem, erit id, in quo consistit essentia originalis peccati.

Sed hæc Suarii ratio falsa est. Primo, quia illa dona gratiæ sanctificanti advenientia, non erant solum status illius ornamenta, sed necessaria, ut homo per majorem subjectionem, & per actus meritorios magis converteretur ad Deum. Secundo, quia gratia sanctificans non est amicitia, & conversio formalis ad Deum: cum hoc munus sit proprium amoris Dei, qui formaliter hominem ad Deum convertit, unde potest homo esse in gratia, & aversus à Deo, si nimirum ponatur homo habens gratiam, & peccatum. Tertio, illa dona requirebantur ad essentialem perfectionem illius status, ut ipse Suar. fatetur in libro de opere sex dierum; ergo si privatio gratiæ est constitutivum peccati originalis, à fortiori privatio amoris Dei, & omnium, quæ essentialiter requirebantur ad integritatem illius status, erit constitutivum peccati originalis, cum per hanc privationem, homo à Deo sit formaliter aversus.

1242. Vasques cap. 10. alio fundamento impugnat hunc dicendi modum: quia cum justitia originalis integretur ex variis donis, plures dantur formæ negatæ in illius privatione; ergo cum

omnes privationes illarum formarum, non possint esse id, in quo essentia originalis peccati consistat, ne in uno quoque hominum dentur plura peccata originalia, recurrendum est ad formam negatam principalem, qualis est gratia sanctificans; & dicendum in privatione gratiæ sanctificantis constitui debere essentiam peccati originalis.

Hæc tamen ratio Vasquii non concludit: quia ut illa dona, seu formæ negatæ, sunt partes ex quibus una totalis justitia originalis integratur, ita privationes illorum donorum, essent partiales concurrentes ad integrandam unam privationem totalem, in qua constitueretur peccatum originale, & jam non forent propter illas privationes plura peccata originalia in uno quoque homine, cum foret unica, & totalis privatio illius justitiæ.

Quare ideo iste rejiciendus est modus, quia contra eum militant omnia argumenta, quæ contra privationem gratiæ sanctificantis objecta sunt: eodem enim modo, & ordine convincunt istam privationem, quæ fuit imposita, ut pœna pro peccato originali, non esse culpam, nec rationem formalem constitutivam peccati originalis. Insuper juxta Tridentinum per Baptismum aufertur quicquid habet rationem peccati: atqui non aufertur privatio justitiæ originalis, ut apparet in tumultuosa rebellione appetitus erga spiritum; ergo, &c.

Ob eamdem rationem, quod scilicet privatio divinæ benevolentiæ sit pœna consequuta ex peccato originali; rejicitur tertius dicendi modus, sive octava sententia relata num. 1200. quamquam inter jam refutatos dicendi modos, hic sit præferendus, ex ea ratione quod ista privatio formallius sit aversio à Deo, quàm privatio gratiæ sanctificantis, cum per amorem Dei homo formaliter ad Deum convertatur, & non per gratiam sanctificantem: præcipuè cum infundi possit gratia homini in peccato existenti, & peccatum sine gratia remitti possit.

1243. Quartus dicendi modus, sive nona sententia relata num. 1200. de privatione rectitudinis debitæ actus, probabilior est cæteris jam reprobatis: & ita eum expressit, & tuetur Scotus in 2. dist. 32. num. 7. Sequuntur Herrera de peccatis disput. 25. q. 3. Zumel 1. 2. q. 82. art. 3. disp. 1. ad 2. disputat. 2. conclusione 5. Granado controvers. 6. tract. 8. disp. 3. & sic esse intelligendos Doctores, qui constituunt originale peccatum in privatione justitiæ originalis, affirmat citatus Zumel. §. *Secundo colligitur*: Et ut verum fatear, hæc opinio, cohærentior est, quia cum Doctores prædicti, & alii communiter constituant peccati actualis essentiam in privatione rectitudinis debitæ actui, & peccatum habituale sit idem actuale solùm moraliter existens, ut latè probavi supra à n. 925. inde est, quod peccatum originale correspondens habituali, sit idem quod fuit actuale Adami: quod cum fuerit juxta communem sententiam privatio rectitudinis debitæ, privatio rectitudinis debitæ, erit peccatum originale; præcipuè, quia huic dicendi modo patrocinatur S. Anselmus lib. de Conceptu virginali cap. 23. quo loco appellat peccatum originale nuditatem justitiæ debitæ, sive rectitudinis debitæ, ut ipse ibi se exponit. Ego verò huic non subscribo modo dicendi, quia existimo essentiam peccati actualis consistere in positivo ordine ad objectum dissonum legi, & non in privatione rectitudinis debitæ, ut satis ostendi supra à num. 95. ad num. 104.

SUBSECTIO OCTAUA.

Defenditur & explicatur ultima sententia de reatu culpæ.

1244. Rejectis omnibus sententiis, quæ proferuntur circa essentiam peccati originalis, superest, ut veram tradamus. Illa est relata num. 1201. quæ asserit essentiam peccati originalis consistere in reatu culpæ: & licet nulla alia ratio hanc tueretur sententiam, quam auctoritas Augustini, qui expressè hanc sequutus est, hæc mihi satis esset, ut censerem, veram & certam esse sententiam: non quod statuam, ut hæretici faciunt, Augustinum pro regula veritatis, cum ab ea aliquando, ipso teste, deviaverit, sed quia cum Augustinus tanto rationum pondere, tanta divini spiritus assistentia & sapientia Pelagianos convicerit in quæstione de peccato originali, non videtur consentaneum divinæ providentiæ, ut tantus Doctor in eadem materia, in qua victor acclamatur ab Ecclesia, victus jaceat, errans circa tam arduam quæstionem.

Igitur propter rationes, & auctoritatem Augustini, sententia ista est verissima: & primo eam docuit Augustinus variis in locis: præcipuè lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 19. *Hujus concupiscentiæ reatum, regeneratio sola dimittit, quem generatio trahit.* Et cap. 27. afferens exemplum peccati habitualis docet, sicut peccata actualia prætereunt actu, & manent reatu: *Sic itaque è contrario fieri potest, ut etiam illud maneat actu, prætereat reatu.* Lib. cont. Julian. cap. 3. *Qui nos ab ejus originali reatu, spirituali regeneratione sanavit.* Et cap. 5. *Iam proculdubio cernis, atque concedis, esse in homine aliquid mali, quod, non ipsum, sed reatus, qui ex illo contractus fuerat, auferatur in baptismo.* Plura alia loca infra n. 1245. adducenda sunt, ex quibus perspicuum est, ab Augustino constitui essentiam originalis peccati in reatu, cum enim reatus sit illud quod in baptismo aufertur, & in baptismo solum auferatur, quod habet rationem peccati originalis juxta Tridentinum, & Augustinum, qui ex facto baptismatis sacramento contra Pelagianos probavit, non semel dari peccatum originale, negari non potest, reatum esse peccatum originale juxta Augustinum.

1245. Quod reatus, in quo Augustinus constituit essentiam peccati originalis, sit reatus culpæ, non pœnæ, clarius est, quam probatione egeat. Expressa loca dedi supra n. 906. loquens de peccato habituali & n. 1244. & insuper lib. 2. de peccatorum meritis cap. 24. *Per hæc sacramenta, peccati reatus in parvulis solvitur, de quo reatu scriptum est neminem esse mundum, nec si unius diei fuerit vita ejus; unde est & illud Psalmi, Ego in iniquitatibus conceptus sum.* In quo loco evidentissime explicat reatum culpæ esse in quo constituerat peccatum. Primo, quia peccatum reatum appellat. Secundo, quia per baptismum auferri illum reatum docet. Tertio, quia iste reatus, est illa immundities, & iniquitas, in qua conceptus est homo. Tandem quia Augustinus duplicem illum reatum culpæ, & pœnæ agnovit, utrumque distinctum, & reatum pœnæ incursum ob reatum culpæ. Ita 1. retract. c. 15. *Quasi vero peccatum, quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, hoc est reatu ejus implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri:* Ecce reatu implicatos esse parvulos, est contrahere originale peccatum, propter quem reatum manent obnoxii pœnæ, id est eum reatu pœnæ: cætera loca videri poterunt n. 906. ubi explico quid sit iste culpæ reatus.

1246. Modo loquendi Augustini utuntur D.

Thomas 1. 2. quæst. 82. art. 3. ad 2. Driedo lib. 1. de gratia, & libero arbitrio tract. 2. cap. 5. part. 2. Roffensis articul. 2. contr. Lutherum, ex Recentioribus Granado controvers. 6. tract. 8. disp. 3. sect. 3. num. 15. Moraines in Anti-Ianseoio disp. 15. sect. 4. à num. 25. & hæc est mens eorum Doctorum qui supra num. 1195. docuerunt essentiam peccati originalis consistere in reatu pœnæ, id est in reatu, per quem meruerunt illam pœnam: & hic est modus loquendi approbatus ab Ecclesia, à sanctis Patribus, à Doctoribus, qui peccatum habituale appellant reatum culpæ, de quo sup. à n. 1161.

1147. Cum igitur constet recte, & veritati, ac usui conformius esse, peccatum originale appellare reatum culpæ: videndum est, quid sit iste reatus culpæ, in quo sita sit essentia originalis peccati. Respondeo esse reatum participatum à peccato actuali Adami, sive esse peccatum simile habituali, contractum ex eo quod Adamus commisit, & ejusdem speciei cum illo.

Hæc est sententia Augustini, quem sequuntur Richardus à Media villa, Caietanus, & Sotus, quos refert & sequitur Cavellus in 2. dist. 32. n. 7. Medina 1. 2. q. 82. art. 1. conclus. 6. Zumel, & Herrera citati; Salmeron in cap. 5. ad Roman. dist. 47. fol. 605. Granado citatus: Moraines citatus n. 26.

Tria ergo probanda sunt. Primum, peccatum originale esse reatum culpæ participatum ex peccato actuali Adami: Secundum, sicut ex peccato actuali relinquitur peccatum habituale, ita ex peccato actuali Adami relictum esse peccatum originale, quod correspondet peccato habituali Adami. Tertium, esse ejusdem speciei, & rationis cum peccato actuali Adami.

1248. Primum probat Augustinus lib. 1. retract. cap. 15. in illis verbis supra allegatis num. 1245. *Quasi vero peccatum, quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere.* Expressius satisfaciens Augustinus duplici objectioni Pelagianorum, docet peccatum parvulorum ab Adami peccato participatum esse: ita citato loco. *Cur ergo parvuli tenentur rei? Respondetur, quia ex eius origine tenentur, qui non fecit quod facere potuit, divinum scilicet servare mandatum.* Et objicienti Iuliano ab Augustino parvulis adscribi scientiam sine conscientia; respondet lib. 5. cont. Iulian. *in quibus nec scientia est, nec conscientia: sed scivit ille quid faceret: in quo omnes peccaverunt, & singuli malum inde traxerunt:* & sæpe alibi: semperque Augustinus peccatum originale esse ex peccato Adami participatum docet, & ab eo peccato actuali Adami contractum: & amplius patet, quia peccatum originale juxta Tridentinum sess. 5. can. 2. ideo repetitur in parvulis, quia Adamus peccatum suum transfudit in posteros; ergo peccatum originale est participatum à peccato actuali Adami.

1249. Secundum, quod, ut ex peccato actuali relinquitur peccatum habituale, ita ex peccato actuali Adami contrahitur originale peccatum: unde appellari poterit ob similitudinem, habituale, probo ex Augustino, qui lib. 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 26. verbis ad extensum relatis supra num. 1244. eodem modo loquitur de peccato habituali, ac de originali, & modo ex habituali facit argumentum ad habituale, & è contrà: quod ex sequenti §. amplius manifestum est.

1250. Tertium; quod scilicet peccatum originale sit ejusdem speciei & rationis cum peccato actuali Adami, apertè sequitur ex eo quod Augustinus æquiparat peccatum originale habituali: atqui peccatum habituale ex Augustino est idemmet peccatum actuale, ejusdem scilicet rationis, & speciei; ergo peccatum originale est idem actuale Adami, sive ejusdem rationis, & speciei. Majorem probant verba relata num. 906. minorem etiam tradit sanctus Augustinus, & verba formalia, & expressa Augustini, quæ id affirmant, afferuntur n. 1228. consequentia juxta Augustinum optima est.

1251. Omnia vero in conclusione adducta probo deinde. Primo ex Concilio Tridentino sess. 5. canone 2. ubi decernitur non solum pœnas pro peccato debitas, sed etiam ipsummet inobedientiæ peccatum transfusum fuisse in posteros Adami, ex quo loco, sic argumentor: vel transfusum fuit idemmet peccatum Adami, vel aliud diversum: si primum, cum transfundatur origine ex eodem Concilio canon. 3. id quod transfunditur peccatum originale est, & idem actuale Adami: non secundum, cum ex Paulo, Conciliis, & Augustino constet omnes posteros Adami una cum suo parente obedientiæ præceptum fregisse, per quod inobedientes facti sunt.

1152. Secundo, omnia peccata originalia sunt æqualia & ejusdem speciei, non solum inter se, sed etiam cum actuali Adami peccato: atqui, quæ sunt ejusdem speciei, licet materialiter sint diversa, formaliter censentur idem, ut probandum est in nostro cursu philosophico; ergo omnia peccata originalia formaliter quoad essentiam, erunt idem inter se, & cum Adami peccato. Major negari non potest, siquidem Tridentinum citato canone 3. docet idem omnino Adami peccatum fuisse transfusum in posteros; ergo omnium nostrum, & Adami peccatum ejusdem est speciei. Secundo, quia ideo concipiuntur homines cum originali; quia omnes in Adamo, & cum Adamo peccaverunt; ergo idem peccatum, quod Adamus commisit, commiserunt, & contrahunt. Patet consequentia, quia tam Adami peccatum, quàm nostrum, fuit contra idem numero præceptum, & contra eamdem obedientiæ virtutem; ergo nostrum, & Adami peccatum ejusdem est speciei. Patet hæc consequentia ex dictis à num. 685. ubi ex diversitate formali præceptorum & virtutis, tamquam à signo, colligimus peccata esse ejusdem vel diversæ speciei, ita ut semper peccatum diversæ speciei debeat esse contra præceptum & virtutem speciei diversæ. Tertio, quia hoc asserit Augustinus, dum docet peccatum actuale Adami esse commune respectu originalium; ergo cum non sit genus, sed species, eo quod peccata originalia solo numero differant, dicendum omnia participare rationem illam communem peccati actualis Adami. Verba Augustini habentur lib. 3. contra Iulian. cap. 18. *An vero nec sic tandem respicis, illud primum in paradiso datum, possibile ac facile fuisse præceptum, quo contempto, atque violato, omnes ex uno homine, tamquam in massa originis, commune illud habere peccatum?*

Ex qua doctrina convenire constat peccato originali, quicquid ei tam à Patribus, quàm à Theologis attribuitur, cum enim ille reatus culpæ, sit idem peccatum actuale Adami, si hoc appelletur mors animæ, iniquitas, impietas, macula, & similia, non aliter peccatum originale his nominibus appellari debet.

1253. Objicies primo, ex prædicta sententia sequitur, peccatum originale esse denominationem extrinsecam, & nihil dari in parvulis intrinsecum, à quo per sacrum Baptismatis lavacrum mundentur, quod est contra Tridentinum statuens unicuique nostrum proprium originale peccatum inesse. Sequela probatur, quia peccata originalia

sunt idemmet peccatum actuale Adami: atqui non possunt esse idem peccatum actuale Adami, nisi per denominationem extrinsecam; ergo, &c. Minor ostēditur, quia peccatum Adami non existit, nec est, quando contrahitur originale, idem quod actuale Adami. Respondetur negando sequelam; ad probationem, nego minorem: cum probatur, distinguo antecedens, physicè concedo: moraliter, nego: sicut enim transacto peccato actuali, permanet moraliter; & peccatum habituale est idem actuale jam non existens physicè, sed moraliter, & ab illo peccato actuali transacto, & solùm moraliter permanente, moraliter intrinsecè denominatur homo peccator; ita licet peccatum actuale Adami physicè transierit, permanet tamen moraliter, & est idem originale, quod contrahitur: cum autem privatio gratiæ substantialis inducta per peccatum illud, physica sit, & logicè annectatur cum denominatione peccatoris, proculdubio per illam denominationem intrinsecè mutatur homo, & per baptismum mundatur ab illa privatione, & à peccato, aufert enim, & privationem, & peccatum.

1254. Dices: Ex prædicta solutione non apparet peccatum originale esse aliquid intrinsecum in homine. Probo antecedens, quia peccatum Adami nec moraliter persistit; ergo denominatio ab illo desumpta est extrinseca, eo quod sumatur à forma, quæ nec existit, nec est in subjecto denominato. Respondetur negando antecedens, ad probationem negando antecedens, cum peccatum Adami moraliter existat, & inhæreat homini vix concepto, ab illoque per originem transfuso denominatur homo peccator intrinsece.

1255. Instabis: Si in posteris solum manet peccatum actuale Adami, sequitur nullum in eis dari peccatum. Probo sequelam, quia peccatum Adami jam est remissum, ergo non potest denominare homines peccatores, peccatum enim remissum, jam nec physicè, nec moraliter est. Respondetur negando illationem, ad probationem distinguo antecedens, peccatum Adami quà personale, & particularis personæ est, jam est remissum, concedo: qua capitale, & comprehendens omnes posteros, nego: peccatum enim Adami hunc duplicem habuit respectum ad Adamum, ut persona fuit particularis, & sic per pœnitentiam fuit remissum, & deletum: & ut caput fuit generis humani, quo sensu nec remissum est, nec deletum, imo moraliter perseverat, de quo infra n. 1404.

1256. Urgebis: Ab una forma nequeunt plures denominationes provenire; ergo ab uno peccato Adami nequeunt tot peccata procedere. Respondetur negando antecedens: ab eadem enim impositione primaria, quæ fuit causa, ut vox (homo) hominem significaret, derivantur tot significationes numero distinctæ, quot sunt voces (homo) & ab eodem numero actu, quo princeps voluit ducem, & ejus posteritatem nobilitare, omnes posteri fiunt nobiles, & in omnibus nobilitas est numero distincta: & ab eadem specie tot contrahuntur individua similiter.

SUBSECTIO NONA.

Quo pacto concupiscentia spectet ad rationem peccati originalis?

1257. Concupiscentiam pertinere ad peccatum originale constans est sententia S. Augustini: Quo pacto pertineat? respondent communiter Theologi, pertinere tamquam materiale peccati, nam formale est reatus ille culpæ, sive id, in quo quisque rationem peccati originalis constituit: & ita concupiscentiam effrænatam, esse materiale peccati originalis docent S. Thomas 1.2. qu. 82. art. 3. in 2. dist. 39. qu. 1. art. 3. qu. 4. de malo art. 2. Scotus in 2. dist. 32. qu. 1. num. 7. & ante eos Magister in 2. dist. 30. cap. *Nunc superest*, ubi Capreolus art. 1. conclusione 4. & 5. Aureolus art. 2. Gabriel art. 1. in 3. opinione: qui omnes ita interpretantur Augustinum, sæpe asserentem, concupiscentiam esse peccatum originale, idest, esse materiale peccati originalis.

1258. Sed difficultas est, quo pacto concupiscentia sit materiale peccati: Respondetur concupiscentiam dici materiale peccati originalis, non quod sit pars essentialis illius peccati, aut propriè peccatum originale, habens rationem culpæ, sed quia individuus comes est peccati originalis, quod semper comitatur, ut principalis effectus originalis culpæ, & principium peccatorum.

Prima pars, quod scilicet non sit materiale peccati, quasi concupiscentia sit propriè culpa, habeatque rationem peccati originalis, ut ejus pars essentialis, defenditur à Theologis contra hæreticos nostri temporis, ut videre est in Bellarmino lib. 5. de amissione gratiæ cap. 5. & manifestè probatur ex doctrina Augustini, & Concilii Tridentini: quatenus docent per Baptismatis aquas auferri à peccatore quidquid habet rationem culpæ, & peccati, & manere concupiscentiam effrænem, non ut noceat, sed coronet certantes, de quo satis supra à num. 1189. ubi & sacro-sancti Concilii, & Augustini verba adduxi, dum impugnarem errorem illum hæreticorum, qui asserebant concupiscentiam esse ipsummet originale peccatum.

1259. Secunda pars patet, quia cum concupiscentia non sit pars essentialis, nec propriè habeat rationem culpæ; & tamen appellatur materiale peccati originalis, eam ob rationem est, quod perpetuo comitetur originale paccatum: etenim, cum justitia originalis frænum foret, quo refrænata concupiscentia obedientiam præstabat rationi, & tranquillè subjecta actus eliciebat meritorios; per peccatum amota justitia originali, mansit concupiscentia effrænis, velut navis sine gubernaculo, aut equus sine fræno, ut loquitur Scotus; ex qua effrænitate sequuta est inordinatio in voluntate: unde concupiscentia conjuncta reatui, est veluti materiale reatus, sive peccati, non quod reatus in illa concupiscentia subjectetur, sed quia concupiscentia absque illo fræno, prona in malum, proclivis ad peccandum ex peccato originali permansit: cujus veritatis argumentum est, quia ablato originali per Baptismum, adhuc persistit concupiscentia effrænis, inordinata, & rebellis, quamquam illa effrænitas non imputetur ad culpam, eo quod non sit conjuncta reatui, ut docet Augustinus lib. 1. de nuptiis cap. 4. *relicta, non ut non consentientibus noceat, sed ut utiliter ei per Christi gratiam resistentibus proficiat.*

1260. Superest castigandus Yprensis, qui circa concupiscentiam, ut spectat ad rationem peccati originalis, docet 1. tom. 2. lib. 1. de statu naturæ lapsæ cap. 1. §. *Deinde. Quando Augustinus docet libidinem, vel concupiscentiam esse peccatum originale, sic accipit illa, ut simul involvat reatum, quo anima coram Deo rea est, qui reatus per peccati remissionem tollitur, quamvis ipsa concupiscentia remaneat, ex quo fit, ut reatum illum ipsum consideret, velut id, quod formale est in peccato originali*

concupiscentiam illam velut materiale : eadem habet cap. 18. §. *quod vero* , ex quibus videtur ab Yprensi non concedi concupiscentiam esse propriè culpam , cum sit tantum materiale.

1261. Verùm ejus doctrina considerata, Yprensis sequitur hæreticorum errorem, qui concupiscentiam esse propriè culpam asseruerunt, licet enim affirmet non semel concupiscentiam esse materiale peccati, in eo accipit, quo intelligitur esse materiale, ut pars peccati originalis, & vera culpa. Primo, quia absolutè docet ab Augustino appellari concupiscentiam peccatum originale. Ita citato loco cap. 1. §. *quid igitur*, ubi: *Ut igitur a priore quæstione incipiamus , tamquam rem sibi exploratam , semper Augustinus docuit , peccatum originale esse concupiscentiam.* Et in fine capitis. *Cum igitur Augustinus peccato parvulorum originali, hoc est concupiscentiæ , quam semper eorum peccatum nuncupat , aversionem , pollutionem , mortem animæ , iniquitatem , immunditiam conjunctam esse fateatur.* In quibus locis hæreticis applaudens, concupiscentiam esse peccatum , & cui conjungitur formale peccati , asseverat , ita ut illa concupiscentia , peccatum verè , & propriè sit.

Secundo, quia uni concupiscentiæ attribuit omnem malitiam peccati originalis, imo ipsa subjectio , & possessio mentis sub concupiscentia,est; juxta Yprensem reatus.ille. Ita citato lib. 1. cap. 7. §. *Quapropter. Et hæc possessio, & subjectio mentis sub pondere & jugo concupiscentia , per quod a Deo aversa est, est ipse reatus concupiscentiæ , quem Augustinus prædicat , ista est enim tota malitia* : Ex quo loco , dolosa mens Yprensis videri potest , cum enim non possit negare reatum apud Augustinum esse peccatum originale , reatum cum concupiscentia confundit , ut concupiscentiam solum peccatum esse originale credamus.

Tertio , quia expressè docet , quoties Apostolus de peccato originali sermonem infert , *non aliud peccatum intelligit , nisi concupiscentiam* ; Ecce expressè docet peccatum à quo mundamur in baptismo esse concupiscentiam : quod quidem apertè opponitur Tridentino , Augustino , & sibi ipsi. Tridentino , & Augustino , dum statuunt auferri peccatum per baptisma , non vero concupiscentiam. Vide loca supra n. 1189. Yprensi citato lib. 1. cap. 1. §. *Deinde* in verbis allegatis supra num. 1260.

Quarto, quia lib. 1. de statu naturæ lapsæ cap. 14. in fine primi paragraphi , apertè fatetur concupiscentiam esse illud malum , à quo mundamur in baptismo , ita : *Quas phrases oleis in locis iterat crebèrrime , nec eis aliud significat , quam ex concupiscentia , seu libidine , propagari originis malum , & ipsam eamdem concupiscentiam , esse illud originis malum , quo homines regeneratione liberandi sunt.*

Tandem , quia loco citato supra num. 1261. vocat concupiscentiam mortem animæ : mors animæ est verè & propriè peccatum , ut ipse ex Augustino tradit , citato lib. 1. §. *sed si*.cap. 3. §. *Quapropter.* Ex quibus omnibus apparet Yprensem ab hæreticis non dissentire : cum docuit concupiscentiam esse materiale peccati, usus est termino materiali , ut non illico ejus cum hæreticis consensio appareret ; nam ipsam concupiscentiam esse verè , proprieque peccatum origioale fatetur.

SUBSECTIO DECIMA.

Colliguntur aliqua ex prædicta doctrina.

1262. EX doctrina in superiori sectione tradita, colliges primo : nomine reatus culpæ, qui est constitutivum peccati originalis, intelligi peccatum actuale Adami nondum remissum, prout scilicet erat peccatum capitis , ut notavi supra num. 1155.

1263. Secundo hunc reatum esse idem actuale peccatum Adami , non numero, sed specie : ratione enim subjectorum peccata numero diversificantur ex dictis supra num. 697. conveniunt vero ratione ejusdem præcepti, & virtutis: unde omnia peccata originalia sunt inter se æqualia, materialiter diversa, formaliter idem, sicut de individuis ejusdem speciei dici solet à dialecticis.

1264. Tertio , hunc reatum explicandum esse modo, quo supra à numero 965. explicatum est peccatum habituale : est enim originale peccatum simile habituali , ut enim istud est idem actuale nondum remissum , ita originale , est idem peccatum actuale Adami nondum remissum ; & sicut habituale denominat peccatorem, in eo genere peccati, in quo erat actuale, ita peccatum originale denominat peccatorem, in ea qualitate peccati, in quo actualiter peccavit Adamus ; cum ergo peccatum Adami fuerit inobedientiæ, inobedientiæ peccatum erit originale.

1265. Quarto , reatui attribuenda esse omnia, quæ de peccato originali dicuntur , & eo modo, quo de eo prædicantur : hic enim reatus , est aversio à Deo , cum per illum mens à Deo summo bono avertatur: est malitia, quæ mentem maculat, iniquitas , à lege Dei dissonans ; pollutio , qua omnes posteri Adami polluuntur , deperdito nitore gratiæ , justitiæ originalis amissa felicitate; est mors animæ, per quam vita spirituali privatur, & cætera , quæ longum foret recensere.

1266. Quinto , cum peccatum actuale Adami, sumatur velut personale ; vel ut capitale : peccatum originale non est illud actuale Adami, ut personale , hoc enim jam remissum fuit in Adamo propter ejus pœnitentiam ; sed capitale , quod perseverat ratione pacti , & dicitur etiam originale, non passivè , sed activè , quatenus est origo omnium peccatorum, ut ex D.Thoma 1.2.q. 83. art. 2. docet Granado contr.6. tract. 8. disp. 4.num. 2. & insinuat Tridentinum sess. 5.can. 3. dum peccatum Adami appellat origine unum.

1267. Sexto, juxta nostram sententiam exponi posse omnes, quas retulimus subsectione 2. est enim peccatum originale illa morbida qualitas, non quod sit propriè peccatum , vel aliquod accidens, sed materialiter, & causaliter , quatenus ex peccato originali relicta fuit effrænitas concupiscentiæ, quæ maximus languor est, & morbus animæ : est idem peccatum actuale Adami , numero tamen diversum propter diversitatem objectorum : est privatio justitiæ originalis, non formaliter , sed causaliter , quatenus illa privatio, quocumque sensu explicetur, ex peccato originali oritur , ut concupiscentia à Tridentino dicitur peccatum , quia ex peccato est ; & mors pallida dicitur ab effectu.

1268. Septimo , non esse admittendam opinionem Ægidii Lusit. lib. 2. de Conceptione qu. 2. art. 6. quatenus asserit peccatum originale constitui ex actuali Adami peccato , & ex privatione gratiæ : relicta enim ratione , qua utitur Salazar lib. de immaculata Virginis Conceptione cap. 1.

§. 4. ex eo displicet, quia privatio gratiæ est effectus peccati, & non peccatum, est pœna, & non culpa. Si tamen semel admittatur privationem gratiæ esse partem essentialem peccati originalis, tunc non erit improbabilis hæc opinio, non enim necessarium est, quod peccatum actuale Adami intrinsecè afficiat posteros, sed sufficit privatio gratiæ, cum respectu ad peccarum Adami: etenim non aliter doctores constituentes essentiam peccati in privatione gratiæ, loquuntur.

SECTIO VIGESIMA.

De causis, & traductione peccati originalis.

DAri causas peccati originalis extra dubium est, nec circa finalem, & formalem extrinsecam est aliquod litigium inter Theologos: apud omnes enim constat peccatum originale non habere causam finalem propriam, & per se, sed tantùm per accidens, cum nec à Deo, nec ab homine sit intentum: causa formalis intrinseca est ipsamet formalitas peccati: de causa materiali aliqualis est difficultas: de efficiente maxima, ut ex sequentibus apparebit.

SUBSECTIO PRIMA.

Quænam sit causa materialis peccati originalis?

1269. RΕspondetur, causam materialem, sive subjectum, in quo peccatum originale recipitur, esse voluntatem. Ita Scotus in 2. dist. 31. num. 14. vers. *Ad primum*, & num. 16. vers. *Ad quartum*, quem præter discipulos sequitur Vasq. 1. 2. q. 133. cap. 4. Fundamentum est, quia peccatum originale est voluntarium; ergo erit in voluntate, non in anima. Probo consequentiam, quia quod est formaliter & intrinsecè liberum ac voluntarium, recipi debet in potentia formaliter libera & voluntaria: atqui sola voluntas, & non anima, formaliter libera & voluntaria est; ergo in sola voluntate recipitur peccatum originale.

1270. D. Thomas. 1a. q. 83. art. 2. asserit peccatum originale subjectari in anima. Primo, quia peccatum originale est privatio gratiæ: atqui gratia habet animam pro subjecto; ergo anima est causa materialis peccati originalis. Respondetur primo negando majorem, peccatum enim originale non est privatio gratiæ, sed reatus culpæ, de quo à num. 1231. Respondetur secundo; data majori, nego minorem, cum enim juxta satis probabilem sententiam, gratia sit idem cum charitate, cum charitas subjectetur in voluntate, in eâdem subjectari debet gratia, & per consequens ejus privatio.

1271. Secundo, subjectum peccati originalis, est primarius terminus generationis humanæ: hic autem terminus est in anima; ergo in anima subjectabitur peccatum. Respondetur, distinguo majorem, subjectum peccati originalis est terminus primarius formalis, nego: totalis concedo: deinde, concedo minorem, distinguo consequens, mediatè ratione voluntatis, concedo: immediatè nego: anima enim ratione voluntatis, erit subjectum mediatum, voluntas vero immediatum.

1272. Tertio, si Deus produceret hominem sine voluntate, contraheret peccatum originale, ut ex discipulis Scoti fatetur Herrera in 2. disp. 27. qu. unica conclusione 7. ex eo quod esset filius Adami per naturalem generationem; ergo saltem in illo casu non voluntas qua homo careret, sed anima foret subjectum peccati originalis. Respondetur negando antecedens, cum enim non possit dari peccatum, si non sit voluntarium, non potest homo voluntate carens, peccare, nec originaliter: nam ad peccatum originale etiam voluntarium requiritur: unde ut peccaret in alio, debebat ille homo continere suam voluntatem in Adamo, ut in eo peccasse censeretur.

1273. Quarto, peccatum originale appellatur peccatum naturæ; ergo immediatè subjectari debet in anima. Respondetur, nego consequentiam, quia ideo originale dicitur peccatum naturale, quia cum natura transfunditur media generatione naturali, quod non obstat, quo minus causa à qua egreditur, & in qua recipitur peccatum, sit voluntas.

SUBSECTIO SECUNDA.

Quænam sit causa transfusionis peccati originalis.

SUpponitur id, quod de fide infra probandum est, nimirum peccatum originale transfundi in omnes Adami posteros; & inquiritur quo pacto transfundatur? quæ difficultas sæpius agitata inter Magnum Augustinum, & Pelagianos fuit: quærentibus Pelagianis, si in omnes peccatum originale transfundebatur, per quas rimas fieret hæc transfusio? Meum erit sententiam Augustini tueri ut veram, quod ut præstem sequentes difficultates excitabo, ex quarum resolutione, & modus transfusionis peccati originalis, & qua ad complementum talis transfusionis fuerint necessaria, exponam.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrùm concupiscentia sit causa transferendi peccatum originale?

1274. NOn est quæstio de concupiscentia, ut potentia est naturalis indita in prima creatione Adami, ut pars necessaria integrans ejus corporis perfectionem, de qua supra num. 215. sed de effrænitate, ac libidine, quam illa concupiscentia habuit ex peccato: & quæritur utrum ista effrænitas, seu libido, sit illud vehiculum, per quod Adami peccatum in posteros transfunditur?

Pro solutione suppono primo duobus modis intelligi posse concupiscentiam esse causam transfundendi peccatum originale: primo concomitanter, secundo physicè: concomitanter dicetur concupiscentia causa prædictæ transfusionis, si necessaria connexione concupiscentia concurrat, non ut causa, sed ut argumentum, ita ut concupiscentia sit argumentum, per quod transfundatur peccatum, non tamen causa transfundens, eo quod licet non transfundatur peccatum absque motu & ardore concupiscentiæ, non tamen concupiscentia causat illam transfusionem. Physicè dicetur concupiscentia causa transfusionis, si ex natura rei causet prædictam transfusionem, ut qualibet causa physica suum causat effectum. Secundo non esse quæstionem inter hæreticos, & catholicos, de causalitate concupiscentiæ in priori sensu, qui necessario admittendus est, ob rationes, & auctoritatem Augustini: sed in secundo sensu: quo posito

Est difficultas, Utrum concupiscentia sit causa physica, & realis, qua transfunditur peccatum in posteros Adami? Respondetur negativè: Primo, quia peccatum originale formaliter non est aliquid materiale, & corporeum, sed spirituale; ergo illius

illius subjectum spirituale est, *cum quicquid recipitur, ad modum recipientis fit;* ergo à concupiscentia causati nequit. Probo consequentiam, quia nulla causa merè corporalis causare potest effectum spiritualem, ut in philosophia tritum est: non enim spirituale continetur in virtute causæ corporalis.

1276. Dices primo, posse elevari causam materialem ad productionem effectus spiritualis, qui licet non contineatur activè in virtute naturali illius causæ, continetur tamen in virtute obedientiali: Sed contra, admitto, quod effectus spirituales contineri possint in virtute obedientiali causæ materialis: nunquam tamen hic effectus, peccatum originale, in tali virtute contineri potest, quia cum virtus obedientialis elevari debeat ad talem effectum præstandum per Dei operationem specialem, & specialiter agentis, ita ut creatura sit instrumentum, Deua vero causa particularis, & specialis, cui effectus ille attribuendus est, non potest Deus elevare illam virtutem, aliter foret specialis, & principalis causa peccati, eique attribueretur.

1277. Dices secundò, hoc fieri producendo qualitatem morbidam in prolem, quæ qualitas, cum anima unitur corpori, causat peccatum originale. Sed contra primò; quia illam morbidam qualitatem jam supra à num. 1202. impugnavi: secundò, quia de illa morbida qualitate, dato quod à concupiscentia producatur, reddit argumentum factum, siquidem illa qualitas morbida est quid materiale; ergo producere non potest illum effectum spiritualem.

1278. Secundò probo hanc sententiam: si Adami peccatum produxit concupiscentiæ effrænitatem talibus qualitatibus præditam, ut manserit causa transfundendi prædictum peccatum in prolem, cur peccata parentum personalia non producent similem effrænitatem, quæ transfundat illa peccata in prolem? non enim major ratio dari potest de causalitate peccati, quod primus Parens commisit, ac de causalitate peccatorum, quæ à parentibus immediatis commissa sunt.

1579. Dices primò cum Yprensi tom. 2. lib. 1. de statu naturæ lapsæ cap. 21. ideo non transfundi peccata à parentibus in prolem, quia sunt peccata personæ, & individui, non verò naturæ, quale fuit peccatum Adami. Sed contra, quia seclusa lege aliqua Dei, non minus fuit peccatum Adæ peccatum individui, ac personæ particularis, quàm sunt peccata parentum; ergo, vel illud peccatum Adæ physicè, & ex natura rei non transfundit peccatum; vel peccata parentum transfunduntur. Patet antecedens: quia ut parentes peccant tamquam personæ, quibus imputatur peccatum, ita & Adamus peccavit: & ut Adamus est causa omnis posteritatis, ita & parens causa est suæ posteritatis: ergo si hanc posteritatem originem trahere ab hoc parente non satis est, ad hoc ut parens ille suum transfundat peccatum in prolem, etiam quod omnis posteritas propagetur humana ab Adamo, non satis erit, ut peccatum in posteros transfundat: ut enim origo physica parentum, non transfundit peccata parentum, sic nec origo physica Adami transfundet in posteros ejusdem peccatum: esse enim propagatum ab Adamo, physicè, & ex natura rei non auget vim peccati, nec ejus naturam immntat, ut esse propagatum ab hoc parente non facit ad transfusionem peccati.

1280. Dices secundò, cum eodem Yprensi citato capite 21. §. *sed cur.* causam cur Adami peccatum transfundatur, non verò parentum, esse magnitudinem peccati Adami: *Causa igitur vera tantæ mutationis, fuit peccati primi illius magnitudo.* Sed contra, quia magnitudo prædicti peccati, est in essentiali malitia, vel in accidentali circumstantiarum, vel in ratione liberi, & voluntarii: in quocumque sensu magnitudo illa primi peccati accipiatur, sequitur non esse satis, ut transfundatur ab Adamo, non vero propria peccata cæteri transfundent parentes in prolem; ergo, &c.

1281. Minor ostenditur, & primo, de essentiali magnitudine, nemo dubitare potest peccatum à primo Parente commissum, non fuisse majus omnibus, vel singulis peccatis ab aliis commissis parentibus: plures enim idololatræ, plures infamis criminis rei, plurimi blasphemi, & plura alia peccata commiserunt, quæ multo superant magnitudinem primi peccati, quod nec infidelitas, nec blasphemia, nec sodomia fuit; non fuit etiam odium Dei, quo nullum detestabilius est peccatum. Hoc posito, Demus, hominem simul illa peccata commisisse, offerens idolis reverentiam, Deum verum injuriosis offendens verbis, odio suum auctorem prosequens, & simul contra naturam peccans: hic homo bis irretitus peccatis hominem generavit; quæro, transfudit illa peccata in prolem? minime; ergo nec Adamus. Probo consequentiam, quia ex eo juxta Yprensem transfundit peccatum in posteros Adamus, quia Adami peccati magnitudo totam vitiavit naturam, & magnitudo illa peccati causa fuit transfusionis: atqui ille homo majora peccata, & plura commisit; ergo etiam transfundet sua peccata in prolem. Quod si hæc major magnitudo, quæ data fuit in peccato Adami, erit sufficiens ad transfundendum peccatum in posteros: idemque argumentum procedit de malitia ex circunstantiis.

1282. Secundo probo, non posse etiam esse illam magnitudinem ratione majoris libertatis, licet enim hanc magnitudinē assignet Yprensis citato lib. 2. c. 21. §. *Itaque*, ibi: *Magnitudo illius actus primi ex illa summa animi libertate proficiscens, causa fuit tantæ mutationis:* tamen hoc falsum, vel hæreticum est: hæreticum, si vult peccatum Adami factum cum summa libertate, & peccata aliorum parentū cum summa necessitate, & cum hoc intendat Yprensis, clarū est doceri ab eo doctrinam hæreticorum, sed de hoc satis in nostro Anti-Iansenio lib. 2. sive vendicatione 1. de libertate: ubi latè cum catholica fide, ostendo non amissam fuisse libertatem indifferentiæ per primi Parentis peccatum. Unde cum æquali libertate, & malitia peccant sæpe homines, in quo casu; cum etiam, ut supponitur, majus efficiant peccatum, quàm egit primus Parens, si generent, vel transfundant peccatum, vel Adamus ratione majoris libertatis illud non transfundit in posteros.

1283. Dices cum Yprensi citato cap. 21. §. *Sed cur:* non solum magnitudinem illam peccati primi pensandam esse penes majorem libertatem, sed simul penes majorem impetum, & affectum, quo commissum fuit, ex quo impetu vulnus adeo profundè inflictum fuit naturæ, *ex illo enim dilectionis impetu, quo se Adamus diligebat, pondus concupiscentiæ velut vestigium præcedentis voluntatis, in appetitum sensitivum, quem secum rapiebat, impressum est.*

Verùm hæc deliria sunt hominis insensati: primo, quia si Adamus ex sua merè libertate peccavit, quin motibus, & affectibus quateretur, ita ut victus sine pugna fuerit, & solùm victus, quia voluit, ut fatetur Yprensis tom. 2. lib. de gratia primi hominis & Angelorum cap. 3. §. *ex hoc*, & lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 25. §. *sed quantumcumque:* proculdubio non eo vehementi impetu, & affectu, qui

fingitur peccavit, cum quia voluit absque ulla pugna, absque ulla tentatione, peccaverit.

1284. Secundò, quia quamplures ex posteris Adami majori impetu, sive ambitionis, sive concupiscentiæ carnalis vehementius peccato urgente, prementeque eos non solùm concupiscentia, sed etiam diabulo, cujus mancipia esse fatetur Yprensis lib. 5. de statu naturæ lapsæ cap. 4. imò omnes homines ante legem ita ferri post peccata asseverat, ut ea approbet. Ita lib. 5. cap. 6. fol. 451. prope finem: & loquens de hominibus, qui sub lege fuerunt, idest de Iudæis, ita eodem loco habet: *In secundo statu docet hominem damnationis videlicet pœna territum, pugnare quidem, sed vinci: scientem, renitentemque pondere cupiditatis trahi, peccati desideriis vehementioribus rapi, consuetudine superari; volendo surgere, affligi gravius, peccare vehementius, instar præcipitati, sine difficultate, venire in profundum, etsi nolit, atque oderit.* Describat modò Yprensis lapsum primi Parentis, si eis, quæ de ejus lapsu ducuit lib. de gratia primi hominis, & Angelorum cap. 3. tenetur fateri vehementiori impetu, ferri, & præcipitari homines sub lege, & ante legem ad peccatum. Quod si ita est, cur si hi homines generarunt, non transfuderunt ea peccata; si propter vehementem appetitum, quo commissum fuit Adami peccatum, transfunditur?

1285. Tertiò, quia demus posteros Adami peccare necessario, & Adamum peccasse liberè, libertate indifferentiæ, quod hæreticum est: sequitur vehementiori impetu, & affectu peccare posteros Adami, quàm peccavit ipse Adamus. Sequela est clara, quia voluntas majori affectu impellitur, & rapitur in id, quod necessario vult, quàm in id, quod vult liberè, ut in amore Beatorum patet; ergo illa magnitudo primi peccati petita ex ratione libertatis, & vehementioris impetus; vel non est causa cur transfundatur peccatum producta effrænitate concupiscentiæ; vel alii posteri Adami etiam propria peccata transfundent in suam sobolem.

1286. Solum recurrere potest Yprensis ad id, quod addidit citato cap. 21. lib. 2. de statu naturæ lapsæ §. *Hac etiam*, nimirum ideo non transfundi peccata parentum in prolem, & transfusum Adami, quia peccatum Adami fuit primum, & sic primum vulnus inflixit causans effrænitatem concupiscentiæ, cætera verò tantùm advenerunt vulneri jam facto; ideo cum novum non causent vulnus, non transfundunt peccata: *Non enim ita naturam, ut istud primum, radicitus mutant, sed illa prima indelebili corruptione supposita, accidentalem quamdam, & exigui momenti mutationem afferre solent*: & concludens ait. *Magnitudo ergo peccati causa tanti vulneris fuit, & profunditas vulneris in naturam versi, causa traductionis ejus.*

Sed vanè lassatur Yprensis, modo hunc, modo illum tentans modum, cum nullo modo, modus iste sit veritati consentaneus. Primo, quia peccatum primum non inflixit vulnus directe feriens naturam, sed indirectè privans naturam justitia originali, qua absente præsens fuit illa effrænitas, quin aliquid de novo produceretur, quo effrænitas illa causaretur. Secundo, quia primum peccatum non complexum est omnia genera peccatorum; ergo solum potuit imprimere illud vestigium in appetitu se ... ivu peccati à se perpetrati, & non aliorum peccatorum, quæ Adamus non commisit; ergo posteri committentes reliqua peccata imprimerent vestigia illorum; ergo eàdem ex causa, qua peccatum Adami transfusum fuit, omnia illa transfunderentur. Probo consequentiam, quia si magnitudo peccati fuit causa vulneris, & profunditas causa traductionis ex Yprensi relato numer. 1286. cum posteri Adami ante legem, & sub legem existentes maxima committerent peccata, & profundè præcipitati fuerint ex Yprensi relato num. 1285. proculdubio vulnus inflixerunt, & profundum, & ita illorum peccatorum magnitudo, vulneris profunditas, traductionis esset causa: quod cum falsum sit, & hæreticum, & falsum erit, quicquid contra fingit Yprensis.

Explicantur loca Augustini, quæ heretici & præcipuè Jansenius Yprensis adducit, ut probent concupiscentiam ex natura rei esse causam traducendi peccatum originale.

1287. Cornelius Iansenius, Yprensis antiquarum hæresum restaurator, in suo Augustino tom. 2. lib. de statu naturæ lapsæ à cap. 5. ad finem libri sequutus Lutherum in Psalm. 50. ad vers. *Ecce enim in iniquitatibus*, Calvinum lib. 2. Inst. cap. 1. §. 7. 8. & 9. docuit concupiscentiam esse causam physicam, & proximam traducendi peccatum originale, ad quam falsitatem probandam doctrina Augustini abusus, plora ejus loca adducit, quibus eam probare conatur.

Et primo ex magnitudine primi peccati, quod toties Augustinus prædicat, primum peccatum adeo fuit magnum, ut naturam per concupiscentiam corruperit; & per vitium corrupta natura, cum natura propagaretur, & vitium: probat hoc antecedens cap. 6. ex Augustino lib. 1. de nuptiis cap. 2. & 32. lib. 2. cap. penultimo, lib. 13. de Civit. Dei cap. 3. & 15. lib. 14. cap. 20. lib. 9. cont. Iulian. cap. 26. & in opere imperfecto fol. 372. & 389. ex quibus omnibus locis, & aliis, quæ Yprensis afferre posset constat, *Non satis esse Augustino, ut peccatum Adami propagari possit in posteros, quod ab illo humani generis capite peccatum sit, & amissa gratia, sed quod ita peccatum sit, ut per peccati illius magnitudinem, universa natura vitiaretur humana, per concupiscentiam illam legem, quam in membris accepit: per hoc enim fit, ut illa lege, seu illo naturæ vitio propagato, etiam simul originale peccatum propagetur.* Ita Yprensis illo cap. 6.

Respondetur, aliam esse mentem Augustini, fatemur enim cum S. Doctore, per peccatum primi Parentis naturam humanam in deterius secundùm utramque partem animalem, & spiritualem, videlicet secundùm corpus, & animam, fuisse mutatam; infecit enim corpus concupiscentiæ effrænitate, & vitio; animam reatu, sive peccato originali: & hoc illis locis docet Augustinus, id verò quod addit, non generationem, sed concupiscentiam & libidinem esse causam traductionis peccati, non in sensu causali physico, sed morali congruo, accipiendum est: voluit enim significare, non solam generationem naturalem, sed generationem corruptæ naturæ esse causam traductionis peccati, & argumentum erat, concupiscentiæ, & libidinis ardor, quo conjuges prolem generabant, etiamsi sanctissimi forent: nam in paradiso futura erat generatio, quin traduceretur peccatum, eo quod non erat generatio corruptæ naturæ, cujus argumentum erat, quod sine concupiscentiæ ardore gignerentur, sine quo cum nulla detur generatio in statu naturæ lapsæ, signum est, quod generatio illa, ut pote naturæ corruptæ, traduceret peccatum.

Augustinus ergo in asserenda concupiscentia causa traductionis peccati, non intendit attribuere concupiscentiæ causalitatem aliquam physicam, sed tantum insinuare, non generationem absolutè, sed vitiatam, seu ex vitiata natura, posita Dei ordinatione, ut infra monstrabo, esse causam transfundendi peccatum: cum autem naturæ corruptæ signum evidentissimum sit, concupiscentiæ efficacitas, eo ipso, quod generatio sine concupiscentia non fit, fit ex vitiata natura, quam perpetuo concupiscentiæ ardor comitatur, inde sensu concomitante, est causa traductionis illa libido, argumento facto ex eo, quod si natura est corrupta, corruptam debet generare naturam juxta illud Augustini lib. 3. de libero arbitrio cap. 20. *ut meliores gigneret, quam ipse esset, non erat æquitatis?* ac proinde in omnibus illis locis solum probatur ex vitiata natura peccatum originale transfundi, quod nos non inficiamur: per quæ responsum est ad ea, quæ capite 7. profert, ut ostendat concupiscentiam esse causam propinquam traductionis peccati.

1288. Secundo, cap. 8. probat concupiscentiam esse causam transfundendi peccatum originale ex modo, quo Augustinus tradit peccatũ originale ex parentibus regeneratis transfundi in prolem. Nam objicientibus Pelagianis contra existentiam peccati originalis. *Quomodo peccatum transit in filios fidelium, quod in parentibus non dubitamus, per Baptismum esse dimissum?* ita epist. 105. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 25. lib. 3. cap. 3. nunquam Augustinus satisfecit, recurrens ad aliquod pactum, vel ad solam generationem in Adamo; sed ad concupiscentiam relictam etiam post Baptismum. Ita epist. 105. *Quasi vero in Baptismo carnis infirmitas continuo sanetur, sicut continuo reatus ejus aboletur, sed gratia renascendi, non conditione nascendi: unde quisquis per hanc concupiscentiam etiam de renato nascitur, sine dubitatione oberit nato, nisi & ipse similiter renascatur:* Si ergo satis est generari ex Adamo, cur concupiscentia remanet? si pactum intercedere necesse est, cur nunquam ad illud pactum Augustinus recurrit? certè quia sola concupiscentia causa est cur transfunditur peccatum.

Respondetur, difficilem semper judicatam fuisse ab Augustino quæstionem illam de transfusione peccati originalis in filios regeneratorum, premebat sæpe Iulianus hoc argumento Augustinum; cui respondit lib. 6. cont. Iulian. cap. 9. *Quid à me quæris, quo sit factum modo, cum videas factum esse quocumque modo, si Apostolo credis aliquo modo?* Et lib. 1. de nuptiis cap. 19. *Quod dimissum est in parente, ut trahatur in prolem, miris quidem modis, sed tamen fit, & quia modus ipse non facili ratione indagatur, nec sermone explicatur, ab infidelibus non creditur.* Vnde Yprensis sui immemor, dixerat enim lib. 1. de statu naturæ lapsæ cap. 15. §. *Sed pace.* quod Augustinum non torserat modus traductionis cap. 16. ejusdem libri à principio, difficultates, quibus in hac quæstione premebatur Augustinus, fassus est, dicens, *Nam ipsemet Augustinus diu antequam cum Iuliano de peccati istius transfusione luctaretur, difficultatem indagandi, & explicandi agnoverat, & fassus fuerat.*

Qua difficultate supposita, optimè solvitur admisso pacto Dei cum Adamo inito, quod infra, à num. 1308. cum D. Augustino, Patribus, Theologis, & quod caput est, cum Apostolo admittemus: tamen sæpius cum Pelagianis disputans recurrebat Augustinus ad concupiscentiam relictam in regeneratis, ut ostenderet ideo infantes illos trahere originale peccatum, quia natura corrupta fuerat, & corruptionis signum erat concupiscentia, sine cujus ardore non concipiebantur etiam filii renatorum, comitatur enim concupiscentiæ ardor reatum culpæ, non quod illum ex sua natura causet, sed quia non sine concupiscentia causetur, est enim conditio sine qua non contrahitur originale: unde licet parentes sint regenerati, non generant tamen ut regenerati, sed ut concupiscentiæ obnoxii.

1289. Tertio arguit Yprensis ex causa cur Christus sine peccato fuerit conceptus, hoc enim argumento utitur cap. 9. *Constanter*, ait, *Augustinus docet propter solius concupiscentiæ præsentiam Christum Dominum ex commixtione maris & feminæ noluisse procreari; ne illa inordinatis, & inobedientibus suis motibus in concubitu æstuans, etiam in Christum Dominum, sicut in cæteros Adæ filios, originis culpam; cum natura transfunderet.* Et hoc probat testimoniis ex lib. 1. de nuptiis cap. 9. 12. & 24. lib. 2. cap. 5. lib. 2. cont. Iulian. cap. 1. & lib. 5. cap. 15. quo loco ita concludit. *Contagium vero peccati originalis non traxit, quia concumbentis concupiscentiam non invenit:* qua doctrina, & argumento, usi fuerunt sancti Patres Origenes, Olimpius, Hilarius, Ambrosius, Leo, Fulgentius, Gelasius, Beda, Remigius, Philippus Abbas, S. Bernardus, Richardus Victorinus, Innocentius III. Vrbanus IV. quos cap. 13. adducit, ad ostendendum Christum sine peccato conceptum, quia sine concupiscentia.

Respondetur prædictum argumentum, si ejus materia non explicetur, falsum esse. Primo, quia dato, quod Christus Dominus ex viro, & muliere concupiscentiæ motibus intercedentibus conciperetur, nullatenus affirmandum erat, fuisse in peccato conceptum, nam ut Theologi communiter asseverant, unio hypostatica incompatibilis erat cum contractione peccati, erat enim Christus sanctus ex sua natura, sive ex unione hypostatica, qua stante nullo poterat contaminari peccato. Secundo quia Christus non fuit conceptus via naturali, ex viro & muliere, demus quod mater hoc abhorret, sed liceat sic respondere, concupiscentia urgente sola Verbum Dei concipere, in hoc casu certum est, non contrahendum peccatum originale à Christo Domino, eo quod non erat filius Adami naturali via, & generatione, quæ omnino requiritur, ut conditio logica ad contractionem peccati.

1290. Quorsum ergo, inquit Yprensis, sancti Patres, præcipue Augustinus, ex eo quod Christus sine concupiscentiæ motibus fuit conceptus, intulerunt fuisse sine peccato conceptum? quorsum iidem si Christus ex concupiscentia fuisset conceptus, docuerunt etiam in peccato originali concipiendum fore, si concupiscentia nullum nocumentum inferre poterat Christo Domino? Respondeo primo Augustinum, & sanctos Patres, non docere absolutè Christum ex eo concipiendum fore in peccato, quia ex concupiscentia conciperetur, sed si ex concupiscentia utriusque parentis, sive ex commixtione maris, & feminæ: ita Augustinus lib. 1. de nupt. cap. 12. allatus ab Yprensi citato cap. 9. *Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat, sine carnis pudenda concupiscentia.* Ambrosius apud Augustinum lib. 1. contra Iulian. cap. 4. & lib. 1. de nuptiis cap. ultimo. *Servatum est igitur, ut ex viro, & muliere, idest, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers delicti, qui autem expers delicti est, expers est etiam hujusmodi conceptionis.* Et hæc est phrasis communis sanctorum Patrum, qui

ex eo Christum sine peccato fuisse conceptum asseverant, quia non de viro, & muliere per seminum commixtionem conceptus est, ex qua phrasi non concupiscentiam, sed utriusque parentis naturalem generationem esse viam traduceodi originale peccatum testantur.

Sed cum nec sic illa deificata caro Domini in peccato posset concipi ob incompatibilitatem peccati originalis cum unione hypostatica, nec sancti Patres ad solam commixtionem seminum ex utroque parente recurrant, sed amplius addant concupiscentiæ motus, quibus uterque parens generat: aliud sibi volunt sancti Patres; & verè volunt, cum & utriusque parentis concubitum, & concupiscentiæ motus requirunt, ut homo concipiatur in peccato: nimirum adducunt causam, & argumentum transfusionis peccati; causa est generatio ex utroque parente; argumentum, generatio ex concupiscentia: argumentum sine causa non datur, causa dari potest sine argumento: & transfusio sine concupiscentia: causa transfusionis peccati est generatio naturalis ex utroque parente, argumentum, & signum, est generatio ex concupiscentia: generatio illa satis est ad transfundendum peccatum, si enim sine concupiscentiæ motibus conciperetur homo ex utroque parente, certius est, concipiendum esse in peccato: concupiscentia non datur, ubi deest utriusque parentis concubitus, demus tamen per Dei omnipotentiam mulierem concipere cum concupiscentiæ ardoribus, homo conceptus non conciperetur in peccato.

1291. Sancti ergo Patres non ignorabant, licet Christus conciperetur ex utroque parente intercedente motu concupiscentiæ, non concipiendum fore in peccato; impediret enim illius peccati contractionem unio hypostatica, quæ cum peccato non compatiebatur: tamen cum contra Pelagianos scriberent, licet sæpe hunc modum sanctitatis attribuerent Christo, asserentes ideo sine peccato conceptum, quia de Spiritu sancto, tamen frequentius recurrebant ad illam causam, & argumentum, qua convincebant Pelagianos ad admittendum peccatum originale, nimirum, ad utriusque parentis generationem sub concupiscentiæ ardoribus, nam ex generatione utriusque parentis homines concipi in peccato, & ex generatione sub concupiscentia non posse negari talem contractionem peccati, eo quod illa generatio ex natura corrupta erat; ideo ex vitiata natura totum argumentum conflabatur; à notiori enim signo, & argumento, quale erat concupiscentiæ ardor, inferebant illam generationem causam esse originalis peccati.

Ecce argumentum Yprensis solutum, qua solutione satis explicatum est, quod non latuit sanctos Patres, sed dolosè Yprensis noluit advertere, nimirum tanta fulsisse Christum sanctitate, ut licet sub concupiscentiæ motibus ex utroque parente conciperetur, adhuc non contraheret originale: attamen ut sanctitatem Christi ostenderent, simulque commune naufragium, quod passa est natura humana peccante primo Parente, & causam, & argumentum cur natura humana in ipso pottu peccatum contrahebat, de fuisse Christo demonstrarunt, nimirum & generationem ex viro ac muliere, quæ causa transfusionis erat: & concupiscentiam, quæ erat argumentum.

1292. Quarto probat Yprensis citato libro 1. de statu naturæ lapsæ cap. 20. ex eo, quod Pelagiani planè agnoverunt ab Augustino non esse notam aliam causam transfusionis peccati, quam concupiscentiam: volebant enim quod vitiata foret natura in paradiso, & eâdem laborasse concupiscentia, quam nunc habet, inde in baptizatis non temerè aliquid, quod non habuisset Adamus constitutus in paradiso, contendebant, ea de causa, ne si concupiscentia superesset, ea esset causa transfundendi originale peccatum ut ostendebat Augustinus: ex quo capite fluxit, quod locum Pauli, *quia non habitat in carne mea bonum* noluit Iulianus intelligere de ipso Apostolo, ne admitteret post baptismum adhuc esse malum illud concupiscentiæ in regeneratis.

Respondetur, Pelagianos non agnovisse, quod Augustinus concupiscentiam haberet pro causa physica, quæ ex sua natura transfunderet originale peccatum: sed cum ex concupiscentia Augustinus fortissimè urgeret Pelagianos ad originale, fatendum, ipsi totis viribus, & machinis concupiscentiæ malum per peccatum inductum, destruere nitebantur, non quod illa concupiscentia foret illa, quæ ex sua natura, & physicè transfunderet originale peccatum, sed quia generatio cum illa concupiscentia argumentum certum erat, quod non generabatur proles sine peccato: quod ex eo fit evidens, quia victoria, quam Augustinus reportavit de Pelagianis, ejusque libri contra eorum errores exarati, non fuit de modo, quo traducitur peccatum, sed de ipsa traductione peccati; ex quo recurrebat sæpe ad primam radicem, vitiatam scilicet naturam, sæpe ad generationem naturalem, sæpissimè ad concupiscentiam, & frequentius ad loca scripturæ, præcipue ad illud Pauli, *Per unum hominem peccatum*. &c. in quo nullatenus habetur sermo de concupiscentia.

Ex qua solutione evanescunt, illa argumenta, quibus utitur Yprensis citato libro 2. quia tredecim libri Augustini funditus perirent, ni concupiscentia ex sua natura causa esset originalis peccati: ita cap. 11. ex Ecclesiæ de Pelagianis victoria esset vana, imo fallax, & falsa, nisi ista de concupiscentia sententia foret vera. Ita cap. 12. namque in convincendo peccato originali laboravit Augustinus, omnibus modis, & argumentis utens; quorum unum capitale erat generatio cum concupiscentia: Ecclesia vero tempore Augustini, in Conciliis sub Innocentio, Zosimo, & Celestino statuit peccatum originale transfundi in posteros, non agens de modo, quo traduci debuerat. Quare abeat Yprensis, & suis hæreticis hæc & similia deliria persuadeat.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrùm Adamus mediante peccato fuerit causa transfundendi peccatum originale?

1293. Respondetur affirmative: In hac conclusione conveniunt omnes Theologi, qui ex eo docent contrahi originale peccatum à posteris Adami, quia ab Adamo per generationem naturalem nascuntur: ita D. Thomas prima secundæ, quæst. 81. articul. 3. Scotus, & videri possunt præter utriusque doctoris discipulos Vasques 12. disput. 133. Suar. de opere sex dierum cap. 21. & 22. tract. 5. sect. 2. Salaz tract. 13. disp. 11. sect. 5. Malder. 22. qu. 81. art. 1. dub. unico.

Probatur primo ex Apostolo ad Rom. 5. vers. 14. *Regnavit mors ab Adamo*. Et cap. 7. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccaverunt*: iterum idem Apostolus ad Roman. 5. vers. 18. *Sicut per unius delictum in*

omnes homines in condemnationem: Et vers. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*: in quibus locis nullam aliam causam assignat Apostolus incurrendi peccatum originale, quam esse filium Adami, & ex Adamo descendere, eo enim ipso, quod quis ex viro, & muliere concipitur, est filius Adami; & quia Adami filius, concipiendus est in originali peccato: unde sæpe urgentibus Pelagianis teste Augustino lib. 2. de nuptiis cap. 19. *Per quas rimas inter tot innocentiæ præsidia peccatum originale latenter intrabat?* Respondet Augustinus, *Quid quæris latentem rimam, cum habeas apertissimam januam, peccatum nempe primi parentis, per unum hominem peccatum intravit in mundum*: Ecce janua aperta, quam affert Paulus, explicat Augustinus, per quam peccatum transfunditur; peccatum primi parentis, quod Adamus communicat omnibus generatione naturali descendentibus, nec aliam causam assignat Tridentinum sess. 6. cap. 3. ubi: *Sicut homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant.*

1294. Quare quærenti, cur posteri Adami contrahunt in sua conceptione peccatum originale? ex Paulo, Tridentino, & Augustino fit satis, quia sunt filii Adami, & ab eo propagati: *Per unum enim hominem peccatum intravit in mundum*, & quia iste homo peccavit, in eo omnes peccaverunt.

Causa igitur transfusionis peccati originalis est Adamus, non quidem physica, & realis, sed moralis: non physica, quia hæc causa postulat sui existentiam realem, ut ex philosophia constat: cum autem peccatum originale adhuc contrahitur, & usque ad finem mundi contrahetur, non existit Adamus cum contrahitur, quod amplius constat, quia Adamus est causa peccati originalis mediante suo actuali peccato: hoc autem peccatum etiam physicè non existit, cum adhuc vivente Adamo remissum fuerit; ergo non potest esse Adamus causa physica transfundendi originale peccatum in suos posteros.

Cum tamen sit causa, erit moralis, quæ idem est, ac esse Adamum causam meritoriam, quæ reducitur ad efficientem causam: si enim peccatum Adami, non præcessisset, Adami posteri gratia non privarentur, nec justitia originali; nec peccatum originale contraherent; ergo mediante peccato Adami contrahunt originale, & privantur gratia, ac justitia originali: pro quo videri possunt Vasq. 1. 2. disputat. 135. cap. 1. num. 1. Lorca disput. 45. Salaz. tract. 1. disput. 11. sect. 5. Malderus quæst. 81. art. 1. dubio unico.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrum generatio naturalis ex utroque parente sit conditio Logica, sine qua non Adamus transfundat originale peccatum?

1295. Respondetur affirmativè: est resolutio fundata in doctrina Augustini, & sanctorum Patrum, de qua supra num. 1291. quatenus docent, ideo Christum Dominum esse sine originali peccato conceptum, quia ex utriusque parentis semine non fuit conceptus; cum solum obumbrante gratia, & potentia æterni Patris ex intemerata Virgine MARIA fuerit conceptus: eam probant communiter Theologi, videantur Azor tom. 1. instit. cap. 5. quæst. 1. Lorca disp. 15. Suar. t. 2. tract. 5. disp. 9. sect. 3.

Et probatur, quia eodem modo traducitur peccatum originale à primo parente, quo ab eo traducitur, & multiplicatur natura humana: sed individua naturæ homanæ descendunt, & propagantur ab Adamo media generatione naturali; ergo ea mediante transfunditur peccatum originale. Minor probatur, quia ut homo dicatur generare hominem, & esse ejus patrem, non requiritur, quod concurrat ad creationem animæ, vel materiæ, sed sufficit, quod utramque à Deo creatam uniat, ac proinde ut posteri sint, & dicantur verè, & propriè filii Adami, satis est, quod unus alium generet, carnali, & ordinaria generatione. Major probatur, quia proprietates, quæ sequuntur naturam, tribuuntur generanti, ex eo namque, quod mediante generatione producat naturam, censetur etiam producere proprietates, quæ ab illa resultant: sed peccatum originale instar proprietatis moralis sequitur filios Adami, tali modo genitos; ergo media generatione naturali transfunditur peccatum.

1296. Objicies primo: Eodem modo propagatur, & transfunditur peccatum, quo traduceretur justitia originalis: atqui justitia originalis non traduceretur media generatione naturali, si Adamus non peccaret; ergo nec peccatum originale ita traducendum est. Minor probatur, quia justitia originalis erat donum supernaturale à Deo infundendum. Respondetur negando minorem: Si enim Adamus non peccaret, parentes transfunderent justitiam originalem, in eo enim instanti, quo modo infunditur sive contrahitur peccatum originale, in eodem infundenda esset justitia originalis, quæ non minus, ac peccatum originale, ut proprietas moralis sequeretur naturam, ubi primum ea existeret per generationem naturalem: non verò resultaret ex generatione, sed cum esset donum Dei, à Deo infunderetur.

1297. Secundo, sequitur generationem esse causam peccati: atqui hoc est falsum; ergo & illud ex quo sequitur: Minor probatur, quia si generatio est causa peccati, etiam generantes erunt causa peccati proxima, immediata, & moralis; ergo quoties generarent, peccarent: nam causæ morali peccati attribuitur peccatum originale. Respondetur, distinguo sequelam, sequitur generationem esse causam peccati, directè & per se, nego: indirectè, quatenus posita generatione resultat peccatum, concedo: deinde, nego minorem: Ad probationem, nego antecedens, quia cum generantes solum intendant, & velint producere sobolem, solum sunt causa effectus, qui per se intenditur.

1298. Instabis: Ad imputandum alicui causæ peccatum, non requiritur, quod causa per se, & directè concurrat, sufficit enim quod concurrat indirectè; sed parentes concurrunt indirectè, siquidem intendunt producere naturam, cui productioni peccatum conjungitur; ergo, &c. Respondetur, explico majorem, sufficit quod parentes concurrant indirectè, si causa concurrens potest & tenetur impedire effectum, concedo: si nec potest, nec tenetur, nego: cum ergo generantes non possint, nec teneantur impedire generationem, ex qua resultat peccatum, non peccant, etiamsi ad peccatum indirectè concurrant.

1299. Tertio, Non generatio, sed libido, sive concupiscentia est, quæ traducit peccatum, ut docent Patres; ergo non traducitur peccatum originale media generatione, sed concupiscentia, quæ

generationi semper admixta est. Respondetur, negando antecedens, ut dixi in prima difficultate, & argumentum est, quod si generatione naturali pruduceretur homo absque libidinis ardore., adhuc concipiendus foret in peccato originali, de quo plura in nostro examine veritatis pro immaculata Virginis Conceptione in prima parte pugnaci lib. 6. cap. 3. §. 2. à num. 83. Patres verò ideo assignant concupiscentiam pro ratione contrahendi originale, quia assignant rationem à posteriori, eo quod libido, & concupiscentia sit effectus peccati Adami, perperuò naturam concomitans.

1300. Ex quibus notabis, dari causas naturales peccati originalis, sed indirectas: pro quo notabis primo, generationem naturalem pendere ex causis naturalibus: nam generans est causa principalis; vis seminalis, est causa iostrumentalis generationis. Secundo, esse actionem illam, qua anima unitus corpoti. Tertio, peccatum originale tesultate in ipso instanti generationis, sive conceptionis, sive (idem enim est) unionis animæ cum corpote, eo scilicet instanti, io quo incipit homo esse. Quo notato;

1301. Sequitur cosollarium, quod scilicet peccatum originale habeat causas naturales, indirectas tamen, quatenos scilicet sunt causæ generationis, quæ generatio caosa est, cur resultat, & existit peccatum; *Quicquid*, enim, *est causa causæ, est causa causati*; cum generatio sit causa cut resultet peccatum; causa erit peccati, quicquid causa sit generationis; hoc autem genus causæ, morale est, & potius conditio appellati deber sespectu peccati; quod ut sesultat postulat generatiooem naturalem ex utroque pasente.

QUARTA DIFFICULTAS.

Vtrùm ad hoc ut Adamus sit causa transfundendi peccatum originale, constitutum fuerit caput generis humani?

1302. SEd non satis erat ad hoc, ut Adamus transfonderet peccatum orignale, quod ejus posteri generatione naturali gignerentur., cum sine contractione peccati originalis, si Adamus non peccaret, pes veram geoerationem filios procrearet: necessarium ergo est, ut Adamus aliqua speciali sarione dicatus parens hominum, ut eis imputerut quicquid egerit Adamus: quid fuesit inquiritur. Et respondeo fuisse rationem capitis, ex eo enim quod Adamus fuit caput generis humani, potuit transfuodere peccatum originale in posteros, & posteri potuesunt verè, & realiter in Adamo peccante peccare.

Quod ita explicatut, voluntas unius potest esse voluntas plutium, ita ut quod voluntas unius velit, communi consensu censeantut velle & cæteri: eum autem voluntas unius duobus modis possit intelligi, quod sit cæteris omnibus communis; uno modo, si voluntas singulotum in unius voluntate includatur; altero, si unius voluntas sit communis omnibus ex eo, quod iste unus sit omnium caput: uno & altero modo, posteri concipiuntur rêi peccati originalis; & utroque modo, voluntas Adami committendi peccatum originale, fuit voluntas posterorum, ex eo enim quod Adamus fuit capot oaturæ humanæ, natura humana peccavit in Adamo, & omnium posterotum Adami voluntates in ejus voluntate inclusæ fuerunt.

Probatut, quia voluntas capitis censetur voluntas totius corporis, & omnium membrorum; sed voluntas Adami, per quam & divinum fregit præceptum, & gratiam, ac justitiam originalem posteris amisit, fuit voluntas capitis, prout caput erat totius naturæ humanæ, ergo fuit voluntas communis omoibus posteris, ita ut quod Adamus egit, censeatur actum esse à posteris. Major ostenditue duobus exemplis, uno naturali, morali altero: naturale, quia actiones pravæ manus, & aliarum potentiarum, imperio voluntatis subjiciuntur, ex eo solum, quod sint pattes hominis: licet in se non sint voluntariæ, nec habeant voluntatem, pravæ sunt, & voluntatiæ, ac liberæ, quia voluntas hominis communis est illis membris. Morale est, quia quod unus Rex facit, in quantum caput est reipublicæ, censetur tota respublica facere, & velle.

1303. Sed objicies, Adamus fuit caput naturale totius naturæ humanæ: atqui naturalis capitis ratio, non satis est, ut voluntas capitis sit communis omni naturæ humanæ; ergo Adamus qua caput illius, non habuit voluntatem omnibus suis posteris communem. Hoc argumentum postular, ut explicemus rationem capitis quæ fuit in Adamo, ad effectum traducendi in suos postesos peccatum.

QUINTA DIFFICULTAS.

An, ut Adamus sit caput traducens peccatum in posteros, satis sit quod fuerit caput naturale?

1304. PRo resolutione notandum est primo, duplicem rationem capitis in Adamo posse considerari, unam capitis naturalis, alteram capitis moralis: Ratio capitis naturalis consistit in eo, quod Adamus fuit caput, sive principium, & causa omnium ratione generationis; ideo enim dicitur, *primus parens*, quia omnia individua naturæ humanæ ab hoc principio habent suum esse naturale, & hoc pacto fuit Adamus jure naturæ, omnium caput: ratio capitis motalis consistit in eo, quod actiones morales, quæ exercentur à capite, tribuantur & imputentor etiam membris; An Adamus fuerit hoc modo caput? est litigium: Pro qoo

1305. Notandum est secundo, in hoc theatro mundi Adamum ratione præcepti duplicem potuisse induere rationem personæ. Prima est personæ patticularis, secunda personæ publicæ: consideratur enim Adamus, vel, ut persona patticularis, vel, ut pessona publica: consideratur, ut persona particularis, quatenus ipse erat obligatus illi legi, sicut & posteri postea nascituri: ut persona publica, quatenus Deus illum poterat instituere caput morale totius posteritatis, ita ut ab eo, & vita, & mots posterorum penderet: Quibus notatis,

1306. Est quæstio, an ut Adamus transfunderet peccatum originale in posteros, satis fuesit ratio capitis naturalis, an necessatia fuetit ratio capitis moralis, sive quod in idem recidit: Utrùm Adamus qua caput erat suæ posteritatis, transfunderet peccatum origioale in posteros jure naturæ, & capitis naturalis? an ex aliqua institutiune divina?

Respondetur necessariam fuisse Dei institutionem, & non sufficere rationem capitis naturalis; sed requiri rationem capitis moralis, ad hoc, ut Adami voluntas, foret communis suis posteris, & eorum voluntates in una Adami voluntate continerentur; qua deficiente institutione nec Adami voluntas omnium foret, nec quod illa ageret egisse censereotur posterorum omnium volunta-

res. Hæc responsio communis est inter Theologos. Videri possunt Bellarmin. lib. 1. de amissione gratiæ cap. 12. Vasq. disput. 132. cap. 9. disput. 133. cap. 1. Suar. de opere sex dierum lib. 3. cap. 1. num. 11. in 1. 2. tract. 5. disput. 9. sect. 2. num. 15. de gratia lib. 7. cap. 23. num. 13. Zumel 1. 2. q. 81. art. 1. disp. 2. dub. 2. Salas tract. 13. disp. 51. sect. 5. num. 54. Moraines in Anti-Iansenio disp. 15. sect. 3. num. 31. & sect. 6.

Probatur primo, quia titulus generationis naturalis, & paternitatis, solum confert patri jus capitis in proximos filios, non verò in descendentes remotos: jus autem non perdurat in patre etiam pro proximis filiis semper, sed usque ad certam ætatem, in qua filius eximitur à patria potestate: Deinde illud jus non extenditur ad actiones morales, ita ut filii proximi, eo quod sub patria sint potestate, hic & nunc censeantur peccare in patre, & ejus culpam contrahere. Non enim patris peccatum imputatur filio, etiam sub patris dominio existenti: tandem illud quod pater in filios habet, est circa bona naturalia, & non supernaturalia, in quibus unusquisque est sui juris: atqui Adamus habuit jus capitis, non solum in filios proximos, sed etiam in remotos, & futuros usque ad consummationem sæculi: non solum in eorum bona naturalia, sed etiam in supernaturalia, qualia erat justitia originalis, ac in moralia, posteri enim in Adamo peccaverunt; ergo ad hoc, ut Adamus transfunderet originale peccatum, non satis erat ratio capitis naturalis, sed necessaria fuit ratio capitis moralis.

1307. Secundo, quia non majus jus habuit Adamus in suam posteritatem ex natura rei, quam habent in suos filios patres: atqui jus hoc paternum; non satis est, ut voluntas patrum circa supernaturalia, & moralia, sit communis filiis, & censeantur filii velle, id quod pater vult; ergo similiter, jus illud capitis naturalis, quod habuit Adamus non satis erat ad hoc, ut voluntas ejus esset communis posteris. Minor probatur, quia ex opposito, patres transfunderent sua peccata in filios. Et confirmatur, quia si illud jus satis foret, non solum transfunderet Adamus illud unicum peccatum in posteros, sed omnia sua peccata: cum non detur major ratio de uno, quàm de aliis.

SEXTA DIFFICULTAS.

Vtrùm ad hoc ut Adamus fuerit caput morale transfundens peccatum in posteros, necessarium fuerit pactum inter Deum & Adamum? Castigaturque doctrina Iansenii Yprensis.

1308. Recurrunt Theologi ad pactum Dei initum inter Adamum, & Deum, illudque necessarium fuisse existimant, ad hoc, ut Adamus transfunderet originale in posteros. Probant primo, quia transgressio præcepti de non edendo pomo ligni vetiti, fuit causa transfundendi originale peccatum: atqui præcepti illius obligatio, sive conferatur cum præceptis naturalibus, sive cum positivis, fuit extraordinaria; ergo necessaria fuit Dei institutio particularis, ultra modum obligandi aliarum legum.

1309. Secundo, quia si Adamus illud præceptum non transgrederetur, & alia commisisset peccata, non transfunderet peccatum in posteros, nec eis amitteret felicem innocentiæ statum; atqui eodem modo erat caput, sive hoc, sive illud committeret peccatum; ergo si unum transfundit, & non aliud, fuit, quia ut transfunderetur erat necessaria aliqua Dei specialis ordinatio.

Tertio, si non peccante Adamo Cain peccaret, Enoch ejus filius non contraheret originale peccatum, nec gratia, ac felicitate illa status innocentiæ privaretur: ex eo ergo, quod lex illa, uno excepto Adamo, alios obligabat, ut lex generalia, non dissimilis aliis legibus, quarum transgressio facta à parentibus, non imputatur filiis; ergo si aliter obligabat Adamum, fuit ex aliqua speciali Dei institutione, ex qua illa extraordinaria obligatio ortum habuit, qua deficiente, nullatenus transfunderetur peccatum originale: ut si quæ committerent Adamus & posteri peccata, non transfunderentur in posteros.

Quarto, justitia originalis, gratia, cæteraque dona, quæ illum innocentiæ statum comitabantur, erant supernaturalia: atqui bona supernaturalia nullam habent connexionem cum actione primi parentis, ut sibi, & posteris illa perderet; ergo necessaria fuit aliqua ordinatio Dei, ad hoc, ut ita foret. Minor probatur, quia ex eo quod pater benè vel malè operetur, non sequitur ex natura rei, quod ejus filiis præmium, & pœna conferatur.

Hanc autem Dei institutionem appellant Theologi pactum, ut etiam præceptum de circuncisione impositum Abrahamo, appellatur Genesis cap. 13. pactum, quamtumvis solum intercesserit mandatum Dei absque consensu positivo ex parte Abrahami pro posteris: non tamen inferas, esse in rigore pactum initum cum Adamo, solum enim fuit præceptum cum speciali institutione, ut obligaret Adamum, & ejus futuram posteritatem.

1310. Verum Cornelius, Iansenius, Yprensis, Theologis insultat, & hanc institutionem specialem, sive pactum, quod necessarium esse communiter docent Theologi, figmentum, inventumque humanum contra Ecclesiæ, & Augustini doctrinam appellat: Ita tom. 2. lib. 1. cap. 5. Cap. 11. §. *Et sane.* Cap. 15. §. *Ex quibus.* Cap. 16. §. *Nihil.* propè finem, & cap. 17. paulo post principium, & multis omissis ita de sensu Theologorum disserit cap. 12. *Nam pactum hinc affingere, non est aliud quam purgare parentes, & culpare Deum, qui peccatores propria voluntate constituat; hinc est, quod nec Augustino, nec ulli veterum usque ad tempora Scholasticorum, ullius pacti in mentem venerit,* &c. Et cap. 16. *Præsertim cum novum illud pacti mysterium, præterquam, quod nulla Scripturarum, nulla traditionis, nulla solida rationis, sed solius humanæ cognationis authoritate fundatum sit*, &c.

Ex tribus deinde principiis, pactum istud amandare tentavit Yprensis; primum est, quod apud Augustinum, aut aliquem Doctorem, qui scripsit ante Scholasticorum tempora, nullum extat vestigium hujus pacti; ergo non fuit tale pactum. Patet consequentia, quia mirum esset, quod si tanta facilitate, posito pacto traducitur originale, illius pacti, nullus etiam eorum, qui pro peccati originalis existentia certaverunt, aliquam fecerit mentionem.

1311. Secundum principium est, quia nulli innititur rationi; imo est contra rationem: irrationale enim est, ut purgentur à criminibus homines, Deum culpare: cum non possit Deus pactum efficere constituendi peccatores ab ipsa vulva, & contrahendi originale, quin peccatum ei attribuatur.

1312. Tertium, quia impossibile est, & omnino impervium rectè rationi, quo pacto possint hæc

pacta initi, quibus voluntas prolis ita constituatur subdita, & contenta in voluntate patris, *Ut quamquam à parente nihil iniquitatum transeat in prolem, hoc solo, quia voluntas unius ex pacto, est alterius, patre peccante, filius quoque peccator esse censeatur, ac sit? Sic enim nulla ratio est, cur non etiam parvuli, qui jam nati sunt, simili pacto inito ex patris peccantis iniquitate reatum contrahant: imo cur non parvuli, quolibet in Europa peccante, fiant, in India, & in universo terrarum orbe peccatores, quandoquidem non minus nati, quam nascituri propria voluntate careant, aliena voluntate gubernentur, ac Deus in omnium voluntatem, sive parvulorum, sive maiorum, sive nati, sive nascituri sint, supremum dominium teneat, & quamlibet voluntatem possit in qualibet collocare; nam esse, vel non esse natum: esse filium alicuius, vel non filium, nihil ad huiusmodi peccati contractionem facit, cum longe magis rationi consentaneum esse videatur, ut tam de hominibus, qui iam sunt, quàm de illis, qui post tot sæcula nascituri sunt. Deus, & parens eius contrahendo disponant.* Ita Yprensis cap. 15.

1313. Sed hæc principia, principia sunt, quibus Yprensis malitia, & falsitas apertè detegitur; & à primo incipiendo. Pactum à Deo initum cum Adamo, habetur in Scriptura sacra Genes. 2. *De ligno autem scientia, ne comedas; in quacumque enim hora comederis, morte morieris:* quem locum de pacto inito cum Adamo interpretatur Chrysostom. Homil. 6. in epistola ad Colossens. explicans enim illum cap. 2. vers. 14. *Delens, quod adversus nos erat chirographum decreti; ait quodnam chyrographum auctor intelligit? quod ad Moysen dixerant, quæcumque.* Eodem modo interpretatur Ambrosius in cap. 2. epistolæ ad Colossens. vers. 14. ubi etiam Theophilactus, uterque enim per illud *Chirographum* intelligit pactum initum cum Adamo, contentum in illis verbis: *In quacumque enim*, &c. Non aliter Rupertus lib. 5. in Genesim cap. 33.

1314. Et quod caput est, D. Augustinus lib. 16. de Civit. Dei cap. 27. pactum appellat illud præceptum de non edendo de ligno scientiæ, explicans enim verba illa, *Delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Genes. 17. vers. 14. ita habet: *Potest movere, quo modo intelligi oporteat, quod hic dictum est: Masculus, qui non circumcidetur carne præputii sui octavo die, interibit anima illa de genere suo, quia testamentum meum dissipavit; cum hæc nulla culpa sit parvuli, cuius dixit animam perituram, nec ipse dissipaverit testamentum Dei, sed majores, qui eum circumcidere non curarunt: nisi quia etiam parvuli, non secundùm vitæ suæ proprietatem, sed secundùm communem generis humani originem, omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt: Multa quippe appellantur testamenta Dei, exceptis illis duobus magnis, vetere, & novo, quod licet cuique legendo cognoscere: testamentum autem primum, quod factum est ad hominem primum, profectò illud est, qua die ederitis, morte moriemini.*

In quo loco, vides appellari *testamentum*, legem illam impositam Adamo, testamentum autem est idem, quod pactum, ut eodem loco constat: nam cum loqueretur de pacto inito cum Abrahamo circa circuncisionem, illico illud pactum appellat *testamentum*, & cum non invenisset rationem, cur damnarentur parvuli ob fractionem prędicti pacti, recurrit ad aliud initum cum Adamo, quod nuncupat *testamentum*, ex cujus fractione, omnes contrahere peccatum, docet: *Omnes in illo uno, testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt:* Quare Augustinus, ideo peccasse parvulos asserit, quia omnes continebantur in Adamo, & quia Adamo fuit impositum illud præceptum, non solum pro ipso, sed pro ipsis etiam, ideo non solum ab Adamo, sed etiam ab omnibus posteris fractum, dissipatumque fuit prædictum pactum.

1315. Idem etiam pactum in verbis Genesis, *In quacumque enim hora*, &c. Agnovit S. Hieronymus explicans enim illud Oseæ cap. 6. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum meum, ibi prævaricati sunt in me:* ita habet: *Ipsi autem imitati sunt Adam, ut quod ille in Paradiso fecerat, pactum novum, legemque præterirent, isti in terra facerent.* Et infra: *Hoc est in Paradiso omnes prævaricati sunt in me, in similitudinem prævaricationis Adam, non enim mirum, si quod in parente præcessit, etiam in filiis condemnatur.*

1316. Maximum etiam fundamentum habet hoc pactum, sive hæc Dei specialis institutio, circa illam in Apostolo ad Rom. 5. vers. 18. & 19. quæ verba transcripsi supra n. 1269. ubi comparat Apostolus transfusionem peccati originalis per Adam, justificationi per Christum, docens, sicut per peccatum Adami condemnatio facta fuit omnium hominum, ita & per meritum Christi, justificatio facta fuit; & sicut per inobedientiam Adami, omnes homines evaserunt peccatores; ita & per obedientiam Christi, justi: sed meritum, & obedientia Christi non prodesset hominibus, nisi à Deo ordinaretur; ut fatetur Yprensis: ergo similiter nec peccatum Adami offenderet omnes homines, nisi daretur aliqua ordinatio, & specialis Dei institutio.

Qua ergo fronte, quo rubore, Yprensis ausus est affirmare pactum initum inter Deum, & Adamum de contractione generali peccati originalis, esse figmentum, & cogitatum humanum? Quo modo nullo Scripturæ sacræ testimonio fulcitur, si expresè videtur asseri ab Scriptura: quo pacto nullus Doctor ante Scholasticos hujus pacti meminit, si tot sancti illud approbaverunt: qua ratione nullum illius extat in doctrina Augustini vestigium, si adeo expresè illud admittit; sed sine ratione ex postulatur ratio, ab homine omni ratione destituto.

1317. Secundum principium, quo utitur Yprensis, calumniosum est, nec video, quo pacto ex prædicto pacto purgentur homines, & culpetur Deus, velut causa originalis peccati? Si quidem Deus intentione præmiandi hominum merita, voluit, ut homines justitiam originalem, ac felicem innocentiæ statum obtinerent; ad hoc iniit pactum cum Adamo, Adamum constituens caput morale omnium posterorum, ut in eo continerentur voluntates eorum, & Adami voluntas omnium foret voluntas, à qua dependeret fortuna posterorum, id est, vel justitiæ originalis, vel peccati transfusio; pactum hoc fuit illud præceptum commune non edendi pomum ligni scientiæ, facilè ad observandum, cujus observationem reliquit in manu, sive voluntate Adami, noluit Adamus observare præceptum illud; peccavit, & peccando, in eo omnes posteri peccaverunt, & loco justitię originalis, quam contraherent, si Adamus præceptum observaret, vix concepti peccatum contrahunt originale?

1318. Quæro modo, quisnam est causa peccati, Adamus, an Deus? Quis in his terminis Deum, dicet fuisse causam peccati, nisi homo omnis scientiæ expers? si enim Deus eum sincera intentione ne peccaret Adamus, ei præceptum commune imposuit, ad cujus observantiam auxilia contulit; peccatum Adamo malè utenti libertate, & auxiliis sibi concessis, attribuendum est, non Deo; aliter in impositione omnium præceptorum, Deus foret causa peccati, cum omnia liberè observanda sint,

&

& transgredienda. Cum ergo Deus imponens illud præceptum, sicut & cætera, non ordinaverit homines ad culpam & pœnam, quin potius ad gratiam & præmium, laudandus profectus Deus est propter bonitatem suam, non culpandus propter prævaricationem nostram. Verum est, quod Deus prævidit Adamum fore peccatorem, & in eo omnem ejus posteritatem lapsuram: sed quis ex præscientia Dei, Deum damnare ausus erit? etiam Deus prævidit peccaturum Adamum, & ita juxta Yprensem viriandam esse naturam; cur ergo permisit Adami casum? Quod Yprensis responsum dederit, ego accipio pro nostra resolutione: Non enim Deus desinit operari rectè, & secundùm rectissimas suæ providentiæ regulas, cum peccata permittit, quæ poterat impedire; sed cum non teneatur, desinit homines agere pro suo arbitrio, ut hominum merita compenset, quod si peccant, non Deus, sed homo erit causa peccati: Deus enim adhuc in illa permissione, ostendit divitias bonitatis suæ, cum ex permissione peccati maxima bona contulerit, non enim tantum abundavit delictum quantum superabundavit & gratia.

1319. Iam verò tertium principium de impossibilitate contrahendi peccatum originale relatum n. 1315. non tanti faciendum est, ut propterea ablegandum sit pactum, & admittenda proxima concupiscentiæ causalitas: posito enim illo pacto, facilè intelligitur transfusio peccati originalis, ut apparet in Principe constituente aliquem ducem principem suæ familiæ, cui conferre vult maxima, & pro semper duratura beneficia, si munus ei injunctum homo ille rectè egerit, quod si inobediens, non egerit id quod præcipitur, ab eo & ab ejus familia amittendam esse nobilitatem statuit: non egit munus suum homo ille, perdidit dignitatem pro se & familia sua, quæ cum in illius voluntate contineretur, pactum fregit: ex eo solum, quod homo ille constitutus principium, caputque morale posterorum, peccavit; in eo enim peccavit omnis ejus posteritas.

Sed quid commiserunt parvuli nondum nati, ut tali pœna punirentur? Ego quæro, si Adamus non peccaret, quid parvuli egissent, ut tali præmio donarentur? Proculdubio, ut Adamus constitutus caput morale posterorum, si non peccaret, causa foret cur parvuli ex eo nascituri felici innocentiæ statu potirentur, concessa sibi per originem, & in primo conceptionis instanti, justitia originali, eo solum quod eorum voluntates continerentur in Adamo, si præceptum servasset, & eo solum quod talis hominis per viam naturalem essent filii: ita profectò Adamo peccante propter eamdem rationem amiserunt innocentiæ statum, & justitia originali privati, vix concepti, contrahunt originale peccatum.

Ergo, inquit Yprensis, etiam imponi poterit præceptum commune pro parvulis jam natis: & initi poterit pactum, simile illi, quod initum fuit pro parvulis adhuc non natis? Quis hoc inficiatur? cum Deus sit supremus omnium humanarum voluntatum dominus, & sicut constituit Adamum caput morale posteritatis suæ, adhuc nondum existentis, potest constituere quemlibet hominem caput morale filiorum, quos jam genuit: quodnam hoc inconveniens? aut quæ ratio oppositum persuadet? illam afferant Yprensis sectatores, & responsum dabitur eis.

SEPTIMA DIFFICULTAS.

Cujusnam conditionis fuerit pactum illud cum Adamo initum.

1320. Relinquamus Yprensem, superest pacti illius qualitatem investigare: nonnullæ etenim difficultates expediendæ sunt, ut illius plena habeatur notitia.

DUBIUM PRIMUM.

Utrùm pactum illud fuerit rigorosum?

Respondetur negativè: est communis sententia Theologorum: nam rigorosum pactum, est conventio duorum, vel plurium in eodem placito, necessarioque partium consensum requirit: atqui consensus Adami, aut posterorum non fuit necessarius ad hoc, ut transfunderetur gratia, vel peccatum; ergo non fuit pactum de transfusione peccati rigorosum: Et confirmatur, quia ad hoc ut Rex quilibet cum aliquo magnate agat de transfundendis, vel præmiis, vel pœnis, satis est declarare se hoc velle sub tali, vel tali conditione, quin consensus magnatis, aut ejus posterorum requiratur ad effectum transfusionis, ut bene advertit Salaz tract. 13. disp. 11. sect. 5. n. 63. cum pluribus ab eo citatis.

1321. Dices: Locus ex quo colligitur hoc pactum est ex cap. 2. Genesis, *In quocumque die comederis*, &c. ex hoc enim loco tam antiqui, quàm Recentiores Theologi collegerunt intercessisse pactum inter Deum, & Adamum. Videantur Vega in Tridentinum cap. 2. & 5. Catharin. in opusculo de peccato originali cap. ultimo, Albertus Pyghius controversia de peccato originali §. 8. Azor 1. p. moralium institutionum lib. 4. cap. 27. Suarez tom. 1. in 3. part. disputat. 39. sect. 1. sub finem, Salmeron in cap. 5. ad Roman. disputat. 45. alluditque ad hoc præceptum Oseas cap. 6. numero 7. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum meum*, quem locum Hieronymus datus numer. 1313. explicat de rigoroso pacto, eidemque sensui adhærere videtur D. Augustinus lib. 16. de Civitate Dei cap. 27. ergo pactum fuit rigorosum. Respondetur verum esse ex illis locis colligi pactum, quòd intercessit inter Deum, & Adamum, non tamen fuisse rigorosum, Hieronymus enim locum Oseæ intelligit de præcepto, de quo eumdem locum interpretatur citatus Augustinus, utriusque verba videri possunt num. 1314. & num. 1315. & Augustinus lib. 1. de nuptiis cap. 11. ubi videtur innuere rigorosum intercessisse pactum, intelligendus est, juxta ejus doctrinam in libro 16. de Civitate Dei cap. 27.

DUBIUM SECUNDUM.

Utrum, ut Adamum, & posteros, præceptum illud obligaret, necessariò debuerit intimari Adamo?

1322. Respondetur affirmativè: Primo, quia præceptum non obligat aliquam personam, si non habeat de illo notitiam, ut dicam tomo 2. in disputatione de legibus, à præcepti enim obligatione liberat ignorantia illius invincibilis; ergo si non haberet Adamus notitiam de illo præcepto, non obligaret præceptū, ipsum Adamum pro seipso; ergo neque obligaret Adamum pro posteris si datur Adamum non habuisse de eo notitiam pro posteris. Secundo, peccatum posterorum fuit primo parenti voluntarium, sive quia in ipso posteris fuit voluntarium; sive quia non poterat peccare pro

se, & posteris, quin vellet omnium culpas: sed non potuit esse voluntatium Adamo, non præcognita culpa, hæc enim non est voluntaria ignoranti ubligationem; ergo, ut peccatum foret voluntatium, sive ut Adamus peccaret, & in eo posteri, debuit habere notitiam de qualitate præcepti. Dices cum Arriaga, satis esse cognoscere culpam, non qualitatem culpæ. Contra primo, quia si quis invincibiliter ignoret esse culpam mortalem, non peccat mortaliter. Tandem, quia ex hoc capite verificatur doctrina Patrum, docentium Adami peccatum fuisse omnium maximum, hoc enim non intelligitur juxtà materiam, sed juxta nocumentum universæ posteritati illatum, quod necessariò præcognoscere debebat, aliter non imputaretur Adamo.

1323. Oppositum docuit Vasq. disput. 133. in 1.2. Suar. lib. 3. de opere sex dierum cap. 21. n. 18. & lib. 12. de gratia cap. 18. n. 13. Arriaga tom. 5. in 12. disp. 51. sect. 2. n. 27. Primo, quia ut posteri nascerentur in originali justitia, & in gratia, non erat necessaria notitia decreti, per quod Deus statuit dare illam justitiam Adamo, & posteris, si Adamus non peccaret; ergo similiter, ut posteri nascerentur in peccato, non erat necessaria notitia præcepti de transfusione peccati, & amissione gratiæ, si illud frangeret Adamus. Antecedens ostenditur, quia illa conservatio gratiæ, foret veluti præmium observationis præcepti: sed ad consequendum præmium satis est exhibitio operis, per quod comparatur, nec requiritur notitia præmii in eo, qui præmium consequitur; ergo, &c. Respondetur negando consequentiam, diversa ratio est, quia ad rationem præmii, vel doni, sufficit voluntas præmiantis, & benefactoris, absque aliqua recipientis voluntate; ad rationem verò culpæ imputabilis, necessarium est voluntarium, & ad voluntarium notitia culpæ.

1324. Instabis: Licet ad voluntarium, per quod incurritur culpa personalis requiratur cognitio, non tamen ad voluntarium, quod est causa incurrendi culpam originalem. Respondetur negando antecedens, quia peccatum originale fuit posteris voluntarium, ut in causa; ad voluntarium autem in causa necessaria est cognitio, cum autem hæc non fuerit in parvulis, necessariò futura erat in capite, videlicet in Adamo.

1325. Secundo, ad hoc, ut posteri comprehenderentur, & obligarentur illi præcepto, non requirebatur, quod ista comprehensio & obligatio, esset voluntaria primo parenti; ergo nec ut posteri peccarent. Consequentia valet à paritate rationis: Antecedens probo. Primo, quia satis erat decretum efficax Dei volentis obligare posteros, ut posteri obligarentur, juxta communem regulam præceptorum tradendam tom. 2. in materia de legibus. Secundo, quia prius est Deum velle homines obligare, quàm homines obligari, aut quam homines habere obligationis notitiam. Tertio, quia illud præceptum fuit absolutum, & efficax, licet ejus promissio foret conditionata; ergo debuit Deus extorquere, & non expectare consensum posterorum.

Respondetur, concedo antecedens: quod etiam verum est, respectu solius Adami, cujus consensus non fuit necessarius, ut obligaretur, satis siquidem est voluntas sola Dei ad inducendam obligationem inexpectato consensu ejus, quem obligare vult, de quo Suar. citato loco n. 24. & tract. 5. in in 1.2. disp. 9. sect. 2. n. 25. nego consequentiam: quia hæc obligatio debebat innotescere Adamo, ut ejus violatio ei imputaretur ad culpam, juxta communem sententiam, ideo ut posteri obligarentur, debebat innotescere Adamo, quod tale præceptum eosdem posteros obligabat, quod fieri non poterat, nisi Deus intimaret illud præceptum pro Adamo, & posteris ejus.

TERTIUM DUBIUM.

Utrùm illud præceptum solum fuerit impositum Adamo ad effectum transfundendi omnes actiones morales.

1326. Respondetur fuisse impositum ad effectum transfundendi, vel amittendi illas actiones, quæ conveniebant Adamo, ut capiti morali; & ut personæ publicæ: non verò illas, quæ Adamo conveniebant, ut personæ particulari: cum enim solum foret caput morale, ut sibi, & posteris, vel daret, vel amitteret justitiam originalem, gratiam, & alia dona supernaturalia, voluntas, qua Deo obediens conservaret hæc omnia, communis fuit omnibus, inde etiam communis fuit voluntas qua inobediens omnia amisit dona supernaturalia; cæteræ verò actiones, quas post violationem illius præcepti exercuit, non fuerunt posterorum, quia cum ratio capitis moralis solum in observantia, vel fractione illius præcepti de comedendo, vel non comedendo ligno vetito, constitueretur, fracto præcepto, quascumque actiones postea egit, fuit, ut persona particularis: ex quo sequitur voluntatem, qua doluit de violatione illius præcepti, & pœnitentiam egit, non profuisse posteris, quia pro tunc operatus est velut persona particularis, & non ut publica: non enim fuit constitutum caput pro semper, & pro omnibus actionibus, sed pro limitato tempore, & pro actionibus, quæ versabantur circa comestionem pomi, & circa has, quatenus præcesserunt sententiam judicis, ut bene advertunt Vasques disp. 182. cap. 9. n. 36. Lorca disp. 44.

OCTAVA DIFFICULTAS.

De personis comprehensis in illo pacto.

De fide est, omnes homines per generationem naturalem ex homine, & fœmina generatos, & descendentes ab Adamo, excepta Sancta-sanctorum, Regina Angelorum, & Matre Dei, comprehensos fuisse in illa lege, & contraxisse peccatum originale ex illo Pauli, *In quo omnes peccaverunt*, ex Tridentino sess. 5. decreto de peccato originali canone 5. varia tamen sunt dubia, quæ expediri debent ad majorem declarationem fidei, non enim extra dubium est, quænam personæ sint comprehensæ.

13.7. Ideo circa conditionem illarum personarum quæ comprehendi poterant in prædicto pacto, specialis est difficultas: Ad cujus resolutionem, notandum est primo, personas, sive filios Adam, in illo instanti in quo Deus iniit pactum cum Adamo, posse considerari, vel in statu possibilitatis, vel futuritionis: in statu possibilitatis sunt omnes homines, quos Deus decernere posset ex Adamo nasci, licet pro illo signo, nihil decrevisset circa eorum existentiam futuram: in statu futuritionis, sunt omnes homines, quos Deus jam decreverat gignendos fore ab Adamo. Secundo, homines in statu futuritionis posse considerari erga pactum, juxta quatuor status; primus est, antequam Deus inierit pactum cum Adamo: Secundus est, post initum pactum, sed ante fractionem illius: Tertius est, post initum, & violatum pactum, sed ante impœnitentem excusationem Adami: Quartus est post impœnitentiam Adami circa violationem pacti. De quibus omnibus est specialiter inquirendum per sequentia dubia.

DUBIUM PRIMUM.

Utrùm omnes homines possibiles, fuerint inclusi in illo pacto?

QUæstio vel procedit de possibili, vel de facto: & in utroque statu est, an omnes homines possibiles in illo pacto sub conditione, si nimirum nascerentur ex Adamo, inclusi fuerint?

1328. Dico primo, de possibili, non est dubium potuisse omnes includi in præfato pacto: hanc conclusionem cum Cardinali Lugo, Suario, Ruiz, & aliis optime propugnat Ambrosius de Pennalosa in vindiciis Deiparæ de peccato originali, disp. 1. Probatur primo, quia de facto ita decretum fuit, ut videbimus in secunda conclusione; ergo possibile est. Secundo, homines possunt statuere, & de facto statuunt, vota, & juramenta, ac contractus conditionatos ex parte objecti, ut videre est in omnibus conditionatis; ergo similiter Deus potuit inire pactum cum Adamo directum ad omnes homines possibiles sub conditione, si nascerentur ex Adamo, vel obediente, vel inobediente; si ex obediente, ut gignerentur in gratia; si ex inobediente, ut gignerentur in peccato: eo modo, quo etiam Princeps potest promittere pro talis operis executione alicui, & filiis, si ab eo nascerentur, principatum; & si opus non fieret, ejusdem principatus privationem, cum in hoc nulla sit repugnantia.

1329. Dices primo, homines possibiles ante Adamum existentem erant indifferentes, ut ex illo nascerentur; poterant enim existere, vel per seminalem generationem, vel ex alia materia, & sine dependentia viri & fœminæ: atqui in ito pacto, adhuc manent cum eadem indifferentia; ergo in illo includi non possunt: Patet consequentia, quia per inclusionem in pacto, sunt determinati, ut nascantur ex mari & fœmina; ut possibiles, sunt indifferentes, eadem verò res indifferens, & determinata, simul esse non potest: Minor probatur, quia illa indifferentia solum aufertur per possibilium existentiam ex Adamo futuram. Respondetur, negando consequentiá. Ad probationem respondeo, esse inclusos in pacto, non per absolutam, sed conditionalem inclusionem: qua stante adhuc Deus poterit decernere, quod non nascantur ex Adamo; conditionalis enim inclusio non opponitur indifferentiæ, sed tantùm dat jus conditionatum, quod in virtute pacti habeatur possibilis, ut si nascantur ex Adamo, vel gratiam, vel peccatum contrahant; quod jus, non ponitur in exercitio nisi purificata conditione, si nimirum nascantur ex Adamo; & ea non purificata, potest Deus disponere de possibilibus, prout voluerit; in quo casu, omnes sunt conditionaliter inclusi in pacto, id est, habent jus, ut omnes contrahant culpam, vel gratiam, si purificetur conditio: quod si ante purificationem Deus statuat, ne descendant ex Adamo, tunc manebunt exclusi, sed ante illud decretum, inclusi sunt; eo modo, quo omnibus accedentibus Romam Summus Pontifex offert indulgentias, omnes enim habent jus lucrandi indulgentias, quas tamen non lucrabuntur, nisi accedentes Romam, & tamen omnes cum illo jure, adhuc manent indifferentes accedendi, vel non accedendi Romam, quia est jus conditionatum; ac proinde, ut sunt conditionaliter omnes inclusi in lucratione indulgentiarum, si accedant, ita sunt exclusi si non accedant: sed non sunt exclusi nisi finito tempore, quod conceditur.

1330. Secundo, sequitur scientiam divinam terminari ad homines possibiles in confuso & obscure. Probatur sequela, quia Deus non inclusit absolutè omnes homines possibiles, quos per scientiam simplicis intelligentiæ videbat, sed tantùm sub conditione, si ex Adamo nascerentur: atqui in illo signo, nulli erant decreti, ut ex Adamo nascerentur; ergo scientia divina ad illos confusè terminata fuisset. Respondet primo Cardinalis de Lugo de Incarnatione disputat. 7. sect. 3. numer. 39. non esse inconveniens admittere sequelam: Verum numquam ita considerate licet divinam cognitionem. Ideo respondeo secundo cum Pennalosa numer. 11. negando sequelam. Ad probationem, concedo majorem: & minorem, nego consequentiam: quia per scientiam simplicis intelligentiæ clarè, & distinctè Deus cognoscebat non solum omnes, & singulos homines possibiles, sed etiam possibile esse, omnes & singulos ex Adamo propagari; & pro eis sic cognitis, pactum iniit, sub conditione si ex ipso Adamo nascerentur: quod verò ex vi pacti Deus pro illo signo non cognosceret illos, qui nascituri erant, non est cognoscere obscurè, sed non cognoscere pro illo signo, defectu futuritionis, sicut Deus in signo, quo cognovit possibilia, futura non cognovit, quia adhuc eorum futuritio decreta non erat, ideo defectus cognoscendi, ad defectum objecti, non cognitionis revocatur.

1331. Dico secundo, de facto pactum initum cum Adamo comprehendit omnes homines possibiles, si ex Adamo nascerentur. Ita cum Cardinali de Lugo de mysterio Incarnat. disput. 7. sect. 3. n. 28. Ruiz de prædestinat. disput. 13. sect. 4. n. 2. Pennalosa citata disp. 1. cap. 3. à n. 24. Fundamentum desumitur ex doctrina sanctorum Patrum docentium, universam naturam humanam viriatam fuisse per primi parentis peccatum, Ita passim Augustinus, ideo non est cur repetamus ejus locos: & cum eo reliqui Patres, quod non intelligi potest de natura vitiata secundùm partem, sed absolutè, ita ut si de novo aliquis homo ex illa natura generaretur, contraheret originale: eo quod Patres conveniunt in eo, quod universa, & tota natura sit vitiata, expressitque Tridentinum sess. 6. cap. 3. ubi ait: *Homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti*: Unde si restringatur ad partem, & non extendatur doctrina Tridentini, & Patrum ad omnia individua humana, facilè, quosdam eximere possent hæretici: quo fundamento posito, Probatur, quia si Deus ex statu possibilitatis educeret aliquos homines, filios futuros Adami, contraherent peccatum originale: aliter salva non foret doctrina Conciliorum, & sanctorum Patrum; ergo in pacto fuerunt inclusi, cum solum vi pacti, contrahatur peccatum originale.

1332. Objicies primo, supposito quòd homines fuerint decreti futuri post peccatum Adami, & post Christum jam prævisum, sequitur hominum futuritionem, & existentiam deberi meritis Christi Domini: atqui hoc repugnat Augustino epist. 115. & serm. 11. de Verbis Domini, ubi: *Etenim Christus non est mortuus, ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, ut vivificarentur.* Respondetur, admitto sequelam, nego minorem: nam Augustinus intelligitur de fine primario, & necessario, non de secundario; primarius enim finis mortis Christi fuit vivificare peccatores; secundarius futuritio hominum: nec hoc adeo insolens est, cum existentia, & futuritio universi, & omnium hominum S. Virgini adscribat S. Bernardus serm. 3. in *Salve Regina*. Probat Galatinus

lib. 7. de arcanis cap. 2 & Fernandez in cap. 1. Genes. sect. 5. num. 5. si enim propter merita Sanctorum, aliqui nati sunt, cur non omnes homines nati erunt propter merita Christi? praecipuè, quia in opinione de Christo, etiam non peccante Adamo venturo, non fuerunt decretae generationes numericae, hoc enim fuit post decretum de Christo venturo in carne mortali, quo casu, vel meruit illa omnium accidentia, vel non: si non, quid habet inconveniens; si etiam substantiam non meruerit? si meruit accidentia, cur non & substantiam?

1333. Secundo, sequitur etiam humanitatem Christi Domini inclusam fuisse in pacto. Probo sequelam; quia humanitas Christi Domini erat in statu possibilitatis, cum Deus iniit pactum: sequela autem est absurda; aliter Christi Domini sanctitas dependeret ab Adamo, ut à capite, redemptoreque alio egeret, ne caderet. Respondeo, negando sequelam. Et primo, in opinione de Christo venturo non peccante Adamo, non est dubium fuisse extra pactum, cum jam decretus fuerat venturus, & in pacto non fuit inclusus, nec potuit includi. Secundo, in altera opinione, etiam certum est, non fuisse inclusam humanitatem Christi, duplici ratione. Prima, quia unienda erat Verbo. Secunda, quia non erat per seminalem generationem descensura ex Adamo: homines verò possibiles, qui includuntur in pacto, debebant esse puri homines, & per viam seminalem ex utroque parente descendere ab Adamo.

1334. Dices: Saltem illa humanitas Christi Domini praevisa, non ut unita Verbo, sed ut humanitas, cum indifferentia ad hoc, ut haberet propriam subsistentiam, vel divinam, potuit includi in illo pacto: siquidem ut sic poterat descendere per seminalem generationem, & non esse Deus. Respondet Pennalosa num. 29. concedendo antecedens de possibili, imo de facto non repugnare. Ego verò nec de facto, nec de possibili concederem humanitatem Christi Domini quocumque modo acceptam, fuisse inclusam in pacto: quia pactum non fuit initum cum Adamo pro eo, & pro humanitatibus, sed pro hominibus ab eo generandis, homo autem jam includit subsistentiam; ac proinde humanitas illa non ingressa fuit pactum: quod si accipiatur cum subsistentia, & ut homo, jam accipitur cum subsistentia Divina, numquam enim humanitas Christi Domini cum propria subsistentia praevisa fuit.

DUBIUM SECUNDUM.

Utrum Adamus in illo pacto potuerit generare filios antequam vinceret, vel succumberet tentationi?

1335. Affirmant communiter Recentiores, quaerentes: Utrùm si Adamus filios antequam peccaret, genuisset, tales filii contraherent peccatum originale? in quo supponunt potuisse generari: ita Benedictus Pereira lib. 5. in Genes. disputat. 3. de excellentia status disputat. 3. Angles dist. 31. quaest. 1. difficultat. 1. Azor 1. part. lib. 4. cap. 3. Suar. in 1. 2. tract. 5. disputat. 9. sect. 4. Vasquez disputat. 133. in 1. 2. cap. 3. Salaz 1. 2. tract. 11. disputat. 11. sect. 5. numer. 62. Catherinus opuscul. de peccato origin. cap. 2. Lorca 1. 2. quaest. 81. in Commentario art. 3. Moncaeus tom. 2. part. 4. disput. 7. cap. 2. Granad. de Incarnat. cont. 2. tract. 1. disp. 1. sect. 16. Herrera in 2. disp. 24. q. 4. Gaspar. Hurt. 1. 2. disp. 6. difficult. 7.

Verum haec sententia ita absolutè prolata vera esse non potest, distinguendi sunt status difficultatis: Primus est, an hoc fieri posset absolutè, & de possibili: Secundus an fieri posset ex vi praesentia decreti, quo Deus statuit universum genus humanum includere in pacto: primus status non potest negari, cum dependeat ex mera voluntate Dei, qui ut absolutus, & omnipotens Dominus poterat pro suae voluntatis arbitrio disponere de Adamo, & ejus posteris: secundus ergo status est in quo loquuntur Doctores: ac scilicet stante praesenti decreto & pacto, Adamus potuerit ante terminum viae eidem praefixum, ut capiti, generare filios?

1336. Respondeo negativè: ita Peonalosa in vindiciis Deiparae disp. 5. cap. 3. Et probatur, quia licet in Paradiso ratum fuerit matrimonium inter Evam & Adamum, non tamen poterat consummari quamdiu Adamus munus personae publicae, & capitis ageret; Probo antecedens, primo ex facto, quia constat non convenisse simul in Paradiso utrumque parentem, ita enim deducitur ex cap. 4. Genes. vers. 1. *Adam verò cognovit uxorem suam Evam*: Si enim ante in Paradiso cognovisset Adamus Evam, non hic post ejectionem è Paradiso advertetet sacer textus, quod convenerint, & ita sentiunt Gregor. Nyssenus, Chrysostom. August. & Hieronym. relati à Suar. de opere sex dierum lib. 5. cap. 1. nu. 4. estque doctrina Patrum ut Suarez docet cap. 2. ubi n. 14. asserit, ab omnibus Patribus asseverari servatam fuisse Virginitatem à primis parentibus ante peccatum. Optime Hieronym. lib. 1. contra Iovinian. *Adam & Eva ante offensam in Paradiso virgines fuerunt post peccatum autem, & extra Paradisum protinus nuptiae.* Chrysostomus in catena Lippomani: *Itaque ab initio Virginitas palmam principatus accepit.*

1337. Quo posito, cur servata est Virginitas in Paradiso? non quidem ex necessitate, imo major necessitas erat propagandi genus humanum: non ex indecentia, cum si non peccarent, Adam cognosceret Evam? Ergo ex pacto Dei decernentis non futuram illam conjunctionem ante peccatum. Ita Chrysost. loco citato. *Consequenter omnipotens Deus secundùm suam sapientiam humani generis durationem gubernans, concessit per coitum auctum iri genus humanum.* Augustin. lib. 3. de Genes. ad litteram apud Lippoman. quaerit enim: *Cur non coierunt, nisi cum exissent de Paradiso*? Et respondet, quia mox creata mulier est, & *priusquam coirent facta est illa transgressio: potest etiam dici, quia non dum Deus jusserat, ut coirent*: ergo ex vi praesentis decreti non poterat Adam generare ante peccatum: Patet consequentia, quia ex jussu Dei non conveniebant parentes in Paradiso usque ad violationem praecepti; ergo ex eo quod Deus decreverat non futuram generationem ante finitú terminum viae.

1338. Confirmatur haec ratio ex doctrina Patrum, quos retuli num. 1336. asserentium durante innocentiae statu non coituros esse primos parentes, licet enim Suarez citatus asserat, eos errasse, majori tamen reverentia tractãdi sunt tanti Patres, & asserere decet eos verè loquutos fuisse, quia loquebantur ex vi praesentis decreti quoad terminum praefixum viae primi parentis, ut caput erat morale: durante enim hoc statu viae, non cognosceret Adamus Evam.

1339. Secundo probatur ex inconvenienti, sequeretur enim in duas classes dividendos esse filios Adami, qui enim nati fuissent ante peccatum,

nascerentur sine peccato : ut contrarii affirmant : & qui post peccatum nascerentur, nati forent cum peccato ; tunc filii descendentes à parentibus sine peccato natis, sine peccato nascerentur, ut ostendam dubio 3. & illi alii cum peccato : quod quidem absurdum est : ita namque Deus disposuit ordinem generationum, ut vel omnes Sancti, vel omnes in peccato conciperentur : & hæc est ratio Augustini citati, Cur Deus jussit utrique parenti ne coirent ? *quia scilicet secundum suam præscientiam disponebat omnia in qua eorum casum procuidubio præsciebat, unde iam mortale genus propagandum esset humanum* : Cum Deus præsciret casum Adami, illico decrevit ne coiret uterque parens, ut sic universum genus humanum mortale nasceretur, non vero divideretur in classes, nascentibus quibusdam cum immortalitate, & quibusdam mortalitati obnoxiis.

1340. Dices, Deus productæ Evæ, simul & Adamo intimavit præceptum propagationis generis humani. Genes. 2. num. 28. *Crescite, & multiplicamini*, utrumque simul matrimonio jungenas ergo ad minus licitè poterant coire, & servare præceptum illud adhuc in paradiso. Respondetur transeat antecedens, nego consequentiam, quia illud præceptum fuit pro tempore futuro, & matrimonium solum ratum, sub præcepto ne coirent, donec eis Deus facultatem concederet : antequam non eis licebat convenire simul, quod præceptum, & solutio deducitur ex eo quod non convenerunt in paradiso, & quia ita sentiunt expresse sancti Patres, præcipuè Chrysostom. & Augustinus citati n. 1336.

DUBIUM TERTIUM.

Utrùm si filii nascerentur ante violationem pacti, contraherent peccatum originale ?

1341. EX dictis dubio 2. constat prædictam difficultatem non habere locum, nam ex vi præsentis decreti non haberet Adamus filios ante terminum viæ, & in quantum persona publica foret : solum ergo procedit de possibili, servata tamen eadem natura, & qualitate præsentis pacti ; nam si de vi alterius pacti sermo fuerit, in eo casu, juxta modum, quo Deus pactum celebraret, decidenda foret difficultas : igitur quæstio est, data Hypothesi, quod Adamus generaret filios ante pacti violationem, utrùm ex vi pacti filii nascerentur sine peccato ? abstraho ab illa quæstione, an nascerentur in gratia ? de qua etiam est controversia inter doctores.

1342. Ambrosius Catharinus in opusculo de peccato originali, cap. 2. distinguit inter gratiam adoptionis, & originalem, existimans esse duos habitus distinctos, docetque illos nepotes Adami amissuros esse gratiam originalem, non adoptionis Vasq. disp. 133. in 1.2. cap. 35. num. 1. distinguit inter filios parvulos, qui non essent sui juris ; & adultos rationis capaces, ac sui juris, docetque illos comprehendi in pacto, amissurosque fuisse statum innocentiæ, non tamen hos adultos.

1343. Dicendum tamen est, sine aliqua distinctione, omnes filios Adami ab eo genitos ante pactum, vel ante pacti violationem, non comprehensos fuisse in pacto, nec in peccato concipiendos fore : ita Suar. de opere sex dierum disp. 23. § *ad id ergo*, & 1.2. tract. 5. disp. 9. sect. 4. num. 4. Amicus tom. 3. disp. 25. sect. 4. num. 117. Salaz disp. 11. sect. 5. num. 62. Benedictus Pereira lib. 5. in Genesim disp. 3. de excellentia status disp. 3. Angles dist. 31. quæst. 2. difficultat. 2. Azor 1. part. lib. 4. cap. 30. quæst. 8.

Probatur primo, quia filii jam nati non continebantur in Adamo, ut in capite, nec geniti fuerunt ex semine infecto, quod peccatum consequebatur ; ergo nullatenus comprehendi poterant in illo pacto ; ad illud enim solum spectabant nascituri, quia ex vitiata natura progignendi erant ; non vero nati, qui ex natura sancta erant generati ? Secundo, quia causa non habet virtutem influendi in præteritum effectum & qui jam existit : atqui peccatum originale est causa influens in posteros ; ergo non habet vim influendi in homines jam natos, & existentes. Tertio, quia gratia non pendebat in conservari ex Adamo, sed tantum in fieri : atqui jam illa gratia existebat in filiis natis ; ergo ab illis, non ab Adamo dependebat, ut conservaretur.

Deinde contra Catharinum ostenditur : quia illi homines erant filii Adami justi : atqui privatio gratiæ originalia causanda erat in filiis Adami peccatoris ; ergo non poterat officere filiis Adami justi. Confirmatur, quia si illi filii erant jam adulti, non poterant amittere justitiam originalem inviti, & sine culpa, volentes conservare gratiam, & per actus bonos illam conservantes ; præsertim quia, ut habetur causa 24. q. 3. cap. *Quod autem*, peccata facta à parentibus nocere possunt futuris filiis, non vero jam natis. Contra Vasqu. faciunt omnia prædicta.

1344. Objicies primo, Illi filii nascerentur sine gratia originali ; ergo in peccato. Probo antecedens : quia, ut Adamus mereretur filiis transfusionem originalis gratiæ, debebat finiri tempus statutum ad illam transfusionem merendam : tempus hoc futurum erat spatium, vel totius vitæ, vel primæ victoriæ, vel horæ, in qua lata est sententia contra Adamum juxta varias sententias referendas subs. 4. difficult. 4. atqui in casu proposito adhuc non satisfactum erat pacto, nec finitum tempus constitutum ; ergo non transfunderet gratiam, ergo nascerentur sine gratia ; & per consequens in peccato originali, quod juxta communem sententiam, est privatio gratiæ. Respondetur, transeat antecedens, nego consequentiam : nam data sententia communi, non omnis privatio gratiæ, est peccatum originale ; sed illa, quæ dicit ordinem ad peccatum Adami ; & illius gratiæ, quæ est debita t ideo privatio gratiæ inducta per peccatum actuale, non est peccatum originale, defectu scilicet ordinis ad peccatum Adami ; & privatio gratiæ in natura pura non esset peccatum, quia gratia non esset debita in illo statu : cum ergo adhuc non daretur peccatum Adami, nec debita foret gratia filiis Adami, nisi post victoriam, inde sequitur talem privationem non esse peccatum.

1345. Secundo, si Rex alicui concedat dignitatem pro se, & pro suis familiis, ea conditione, ne Regem offendat, si Regem offenderet, dignitatem amitteret, etiam pro filiis natis ante offensam, quia omnes, qui verè, & propriè veniunt nomine filiorum, amittere debebant talem dignitatem, ergo similiter. Respondetur, nego consequentiam : diversa ratio est ; quia privatio illius dignitatis, est pura pœna, & non culpa, extenditurque ad omnes filios, ita statuente Rege, peccatum vero originale est culpa, quæ resultat ex tali causa, videlicet ex peccato Adami, quod solum potest influere in progeniem futuram, non vero in filios jam conceptos, qui extra causam influxivam peccati existebant.

DUBIUM QUARTUM.

Utrum filii filiorum, quos Adamus genuisset ante violationem præcepti, contraherent peccatum originale?

1346. EX præfata resolutione, & procedendo in ejus terminis, sequitur præsens difficultas, Utrùm nepotes Adami nati ex filiis descendentibus ab Adamo, ante violationem pacti conciperentur in peccato originali? Respondeo negative.

Probatur primo, quia licet illi nepotes sint ex Adamo, non tamen erant in lumbis Adami, quando Adamus pactum violavit; ergo non poterant ex vi pacti contrahere peccatum originale. Antecedens patet explicando, quid sit esse in lumbis Adæ: nihil enim aliud est, quam contineri in ejus virtute productiva, quatenus potest generare omnes homines generans patrem horum, & patrem illorum: sed ubi primum Adam genuit Cain, verbi gratia, jam filii Cain non sunt in lumbis Adæ; sed in lumbis Cain, nam filii Cain erant in lumbis Adæ, in quantum Cain in ejus lumbis erat: quare cum supponatur ab Adamo esse genitos aliquos homines; horum filii, jam non erant in lumbis Adæ, sed parentum proximorum.

1347. Consequentia autem ostenditur ex sanctis Patribus: ut aliquis concipiatur in peccato, debuit esse in lumbis Adæ; quando Adamus peccavit: pro omnibus, satis sit Augustin. epist. 23. *Ideo ex Adam traxit, quia nondum erat anima separata vivens..... cum homo in se ipso est, ab eo qui genuit alter effectus, peccato alterius sine consentione non tenetur obnoxius....* traxit ergo reatum, *quia unus erat cum illo, & in illo, à quo traxit, quando quod traxit admissum est.* Estque phrasis vulgaris Patrum, quod ideo peccavimus in Adamo, quia in eo eramus; cum ergo nepotes Adami non essent in illo, quando peccavit, non poterant infici ex illo.

1348. Secundo, ex alio axiomate Patrum, asserentium ideo homines concipi in peccato, quia veniunt, & descendunt ex natura vitiata, cum descendant ex filiis Adami generatis ante peccatum, & illi filii sunt, qui tribuunt nepotibus illis naturam; cum ergo naturam non accepissent corruptam, nec corrupta traderetur à patribus, non poterant contrahere originale, ex quo inferebam supra, non nascituros ex vi præsentis decreti homines, in statu innocentiæ ante finitum terminum viæ, ne in duas classes genus humanum divideretur.

1349. Tertio, ex divina clementia, quam in ferendis legibus benigniorem quolibet legislatore humano confiteri, est justum: cum ergo lex humana imponens pœnam infamiæ, eis, qui crimen aliquod commiserunt, excipiat filios ante delictum natos, & ab his genitos, ut testatur Sanchez in Summa lib. 2. cap. 27. dicendum est in illo pacto exceptos fuisse filios Adami, & eorum nepotes, generatos ante violationem pacti.

1350. Dices, cum Amico tom. 3. disp. 25. sect. 4. num. 118. peccatum originale non contrahitur ex proximis parentibus, sed ex Adamo; ergo, licet proximi parentes non fuissent concepti in peccato, conciperentur eorum filii ab eis, ac si geniti fuissent post peccatum Adæ. Respondetur: nego consequentiam: nam licet nullus concipiatur in peccato, qui non sit ex Adamo: non omnis, qui descenderet ex Adamo, in peccato conciperetur: Virgo enim Mater ex Adamo est, & non concepta in peccato: requiritur enim amplius, quod sit ex Adamo, ut capite morali; cum vero Adamus non influeret in homines, nisi essent in ejus lumbis, non potuit influere ex vi præsentis pacti in filios natos ante violationem pacti aut in horum filios, qui extra Adamum erant & solum in eo fuerunt ut in persona privata, non ut in capite morali, ex Adamo adhuc sancto, non peccature.

DUBIUM QUINTUM.

Utrùm, non peccante Adamo, sed ejus filio, tunc nepos ex hoc filio contraheret originale peccatum?

1351. QUæstio procedit de possibili, dato scilicet casu, in quo non frangeret Adamus pactum, sed frangeretur ab ejus filiis, comedente aliquo, de ligno vetito, utrùm nepotes Adami exorti ab hoc filio contraherent peccatum originale? Respondetur negativè: ita Vasq. 1. 2. disp. 137. cap. 2. & 3. Becanus tract. 1. cap. 9. q. 9. ex Medina 1. 2. qu. 181. art. 2. Fundamentum est, quia cum solo Adamo iniit Deus pactum, & solus constiturus fuit caput morale transfundendi peccatum in posteros; ergo licet filii ejus peccarent, & frangerent præceptum, non transfunderent peccatum. Patet consequentia, quia peccata personalia, ut sunt privatæ personæ, non transfunduntur à parentibus in prolem; cum requiratur quod proles sit in parente, ut in capite morali, quod constituitur ratione alicujus pacti, cum autem cum filio Adami non sit pactum initum, nullum ejus peccatum poterit transfundi in prolem: ex quo capite, si Adamus aliud peccatum committeret, non illud transfunderet, quia solum erat caput ratione talis pacti; quo prohibitum fuit tale peccatum.

1352. Oppositum videtur doceri ab Scoto in 2. dist. 32. num. 17. vers. *Ad aliud*, quatenus docet, *si Adamus non peccasset, sed Cain, tamen filii Cain contraxissent peccatum originale, non ab Adamo, sed à Cain.* Et ideo citatur pro hac sententia: sed immerito, cum procedat ex suppositione, si Cain, vel aliquis Adami filius accepisset gratiam pro se, & tota sua posteritate, ut Cavellus in Margine, in quo casu clarum est illos nepotes Adami contracturos originale peccatum non vero in nostro casu. Probari potest, quia ille filius Adam, non solum pro se, sed pro suis filiis accepisset originalem justitiam; ergo si peccaret, omnibus noceret, & nati ex illo, originale contraherent peccatum. Respondetur negando antecedens, solum enim pro se accepit justitiam originalem, & licet posteri in conceptione, ipsam acciperent, non erat ex vi, & gratia parentum proximorum, sed ex vi pacti initi cum Adamo.

DUBIUM SEXTUM.

Utrùm Adamo peccante, Eva contraheret originale peccatum?

1353. REspondeo negative: ita Ludovicus Turrian. disp. 4. de traductione peccati dubio 2. §. *ex dictis*, Zumel 1. 2. qu. 81. art. Grana. tract. de Conceptione Virg. disp. 1. cap. 12. num. 8. lentiori calamo Saavedra in Deiparæ sacra vestigatione, 2. disp. 11. à num. 427. Amicus tom. 3. disp. 25. sect. 4. n. 116.

Probatur primo ex communi doctrina sanctorum Patrum, & Theologorum, asserentium peccatum originale transfundi media generatione naturali: de quo videri potest D. Thom. 1. 2. quæst. 81. art. 4. & probavi supra à num. 1295. ad num. 1301. atqui Eva non procedit ab Adamo media generatione

naturali; ergo licet Adamus peccaret, non contraheretur originale.

1354. Secundo, Eva creata est in adulta ætate cum gratia sanctificante, ad quam se propriis actibus disposuit; ergo licet peccaret Adamus, non contraheret originale. Antecedens partim est de fide, partim communis Theologorum assertio: consequentiam probo, quia, ut aliquis contraheret originale peccatum, debebat contineri in Adamo, ut in principio efficiente physico, & morali: atqui neutro modo fuit Eva in Adamo: non ut in principio physico efficiente, cum Deus fuerit causa physica adæquata creationis Evæ: non, ut in principio morali, quia Eva independenter ab Adami voluntate, gratiam accepit, & independenter ab eo conservanda erat, cum in propriis actibus supernaturalibus libera foret. Omitto cætera fundamenta, quæ videri poterunt in citato Saavedra.

1355. Ambrosius Catharin. lib. de peccato originali §. *Collectio doctrinæ*, versiculo, *vide*, docet Evam peccante Adamo, contracturam fuisse originale peccatum, quia vir & uxor sunt una caro; ergo, ut una caro continebatur in viro. Respondetur, si argumentum valet, etiam peccante Eva, peccaret Adamus, quia eodem modo, quo femina in viro, vir in femina contineretur, cum sint duo in carne una: deinde distinguo consequens, continetur in viro, ut in principio efficiente physico, vel morali, nego: aliter concedo: continentia illa physica, & moralis, necessaria erat ad transfusionem peccati.

1356. Instabis: Eva utroque illo modo continebatur in viro: Primo quia Adam respectu Evæ fuit velut pater & mater, *Eva enim ex viro nata est, & non ex patre concepta, sed ex solo viro, quasi partu edita*, ut ait Cyrill. Ierosolym. catechesi 11. ergo fuit filia Adami; & in Adamo, ut filia continebatur. Secundo quia vir est velut caput morale mulieris, quæ sub ejus potestate est; ergo, ut cæteri in Adamo ut in capite continebatur. Respondetur, negando antecedens. Ad primam rationem, nego antecedens; solum enim ministravit costam, ex qua facta fuit Eva virtute divina, quod solum vult Cyrillus; non vero ab eo per seminalem descendit generationem. Ad secundam nego antecedens, licet enim sit caput dirigens, non tamen influens, nec continens voluntatem ejus, ideo unusquisque independenter ab alio peccat, cum unusquisque sit liber, & distincta persona, ac sui juris.

DUBIUM SEPTIMUM.

Utrùm filii miraculosè nati, vel non nati ope hominis, comprehensi fuerint in illo pacto?

1357. Potest generari homo, vel ex filia Adami, quin Adami filius sit pater: potest generari ex materia diversæ speciei ab ea quam habuit Adamus: potest generari miraculo, vel descendens ex Adamo, vel non: potest generari ope dæmonis: quæritur, utrùm homo quolibet ex his modis conceptus, comprehensus fuerit in illo pacto?

Dico primo, Dato quod aliquis nasceretur ex filia Adami, & ex homine, qui miraculosè foret creatus, quin esset filius Adæ, comprehenderetur in pacto, & contraheret peccatum originale. Probatur, quia pactum comprehendit omnes Adami posteros, qui ab eo descenderent per seminalem generationem: atqui in illo casu ille homo esset verè descendens ex Adamo, ut pote filius filiæ Adami; ergo comprehenderetur in pacto, & contraheret originale peccatum: ita Ludovicus Turrian. disp. 5. de peccati originalis traductione dub. 1. §. *dubitant*.

1358. Oppositum docet Saavedra in sacra Deipara, vestigatione 2. disp. 10. num. 425. quia ille homo non esset filius Adæ, nec genitus naturali generatione: Respondetur negando antecedens, cum mater sit filia Adami, Adami filius esset; & licet, pater sit miraculosè creatus, filius ex illo naturali generatione est genitus; & cum fuisset in Adamo cum peccavit ratione matris, procul dubio contraheret peccatum. Dices si femina sine opera viri gigneret, non conciperet filium in peccato. Respondetur diversam esse rationem, cum hic non detur generatio naturalis ex viro, & femina.

1359. Dico secundo, nati ex generatione miraculosa, ita tamen ut concipiantur via naturali, & per seminalem generationem, comprehensi sunt in pacto, & contrahunt peccatum originale: est de fide: quia supposito miraculo, per quod aufertur impedimentum, semen naturaliter agit, & concurrit ad generationem, inde Baptista, Isaac, Samson, Samuel, & alii concepti ex miraculo, auferente Deo sterilitatem parentum, contraxerunt peccatum originale.

1360. Dico tertio, Nati ex miraculo sine virili semine, quando scilicet ex qualibet particula carnis hominis, Deus format hominis corpus, eique infundit animam rationalem, non comprehenduntur in pacto, nec contrahunt originale. Ita D. Thom. 2.2. qu. 81. art. 4. ubi Vasq. Malderus, & alii, expressisque Scotus in 2. dist. 32. qu. 2. n. 5. vers. *Tertium*, ex Ansel. de Concept. Virginalis cap. 9. & probatur ex Concilio Trident. sess. 6. can. 3. ubi ait: *Homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti*. Cum autem sic nati non nascerentur ex semine Adæ, nulla tenus nascerentur injusti. Dices, Illæ generationes essent ejusdem speciei: sed mediante naturali generatione transfunditur peccatum originale; ergo: Respondetur, distinguo minorem, absolutè nego: sic, vel sic facta, concedo: requiritur ulterius, quod fiat tali modo, per concursum scilicet seminis virilis.

1361. Dico quarto, Si aliquis generatur opera dæmonis incubi, comprehenderetur in pacto, & contraheret peccatum: quia ille homo generaretur ex vi, & in virtute seminis virilis, quod ab alio homine dæmon deduceret; ergo ille homo esset filius hominis, cujus semen erat; & descendaret ex Adamo per seminalem generationem. An hoc fieri possit? est quæstio philosophica: videamur D. Augustin. lib. 11. de civitate Dei cap. 23. Conimbricenses t. de generat. cap. 4. quæst. 1c. att. 4. Salaz tract. 13. disp. 11. sect. 5.

SUBSECTIO TERTIA.

De qualitate peccati, quod fuit causa transfusionis peccati.

Non unum commisisse Adamum peccatum, ante expulsionem ex paradiso, & promulgationem sententiæ, concors est sanctorum Patrum & Theologorum doctrina; præter comestionem pomi vetiti, incurrit infidelitatem, inobedientiam, culpam rejecit in Deum, & excusationem prætendens impœnitentiam suo sceleri adjunxit: modo quæritur, quodnam fuerit peccatum, quod constituitur causa per se demeritoria justitiæ originalis, & transfusionis peccati? in quo plures sunt difficultates, quibus satisfaciendum est.

PRIMA DIFFICULTAS.

Vtrum, non solum Adami peccatum, sed etiam Evæ, necessarium fuerit ad transfusionem peccati originalis?

1361. CONstat Adami peccatum esse causam transfusionis peccati: est difficultas, an solius Adami peccatum sit causa totalis, vel solùm partialis, ita ut peccatum Evæ, simul cum peccato Adami, constitueret causam totalem, & quocumque peccato deficiente, non transfunderetur peccatum?

Respondetur, solius Adami peccatum fuisse causam totalem, ita ut si non peccaret Eva, peccante solo Adamo transfunderetur peccatum originale, & si Eva peccaret, non vero Adamus, non transfunderetur peccatum. Est conclusio certa, quam tuetur D. Thomas 1. p. quæst. 81. art. & cum eo cæteri Theologi, Vasq. Suar. Valentia, Becan. & alii, quas relatos sequitur Salaz num. 59. Granad controv. 6. tract. 8. disp. 4. num. 15. Probatur primo ex Paulo ad Roman. 5. num. 11. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit .... in quo omnes peccaverunt.* Et num. 15. *Si enim unius delicto multi mortui sunt.* &c. Et n. 17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum IESVM Christum.* Num. 18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam,* &c. 1. ad Corinth. 15. num. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificantur.* In quibus locis nulla fit mentio de peccato Evæ, sed tota ratio cur incurrimus peccatum originale, attribuitur Adamo.

Dices, Per unum hominem, & per Adam, intelligi Adam & Evam, tum quia vir, & vxor una persona censentur: tum quia Gen. 5. n. 2. uterq; appellatur Adam: *Et vocavit nomen eorum Adam.* Sed contra primo, hæc expositio est contra sanctos Patres de quo Gâspar Hurtado tract. de peccatis disp. 6. sect. 7. Secundo, quia licet dicantur vir & uxor una caro non tamen unus homo. Tertio, quia in illis locis comparatur mors vivificationi, Christus Adamo; & sicut Christus vitæ dicitur causa; ita & Adamus mortis: cum ergo solus unus Christus fuerit causa totalis nostræ vitæ, ita & Adamus nostræ mortis.

1363. Probatur secundo, qui pactum initum fuit cum solo Adamo, & solus Adamus constitutus fuit caput transfundendi gratiam, vel peccatum; ergo, solo eo peccante, etiamsi Eva non peccaret, transfunderetur peccatum, ut etiam si Eva peccaret, non Adamus, transfunderetur gratia.

1364. Dices cum Palatio in dist. 30. quæst. 2. necessarium fuisse peccatum Evæ saltem minus principaliter: quia ad generationem naturalem requiritur & maris & feminæ concursus, licet femina minus principaliter concurrat: atqui propagatio peccati originalis fit media generatione naturali; ergo ut peccatum transfundatur, requiritur utriusque parentis peccatum. Respondetur, nego consequentiam; quia causalitas, sive generatio naturalis fundatur in natura, quæ utrumque parentem requirit; transfusio peccati est moralis, funditurque in pacto divino, hoc autem Deus iniit non cum Eva, sed cum Adamo.

1365. Probatur tertio, quia pactum non fuit initum cum Eva, nec Eva constituta persona publica, & caput, sed Adamus; ergo, licet peccaret Eva, si Adamus non peccaret, non transfunderetur peccatum originale.

1366. Objicies locum Ecclesiastici 25. *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur*; ergo, ejus peccatum solum satis erat: Respondetur in loco Ecclesiastici, esse solutionem, non enim ait: *Omnes morimur in Eva, sed omnes morimur per Evam*: nam si diceret, *Omnes morimur in Eva*, significaret Evæ peccatum fuisse causam transfusionis peccati, ut significavit Paulus dicens: *Omnes in Adam peccaverunt.* Cum autem, non mortui simus in Eva, sed per Evam, significat peccatum Evæ non fuisse causam, sed occasionem Adamo, ut peccaret, & peccando mortui essemus: constat enim, Evam priusquam peccaret Adamus, peccasse, & post incursum peccatum, excitatum fuisse Adamum ad peccandum, qui cum de facto peccatum commisisset, dicitur Eva initium peccati, & per eam nos esse mortuos; quia primo peccavit, & fuit occasio, ut peccaret Adamus, quo peccante omnes mortui sumus.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Vtrum, fuerit unum tantum peccatum Adami, causa totalis transfusionis peccati originalis:

1367. REspondetur affirmativè, ita Suar. 1. 2. tract. de peccatis disp. 9. sect. 3. num. 7. Hurtad. cit. disp. 7. difficult. 10. Montesinos disp. 11. Lorca 1. 2. qu. 81. art. 5. Pennalosa in Vindiciis Deiparæ de peccato originali disp. 4. cap. 5. Saavedra in sacra Deipara, vestigatione 2. disp. 10. num. 418. Probatur primo ex Scriptura sacra: ad Romanos enim cap. 5. num. 15. 17. & 18. ut retulimus supra num. 1362. non solum docet Apostolus Adamum esse causam totalem transfusionis peccati, sed etiam unum fuisse peccatum, imo num. 14. expresse ait, *per unum peccatum*, mortem intrasse in mundum: ex quo Trident. sess. 6. de peccato originali can. 2. causam originalis peccati fuisse Adami, *prævaricationem*: & can. 3. *unum origine* fatetur.

1368. Dices, per verba, *unius deli[illegible]*, unum peccatum, & prævaricationem in numero singulari, non intelligi unum peccatum, verbi gratia solam comestionem, sed conjunctum cum peccatis, vel antecedentibus, vel consequentibus, eo quod omnia peccata ordinata fuerunt ad eumdem effectum, nimirum ad corruptionem naturæ. Sed contra primo, quia Tridentinum, expressè appellat peccatum illud, transgressionem mandati in singulari, ita citato canone 2. *Primum hominem Adamum, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus*: ergo non fuerunt plura, aliter essent transgressiones plurium mandatorum, quæ per peccata illa, vel antecedentia, vel comitantia comestionem, violantur. Secundo, quia Tridentinum canon. 3. docet peccatum quod contrahitur, *esse origine unum*, ergo non est multiplex specificè.

Dices, ideo dici, *unum origine*, quia omnes culpæ unam causam, sive originem integrarunt. Sed contra, quia superfluè ille canon adderetur; cum enim can. 1. & 2. definierint Patres Concilii hominem, cum mandatum transgressus fuit, incurrisse privationem sanctitatis, & per offensam prævaricationis mortem; & hanc prævaricationem, non solum Adamo, sed etiam toti posteritati nocuisse, si canone 3. per illud *unum origine*, non intelligit esse unum specie, & numero multiplex, nihil de novo definit, nam ad declarandum id quod volunt contrarii, quod scilicet integrarent unam causam, satis expressum erat, per prævaricationem, & mandatum in numero singulari. Confirmatur, quia in hoc canone 3. Concilium definit esse unum origine, id est specie, & multiplex numero, *& propagatione inest unicuique proprium*, id est,

est, Illud quod specie est, unum in capite, est multiplex in posteris, quod si fuissent plura peccata, plura essent in uno quoquo nostrum, & non unum tantùm.

1369. Probatur secundo, quia, ut infra difficult. 4. dicam, sola comestio fuit causa totalis transfundendi peccatum originale; eo quod, per solum illud præceptum fuerit Adamus constitutus caput morale totius generis humani, & solum, ut caput morale, & ut persona publica, est causa transfundendi peccatum; ex hac enim causa parentes proximi, nec peccata, nec virtutes transfundunt in filios; sunt enim actiones propriæ talium parentum, & personales, propria comparatæ industria; sed de hoc citata difficult. 4.

1370. Objicies primo Paul. ad Rom. 5. Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali, pluresque Patres apud Salianum anno 1. num. 163. qui humanæ naturæ casum attribuunt variis peccatis, nimirum, vel superbiæ, vel inobedientiæ, vel etiam curiositati; ergo plura peccata integrarunt causam totalem transfusionis peccati originalis. Respondetur, explico Scripturam sacram; Concilia, & Patres: attribuunt variis peccatis, humanæ naturæ casum, ut causis per accidens, mediatis, dispositivis, ac occasionativis, concedo: ut causis per se, & ut influentibus in casum, ita ut eis deficientibus, non daretur, nego: nam causa per se, est illa sine qua non fieret effectus; per accidens est, quæ licet influat aliquo modo, tamen si deesset, fieret effectus: superbia, inobedientia formalis, aliaque peccata, (uno excepto comestionis) sunt causa per accidens, quia si Adamus sine superbia, aut quolibet alio peccato comederet, proculdubio sequeretur nostræ naturæ ruina; si autem, omnia illa peccata committeret, & non comederet, non sequeretur casus humanæ naturæ: & quamquam illæ causæ influant, vel mediatè, vel immediatè in causam per se effectus, non tamen per se influunt in effectum, eo quod effectus procedit immediatè à sua causa per se, & procederet, quamquam causa per se ab aliis nullatenus procederet; ut hic filius numero per se dependet ab hoc patre, per accidens à patris progenitoribus, etiamsi ad patrem alii progenitores concurrant, quia si non concurrerent, adhuc per se esset à patre: ita licet illa peccata influerent in comestionem, tamquam motiva allicientia, casus attribuendus est comestioni per se, & per accidens aliis peccatis, eo quod casus sine comestione non esset, & si comestio sine illis motivis fieret, adhuc causaret nostram ruinam; & ratio tota est, quia solum de peccatu comestionis pactum initum fuit, non de aliis. Ex hac doctrina, facilè est componere loca sibi adversantia Scripturæ sacræ, & Patrum, *inobedientiam* Paulus, *invidiam diaboli*, Sapientiæ 2. *mulierem* Ecclesiasticus 25. principium nostræ ruinæ esse docent, mediatè scilicet, dispositivè, & occasionativè.

1371. Secundo, plures Patres referendi n. 1391. docuerunt impœnitentiam, & excusationem Adami fuisse causam nostræ ruinæ per se; ita ut si deesset, non transfunderetur peccatum in posteros; ergo jam non unum peccatum, sed plura concurrerunt ad nostrum casum. Respondetur, explico sanctos Patres, intelligendi enim sunt de impœnitentia negativè, non positive: impœnitentia positiva, est speciale peccatum, ut cum quis in articulo mortis admonetur, ut sua peccata confiteatur, & non vult: negativa est negatio pœnitentiæ requisitæ, ut quando quis post peccatum fit amens, aut moritur, utroque modo est causa reprobationis; sed primo est causa per se, secundo per accidens, ut prohibens removens remedium: & hoc modo impœnitentia Adami, fuit causa nostræ ruinæ, non ut speciale peccatum, sed ut prohibitiva pœnitentiæ, quæ si adesset non transfunderetur peccatum: hoc autem non est esse causam per se meritoriam; sed tantum conditionem ut communiter docent Theologi de impœnitentia reproborum, quæ cum sit conditio, dicitur causa, quia removet remedium: unde Patres docentes excusationem & impœnitentiam Adami fuisse causam nostræ ruinæ, non significant esse peccatum aliquod, quod ut causa per se influeret in ruinam, sed esse conditionem quæ impedivit remedium, illa enim stante irremediabilis redditus est nostræ naturæ casus, qui si abesset excusatio, remediabilis foret.

1372. Tertio, peccatum originale, est multiplex malitia, juxta illud: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*: ut bene explicat Augustinus cap. 45. Enchirid. *Illo peccato uno, quod per unum hominem intravit in mundum, & in omnes homines pertransiit, possunt intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua quasi dividatur membra singula; nam & superbia est, & sacrilegium, & furtum.* Respondeo, ideo dici peccatum originale multiplex, quia est caput, & origo omnium actualium, ut cum D. Thoma dixi in examine veritatis pro immaculata Virginis Conceptione lib. 5. cap. 2. sect. 1. 9. Ad Patres respondeo loquutos fuisse, non de specialibus peccatis, sed de circunstantiis generalibus, quæ omne peccatum concomitantur, ideo non aiunt, esse plura peccata, sed posse dividi in sua membra, constituentia scilicet illud peccatum, in ingratitudinem, superbiam, furtum, sacrilegium, & cætera, quæ ab Augustino nominantur, cum tamen constet, fornicationem & furtum non fuisse causam per se meritoriam nostræ ruinæ.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrùm quodlibet grave peccatum fuerit causa nostræ ruinæ?

1373. REspÓndetur negativè cum doctoribus, qui difficultate quarta docebunt, solam comestionem fuisse causam transfusionis peccati: quibus adde Granado in 3. p. cont. 2. tract. 1. num. 104. Pennalosa disp. 4. cap. 6. num. 41. Arriaga tom. 1. in 1. 2. disp. 51. sect. 2. n. 24.

Probatur primo, quia quando constat ex Scriptura peccatum, cui pœna specialis infligitur, illi peccato, & non alteri attribuenda est: atqui constat nostram ruinam comestioni esse adscriptam, & non aliis peccatis; ergo aliis, illam pœnam tribuere, est divinate, & contra Scripturam scribere. Secundo, illi peccato attribuenda est nostra ruina, circa quod initum est pactum Dei cum Adamo, non fuit initum circa materiam aliorum, etiam gravissimorum peccatorum; sed circa comestionis materiam; ergo huic non aliis est adscribenda. Tertio, demus Adamum antequam comedere voluisset, aliquod gravissimum commisisse peccatum; hoc dato, infero; ergo in illo instanti, in quo peccavit Adamus sequuta est nostra ruina; ergo etiamsi non comederet, sequeretur; ergo jam comestio nullo modo concurrit ad nostram infelicitatem, hoc autem Scripturæ sacræ, & Patribus contrariatur.

1374. Oppositum docuerunt Azor 1. p. lib. 4. c. 3. q. 1. Zumel 1. 2. q. 81. art. 1. disp. 1. ex parte Vasq. 1. 2. disp. 133. n. 8. & disp. 141. cap. 11. n. 71. dum asserit requisitum fuisse pactum, ut apponeret mate-

riam, in qua puniretur. Probari potest primo quia quodlibet peccatum esset gravius comestione, & ad minus dignum tali supplicio; ergo frustra arctatur ad comestionem. Respondetur, nego consequentiam: quia hic non agitur de gravitate peccati, sed de peccato, per quod violatum est pactum, constat autem fuisse comestionem, non aliud: quare licet Deus posset circa peccatum quodlibet inire pactum, noluit, nisi circa comestionem, hoc nobis revelavit, non aliud.

1375. Secundo, Per quodlibet peccatum Adamus amitteret gratiam, & statum innocentiæ; ergo quodlibet peccatum esset causa transfusionis peccati originalis. Patet consequentia; nam peccatum quod poterat esse causa ut Adamus, & gratiam, & statum amitteret pro se, potuit esse causa, ut amitteret pro posteris. Respondetur, distinguo antecedens, ut persona publica, & caput morale nego: ut persona privata, concedo: deinde nego consequentiam: Ad probationem distinguo antecedens; peccatum, quod potuit esse causa ut Adamus amitteret statum, & gratiam, ut persona publica, potuit esse causa, ut illam amitterent etiam filii, concedo: ut persona privata, nego: duplicem enim personam repræsentabat Adamus, publicam, & privatam: peccans, vel operans ut privata persona, sibi nocebat, non suis; ut etiam bene operans ut privata persona, dum non versabatur circa materiam pacti, sibi tantum, non suis proficiebat; cum ergo constitutus fuisset Adamus persona publica, & caput morale propter pactum, solum peccans violando pactum, poterat officere suæ posteritati, non violando cætera præcepta.

DIFFICULTAS QUARTA.

Utrum comestio pomi vetiti fuerit causa transfusionis peccati?

1376. Respondetur affirmativè: est communis doctorum sententia: ita Suar. r. a. tract. de peccatis disp. 9. sect. 3. num. 7. Gaspar Hurtad. de peccatis disp. 7. difficult. 10. Montesin. 1. 2. q. 81. disp. 11. Lorca ibi ad art. 5. Probatur primo ex textu sacro, Genesis enim 2. num. 17. præcipitur Adamo: *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas, in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris:* Ex quo loco, Patres, & Theologi colligunt hoc mandatum fuisse illud pactum, quod Deus iniit cum Adamo, per quod constitutus fuit caput morale generis humani, non enim aliud exprimitur in sacro textu, ideo de fractione hujus præcepti sollicitus fuit diabolus, & totas suæ malitiæ artes exercuit, ut primi parentes illud violarent, ut constat ex cap. 3. à num. 1. ad 6. & Deus assumens personam judicis, processit contra Adamum propter violationem hujus præcepti, & non aliorum: causa enim cur ultimo lata est sententia, fuit quia comedit de ligno; ex quo præceperat Deus ne comederet: omnesque laborea, & defectus, quos subiere primi parentes, fuerunt, quia comederunt de pomo vetito, ex quibus sic arguitur. In illo mandato continetur lex de transfusione peccati, & ex ejus violatione, subsequuta est ruina; ergo sola comestio fuit causa transfusionis peccati: Patet consequentia, quia per solam comestionem violari poterat tale præceptum.

1377. Secundo, ex Concilio Tridentino sess. 5. in decreto de peccato originali canone 1. ubi expressè definire videtur hanc sententiam: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram, & indignationem Dei, atque adeo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus; & cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli, totumque Adamum per illam prævaricationis offensam, secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse, anathema.* Et canone 2. *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse*, &c. In quo loco, habemus primo, præceptum quo Adamo comminatus est Deus mortem, fuisse illud mandatum, quod fuerat impositum Adamo pro transfusione peccati; Secundo, violationem illius mandati, non solum fuisse causam mortis corporalis, sed etiam spiritualis: Tertio, non solum nocuisse Adamo, sed toti posteritati. Quarto, fuisse causam transfundendi peccatum: atqui mandatum impositum Adamo, in quo comminata est mors, est mandatum non commedendi de ligno scientiæ, ut habetur Genes. 2. num. 17. & toto cap. 3. ergo sola violatio illius præcepti, est causa transfusionis peccati: atqui sola comestione violari poterat præceptum de non edendo pomo vetito; ergo sola comestio fuit causa transfusionis peccati.

1378. Probatur tertio ex Patribus, ita enim expressit Augustinus lib. 14. de Civitate Dei cap. 12. & cap. 15. ubi: *Quia præceptis, nec pluribus, nec difficilibus, sed uno brevissimo, atque levissimo ad obedientiæ salubritatem adminiculatus fuerat, justa diminutio subsequuta est.* S. Bernard. lib. de præcepto, & dispensatione cap. 14. S. Prosper. lib. de promissionibus, & prædictionibus cap. 2. explicans verba, *In quocumque enim die*, &c. S. Gregor. Magn. in 2. Psalm. pœnitentialem. Petrus Damian. serm. 17. & alii plures, qui nostram infelicitatem excusationi Adami, circa comestionem pomi attribuunt. Quarto, quia ita sentit Ecclesia in præfatione de Cruce. *Ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.*

1379. Probatur quinto, ratione fundamentali: Illud peccatum est causa transfundendi originale peccatum, quod commisit Adamus ut persona publica, & caput morale, atqui solum hoc peccatum commisit ut persona publica; ergo solum est causa transfusionis peccati: Major est certa, vide sect. 21. difficultate tertia: Minor etiam est certissima, tum ex dictis in hac difficultate; tum quia, nullum aliud præceptum habetur expressum in quo censeatur fuisse constitutum Adam personam publicam, nisi illud Genes. 2. *In quocumque enim*, &c. Confirmatur, quia Adamus non fuit constitutus caput morale ex pacto servandi præcepta naturalia, sed servandi aliquod positivum à Deo impositum: atqui solum de hoc præcepto positivo constat in illo cap. 2. & Genesis; ergo per solam hujus violationem, aut observantiam, constitutus Adam est caput morale: & de hoc solum sententiam protulit Deus, *Quia comedisti de ligno, quod præceperam tibi ne comederes*, &c.

1380. Objicies primo: Si Adamus ante comestionem peccaret mortaliter, ut peccasse est sententia doctorum, amitteret statum innocentiæ, & gratiam sanctificantem, & sibi & nobis; ergo comestionis peccatum non fuit causa per se transfusionis peccati. Respondetur negando antecedens; amitteret statum sibi, non nobis, quia peccaret ut persona privata, non ut publica.

Secundo, comedere de ligno vetito, est præceptū de 1381.
materia levissima; ergo nō debuit illi peccato affigi,

adeò gravis pœna. Respondetur, hoc esse arguere Deum, & injustitiæ reum constituere, non quæritur, quid Deus debuit facere, sed quid fecit, & cum alligasset prædicto præcepto comestionis illam pœnam, hoc debuit facere, & justissimè fecit: si enim difficilia præcepta proponeret, fortè quererentur homines de Deo, quod proponeret ad observandum illud, quod difficilius erat, cum autem præceptum facillimum violatum sit, de se suoque Parente conquerantur, & Deo gratias exolvant, quod in adeò facili præcepto constituit Adamum eorum caput, ut sic facilè non violaret præceptum, & suæ posteritati conservaret felicissimum innocentiæ statum.

1382. Tertio, comestio fuit solùm terminus, & materia circa quam versatentur alia peccata, præsertim excusatio, & impœnitentia; ergo non fuit ipsum peccatum. Respondetur negando antecedens, Concilia, Patres, & Scriptura sacra, docent fuisse materiam, non circa quam versarentur peccata illa, sed circa quam versatum est præceptum, quod constituit Adamum caput morale: præcipue, quia Deus pro causa transfusionis peccati assignavit Genes. 3. *comestionem*; ergo non debebat relinquere peccatum, quod fuit causa talis pœnæ, & recitare aliud propter quod morte dignus judicetur.

1383. Dices illam sententiam fuisse latam propter comestionem, non quia illa fuerit causa apposita à Deo pro transferendo peccato, sed quia in illa materia, peccavit Adamus, ideo si peccaret in alia, transfunderet peccatum, & tunc exprimeretur: hæc videtur instantia Vasq. citati num. 1374. Respondetur negando antecedens, hoc enim est divinare, & tenebras pati in ipsa luce. Primo, quia præceptum fuit circa comestionem ligni Genes. 2. ergo, quæcumque alia inobedientia non officeret, nam præceptum non fuit generale circa omnem materiam obedientiæ, sed circa talem: unde si quis mihi comminaretur mortem, si in hoc loco ambularem, & non si ambularem in aliis, etiam prohibitis, non essem reus mortis, si ambularem in aliis, sed si in illo pro quo declaratur pœna mortis. Secundo, Deus processit contra Adam propter violationem illius numero præcepti, quod ei imposuerat, & propter quod erat persona publica; atqui processit Genes. 3. propter comestionem; ergo hæc sola fuit causa nostræ ruinæ.

QUINTA DIFFICULTAS.

Utrum ad violationem hujus pacti, satis esset voluntas efficax comedendi, & non requireretur externa comestio?

1384. Respondeo, non satis fuisse voluntatem efficacem, sed omnino necessariam fuisse externam comestionem pomi: ita Hurtado citatus disp. 7. diffic. 8. Pennalosa citatus disp. 4. c. 6. n. 27. Primo, quia ubi in aliquo pacto requiritur actio externa, non violatur, nisi deficiente tali actione: inde si cui sub pœna mortis prohibeatur accessus ad talem locum, licet sæpe velit efficaciter accedere, & quia non potest, non accedit, non incurrit pœnam mortis, eo quod ille actualis accessus, est necessarius, ut pœna incurratur: atqui ad violationem pacti initi cum Adamo postulatur comestio externa, juxta illud, *In quocumque die comederis*, ergo non sufficiet voluntas efficax comedendi, sed necessaria erit comestio externa. Secundo, quia in legibus pœnalibus semper favorabilior interpretatio est sequenda: cum autem rigidissima sit illa, quæ explicat præceptum comedendi, pro voluntate efficaci interna tantum, nequaquam sequi debet. Tertio, in legibus pœnalibus, verba tantum valent, quantum sonant: atqui illa verba *comederis*, sonant comestionem externam; ergo non aliud valent. Tandem, quia impropriè explicatur verbum *comedere*, pro voluntate comedendi, cum possint separari, & voluntas comedendi, & comestio.

1385. Objicies cum Suar. 1. 2. tract. de peccatis disp. 9. sect. 3. Montesin. 1. 2. q. 81. disp. 11. comestio externa nullam addit malitiam internæ voluntati comedendi; ergo tota malitia est in voluntate interna; ergo sola voluntas interna comedendi satis erat. Probo ultimam consequentiam; quia adeò gravissima pœna non erat assigenda actioni, quæ nullam contineret malitiam. Respondeo primo negando antecedens, ut late docui in hac disputatione tota sect. 12. Secundo, dato antecedente, difficile posset negari ultimam consequentiam, sed negata, distinguo probationis antecedens: adeò gravis pœna non erat assigenda actioni, quæ nullam habet malitiam, soli concedo: adjunctæ actui interno, nego; non enim imposita est pœna pro sola actione externa, sed pro interna, & externa.

SUBSECTIO QUARTA.

De tempore requisito ad hoc, ut violatio pacti foret completa causa transfundendi peccatum?

1386. DUplicem egit personam, qua viator, Adamus: unam privatam, alteram publicam: via Adami, ut persona privata, finita fuit, cum finita fuit ejus vita: duravit, enim, ut modo durat in posteris usque ad illud instans, in quo verè separata est anima à corpore: sæpe potuit peccare, & sæpe resurgere à lapsu: de tempore viæ Adami, dum fuit persona publica, & caput morale, est gravissima difficultas, quamdiu scilicet duravit? quis terminus appositus fuerit temporis, ut si peccaret Adamus status innocentiæ esset irrevocabilis, & si non peccaret, perpetuò duraret status innocentiæ? quam quæstionem latè pertractant Suar. de opere sex dierum, Pennalosa in Vindiciis Deiparæ à disputatione 5. ad disputationem 9. qui adeò verè, & exactè difficultatem absolvunt, ut non sit quid addi possit: ideo breviter prædictam difficultatem persequentes exponam.

PRIMA DIFFICULTAS.

Utrum illico post violationem pacti sequuta sit generis humani perditio; & finitus status viæ in Adamo, ut persona publica?

1387. CUm ex violatione pacti, seu præcepti non comedendi de ligno vetito, sequuta sit generis humani ruina, quæritur, an ubi primum Adamus peccavit sequuta sit irrevocabiliter; ita ut meritum Adami, qua persona publica erat, non potuerit amplius proficere suæ posteritati, nec per pœnitentiam restituere statum illum, quem per violationem præcepti amiserat.

Respondeo, non finitam fuisse viam Adami, ut persona publica erat, ubi primum præceptum de non comedendo pomò fregit; sed adhuc facta pœnitentia potuisse mereri transfusionem justitiæ, & evitare transfusionem culpæ. Ita Abulens. ad cap. 3. Genes. *Mulier quam dedisti.* Titelmanus ad Psal. 140. vers. 4. Capponi à Porrecta in veritatibus aureis super totam legem veterem tom. 1. ad cap. 3. Genes. ad vers. *Mulier, quam dedisti*, à conclusione 19. Pipinus in sermone sabbati post Dominicam 3. Qua-

dragesimæ, Pennalosa disput. 5. à cap. 5.

1388. Probatur primo ex Patribus, qui docent illam deambulationem Dei ad auram post meridiem, illasque interrogationes, quibus, ubi esset Adam, & quis eum nudavesat, interrogavit; explicant de remedio, quo Deus voluit occurrere Adamo, ne cum sua posteritate statum perderet justitiæ uriginalis, quod facile erat, si pœnitentiam egisset, agnito humiliter peccato; ita Augustinus serm. 19. de sanctis, *Quia* Adamus, *sine pœnitentia in statum pristinum redire non poterat, monendus, & admonendus erat ad pœnitentiam, ut voluntaria, & subjecta humilitas, reformaret quod corruperat male creata iniquitas*; ergo si eum pœniteret, restitueret statum sibi, & suis, de omnibus enim agit, cum enim, hæretici arguerent Dei bonitatem, ex eo quod propter unum peccatum Adami, totum destrueret genua humanum, ab hac calumnia liberat Augustinus Deum, docens summè bonum fuisse, ut pote qui sæpe admonuit Adamum ad pœnitentiam, per quam recuperaret, quod perdidit, & restitueretur generi humano statua, quem peccatum Adami amiserat. Eadem habet, & clariora Chrysostomus Homil. 17. in Genes. Bernard. serm. 1. de omnibus sanctis, ubi, ait, per Evam, & Adam perditam felicitatem status, comedentea de ligno vetito, sed Deum descendisse ad eos munendos, *quia erat residuum aliquid*, nimisum pœnitentia, *quod apprehendere possint, idque Dominus illo scrutinio innuebat*: toties vocando, & interrogaudo Adamum, illique crimen objiciendo: *sed abjecerunt etiam illud, conversi in verba malitia ad excusandas*, &c.

1389. Probatur secundo, ex aliia Patribus seferendis difficultate 2. quatenus affirmant, non futuram nosttam ruinam; nec puniendum esse Adamum cum posteria, si Adamus se non excusaret, nec impœnitens existeret, sed humiliter Deum deprecaretur, & pœnitentiam ageret pro crimine commisso, nec sibi, nec posteris perderet statum felicitatia; ergo postquam peccavit, fuit viator, ut persoua publica, & potuit meseri sestitutionem status pes pœnitentiam.

1390. Tertio, Angeli mali, postquam prævaricaverunt, fuerunt per aliquod tempus viatores, expectante Deo eorum pœnitentiam, us ad pristinum sedirent statum, ut docet Suas. de Angelis lib. 8. cap. 1. ergo à fortiori, Adamo concedendum erat tempus, quo per pœnitentiam rediret cum sua posteritate ad primum statum. Consequentia videtur optima, tum quia, Deus plus homines, quàm Angelus expectavit: de quo Augustinuain Enchirid. cap. 29. Prosperos in libro *Dimidium tempus*, cap. 2. tum quia erat major satio expectandi Adamum, quam Angelos, illi enim, nemine tentante, Adamua tentante Diabolo, & muliere, peccavit: illorum unusquisque sibi nocebat, Adamus sibi & aliis. Quarto, ut dicam difficultate sequenti, Adamus, ut caput morale, erat viator, quando Deus illum judicavit: ergo tempus viæ Adami non est finitum, ubi primum pactum violavit.

1391. Cuntrarià sententia, quod in violatione præcepti finita sit via Adami, nec potuerit per pœnitentiam restituere, vel sibi vel suis, statum justitiæ originalia, est communia, quam sequitur Arsiaga tom. 1. in 1. 2. disp. 51. sect 2. num. 24. Primo, quia est contra sacram Scripturam, Genes. 2. ubi Deus dixit Adamo, eodem die quo comederet de ligno, morte afficiendum, sive illico plectendum esse: quod ut sæpe diximus, intelligitur de pœnis pro Adamo, & ejus posteritate, *Quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*, ergo contra sacram Scripturam differtur pœna, & statuitur tempus, in quo pes pœnitentiam Adamus pœnas illas evitet, eamque evitent simul posteri.

1392. Respondetur negando antecedena: licet enim Adamus statim incurrerit omnes pœnas, non tamen inevitabiliter, ita ut pes pœnitentiam non potuerit redire ad primum statum; nec ex prædicto loco colligitur, ita peccasse, ut personam publicam, quod ei omnis via occlusa fuerit redeundi ad eumdem statum, imo oppositum colligitur; Primo, quia illa lex prohibebat comestionem sub pœna, per verbum de futuro, *morte morieris*: quando autem leges prohibent crimina sub pœna, per verbum de futuro, talis pœna nun incursitur ante sententiam latam, ut bene Sanchez in summa lib. 2. cap. 3. num. 38. Suar. de legibus lib. 5. cap. 6. num. 3. ergo illa pœna inevitabiliter incurri non debuit ante sententiam, si attendendæ sunt regulæ juria, præcipuè cum Deus more humano, & juridicè, processerit contra nostros primos parentea, & ideo phrasi & stylo humano explicari debet illa lex de transfusione peccati.

1393. Secundo, quia in lege illa, datur tantùm sententia condemnatoria, non declaratoria, hæc enim lata fuit, cum Deua damnavit cap. 3. Geneseos, primos parentes: sententia declararatoria, supponit pœnam incursam, quam condemnatoria imponit: ergo in lege illa sola pœna imposita est, sed non inevitabiliter, aliter ad quid Deus ferret postea sententiam, seos examinaret, erigens tribunal, si vix incurso peccato, inevitabiliter erant damnati.

1394. Tertio, fateor Adamum ubi primum peccavit comedendo de ligno, incurrisse illas pœnas; sed nego illico fuisse inevitabiles, & Adamum positum, ut erat persona publica, extra statum viatoris, non enim colligitus ex textu hæc inevitabilitas, imo oppositum, nam in illa lege, ut in omnibus Dei, semper intelligitus conditio, *nisi pœnituerit*, vel *nisi convertatur*: ut bene observat Salmeron in 1. epistola S. Petri cap. 2. disp. 3. §. *Ad aliud*, & patet ex 2. Reg. cap. 11. ubi postquam David optime scivit puesum moriturum, id intimante Nathan tamen pro ejus vita oravit: & in Propheta Iona expressè habetus, qui plenè agnuscens divinæ clementiæ thesauros, intelligebat in illa sua prædicatione, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, inclusam esse conditioem, *nisi pœnituerint*, & *convertantur*, ut de facto inclusa fuit: cur ergo contra Deì clementiam, & stylum sola hæc lex comminatoria non haberet inclusam illam conditiunem, *nisi pœnituerit*?

1395. Objicies secundo, est contra sacram Scripturam cap. 1. Genes. ubi habetur, quod illico, ac Adamus, & Eva peccavit, apertos fuisse eorum oculos, & nudos fuisse, ex quibus constat, statim ac comedesunt de ligno, spuliatos fuisse omnibus donis supernaturalibus. Respondetur, negando antecedena, solum enim asseritur post peccatum amissa fuisse dona illa, sed non explicatur fuisse amissa inevitabiliter: similiter exponitur Tridentin. sess. 5. in decreto de peccato originali can. 1. definiens Adamum, ubi peccavit, amisisse gratiam, & statum inevitabilites, sed amissum fuisse statum,

1396. Tertio objicitur S. Anselmus lib. 1. cur Deus homo cap. 18. ubi primæ victoriæ diaboli, sive comestioni attribuit nostram ruinam: *Si vicissent, & non peccarent tentati, ita confirmarentur cum omni propagine sua, quod ultra peccare non possent, quemadmodum, quia victi peccaverunt, sic confir-*

mati sunt, ut quantum in ipsis est, sine peccato esse non possint. quis enim audeat dicere, plus valere justitiam ad alligandum in servitutem hominem in primâ persuasione, quàm valeret justitia ad confirmandum eum in libertate sibi in eadem prima tentatione adhærentem? Respondetur primo, Anselmum loquutum de prima tentatione perfecta, adjuncti scilicet cum impœnitentia. Secundo, ideo attribuisse primæ tentationi ruinam, non quia illico subsequuta fuit, sed quia citò sequenda erat: juxta phrasim communem, in qua dicitur factum id, quod fieri incæpit.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrùm via Adami, ut persona publica, & necessaria ad evitandam transfusionem peccati, duravit ab illa comestione usque ad sententiæ prolationem?

CUm non amiserit Adamus munus viatoris, cur erat persona publica, quando commisit, & fregit pactum; nam si post comestionem egisset pœnitentiam, restitueret id, quod peccando perdiderat: quæritur, utrùm illud munus viatoris duraverit usque ad tempus, quo lata est sententia?

1397. Respondetur affirmativè, est Doctorum, quos retuli supra num. 1387. Probatur primo ex sacro textu Geneseos cap. 3. in quo Deus admonuit, quæsivit, & inquisivit primos parentes, eis exprobrans delictum, quod superfluum esset, nisi per illam Dei sollicitudinem aliquod remedium Deus pararet Adamo, ut nimirum sic objurgatus in se rediens, culpam humiliter confiteretur, & pœnitentiam ageret, qua veniam consequeretur: ut tota difficultate primâ dixi ex Augustino, Chrysostomo, & Bernardo, qui in hac sollicitudine Dei, contemplantur ejus clementiam, & animum ad veniam præstandam paratum.

1398. Probatur secundo ex sanctis Patribus, qui asseverant Adamum veniam consequuturum fuisse, si non excusaret, sed accusaret humiliter suam culpam. Ita Augustin. serm. 19. de Sanctis. *Si humiliter se accusasset, & in auctorem suum culpam non retorsisset in Paradiso non exulasset.* S. Bernard. lib. de præcepto, & dispens. cap. 14. *Antiqua illa, tum nota, & tam noxia prævaricatio, facile, (ut creditur) indulgentiam consequeretur, dum confessio, & non defensio sequeretur*, &c. Quem locum refert, & ejus doctrinam approbat B. Thomas Valentin. serm. in 3. Dominicam Quadragesimæ: S. Yvo serm. *Quare Deus natus* refert, & approbat verba Augustini citata. S. Antoninus tom. 1. historialis cap. 1. §. 2. explicans verba *Adam ubi es*, ait: *Ideo requirebatur, ut pœniteret, & confiteretur:* ex quibus sic probatur: Si Adamus non defenderet propriam culpam, nec illam excusaret, sed humiliter confiteretur, evaderet pœnas comminatas illa lege, *Quocumque enim die*, &c. ergo à tempore prævaricationis, usque ad excusationem, sive usque ad prolationem sententiæ, fuit viator, poteratque acta pœnitentia se, suosque restituere perditæ per peccatum dignitati: Confirmatur evidenter ex Patribus, qui clarè docent in prolatione sententiæ finitum fuisse tempus, quod Deus præfigit ad hoc, ut irremediabile foret damnum, & nocumentum factum per peccatum, de quo sequenti difficultate num. 1399.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrùm latâ sententiâ finitus fuerit status viatoris in Adamo, ut erat persona publica?

CUm à peccati commissione, usque ad prolationem sententiæ, fuerit Adamus viator, etiam qua caput erat humani generis, ita ut si se non excusaret, sed humiliter Deum deprecaretur, sibi & suis veniam meruisset, quæritur utrùm lata, & prolata sententia Dei cap. 3. Geneseos, finitum fuerit tempus illud præscriptum à Deo ad evitandas pœnas?

1399. Respondetur affirmativè, cum Doctoribus in prima difficultate citatis n. 1387. lata enim sententia inevitabilis mansit pœna, nec Adamus potuit jam per pœnitentiam, & humilem confessionem pœnas illas comminatas effugere. Probatur ex sanctis Patribus hoc asserentibus expresse; siquidem docent, tunc hominem inevitabiliter damnatum fuisse, cum se excusans, divinam subiit sententiam. S. Augustinus serm. 151 de Sanctis, *Divina itaque sententia, morti adjudicatus est, & cum tota posteritate, ejectus est de Paradiso.* Et lib. 13. de Civitate cap. 3. divinæ sententiæ attribuit mutationem naturæ in pejus, sive transfusionem peccati. *In primo igitur homine per fœminam in progeniem transiturum genus humanum fuit, quando illa conjugum copula divinam sententiam suæ damnationis accepit.* S. Bernard. citatus: *dum confessionis munditiam fugiunt, immundo remanent corde, & a Domino ejiciuntur*, quæ verba referens, & explicans citatus B. Thomas. *Propter impœnitentiam mortæ, cum sua posteritate damnantur.* S. Prosper. lib. de promissionibus, & prædictionibus cap. 2. *Quod peccatum dum vir excusat per mulierem, & mulier per serpentem, mortem prædictam, non tantum sibi, sed suis etiam posteris propinarunt.* Gregor. Magn. in Psalm. 2. pœnit. *Quia se confiteri culpabilem renuit, mortifera damnationis sententiam in posteros misit.*

1400. Secundò ex eisdem, & aliis docentibus, post sententiam ejectos primos parentes cum sua posteritate ex Paradiso: ita Augustinus, Yvo, Antonin. & Bernard. citati: ex quo sic arguitur, Illa exulatio, & ejectio ex Paradiso, fuit declaratio ultima, quod incursa erat pœna inevitabiliter; ergo tunc finitum est tempus præscriptum ad pœnas evitandas.

1401. Tertio ex Patribus, qui docent per excusationem factam fuisse pejorem causam generis humani: ita August. lib. 14. de Civitate Dei cap. 14. Bernard. de præcept. & dispensat. cap. 14. Petrus Damian. sermon. cap. 7. *Primus homo quasi in profundum corruit, cum vetitum pomum per inobedientiam comedit: tunc super eum mors patens os suum clausit, cum culpâ suam defendere audacter præsumpsit:* pejor facta est causa, certè non alia ratione, nisi quia ante excusationem ac sententiam evitare poterat Adamus illas pœnas humiliter supplicando Deum, quas dum se excusavit, & superbè defendit, inevitabiles factæ sunt, proferens Deus sententiam contra Adamum, & ejus posteros.

1402. Quarto, quia Patres expresse asserunt, postquam Adamus se excusavit, & prolata est sententia, sedisse in sua culpa, Augustinus in Psal. 1. *Abiit cum recessit a Deo, stetit cum delectatus est, sedit cum in sua superbia redire non potuit.* ibi Incognitus. *Ideo primus homo infelix fuit, quia abiit, stetit, & sedit:* id est: *sedit peccatum suam excusando.*

1403. Quinto, quia mortalitati, & pœnæ comminatæ in lege, *Quocumque enim die*, &c. addicti fuere primi parentes cum Deus protulit illa verba. *Terra es*: Chrysostom. homil. 17. in Genes. *A quo tempore audierunt, Terra es, & in terram abibis, & sententiam mortis acceperunt, mortales fuerunt.* Augustin. serm. 19. de Sanctis: *Divina itaque sententia morti adjudicatus est.* S. Athanasius contra Arianos. *Lata enim sententia à Deo fuerat: Terra es, & in terram abibis, sic ergo mortales erant facti.* S. Isidor. lib. 1. cap. 11. *Homo propter peccatum traditus est diabolo, quando audivit, Terra es*, &c. Cyrill. Alexand. adversus Antropomorphitas cap. 8. *Audierunt, terra es, & ex incorrupto factus est corruptioni obnoxius:*

1404. Ex hac doctrina constat, Adamum, ejusque posteritatem factam fuisse mortalem, in illo instanti, quo Deus protulit sententiam; ergo tunc inevitabilis fuit facta, pœna Adamo ejusque posteris comminata, & per consequens finitus est status Adami viatoris, ut persona erat publica, & desiit esse causa moralis, sive caput merendi statum innocentiæ & evitandi pœnas debitas pro comestione pomi: nam licet Adamus foret quoad naturam mortalis, erat tamen immortalis quoad statum, & si non frangeret pactum, non moreretur; mors, enim fuit illi data in pœnam, & propter peccatum, ipse ejusque posteri mortales inevitabiliter quoad naturam, & statum manserunt, hoc autem factum fuit proferente Deo sententiam, juxta illos Patres; ergo ex eo quod licet peccante Adamo ipse manserit mortalis, poterat tamen evitare mortem sibi & posteris, si se pœniteret criminis; prolata sententia, defuit status viæ, & merendi, factaque est mors inevitabilis; ideo à prolatione sententiæ dicitur ipsum, cum suis posteris mansisse mortalem.

1405. Objicies primo: Si Adamus ante sententiam egisset pœnitentiam, Deumque humiliter deprecaretur, restitueret statum innocentiæ sibi & posteris; ergo etiam si post prolatam sententiam, eamdem ageret pœnitentiam. Probatur consequentia, quia pœnitentia ante sententiam, ejusdem speciei esset cum ea, quæ foret post sententiam, immo efficacior, ut suppono. Respondetur, nego consequentiam: Ad probationem, concedo antecedens, nego consequentiam: diversa ratio est, quia pœnitentia ante sententiam, esset facta in statu merendi & viæ necessariæ ad hoc, ut Adamus mereretur, ut caput, ut persona publica: post pœnitentiam esset facta extra viæ statum, comparata pœnitentia cum Adamo, ut persona publica, cum jam functus fuisset jure suo, & quæcumque opera bona egisset, essent, ut à persona particulari: Quod verò futura foret pœnitentia non solum ejusdem speciei, sed etiam efficacior, non probat, quod mereretur eodem modo, cum non procederet ab Adamo, ut à persona publica viatrice: sed à persona particulari; ideo defectus est ex parte status, non operis: sicut perfectior est actio comprehensoris, quàm viatoris, & ejusdem speciei, & tamen hæc meretur ratione status, non illa.

QUARTA DIFFICULTAS.

Utrùm eodem modo theologisandum sit de termino viæ ad transfusionem gratiæ, & ad transfusionem peccati.

1406. JAm nobis ex doctrina Patrum constat, terminum viæ præscriptum Adamo ad transfusionem peccati, fuisse tempus illud, in quo Deus protulit sententiam; quæritur modo, utrùm idem sit terminus viæ ad transfusionem peccati?

Variè respondent Doctores: nam quidam terminum viæ ad transfusionem gratiæ assignant omnem vitam Adami, ita ut si non peccaret, nisi in ultima hora, qua transferri debuerat ad cœlum, tunc finiretur terminus viæ, & foret transfusio gratiæ inamissibilis: terminum autem viæ ad transfusionem peccati, assignant fractionem pacti: Ita Doctores, qui supponunt Adamum antequam violaret pactum, & comederet de ligno, potuisse habere plures filios: de quibus supra; subsect. 2. difficultat. 8. dub. 2. eo enim ipso censent per plures annos, stare potuisse Adamum, quin peccaret, & quin transfunderet statum innocentiæ.

1407. Quidam eumdem terminum viæ assignant pro transfusione gratiæ & peccati: exprimunt tamen, qualis futurus esset terminus viæ, illud scilicet instans, vel tempus, in quo Adamus vicisset primam tentationem, vel ab ea vinceretur; nam si vicisset, mereretur status transfusionem, victus mereretur ejusdem status amissionem: ita Scotus in 2. dist. 20. quæst. 1. num. 3. vers. *De secundo*, & num. 4. vers. *ad* 4. ubi Gabriel, & Major Martinon. in prima part. disput. 45. sect. 3. num. 48.

1408. Pennalosa in vindiciis Deiparæ disp. 5. cap. 9. num. 52. assignat pro termino viæ ad transfundendam justitiam originalem, eumdem assignatum ad transfundendum peccatum, nimirum horam nonam in qua lata fuit sententia, ita ut si Adamus non comederet de ligno vetito proculdubio confirmaretur transfusio status originalis justitiæ, in illa hora nona.

1409. Dico primo, terminus viæ ad transfundendum statum justitiæ originalis non fuit tota vita Adami; sed idem met præfixus ad transfundendum peccatum: est contra Doctores primi modi dicendi, relatos num. 1406. Probatur primo ratione S. Anselmi lib. cur Deus homo cap. 18. cujus auctoritate utitur Scotus, & retulimus supra num. 1396. quia non plus valet justitia ad supplicia, quàm ad præmium; ergo si justitia pro prima tentatione vincente, & excusata, alligavit hominem miseræ vitæ, etiam victa tentatione, alligabit hominem vitæ felici, *Quis enim audeat dicere plus valere?* &c. Æquissima est Dei justitia, & si ad unam partem propenderet, foret ad felicitatem hominis; non verò ad infelicitatem; si enim una comestio fecit infelices homines, cur tota vita obediens requiretur, ut fiant felices? Fundatur hæc ratio in illa altera, quod Deus pronior est ad gratiam, quam ad pœnas; ergo si ad primam victoriam, quam habuit Diabolus de Adamo, deplorata fuit causa generis humani, etiam ad primam victoriam, quam haberet Adamus de Diabolo, confirmatus fuisset transfusio status.

1410. Secundo, æqualis terminus viæ fuit datus Angelis ad merendum, vel demerendum, & in nobis æqualis est status merendi, vel demerendi, nimirum status totius vitæ; ergo similiter æqualis erit status Adami ad transfundendum felicem statum per meritum, ac peccatum per demeritum.

1411. Tertio, si tota vita duraret status viæ ad transfusionem status justitiæ, sequeretur, quod post omnes filios natos, finiretur; ergo si peccaret in ultima hora, non transfunderet peccatum: & per consequens irritum redderetur pactum divinum. Patet consequentia, quia nullus illorum fi-

liorum contraxisset peccatum originale, cum geniti essent ante peccatum Adami: deinde nec nepotes, cum jam non essent in Adami lumbis, sed de hoc argumento, & similibus supra subs. 2. à n. 1341.

1412. Dico secundo, terminus viæ, licet sit idem præscriptus ad transfundendum statum justitiæ originalis, atque peccati, non potest esse tempus, quod intercedit à tempore initi pacti, usque ad primam tentationem: est contra doctores secundi modi dicendi relatos num. 1407. Probatur primo, quia prima tentatio non fuit terminus viæ præfixus ad transfusionem peccati, ut dixi supra à num. 1409. Secundo, quia cum illa tentatio fieri deberet à diabolo, poterat differri usque ad finem vitæ, & sic coincidit hæc sententia cum illa quæ totam vitam Adami constituit terminum viæ, ut persona publica erat: quod vero esset in manu diaboli probatur; quia homo ab intrinseco tentari non posset, tentatio extrinseca libera fuit diabolo, ac proinde eam inferre posset, quando melius ei visum foret.

1413. Dico tertio, juxta tertium modum dicendi relatum num. 1408. videtur consonum rationi, & divinæ bonitati assignare pro termino viæ Adamo, ut personæ publicæ, horam in qua lata est sententia: quia præfigendus est aliquis terminus pro via Adami: non est tota vita, non quando primo, vel vinceret, vel vinceretur Adamus, sic enim pro tota vita foret: ergo erit illa hora, in qua lata est sententia: Probo consequentiam, illa hora fuit terminus viæ ad effectum transferendi peccatum; ergo etiam idem esset ad effectum transfundendi statum justitiæ, cum onus idemque terminus præfigendus esset pro transfusione status, & peccati.

1414. Dices: Hæc sententia coincidit cum primo & secundo modo dicendi. Probatur, quia Deus non ferret sententiam illam nona hora, si Adamus non peccasset, ergo per accidens se habuit illa hora: si enim peccasset post illam, altera hora Deus proferret sententiam; cum autem posset peccare in fine vitæ, in fine vitæ ferret sententiam, & finiretur terminus viæ pro transfusione peccati; vel si non peccaret, cum transferendus foret Adamus, daretur terminus viæ pro transfusione status in instanti, quo ad cœlum foret translatus. Quod verò, si Adamus non peccaret ante illam horam, non proferenda foret sententia; Patet primo, quia Deus ideo protulit sententiam, quia peccavit Adamus; ergo si non peccaret, non proferret sententiam contra Adamum. Secundo, quia sancti Patres docent Deum, ut vulnus non esset immedicabile, nec fieret pejus, cito occurrisse Adamo; ergo non erat statuta illa hora: siquidem fuit illa hora ex Dei clementia, ne serperet in posteros malum, ne Adamus obduresceret in illo, non vero ex lege prædefinita pro tali hora ad terminandam viam Adami: Antecedens constat ex Chrysostomo homil. 17. in Genesim. *Mox ut vidit quod factum fuerat, & ulceris magnitudinem, ad opitulandum festinavit, ut ne ulcus grassando fieret incurabile vulnus; idcirco ut preveniat accelerat, & velociter crescenti ulceri adest.*

Respondetur, negando antecedens: Nos enim affiximus horam certam pro termino viæ ad effectus utriusque transfusionem, ille verò duplex modus liberum relinquit tempus. Ad probationem nego antecedent; sive enim Adamus peccasset, sive non peccasset in illa hora, in qua lata est sententia, terminaretur via utriusque transfusionis, eo quod illa hora fuit præscripta pro termino. Ad primam probationem antecedentis, respondeo, concedo totum: sed quid hæc? ergo hora illa non esset terminus viæ; non sequitur: prolata est sententia illa hora, quia præscripta erat, & peccavit Adamus, quod si non peccaret, non illa promulgaretur sententia, sed alia, nimirum quia non comedisti, tu & posteri tui fruemini deliciis Paradisi; cum enim illa hora foret terminus viæ, demus Adamum usque ad illam horam perseverasse in Dei obedientia, & noluisse comedere de ligno vitæ, proculdubio Deus præmiaret obedientiam Adami in illa hora, sicut ejus inobedientiam punivit: eadem enim ratio est de punitione, ac de præmio; imo major de præmio, lubentius enim Deus ad illud conferendum accederet.

Ad secundam probationem, nego consequentiam: nam illa celeritas, signum est divinæ clementiæ, quæ nolebat mortem Adami; ideo ubi primum peccavit accessit, ut remedium recenti vulneri adhiberet: nam juxta pactum debebat expectare nonam horam ad damnandum, vel præmiandum Adamum: peccavit Adamus occurrit cito, ut ante illam horam pœniteret, & remedium haberet illa pœna: Unde si Adamus eadem hora, qua ei fuit impositum præceptum, peccaret, illico occurreret Deus expectans tempus illud, quod intercedit inter peccatum, & horam præscriptam ad pœnitentiam, idemque fecisset, si peccaret juxta horam præscriptam: Quare semper hora illa esset terminus præfixus, ac proinde si non peccaret usque ad horam illam, profectò Adamus sibi, & nobis meruisset status transfusionem.

1415. Utrùm verò in illo tempore intermedio viæ, quod intercessit à commissione peccati, usque ad prolationem sententiæ, filii, sive posteri Adami comprehensi in pacto, contraherent originale peccatum, & amitterent statum innocentiæ, licet revocabiliter, ut Adamus? Negat Pennalosa disp. 7. & certe ejus sententia est probabilissima, & optime fundata, cum non videatur incursa pœna, nisi conditione, quæ apponitur in pacto, impleta, conditio autem erat impœnitentia Adami, & sententia lata, videatur: optime enim hanc examinat quæstionem.

SECTIO VIGESIMA-PRIMA.

De debito contrahendi peccatum originale.

HÆc quæstio debiti pro contrahendo peccato originali facta est de nomine propter varias explicationes, quas Doctores, qui rectè eximunt Virginem à debito peccati originalis invenerunt: quas omnes non licet explicare, sed præcipuas, quod in præsenti præstandum est.

SUBSECTIO PRIMA.

Quid sit debitum peccati originalis?

1416. CIrca essentiam debiti, asserit communis sententia, consistere in necessitate, & obligatione contrahendi peccatum originale; ita ex Cajetano. Corduba, Bellarmin. Vasq. & Suar. Perlinus in disputatione pro immaculata Virginis Conceptione dist. 1. cap. 2. num. 8. Salazar de Concept. cap. 2. §. 8. Franciscus del Castillo Velasco in 3. sent. Scoti tract. de Incarnatione disp. 1. de immunitate Virginis quæst. 6. & ex illo Franciscus de Hondeghem in domo propitiationis pauperum in appendice ad Lectionem 2. fol. 239. Pennalosa in vindiciis Deiparæ disp. 1. cap. 4. num. 88. Saavedra in sacra Deipara, vestigatione 3. disp. 13. à num. 458.

Verùm explicari debet hæc communis sententia, ne secum patiatur pugnantia. Quatuor enim reperiuntur in quolibet filio Adami, primum *comprehensio in pacto*, secundum carentia gratiæ & incursus peccati originalis, tertium *obligatio habendi gratiam:* quartum *contractio peccati*. Constant hæc omnia: nam filii Adami ideo necessitatem habent contrahendi peccatum, quia inclusi fuerunt in pacto; si enim in pacto non fuissent, non necessitati essent ad incurrendum peccatum: & ideo contrahunt peccatum, quia necessitati sunt ad ejus contractionem, debitoresque sunt justitiæ originalis: non tamen quicumque necessitatem habet, illico incurrit peccatum necessitate logica, cum Deus præservare, & absolvere possit quemlibet ab illius contractione peccati.

1417. Omnia probo, primum, quod inclusi fuerint in pacto constat ex dictis à num. 1331. Secundum, quod necessitentur ad contrahendum peccatum originale, & carentiam gratiæ, est certum apud Patres, & Theologos, hæc enim necessitas, est illa obnoxietas, quam in nobis Scripturæ, Concilia, Patres, & Theologi agnoscunt ex vitiata natura causatam: An sit naturalis, vel moralis necessitas? Respondeo esse naturalem, non respectu naturæ secundùm se, sed vitiatæ, quia licet peccatum fuerit liberum & voluntarium, & contrahendum, supposito pacto: tamen necessitas, & contractio est necessaria, nec ab ea naturæ viribus liberari possumus, & cum media generatione naturali fiat, non potest esse liberum, sed necessarium physicè.

1418. Tertium, de debito, & obligatione habendi gratiam, tradit S. Anselm. lib. 1. de conceptu Virginali cap. 22. ibi: *Originale peccatum non est aliud, quam absentia debita justitia .... & quod in illis non sit justitia, quam deberent habere.* Et cap. 27. *Quoniam ipse sibi impotentiam fecit deserendo justitiam in primis parentibus, in quibus tota natura erat. & semper debitrix est habere potestatem, quam ad observandam semper justitiam accepit.* Quod optime explicat, & defendit Scotus in 3. dist. 3. quæst. 1. num. 14. vers. *Si autem.* Latius in 2. distinct. 1. q. 2. à num. 8. cum enim Deus voluntate antecedente inito pacto, voluisset ex sua bonitate conferre gratiam, non solum Adamo, sed universæ naturæ, quæ physicè erat in Adamo, & moraliter transfundenda erat, ita ut si non violaretur pactum, omnes conciperentur in gratia, non per influentiam Adami, eo quod erat opus supernaturale, sed donante Deo gratiam in instanti conceptionis. Addit Scotus n. 10. vers. *Confirmatur. Unde Deus justè exigit à natura gratiam, quam illi dedit, & illam in Adamo perdidit.*

Unde non est idem includi in pacto, ac necessitari, & obligari ad contrahendum peccatum. Primo, quia Deus omnes homines possibiles, & universam naturam in pacto includit juxta dicta à num. 1331. & tamen non omnes inclusi, necessitati fuerunt ad contrahendum. Probatur hæc major, quia necessitas, & obligatio supponit subjectum existens.

Quæro modo ab auctoribus opinionis communis, quale sit debitum, de quo agitur? debitumne contrahendi peccatum, an habendæ gratiæ? an utrumque? hoc esse non potest, quia jam daretur contradictio: nam debitum carendi gratia, & debitum habendi gratiam, est manifesta contradictio: qui autem haberet debitum contrahendi originale, haberet etiam debitum carendi gratia, unde non potest esse idem debitum omnino, ut videtur tradere opinio communis: non est debitum contrahendi originale, cum opponatur Anselmo, & communi doctrinæ Patrum, nos debitores esse gratiæ contendentium.

1419. Quare dicendum est, debitum de quo in præsenti, esse debitum habendi gratiam, ut loquitur Anselmus: non verò contrahendi originale, & carendi gratia, hoc enim debitum tale dici non potest; præsertim, quia juxta dictos auctores, est necessitas naturalis, velut proprietas physica naturæ vitiatæ; ergo non est debitum; necessitas enim naturalis, non est debitum, homo enim necessitate, non debito, est risibilis, ac proinde non benè expendit communis sententia hanc rationem debiti, appellans necessitatem incurrendi peccatum debitum; & asserens homines etiam concipi debitores gratiæ: ideo solum appellamus debitum, illud debitum habendi gratiam, quæ debebatur nostræ naturæ: & perdidimus, cum in Adamo peccavimus: propter rationes datas, non verò ob rationem confictam à Salazar cap. 1. §. 8. numero 49.

1420. Si quæras, an illa obligatio, sive debitum sit relatio realis? respondet Vasq. 3. p. disp. 116. cap. 5. quem sequitur Salazar num. 51. affirmativè, quia obligatio est relatio vinculi, & nexus, nullus enim aliam obligationis naturam usque excogitavit: & sic ad vivum resecasse Vasquium naturam debiti, autumat citatus Salazar.

Verùm negativa sententia est multo probabilior. Ita Ægid. Lus. lib. 4. de Concept. q. 4. art. 3. §. 9. quia relatio realis postulat terminum, & fundamentum realiter existens: atqui nec terminus, nec fundamentum existit, non enim existit peccatum Adami; ergo tantùm erit necessitas, sive obligatio moralis, qualis resultat ex contractibus. Ad id quod objicitur, respondeo negando obligationem esse relationem vinculi, & nexus, est enim ipse nexus, ex quo resultat relatio rationis tantùm.

SUBSECTIO SECUNDA.

Quotuplex sit debitum?

1421. SEd quia quæstio videtur de nomine, loquamur juxta communem sententiam, & appellemus illam necessitatem carendi gratia, & incurrendi peccatum, debitum; & quotuplex sit inquiritur? Respondet communis sententia, duplex esse, unum remotum, alterum proximum: est communis sententia, de qua videri potest Ægidius Lus. lib. 2. de concept. q. 3. & quæst. 4. art. 4. §. 1. & 2. Salazar cap. 1. §. 10. Perlinus distinct. 3. cap. 21. sed quid sit utrumque non facilè explicatur, unusquisque propriam addit explicationem, præcipuas refero, mihi probabiliorem expendens.

Proponuntur modi explicandi debitum proximum & remotum.

1422. PRimo, quidam docent, debitum remotum esse illud, quod contrahitur in conceptione seminis, nimirum in semine, & concubitu parentum, qui libidinosè concipientes, edunt semen immundum: proximum, qui contrahitur in conceptione naturæ, nimirum quod contrahit anima, in instanti, quo corpori infunditur.

1423. Secundo, alii docent, debitum remotum esse illud, quod homines, quos Deus statuerat esse filios Adami, habebant ante initum pactum, ad

ad hoc ut possent violare pactum; debitum verò proximum illud, quod post violatum pactum habuerunt: ac proinde, aptitudo, & capacitas naturæ, est debitum remotum; proximum verò illa necessitas, & obligatio orta ex violatione pacti.

1414. Tertio, nonnulli docent, debitum remotum involvere conditionem naturæ, & pactum Dei, eo quod omnes homines ex conditione naturæ possunt subjici Dei legibus, & omnes debuerant comprehendi sub illo pacto: proximum esse necessitatem, ortam ex violatione pacti.

1415. Quarto, Salaz cap. 1. §. 10. num. 61. versicul. *Aliter*, docet debitum remotum esse in Adamo, proximum in nobis: in Adamo est illa obligatio activa, qua filios suos ad peccandum obstringit; contraxit enim peccando indignitatem quamdam, quæ exigebat, ut filii spoliati justitia nascerentur: proximum est in nobis illa necessitas, quam ab exordio suæ creationis habent formaliter homines, ut contrahant originale peccatum, & dicitur proximum comparatum ad Adami peccatum: addit numer. 68. etiam illam aptitudinem quam homines habebant, ut ingrederentur pactum, posse dici impropriè debitum remotum.

1416. Quinto, Ægidius Lusitan. lib. 1. de concept. quæst. 4. articul. 4. §. 3. docet debitum remotum esse in Adamo, quatenus peccavit, & in nobis, ut eramus in Adamo; quia omnes in eo debitores eramus: cum verò concipimur non habemus formaliter illud debitum: sed tantùm in carne, id est, in conceptione seminis & corpore, antequam animetur: nam ubi primum infunditur anima, desinit debitum, & ita intrinsecè non afficit personam.

1417. Sexto, communis sententia constituit debitum remotum in Adamo, proximum in nobis: asserit enim debitum remotum esse activum, proximum passivum: quam divisionem sic explicat: Adamus eo ipso, quod pactum violavit, peccavit & filios obstrinxit, ut cum essent, peccatores nascerentur; nati debitum incurrerent contrahendi originale: quare peccatum Adami, fuit causa cur contraheremos peccatum; si enim ille non peccaret, nec filii contraherent originale peccatum; unde debitum proximum dependet à remoto, & hoc est in Adamo activè, ut causa fuit nostræ ruinæ; & proximum est in nobis passivè; quia enim Adamus peccavit debitum habuit non transfundendi gratiam, & nos debitores constituit contrahendi originale: ita Cajetan. Cordub. Bellarmin. quos sequuntur Suar. tom. 2. in 3. part. disp. 3. sect. 4. Vasq. 3. part. disp. 116. cap. 5. Valent. in 3. p. disput. 2. quæst. 1. punct. 1. Pennalosa in vindiciis Deiparæ disp. 1. cap. 4. à n. 9. Delcastillo Velasco & Hondeghem citati.

1418. Quam doctrinam ex parte admittunt Salazar num. 62. & Perlin. num. 11. docentes illud debitum remotum in Adamo non esse formaliter, nec in nobis, sed esse in Adamo, ut nos eramus in illo, cum autem fuissemus in illo virtualiter, & ut in causa, virtualiter erat in Adamo: ideo debitum remotum in Adamo, est virtus activa, qua omnes filios constrinxit; & dicitur remotum debitum illa virtus, comparata cum passione, seu receptione naturæ, in qua debitum est proximum, & hoc interveniente pacto sine quo non potest considerari debitum.

Rejiciuntur modi minus probabiles.

Alios plures modos omitto, omnes enim ferè coincidunt: & primo rejiciendi sunt modi minus probabiles, ut probabilior proponatur. Dico primo, prima explicatio, quæ habetur numero 1412. asserens debitum remotum esse in semine, proximum in natura: non est probabilis: eam rejiciunt communiter Doctores, videndi Ægid. citat quæst. 4. art. 4. §. 1. num. 9. Perlin. dist. 11. cap. 2. à num. 10. Salaz. n. 61. Saavedra in sacra Deipara, vestigat. 2. disp. 13. licet ex variis fundamentis. Primo, Perlinus, ex eo quod utraque conceptio ad ejusdem peccati contractionem ordinatur, subjectumque illius debiti est idem; ergo non est cur dividatur in proximum, & remotum. Secundo, Salas, quia illud debitum in semine est virtualiter, non formaliter; siquidem illud semen causaliter tantum est infectum, & dicitur immundum & obnoxium, quia est causa instrumentalis, qua mediante anima, cum unitur corpori inficionetur.

1419. Tertio, Saavedra n. 474. & 475. subjectum illius debiti est illud, quod in Adamo peccavit, & quod contraxit originale: atqui non caro, seu semen, sed natura peccavit in Adamo, & contraxit originale; ergo in semine non est aliquod debitum formaliter. Major constat, quia nemo tenetur necessitate contrahendi, quod non potest contrahere: semen non potest contrahere originale peccatum, cum non sit rationis capax; ergo cum non possit esse subjectum peccati, nec necessitatis. Deinde peccatum Adami solum infecit humanam naturam: atqui humana natura non est sola caro & semen; ergo pro illo tempore formaliter non est infectum.

1430. Ægidius docet in semine esse formaliter hoc debitum, & non in persona: ideo unum esse tantum debitum in illa duplici conceptione: quod fundamentum an sit verum, infra discutiendum est. Sed quod in semine sit tantum debitum videtur probari ex Anselmo lib. de conceptu virginali cap. 27. *De immundo semine, & in iniquitatibus, & peccatis concipi, sic intelligi potest, non quod in semine sit immunditia peccati, aut peccatum ipsum, sed quia ab ipso semine, & ab ipsa conceptione ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem, ut cum habebit animam rationalem habeat peccati immunditiam.* Ex quibus, apparet admitti ab Anselmo in ipso semine necessitatem, quæ cum non sit proxima, erit remota. Respondetur primo Anselmum in præsenti solum admittere unam necessitatem in semine tantùm existentem, ideo multum favere opinioni Ægidii Lusit. non tamen illi modo explicandi debitum proximum, & remotum. Secundo loqui Anselmum de necessitate virtuali, non formali.

1431. Dico secundo, secundus modus relatus n. 1413. affirmans ante pactum dari in nobis illud debitum remotum, esseque capacitatem naturæ, ut possit ingredi pactum, illudque violare, est improbabilis. Probatur, quia id quod est, ex conditione naturæ absolutè, non potest esse hæc necessitas, vel obligatio. Primo, quia hæc necessitas contrahendi peccatum originale, est necessitas contrahendi illud peccatum, quod commisit Adamus, & non necessitas contrahendi omnia peccata, quæ poterat committere Adamus, & quæ etiam non commisit: ut per se constat: atqui capacitas naturæ, qua natura est, ad peccandum, est capacitas, sive necessitas contrahendi omnia omnino peccata, cum non magis sit capax hujus quam illius; ergo

hæc capacitas non est illa necessitas. Secundo, quia si Adamus non peccaret, non daretur hoc debitum, vel necessitas in ejus posteris, sed contraria necessitas contrahendi gratiam; ergo ante peccatum quoad illam contractionem vel gratiæ, vel peccati, habebant homines capacitatem indifferentem; ergo non poterat esse debitum, & necessitas contrahendi peccatum. Tertio, quia hæc necessitas oritur ex pacto violato; ergo deficiente pacto, & violatione non daretur, quia legi non existenti nemo debet, nec leges futuræ aliquem obligant. Quarto, quia per nullam potentiam fieri posset, ut aliquis non haberet illam necessitatem. Quinto, quia tale debitum perseverabit in Beatis etiam, quippe quia eadem capacitas in eis perseverat, quin Deus aliud facere possit.

1432. Ex quibus etiam refellitur ille tertius modus relatus num. 1424. quod scilicet necessitas dicat ordinem ad conditionem naturæ, & pactum futurum: pactum enim futurum neminem obligat, & cum natura omnis possit subjici pacto, sequuntur omnia, quæ contra necessitatem positam in capacitate naturæ produximus.

1433. Dico tertio, modus Salaz relatus n. 1415. magis accedit ad veritatem, sed non plenè. Primo, quia dubium est discutiendum infra à n. 1442. an in propria persona uniuscujusque nostrum detur formaliter illa necessitas. Secundo, quia capacitas naturæ, nec impropriè dici potest debitum, cum hoc semper præsupponat violationem pacti, ut dixi num. 1431.

1434. Dico quarto, modus Ægidii Lusit. relatus num. 1426. quatenus necessitatem proximam collocat in semine formaliter, non est probabilis ut dixi num. 1429. quatenus verò nullum admittit in persona propria est dubius, licet possit esse verus, dequo à num. 1442. præter quod ejus fundamentum de nostro concursu simultaneo ad peccatum, quando peccavit Adamus, rejectus est supra à num. 1431.

Explicatur vera ratio debiti remoti, & proximi.

1435. PRo explicatione formalis constitutivi debiti remoti, & proximi: notandum est primò, tria requiri ut homines habeant debitum hoc sive necessitatem: primum est, lex Dei volentis includere homines, sive pactum Dei de contractione gratiæ, vel peccati: secundum fractio pacti: tertium, descendere ex Adamo per generationem naturalem: quocumque horum deficiente, non potest intelligi illa necessitas, sive debitum: nam deficiente pacto illo, natura indifferens erat ad contrahendum peccatum, vel non contrahendum, cum posset creari sine gratia, quin contraheret peccatum; posset creari etiam in statu puræ naturæ; ut ergo habeat hanc necessitatem, ex pacto est: vide cætera argumenta posita n. 1306. deficiente peccato Adami, sive violatione pacti, non haberent necessitatem contrahendi originale peccatum, imo oppositum: deficiente generatione naturali ex viro & muliere, non daretur in sic generatis hæc necessitas, siquidem omnes conciperentur sine peccato, eo quod pactum secum deferebat illam conditionem. Unde ante fractionem pacti, nullatenus illi filii Adami habebant necessitatem incurrendi peccatum, cum hæc juxta Scripturam, & Patres orta fuerit ex Adami peccato.

1436. Secundo, duplex dari debitum erga peccatum originale, unum virtuale, alterum formale: virtuale est illud, quod activè est in Adamo, passivè in posteris: violante enim Adamo pactum, debitor extitit Adamus transferendi peccatum, & debitores extiterunt posteri recipiendi peccatum: nam Adamus violans pactum, se suamque posteritatem constituit gratiæ quam accipere debebant in conceptione, debitricem, & simul debitricem contrahendi peccatum: eo tamen modo, quo posteritas in Adamo continebatur; cum autem contineretur virtualiter, & ut in causa, virtuale & causale debitum incurrit.

1437. Ex quo, non est considerandum duplex debitum, unum remotum in Adamo, alterum proximum in nobis, sed unicum, cum continentia activa & passiva idem omnino sit; idem enim est continere Adamum posteros, ac contineri posteros, ut effectus in Adamo: sive idem est, posse produci, & posse producere: quare cum continentia physica sit virtualis, virtualis etiam erit continentia moralis,

1438. Debitum formale, est illud, quod datur in propria persona, cum enim sit quædam moralitas, qua denominantur homines debitores, necessario subjectum debet existere: quare nullum debitum formale ante generationem admittendum: nam in Adamo non fuit debitum carendi gratia, vel contrahendi peccatum, siquidem ubi primum peccavit, caruit gratia, & incapax erat contrahendi peccatum originale: unde relinquitur quæstio an fuerit in conceptione? duplex autem est generatio: una seminis, altera naturæ, ut latè ostendo in examine veritatis pro immaculata Virginis Conceptione lib. 1. cap. 4. quæst. 15. deinde in semine non est illud debitum formaliter, ut dixi supra numero 1419. non est etiam in illo instanti, in quo anima infunditur corpori, ut dicam à num. 1460. & ideo nullum erit formale debitum: quibus explicatis, & ostensis;

1439. Dicendum est, non dari debitum proximum, & remotum: sed tantùm debitum virtuale contrahendi peccatum, sive carendi gratia, est contra Doctores communiter aliud sentientes: sed apertè deducitur ex dictis, quia debitum vel est virtuale, vel formale ex numero 1437. formale non datur, nec in semine, ut dixi numero 1428. nec in persona ut dicam à numero 1443. virtuale est unicum, ut dixi numero 1437. ergo non datur, nisi unicum debitum.

Sed ne deseramus sententiam communiter approbatam; dico ulterius probabile esse dari duplex debitum, remotum & proximum; remotum est activum ex parte Adami, proximum est passivum in propria persona, quando scilicet infundenda est anima: suppono tunc dari tale debitum.

SUBSECTIO TERTIA.

De causis debiti.

1440. NOn est difficultas de causa efficiente, fuit enim ipsum peccatum Adami, quo pactum fregit, & nobis adeo infamem peperit ruinam: nec de causa formali, est enim juxta opinionem communem, ipsamet formalitas debiti, per quam constituuntur homines debitores: & juxta nostram, ipsa continentia virtualis in Adamo, & in semine: nec de finali; nam causa finalis extrinseca, est quam sibi proposuit Adamus, intrinseca est necessitare hominem

ad contractionem peccati; est ergo difficultas de causa materiali, sive de subjecto in quo subjectatur istud debitum.

Communis sententia admittens duplex debitum formale, unum in Adamo, alterum in nobis: asserit formaliter esse hoc debitum in Adamo activè, in nobis passivè, in nobis verò, non cum primo concipimur, & sumus semen, aut embrio, sed cum datur conceptio naturæ, & in propria persona, quando scilicet infunditur anima corpori, ita ut in nobis sit intrinsecè. Ita Valent. Vasq. Suar. Bellar. Cajetan. Cordub. quos relatos sequitur Salaz cap. 1. §. 9. num. 52. Delcastillo Velasco, & Hondeghem citati, Cardinalis de Lugo de Incarnat. disput. 7. sect. 3. à n. 23. Pennalosa in vindiciis Deiparæ disput. 1. cap. 4. n. 92. Saavedra in sacra Deipara, vestigat. 2. disput. 13. à n. 464. Ioannes Prudentius tom. 2. in 3. part. tract. 2. disput. 1. dub. 4. sect. 1. à n. 4.

1441. Ægid. Lusitan. lib. 2. de Concept. quæst. 4. articul. 5. docet intrinsecum debitum contrahendi originale esse in carne posterorum Adami, extrinsecè verò tantùm esse in personis, quatenus scilicet toto tempore antecedente unionem animæ ad corpus, duravit debitum illud in carne, quæ futura erat Petri verbi gratia, quod tamen extinctum fuit in instanti, quo infusa est anima corpori per actualem contractionem peccati, quæ sententia prius tradita est à Ferrariensi 4. contr. cap. 50. & à Capreolo, qui æstimant esse D. Thomæ 1. 2. quæst. 81. art. 1. ad 4. ubi ita habet: *Semen est principium generationis, quæ est proprius actus naturæ, eius propagationi deserviens, & ideo magis inficitur anima per semen, quàm per carnem iam perfectam, quæ iam determinata est ad personam.*

1442. Hanc sententiam Ægidii omnes Recentiores reprobant, & eam esse improbabilem docent quoad illam partem, quæ negat debitum formale intrinsecum inhærens personis, sive ipsismet posteris Adami: verùm non afferunt rationem, cur communi non sit præferenda; eam ego præfero ex fundamentis Ægidii, quæ valida sunt, quicquid dicat Salazar, nixus quibusdam modis dicendi juris, & licet hanc sententiam non admittam circa debitum formale repertum in ipso semine, ut dixi n. 1428. tamen quoad defectum debiti in propria persona, eam sequor.

1443. Et primo, est expressa sententia Anselmi verbis relatis num. 1430. ubi teste Salazar n. 61. unicum tantum debitum admittit, & hoc virtuale in semine. Secundo, videtur sententia D. Thomæ citati: nam si semen magis inficit animam, quàm caro determinata ad personam, est quia semen habet radicem infectionis, quæ non esset in anima, si non foret in semine, nec esset in carne, si in semine non foret; unde tota ratio infectionis, est in actione seminis, non quia actu, & formaliter infectum est semen, sed quia in semine, est virtualiter, virtute naturæ humanæ, quam culpa coinquinatur ut habet *ad 5.*

1444. Pluribus rationibus probat Ægidius hanc resolutionem, quarum aliquas non continere veritatem ostendi in examine veritatis pro immaculata Virginis Conceptione lib. 7. cap. 3. §. 1. à numero 72. quibus omissis, probo tertio ejusdem ratione, meo judicio efficaci; *Idem nequit in eodem instanti reali, simul esse & non esse*; est principium philosophicum: atqui si illud debitum est intrinsecè in posteris in illo instanti, in quo unitur anima corpori, idem simul esset, & non esset in eodem instanti reali; ergo intrinsecè non inest posteris Adami.

Minor probatur, quia juxta contrarios, illud debitum aufertur, & desinit esse, ubi primum infunditur gratia, ita ut in instanti quo infunditur gratia, desinat debitum, & non duret pro sequenti instanti; ergo desinit esse in illo instanti, in quo infunditur gratia: idem est de contractione peccati, nam debitum illud desinit esse in eo instanti, in quo contrahitur actualiter peccatum: aliter in eodem instanti esset gratia cum debito carendi gratia, esset debitum cum contractione; quod est esse simul, & non esse.

1445. Secundo, quia si in eodem instanti esset debitum, & solutio debiti, esset idem simul, & non esset, essentque simul duo contradictoria: esset simul idem, & non esset, quia esset in illo instanti, ut supponitur, & non esset, quia est solutio debiti: essent duo contradictoria, quia esset debitum solutum, & non esset: esset solutum, quia tunc contrahitur peccatum; non esset solutum, quia adhuc perseverat debitum: atqui si in eodem instanti in quo contrahitur peccatum, datur debitum, datur etiam simul debitum, & solutio debiti. Probatur, quia quod homo debet, est contrahere peccatum; ergo contracto peccato non debet illud contrahere: nam per contractionem, solvitur illud debitum.

Confirmatur, quia quousque durat debitum, tenetur homo solvere; nimirum tenetur contrahere peccatum: atqui contracto peccato, non tenetur contrahere, impossibile enim est, ut teneatur contrahere quod jam contraxit, cum terminus debiti sit contractio peccati.

1446. Huic argumento variæ adhibentur solutiones. Prima & præcipua, quam tradunt Salaz numero 60. & Saavedra num. 477. asserit necessitatem contrahendi peccatum, non esse propriè debitum, quale est civile ad aliquid præstandum, quod solutione aufertur, ut si debeas centum aureos, ubi primum creditori eos dedisti, ablatum est debitum: cum tota sua essentia consistat in obligatione reddendi illos aureos, quos si reddideris, illico solutum est debitum: sed esse per modum proprietatis consistentis in determinatione potentiæ passivæ ad aliquid recipiendum, quod non destruitur per susceptionem rei, sed perficitur; inde perseverat cum ipsa susceptione rei: ignis enim habet necessitatem intrinsecam habendi calorem, quam aqua non habet; inde si auferatur ab igne, & ab aqua calor, aqua non habet illam necessitatem, habet tamen ignis; quod si iterum uniatur igni, adhuc perseverat necessitas in igne; non quia abest calor, sed quia semper essentia postulat suas proprietates, & necessitas habendi proprietates non destruitur per earum adventum, sed perseverat; semper enim verum est dicere, ignem habere necessitatem habendi calorem ex suis principiis; non enim hæc necessitas est ex numero earum, quæ possessione destruuntur; deinde necessitas & obligatio in damnatis luendi pœnam æternam, semper perseverat, & nunquam destruitur, quamtumvis solutio ponatur; & habeat durationem æternam: insuper quælibet potentia physica perseverat cum ipso actu secundo, & licet fungatur illo exercitio, adhuc perseverat in illa exigentia, determinatio in actu primo ad secundum habendum: at hoc modo se habet debitum, sive necessitas contrahendi peccatum originale; est enim per modum proprietatis, & determinationis, quod per contractionem peccati conservatur, & non destruitur.

1447. Hæc tamen solutio, non potest sustineri. Primo, licet in omnibus non habeat necessitas contrahendi peccatum, eamdem rationem cum debito pecuniæ, tamen in eo, quod posita contractione, vel gratia, solvatur, eadem omnino est: nam sicut homo debens pecuniam, si eam solvat deletur debitum solutione, & non potest stare simul debitum, & solutio: ita homines, qui debent contrahere originale, & carere gratia, posita contractione, vel infusa gratia, solvunt id quod debent: nec potest esse simul debitum contrahendi, & contractio, nec infusio gratiæ, & debitum carendi gratia: non enim posito peccato denominantur homines debitores contrahendi peccatum, sed peccatores: nec posita gratia denominantur debitores carendi gratia, sed grati: implicat enim debere contrahere peccatum, & contractum esse, debere carere gratia & habere.

1448. Secundo, quia non potest comparari hæc necessitas, & debitum cum illa exigentia, & determinatione potentiæ: nam hæc necessitas non est per modum proprietatis necessariò procedens à natura, ut necessitas caloris ab igne, & necessitas sive determinatio à potentia, quia etiamsi nullum foret pactum, aut peccatum Adami, daretur illa necessitas, quod tam Salaz quam Saavedra negant. Probatur, quia vel illa necessitas procedit à natura absolutè, ut necessitas caloris ab igne, & ex principiis naturæ: vel ex pacto Dei violato, & à natura, qua vitiata: primum asserunt contrarii locis citatis, & inde formant argumentum, quin videant inconvenientia. Primum non posse S. Virginem carere illa necessitate, sive sit inclusa in pacto, sive non, cum nulla proprietate postulata ex principiis naturæ caruerit: & quod plus est, etiam sanctissimam humanitatem Christi Domini illa non carere, ob eamdem rationem. Secundum, in baptizatis perseverare illam necessitatem, quod licet Vasq. disp. 116. cap. 5. Salas cap. 1. §. 10. & Saavedra à n. 477. admittant, & cohærenter suæ doctrinæ, cæteri Doctores negant, præcipuè Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. in fine: quod verò perseverat accidens est in contraria doctrina, quia illa necessitas est proprietas naturalis: imo etiam in beatis perseverabit, quod licet admittat, & cohærenter Saavedra n. 485. quam sit absurdum evidenter apparet. Tertium, nullam creaturam humanam posse carere illa necessitate, cum illa necessitas sit per modum proprietatis naturalis, quæ postulatur à principiis naturæ: hoc autem periculosum est. Quartum, non posse dari statum puræ naturæ: quod non benè audit apud Catholicos.

1449. Quare illa necessitas contrahendi peccatum, est moralis: dicitur naturalis ut dixi n. 1417. non quia est ex principiis naturæ absolutæ, sed corruptæ, quam corruptionem habuit ab extrinseco, & ex pacto Dei, non verò ex se: aliter contra naturam hominum foret status innocentiæ, cum destrueret ejus proprietatem; nemo enim dicet, si Adamus non peccaret, ejus filios habituros necessitatem peccandi: est ab extrinseco illa necessitas, & debitum; ergo non assimilatur necessitatibus, & debitis per modum proprietatum, quæ proveniunt ex principiis naturæ: sed aliis debitis, quæ ab extrinseco profluunt moraliter.

1450. Unde corruit illa solutio, & salva manet nostra ratio, nec exempla valent: nam fateor illam necessitatem caloris, & exigētiam, esse per modum proprietatis, quæ profluit à principiis naturæ, & ideo eam concomitatur ubique; cum autem necessitas contrahendi originale, non sit per modum proprietatis exortæ, & postulatæ ex principiis naturæ, sed adveniens naturæ, quia corrupta, & adveniens ab extrinseco, sine ratione affertur in exemplum: Iam exemplum de solutione pœnæ æternæ, secum pugnat, & falsum est. Primo, quia docet damnatum verè solvere pœnam debitam: hoc minus catholice dictum est, nam licet verè damnatus patiatur, non verè solvit, nec solvere potest: nam cum pœna debita sit æterna, finita æternitate, solvet & cum finiri non possit æternitas, quo pacto audet Saavedra asserere verè solvi à damnatis pœnam debitam? Secundo, quia inintelligibile est, quod ponat damnatus totam solutionem æternam, & habeat necessitatem solvendi: quid & quando solvere debet id, ad quod necessitatem habet solvendi? nihil debet, cum totum solvat: non potest debere, cum extra solutionem æternam, non detur, quando sit illa necessitas: quare hæc exempla non destruunt, sed adstruunt resolutionem Ægidii Lusitani: quæ evanescere non potest, objecta non secura doctrina.

1451. Secunda solutio satis communis, quam adducit citatus Suarius, & valde probabilem esse reputat Prudentius citato dubio 4. sect. 1. numero 16. est, quod licet dari nequeant duo contradictoria in eodem instanti, nec idem possit simul esse, & non esse in eodem instanti: tamen instans illud reale, posse dividi in instantia naturæ, in quorum primo detur debitum, & necessitas contrahendi peccatum, in secundo vel gratia, vel contractio peccati: & jam non erit idem simul in eodem instanti reali: & ratio est, quia homo in instanti priori naturæ considetatur, ut homo est indifferens ad peccatum, vel gratiam, & in illo priori datur debitum.

1452. Sed hæc solutio non evitat inconveniens, & argumento succumbit. Primo, quia principium est, quod *duo contradictoria non possint simul convenire, & esse in eodem instanti reali*, ne in eodem sit esse, & non esse formæ: atqui in eodem instanti reali admittitur esse, & non esse debiti: esse in uno instanti naturæ, non esse in altero; ergo. Secundo, quia prioritas, & posterioritas naturæ componunt unum instans reale, quod enim in instanti naturæ est, necesse est sit in aliquo instanti reali. Tertio, quia aliud est subjectum in instanti naturæ esse prius suis formis, etiam contrariis, ad quas suppono esse indifferens, aliud esse formæ, esse prius natura, suo non esse: Licet enim in quadam prioritate dicatur homo indifferens ad calorem, vel frigus, non tamen frigus dicitur indifferens ut sit, & non sit: quamquam enim in instanti temporis corrumpatur calor, non dicitur calorem in priori naturæ fuisse, & in secundo non fuisse, quare hæc solutio est contra Philosophiam, de quo plura in examine veritatis pro immaculata Virginis Conceptione lib. 7. à num. 65.

1453. Tertio, Prudentius à num. 12. aliam tradit solutionem, docet enim dato quod quis præservetur à peccato; eique remittatur peccatum, ut in sanctissima Virgine piè creditur contigisse, debitum fuisse in illo instanti antecedenter ad præservationem negativè, non positivè, id est, non est in illo instanti, sed fuisset, nisi per formam contrariam impediretur, id est, per infusionem gratiæ. Verùm hæc solutio probat quod intendimus, nimirum extrinsecè tantum inesse debitum personæ præservatæ, quod intrinsecè foret, nisi forma opposita poneretur, & hanc doctri-

nam, ut veram docemus hîc, & docuimus jam in examine veritatis pro immaculata Virginis Conceptione lib. 7. cap. 5. §. 1. à num. 65. ex ea tamen urgeo argumentum, ut probem, etiam in posteris Adami cum contrahunt originale, non dari debitum intrinsece, quia ideo non datur si præservetur, quia adest forma opposita, nimirum gratia, quæ opponitur necessitati carendi gratia: ergo etiam si contrahatur peccatum; quia contractio opponitur debito contrahendi peccatum: nam contractione solvitur, & deletur debitum.

Hoc argumentum sufficiat ad hoc probandum, quod non soluent contrarii, nisi doctrinas peregrinas inducendo; cætera videri possunt apud Ægid. Lusit. ut & solutio argumentorum, solum enim in præsenti solvam quæ opponunt Recentiores, qui post Ægidium scripsere.

Solvuntur argumenta.

1454. PRimò arguunt Salaz, & Saavedra: in eo intrinsecè est debitum, in quo est peccatum; atqui in sola persona est intrinsecè peccatum; ergo & debitum: Major videtur certa, quia solum illud subjectum debet contrahere peccatum, quod illud contrahit; minorem probant adducta num. 1419. Respondetur distinguo majorem, pro eodem tempore, & eodem modo, nego: pro diverso tempore, & diverso modo, concedo: verum est, quod soli posteri Adami debent contrahere originale peccatum, quia soli illud contrahunt: sed falsum est, contrahi debitum formaliter, & in eodem instanti in quo contrahitur peccatum, dari debitum: nam posteri Adami, solum virtuale debitum habent, eo quod ideo contrahunt peccatum, quia fuerunt in Adamo, quando ille peccavit, & ex illa radice infecta concipiuntur per seminalem generationem, qua de causa semen dicitur infectum, non ratione sui, sed naturæ, quæ concipienda est; eo quod, illud semen virtute naturæ, quæ continebatur in Adamo, virtualiter est causa infectionis naturæ: non vero formaliter est infectum. Demus tamen esse formaliter infectum per debitum, non potest dari in eodem instanti, in quo homo contrahit originale, cum contractio sit solutio, & ultimum esse debiti, foret primum sui non esse, idemque simul esset, & non esset.

1455. Instat Saavedra n. 475. sequitur posteros Adami personaliter non habituros hoc debitum: sequela patet, quia caro ante unionem non est persona: Respondetur, distinguo sequelam; formaliter, concedo; virtualiter, nego: posteri Adami formaliter non habent debitum, cum in primo sui esse instanti, contrahunt peccatum, sed virtualiter, quatenus continebantur in Adamo; & cum continerentur virtualiter, virtuale debitum habent, & tantum virtuali debito premuntur.

1456. Secundo arguit Saavedra num. 476. & suo judicio efficaciter, necessitas contrahendi peccatum, consequitur humanam naturam ex peccato primi Parentis infectam: atqui in solis posteris Adami, & non in carne, est humana natura: ergo in solis posteris, non in carne est intrinsece illud debitum; siquidem sola caro non est humana natura: Major patet, quia illud subjectum consequitur necessitas illa, quod per peccatum fuit maculatum: atqui solum maculata fuit humana natura, non caro: ergo sola humana natura habet debitum: Minor ostenditur, quia solum in illo instanti, quo verum est dicere, nunc est homo, est verum dicere, nunc est humana natura: hoc autem non est verum dicere ante unionem animæ ad corpus, ergo. Respondetur: explico majorem, necessitas illa consequitur naturam humanam actualem, & actualiter existentem, nego majorem; futuram vel possibilem, & contentam in Adamo, ut in capite, concedo: non enim consequitur naturam humanam actualem, sed antecedit; aliter, non daretur debitum hoc in hominibus, tūc quando peccaverunt in Adamo, cum tamen de illis antequam existant, verum sit dicere esse debitores contrahendi peccatum, cum ergo prius quam existant sint debitores, erunt debitores ratione debiti virtualis, nam data actuali eorum persona, dicuntur peccatores, non debitores; Cum ergo dicantur ante unionem animæ ad corpus debitores, erit ratione debiti, non quidem formalis, sed virtualis, ut optime Anselm. & D. Th. citati n. 1450. & n. 1441.

1457. Tertio, posteri Adami eodem modo sunt debitores, quo peccatores: sed sunt peccatores formaliter; ergo & debitores: nego majorem, sunt enim peccatores formaliter, & intrinsecè in propria persona: & sunt debitores extrinsecè, & virtualiter tantum.

1458. Quarto, Peccatum originale est in posteris Adami, ut calor in igne: ergo sicut calor supponit existentiam ignis, ut existat, ita peccatum supponit personam hominum ut detur; ergo & debitum. Probatur hæc consequentia, quia in eodem subjecto in quo est forma naturalis, est debitum naturale; ergo etiam in eodem subjecto in quo est forma moralis, erit & debitum morale. Respondetur, nego majorem, nam calor resultat ut proprietas ex natura ignis, non tamen peccatum ex natura humana, ut late dixi à num. 1448. deinde concedo peccatum supponere subjectum existens, & nego consequentiam. Primo, quia debitum morale antecedit solutionem. Secundo, quia est tantùm debitum virtuale, Ad probationem concedo antecedens, nego consequentiam, quia hoc debitum morale non est per modum proprietatis, sed debiti, & virtualis.

DUBIUM INCIDENS.

Utrùm debitum possit consistere cum contractione peccati, aut cum gratia?

HOc dubium ex superioribus resolutum est: constat enim impossibile esse, existere debitum cum sui solutione, esset enim, & non esset, cum desineret per ultimum sui esse, & contractio per primum esse sui inciperet; ex quo in eodem instanti daretur, & esse debiti, & non esse: procedit ergo in opinione communi admittente debitum formaliter existere in illo priori naturæ antecedenter ad contractionem peccati, & ad positionem gratiæ, si aliquis præservaretur: Et quæritur primo utrum debitum possit esse simul cum contractione peccati? secundo, utrum possit esse cum gratia?

1459. Respondeo ad primam quæstionem, affirmativè, quod scilicet possit stare debitum contrahendi peccatum, cum contractione peccati: est communis sententia, de qua videri potest Vasques 1. 2. disp. 116. cap. 4. Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 4. Saavedra in sacra Deipara disp. 13. à n. 477. Prudentius de Incarn. tom. 2. tract. 2. disp. 1. dub. 4. sect. 1. n. 12. Salaz cap. 1. §. 10. & cæteri; & quidem cohærenter docent peccatum originale compari semper cum debito, ubi semel admittunt posse esse in eodem instanti & debitum, & contractionem peccati: nam *quando duo com-*

patiuntur simul in eodem instanti, non possunt repugnare in secundo, & sic nec in aliis, nam ubi semel non repugnant, non possunt stante eadem natura repugnare.

1460. In secunda quæstione, variant doctores citati; nam Suarez citatus & sect. 5 cum Ferrariensi docet, perseverare in primo instanti, non vero in sequenti tempore; Vasquez, Salaz, Saavedra, & alii docent, perseverare in primo instanti, & in omni tempore, addit Saavedra etiam in Beatis. Prudentius citatus negat posse in primo instanti existere debitum cum gratia: quid verius, supposito quod detur in illo instanti debitum formale dicendum explico.

Dico primo: Probabilior est sententia Prudentii, asserens non dari debitum intrinsece in instanti quo infunditur gratia, quia implicat manifestè, imputari per debitum peccatum, & non imputari: implicat debitum carendi gratia, & gratiæ positionem: sed non est cohærentior, quia non minor repugnantia datur inter debitum peccati, & ejus contractionem, quàm inter debitum carendi gratia, & gratiam: nam ut gratia, est solutio carentiæ, sive debiti carendi, ita contractio est solutio debiti peccati; & sicut implicat gratia cum debito carendi gratia, ita contractio cum debito contrahendi peccatum & ut supponitur prioritate naturæ subjectum, ita est indifferens ad gratiam atque ad peccatum.

1461. Quare dico secundo, cohærentius loquitur Suarez, dum admittit posse stare debitum peccati, cum contractione peccati, & simul stare cum positione gratiæ: ratio non est, qua utitur Suarez, quia homo in instanti naturæ præsupponitur gratus, ut dixi n. 1451. sed quia non repugnant gratia, & debitum, ut non repugnant contractio & debitum.

1462. Dico tertio, cohærentius loquuntur Vasq. Salaz, & Saavedra, dum semper admittunt hanc simultaneam perseverantiam debiti, & gratiæ, pro toto tempore, quo ille homo fuerit: cum enim compatiantur in primo instanti, non est ratio cur non compatiantur in omni tempore: & cum negent deberi debitum in illo instanti reali, quia debitum carendi gratia est per modum proprietatis naturalis resultantis ex principiis naturæ, necessario asserere debent continuari illam perseverantiam simultaneam cum natura.

1463. Quod licet cohærenter dicatur, ut arguebam supra num. 1459. quam falsò sit assertum, nemo non videt: nam, si Deus remittit debitum illud auferens originale per gratiam: quo modo potest perseverare debitum, cujus solutio omnino evanescit? Secundo jam non rediret natura in patria ad meliorem statum, imo nec ad æqualem statum, quam habuerunt primi Parentes. Tertio, si Deus mortuum suscitaret, postquam remissum ei fuit originale, & postea iterum per generationem naturalem gigneretur, iterum contraheret peccatum originale, quia ille homo haberet necessitatem contrahendi; non enim juxta contrarios hæc necessitas potest deleri: ex quo ille homo dupliciter, imò millies peccatum originale contraheret: hoc autem est falsum, aliter dona Dei, & remissio peccati essent cum pœnitentia, & quod semel remissum est rediret, inde plana via esset ad asserendum si homo iterum peccaret post remissum actuale, redire iterum peccatum remissum, imo & originale, nam destructa gratia per peccatum, manet debitum contrahendi, & contrahetur: deinde, quodnam est illud debiti genus, cujus solutio est impossibilis, quamvis solvatur? quapropter ne in hæc incidamus præcipitia, potius asseverandum est, in primo instanti quo contrahitur peccatum, vel infunditur gratia, non dari tale debitum, nec umquam fuisse formaliter in propria persona.

COROLARIUM NOSTRÆ DOCTRINÆ.

Debitum peccati, est deformitas magna.

1464. EX dictis sequitur hoc debitum, sive sit formale, sive virtuale, esse deformitatem, & indignitatem magnam, ita Salaz cap. 15. §. 1. num. 7. Optime Ægid. Lus. lib. 2. qo. 4. art. 3. §. 3. & quicumque debitum hoc excludunt à Virgine Matre; nam in debito includuntur, primo, obligatio moralis incurrendi peccatum, & carendi gratia, secundo causa debiti, peccatum videlicet Adami: Tertio terminus, *contractio* scilicet peccati: Quarto, persona, in qua est tale debitum, invisa Deo, & maculata, saltem ratione futuri peccati: atqui hæc omnia deformia sunt; primo, obligatio est diminuta libertas, & servitus quædam virtualis, quam necessario necessitate morali incurret actualiter homo, qui enim tenetur ad aliquid, & obligatus est, non censetur omnino liber libertate opposita servituti. Secundo, peccatum Adami, non deforme, sed deformissimum est. Tertio, peccati contractio, est peccatum grave, quod deforme non esse non potest. Quarto, effectus formalis ille, non potest à bona causa egredi: cætera prosequuntur citati doctores.

1465. Oppositum docuerunt Suarez cit. sect. 2. & 4. Vasq. citata disp. 116. cap. 2. & quicumque in Virgine matre admittunt debitum contrahendi peccatum; quia hoc debitum non est culpa formaliter, cum antecedat culpam, non est reatus pœnæ, cum illam subsequatur; ergo non est quid deforme. Respondetur nego consequentiam, quia ut sit deforme satis sunt deformitates relatæ.

1466. Nec mihi aliquis objiciat doctrinam traditam in examine veritatis pro immaculata Virginis Conceptione lib. 7. quo loco admitto in Virgine Matre debitum incurrendi peccatum: nam ut ibi videre licet, ratio cur illam opinionem non admitto non est quia aliquid habet minus decens Virgini, aut veritati contrarium; existimo enim, eam simpliciter esse probabiliorem, ex indulgentia fuit, dando locum tempori, ut facilior sit via ad definitionem mysterii, ideo convenio cum contrariis, saltem in eo quod opinio, quæ non eximit Virginem Beatissimam à debito non sit probabilis, & probabilis sit, quæ eximit Virginem Matrem à contractione peccati, ut ex hoc fundamento saltem verissimæ Sententiæ de immunitate Virginis à contractione peccati acquiescant.

SECTIO VIGESIMA-SECUNDA.

De unitate, & gravitate peccati originalis.

FAcilis est hujus sectionis doctrina, sed necessaria ad essentiam peccati originalis explicandam, ideo eam breviter explicabo.

SUBSECTIO PRIMA.

Utrum peccatum originale sit unum?

1467. NOn est quæstio de unitate peccati erga diversa subjecta, constat enim de fide, esse multa peccata originalia numero distincta pro distinctione posterorum Adami, cum in unoquoque illorum sit distinctum, propriumque

peccatum, ut definivit Trident. sess. 5. In decreto de peccato originali; sed est quæstio, an hoc numero peccatum, quod unusquisque nostrum contrahit, sit unum, an multiplex?

Respondetur esse unum numero, & specie: ita D. Thom. 1.2. qu. 82. art. 2. in corpore, & art. 4. ad 1. quem sequuntur omnes ferè Theologi. Videantur Suar. in 1.2. tract. 3. disp. 9. sect. 4. in fine, Vasq. 1.2. disp. 132. cap. 9. n. 39. Probatur, quia vel juxta communem sententiam peccatum consistit in privatione gratiæ, per ordinem ad peccatum Adami; vel est ipsum peccatum Adami moraliter perseverans; atqui privatio gratiæ, est una in quolibet homine: peccatum Adami fuit unum, nimirum comestio ligni vetiti, ut vidimus supra n. 1376. ergo & unum erit peccatum originale.

1468. Dices, in Adamo illud peccatum plures habuit deformitates, ita ut non fuerit unum. Respondeo negando antecedens, nam deformitates, quæ considerantur in illo peccato, non multiplicant peccatum, sunt enim circunstantiæ generales repertæ in omni peccato; & peccatum, quod contrahunt homines, non sunt omnia, quæ commisit Adamus, sed tantùm illud, quod fuit causa transfundendi peccatum; cætera enim, quoad hunc effectum per accidens se habuerunt: cum autem unum fuerit peccatum, illud solum est, quod contrahitur.

1469. Si quæras, utrum peccatum originale cum actualibus & habitualibus, univoce conveniat: Respondent Suar. sect. 2. & Lorca de peccatis disp. 43. 9. *Sed quæritur*, convenire univoce cum peccatis habitualibus; analogice cum peccatis actualibus. Ratio primæ partis est, quia peccata habitualia consistunt in privatione gratiæ, ut etiam peccatum originale: ratio secundæ partis est, quia peccatum actuale est actus defectuosus, ad actum autem & privationem nihil est univocum.

Dicendum tamen est, peccatum habituale convenire univocè tam cum peccatis actualibus, quàm cum habitualibus: ex eo, quod nec habitualia, nec originale peccatum consistant in privatione gratiæ: sed sicut habitualia sunt actualia peccata perseverantia moraliter per modum habitus, ita peccatum originale, est idem peccatum Adami perseverans per modum habitus: cum verò ratio peccati verè, & proprie sit in omnibus his peccatis, univoca erit respectu omnium.

SUBSECTIO SECUNDA.

De gravitate peccati originalis.

NOn confertur hìc gravitas peccati originalis cum gravitate peccatorum mortalium, quæ committuntur ab aliis personis vel à propria: certum enim est esse graviora sæpissimè secundùm rationem materiæ, & dispositionem voluntatis, sed confertur cum peccato actuali Adami, quod fuit causa transfusionis peccati originalis, & cum quolibet peccato veniali.

1470. Dico primo, peccatum originale in posteris Adami fuit minus grave, quàm fuerit peccatum actuale Adami, quod fuit, & est causa transfundens in posteros peccatum originale. Probatur primo ex Augustino lib. 5. cont. Iulian. cap. 8. docente, parvulos mitissima pœna in Inferno puniendos esse. Secundo, quia quoad rationem essentialem, & gravitatem ex objecto, & ex circunstantiis ex parte objecti, tam grave est originale, quam actuale Adami: atqui ex parte actus liberum, & voluntarium ex peccato actuali Adami multum excedit liberum & voluntarium repertum in peccato originali; ergo peccatum Adami erit gravius peccato originali.

1471. Dico secundo, peccatum originale gravius est quocumque veniali peccato: hanc conclusionem latissimè probo in examine veritatis pro immaculata Virginis Conceptione lib. 1. cap. 2. quæst. 9. nec est quid insuper addam: cum sit verè peccatum, & dissolvat Dei amicitiam, puniaturque pœna æterna, & non apparet ratio cur non sit gravius non solum uno peccato veniali, sed etiam omnibus.

1472. Dico tertio, peccatum originale non solum est gravius peccato veniali, sed etiam aliquibus mortalibus. Hanc conclusionem citato loco probo ex eo, quod peccatum originale est peccatum mortale: mortalia sunt graviora, vel leviora juxta perfectionem virtutum quibus opponitur; cum autem peccatum originale opponatur virtuti superiori, quam aliqua peccata, sequitur, esse gravius. Vide citatum locum, non enim est justum, actum agere.

1473. Dico ultimo, omnia peccata originalia sunt æqualia: conclusio est manifesta. Primo, quia est omnibus hominibus idem naturale Adami; ergo æquale in omnibus: Secundo, quia æque privat homines gratia, gloria, & statu innocentiæ: quare hanc conclusionem defendunt omnes Theologi sententiarii cum Magistro in 2. dist. 32. & cum D. Thom. 1.2. q. 82. art. 44. & licet concupiscentia actualis sit inæqualis, est tamen æqualis, qua habitualis: inæqualitas vero concupiscentiæ actualis, non ex peccati diversitate, sed ex aliis provenit capitibus; videlicet ex diversa complexione, dispositione organorum, & aliis.

SECTIO VIGESIMA-TERTIA.

De effectibus, pœnisque peccati originalis.

DE effectibus, & pœnis peccati originalis egi in examine veritatis pro immaculata Virginis Conceptione, 1. p. lib. 1. cap. 2. q. 6. & 7. & licet breviter, quantum tamen necessarium erat ad materiæ necessitatem: effectus licet causati sint ex peccato, & pœnæ fuerint, tamen quia sunt sequelæ peccati, ideo effectus appellantur: de utrisque quid teneri debeat, ostendam.

SUBSECTIO PRIMA.

De pœnis peccati originalis.

1474. SPeciales pœnas irrogavit Deus Adamo, & Evæ, quas explicavi citato loco qu. 6. de eis, quæ communes fuerunt Adamo, & ejus posteritati, sermo est: & omissis pœnis præsentis vitæ, quas effectus appello, de pœnis futuræ vitæ est sermo: duplex enim est pœna: una damni, carentia scilicet visionis divinæ; altera sensus, ut cruciatus. De pœna damni constat, quod omnes decedentes cum solo peccato originali puniendi sunt pœna æterna damni; tantum enim malum est, ut ei respondeat perpetua carentia visionis beatæ; & ita definitum fuit in Concilio Palestino; & ab Innocentio I. in epistola ad Patres Concilii Milevitani, viderique pro hac veritate potest Salaz 1.2. tract. 13. disp. 11. sect. 6. cum enim radix, & fundamentum gloriæ sit gratia; & peccatum originale privet gratia, consequenter gloria privabit: solum ergo manet difficultas de pœna sensus, an detur decedentibus in originali; & claritatis causa, aliquas resolvam difficultates.

PRIMA DIFFICULTAS.

Vtrùm decedentes cum ſolo peccato originali patiantur aliquam pœnam ſenſus?

1475. RESpondetur negative: ita cum Magiſtro in 2. diſt. 33. D. Thom. qu. 2. art. 1. q. 5. de malo art. 2. Buoavent. art. 5. qu. 1. Scotus q. unica & reliqui ſententiarii tam antiqui, quam recentiores: reliqui Theologi ad primam 2. videri poſſuot Suar. diſp. 134. cap. 3. Amicus tom. 3 diſp. 25. ſect. 5. n. 133. Arriaga tom. 1. in 1.2. diſp. 52.

Primo, quia Scriptura ſacra ſolis actualibus peccatis attribuit pœnam ſenſus. Deuteronom. 25. *Pro menſura delicti erit plagarum modus.* Apocalypſ. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum, & luctum.* Secundo, quia in cap. *Majores* de Baptiſmo. *Pœna originalis peccati, eſt carentia viſionis beatæ: actualis vero, pœna peccati, eſt gehennæ perpetua cruciatus:* ex quo conſtat, peccati originalis pœnam eſſe carentiam viſionis beatæ; & actualis, pœnam gehennæ; non quod ſola pœna gehennæ debeatur peccato actuali, ſed quia præter carentiam viſionis beatæ meretur perpetuam pœnam ſenſus: in hoc enim eſt diſcrimen pœnæ utriuſque peccati actualis, & originalis: quæ explicatio apertè conſtat ex Concilio Florentino, ubi decernitur, *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt: mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendos.* Quæ ſunt pœnæ diſpares? non carentia viſionis, cum utrique peccato debeatur: ergo pœna perpetua, quæ debetur peccato actuali, & non originali.

Tertio probatur ratione deſumpta ex ratione pacti, ex quo non conſtat niſi pœna damni, *morte morieris*, ideſt, & vita temporali, & ſpirituali privaberis: pactum enim fuit, ſi peccaſſet Adamus, donis omnibus ſupernaturalibus privandum, & privandos ejus poſteros bonis ſupernaturalibus; injuſtitia ergo foret, & extra rationem pacti; punire Adamum, & ejus poſteros ſpoliatione bonorum ſupernaturalium, & inſuper punire æternis cruciatibus, quod non fuit in pacto.

Quarto, ut diximus ſupra: pœna ſenſus reſpondet converſioni ad creaturam, & pœna damni averſioni à Deo: atqui in peccato originali non datur converſio ad creaturam: ergo non datur pœna ſenſus. Quinto, peccatum quod punitur pœna ſenſus, non deletur ſine pœnitentia: ergo ei non correſdet pœna ſenſus.

1476. Contra ſentiunt Gregor. in 2. diſt. 30. q. 3. & Driedo lib. 1. de gratia & lib. arbitrio tract. 3. cap. 2. qui aſſerunt in peccato originali decedentes, non ſolum privandos eſſe viſione beata, ſed etiam pœna ignis afficiendos.

Primo auctoritate S. Auguſtini lib. 5. cont. Iulian. cap. 8. ubi docet parvolos *mitiſſima pœna puniendos*, & ſerm. 14. de verbis Apoſtoli declarat futuram eſſe pœnam ignis æternam: cui doctrinæ ſuffragantur S. Gregor. Mag. lib. 9. Moralium cap. 12. S. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 27. ubi expreſſè aſſerit, parvulos ſine baptiſmo decedentes, *ignis æterni ſempiterno ſupplicio puniendos.*

1477. Reſpondetur primo, cum Suar. 1. 2. tract. 5. diſp. 9. ſect. 5. n. 9. metaphoricè loquutos Patres, præcipue Auguſtinum, accipientes, *pœnam ſenſibilem, & ignis*, pro pœna damni: quæ reſponſio eſt D. Thomæ in 2. diſt. 33. q. 2. art. 1. ad 1. ubi: *Supplicium non nominat in auctoritate illa, pœnam ſenſibilem, ſed ſolum pœnam damni, quæ eſt carentia divinæ viſionis, ſicut etiam nomine ignis frequenter in ſcriptura, qualibet pœna figurari conſuevit.* Eadem eſt ſolutio S. Bonavent. citati. *Tantum intendit eorum pœnam manifeſtare, quantum ad carentiam viſionis Dei, & quantum etiam ad vilitatem loci.* Similiter Scotus ibi num. 4. verſ. *Aliter*; ubi: *Aliter poſſet dici, quod æterni ignis ſupplicio, in ſenſu diviſionis, ideſt in illo ſupplicio, quod eſt in æterno igne, ſunt cremandi, hoc eſt puniendi pœnâ damni.*

1478. Reſpondetur ſecundo cum S. Bonavent. in 2. diſt. 33. art. 3. q. 1. S. Auguſtinum loquutum per exceſſum, ſolent enim Patres cum labefactare volunt aliquam hæreſim ad extremum declinare, ut hæreticos reducant ad medium, ſic etiam *beatus Auguſtinus, ut illam hæreſim extirparet, quæ dicebat parvulos ab omni pœna immunes, & ad medium reduceret, videlicet ad pœnam carentiæ viſionis Dei, ſimpliciter aſſerit eos cum aliis peccatoribus damnari:* ſimiliter etiam præfatæ auctoritati Auguſtini reſpondet citatus Scotus verſ. *ad 2.* & hæc ſolutio neceſſaria eſt ad interpretandos plures Patres, ideo eam firmavi cum Angelico Doctore, & aliis in examine veritatis pro immaculata Virginis Conceptione lib. 1.

1479. Et hunc eſſe ſenſum Auguſtini, probat S. Bonaventura ex Enchiridione cap. 93. in quo Auguſtinus ait, omnium peccatorum mitiſſimam eſſe pœnam peccati originalis. *Mitiſſima ſane pœna eorum erit, qui præter peccatum, quod originale contraxerunt, nullum inſuper addiderunt:* Ex quibus Magiſter in 2. diſt. 33. cap. *alioquin*, probat ſenſiſſe Auguſtinum pœna æterna ignis non puniri parvulos, quod etiam dixit S. Bonavent. ibi: *Iſtum autem ſuum intellectum explanavit in Enchiridione, ubi dicit, pœnam eorum eſſe mitiſſimam, ſicut dixit Magiſter in littera.* Et rectè, nam pœna ignis eſt cruciatus acerbiſſimus, & intolerabilis, non ergo eſt pœna parvulorum, quæ mitiſſima eſt.

1480. Tertia reſponſio eſt Vaſquii diſp. 134. cap. 3. quem ſequitur Arriaga citata diſp. 52. ſect. 2. num. 4. nec omnino reprobat Amicus num. 152. docet enim quod ſanctus Auguſtinus ſenſerit parvulos in inferno ignis pœna eſſe cruciandos: quam ſententiam eſſe D. Auguſtini ex profeſſo oſtendit Florentius Archiepiſcopus Graneoſis in tractatu *De ſtatu parvulorum ſine baptiſmo decedentium ex hac vita juxta ſenſum beati Auguſtini*, quem laudatum approbat Ianſenius tom. 2. lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 25. in fine, ut Scholaſticos damnet, quaſi deſertores ſancti Auguſtini.

1481. Secundo, peccato veniali debetur pœna ſenſibilis; ergo etiam peccato originali. Probatur conſequentia, quia graviori peccato debetur gravior pœna: atqui originale eſt gravius veniali, cum ergo veniali debeatur pœna ignis temporalis, originali debebitur æterna. Reſpondet D. Thomas in 2. diſt. 33. qu. 2. *ad* 2. negando conſequentiam. Ad probationem negat minorem; docet enim originale defectu voluntarii eſſe minimum peccatorum: ſed nos peccatum originale eſſe gravius omnibus venialibus diximus n. 1471. ideo reſpondeo, nego conſequentiam. Ad probationem reſpondeo primo: nego conſequentiam, quia peccato originali debetur pœna damni æterna, quæ major eſt pœna ignis temporali: ſed quia num. 1421. dixi, etiam aliquo mortali eſſe peccatum originale majus; reſpondeo ſecundo, nego conſequentiam. Ad probationem explico majorem, graviori peccato actuali debetur major pœna, concedo: originali, nego: licet enim unum

peccatum

peccatum mortale gravius altero puniatur majori pœna; non tamen originale, licet aliquo mortali sit gravius, quia cum non sit personale peccatum, nec conversio ad creaturam, cui respondet pœna sensus, non punitur illa pœna.

1482. Inferes: Ergo pueri non patientur juste in hac vita pœnas sensibiles. Probo illationem, quia gravius puniuntur peccata post mortem, quam in hac vita; ergo si in alia vita pœna sensibili ignis non torquentur, nec in hac vita aliqua pœna sensibili torquebuntur. Respondetur, nego illationem: Ad probationem, nego consequentiam. Primò, quia pœnæ temporales consequuntur virtutem naturæ, sive pœna sit interior, ut febris, sive exterior, ut ustio: post mortem sunt ex divinæ justitiæ dispositione, quæ pro peccato originali nullas pœnas irrogabit: ita D. Tho. *ad* 3. Vel dicendum secundò cum S. Bonavent. ideo torqueri pœnis temporalibus, quia hæ sunt promotivæ boni finis intenti à Deo, ideo etiam amicis suis illas irrogat, quod non habet locum in altera vita. Verum ego responderem ad probationem, distinguo antecedens, gravius puniuntur in altera vita; si sermo sit de peccatis originalibus, nego: si de actualibus, concedo: quia illa non sunt peccata personalia.

1483. Tertio, corpora puerorum non erunt impassibilia: ergo saltem patientur famem, sitim, & alia similia. Respondetur, concedo antecedens, cum D. Thoma *ad* 4. & Bonavent. nego consequentiam, quia licet, ex se sint passibilia, tamen ex lege, & dispositione divina impassibilia erunt; sicut corpora damnatorum passibilia sunt, & illa mala non sustinebunt: ideo non ex dote, sed ex dispositione divina illa corpora erunt passibilia, ut bene Scotus n. 5. vers. *Ad* 2.

1484. Ultimò, pueri qui decesserunt in peccato mortali, resurrecturi sunt, & judicandi in judicio: atqui in judicio solum constat damnatos ad sinistram, ad dexteram collocandos esse beatos; ergo cum non detur alter locus, ad sinistram ponentur parvuli puniendi cum damnatis. Ratione hujus argumenti quæro.

DUBIUM INCIDENS.

Utrùm pueri resurrecturi sint, & apparituri in judicio?

1485. RESpondetur certum esse pueros, etiam abortivos, qui in utero matrum anima rationali informati erant, resurrecturos: Ita D. Thom. Bonavent. Scotus, & omnes Theologi, ut testantur Suarez tom. 2. ad 3. p. disput 50. sect. 3. Ægid. Lusit. tom. 5. de Beatitud. lib. 1. q. 4. art. 2. §. 5. Arriag. tom. 1. in 1. 2. disp. 52. Amicus tom. 3. disp. 25. de quo licet videatur dubitare Augustinus lib. 22. de Civit. cap. 3. ibi loquitur de abortivis, & in hanc veritatem propendet, nam de jam natis, expressè docet in Enchiridio cap. 84. & lib. 22. de Civitate Dei cap. 15. resurrecturos. Ratio desumitur ex Paulo, qui ad Corinth. cap. 15. docet omnes mortuos fuisse propter peccati originalis contractionem; cum autem parvuli, sive nati, sive abortivi, contraxerint peccatum originale, profectò propter illud mortui sunt: mortui sunt, ergo resurgent, ut ex sacro textu probant citati doctores.

1486. Utrùm vero apparere debeant in judicio; Respondeo affirmative cum communi sententia, quam docuit Magister in 2. dist. 33. D. Thom. in 4. dist. 47. qu. 1. art. 3. quæstiuncula 1. *ad* 3. Bonavent. in 2. dist. 32. art. 3. quæst. 2. in quam conspirant omnes ferè Theologi; sed est dubium ad quid sisti debent judicio? Variant certè doctores, nec hic est locus disputandi de hoc judicio: D. Thomas citatus ait, sistendus esse judicio, non ut judicentur, sed ut videant gloriam judicis. Alii doctores communiter, de quo videri potest Suar. tom. 2. in 3. part. disp. 57. sect. 6. Bellarm. tom. 3. lib. 6. de amissione gratiæ cap. 5. docent sistendos esse judicio, ut in eos proferatur sententia, qua propter originale excludantur à regno ad ostendendam justitiam Dei, quibus suppositis, quæ alterius loci sunt,

1487. Respondeo ad argumentum positum num. 1484. concedo majorem, nego minorem; ut enim bene S. Bonavent. citata qu. 1. advertit, status, locusque parvulorum medius est inter beatos, & damnatos; fuerunt enim in terra inter habentes gratiam, & inter habentes culpam actualem, medii: & cum status in cœlo correspondere debeat statui viæ; in cœlo etiam debent constitui in statu medio; in quo sicut communicarunt cum damnatis in culpa, & cum Beatis, non habentes culpam actualem; ita in cœlo communicabunt cum Beatis carendo pœna sensibili, & cum damnatis carendo visione beata. Sed ex hoc sequitur tristandos esse parvulos, quæ tristitia maxima est pœna sensibilis, & consequenter passuros esse pœnam sensus: ideo est

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrùm parvuli passuri sint aliquam tristitiam, aut dolorem?

1488. DIfficilis est quæstio, ratio dubitandi ex una parte est, quia tristitia & dolor de amissione boni maximi, & possibilis, ac debiti ratione naturæ ordinatæ, est maxima pœna sensus: ex altera parte, quia difficile est intelligere, quod tales parvuli cognoscant amissionem tanti boni, & non tristentur?

Respondeo, nulla tristitia, nulloque dolore afficiendos esse parvulos: est communis sententia. Ita enim Magister in 2. dist. 33. ubi D. Thom. qu. 2. art. 2. Bonavent. q. 2. Scot. qu. unica num. 4. & cæteri: præter sententiarios, cæteri ferè Theologi: Videndi Vasquez 1. 2. disp. 134. cap. 3. num. 8. Suar. disp. 50. sect. 5. Amicus n. 133. Arriag. disp. 52. sect. 3. num. 7. Salaz tract. 13. disp. 11. sect. 2. Lessius lib. 13. de perfectionibus Divinis n. 145.

1489. Probatur, quia non correspondet originali peccato pœna sensus; ergo nec tristitia, & dolor. Probo consequentiam. Primo quia pœna sensibilis est pœna sensus, aliter jam Theologi malè dividerent pœnam in damni, & sensus pœnam, cum amplius detur pœna sensibilis. Secundo, dato quod non sit pœna sensus, est pœna sensibilis; atqui non minus repugnat pœna sensibilis, quàm sensus: Probo, quia ideo non datur pœna sensus, quia omnis dolor, & cruciatus respondet conversioni ad creaturam, sive delectationi, & actioni peccati: ergo nec hæc pœna sensibilis dabitur. Probo hanc consequentiam, quia est dolor amissi boni, ad quod natura fuerat ordinata, quo carent sine spe recuperandi: ergo si pœna sensus, quia est cruciatus positivus, deest pueris, etiam tristitia.

1490. Secundo, quia vel tristarentur de irrogatione pœnæ, vel de contractione culpæ: non primum, aliter perversè tristarentur de pœna justè lata; ex quo, ut damnati odio prosequuntur Deum, etiam pueri non amarent Deum: Non se-

cundum, aliter haberent vermem conscientiæ; ergo nullo modo.

1491. Abulensis Matth. 25. q. 666. Valent. 1. 5. disp. 6. q. 7. pun. 4. Bellarmin. lib. 6. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 6. Tannerus q. 7. dub. 1. & ante omnes Aureol. in 2. dist. 33. art. 2. docent, licet pueri pœna ignis non sint puniendi, non posse tamen non tristari ex privatione, & carentia æternæ felicitatis, & probant: illi pueri agnoscent se privatos esse illa felicitate in æternum; ergo de tanti boni amissione tristabuntur, & dolebunt: Antecedens docent communiter contrarii cum D. Thom. in 2. dist. 33. q. 2. art. 2. in corpore: Bonavent. ibi art. 3. q. 2. in corp. inclinat Scot. n. 4. & ferè reliqui Theologi hanc cognitionem admittunt.

1492. Probant consequentiam, primò ex D. Chrysostomo apud Bonavent. *Excludi à bonis æternis, & alienum effici ab his, quæ præparata sunt iustis, tantum generat cruciatum, tantum dolorem, etiam si nulla extrinsecus pœna sequeretur, ut hæc sola sufficeret.*

1493. Secundo, major dolor est, quo aliquis premitur cum bono aliquo privatur sine causa, quàm cum causa; ergo majorem dolorem habebunt qui privantur aliquo bono minori ex causa, quam qui ex majori causa privantur; ergo majorem dolorem habebunt pueri, quàm damnati ex carentia visionis beatæ, siquidem pueri illa privantur propter solum originale, & damnati propter actualia peccata.

1494. Tertio, pueri vellent habere visionem beatam: sed non potest quis carere illo bono, quod vult & desiderat, nisi afflictionem aliquam patiatur, ergo, &c. Major patet, quia si non vellent habere visionem Dei, eorum voluntas esset perversa. Confirmatur, quia absentari à re amata, non potest esse sine pœna: sed pueri cognoscentes Deum, illum diligent; ergo videntes perpetuo ab ejus præsentia se esse separatos, proculdubio dolebunt. Quarto cum sistentes judicio videant pueri se excludi à regno cælesti; & alios ad illud admitti, non possunt non tristari.

1495. Respondetur primo, totum hoc negotium referendum esse ad divinam providentiam, ut bene Vasquez: & certe, cum constet parvulos nulla pœna sensus esse affligendos, Deus disponet eorum statum, ut nullam de amissione beatitudinis æternę tristitiam habeant: & licet aliqui negent parvulos habituros notitiam felicitatis æternæ, & carentiæ illius, quod non displicet Scoto n. 4. tamen non videtur conveniens, quod sui status rationem non agnoscant, nec erat ad quid sisterentur judicandi in judicio generali; cognoscent equidem illam amissionem boni, sed ita disponente Deo, nullam habebunt tristitiam, imo gaudium habebunt, eo quod plus præponderabit ratio divinæ bonitatis.

1496. Respondeo secundò, concedo antecedens, quod scilicet habebunt notitiam pœnę damni, scientes se in æternum privatos esse æterna beatitudine, deinde nego consequentiam. Ad primam probationem explico Chrysostomum; intelligendus enim est de damnatis, qui habituri sunt remorsum conscientiæ, & vermem, ratione actualis peccati, & non de parvulis; Ita citatus Bonaventura ad vers. *Ad illud.*

1497. Ad secundum nego consequentiam si cætera sint paria; nam carere bono sine causa, causa est doloris, at carere aliqua ex causa eodem bono, quo privantur alii ex majori causa, potest non esse causa doloris, si recompensetur sibi id, quod aliis non recompensatur: nam licet æque careant parvuli & damnati, visione beata: tamen eorum nulli erat debita, imo justè denegata: ideo de hoc nulla est causa doloris ex parte pœnæ, solum poterat esse ex parte culpæ, sed hæc cum in parvulis sit originalis, non causat remorsum: ex alio autem capite vident præter visionis carentiam damnatos æterno igni addici, carceri tenebroso includi, in quo esse poterant, si viverent & peccarent; ideo non tristantur de amissa gloria, imo lætantur de misericordia Dei, quæ eos præservavit à peccatis actualibus, & à pœnis inferni; quare ut bene Scotus num. 4. *Sed si non tristabuntur pueri, quia erunt contenti de statu suo, scientes Deum de se ita disposuisse, nec suo actu hoc aliquando demeruisse.*

1498. Ad tertium, concedo majorem, explico minorem: non potest quis sine afflictione carere illo bono, quod vult & desiderat efficaciter, & absolutè, concedo: inefficaciter per modum velleitatis, nego: cum autem pueri cognoscant impossibile sibi esse consequi visionem Dei, non tristabuntur, cum ex carentia illius, quod inefficaciter est volitum, & proponitur ut impossibile, nemo tristetur; ut nemo tristatur de carentia unionis hypostaticæ; & ita respondet D. Thomas citatus *ad* 2. addique potest optima responsio S. Bonavent. citata q. 2. quod scilicet non semper tristitia sequatur, quando non adimpletur desiderium, sed quando non adimpletur in se, nec fit recompensatio secundùm æstimationem desiderantis; nam si fiat recompensatio, non consequitur tristitia desiderium: sicut multi vellent esse in paradiso, & tamen non tristantur de statu præsenti, quia consolantur cum illo modico, quod in vita habent. Ad confirmationem respondeo cum D. Thoma *ad* 4. explico antecedens, absentari omnino à re amata, non potest esse sine pœna, concedo: aliqualiter, nego: pueri verò non sunt omnino à Deo separati, cum per cognitionem, & amorem naturalem Deo conjungantur.

1499. Ad probationem nego antecedens: imo ex illa præsentia in judicio, & sententia lætabuntur, quia videbunt, si fuerint filii infidelium, se per anticipatam mortem fuisse præservatos, ne cum parentibus æternis pœnis cruciatuum torquerentur: si filii fidelium, lætabuntur, quia videbunt plures ex baptizatis damnari ad ignem æternum propter additionem peccatorum actualium, à quorum incursione sciunt per immaturam mortem se esse præservatos.

SUBSECTIO SECUNDA.

De effectibus peccati originalis.

NOn est dubium plures effectus peccati originalis esse pœnas, ideo non separo pœnas ab effectibus, quasi effectus non sint pœnæ, sed nomine effectuum intelligo pœnas temporales, & omnes defectus sive positivi, sive privati sint, quia ex peccato sunt. Verum antequam prædictos explicem effectus, duo errores prius declarandi sunt, ut evitentur.

1500. Primus est Pelagianorum asserentium homines non fuisse punitos morte corporali, eo quod mors erat naturalis homini, quem errorem damnat Paulus, affirmans per peccatum mortem intrasse in mundum, & Concilium Arausicanum cap. 5. can. 2. ac Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali can. 2. Secundus error est Lutheri & sequacium affirmantium, naturam corruptam fuisse in naturalibus perfectionibus, & per consequens per peccatum amissum fuisse li-

berum arbitrium, quem errorem profligavi in Ianseoio convicto, toto lib. 2. & 3. fuit enim natura vulnerata in perfectionibua, & dunis gratiæ, non naturæ, quibus præsuppositis sit

DIFFICULTAS UNICA.

Qui sint effectus, sive pœna peccati originalis?

1501. Dico primo: Amissio status & gratiæ, est primus effectus peccati originalis: ita de fide statuunt omnes Theologi.

1502. Dico secundo: Infirmitas naturæ relicta ex peccato, fuit pœna & effectua peccati originalis; ita de fide statuit Suar. in 1. 2. tract. 5. disp. 9. sect. 5. num. 4. quænam autem sit hæc infirmitaa? respondeo cum S. Augustino lib. de natura & gratia cap. 29. consistere in ignorantia intellectus, in malitia voluntatis, in effræoitate concupiscentiæ, & in irascibilis appetitus infirmitate: Laborat enim intellectus ignorantia, non quia per peccatum incapax factus est cognoscendi verum, ut volunt Lutherani, sed quia multa ignorat, in multisque decipitur, quæ in illo non ignoraret statu: voluntas per malitiam non perdidit libertatem, sed proclivior reddita est ad sequenda objecta sensibilia, quam foret in illo statu; insuper concupiscentia rebellia, inobediensque rationi facta, post contractionem peccati: & hoc est quod Theologi appellant *naturam vulneratam fuisse in naturalibus.*

1503. Unde prædicti effectus, non sunt aliquid positivum, sed privativum; nam in actu primo, illæ potentiæ eodem modo se habent in statu naturæ lapsæ, ac essent in statu naturæ innocentis; sunt enim naturæ naturales proprietates: sed quia per introductionem peccati, amissa fuit justitia originalis, quæ erat veluti frænum, quo illæ moderabantur potentiæ, idcirco pœnæ dicuntur privativæ, eo quod spoliatæ potentiæ illo dono, destructus est rectus ordo, & obedientia, quam Deo, & rationi præstare debuerunt.

1504. Dico tertio: Mors corporalis, est pœna peccati originalis. Ita habetur Genesis 2. quia licet humana natura sit mortalis, tamen non experiretur mortem, si non peccasset primus Parens, unde illud quod erat naturale factum est pœnale, juxta illud Geneseos 3. quare erravit Pelagius asserens in statu innocentiæ homines morituros fuisse.

1505. Suarez citatus num. 9. docet ab Scoto in 2. dist. 9. assertum esse, homines in statu innocentiæ fuisse morituros, verùm tanti Magistri venia, non recte judicavit de mente Scoti, qui catholicè, & optimè loquutus est, ait enim Scotus citato loco quæst. unica à num. 3. Adamum, omnesque ejus posteros fuisse mortales, & quantum ex se erat, fuisse morituros, sed id non posse evenire in illo statu, quod eleganter testatur, num. 5. vers. *Dico*, ubi ita: *Dico tamen, quod stante innocentia statu non accidisset mors, cujus causam assigno talem, quia quilibet fuisset translatus in paradisum, antequam fuisset alteratus alteratione improportionata:* quam doctrinam existimo esse verissimam, nimirum homines simpliciter, & absolutè mortales fuisse dicendos; eo quod illa immortalitas, non ex natura, sed ex gratia proveniebat.

1506. Utrum verò in aliquo sit dispensatum circa hanc pœnam? videri possunt Vasquez 1. 2. disp. 132. cap. 1. num. 2. Azor tomo 1. lib. 4. cap. 32. qu. 2. De remedio, quo homines liberandi sunt, & liberantur à peccato originali agunt Theologi ad tertiam partem, tam in materia de Incarnatione, quàm de sacramentis, ad quæ loca remitto lectores.



DISPVTATIO QVINTA.

DE

INDIFFERENTIA ACTVVM HVMANORVM.


BSOLVTIS disputationibus de bonitate, & malitia actuum humanorum, ad eorum plenissimam notitiam una superest disputatio de indifferentia actuum humanorum, circa quam celebris est controversia, inter Angelicum, & Subtilem doctorem, quam non sine aliqua novitate explicabimus.

PRIMA PARS DISPUTATIONIS.

De divisione actus humani.


IDEBITUR fortasse hæc divisio extra locum posita, eo quod de ea prius soleant Theologi tractare, quàm actuum humanorum essentiam exponant: non inficior: non tamen libenter annuo hunc etiam locum hujus divisionis esse proprium: cum enim actus indifferentes fiot, qui difficilem reddunt hanc divisionem, ideo ut facilis appareat, simul cum indifferentia explicari debet.

SECTIO PRIMA.

Vtrum divisio in actum bonum & malum sit adæquata?

Dividitur communiter actus humanus in bonum, & malum; ille conformatur rectæ rationi, iste ab ea deformatur: & est quæstio: An detur aliqua species actus humani, qui nec sit bonus, nec malus? Et ratio dubitandi est, quia dantur actus indifferentes, qui nec sunt boni, nec mali: dantur etiam actus, benè, vel malè sonantes; & tam illi, quàm isti videntur constituere novas species actus humani; ex quo videtur, quod divisio ista sit adæquata. Ideo tam de actibus indifferentibus, quàm de actibus bene, vel male sonantibus videndum est, an reddant hanc divisionem inadæquatam, & hoc tam in genere naturæ, quàm in genere moris.

SUBSECTIO PRIMA.

Vtrum indifferentia sit vera species actus humani?

1. Dico primo: In genere naturæ indifferentia non est nova species actus humani. Non loquuntur doctores in hoc sensu: Probatur tamen, quia actus ut sic indifferens in esse naturæ, debet specificari ab objecto indifferente in esse naturæ: atqui nullum datur objectum positive indifferens in esse naturæ, ut infra videbimus à n. 34. ergo nullus dabitur actus indifferens in esse naturæ: & tantum dicetur indifferens negativè, quia capax est ex se ad habendam bonitatem vel malitiam in genere moris; ac proinde præter entitatem physicam, & speciem determinatam, quam habet illa indifferentia, solum addit actui indeterminationem ad bonitatem, & malitiam, sive carentiam illius; quod non sufficit ad constituendam novam speciem, etiam in genere physico. Explicatur, nam quod homo secundùm suam speciem sit indifferens ad album, vel nigrum, non dicit in ipso tertiam speciem coloris, sed tantùm ipsam essentiam hominis capacem coloris, cum indeterminatione ad albedinem, & nigredinem, & sic de aliis.

2. Dico secundo: Indifferentia non est nova species actus humani in genere morali. Ita communiter Thomistæ, Curiel, Cornejo, Lorca Montesinus, quos referunt, & sequuntur Carmelitani tract. 11. disp. 2. dub. 1. §. 1. n. 1. Granad. tract. 11. disp. 2. sect. 3. num. 18. Ripald. disp. 69. sect. 5. num. 14. Conradus & alii, quos tacito nomine refert Vasq. disp. 52. cap. 4. num. 20. qui omnes asserunt, actum non esse ex objecto indifferentem positive, sed negative, juxta expositionem datam supra; & hæc est sententia D. Thom. 1.2. qu. 18. art. 5. in corpore & ad 4. art. 8. in corpore, & art. 9. ad 1. qu. 19. art. 1. ad 3. & qu. 2. de malo art. 5. Scotus quodlibeto 18. art. 2. ubi uterque asserit actum esse determinatum in genere naturæ, sed per ordinem ad mores indifferentem, idest, negative.

3. Probatur primo, quia ut actus ponatur in genere morali, debet specificari per objectum regulatum per rectam rationem, ita ut tale objectum dicat subjectionem ad illam, ex dictis disp. 2. à num. 14. atqui objectum indifferens non habet istam subjectionem, aliter erit bonum, vel malum: ergo actus indifferens, qui ab illo specificatur, non est moralis. Dices: Datur ordo in illo objecto, quo nec est conforme, nec difforme rationi. Sed contra, quia hic ordo potius est negatio, & carentia ordinis ad rationem, quam ordo ad illam. Probatur secundo, quia objectum vel est conveniens, vel disconveniens rationi, non enim datur medium: ergo objectum indifferens nil facit ad rectam rationem, cum circa illud regula non operetur. Tertio, quia ex opposito sequitur 1. non posse esse in aliquo actu primam speciem bonitatis, vel malitię ex fine: namque in actibus determinate bonis, vel malis, prima species est ex objecto, in actibus indifferentibus esset exinde differentia. Secundo, quemlibet actum habere duplicem speciem positivam, unam ex indifferentia objecti, alteram ex circunstantiis.

4. Contrariam sententiam docent Vasq. disp. 52. cap. 4. n. 21. Martines 1. 2. q. 18. art. 8. dub. unico, ubi Arauso: videtur de mente Suar. tract. 3. disp. 9. sect. 2. num. 4. docentis indifferentiam esse speciem positivam moralitatis. Primo, quia objecta ut indifferentia sunt moralia: ergo

etiam indifferentes actus erunt positivè morales. Antecedens probatur, quia objecta indifferentia subjiciuntur legi permittenti; ergo dicūt specialem ordinem ad legem, & rectam rationem. Antecedens probatur, ex D. Isidoro II. ethimolog. cap. cap. 19. asserente tres esse effectus legis. Primus est, præcipere actus bonos. Secundus prohibere melos, tertius permittere indifferentes: idem habetur in leg. *legis* ff. de leg. estque doctrina Div. Thom. I. 2. quæst. 92. ert. 2. Respondetur negando antecedens: Ad probationem, nego consequentia: nam lex permittens non ponit necessitatem, nec obligationem, nisi illis, quibus non permittitur, & ideo nullum ordinem moralem dicunt in conscientia actus ad rectam rationem, sed menent in eodem ordine quo erant, ideo meretrices non desinunt peccare ex eo quod conformantur legi illas permittenti; nam objectum illi legi subjectum eodem manet modo atque erat antea: quapropter ex eo actus dicuntur permitti à lege, quia non manent extra dispositionem illius, in eo statu, quem habent ex sua natura, id est in statu, vel malitiæ, vel indifferentiæ, nihil curans de illis, sive fiant, sive non fiant. Dices: Ad quid; ergo necessaria est lex permittens? Respondeo, ut liberet à pœna temporali eos, quibus permittitur coërceatque impedientes.

5. Secundo: Iam isti specificarentur à fine, vel circumstantiis, & non ab objecto: atqui hoc est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Minor patet, quia *actus specificantur ab objecto*. Major patet, quie illi actus habent pro objecto objectum indifferens: atqui objectum indifferens non est morale: ergo non specificaretur ab illo; ergo à fine, vel à circumstantiis. Respondetur primo, negando majorem: nam in illo casu finis haberet rationem objecti, tribueretque primam speciem bonitatis, vel malitiæ, ex dictis dispue. e. numer. 181. disputat. 5. à numer. 431. Secundo, negando majorem: nem illud objectum indifferens esset objectum morale, nam indifferentia solùm est negative per ordinem ad genus morale, adveniente autem moralitate objectum menet in specie determinata moralitatis, ut deambulatio, quæ in esse naturæ determinate, dicitur indifferens per ordinem ad genus morale, si nimirum prohiberetur, vel præcipietur, posita autem lege, jam objectum manet morale, ut diximus disput. 2. à numer. e 41.

6. Tertio: Ille actus est moralis; ergo sub aliqua specie non boni, non mali; ergo indifferentis. Probatur, quie ille actus est liber; & procedit ex deliberatione rationis. Respondetur negando antecedens: nam ut indifferens ad nullam speciem pertinet; dicitur enim indifferens, quia dicit ordinem ed genus morale, sub quo ordine est determinatus in genere naturæ, habet tamen negationem bonitatis, vel malitiæ moralis, cum non repugnantia ad alterum ex illis, & per consequens indifferentia est tantum non repugnantia ad bonitatem, vel malitiam moralem: eo modo indifferentia animelis, nec est genus, nec species, quod vero actus procedat à voluntate ex deliberatione rationis, non constituit actum moralem, sed liberum ex dictis disp. 2.

SUBSECTIO SECUNDA.

Utrum actus benè, vel malè sonantes, constituant diversam speciem actus humani.

7. SUppono actus benè, vel malè sonantes esse, qui quamvis ex objecto neque habeant bonitatem, neque malitiam, & simpliciter sint indifferentes, propendunt tamen magis in unam, quam in alteram partem: verbi gratia, occidere hominem, accipereque rem alterius, & similes actus, non sunt mali ex objecto, ideoque possunt honestari ex circumstantiis, ut si authoritate publica occidatur homo, & in extrema necessitate res aliena surripiatur, sed quia ut plurimum non afficiuntur his circumstantiis, sine quibus facti, mali sunt: ideo quando absolutè proferuntur, male sonant: similiter actus ex objecto indifferens datur, qui magis propenderet in bonitatem, eo quod ut plurimum eum comitatur bonus finis, ut visitare infirmos, ire ed Ecclesiam, & ideo absolutè prolatus, etiam sine circumstantia benè sonat. De his ergo quæritur, utrum pertineant ad diversam speciem moralitatis? Respondetur negativè cum Suar. tract. 3. disp. 9. sect. 1. numet. 6. Arauf. citat. num. 57. Granad. tract. 11. Probatur primo, quia actio male sonans (ut occisio hominis) in specie determinata naturæ, & per ordinem ad circumstantias, potest pertinere ad varias species morales, servata unitate specifica naturæ, ut si occidatur homo authoritate privata, est in specie mali, si ex sententia judicis, est in specie boni, accipere alienum ex rapina, furtum est, non ex mandato supremi Domini; ergo illa occisio, vel acceptio rei alienæ absolutè indifferens & per ordinem ad circumstantias posita in specie morali, jam est bone, vel mele.

8. Probatur secundo, quie jam occidere hominem ex mandato judicis, non foret actus justitiæ ex objecto bonus. Probatur secundo, quia objectum est male sonans, & habet specialem malitiam ex objecto; ergo non erit ex objecto bonus. Tertio, quia jam daretur elia species, quæ sonaret in bonum, ut salvare vitam hominis. Probatur antecedens, quia etiam est indifferens, vitiarique potest per adventum circumstantiarum, ut si salvetur per violentiam extortam à Iudice, vel jure, quare tam actiones benè, quam male sonantes, sunt in specie determinatæ naturæ, indifferentes tamen negativè, primo per ordinem, ad circumstanties.

Dices: Ergo absolutè erunt actus indifferentes. Nego consequentiam, quia actus pure indifferentes non megis postulant bonitatem, quam malitiam, ut deambulare, et vero actio male sonans magis inclinat in malum, ut bene sonans in bonam. Inferes: Ergo omnes actus virtutum erunt bene sonantes, & indifferentes. Respondetur, distinguo illationem, ex objecto, nego: ex circumstantiis, concedo. His positis patet solutio ad quæstionem initio propositam.

SECTIO SECUNDA.

Utrum divisio actus humani in bonum & malum sit essentialis?

CUm actus humanus dupliciter accipiatur, nimirum in esse naturæ, & in esse moris, juxta utramque acceptionem expedienda est difficultas.

SUBSECTIO PRIMA.

Utrum divisio actus humani in bonum & malum, sit essentialis actus in esse naturæ?

9. QUæstio est, utrum bonum & malum, sint differentiæ essentiales constituentes actum in esse naturæ. In qua duplex est sententia.

Prima affirmat: eam sequuntur Suar. in 1.2. tract. 3. disputat. 8. sect. 3. numero 3. Azor tom. 1. lib. 2. cap. 5. quæst. 1. Conimb. in Ethica disputat. 5. §. ultimo, Zumel 1. 2. quæst. 71. articul. 6. disputat. 7. conclus. 1. & 1. Erice disputat. 22. §. ultimo. Granado tract. 9. disputat. 2. sect. 3. numero 23. disputat. 3. num. 5. Becanus tract. 1. cap. 4. quæst. 2. num. 20. loquens de bonitate. Videtur Sententia Albertini I. principio quæst. 16. corolario 8. dubitatione 2. §. *Sed hic.* Arriaga de anima disputat. 8. numero 71. citatur à quodam Recentiori. Curiel, eo quod constituit bonitatem, & malitiam in ordine transcendentali ad objectum, sed male: oppositum enim docet loco infra citando. Hæc videtur sententia D. Thomæ 1. 2. quæst. 19. art. 1. & 5.

10. Primum fundamentum est. Actus nequit transire de bono in malum: atqui hoc est, quia bonitas, & malitia sunt differentiæ essentiales ipsius actus; ergo, &c. Secundum: Bonitas & malitia consistunt in ordine ad objectum subjectum legi, sed nihil est essentialius actui in esse naturæ, quam ordo ad objectum per quod specificatur; ergo, &c. Tertium: Idem est esse actum formaliter bonum, atque esse actum virtutis: atqui esse virtutis est differentia actus voluntatis in genere naturæ; ergo & bonitas. Minor probatur, quia esse virtutis est tendere in objectum sub ratione honestatis: atqui tendentia in objectum est essentialis differentia actus in esse naturæ; ergo, &c. Quartùm: Bonitas moralis est differentia boni: ergo & actus boni. Probatur consequentia, quia juxta Philosophum 2. Ethicorum 1. juxta differentiam actus ab habitu procedentis est differentia actus voluntatis. Antecedens probatur, quia bonitas ponitur in definitione virtutis, definitur enim (*est bona qualitas mentis*) atqui quod ponitur in definitione aut est genus, aut differentia. Confirmatur, quia habitus bonus & malus juxta Philosophum differunt specie: atqui non differunt nisi per bonitatem & malitiam; ergo bonitas, & malitia sunt differentia actus in esse naturæ.

11. Secunda sententia negat. Eam sequuntur Div. Thom. quæst. 2. de malo articul. 4. Bonaventura in 2. dist. 41. quæst. 2. Scotus in 1. dist. 17. quæst. 3. numer. 4 versiculo 17. Curiel quæst. 8. articul. 5. in Comment. Cajet. ibi quæst. 19. articul. 1. §. *Ad hoc dicitur.* Medina conclusione 1. Montesinus disputatione 22. numero 27. Vasquez 1. 2. disputatione 55. capite 2. numero 7. Ægidius Bellanus de actibus supernaturalibus disputatione 2. dubio 2. numero 13. disputatione 3. dubio 8. Salas 1. 2. tractatu 7. disputatione 2. sectione 8. numero 72. & 75. disputatione 3. sectione 13. numero 74. Valentia quæstione 14. disputatione 2. puncto 1. §. *Hanc rationem.* Lorca disputatione 32. sectione 2. Martinez quæstione 18. articulo 2. dubio 1. §. *Sexta conclusio.* Raynaudus distinctione 4. quæst. 1. art. 4.

Primum fundamentum est: Idem numero actus potest transire de bono in malum, & de malo in bonum; ergo bonum & malum, non sunt differentiæ constituentes actum in esse naturæ; namque differentia constitutiva non potest mutari de subjecto in subjectum, ut nec una essentia potest transmutari in aliam.

Secundum: Bonitas transcendentalis non est differentia essentialis actus, sed tantum proprietas: ergo à fortiori bonitas moralis erit proprietas, & non differentia. Patet consequentia, quia bonitas moralis supponit transcendentalem.

Tertium: Nulla actio physica potest esse in duabus speciebus secundum suam substantiam, atqui idem numero actus potest habere duas species bonitatis, vel malitiæ: ergo neutra actui erit essentialis. Patet minor in eo, qui Eleemosynam tribuit sacerdoti titulo misericordiæ, & religionis; & in eo, qui vas sacrum furatur. Quartum: Malitia consistit in privatione, sed privatio non est differentia actus positivi: ergo, &c.

12. Ego nulli harum sententiarum assentior, & ut propriam explicem; noto primo, illam vocem *essentialem*, in præsenti videri æquivocam: vel enim per eam significatur, quòd bonum, & malum sunt differentiæ constitutivæ actus in esse naturæ; vel quod sunt de substantia actus; ita ut nec per divinam potentiam possit separari bonitas, vel malitia ab actu in esse naturæ, in quo sensu licet bonitas & malitia sint de substantia actus, non tamen sunt differentiæ constitutivæ actus, sed potius sunt accidentia ipsius, ex dictis disputatione 3. numero 430. Noto secundo, aliud esse loqui de actu, secundum quod in sua specie constituitur, atque ut in individuo integratur: non enim quicquid ad constitutionem individui spectat, pertinet ad constitutionem speciei, imò sæpe est extra speciei essentiam. Quibus notatis.

13. Dico primo: Bonitas, & malitia moralis non sunt differentiæ constitutivæ actus specificativè, idest, in esse naturæ. Ita Doctores secundæ sententiæ: & omissis rationibus, quibus id probant, tum quia non sunt efficaces, tum quia multæ non sunt veræ; Probatur primo: Genus naturæ & moris sunt diversa genere, ex dictis disp. 2. à num. 92. atqui bonitas, & malitia moralis sunt differentiæ contrahentes genus morale; ergo non possunt contrahere genus naturæ. Consequent. probatur, quia si contraherent genus naturæ, jam actus in esse naturæ collocaretur sub duobus generibus non subalternatim positis, nimirum sub genere naturæ, & moris. Secundo quia jam duæ differentiæ dividerent duplex genus. Primum, quodlibet in suo ordine, quorum unum alteri, non subalternatur, nimirum genus naturæ & moris: atqui hoc est falsum, tum unumquodque genus habeat speciales differentias, per quas dividatur; ergo, &c.

14. Probo secundo hanc sententiam: Bonitas & malitia adveniunt actui in esse naturæ adæquatè constituto; ergo nulla constituit actum, tamquam actus essentialis differentia. Antec. patet, quia prius est actus in esse naturæ, quàm in esse moris, siquidem actus in esse naturæ prioritate quadam antecedit esse morale; quod esse non potest, nisi prius sit constitutus in aliqua specie. Insuperque, esse naturæ fundamentum est esse moralis. Consequentia probatur, quia ex eo circunstantia, quæ actui morali addit novam speciem moralem, est accidens, & vera circunstantia actus, tam in esse naturæ, quam in esse morali, quia advenit actui in utroque genere constituto, ex dictis disp. 3. à n. 407.

15. Confirmatur, quia ideo illa bonitas addita per circunstantiam, dicitur accidentalis, quia licet constituat novam speciem, tamen prima species sine illa in suo esse, esse poterat, ut eo loco notavi num. 406. atqui etiam actus in esse naturæ secundum suam speciem physicam, esse poterat absque ulla specie moralitatis; ergo quæcumque species moralis superveniens, accidentalis est actui in esse naturæ. Minor probatur, quia diverso modo specificatur actus in esse naturæ, ac in esse moris: nam ille specificatur per

objectum in esse naturæ, iste per objectum subjectum rationi: Unde si supponamus illud objectum non esse subjectum conforme, aut difforme rectæ rationi, actus io esse naturæ specificatus, erit idem in esse naturæ, & secundum speciem.

16. Dices: Non potest actus in esse naturæ in individuo, esse sine tali bonitate; ergo signum est quod bonitas non sit illius accidens, sed differentia essentialis. Respondeo negando consequentiam, tantùm enim ex illo antecedente colligitur, actum in individuo constitui per duplicem speciem io suo genere adæquatam, sine quibus in individuo esse non potest; non tamen, quòd ille actus in esse naturæ specificetur per objectum morale; cum per objectum io esse naturæ specificetur, & prioritate quadam, prius actus ille constituatur in esse naturæ, quam in esse moris; ideo quidquid supervenit actui in esse naturæ constituto secundum suam speciem, accidentale est.

17. Ad argumenta primæ sententiæ, respondeo ad primum, distinguo minorem: atqui hoc est, quia bonitas, & malitia sunt differentiæ essentiales actus io esse naturæ specificativè & secundum propriam speciem, ac inadæquatè, nego: reduplicativè, & adæquatè, ut comprehendit utramque speciem, concedo: ex eo enim quòd actus non possit transire de bono in malum, ad plurimum sequitur, actum in individuo duplicem habere speciem diversam, & non posse esse sine ulla illarum, eo modo, quo actus qui habet duplicem speciem bonitatis, quarum secunda est accidentalis ex circumstantia, non potest esse sine illa accidentali; quia licet non sit differentia essentialis speciei; est tamen essentialis tali actui; ut in individuo habet duplicem speciem.

18. Ad secundum, negando consequentiam, quia diversum objectum est objectum in esse naturæ, ac in esse moris, ideo diversa etiam est tendentia, ex dictis in disputatione 2. numer 7. disputat.3. numer. 171. Ad tertium, distinguo minorem: atqui esse virtutis, est differentia actus in esse naturæ; esse virtutis naturalis, & physicæ, concedo: moralis, nego: dupliciter enim accipi potest virtus. Primo, ut est bonum quoddam conforme divinis attributis, tenditque in objectum honestum, qua honestum naturale est, nulli præcepto subjectum, & sic illud bonum est naturale. Secundo, ut bonum quoddam morale est, tendens in objectum honestum, subjectum præcepto vel consilio: & quatenus bonum naturale est, est differentia actus in esse naturæ. Ad quartum respondetur, distinguo antecedens: Bonitas est differentia habitus boni, reduplicativè, & qua moralis, concedo: Specificativè, & in genere naturæ, nego. Vel dicendum bonitatem naturalem esse differentiam essentialem habitus in esse naturæ, eo modo quo explicavimus esse virtutis.

19. Dico secundo, contra Authores 2. Sententiæ: Licet bonitas & malitia non sint differentiæ essentiales constituentes actum in esse naturæ, sunt tamen accidentia ejusdem actus secundùm speciem, & de substantia ejusdem actus accepti in individuo: ideoque, esse non potest idem numero actus, modo bonus, modo malus, ex dictis dictis disputat. 3. à numero 674. usque ad numerum 689. Probatur, quia actus ille in individuo specificatur per totum illud objectum; ergo habet speciem naturæ & moris: atqui istæ duæ species constituuntur per duplicem habitudinem inadæquatam, quarum una tendit in objectum in esse naturæ, altera tendit in objectum in esse moris; ergo bonitas illa, vel malitia, erit de essentia actus in individuo: Probo consequentiam, quia adæquata tendentia actus est ipsamet adæquata essentia ipsius actus: atqui tam actus in esse naturæ, quàm in esse moris, tendit in objectum; ergo illa tendentia in objectum morale, etiam erit essentialis actui illi io individuo, & cùm essentiale inseparabile sit, nullo modo bonitas, aut malitia poterunt separari ab actu in individuo.

20. Ad argumenta autem secundæ sententiæ, respondeo ad primum, negando antecedens ex dictis disput. 3. à num. 674. Ad secundum, & tertium; probare bonitatem, & malitiam, non esse differentias essentiales constitutivas actus in esse naturæ, non tamen separabiles esse ab ipso actu in individuo, imo ex secundo argumento colligitur oppositum, sicut enim bonitas transcendentalis est inseparabilis ab entitate, cujus non est differentia essentialis, sed proprietas, ita etiam bonitas moralis, erit inseparabilis ab actu in esse naturæ, licet non sit illius differentia. Ad quartum, negando majorem, ex dictis disputat. 4. à num. 8.

21. Ad finem, non omittam referre opinionem cujusdam doctissimi Recentioris Conimbricensis, qui docuit bonum, & malum esse indifferentias actus in esse naturæ; quam opinionem sic explicat: Ille actus adæquate constituitur per unam adæquatam habitudinem ad totum objectum, quæ comprehendit duas inadæquatas habitudines, unam physicam, alteram moralem. Hæc doctrina vera est, quatenus docet illum actum constitui adæquatè per habitudinem adæquatam comprehendentem duas illas inadæquatas: Falsa verò, dum docet actum illum specificativè constitui in esse naturæ per totam illam habitudinem, adæquatam: hoc enim falsum esse convincitur argumentis positis à numero 13. Insuperque ostenditur, quia actus ille in genere naturæ ut sic, non comprehendit aliquid morale, imo præscindit à morali; ergo non comprehendit habitudinem inadæquatam moralem, nec per illam constituitur.

22. Sed objicit: Illa duplex inadæquata habitudo constituit unum per se cum actu; ergo utraque est differentia essentialis illius. Respondetur, negando consequentiam: nam etiam subsistentia facit unum per se cum substantia, cujus non est essentialis differentia: bonitas etiam essentialis respectu actus reduplicativè proveniens ex circumstantia, unum per se facit cum bonitate, quæ provenit ex objecto, & tamen bonitas ex circumstantia accidentalis est bonitati provenienti ex objecto. Inferes; Ergo illa bonitas moralis, accidens erit respectu actus in esse naturæ. Respondetur, concedo illationem; si enim totus actus accidens est, accidens etiam erit bonitas, quæ in illo reperitur. Inferes; Ergo illa bonitas non erit de essentia actus in individuo. Respondetur, negando antecedens, quia est tantum accidentalis actui secundum speciem, eo quod saltem per intellectum potest manere tota species actus in esse naturæ, sine sui corruptione, si separetur ab eo bonitas moralis; est tamen essentialis actui in individuo, siquidem hic non potest stare sine tali habitudine; & adæquatè etiam constituitur per illam.

SUBSECTIO SECUNDA.

Utrum divisio actus humani in bonum, & malum sit essentialis actui in esse moralis?

23. EST quæstio, utrùm bonitas, & malitia sint essentiales actui, qua moralis est? Respondetur affirmativè. Ita Div. Thom. quæst. 2. de malo articul. 4. ad 6. & 1. 2. quæst. 19. articul. 1. in corpore. Tertio contra gentes cap. 9. 1. p. quæst. 48. articul. 1. ad 2. & in secundo distinct. 40. q. 1. art. 1. in corpore. Sequuntur omnes ejus discipoli, quos referunt, & sequuntur Carmelitan. tract. 11. disputat. 3. dub. 2. §. 9. Herrera disputat. 28. de peccatis quæst. 2. §. *Tertia conclusio.* Salas tract. 7. disputat. 2. sect. 8. numero 76. & sect. 14. numero 131. Soar. Vasques, Granad. Lorca, Becan. Raynaud. & ferme omoes Doctores in superiore sect. citati.

24. Et omissis variis fundamentis, quibus unusquisque juxta propriam sententiam de essentia moralitatis, utitur; eam sic probo: Nibil essentialius est actui in genere moris, quàm ordo, & tendentia ad objectum in eodem genere moris: atqui bonitas & malitia moralis, nihil aliud est qnàm ordo & teodeotia ad objectum in esse moris, ut de bonitate diximus disputat. 3. à numero 97. & de malitia disputatione 4. à numero 95. ergo iste ordo est essentialis actui in genere moris; ergo bonitas & malitia erit differentia essentialis. Probatur bæc consequent. quia ordo actua moralis non est tantum ad objectum morale, ut abstrahit à conformitate, vel difformitate; hic enim est genericus juxta dicta disputat. 4. à numero 9. sed specialis ad objectum conforme, aut difforme: atqui per hunc ordinem specialem contrahitur gradus genericus; ergo iste ordo specialis, erit differentia essentialis contrahens genus morale, distinguensque essentialiter actum moralem malum ab actu bono, & ipsos actus bonos, vel malos inter se.

25. Confirmatur primo, quia licet tales ordines accidentales sint actui specificativè, & in genere naturę, noo possunt tameo noo esse essentiales actui in genere moris, & reduplicative. Patet exemplo parietis albi, albedo enim accidentalis est parieti albo specificativè, essentialis verò eidem parieti reduplicativè, & qua albo. Secundò, quia sicut Petrus albus & Petrus niger non differunt specie secondùm suum esse substantiale & physicum, & differunt secundùm esse accidentale, ita etiam actus in esse naturę, & io esse moris, bonus & malus, non differunt secundùm esse physicum, sed secundùm esse morale, quod accidentale est actui in esse naturæ.

26. Oppositum docuit Valentia 1. 2. disput. 2. qu. 13. pucto 1. §. *quod attinet ad* 3. & punct. 3. Franc. Fœlix tract. de bonitate cap. 1. & probari potest, quia ex opposito sequeretur actum moralem esse bonum per essentiam; hoc autem est falsum, siquidem solus Deus est bonus per essentiam; ergo, &c. Major probatur, quia ille actus est bonus per suam differentiam specificam: atqui nihil magis est essentiale, quam propria differentia; ergo, &c. Respondetur negando majorem, ad probationem negando consequentiam, ut etiam homo dicitor intellectualis per suam differentiam, & tamen non dicitur intellectualis per essentiam, quia hæc loquutio significat, quod res sit talis à se, & non participativè, & quod talis sit, ut ei nulla perfectio addi possit, aut possit ab ea adimi. Videte Carmelitanos citatos num. 15.

27. Sed quæres, utrum hæc resolutio procedat non solum de bonitate & malitia desumpta ex objecto, sed etiam desumpta ex circumstantiis? Respoodet Martinez negativè 1. 2. quæst. 18. art. 5. dub. 1. §. *Conclusio* asserens bonitatem ex objecto esse differentiam essentialem, noo verò bonitatem ex circumstaotiis.

28. Distinguendum tamen est, vel enim sermo est de circumstantiis augentibus, vel minuentibus bonitatem, aut malitiam; aut sermo est de circumstantiis mutantibus speciem actus, sive illi addant novam speciem, sive illi primam speciem tribuant: circumstantiæ igitur augentes, vel minuentes, cum noo sint objecta primaria specificantia actum solum, tribuunt accidentalem bonitatem vel malitiam, etiam in genere moris, ex dictis disputatione 3. à numero 322. ad 334. Circumstantia, quæ tribuit primam speciem, addit bonitatem vel malitiam essentialem in genere moris, ex dictis eadem disput. 3. à num. 377. ad num. 432. circumstantia verò, quæ mutat speciem actum, cum illi adveniat jam in esse morali constituto addit bonitatem & malitiam essentialem respectu actus boni vel mali, quem contrahit: accidentalem autem respectu alterius speciei, quàm jam in eodem acto supponit, ex dictis disp. 3. à numero 408. ad numero 415.

29. Circa uoivocationem & modum; quo actus humanus dividitur tamquam genus in bonum & malum; Videte Carmelitaoos à oumero 12. Est enim quæstio parvi momenti, nec difficultatem habet, propter quam io illa immoremur.

SECUNDA PARS QUÆSTIONIS

De indifferentia actuum humanorum.

30. DUplex est indiffereotia: una secundum speciem, altera in individuo: indiffereutia secundum speciem attenditur præcisè secundùm essentiam, & specificatur ab objecto nudè sumpto, & remotis omnibus circumstantiis, ut actus eleemosynæ, orationis & similes. Indifferentia in individuo, non tantum includit essentialia, sed etiam circumstantias, quæ illum afficiunt; consideratur enim in re & extra suas causas: ac proinde actus iodifferens in specie, est actus consideratus tantùm secundum objectum nudè sumptum: actus verò indifferens in individuo, consideratur secundum omnes circumstantias, quæ illum afficiunt jam constitutum io suo genere, & positum extra causas.

31. Deinde, ut constat ex dictia sectione 1. indifferentia non est aliquod prædicatum commune positivè contractum, sed quædam indeterminatio, quæ datur io actu ad bonitatem vel malitiam, qua caret: atque adeo, est capacitas quædam reperta in actu ad bonitatem, vel malitiam, quarum neutram includit, sed determinari potest ad utramque, cum autem determinari possit quatuor modis: Primo, in genere naturæ: Secundo, in genere morali essentiali: Tertio, in genere morali accidentali per ordinem ad circumstantias: Quarto, in ordine meritorio; eo quod actus in genere naturæ, sit liber, non moralis: actus moralis potest fieri cum his, vel illis circumstaotiis: actus circumstantiooatus non est necessariò

cessatio meritorius, vel demeritorius; inde fit, quod actus in esse naturæ indifferens est ad bonitatem moralem, actus verò moralis ex objecto indifferens est ad bonitatem ex circumstantiis; actus tandem circumstantionatus, indifferens est ad meritum, vel demeritum.

SECTIO TERTIA.

Utrum detur actus ind[illegible] secundum speciem.

32. Est quæstio, utrum dentur actus secundum se, quorum objectum nec sit consonum, nec dissonum rationi, & ex eo ita specificentur ut nec sint determinatè boni, nec determinatè mali? Suppono ut certum, dari actus determinatè bonos, & determinatè malos, verbi gratia Deum colere, proximum diligere, mulierem non tangere; ex suo objecto sunt boni actus: odium Dei, perjurium, mendacium ex proprio objecto absque omni circumstantia mali sunt.

33. In præsenti ergo triplex est sententia: prima affirmat omnes actus esse indifferentes secundum speciem: ita plures ex antiquis, quos tacitè referunt Magister in secundo distinct. 41. Et Div. Thom. ibi & distinct. 40. quæst. 1. articul. 5. & quæst. 2. de malo articul. 4. Secunda sententia negat dari aliquem actum indifferentem, eam tribuunt omnes ferè Thomistæ Scoto. Tertia sententia & communis, docet dari aliquos actus indifferentes secundum speciem: Ita Div. Thom. 1. 2. quæst. 18. articul. 8. ubi Cajetan. Cooradus, Medin. & reliqui Thomistæ, Curiel dubio unico §. *sit prima conclusio.* Araujo numero 49. Martinez dub. 1. §. *Quarta sententia*, Valentia disputat. 2. quæst. 13. puncto 5. Suarez 1. 2. tract. 3. disput. sect. 1. numero 3. Vasquez disput. 52. cap. 2. numero 9. Sayro in clavi tom. 1. lib. 2. cap. 4. numero 9. Conimb. 5. Ethic. quæst. 1. articul. 2. Salas tract. 7. disputat. 4 sect. 1. Granad. controvers. 2. tract. 11. disputat. 1. numero 13. Cornejo tract. 6. disputat. 6. dub. 1. numero 1. Caspensis tom. 1. tract. de bonitate. disputat. 2. sect. 3. numero 65. Ripald. de ente supernaturali disputat. 69. Arriaga t. 2. disput. 21. sect. 3. subsect. 2. numero 14. Carmelitan. tract. 11. disputat. 7. dub. 1. §. primo; & ferè omnes Theologi, & sententiarii ad 2. distinct. 40. & 41. Ut tamen veritatem aperiam in præsenti sequentes statuo conclusiones.

Magister. D. Thom.

D. Thom.

34. Prima. Stando in genere naturæ sine transitu ad genus moris, nullus datur actus indifferens secundum speciem; nullus Authorum quos legerim ita asserit: nam Doctores primæ sententiæ alium sensum satis damnatum proferunt. Probatur tamen, quia in esse naturæ non datur objectum indifferens; ergo nec etiam dabitur actus indifferens, secundum speciem, sive ex objecto: Consequentia colligit, quia ideo Angelicus Doctor 1. 2. quæst. 18. articul. 8. & quæst. 2. de malo articul. 4. & in secundo distinct. 40. quæst. 1. articul. 5. & quodlibeto 9. articul. 5. affirmat dari actum moralem indifferentem, quia datur objectum indifferens: & ideo Subtilis Doctor in secundo distinct. 7. quæst. 1. numero 12. vers. *Qualibet*, quodlib. 18. articul. 1. negat dari actum moralem indifferentem in specie, quia nullum datur objectum indifferens; & ratio clara

D. Thom. Scotus.

est, quia cum ex objecto sumatus indifferentia actus, si non datus objectum indifferens in esse naturæ, nec etiam dabitur actus indifferens ex objecto in esse naturæ: Quod verò ait Div. Thom. 1. 2. quæst. 18. articul. 8. dari objectum, quod ex sua natura nullam dicit relationem ad legem vel rationem, ut fricare barbam, non est contra præsentem consequentiam, quia tale objectum habet determinatam speciem in genere naturæ, illa verò relatio pertinet ad genus moris. D.Thom.

Anteced. verò probatur, quia præcisis regulis rationis quodlibet objectum habet determinatam esse naturæ: si enim sumatur pro transcendentali bonitate, qualibet res bona est: si verò sumatur, ut conveniens, vel disconveniens naturæ, omnis res bona, vel mala est: Et confirmatur, quia objectum voluntatis in esse naturæ, non est à parte rei, sed ut apprehensum per intellectum, & in esse cognito; ergo semper debet proponi sub ratione b[illegible]ni, abstrahendo à bono turpi, vel honesto, quod attendit regula rationis, & genus morale. Probatur consequent. quia voluntas fertur in objectum sub ratione boni saltem apparentis; ergo semper debet proponi sub ratione boni; ergo omnis actus in esse naturæ, vel secundum esse delectabile, vel secundum utile, bonus erit, & nullo modo indifferens, imo si proponeretur ab intellectu voluntati objectum indifferens, à voluntate non amplexaretur: quia non potest potentia transilire limites sui objecti; objectum autem voluntatis est bonum & non indifferens.

35. Sed objicies cum Doctoribus primæ & sextæ sententiæ, 1. ex Concilio Constantiensi, ubi damnantur errores Ioannis Hus, quorum 1[illegible] erat, nullos dari actus indifferentes, ut docent Salas, Araujo, & alii. Respondetur, non fuisse hunc errorem Ioannis Hus, ut benè notavit Cornejo dub. 1. dato tamen, quòd is fuerit error, ideo error fuit, quia absolutè negavit actus indifferentes secundum speciem, affirmans omnes actus talis esse conditionis, ut in nullo genere possent fieri modo boni, & modo mali, sed omnes necessariò futuros esse determinatè bonos, vel determinatè malos, quod nos non asserimus, admittimus enim actus indifferentes secundum speciem in esse naturæ, si tamen fiat transitus ad genus moris, ut videbimus num. 38. Concil. Constant.

36. Secundo arguuns: Ex Scriptura sacra constat dari actus indifferentes secundum speciem saltem, non enim aliter explicari potest locus Matthæi cap. 7. versicul. 1. *Nolite iudicare, ut non iudicemini*, quem locum explicans August. rom. 4. lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 18. asserit dari facta medis, quæ bono, vel malo animo facta, debent esse mala, vel bona: & cum secundum se indifferentia sint apud nos, non esse judicandum de illis; nec alites exponi potest Apostolus ad Romanos 14. versicul. 3. *Qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non judicet.* Ex quo loco Augustin. citatus admittit opera indifferentia, verbi gratia sumptionem ciborum, ibi enim ita habet: *Et eos, qui talia opera vitio vertunt, reprehendi ab Apostolo ad Roman. 14. quia immerito iudicant esse malum, id quod fieri potest boni.* Respondetur illa loca, & similia intelligenda esse de operibus indifferentibus, facto transitu de uno genere ad aliud, non verò stando in eodem ge- Matth c.7. August. Ad Rom. 14. August.

nere naturæ, nam sumptio ciborum, & similia objecta, determinata sunt in genere naturæ, sed quia sunt indifferentia per ordinem ad genus moris per ordinem ad quod possunt fieri benè, vel malè, & cum ut plurimum sic fiant, de illis non est judicandum.

37. Dices: Ex hac solutione sequitur, omnem actum esse indifferentem si fiat transitus, hoc autem est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Sequela probatur, quia omnis actus habet determinatam bonitatem vel malitiam in genere naturæ; ergo non dabitur major ratio de uno, quam de altero. Minor probatur, quia odium Dei numquam potest esse bonum, etiam in genere moris; cultus verò Dei numquam potest esse malus. Respondetur negando sequelam: datur enim in ordine naturæ latum discrimen inter actus, & actus: quidam enim necessariò fundant bonitatem, vel malitiam; quidam non, ut videbimus numero 42. & diximus disp. 3. à num. 46.

38. Secunda conclusio: Si fiat transitus de genere naturæ ad genus moris, dantur plures actus indifferentes secundum speciem, qui nec sunt boni, nec mali moraliter. Probatur evidenter argumentis factis à numero 35. ad numerum 37. Et amplius ostenditur argumento Div. Thom. loco citato 1. 2. Actus in genere naturæ potest habere tale objectum, quod nec præceptum, nec prohibitum sit; nec conforme, aut difforme divinis attributis; ergo erit indifferens ad genus moris, tale enim objectum per ordinem ad illud genus, est indifferens, capax bonitatis, & malitiæ moralis: ut enim potest præcipi, ita & prohiberi. Antecedens patet, quia ingredi alicujus Religiosi cellam, ambulare in claostro, ire in agrum, levare lignum, & similia opera ex suo genere nulli legi subjiciuntur; nullam dissonantiam, vel consonantiam habent cum recta ratione, vel cum natura rationali; ergo indifferentia sunt per ordinem ad genus moris. Eodemque modo in genere morali dantur actus indifferentes, non quidem stando in eodem genere, siquidem objectum morale determinatum est, conveniens scilicet vel disconveniens, sed facto transitu ad genus accidentale circumstantiatum secundùm quas benè, vel malè fieri possunt.

39. Objicies primo, cum Doctoribus relatis pro secunda sententia numero 33. Malum, & bonum opponuntur privativè, sed inter privationem & ejus formam, nullum datur medium; ergo nec etiam dabitur actus indifferens ex objecto. Respondetur primo, negando majorem, sive loquamur de bonitate, & malitia objectiva, sive de formali: nam malitia objectiva positiva est, ex supra dictis diputatione 4. à numero 11. & malitia formalis etiam positiva est, ex dictis disputatione 4. à numero 95. oppositio autem inter duas formas positivas contraria est, non privativa: & in moralibus datur medium inter duo contraria, ut prodigalitas inter avaritiam, & liberalitatem: imò etiam in rebus physicis inter duo contraria datur medium, ut inter frigus & calorem, frigidum calidum. Respondetur secundo, negando minorem, cum Petro à S. Ioseph. in sua Idea Theologiæ moralis lib. 2. de peccatis, resolutione quint. nam inter formam & privationem mediat negatio formæ non debitæ, sed juxta hanc opinionem afferentem malitiam formalem esse quid privativum adeantur pro solutione Authores illius sententiæ.

40. Dices: veritas, & falsitas opponuntur contrariè, & tamen inter illas non datur medium, cum non sit possibilis propositio, quæ non sit vera, vel falsa; ergo similiter nec inter duos actus morales contrarios dabitur medium. Respondetur negando majorem, quia verum & falsum opponuntur contradictoriè, falsitas enim datur in ea propositione, quæ non est conformis rationi: at verò ut actus malus sit, non sufficit quòd non sit conformis rationi, sed requiritur, quod sit positivè difformis rationi, & ita optimè respondet Div. Thom. quæst. 1. de ma- D.Thom.
lo articul. 1. ad 7. & quæst. 2. articul. 5. *ad tertium.*

41. Secundo: Vel iste actus habet bonum finem, vel non; Si primum, est bonus; si secundus, malus est; ergo. Respondetur, illum actum habere in suo proprio genere finem, non verò in alio, ad quod fit transitus; omnis enim actus habet in suo genere finem, vel bonum, vel malum, at cum in illo genere non sit determinatus ad bonum, vel malum alterius generis, Inde est, quod manet indifferens pro alio genere, in quo suum finem habebit. Exemplum sit deambulatio, quæ ex se finem habet in genere naturæ; at quia nec prohibita, nec præcepta est, manet indifferens in ordine morali: cum possit vel prohiberi, vel præcipi: cum fuerit præcepta, vel prohibita jam manet in ordine morali determinare bona vel mala, quoad bonitatem ex objecto, indifferens tamen per ordinem ad genus accidentale, cum per ordinem ad circumstantias fieri possit benè vel malè. Unde non admitto solutionem Authorum tertiæ sententiæ relatæ numero 33. admittentium finem indifferentem, nisi pro fine indifferente intelligant finem in suo genere proprio determinatum & pro altero indifferentem: & ratio est clara, quia finis determinat voluntatem in intentione; ergo non potest esse indifferens, quia non potest determinare voluntatem, quæ est indifferens, nec voluntas movetur à fine indifferente.

42. Tertia conclusio: Non omnes actus sunt indifferentes ex objecto, & secundum speciem tam in genere naturæ, quàm moris, etiamsi fiat transitus de uno genere ad aliud. Probatur primo, quia plura sunt objecta bona ex sua natura, ita enim habetur Tobiæ cap. 12. versicul. Tobias
8. *Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna.* Mul- cap. 12.
ta etiam sunt ex se mala, ut blasphemia, idololatria, & odium Dei. Secundo, quia jam leges, naturalis & æterna, simulque consilia evangelica perirent, leges enim illæ sunt de objectis, & actibus de se bonis vel malis: consilia sunt de actibus bonis secundom se, & qui magis conducunt ad vitam æternam.

43. Objicies: Quod est per se bonum non potest fieri malum: atqui nullus datur actus bonus, qui vitiari non possit; ergo nullus ex suo objecto est bonus. Maj. patet, quia *quod per se alicui inest, ex necessitate inest.* Respondetur, distinguo major. non potest fieri malum per se, & ratione sui, concedo: ratione alicujus extrinseci, vel alicujus conditionis advenientis, nego: omnis enim actus bonus ex objecto vitiari potest ex circumstantia, tamquam ex conditione extrinseca superveniente: simpliciter tamen actus est malus, *quia bonum ex integra causa, malum ex quocumque*

defectu: ut homo absolutè dicitur difformis, si habeat oculos difformes, etiamsi habeat ex aliis partibus pulchritudinem; præcipuè, quia etiam in eo casu, actus non est ex objecto honestus, siquidem totum objectum viriatur ex circumstantia mala. Omnis autem actus bonus, facto transitu ad genus circumstantiatum, est indifferens, nullus tamen actus intrinsecè malus indifferens est. Utraque pars defenditur à Magistro in distinct. 40. ubi Div. Thom. quæst. unica articul. 1. & quæst. 2. de malo articul. 1. ad 10. art. 4. ad 2. & Bonavent. in 2. dist. 40. art. 1. q. 1. Prima pars patet, siquidem omnis actus bonus vitiari potest ex fine, ut constat ex dictis disputatione 3. numero 553. & numer. 1019. solum de uno est dubium, nimirum de actu charitatis, de quo citato loco, numero 1012. Cum igitur omnis actus bonus ex objecto possit benè, vel malè fieri ex circumstantiis, ex objecto indifferens erit ad bonitatem, & malitiam accidentalem. Secunda pars ostenditur, quia actus ex objecto malus nullo modo fieri potest bonus; ergo non est indifferens ad bonitatem & malitiam ex circumstantiis: Anteced. constat ex dictis disputatione 3. à numero 613.

Magister. D. Thom. Bonavent.

44. Objicies primo: Potentius est bonum respectu boni, quàm malum respectu mali: atqui quodlibet bonum intrinsecè, vitiari potest per ordinem ad circumstantiam; ergo etiam quodlibet malum intrinsecè, rectificari poterit ex circumstantiis. Et confirmatur, quia si *oppositum est causa oppositi, etiam propositum est causa propositi*; ergo si mala intentio bonum reddit malum, etiam bona reddet malum, bonum. Respondetur negando majorem, comparato bono cum malo: nam circumstantia bona, non potest facere actum ex objecto malum, bonum; & circumstantia mala, potest facere malum, actum ex objecto bonum; quia plus ad bonum, quam ad malum requiritur. Ad confirmationem, nego consequentiam, quia intentio illa ex objecto bona, erga medium malum, est mala ex dictis disp. 3. à n. 634.

45. Secundo, quia malum tale dicitur, quia caret bono, sed omne bonum privatum, recompensari potest per bonum majus adveniens; ergo actus ex objecto malus poterit fieri bonus ex circumstantia. Respondetur ex Div. Thom. in 2. distinct. 41. quæst. unica articul. 2. ad 2. distinguo minorem, sed omne bonum privatum recompensari potest per majus bonum, si per illud consequatur summum bonum, concedo; si non consequatur, nego: cum ergo per bonum, quo caret actus, possit consequi summum bonum, & non per bonum superadditum malo, inde est, quod bonum reddi possit malum per malum: & non malum bonum per bonum: sed quia instari potest, esse petitionem principii: nam per illud bonum, quod superadderetur malo, posset consequi summum bonum, si enim hoc bonum non superadderetur malo, per illud consequeretur summum bonum; ergo etiam si superaddatur malo. Ideo respondeo primo, malum non esse carentiam boni, sed positivam deformitatem. Deinde illud malum non est bonum privatum, sed est malum carens bono.

D. Thom.

SECTIO QUARTA.

Utrum detur actus indifferens in individuo?

46. **E**Si quæstio, utrum possit fieri, & de facto fiat actus, qui nec sit bonus nec malus? Negat Angelicus Doctor in primo distinct. 41. quæst. 3. ad 5. in secundo distinct. 40. quæst. 1. in quarto distinct. 26. quæst. 1. articul. 4. quæst. 2. de malo articul. 5. 1. 2. quæst. 18. articul. 9. ubi communiter discipuli, Cajetan. Medin. Conrad. Martinez, Curiel, dub. 1. §. 2. Suarez supra sect. 3. numero 3. Valentia punct. 6. Granad. sect. 1. numero 3. Montesin. disputat. 25. quæst. 2. §. 3. Cornejo dubio ultimo, Salas sect. 3. numero 12. Azot prim. part. lib. 2. cap. 4. quæst. 3. Lorca disputat. 59. de actibus, Sayro cap. 4. numero 10. Conimb. citati. Becan. tom. 2. tract. 1. cap. 1. qu. 6. Tannerus t. 2. quæstio. 18. articul. 4. Aluarez disputat. 71. Carmelitani disputat. 7. dub. 2. §. 1. Petrus à S. Ioseph. citatus resolutione 6. Raynaudus distinct. 4. quæst. 1. articul. 2. numero 31. Bellarmin. 4. de natura & gratia cap. 1. Albertin. principio 1. philosophico corollar. 18. §. *Respondetur*, numero 51. Viguerius in Institut. cap. 1. §. 7. Tataretus in quodlib. 18. Scoti §. *Nihil aliud*: ex Sententiariis plures in secundo distinct. 40. & 41. ibi Albertus Magnus, Ægid. Rom. Richardus, Durandus, Capreolus, Major, Gregor. Argentinas.

47. Affirmat Scotus infra citandus, sequuntur discipuli in secundo distinct. 40. ubi Bassol. & distinct. 41. ubi Vuorillon, Rubion, Mayrom, Aquilanus Leuchet, Cavell. Gratian. Brixiensis, Mauritius de Portu, Angles, Faventin. in 4. disputat. 42. cap. 2. Herrera disputat. 28. de peccatis quæst. 15. Soffa tom. 1. difficultat. 21. §. 30. Samano in directorio verbo *actus*. dub. 1. ex aliis eamdem sententiam, ante docuerunt Alensis 3. part. quæst. 35. memb. 3. Bonavent. in secundo distinct. 41. articul. 1. quæst. 3. ubi ejus expositor, Burlifer, Ocham. in primo quæst. 1. distinct. 2. & quodlib. 3. quæst. 13. & 15. Gabriel in secundo distinct. 41. quæst. 1. articul. 2. conclus. prima. Almain. tract. 1. moralium cap. 14. dub. 2. Angest. cap. 8. moralium. Michaël de Palat. in secundo distinct. 40. distinct. unica Carthusian. citatus à Raynaudo, tenaciter. Vasq. disput. 52. cap. 2. disput. 59. cap. 2. numero 9. Diestensis 1. 2. quæst. 18. articul. 9. conclus. 3. ubi Ioann. Vuigers. Arriaga t. 2. disput. 21. sect. 4. subsect. 1. à num. 42. Ægid. de Coninch. disputat. 1. de actibus dub. 2. numero 21. disputat. 3. dub. 4. numero 56. Ripald. citatus disputat. 69. num. 16. Caspensis tom. 1. disput. 1. sect. 8. num. 79. tract. de bonitate & malitia, & pro ea citat. Hurtado. Hanc sententiam probabilem dicunt Ægid. in 2. distinct. 41. quæst. 2. art. 4. Richard. ibi art. 2. quæst. 3. Granad. cit. sect. 2. Raynaud. num. 30. & Doctores qui affirmant posse quempiam rectè operari juxta hanc opinionem. Hi sunt Doctores utriusque sententiæ, quos videre potui, & ut veritas aperiatur, distinguenda sunt genera, in quibus potest dari ista indifferentia.

SUBSECTIO PRIMA.

Utrum in genere naturæ detur actus indifferens in individuo?

48. **N**On procedit quæstio de actibus indeliberatis, qui sine advertentia fiunt,

de his enim nihil interest, cum non pertineant ad bonitatem & malitiam: nec etiam de actibus per accidens indifferentibus, ratione ignorantiæ invincibilis; ratione cujus ignoretur, an teneatur referre actum humanum in finem honestum: tunc enim per accidens manet actus indifferens, ratione ignorantiæ; sed procedit quæstio, de actibus deliberatis factis cum pleno dominio voluntatis; & quæritur, utrum possit in genere naturæ dari actus liber perfectissimè, qui nec sit bonus, nec malus, sed indifferens.

49. Dico primo, stando in genere naturæ, nullo facto transitu ad aliud genus, nullus datur actus indifferens in individuo. Ita docere debent Doctores relati numero 646. quamquam ex alio fundamento. Ego sic probo, Ille actus in genere naturæ est individuus & fit à voluntate; ergo in illo genere est determinatus & bonus, si convenit naturæ; malus autem, si disconvenit: non enim apparet unde illi adveniat indifferentia: præcipuè, quia à voluntate non elicitur actus in genere naturæ, nisi sub aliqua ratione boni; ergo si ille actus elicitus est à voluntate, erit bonus.

50. Dico secundo, si fiat transitus de genere naturæ ad genus moris, non omnis actus in genere naturæ, est indifferens ad genus morale ex objecto, sive essentiale. Patet, quia in genere morali dantur actus, & objecta ex suo genere intrinsecè bona, vel mala, ut vidimus supra numero 42. atqui actus in genere naturæ, non est indifferens; ergo si fiat transitus ad genus morale circa actus ex objecto bonos & malos, non erit indifferens; cum enim ex suo genere non habeant indifferentiam, & ex illo genere, ad quod fit transitus, non accipiat aliquam indifferentiam, non est unde dicatur indifferens.

51. Dico ultimo, multi dantur actus in genere naturæ determinati, qui facto transitu ad genus morale, etiam ex objecto, sunt indifferentes; id est, datur actus aliquis liber, & bonus, in genere naturæ, qui nec est bonus, nec malus moraliter, per quem homo non fit bonus, vel malus moraliter; ac proinde simpliciter datur actus indifferens, qui nec est bonus, nec malus moraliter: ita tenere debent Doctores secundæ sententiæ relati numero 47. quamvis perperam talem actum appellent moralem: & cum hoc sit præcipuum litigium, utrum dari possint aliqui actus indifferentes in individuo, qui nec boni, nec mali sint moraliter: Ego sentio dari tales actus.

52. Et probatur primo, ex Hieronymo, & Augustino. Pro quo suppono acriter inter utrumque sanctum Doctorem pugnatum fuisse circa reprehensionem Pauli, qua arguit Petrum, eo quòd permitteret gentes circumcidi, ad Galatas cap. 2. Dicebat Hieronymus Petrum à Paulo dispensatoriè fuisse reprehensum. Augustin. verò dicebat veram fuisse reprehensionem: ex quo inter hos sanctos PP. excitata est quæstio, an observatio Cæremoniarum legalium pro illo tempore esset bona vel mala: malam esse dicebat Hieronymus, bonam, vel indifferentem esse dicebat Augustinus: actum indifferentem non negabat Hieronymus: sed talem non fuisse observationem Cæremoniarum pro illo tempore affirmabat, ita habetur tom. 2. in operibus Hieronymi. Epistola Hieronymi ad Augustinum 89. & epistola Augustini ad Hieronymum 19.

Hieron. Augustin.

53. Et quia Augustinus dicebat illam observationem esse indifferentem, id est, nec sacrilegam, nec bonam: arguit Hieronymus Augustinum, dicens: illum cum Philosophis admittentibus opera indifferentia convenire: Augustinus proponit objectionem hanc Hieronymi, ita: *Cavendum in hac disputatione, ne sicut Philosophi quadam facta media dicamus inter rectè factum, & peccatum: & urgeamur, eo quod observare legis Cæremonias, nec potest esse indifferens, sed aut bonum, aut malum.* Cui respondet, non sibi timendum esse se in hac parte convenire cum Philosophis, dicens: *Cur autem non dicam præcepta illa veterum sacramentorum, nec bona esse, quia non eis homines justificantur: nec tamen mala, quia divinitus præcepta sunt, temporibus, personisque congruentia: cum me adjuvet etiam prophetica sententia, qua dicit Deus, se illi populo dedisse præcepta non bona, fortè enim propterea non dixit mala, sed tantum non bona, id est non talia, ut illis homines boni fiant, aut sine illis boni non fiant.* Affertque exemplum ex illo qui ex orientali Ecclesia veniens, in qua Sabbato non jejunatur, & Romæ jejunet eo die: Hic homo non committit peccatum jejunans, aliter Ecclesia Romana malum faceret: & si non jejunaret, etiam non peccaret, ne criminetur Orientalia Ecclesia, & major pars orbis: ex quibus clare constat Augustinum judicasse actus illos circa observationem cæremoniarum pro illo tempore esse indifferentes: intelligo actus in genere naturæ, & non morales.

54. Hieronymus etiam idem fatetur, referens enim sententiam Philosophorum, affirmat rem esse de illis actibus, non tamen ita judicandum esse de legis cæremoniis, ita enim habet, *Non enim observarentur, nisi afferrent salutem, neque enim indifferentia sunt inter bonum, & malum: sicut Philosophi dixerunt, bonum est continentia, malum luxuria, inter utrumque indifferens ambulare hoc nec bonum est, nec malum, sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam: observare autem legis cæremonias non potest esse indifferens, sed aut bonum, aut malum.* Ecce apertè Hieronymus fatetur actus individuos.

55. Respondent Thomistæ communiter, & ex illis Araujo num. 23. sanctum Hieronymum loqui de actu indifferente ex objecto, sive secundùm speciem: sed contra, quia ut bene notavit Vasques disputat. 52. cap. 8. illa verba, *sive enim feceris, sive non*, exprimunt actus exercitium, & in individuo. Respondet secundò Curiel dub. 1. §. 3. ad. 3. Hieronymum loqui de operibus exiguæ bonitatis, quæ tam exigua est, ut non appareat. Sed contra, quia loquitur de actu bono, & malo, & inter utrumque actum admittit medium: atqui medium inter bonum, & malum, non est bonum, etiam exiguum, nam exiguum bonum, bonum est absolute, & non medium inter bonum & malum.

56. Respondet tertio, Raynaud. num. 34. sanct. Hieronymum retulisse, & non probasse verba Philosophorum, non aliter, quam Evangelistæ referunt, & non approbant Pharisæorum blasphemias: sed contra, quia cum August. admisisset illa opera indifferentia, Hieronymus ait, cæremonias non esse opera indifferentia; sicut Philosophi dixerunt; fatetur enim, dari talia opera, sed observationem cæremoniarum non esse de eorum numero, *observare autem cæremonias non potest esse indifferens.* Respondent quarto Carmelitani §. 5. num. 31. S. Hieronymum loquutum fuisse de

actu indifferente in individuo, non quidem secundùm omnia, quæ à parte rei habet, sed præcisè, & tantùm secundùm id individuale, quod habet ex objecto; ob hoc tamen non negare, quod ex aliis circunstantiis, supposito quod fiant, esse determinate bonos, vel malos. Sed contra, quia hæc expositio est contra S. Hieronymum expresse, ait enim quod sive fiant, sive non fiant illi actus, per eos, nec justitiam, nec injustitiam habituros esse homines. Demus, quod fiant, non possunt fieri tantum secundum esse individuale essentiale, necessario enim requirit, quod habeat aliquas circunstantias, cum quibus si fiant, indifferentes erunt, & non pertinebunt ad justitiam, & injustitiam, præsertim quia actus in individuo, non est actus secundum illud esse tantum, quod ex sua specie habet; cum sit individuum, plus debet habere, quàm species, ac proinde hæc solutio confundit actus indifferentes secundum speciem, & in individuo. Quare melius cum Richardo, & aliis admittendum est actus indifferentes in individuo, admissos fuisse à Hieronymo

57. Secundo, argumentor ratione Scoti: non datur præceptum referendi omnes actus in finem honestum; ergo poterit dari actus indifferens in individuo: determinatur, quidem, in genere naturæ, & indifferens per ordinem ad genus moris, qui hominem non reddat bonum, nec malum moraliter. Consequentia colligit, tum, quia fundamentum contrariorum totum est ex illo præcepto apponendi finem bonum in omnibus actibus; tum, quia si non datur præceptum prohibens elici talem actum sine fine honesto, non potest actus esse malus, siquidem malitia actus, quæ non provenit ex objecto, provenire debet ex præcepto: deinde cum non habeat unde accipiat bonitatem, actus erit indifferens.

58. Antecedens vero probatur, quia hoc præceptum vel esset naturale, vel positivum: non naturale, quia lex naturalis, non potest obligare apponere in omnibus actibus circunstantias honestas: durum enim, & insupportabile ex illa lege redderetur suavissimum jugum Christi: simolque seumata projicere, barbam fricare, ant essent opera bona, aut mala: si bona, jam forent materia juramenti, & voti, laude digna, & æternæ vitæ meritoria; quod tamen nullus asserit: si mala, jam forent materia confessionis, cum non sit materia dubia, nec probabilis, quod tamen catholicis non est in usu, qui de his, & similibus actibus non confitentur.

58. Non est etiam præceptum positivum: si enim aliquod daretur, foret illud Pauli 1. ad Corinth. cap. 10. num. 31. *Sive ergo manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*; Et ad Colossens. cap. 3. vers. 17. *Quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu-Christi.* Atqui in his locis, non continetur præceptum, sed consilium si accipiatur affirmativè, non enim est aliquod opus deliberatum ex objecto indifferens, quod in gloriam Dei referri non possit: quod si accipiatur negativè, tum illa loca continent præceptum, idest, nihil faciatis contra gloriam Dei, explicat S. Bonavent. citatus.

1. ad Corinth. 10. ad Colossens. 30.

60. Confirmatur, quis dubium est, an detur talis lex; ergo probabilius est, non dari talem legem. Consequentia probatur, quia quando probabiliter dubitatur an lex lata fuerit: præsumendum quod lata non sit, & standum pro libertate: nam in dubio melior est conditio possidentis, libertas autem possidet, ne sit malum elicere actus illos; non enim homines confitentur de illis actibus, intelligentes per illos nullum frangi præceptum. Insuper que, in dubiis pars favorabilior est eligenda: & præceptum istud non favet, imo opprimit maximè naturam humanam.

61. Tertio argumentor pro hac sententia, si quis ambulet, comedat carnes, & similia operetur, tantùm propter delectationem, aut utilitatem naturæ, nec bene, nec male operabitur moraliter, & tamen illi actus erunt determinati in genere naturæ; ergo dari possunt actus determinati in genere naturæ, indifferentes negativè in genere moris. Major. probatur, quia objecta illorum actuum non sunt moraliter bona, nec mala, sed tantum sunt bona, aut mala in genere naturæ cum indifferentia ad hoc ut sint moraliter bona, vel mala; ergo, &c. Antecedens probatur primo, quia suppono nullum ex illis objectis esse prohibitum. Secundo quia suppono, quodlibet objectum illorum posse prohiberi, vel præcipi; ergo illa objecta ut sic in genere naturæ, non habent bonitatem, vel malitiam moralem, nec conformia, aut difformia sunt rationi; sed tantùm habent indifferentiam, & capacitatem ad bonitatem vel malitiam moralem. Tertio quia objectum morale constituitur per subjectionem ad rectam rationem, vel legem: atqui prædicta objecta non sunt subjecta legi, aut rationi, imò sunt præter illam, & carentiam illius habent, vel potius præscindunt ab illa subjectione; ergo non sunt moralia, & cum non sint in genere moris bona, vel mala, erunt indifferentia.

62. Dices, saltem in actu 1. sunt illa objecta moralia, eo quod in actu primo regulabilia sint per rationem, vel legem; cum capacia sint, ut prohibeantur, vel præcipiantur. Sed contra, quia licet actus possit esse moralis in actu primo, quia potentia est in actu primo moralis, subjecta, nimirum regulæ: & cum non sit subjecta in actu primo, nisi quando objectum est actu subjectum legi, nimirum actualiter præceptum, vel prohibitum, ideo nunquam potest dari objectum morale in actu primo, nisi tantum negative ex capacitate, quam habet, ut prohibeatur vel præcipiatur.

Solvuntur argumenta contraria.

63. Authores primæ sententiæ tenaciter docent non posse dari actum deliberatum, & liberum, etiam facto transitu ad genus moris, qui sit indifferens, sed omnem actum esse bonum, vel malum moralem in individuo.

Arguunt primo ex Scriptura sacra: Omne verbum, quod caret fine honesto, malum est; ergo etiam omnis actus, qui sine honesto caret, malus erit. Antecedens probant ex Matth. cap. 12. vers. 36. *Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicii.* Ex quo loco sic arguunt, de omni verbo otioso reddenda est ratio in die judicii; ergo omne verbum otiosum malum est, sed per verba otiosa intelliguntur illa, quæ carent fine honesto; ergo omne verbum, sive opus carens fine honesto, non est indifferens sed malum. Primam consequentiam probant Hieronymus, Hilar. Chrysost. Euthim. Theophilact Iansen. Nazianzenus, Elias Cretensis, Ambros. Isidorus, Tertul. Cæsarius, Greg. Magnus, & sanctus Bernard. apud Suar. sect. 3. num. 4. Min. probat

Matth. 12.

Greg Mag.

Greg. in catena aurea, ubi ita, *Otiosum verbum est, quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis caret, quod scilicet, sine utilitate, & loquentis dicitur, & audientis; si omissis seriis, de rebus frivolis loquamur, & fabulas narremus antiquas.* Eodem modo explicant Hieronym. Basilius, & Bernard. apud Suar. n. 5.

64. De hoc argumento late agunt, Vasq. & Arriaga citati: est enim unum ex præcipuis contrariorum, & respondeo negando antecedens; si intelligatur de verbo, quod caret fine honesto intollerabile quidem foret, quod si homo proferret aliquod verbum indifferens ex objecto, quin illud referret in finem honestum, peccaret, quamquam illud proferret in propriam, vel alterius utilitatem, aut delectationem naturalem: non enim credibile est, quod siquis dicat servo suo, emunda vestem, vel quid simile, non apposito fine honesto, quod peccatum aliquod committat: in praxi saltem hæc verba sic prolata, non reputantur peccata, fere enim nullus catholicus, etiam timoratus, de illis scrupulum facit: & puto quod nec ipsi contrarii, adeo aliorum censores, hac sua opinione utantur.

65. Ad probationem ex Matth. concedo majorem, & primam consequentiam, non enim per verbum otiosum intelligitur illud, quod non refertur in Deum, aut quod caret fine honesto, sed intelligitur verbum, quod nullam affert commoditatem, nec in naturæ necessitatem tendit; nam otiosum verbum solum intelligitur verbum superfluum, quod propter solam loquendi, libidinem profertur: & ita vocatur à Beda *loquutio superflua*, (Bed.) quæ caret omni utilitate: non enim dicitur homo otiosus qui non laborat, aliter prohibitum foret somnum capere, sed qui non laborat, cum tenetur laborare: quam doctrinam tradit Bonavent. n. 27. ex quo sequitur, non omne verbum otiosum dici, quia caret fine honesto; nam mala verba ordinantur ad recreationem spiritus, ad exclusionem accediæ, ad dolorem capitis tullendum, ad utilitatem audientis, ut siquis alicui dicat, sume pallium, deambula propter frigus, & non sunt verba otiosa, nec peccata, cum naturæ utilitatem, & delectationem afferant.

66. Nec SS. PP. pro minori citati aliquid contra nostram faciunt conclusionem, imo ex ipsorum dictis, aliquid pro illa inferri potest: (Chrysost.) nam Chrysostom. homil. 43. ait. *Verbum otiosum, quod rei propositæ non convenit, nihilque confert utilitatis.* Verba autem de quibus loquimur, & rei (Greg. Mag.) conferunt, & utilitatem afferunt: Greg. Magn. tom. 3. homilia 6. in Evangelia, ita habet, *verbum otiosum est, quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione justæ utilitatis caret.* Et 3. p. pastorali admonit. 15. *verbum otiosum est, quod aut ratione necessitatis, aut intentione propriæ utilitatis caret.* In primo loco, non ait, necessariom esse finem honestum, sed requiri justam utilitatem, ne verbum otiosum sit; justa autem utilitas pertinet etiam ad necessitatem naturæ, & cum non explicet, quænam sit ista justa utilitas, absque dubio comprehendit etiam otilitatem naturæ: in secundo autem loco approbat nostram resolutionem, siquidem actus de quibus loquimur, non carent propria utilitate naturæ. (Hilarius.) Hilar. canone 12. in Matth. appellat verbum otiosum, *ineptum, & inutile verbum.*

67. Ita explicandi sunt etiam Origenes homil. (Origenes.) 3. in Psalm. 31. quando, ait, verbum otiosum, nec mali, nec boni aliquid habere; nam bonum, utile est naturæ. (Theophil.) Theophilact. ad locum Matthæi dicens verbum otiosum esse *inordinatum*, verba autem de quibus est sermo ordinata sunt ad necessitatem naturæ. (Abulensis.) Abulens. similiter ad locum Matthæi appellans verbum otiosum, *quod nulli proficit, licet nulli noceat.* Verba indifferentia, & audienti, (Ambrosius.) & dicenti proficere possunt. Ambros. in Psalm. 38. vocans verbum otiosum *non fructuosum*, idest saltem necessitate naturæ: quare verba otiosa, de quibus PP. intelligendi sunt, sunt quæ non fiunt propter aliquam naturæ utilitatem, vel delectationem; & hæc peccata sunt, de quibus in die judicii reddenda est ratio, non vero sunt verba, quæ licet proferantur sine fine honesto proferuntur tamen propter naturæ utilitatem, in quo cum Vasq. cap. 6. n. 29. sentio.

68. Dices, In his verbis, finis est utilis, aut delectabilis, neutrum potest dici cohærenter; ergo, &c. Minor probatur, quia, si est utilis, aut actus in illo fine sistit, aut non: si primum, malus est, cum actus terminatus ad lucrum tantum temporale, malus sit, ex doctrina Augustini lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 20. 25. & 35. (August.) Si secundum, vel ordinatur ad finem honestum, vel ad finem delectabilem tantum; si ad finem honestum, actus erit bonus; si ad finem delectabilem actus erit malus. Primo quia ita videtur sentire Augustinus (Aug.) lib. de bono conjugali cap. 10. & 16. docens conjugium factum ob solam delectationem turpe esse, estque doctrina communis Doctorum apud Sanches lib. 9. de Matr. disp. 10. Secundo quia ita etiam videtur sentire Augustin. lib. de vera Religione cap. 29. & Bernard. sermone 38. in cantica, (August. Bernard.) & cum illis D. Thom. 2. 2. quæst. 167. art. 1. qui (D. Thom.) omnes docent, cognitionem creaturarum esse peccatum, si non cognoscantur creaturæ propter aliquem finem bonum, cum tamen cognitio creaturarum delectabilitas sit quædam, & utilitas naturæ. Tertio quia Ludi ob delectationem tantum facti, peccata sunt ex D. Thoma. 2. 2. quæstion. (D. Thom.) 168. articul. 1. Quarto quia jam liceret loqui, & cogitare turpia ob solam naturæ delectationem.

69. Respondetur, concedo majorem, nego minorem, nam utile, & delectabile bona sunt juxta communem divisionem boni: imo utile etiam amari potest ob intrinsecam perfectionem, juxta dicta disputat. 3. à num. 479. neque utile, quia utile, neque delectabile, quia delectabile, mala sunt, nisi turpi admisceantur, ut nec bona moralia sunt, nisi honesto conjungantur: ut bene docet D. Thom. 1. part. quæst. 5. articul. 6. ubi (D. Thom.) *Dicuntur illa propriè delectabilia, quæ nullam aliam habent rationem appetibilitatis, nisi delectationem, cum aliquando sint, & noxia, & inhonesta.* Ex quibus non solùm constat delectationem apperi posse propter se, sed etiam appeti honestè, cum ejus appetitio aliquando tantum sit malum: Eademque habet 21. quæst. 168. art. 2. in corpore.

70. Ideo ad primam probationem respondeo, ideo conjugium factum ob solam delectationem esse malum, quia est perversum, pervertit enim ordinem naturæ, cum actus suapte natura tendens ad prolem, tantummodo referatur in delectationem: quare actus conjugii, non est malus, quia fit ob delectationem, sed quia cum suapte natura ordinetur ad prolem, refertur ad delectationem. Ad secundam de cognitione creaturarum, respondetur non esse cognitionem malam ex se, sed si sit nimia, & non moderetur per virtutem, nimietas enim vitium est; actus autem indifferentes ni-

mii non sunt, quod si tales sint, nec à virtute moderentur, mali erunt. Ad tertiam respondetur ludos licite fieri posse, ut tollatur acidia, vel etiamsi fiant propter recreationem spiritus, quæ doctrina est D. Thom. toto illo art. 1. & expressius *ad* 3. ubi ita, *Ad tertium dicendum sit, quod ipsæ operationes ludi secundum suam speciem non ordinantur ad aliquem finem; & delectatio, quæ in talibus actibus habetur, ordinatur ad aliquam animæ recreationem, & quietem, & secundum hoc, si fiat moderate, licet uti ludo. Unde Tullius dicit in primo de offic. ludo, & joco uti quidem licet, sed sicut somno, & quietibus cæteris, tunc cum gravibus, seriisque rebus satisfecerimus.* Ad quartam, negandum est antecedens quia tunç delectatio adjungitur turpi, redditurque turpis, sicut si adjungeretur honesto, honesta foret.

D. Thom. — Cicer.

71. Arguunt secundo ex Augustino tom. 7. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. ante medium. ubi sic. *Quamquam voluntas, mirum sit, si possit, in medio quodam consistere, ut nec bona, nec mala sit.* Et tom. 6. lib. de utilitate credendi cap. 12. *Omne factum non est peccatum nec recte factum ullum esse potest, quod non à recta ratione proficiscitur.* Idem docuit Hieronymus dialogo 1. contra Pelagium circa initium, ubi: *Omne, quod dicitur, aut est, aut non est, & aut inter bona, aut inter mala debet numerari.* Respondetur ad primum locum Augustini, vel loqui de conditione voluntatis in hoc statu naturæ, in quo homo aut in gratia, aut peccato esse debet; si in gratia, voluntas est bona; si in peccato, mala; & cum voluntas pro statu præsenti non possit se eximere ab uno, vel altero statu, mirum foret, in medio consistere: & ita explicat Granad. oppositæ sententiæ assertor supra citatus disp. 2. sect. 5. num. 11. Vel dicendum sanctum Augustinum intelligendum esse de voluntate comparata ad actum, ad quem tenetur: ita explicat Faventin. cap. 3. num. 4. ad 2. Unde nescio quo jure P. Vasquez cap. 1. num. 6. §. *his*, & cap. 6. §. *reliquum* asseruit hoc dictum Augustini esse expressum pro contraria sententia. Ad secundum locum Augustini respondeo loqui de actu morali, omnis enim actus, aut est bonus, aut malus: nullum admitto actum moralem, qui bonus, vel malus non sit (eodem modo explicandus est Hieronym.) & ideo Augustin. profert exemplum de actu, qui proficiscitur à recta ratione, recta autem ratio est regula moralitatis.

August. — Hieronym.

72. Objiciunt tertio, estque argumentum, quo ut irrefragabili utuntur Thomistæ, præcipuè Curiel §. 2. in eoque nimis spatiantur Carmelitani §. 1. Homines tenentur ex præcepto, finem honestum apponere suis actionibus; ergo actiones, quæ illo carent, malæ erunt. Antecedens probatur primo quia sicut agentia naturalia suis inclinationibus determinantur ad proprios actus, ita etiam agentia libera determinantur ad proprios actus liberos ex obligatione præcepti: sed agentia naturalia acceperunt à Deo inclinationem tendendi in finem convenientem suis naturis; ergo etiam agentia libera habent præceptum, ut tendant in finem sibi convenientem; ergo in finem rationi consentaneum, qui est illius proprius. Major. probatur, quia non minus convenit Authori naturæ dare determinationem naturalem agenti naturali, quam dare determinationem moralem agenti libero; ergo sicut impressit agentibus naturalibus inclinationes in omnes actus suos ad finem proprium, ita etiam impressit hanc obligationem agenti libero. Secundo quia artifex, qua artifex est, non potest in genere artis operari indifferenter sine vitio; ergo similiter, nec agens morale, in genere morali sine vitio operabitur indifferenter.

73. Respondetur negando antecedens sufficit enim, quod apponatur finis utilis, vel delectabilis cedens in commodum naturæ; dummodo non apponatur circunstantia repugnans fini honesto. Ad primam probationem respondeo, negando Major. quia licet utraque agentia determinentur, non tamen datur aliquod præceptum ex vi cujus debeant agentia libera determinari ad finem honestum, cum etiam ad utile, & delectabile determinari possint. Deinde nego consequentiam, ut enim Deus dedit agenti naturali inclinationem in suum finem naturalem, ita etiam determinavit moraliter agens liberum, idest, apposuit illi præceptum, ut in finem honestum quandoque sua opera referret: non tamen, determinavit agens liberum ad solum finem honestum, cum etiam possit intendere delectabile, qua delectabile; & utile, qua utile; non solum ut sunt quid proprium animalis, sed etiam ut sunt quid naturæ rationalis, quæ judicat sibi convenire talem finem; qui si non fuerit prohibitus, nec præceptus, actio propter illum facta indifferens erit. Ad secundam probationem concedo totum; nam in genere naturæ, & in genere morali, nullus est actus indifferens sistendo in eodem genere.

74. Objiciunt quarto Suar. num. 9. Granad. num. 7. Homo cum pervenit ad usum rationis, tenetur operari propter finem excellentiorem quàm sit finis propter quem operantur bruta: atqui bruta operantur propter solam delectationem, & utilitatem naturæ; ergo homo operabitur propter finem honestum. Major probatur, quia hoc postular excellentia naturæ humanæ, cui Deus non indidit rationem, nisi ut cognosceret finem naturæ rationalis, idest, honestum, & ab illo moveretur. Respondetur negando majorem; namque ut homo discernatur à brutis, non requiritur, quod solum operetur propter excellentiorem finem, sed sufficit, quod operetur propter utilem, ac delectabilem finem, in quo convenit cum brutis; & quod operetur propter excellentiorem, idest, honestum: ad hoc enim homini ratio indita est, ut circa honestum operetur, & circa delectabile etiam, cedens in bonum naturæ, sciatque eligere media, quæ fini necessaria visa fuerint.

75. Instat Araujo n. 6. §. 2. Sequitur Deum non habere majorem providentiam de aliquibus actibus liberis humanis, quàm de actibus brutorum, hoc autem est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Sequela probatur, quia de actibus brutorum solùm habet Deus providentiam spectantem ad ordinem naturæ, & non ordinat illos ad præmia. Minor probatur primo à D. Thom. 3. contra gentes cap. 5. quia per actus liberos excedit homo animalia; ergo subjacent speciali providentiæ. Secundo quia ideo Paulus 1. ad Corinth. cap. 9. vers. 9. dixit, *Nunquid de bobus cura est Deo?* quia de illis non habet Deus illam specialem providentiam, quam habet de hominibus. Tertio quia providentia, vel est approbationis, vel concessionis: ergo vel non dantur actus indifferentes, vel de illis non habet Deus providentiam. Antecedens traditur à Damasceno 2. de fide cap. 29. Consequentia patet, quia providentia, vel est malorum, quæ Deus permittit; & dicitur concessionis, vel bonorum, quæ Deus in fines aliorum intendit; & dicitur approbationis.

D. Thom. — Ad Corint. 1. cap. 9. — Damascen.

76. Respondetur negando sequelam; quia,

etiam in ordine naturæ specialiorem providentiam habet Deus de homine, quàm de bruto, eoquod licet actus brutorum, & actus indifferentes hominum, non referantur in finem honestum, nec in Deum, ut in finem moralem ultimum, nec digni sint præmio, vel pœna; tamen actiones brutorum necessariæ fuot, hominum vero liberæ: & D.Thom. ratio desumitur ex D. Thom. 1. p. qu. 22. art. 2. ad 4. ubi explicans locum Pauli, ait, diversam esse, & specialem providentiam Dei circa homines, nam irrationabilia, *aguntur tantum quasi ab altero directa in finem, non autem se ipsa agunt, quasi se dirigentia in finem, ut creatura rationales per liberum arbitrium, quo consiliantur, & eligunt.* Ac proinde cum actiones brutorum necessariæ sint, & ab altero dirigantur, de illis habet Deus solum providentiam gene[...]m: actiones vero hominum, quia liberæ sunt, etiam in ordine naturæ, specialem de illis habet providentiam: eo modo, quo in ordine gratiæ Deus specialiorem habet providentiam de iustis, quàm de iniustis, iuxta eumdem sanctum Doctorem citato loco in corpore: hæc autem providentia, quam Deus habet de actibus liberis, dicitur specialis approbationis in ordine naturæ.

77. Obiiciunt quinto, præcipue Araujo n. 6. §. 3. Iam dabuntur plures actus liberi, de quibus homines non judicabuntur in die judicii: hoc autem est contra Scripturam sacram, & sanctos PP. ergo, &c. Major probatur, quia homines judicandi sunt de solis actibus bonis, & malis. Minor probatur ex Paulo ad Roman. cap. 2. vers. 6. *reddet* AdRom.P. *unicuique secundùm opera eius.* Et 2. ad Corinth. 2. ad Corinth. c. 5. cap. 5. vers. 10. *Vt referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Ex ex Ecclesiast. cap. ultim. cap. ultimo Ecclesiastis vers. 14. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit:* ergo de omnibus actibus, nullo excepto, homines debent judicari. Hieronym. Secundo probatur ex Hieronymo in locum Ecclesiastis, *Cum iudicii tempus advenerit, quidquid à* Ambrosius, *nobis gestum, stabit sub iudice, & ancipitem sin spectabit sententiam.* Tertio, ex Ambrosio in illud primæ ad Corinth. 4. *Illuminabit absconditæ;* ubi ità: *In die iudicii nihil occultum erit tenebrarum, quæ gesta, & cogitata sunt, omnia enim nuda, & aperta erunt.* Respondetur, concedo Major. Namque Scriptura sacra, & SS. PP. loquuntur tantum de operibus moralibus, quæ omnia bona, vel mala sunt: non vero de operibus in ordine naturæ, quæ sunt indifferentia per ordinem ad genus morale: aliter, etiam illa opera, quæ indifferentia sunt per ordinem ad genus meritorium adducentur, cum tamen nemo operibus bonis in peccato mereatur, aut demereatur: ideo de eis judicari non debet.

78. Obiiciunt sexto Curiel. §. 2. Granad. n. 8. Prodigalitas est vitium, eo quod determinat hominem ad consumendas divitias; sed qui suas operationes sine fine honesto exercet, inutiliter eas consumit; ergo est prodigus suarum actionum; ergo etiam actiones indifferentes malæ, & prodigæ erunt. Respondetur negando Minor. non enim inutiles sunt actiones factæ in commodum, & delectationem naturalem. Dices: Inutiliter consumere divitias, est illas sine fine honesto consumere. Respondetur negando quo antecedens, nam prodigalitas est vitium, quo consumuntur acquisita sine modo; non vero quo quis negligit lucrari quantum potest; aliter tenerentur ad mercaturas, vel ad majorem perfectionem; unde si aliquid moderate fiat propter commodum naturæ, non statim erit malum. Dices: Ad minus erit vitium, negligentiæ. Respondetur negando antecedens: non enim est negligens vitiose, qui negligit acquirere quantum potest, & quoties potest, sed qui negligit acquirere cum oportet, nec homines egent lucro actuum indifferentium, cum aliorum actuum lucro ditari possint: ac proinde satis est ad hoc ut homo, nec prodige, nec negligenter dicatur operari, si non operatur contra finem supernaturalem.

79. Obiiciunt septimo, præcipue Raynaud. n. 37. Idem est finis naturæ humanæ, atque actionis humanæ: atqui finis naturæ humanæ, est Deus; ergo etiam finis actionis humanæ. Major probatur primo, quia natura humana est velut arbor, & actio humana, est velut fructus illius arboris; atqui idem est finis arboris, & fructus; ergo etiam idem erit finis naturæ, & actionis humanæ. Probatur secundo, quia idem est finis actus primi, & secundi: sed natura habet se per modum actus primi, & actio per modum actus secundi; ergo utriusque est idem finis. Respondetur: distinguo Major. idem est finis ultimus naturæ humanæ, & actionis humanæ: concedo; idem est omnis finis nego; licet enim natura, & actio humana, habeant eumdem finem naturalem, ultimum, cum tamen operatio sit libera, potest pro libito quemlibet finem apponere, qui si non fuerit repugnans fini ultimo, non propterea malus erit.

80. Obiiciunt octavo, specialiter ipse Raynaud. num. 38. Actio indifferens, vel saltem virtute ordinatur in Deum, vel nullo modo ordinatur: si primum, honesta est: si secundum, mala: quiescit enim in bono creato, & per consequens illo bono fruitur, quod malum est, juxta Augustin. lib. 1. August. de doctrina Christiana. Respondetur ordinari in Deum, ut in finem naturalem, non vero, ut finem moralem; omnis namque actio, etiam mala, habet Deum pro fine naturali, insuperque, demus talem actionem non ordinari in Deum finem naturalem, non illico illa actio foret mala, non enim ex hoc sequitur, quod homo fruatur illa actione creata, cum in illa non sistat positive, sed negative, idest non tendit in ulteriorem finem, & cum homo qui ita fruitur non contrarietur ultimo fini, inde est, quod non operetur male.

81. Obiiciunt nono Carmelitani num. 23. Vel illa delectabilitas, & commoditas naturæ, ad quam recurritur, est regulata per rationem, vel brutalis; si primum, jam habet finem honestum: si secundum, indignum & inhonestum est dirigere operationes in commodum tantum, & delectationem naturæ ad similitudinem brutorum. Respondetur esse regulatam per rationem, non quidem juxta regulas honestas, sed juxta regulas utilitatis & commoditatis naturæ; proponit enim ratio objectum appetibile, & delectabile tantùm, vel utile, quod appetit voluntas, & cum ista appetitio non tendat in objectum honestum, non est honesta; quia tamen tendit in objectum, quod honestati non repugnat, non est etiam inhonesta; sed indifferens.

82. Obiiciunt decimo iidem Carmelitan. num. 24. Ordinare medium principale ad finem eo medio imperfectiorem, est peccatum: atqui in præsenti sic est; ergo, &c. Major probatur exemplo sacerdotis, qui principaliter celebrat propter lucrum temporale; peccat enim ex eo quod ordinat nobilius, idest, sacrificium, ad ignobilius, id est, ad lucrum. Minor. patet, quia quælibet commoditas

commoditas est imperfectior, & ignobilior, quolibet actu rationis. Respondetur negando Major. omnino enim falsa est: aliter peccatum esset ordinare actum nobilioris virtutis ad ignobiliorem virtutem, quod tamen supra cum communi sententia negavimus disp. à num. 766.

SUBSECTIO SECUNDA.

Utrum in genere morali, detur actus indifferens in individuo?

83. Actus moralis in triplici statu considerari potest. Primo, in genere essentiali: Secundo, in genere accidentali; Tertio, in genere meritorio. Dico primo, Nullus actus moralis indifferens est ex objecto, & in genere essentiali. Probatur, quia moralitas desumitur ex objecto morali, ex dictis disputatione 2. num. 171. objectum morale consistit in eo, quod sit, vel rationi rectæ, vel legi subjectum, ex dictis disput. 2. à numero 134. ergo omnis actus moralis habet pro objecto quid prohibitum, vel præceptum, aut quid conforme, vel disforme rationi: ergo actus moralis ab illo specificatus, semper erit in genere essentiali determinate bonus, vel malus. Confirmatur, quia ut actus sit moralis semper debet regulari per rationem, & dicere ordinem ad illam: atqui indifferentia non est ordo, sed carentia ordinis ad rectam rationem, ex dictis in hac disp. à num. 1.

84. Dices, In genere naturæ datur actus indifferens per ordinem ad genus moris; ergo etiam in genere morali dabitur actus indifferens. Sed contra, quia ille actus in genere naturæ, non dicitur indifferens ad genus morale, ex eo quod detur actus indifferens moralis in genere essentiali, sed quia talis naturæ est, quod possit fieri moralis; si nimirum fiat juxta rectam rationem: nam eo ipso, quod ponitur sub genere morali, jam est bonus, vel malus in illo genere: cum enim objectum morale, sit conforme, vel disforme rectæ rationi; actus ad illud terminatus, erit determinate bonus, vel malus: verbi gratia ire in agrum, est actus in genere naturæ determinatus, & individuum speciei physicæ, conveniensque, vel disconveniens naturæ: si vero illud iter constituatur sub præcepto, jam iter manet objectum morale, & subjectum legi, actusque ad illud terminatus erit bonus vel malus juxta præcepti qualitatem: & ratione hujus capacitatis, quam actus habet in genere naturæ, dicitur indifferens ad genus morale, non quidem positive, sed negative, idest, illi non repugnat bonitas vel malitia moralis, juxta explicationem datam in hac disp. à num. 1.

85. Dico secundo: Si fiat transitus ex genere essentiali ad genus accidentale circunstantiarum, actus moralis est indifferens in individuo, idest, nec bonus nec malus ex circunstantiis. Suppono talem actum ex objecto esse bonum, nullumque dari præceptum de apponendo fine honesto. Probatur conclusio: Actus iste est moralis ex objecto, & caret circunstantia finis honesti; ergo illi deest bonitas, quæ conferri poterat, si apponeretur finis honestus; ergo respectu ad illam circunstantiam, quæ deficit, actus est indifferens, idest, nec bonus nec malus ex circunstantia finis, cum tamen in genere essentiali sit bonus ex objecto. Similiter pro libito potest voluntas apponere circunstantias indebitas, vel etiam debitas; ergo respectu earum, actus erit indifferens.

86. Dico ultimo: Omnes actus morales, tam in genere essentiali, quam in genere accidentali, indifferentes sunt per ordinem ad genus meritorium, vel demeritorium. Probatur, quia actus facti ab homine existente in peccato possunt esse ex objecto, & circunstantiis boni morales: verba gratia si quis propter Deum elargiatur pauperi eleemosinam; nec tamen sunt meritorii, cum fiant ab homine peccatore, & non grato: nec etiam demeritorii, cum potius disponant ad gratiam habendam ex doctrina D. Thom. qu. 2. de malo art. 5. ad 7. ergo illi actus erunt indifferentes. D. Thom.

SUBSECTIO TERTIA.

Quid senserit subtilis Doctor de indifferentia actuum humanorum?

87. Circa indifferentiam actuum humanorum, mirum est quantum subtilis Doctor notetur à Cajet. 1. 2. quæst. 18. art. 9. & ab aliis Theologis, ideo speculanda est ejus mens in præsenti. Primo ergo Scotus affirmat nullos dari actus indifferentes secundum speciem, & ex objecto. Ita in secundo, dist. 7. quæst. 1. num. 12. vers. *Qualibet*, ubi ita: *Bonum ex genere, & malum ex genere sunt contraria immediata: Ratio est, quia actus non potest esse, quin transeat super objectum: & illud necessario est conveniens, vel disconveniens actui: & ita necessario actus bonus ex genere ex objecto convenienti, vel actus malus ex genere ex objecto disconvenienti.*

88. Secundo, admittit Scotus actus indifferentes in individuo, ita in secundo, disp. 41. quæst. unica num. 4. vers. *Sunt ergo*, ubi ita: *Sunt ergo multi actus indifferentes, non tantum secundum esse, quod habent in specie naturæ, sed etiam secundum esse, quod habent in esse morali.* Et infra: *Multi etiam singulares actus eliciti, sunt indifferentes, qui neque sunt tales, neque tales: & non solum actus non humani, de quibus non est sermo, sicut movere barbam, levare festucam, & hujusmodi, quæ procedunt ex sola imaginatione, non ex libero arbitrio impellente, sed etiam de actibus libere elicitis:* Et latius hanc doctrinam docet quodlibet 18. art. 2. Tertio, docet dari actus non solum indifferentes in genere naturæ, sed etiam in genere morali. Patet ex verbis allegatis in vers. *Sunt ergo.*

89. Quarto, asserit Scotus actum indifferentem in individuo, esse malum privativè, idest, qui caret debita circunstantia, non vero contrariè, idest, qui habet circunstantiam repugnantem, ita docet in secundo dist. 7. quæst. 1. num. 12. vers. *Malitia*, ubi: *malitia privative accepta in secundo, & contrarie, non convertitur, potest enim aliquis actus carere circunstantia requisita ad perfectionem actus virtuosi, & tamen elici cum circunstantia repugnante, quæ redderet illum actum vitiosum.* Et infra: *Videtur poni actus indifferens, qui licet sit malus privative, non tamen contrarie, quia indifferens.* Eadem habet numer. 15. vers. *similiter.*

90. Quinto, Scotus admittit actus indifferentes in genere morali accidentali circunstantiarum, & in genere meritorio; ita in secundo dist. 7. quæst. 1. ubi proponens triplicem malitiam oppositam triplici bonitati, quarum secunda est

circunstantiarum. Tertia demeritoria, ot explicar num. 12. vers. *Huic*: num. antem 13. vers. *Malitia*, ita habet: Et ita, *tam in secundo membro, quam in hoc tertio, videtur poni actus indifferens.* Eadem habet in secundo dist. 41. quæst. unica n. 4. vers. *Sunt ergo*, & quodlibeto 18. art. 2.

91. Ultimo, appellat Scotus actum indifferentem illud, quod non procedit ex habitu virtutis. Ita in secundo dist. 41. quæst. unica num. 2. vers. *Aliter*, ubi ita, *In prima bonitate, & malitia comparando ad actum naturalem, videtur posse inveniri actus indifferens, qui scilicet habeat determinatam speciem in genere naturæ per compositionem ad omnes causas suas, & possit tamen habere indifferenter bonitatem moralem & malitiam: quod probatur primo, quia secundum Philosophum, secundo Ethic. habitus justitiæ generatur ex operibus justis, non tamen juste factis: iste actus non est bonus moraliter, quia non ex virtute.*

92. Contra hanc Scoti doctrinam insurgunt Thomistæ & primo asserunt negare actus indifferentes ex objecto, esse damnatum in Concilio Constantieosi sess. 15. & ita Valentia disp. 2. quæst. 13. punct. 5. Salaz tract. 7. disp. 4. sect. 1. Secundo Vasq. disp. 52. cap. 2. num. 10. Montesin. disp. 25. quæst. 2. num. 31. Raynaud. num. 29. §. *itaque*. arguunt Scotum inconstantiæ, & quod non cohærenter loquutus fuerit, eo quod si admittit actus indifferentes in individuo, necessario admittere debebat actus indifferentes ex objecto, nam ideo indifferens est in individuo, quia ex objecto talis est. Tertio Cajet. similiter arguit Scotum inconstantiæ, eo quod si actus est indifferens, non potest esse malum privativè, ut appellatur ab Scoto, esse enim actum malum, & indifferentem simol, est manifesta Implicatio. Quarto, Vasquez Montesin. & alii Doctores, arguunt Scoti doctrinam, in eo quod contra communem appellationem indifferentiæ, appellet actum indifferentem, illum, qui non procedit ex habitu virtutis.

93. Ut igitur Scoti mens, quæ subtilissima est, & æque verissima, in hac materia penetretur. Dico primo: Scotus non admittit actus indifferentes ex objecto, & in genere essentiali morali, patet ex citato num. 87. deinde ostenditur ex eodem secundo dist. 7. quæst. 1. num. 13. vers. *Malitia*, ubi ex illis tribus bonitatibus, & malitiis, quas explicaverat à num. 11. nimirum primam ex objecto, secundam ex circunstantiis, tertiam ex demerito, asserit tantum in secundo membro, idest, circunstantiarum, & in tertio, idest demeriti, dari actum indifferentem, ita enim habet, *& ita tam in secundo membro, quàm in hoc tertio videtur poni actus indifferens*, & cohæret cum nostra doctrina supra probata num. 34. Quare non bene Raynaud. numer. 29. explicat Scotum de actu desumpto ex objecto in esse naturæ, tantum pro rudimento bonitatis, vel malitiæ eo quod illud objectum utrinsque est capax, & sic actus est boous, vel malus in esse naturæ, & radicaliter, non moraliter, siquidem ad moralitatem est indifferens. Verum expositio extorta est, nec somniata ab Scoto, qui clarissimè se explicavit de actû morali, non solum radicaliter, sed etiam formaliter, ut appater ex contextu in secundo dist. 7. quæst. 1. Legatur à nom. 11. usque ad 13. Nec hæc doctrina damnata foit in Concil. Constantiensi, ut bene notavit Montesin. num. 7. namque hæreticorum error fuit, omnia opera justorum esse bona, opera verò peccatorum mala. Videantur, quæ diximus supra n. 35.

94. Dico secundo, Scotus admisit actus indifferentes in individuo. Constat ex ejus locis supra citatis n. 88. Nec bene notatur inconstantis, & minus cohærentis animi, ut bene vidit Vasquez citatus disp. 52. cap. 2. num. 12. Nam cum asseruit dari actus indifferentes in individuo, loquutus fuit per ordinem ad circumstantias, non verò de actibus illis in genere essentiali, & ex objecto, quod necessariò conveniens est, aut disconveniens. Si quæras cur Scotus non dixit, actus propter circumstantias esse indifferentes secundum speciem, & ex objecto? Respondeo, quia circumstantiæ non pertinent ad speciem, sed ad individuum, quod afficiunt, & quod accidentaliter vestiunt, & ideo individui propria est iodifferentia, quæ provenit ex circumstantiis, non verò est propria speciei, quæ circumstantias non attendit.

95. Dico tertio, Optimè appellatur ab Scoto actus indifferens malus privative: quia ut constat ex locis citatis supra num. 89. malum privativè non est malum culpabile, sive contrarium rectitudini; sed est actus, qui non habet perfectissimam rectitudinem, sed diminutam, & est absolutè bonus. Ita se explicat ipse Subtilis Doctor in 2. dist. 7. quæst. 1. num. 24. vers. *Quantum*, & num. 25. §. *Potest*, videndaque sunt quæ diximus disp. 3. numero 144. & per consequens ille actus moralis est bonus ex objecto, indifferens ex circumstantiis, malus privativè, quia caret bonitate circumstantiarum.

96. Solum mihi superest dubium ex Scoto quodlib. 18. art. 2. vers. *Imputabilis*, obi appellat actum indifferentem imputabilem, ita enim habet: *Actus autem neuter, sive indifferens, dum tamen sit in potestate agentis, imputatur*: imputabilitas autem, juxta eumdem Subtilem Doctorem, est laudabile, vel vituperabile. Respondeo imputabile sumi ab Scoto largè pro eo quòd non est laudabile, ita enim ibi habet, *vel saltem, ut non laudabilis, & hoc propter defectum eius, qui potuit laudabiliter egisse.* Ille autem indifferens actus non est laudabilis, sed non ideo vituperabilis.

97. Dico quarto, Non bene intelligitur Scotus, quando, ait actum indifferentem esse illum, qui non procedit ex habitu virtutis, quia per habitum virtutis non intelligit habitum virtutum moralium existentem in voluntate, sed habitum prudentiæ existentem in intellectu, ut explicat Lichetus in 2. dist. 41. §. *Intelligendum ergo*, & est sensus, quod si quis faciat opus non secundum prudentiæ habitum, quo intellectus dictat de omnibus circumstantiis, non esse actum bonum, nec malum ex illis circumstantiis, sed indifferentem: aliter sibi ipsi contradiceret, qui variis in locis affirmat, sine habitu virtutis generari actum perfectæ virtutis, in 1. dist. 17. q. 3. num. 4. vers. *Patet igitur*, & in 3. dist. 33. q. unica num. 12. *Ad quæst.* & in 4. dist. 14. q. 2. num. 3.

98. Objicies, In his locis Scotus asserit actum elicitum conformiter rectæ rationi, sine habitu esse bonum; ergo male docet esse actum indifferentem. Respondeo, ideo ab Scoto non appellari illum actum virtutis, quia licet sit actus virtutis, id est, natus elici à virtute, tamen, quia ab ea non elicitur, ideo non appellat actum virtutis, imò nec talem actum bonum appellat moraliter: ita enim habet in 2. dist. 41. q. 1. num. 2. vers. aliter. *Iste actus non est bonus moraliter, quia non ex virtute.* Inferes; Ergo non est indifferens. Respondeo, distinguo illationem, ex parte objecti,

concedo: ex parte principii, nego: indifferens enim est, ut sit actus virtutis, id est, elicitus à virtute, vel non: cum autem non elicitur, non est actus virtutis, quia à virtute non est: non est etiam malus, quia conformis rectæ rationi: est ergo bonus moraliter, non actus virtutis: sive est rectum, sed non rectè factum.

99. Dico ultimo: Scotus, quando admittit actus indifferentes in individuo, non est standum in genere essentiali, quod clarissimum est in doctrina Scoti, & constat aperte ex locis citatis num. 89. & num. 90. admittit ergo Scotus actus indifferentes in individuo, eo modo, quo illos explicavimus: id est, actus indifferens est determinatus in esse naturæ, & quia bonitas istius actus potest esse bona, vel mala moralitet, sive nec est bona, nec mala moralitet ex objecto, ideo indifferens est negativè ad bonitatem, vel malitiam moralem ex objecto. Quod manifestè probat Scotus in secundo dist. 7. quæst. 1. num. 11. vers. *De primo*, dicens, *quod ultra bonitatem naturalem volitionis, quæ competit sibi, in quantum est ens positivum, quæ etiam competit cuique enti positivo secundum gradum suæ entitatis magis & minus: præter illam, est triplex bonitas moralis*, &c. Et infra. *Et ita quasi potentiale non omnino extra genus moris (sicut fuit ipso actus in genere naturæ) sed in genere moris.* Unde cum actus in genere naturæ, sit in illo genere determinatus, & objectum illius possit prohiberi, vel præcipi, & reponi in genere morali, habet ille actus in genere naturæ non repugnantiam, ut sit bonus, vel malus in genere morali essentiali, & ex objecto: & clarius in 1. dist. 41. n. 2. vers. *Aliter.*

100. Constitutus verò actus in genere morali essentiali in tali genere non potest esse indifferens, siquidem in illo genere bonitas & malitia sunt contraria immediata, ita ut in illo genere non possit esse actus, *quin transeat super obiectum, & illud necessario est conveniens, vel disconveniens actui: & ita necessario actus bonus ex genere ex obiecto conveniens, vel actus malus ex genere ex obiecto disconvenienti*, verba sunt Scoti in 2. dist. 7. quæst. 1. numer. 12. vers. *Qualibet.* Unde miror ab aliquibus Scoti discipulis hanc doctrinam non approbari, cum adeo expresse ab eorum Magistro asseratur? Præcipue, quia in illo loco secundi dist. 41. num. 4. vers. *Sunt ergo*, admittens actus morales indifferentes in individuo, non ait, quòd sint indifferentes ex objecto, sed supponens esse indifferentes ex circumstantiis, addit etiam esse indifferentes ad bonum meritorium, quod dixerat in secundo dist. 7. quæst. 1. numer. 13. Ac proinde Scotus numquam admisit actum moralem indifferentem, nisi fieret transitus ad genus circumstantiarum, respectu quarum nec est bonus nec malus, & postquam actus est circumstantionatus omnibus circumstantiis manet indifferens non in genere accidentali circumstatiarum, quarum omnium bonitatem, vel malitiam habet, sed in genere meritorio & demeritorio. Videatur Subtilis Doctor, tam in secundo locis citatis, quàm toto Quodlibeto 18.

SUBSECTIO QUARTA.

Expediuntur aliquot dubia circa indifferentiam actuum humanorum.

Exposita propria sententia, & certè vera de indifferentia actuum humanorum, supersunt aliquot difficultates tam in nostra, quàm in aliorum sententiis expediendæ, quas breviter per sequentia explicabo.

PRIMA DIFFICULTAS.

Vtrum dentur habitus indifferentes?

101. In duplici sensu excitari potest quæstio: primo, de habitibus secundum speciem indifferentibus; Secundo, de habitibus in individuo indifferentibus. Et quòd attinet ad habitus indifferentes secundùm speciem, negant communiter Thomistæ dari tales habitus. Ita Cajetan. Durand. Medin. quos sequitur citatus Araujo num. 53. Cornejo disp. 6. dub. 1. num. 7. Montesin. disput. 25. quæst. 1. §. 6. num. 84. Carmelit. tract. 11. disp. 7. dub. 1. num. 4. & tract. 12. disp. 1. dub. 1. num. 10. Lorca disp. 29. dub. 4. fundaturque hæc sententia in doctrina D. Thom. 1. 2. quæst. 54. art. 3. ubi adæquatè dividit habitum, in bonum & malum, nec aliquem indifferentem admittit. Et probat ex Aristot. cap. de qualitate, à quo habitus ita definitur, *est qualitas disponens subiectum, benè vel malè in ordine ad suam naturam.* Et 5. Ethic. cap. 12. appellat habitum qualitatem benè vel malè afficientem subjectum. D. Thom. Aristot.

102. Affirmant dari habitus indifferentes secundum speciem, Palatius in 2. dist. 40. quæst. 2. Conrad. 1. 2. quæst. 18. art. 10. & quæst. 55. art. 4. Curiel quæst. 55. art. 4. §. *Solum*, Granad. sect. 2. num. 15. & à fortiori Doctores illi, qui asserunt dari habitum indifferentem in individuo, etiamsi nulli dentur actus indifferentes in individuo, quæ quidem sententia probari potest, quia si datur actus indifferens secundùm speciem, dantur etiam objecta, & motiva indifferentia, nimirum bonum aliquod utile, vel delectabile; ergo etiam dabitur habitus indifferens. Patet consequ. quia non datur major ratio de actu indifferenti, atque de habitu.

103. Hæc sententia magis placet, nec cohærenter loquuntur, qui admittunt actus indifferentes in individuo, habitus indifferentes secundum speciem non admittunt. Et probatur primo argumento facto num. 101. Secundo, quia habitus specificantur per actus: atqui dantur actus indifferentes secundum speciem; ergo etiam dabuntur habitus. Tertio, quia habitus illi sunt ad actus indifferentes; ergo erunt indifferentes eo modo, quo explicavimus actus; sicut enim actus non est indifferens secundum speciem stando in proprio genere, sed facto transitu ad aliud, ita etiam habitus non erunt indifferentes stando in proprio genere, sed facto transitu ad aliud.

104. Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur Philosophum non solum loqui de habitu morali, sed etiam de intellectuali, & apud Philosophum, idem est, benè, vel malè afficiens subjectum, quod esse conveniens, vel disconveniens naturæ; unde licet habitus indifferens non afficiat subjectum benè, vel malè, qua indifferens est: afficit tamen benè, vel malè in illo genere, in quo determinatus est, & ideo habitus determinatus in genere naturæ indifferens per ordinem ad genus moris non afficit objectum moraliter, & habitus determinatus in genere morali indifferens per ordinem ad genus accidentale, afficit objectum moraliter in genere essentiali, non verò in genere accidentali.

105. Majus dubium est, utrum si nullus detur actus indifferens in individuo, dandus sit ha-

bitus secundùm speciem? Respondeo negativè, quæ est communis sententia inter discipulos utriusque Doctoris, Angelici & Subtilis, quos sequuntur omnes ferè Recentiores. Et probatur, quia ex eo daretur habitus secundum speciem indifferens, quia actus in individuo secundùm suam speciem essentialem est indifferens, hæc enim est ratio Suarii citati, oppositum sentientis: atqui non sufficit hoc, ut detur habitus indifferens secundùm speciem: ergo, &c. Minor probatur, quia habitus debet proportionari actui generanti in forma illius per se: atqui actus moralis in individuo duplicem habet formam: unam specificam, alteram communem, nimirum dictamen rationis; ergo ille actus necessariò debet generare habitum similem, non solum in esse specifico, sed etiam secundum rationem prudentiæ, vel imprudentiæ, & per consequens bonum vel malum. Major patet, quia si quis multiplicet jejunium propter idolum, non generat actum bonum temperantiæ, sed actum malum, quia actus est malus secundum formam communem prudentiæ; Similiter si quis eat in agrum ad meditandum producit habitum bonum ex ratione communi prudentiæ, cum non solùm facilitetur ad eumdum in agrum, sed ad eumdum meditari in illo, & tota ratio est, quia species habitus non desumitur solum ex objecto, sed etiam ex forma, sive fine, à quo generari debet.

106. Quod attinet ad habitum indifferentem in individuo, in opinione admittente actus indifferentes in individuo non est mihi dubium dari; ita expressit Scotus in 2. dist. 41. num. 5. & cum eo discipuli, Arriaga num. 38. §. *Confirmant*, Vasquez disput. 52. cap. 6. num. 40. & disput. 8 n. cap. 11. n. 3. Granad. citatus, dum habitum indifferentem admittit circa actus indifferentes ex ignorantia invincibili, vel ex inadvertentia. Et ratio est clara, quia actus indifferens in individuo, producit habitum; ergo producit habitum indifferentem. Conseq. est clara: ant. patet, quia si actus bonus producit habitum bonum, & malus malum: cur actus indifferens non producet habitum indifferentem? Quare sicut actus indifferens in individuo non est indifferens in suo genere, sed pro alio genere ad quod transit, ita habitus indifferens in individuo non erit indifferens in suo genere, sed pro alio genere ad quod transit.

107. Objicies primo: Actus indifferens solum est ad necessitatem naturæ: atqui ad propriam necessitatem prompta est natura; ergo non requirit habitum: Respondetur, concedo totum, probat enim tantùm habitum non esse necessarium, non tamen probat per illos actus non generari habitum, ut voluntas facilius & delectabilius operetur.

108. Secundo: Sequitur ex eo habitu posse hominem sæpe operari, & consequenter posse in via diu hærere, non deficiendo per peccatum, nec proficiendo per bona opera, hoc autem præter quod sit impossibile, est contra illud celebre dictum Bernardi, *In via Dei non progredi, regredi est*. Respondetur, idem argumentum fieri posse ex habitu generato per peccatum veniale, per quem nec amittet gratiam, nec acquiret, eritque semper in eodem statu: quapropter si admittitur habitus peccati venialis absque timore permanendi in eodem statu, admitti etiam debet habitus indifferens absque simili timore.

109. Difficilius tamen est, utrum in opinione Doctorum, qui non admittunt actus indifferentes in individuo, admittendi sint habitus indifferentes in individuo? Admittit Pater Suar. in Metaph. disp. 44. sect. 3. num. 15. & 1. 2. tract. 3. sect. 1. disput. 9. num. 4. & tract. 4. disput. 4. sect. 1. num. 5. Salas tom. 1. in primam secundæ, tract. 7. disputat. 4. sect. 1. & tom. 2. tract. 13. disputat. 1. sect. 2. num. 9. & 10. Curiel 1. 2. quæst. 18. articul. 9. dub. 1. §. 2. vers. *Aliquibus videtur*. Azor tom. 1. lib. 3. cap. 24. quæst. 6. & cap. 25. quæst. 3. ubi in appetitu, & intellectu admittit habitus indifferentes. Negativa tamen sententia mihi probabilior videtur, & probatur ex iis quæ diximus supra: habitus non producitur ab actu secundùm suam essentiam tantùm, sed à toto actu, & præsertim à motivo. Cum ergo nullus detur actus indifferens, nullus etiam dari potest habitus indifferens. Confirmatur, quia ex opposito sequeretur eumdem numero actum esse causam duplicis habitus, vel eumdem numero actum produci à duplici habitu. Probatur sequela, quia jam actus ex objecto indifferens, & ex fine malus, procederet ab habitu indifferente, & ab habitu malo, & idem dicendum foret de actu ex objecto indifferente, & ex fine bono. Dices, diversam esse rationem de actu malo, ac bono, quia malitia actus ex fine extrinseca est, non verò bonitas ex fine. Sed contra primo, quia illa bonitas & malitia, quæ provenit actui indifferenti ex fine, essentialis est, & intrinseca ipsi actui, de quo disputat. 1. à numero 206. & à numero 417. Secundo, quia tam extrinseca est malitia actui, atque est bonitas, cum utraque, sit ordo ad suum objectum.

SECUNDA DIFFICULTAS.

Utrum dentur omissiones indifferentes in individuo?

110. Respondetur affirmativè, non enim dari potest major ratio, cur dentur actus indifferentes in individuo, non verò dentur omissiones. Deinde probatur primo, quia ut actus specificantur per objecta, ita etiam omissiones, quæ secum deferunt actum interpretativum. Secundo, quia omissiones distinguuntur per formas negatas, & suo modo per illas specificantur: atqui formæ negatæ indifferentes sunt; ergo etiam omissiones. Tertio, exemplo: nam si quis velit deambulare propter utilitatem naturæ, & omittat illam deambulationem, omissio illa non est mala, siquidem est omissio actus indifferentis, & non debiti: non etiam est bona, quia non habet pro forma negata actum bonum moralem; ergo est indifferens.

111. Difficultas est, utrum si non dentur actus indifferentes in individuo, dari possint omissiones in individuo indifferentes? Affirmant Salas citatus numero 24. Granad. tract. 11. citato disputat. 2. numero 1. Lorca citatus: non negant Carmelitani tract. 11. disputat. 7. dub. 2. §. 3. numero 34. Estque sententia eorum Authorum, qui negant dari omissiones honestas, de quibus disputat. 3. à numero 699. Nam cum omittere actum turpem, non sit turpe, deinde in hac sententia non sit honestum, indifferens erit.

112. Oppositum tamen dicendum est, non admissis scilicet actibus indifferentibus, non admittendas etiam esse omissiones indifferentes: Ita Curiel 1. 2. quæst. 18. articul. 9. §. 3. in fine Araujo quæst. 71. articul. 5. numero 10. §. *ad* 3.

Cornejo tract. 6. disputat. 6. dub. ultimo, numer. 9. §. *Ad quartum*. Montesin. citat. numero 81. Carmelitani cit. & pro hac sententia citari debent omnes, qui negant posse dari puram omissionem sine præcepto, de quibus disputat. 1. à numero 214.

513. Probatur primo, quia juxta illam sententiam, omnis actus humanus est sub præcepto; ergo bonus, vel malus; ergo similiter, & omissio. Probatur consequ. quia illa omissio, est omissio actus sub præcepto: sed quoties omittitur aliquid, quod sub præcepto est, omissio est peccaminosa; ergo, &c. Dices: Illa omissio, est omissio actus, quoad substantiam: atqui actus quoad substantiam, non erat sub præcepto, sed indifferens; ergo omissio indifferens erit. Sed contra, quia omissio, est omissio actus, qui exercendus erat in individuo: atqui non exercendus erat tantum quoad substantiam, sed cum circumstantia boni, vel mali. Secundo, quia illa omissio est individua; ergo est carentia actus in individuo, sed actus in individuo non est indifferens; ergo nec etiam omissio. Tertio, quia voluntas quando omittit, excitatur ex aliquo fine, nec enim omittit voluntas, nec operatur absque fine: atqui posito fine, sub præcepto est, quòd sit honestus; ergo si finis honestus non fuerit, omissio mala erit.

514. Objiciès primo, Non acquirere divitias, non est ex se malum, sed acquisitas male dispensare; ergo similiter non elicere actum, non erit malum, sed erit malum, illum sine debito fine non elicere. Respondetur, distinguo antecedens: absolutè, concedo: quando oportet, nego: absolutè enim non est malum non acquirere divitias, malum tamen est eas non acquirere, quando oportet: juxta hanc sententiam quando omittitur actus sub præcepto, omittitur quando oportet.

515. Secundo, omissio non est volita per modum objecti, actus verò volitus est per modum objecti: atqui tenemur ordinare in finem honestum, solùm id quod est volitum; ergo non tenemur ordinare omissionem in finem honestum, si quidem non est volita; ergo erit indifferens. Respondetur negando majorem: Omissio enim voluntaria est, & volita, non per se ipsam, sed per actum interpretativum: Quare licet demus omissionem secundùm speciem, non esse præceptam nec prohibitam, non ita dicendum est de omissione in individuo, eo quòd specificatur per actum carentem fine honesto, qui juxta hanc sententiam malus est.

TERTIA DIFFICULTAS.

Utrum, si non dentur actus per se indifferentes in individuo, saltem per accidens dari possint?

516. Suppono juxta sententiam relatam à numero 46. non dari actus indifferentes per se in individuo, & relinquitur locus quæstioni, utrum si quis per ignorantiam invincibilem, existimet non esse malum operari sine fine honesto, vel admittat probabile, esse dari actus indifferentes, sintne actus illi saltem per accidens indifferentes?

Affirmant communiter Thomistæ, teste Curiel §. 1. versicul. 4. eosque sequitur §. 2. Vasquez cap. 3. numero 16. §. 2. asserens ita sentendum esse ab oppositæ partis Authoribus, Suarez disputatione 9. sect. 3. numero 10. Valentia disputatione 2. quæst. 13. puncto 6. in fine: Granad. disputatione 2. sect. 3. num. 17. Carmelitani disputatione 6. dub. 2. §. 4. numero 26. Negant Montesin. citatus §. 6. numero 82. Lorca disputat. 29. dub. 1. §. *Nos verò*. Araujo 1. 2. quæst. 18. articul. 9. numero 15. *ad* 4. Cornejo numero 10. Salas tract. 7. disputatione 4. sect. 2. numero 17. Adhuc tamen inter hos Authores, est litigium, dicendus ne sit ille actus bonus, vel malus: malum docent Araujo & Cornejo: bonum, Salas, Montesin. & Lorca.

517. Dicendum tamen est primo, Data opinione, quæ requirit præceptum ad moralitatem, actus ille non est moralis, quia juxta illam, ad moralitatem requiritur præceptum, ex dictis disp. 2. à n. 18. Est enim moralitas habitudo ad objectum præceptum. Dices, Objectum verè est sub præcepto; ergo etiam actus, & per consequens moralis. Respondetur, distinguo anteced. objectum est sub præcepto à parte rei, concedo: ut proponitur ab intellectu, nego: Deinde nego consequentiam, quia actus non specificantur ab objecto à parte rei, sed propositio ut proponitur, proponitur ut putatur, non putatur ut præceptum, & ideo non influit in actum ut præceptum est, nec ut morale est objectivè; ergo actus determinatus in genere naturæ, quia conveniens naturæ.

518. Dicendum secundo, admissa opiniona, quæ docet sufficere ad moralitatem subjectionem ad rectam rationem, ut probabilius admisi illa disputatione 2. à numero 37. ille actus est indifferens. Probatur, quia objectum illud, ut proponitur, nec est bonum, nec malum; non bonum, quia caret fine honesto: non malum, quia non putatur esse contra præceptum; ergo est indifferens: atqui actus specificatur per illud objectum ut proponitur, & non ut est à parte rei; ergo, &c.

519. Dato tamen quòd ille actus non sit indifferens à parte rei, erit ne bonus, an malus? Respondetur esse bonum. Primo, quia ratio illa prohibita, nimirum, carentia finis honesti non influit in actum; siquidem ex ignorantia invincibili redditur involuntaria; ergo non potest actus esse malus; non enim involuntarium reddere potest actum malum. Secundo, quia illud objectum proponitur ut bonum utile, vel delectabile & conveniens naturæ: atqui non proponitur, ut ratio mala, quia potius proponitur, ut bona; ergo actus erit bonus. Tertio, quia si quis per ignorantiam invincibilem existimet actum esse bonum, etiamsi malus sit à parte rei, actus formaliter erit bonus, ut traditur in materia de conscientia; ergo similiter, si quis existimet actus indifferentes non esse malos, sed bonos per ignorantiam invincibilem, actus non erit malus, sed bonus. Idemque argumentum fit in eo, qui judicat probabiliter, actum indifferentem esse bonum.

520. Dices primo, Ut actus sit bonus, debet apprehendi bonitas ipsius, sed hic non apprehenditur bonitas, suppono enim apprehendi indifferentiam; ergo actus non erit bonus. Respondetur, negando minorem, quia licet non apprehendatur bonitas honesta, apprehenditur bonitas conveniens naturæ. Secundo, Bonum est ex integra causa: atqui una ex præcipuis causa

bonitatis formalis, est bonitas objectiva; ergo cum hæc deficiat, actus non erit bonus formaliter. Respondetur, distinguo minorem: Est bonitas objectiva, saltem apparens, & putata, concedo: ut est à parte rei, nego: in præsenti autem, licet non detur bonitas objectiva realiter, & à parte rei, datur tamen in apprehensione, quæ ad excludendam malitiam satis est.

Ut etiam satis de actibus humanis in communi, quorum notitia adeo sero typis data est, cum tamen anno millesimo sexcentesimo tricesimo primo, fuerit tradita Auditoribus, dum Conimbricæ Theologiam docuissem. Hinc est, quod Patrem Arriagam, Oviedo, & alios Recentiores vel raro, vel numquam allegem; nondum enim eorum lucubrationes natæ erant, eum hæ jam senio confectæ vilescerent; de illis tamen, & aliis, qui simul floruere, in sequentibus voluminibus, quorum secundus est de triplici regula actuum humanorum, & tertius de duplici principio actuum humanorum, non semel mentionem faciam.

Si quid tamen in præsenti contrarium fidei, aut moribus, sanctionibus Apostolicis, aut communi sanctorum Patrum dictis, docui, retracto; & ex nunc ut falsum reprobo. Quod autem recte disputatum est, attribuatur sanctissimæ Trinitati, à qua omne donum, & verum est; sanctissimæque Virgini Parenti, sine qua nullum à Patre luminum donum descendit; sanctissimisque parentibus sancto Ioanni, & sancto Felici: per quos & sanctissimæ Trinitatis dona, & beatissimæ Virginis patrocinia sum expertus.

FINIS.





INDEX PRIMVS
EX LOCIS SACRÆ SCRIPTVRÆ.

ctre) faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio justa est, disp. 1. n. 373. disp. 3. n. 591

4. vers. 15.

Ubi enim non est lex, nec praevaricatio, disp. 1. n. 21. disp. 4. n. 176

6. vers. 12.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus, disp. 4. n. 309. n. 320

9. vers. 19.

Voluntati enim ejus quis resistit? disp. 1. n. 385

14. vers. 3.

Qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet, disp. 5. n. 36

vers. 23.

Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est, disp. 2. n. 22

PRIMA AD CORINTHIOS.

Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum, disp. 1. n. 26. n. 266. n. 777. disp. 3. n. 446

9. vers. 9.

Numquid de bobus cura est Deo? disp. 5. n. 76

11. vers. 31.

Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud facitis, in gloriam Dei facite, disp. 3. n. 156. disp. 5. n. 59

13. vers. 8.

Charitas numquam excidit, sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur. disp. 1. n. 131

SECVNDA AD CORINTHIOS.

8. vers. 3.

Supra virtutem voluntarii fuere, disp. 1. n. 15

AD GALATAS.

5. vers. 17.

Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus vero adversus carnem, disp. 1. n. 329. disp. 3. n. 66

AD COLOSSENSES.

3. vers.

Quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, disp. 5. n. 59

AD THESSALONICENSES.

2. vers. 4.

Qui adversatur, & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, disp. 3. n. 345

PRIMA AD TIMOTHEVM.

1. vers. 5.

Finis praecepti, est charitas, disp. 3. n. 1012

2. vers. 4.

Qui omnes homines vult salvos fieri, disp. 1. n. 299. n. 803.

AD TITVM.

2. vers. 12.

Sobrie, & pie, & juste vivamus, disp. 4. n. 494.

AD HEBRÆOS.

11. vers. 14.

Fortes facti sunt in bello, disp. 3. n. 517

IACOBVS.

1. vers. 14.

Unusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus: concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum, disp. 4. n. 804

2. vers. 13.

Superexaltat misericordia judicium, disp. 4. n. 1097. n. 1038

4. vers. 17.

Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi, disp. 3. n. 701

PETRVS.

PRIMA.

2. vers. 20.

Sed si benefacientes, patienter sustinetis, disp. 5. n. 700

5. vers. 18.

Providentes, non coacte, sed spontanee secundum Deum, disp. 2. n. 15

IOANNES.

PRIMA.


3. vers. 9.

Omne peccatum est iniquitas, disp. 4. n. 176



Vuu

INDEX SECVNDVS
EX VTROQVE IVRE.
Ius Canonicum.



INDEX TERTIVS PROLOQVIORVM, QVÆ IN hoc primo tomo explicantur.

EX DISPVTATIONE PRIMA.

EX DISPVTATIONE SECVNDA.

EX DISPVTATIONE TERTIA.

INDEX TERTIVS.

EX DISPVTATIONE QVARTA.

EX DISPVTATIONE QVINTA.



INDEX QVARTVS RERVM, QVÆ IN HOC TOMO continentur.

INDEX QVARTVS.

RERVM, QVÆ IN HOC TOMO CONTINENTVR.

INDEX QVARTVS.

Ad

INDEX QVARTUS.

L

O

INDEX QVARTVS.

INDEX QVARTVS.

INDEX QVARTVS.

INDEX QVARTVS.

RERVM, QVÆ IN HOC TOMO CONTINENTVR.

RERVM, QVÆ IN HOC TOMO CONTINENTVR.

INDEX QVARTVS.

FINIS.